

I. U. Hauckh del. Ioh. Kunr. Steidlin sc. A. V.



MUNDUS MARIANUS,

SIVE

MARIA SPECULUM MUNDI SUBLUNARIS,

AUCTORE

R.P. LAURENTIO CHRYSOGONO, DALMATA SPALATENSI, SOCIETATIS JESU THEOLOGO, ET IN GRÆCENSI UNIVERSITATE IN MORALIBUS PROFESSORE.

OPUS OMNIBUS VERBI DEI PRÆDICATORIBUS, SACRÆ ASCESEOS PATRIBUS, S.S. PATRUM COMPENDIOSAM BIBLIOTHECAM AC MARIANARUM VIRTUTUM, GRATIARUM ATQUE PRIVILEGIORUM ANACEPHALÆOSIN DESIDERANTIBUS, UNIVERSIS DENIQUE CHRISTI FIDELIBUS UTILISSIMUM ET SALUBERRIMUM.

CUM INDICIBUS COPIOSISSIMIS, UNO RERUM, ALTERO PECULIARI MARIANO.

CUM LICENTIA SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,

IMPENSIS PHILIPPI JACOBI VEITH, BIBLIOPOLÆ GRÆCENSIS, ET FRATRUM.

ANNO M. DCC XII.


MARIA
SPECULUM MUNDI
SUBLUNARIS
Majestas et Amor. Ovid
I. U. Hauckh del.



MUNDUS MARIANUS,

SIVE

MARIA SPECULUM MUNDI SUBLUNARIS,

AUCTORE

R.P. LAURENTIO CHRYSOGONO,
DALMATA SPALATENSI, SOCIETATIS JESU
THEOLOGO, ET IN GRÆCENSI UNIVERSITATE
IN MORALIBUS PROFESSORE.

OPUS OMNIBUS VERBI DEI PRÆDICATORIBUS, SACRÆ ASCESEOS PATRIBUS, S.S. PATRUM COMPENDIOSAM BIBLIOTHECAM AC MARIANARUM VIRTUTUM, GRATIARUM ATQUE PRIVILEGIORUM ANACEPHALÆOSIN DESIDERANTIBUS, UNIVERSIS DENIQUE CHRISTI FIDELIBUS UTILISSIMUM ET SALUBERRIMUM.


CUM INDICIBUS COPIOSISSIMIS, UNO RERUM, ALTERO PECULIARI MARIANO.

CUM LICENTIA SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
IMPENSIS PHILIPPI JACOBI VEITH, BIBLIOPOLÆ GRÆCENSIS, ET FRATRUM.

ANNO M. DCC XII.



INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO

ROMANORUM IMPERATORI SEMPER AUGUSTO CAROLO VI.

Germaniæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regi,

Archiduci Auſtriæ &c. &c.

PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO.



MAjeſtatem Tuam, *Auguſtiſſime Imperator*, expectabat hic Mundus, donec in lucem prodiret. *Marianus* eſt; ut placeat, ſatis eſſe vel iſtud unum confidimus: Tibi nempe, cujus ſpectata orbi in magnam Cœli Reginam pietas fecit, ut minus timidi auderemus

mus

mus observantiæ erga Te nostræ pignus hoc ipsum offerre. Europæ pars maxima pedibus Tuis affusa post Regnorum coronas summum Tibi Imperium gratulatur. Idem unà voluimus, atque debuimus: At quia non nescii, prolixis laudum argumentis, quæ disertiùs quidem afferent fortasse alii, haud teneri superiorem istis Majestatem Tuam; istuc ivimus, ut auspiciis Tuis sacratissimis volumen inscriberemus, ejus nomini sacrum, cujus totus Tu sacer es. Mariam certè suâ causâ exornari gaudebit Augusta pietas Tua; tametsi per singularem animi moderationem cæteras acclamantium voces, quemadmodum & apparatus, vix sustines. Auspicem rebus Tuis, post Deum, illam Dei Matrem sanctissimam nunquam non Religione summâ compellas. Talem, cùm Hispaniam Tuam primùm peteres, ad Cellas Marianas; talem, cùm Belli, Pacisque arbitram invocares, ad Montem Serratum; talem & nunc in æde Sacra Viennæ principe, aut Hiezingana Tuam Cœli Augustam Augustus supplex accedis. Igitur, quod optet ipsa Majestas Tua, Mariano nomine nos quoque Tua suscepti Imperii auspicia consecramus; Secunda eadem Europæ, secunda Imperio, Tuis, Tibi, Austriaco generi secunda vovemus. Hæc, quod scimus, Tua, post Deum Optimum Maximum, Fortunæ ara est; hìc ominibus faustis initiari Imperium Tuum sic Tecum gestiunt boni omnes, ut felicius alibi vix usquam possit. Næ fortunata tali Cæsare regnandi exordia, cui in oculis adeò, & in amore est illa, *per quam Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.* Illa, inquam, tam Regum, quàm Cœlorum Regina, in qua colenda, nescio, an quis alius Christianus Princeps tam memorandus, quàm Augustissimi Majores Tui fuerunt. Ferdinandi III. avi tui, proavi

vi etiam amplius Ferdinandi II. magna vestigia hoc ipso in volumine expressa non uno loco spectabis; Leopoldi autem D. memoriæ Parentis Tui quem majorem indicem, atque Te ipsum dicam, CÆSAR CAROLE? in Cujus & Augusta, & Mariana simul pietatis exempla tantus Hæres ingrederis; dubium: an Austriaca magis dicenda, quàm Tua? ut de eo nihil dicamus, quòd Archidux etiamnum Serenissimo Tuo nomine Parthenios cætus plures Marianus Cliens signaveris: immortale illud ad aras Monserratenses anathema Tuum num præterea majus quiddam desideret, è quo luculentius de Tuis in Mariam pientissimis studiis ac voluntate constaret? Non jam ista intra unam Catalauniam, atque Hispaniam, sed in luce terrarum sunt, quam frustra nos illustrare conemur, quippe nominis quidem tanti, sed & facti Majestate suâ clarissimam. Interim satis hoc nobis, quasi digitum eò intendisse; ut, quod facturus aliàs prò clementia Tua eras, benignior etiam honorem accipias, quem Mariæ cum laudibus ad Te communem afferimus.

Illas in speculo Author expressit; quin Ipsam speculum sublunaris Mundi hujus Deiparam dixit. Tale id quidem, ad quod, sanctissimam velut ad normam se mortales componant; sed magis, in quo radios quosdam rebus ipsis creatis insitos intueamur, qui ad contemplandam Mariæ præstantiam, & Augustas virtutes Ejus nos ducant. Si cui alteri, summis certè Principibus propria hæc debetur compellatio. Quò majores illi potentiâ, authoritate, Regnis, Imperio existunt; tantò magis in conspicuo positi, quasi speculi vicem de se præbent; de suis populorum mores, studia, voluntates effingunt. Sed, quod

quòd tributum in omnes; peculiare hoc Tuum, Sacratissime Cæsar, est. Per omnes, ad hunc usque, ætatum gradus Augustum aliquid in Te virtus suspexit: diu Te illa in communem Orbis, ac Imperii lucem, talem, quem intuemur, designare est visa; ut haberet nimirum, in quo populus, sed non minus Reges, ac Principes rectè agendorum documenta acciperent. *Omnibus Omnia*, speculo quidam inscripsit. Nisi fallimur, Tuum ingentis animi votum hoc erat: utilitati publicæ vivere, populorum commodis summas dotes Tuas, Augustámque indolem imputare. Quanquam, quod ajebamus, antevertit celerior voluntatis Tuæ hoc studium virtus Tibi domestica: tale Augustissimum pectus Tuum ipsa antè informavit, quàm per ætatem, tum per jura & sceptra Fratris polliceri Tibi Imperium illud summum, in quo omnibus fieres omnia, nostra de Te expectatio, & augurium potuit. Statim, ut mundo ostensus es, speculum esse cœpisti. Austriæ Tuæ dudum nuper Archidux, sic in deliciis habitus, ut, cùm ad Hispanos profectionem susciperes, oculos simul Tecum avelli sibi putârit; quia nempe in luce Tua defixos. Batavis exinde etiam, Anglis, Lusitanis, Hispanis, Insubribus, ac Germanis præsertim Tuis coram spectatus es: sed neque modò minus, meliore Tui imagine apud omnes obversante, Augustis à virtutibus ubivis superstes, ac quasi præsens reluces. Ex quo vides, Augustissime Cæsar, quanto jure & hoc Speculum nostrum Marianum ad Te pertineat; qui, quemadmodum illud *Orbis inardescit radiis, longéque refulget*; sic partim oculos Ipse nostros in Te ac Augusta animi Tui ornamenta reflectis, partim eadem amplissima Majestatis, tum exempli luce diffundis.

Sed

Sed magis etiam Orbis ad Te ille, qui in speculo simul, ac in Maria effulget. Universitatis Atlantem quendam, & veluti fulcrum terrarum, Majestatem Tuam DEus constituit; iis similem, *qui portant orbem*. Angelos illos ajunt; sed ex mente Magni Gregorii, æquè Reges ac Principes, mundo datos, quorum sapientia, consilio, authoritate, tum potentia maximè fulciretur respublica, Regna, & Imperia firma consisterent. Et quid inter cetera Imperatorum Augustissimorum Insignia Imperiale Pomum illud, atque orbem quasi suum iisdem tradi designat? Vicariam nimirum eam à DEO potestatem, qua & fovere & regere subjectos Imperio Romano populos peculiare, Cæsares, vestrum sit. Quod virtus ante Tua, tum perpetua Austriacæ stirpis in Germaniam merita tanquam ipsa ad Te ultro deferebant; id amplissima septemvirorum suffragia, populorum etiam vota Tibi dederunt. Sed, fas sit addere: En, *divo Orbis ab orbe*. Mundi nempe speculum Virgo divina, ipsa sui imaginem, orbem hunc, inquam, amoris erga Te sui augustum in hoc pomo pignus transmisit. Te ante omnes coronarum illa arbitra, ac Cælorum Regina hac tempestate delegit, ut cum Filio ejus divisum quasi Imperium in terris Cæsar haberes; quippe à quo sciebat futurum, ut Filio unà ac sibi fidelis magis, tum sincera religione conjunctus Christianus iste terrarum orbis perstaret. Feret, nihil ambigimus, hoc ipsa tecum, quæ dedit, grande Mundi depositum; ea nimirum, quæ eundem, ne periret jam toties irato Numini reus, intercessione sua sustentat, præstabit pariter, ut secundis nunc magis auspiciis inter Augustas manus tuas confirmatus se felicius erigat.

Mariani ergo favoris imaginem in Orbe illo, seu Imperii Pomo accepisse videri potuit Majestas Tua. Quid si autem & Tui ipsius simulacrum in eodem tibi præsens hic sistitur? Orbem illum terrarum, sive globum terraqueum à Te nuper symboli loco assumptum, seu imagi-

nem

nem Tui expressam esse velis, seu Augustarum, quas insigniter repræsentat, virtutum Tuarum; Cæsarem is certè invictissimum semper Te exhibet, hinc constantem inter nubila, illinc pondere suo & Majestate valentem. Cæsarem, inquam, qui tamdiu armatam inter æmulorum invidiam, terras inter & maria, quin obsessorem inter exercitum, imota mente, id est *adversis tibi par, rebusq; secundis*, semper stetisti; cui & simul ab avitâ Austriacorum potentia, provinciarum, & regnorum amplitudine, ab animò autem præcipuè Tuo verè Augusto, ac in fortibus sæpe exercito, tam solidæ *suo stant robore vires*; ut formidari nunc debeas iis, qui timeri aliquamdiu nuper ipsi volebant. Talem Te orbem singulari Providentiæ munere Christiano orbi nunc datum utì jure gratulantur boni omnes; sic confidunt in difficultate hac temporum non præsentiore remedio, quàm Constantia & Fortitudine Tua pacem, securitatem, salutémque publicam stabiliendam esse. Faxit Benignissimum Numen, ut alteram Tui, atque orbis hujus imaginem, Austriaci generis duraturum pignus non diu post ex Te, CAROLE CÆSAR, teneamus! Ardentissima nostrûm omnium, quin Europæ simul universæ, in Te recumbentis, hæc vota sunt; quæ, quòd Curæ sint illi, cujus Maternum nomen in Mariano hoc Mundo Nomini Tuo inscribimus, nec tua in eam pietas, nec ejus suam in Austriam perpetuus favor dubitare nos sinit.

Atque hæc porro sunt, Sacratissime Cæsar, cur offerre Augustis manibus Tuis volumen istud auderemus: quoniam nempe è re ipsa congruere sic visum est: ut Cœli Reginam Augustissimo Clienti, orbis speculo Cæsari Mundi sublunaris hoc speculum, Mundum illi, cui mundi tutela cum Imperiò demandata, quin qui ipse quodam̃odo in mundo volueris exprimi, Sacrum esse, dicatúmque vellemus. At, cur hoc ipsum amplius etiam deberemus, ab ingentibus, ac perpetuis Augustissimæ Domûs in nos bene-

ne-

neficiis in aperto causæ sunt. Nam, ut singularem Tuam jam inde à teneris erga universum ordinem nostrum benevolentiam non prolixus commemorem; obversantur constanter nobis Augustæ memoriæ Ferdinandi III. avi Tui, Leopoldi Parentis, Josephi Fratris ij favores, quibus in multa sæpe invidia temporum copiosè usos nos esse, & sustentatos semper grati fatebimur. E multis unus obversatur, Abavus ille Tuus, Carolus, qui jure maximo ad Majestatem Tuam nos ducit; idem, inquam, Clementissimus ille Archidux, qui ejus, à qua rectà descendis, serenissimæ lineæ Parens & Conditor, Conditor etiam atque Parens esse dignatus est Universitatis, & Academici hujus Collegii nostri; Cui unà & Filio ejus Augustissimo, Ferdinando II. tantum debet hoc Græcense Societatis JESU domicilium, quantum id à nobis haberi necesse est: amplissima munificentia, paterna prorsus benevolentia & pietate in tam illustrem Provinciæ locum ultro evocatos perpetuam sedem accepisse. Utriusque magnum Nepotem tantò lætius inter communia Tuorum vota & obsequia Te veneramur, Augustissime CÆSAR CAROLE; quantò magis, propiore nobis lætitiæ causa, ad utrumque accedis. Nomine quidem ad Illum, ad utrumque autem Austriacis, veréque Augustis virtutum, pietatis, clementiæ, magnanimitatis vestigiis. Ab his libentius, quàm quibusvis ab aliis (quæ quidem haud desunt complura) faustis ominibus augurari de auspiciis Tuis, Cæsar, æquum perinde, atque nobis jucundum est. Precari autem ante omnia, ut, quod ab Immortali DEO accepisti Imperium, Idem ille diuturnum hoc Tibi, tranquillum, gloriosum, atque perenne in posteris præstet. Pleniorem votorum nostrorum tesseram, ac quasi vadem non tam in hoc Libro, quàm in Ea deponimus, cujus iste in sublunari hoc mundo cœleste nomen præsefert: eos in hac re imitati, qui tenuitatis suæ conscientià timidi, ubi accessum summi Principis tentare vix audent, chari pignoris, aut certè nominis Materni obtentu idipsum consequi mi-

nus verentur, dum autem ignotum id est nemini, quanta in divinam Matrem pietate flagraret Majestas Tua, per hanc aditum ad Te nobis expeditum quæsivimus: ut in illa esset nimirum, quod muneri quantocunq; deesset.

Accipe igitur, Sacratissime Imperator, quemadmodum & benignus cetera soles, pium certè observantiæ nostræ hunc indicem; ab illo in nos etiam Augustæ benevolentiæ Tuæ oculum reflecte, atque in eam fiduciæ partem venire securos tribue, quam de Te Summam Christiani orbis expectatio, sponsióq; læta concepit. Liceat sperare minimo ordini nostro, ut, qui in Provinciis plurimis incolumitatem, post DEum, suam Augustissimis progenitoribus Tuis constanter debuit; is non minus sub ingentibus CAROLI alis, ac patrocino religiosos conatus suos, susceptos nempe pro DEO & Ecclesia, pro Principe & populo labores sustentari perpetuò sentiat. Ita vovet, precatur.

Sacratissimæ Majestati Vestræ

Æternùm devotum

Archiducale & Academicum Græcense Societatis JESU Collegium.


PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



Loriosa dicta sunt de te Sancta DEI Genitrix; sed adhuc locus est tuæ laudi, *ajebat Eckebertus Abb. apud Richard. à S. Laurentio. Igitur, quamvis minimè quidem par sit humanum ingenium depromendis omnibus sanctissimæ Matris nostræ titulis; laudem tamen feret conatus is qualiscunque, qui in iisdem industriâ novâ evulgandis locatur. Tale en aliquid, Lector benevole, præsenti in opere; in partu ejus authoris posthumo, qui, ut alia duo sua volumina dudum antehac edita; sic hoc tertium, totum sacrum honoribus Marianis voluit.* Speculum Mundi sublunaris *librum inscripsit; ut ostenderet, relucere in Divina Parente, quidquid eximium in his sublunaribus (puta volucribus, quadrupedibus, arboribus, herbis, floribus &c.) meritò miramur. Quemadmodum DEUS ipse, universorum Creator, in minimis jure maximus, ac summè admirandus resplendet; sic eadem pariter velut radii quidam sunt; in quibus Virginis ornamenta, ac aliàs vix accessibilem MARIÆ lucem spectemus. Est enim ipsa, ut eam Joannes Gerson compellat tract. 3. in Magnifi. Regina illa pulcherrima;* quæ adstitit à dextris DEI in vestitu deaurato, circumdata varietate cujuslibet creaturæ; *cœlestis quidem, sed non minùs terrestris. Quin imago est mundi Archetypi, seu ipsius Divinitatis; sed non minùs imago, ac speculum sublunarium, in iis, quæ absoluta ornatáque plùs eminent. In imagine priore illa admirabilis quidam splendor est; sed ad quem humana acies vix, aut ægrè pertingat; in ista tam spectabilem MARIA se nobis præbet; quàm ipse mundus hic inferior ob oculos quotidie nostros est. Quæ in comparatione etsi forsan videri possit, detrahi potiùs Marianis à laudibus, quàm addi; quia nempe commune cum brutis, aut plantis insensibilibus aliquid Deiparenti tribuimus; attamen cantica sacra, quibus passim author insistit, & quæ ex plurimorum PP. sensu Deiparam, Spiritus S. sponsam, præcipuè spectant, intuenti mirum istud non erit. Qui Divorum corpora, seu lipsana publicæ venerationi exponunt, quantiscunque ornamentis ea circumdent, illustréntque; minùs tamen semper addunt; quàm quod suo à pretio ipsa sunt: rectè tamen agere quis negaverit? nisi in Divos ipsos iniquior. Proinde & ornando Speculo nostro Virgineo undecunq́ colores sumamus, quid refert? si modò cultu, & veneratione dignam exprimimus. Splendorem lucis æternæ, seu attributa, & virtutes divinas ut, quoad assequi homini fas est, cognoscamus; nihil magìs, quàm creata nos docent. Quoniam, ut inquit ad Rom. 1. Apostolus;* quod notum est DEI, manifestum est in illis. *Et:* Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt; intellecta conspiciuntur. *Idem de Matre pulchræ dilectionis dicamus; cujus quanta sit species, ut ait Card. Hailgrinus:* Solus ille novit, qui dedit; *quæ nimirum solo Deo inferior, cùm lucem pariter habitet inaccessibilem; in creatis his saltem sublunaribus se visendam propius, & venerandam indulget. Quid?*

quòd hæc Deiparam ornandi ratio sit ejusmodi; quæ facili planè industria ad frequentiorem ejus cultum nos ducat. Uti Creatoris nos admonent, quæ indies in oculos incurrunt, creatæ res omnes; sic studioso Deiparæ opportunius esse vix possit; quàm habere perpetuò obvium, per quod ejusdem meminerit: jam in monte excelsam, in valle modestam, ac humilem; jam in horto speciosam, & florentem virtutibus; in solsequio obedientem, unique DEO intentam; in lilio rectam, & sine labe purissimam; inde mansuetam in agno; in gallina Matrem solicitam; in columba simplicem; gementem, & simul castam in turture; in aliis alias virtutes, tum dotes illius sibi proponat, laudet, miretur. Quamvis non istud quidem promittit hic liber; ut in singulis sublunaribus ad laudem Deiparæ traducendis insistat. Specimen potiùs in his paucis 30. discursibus Lectori pio offertur; quo in reliquis quibusvis creatis utatur; si transferre illa ad MARIAM ingeniosus ejusdem amor persuadeat. Solæ florum, aut herbarum species omnes, ac singulæ, si eas adduci in comparationem quis velit; in quantum non volumen excrescerent? quid si animantia singula? si insuper omnia artis humanæ inventa? finis tum, aut modus scriptioni non esset. Præterquam enim, quòd nulla res sit creata; quæ non ad aliam quamlibet, quin ad ipsum DEUM, analogia quadam, seu proportione referatur; de MARIA universorum creatorum compendio id multò magis credere fas est; quæ ùt de ea rectè pronunciavit Albertus Magnus. Speculum est totius pulchritudinis post DEUM; *aut ùt Bernardinus de Bustis:* totius mundi. *Quare, cùm nobis nunquam non obversentur hæc talia; semper erit, ex quo non tantùm omni die cum S. Casimiro aliquo; sed & omni hora, ac momento MARIÆ laudes nostra dicat anima. Quod in multis sola imaginationis, tum amoris vis potuit; ut quibusvis ab objectis in unico tamen sibi dilecto, quasi perpetuò præsenti, hærerent; minore negotio id nobis dabit amor Deiparæ, tam jucundus, quàm obvius semper, & facilis. De ejusmodi potissimùm exercitio locutus fuisse D. Bonaventura non obscurè videtur; qui in psalmo suo 145. postquam dixisset:* Lauda anima mea Dominam; glorificabo eam, quamdiu vixero; *subjungit adhortans:* nolite cessare à laudibus ejus & per singula momenta recogitate eam. *Id est, speciosam in pulchris, amabilem in jucundis, excelsam in sublimibus, in prætiosis unam æstimari, & coli dignissimam vobis proponite, amate. Si non semper, neque in omnibus, saltem sæpius, ac fors aliàs consuevistis, ob oculos vestros MARIAM habete, ardentiùs colite, studiosiùs invocate. Hæc enim voluntas est ejus qui omnia nos habere voluit per MARIAM; ut non solùm totis præcordiorum affectibus, sed & omnibus sancti amoris industriis eandem veneremur; sic per eam ad veniam, & gratiam filii enitamur. Nam verè, ut verbis utar pientissimi Richardi à S. Laur. L. 2. de Laud. V.* Voluntas filii est; ut Matrem illius, & Dominam nostram benedicamus in omni tempore, scilicet nocte, & die, in prosperis & adversis; & ut laus ejus semper versetur in ore nostro; de ipsa meditando, ipsam laudando, orando, benedicendo, ipsi gratias agendo, ejus magnalia prædicando. *Sed plures ad colendam, tum amandam Matrem pulchræ dilectionis MARIAM stimulos lectus ipse Author suggeret. In cujus toto hoc opere si occurrant fortasse quædam, quæ minùs digesta, aut culta pro dignitate tantæ Matris, & Virginis videbuntur, sic excusata Lector habe: Immortuus operi manum ultimam imponere ipse non potuit. Interim satis limatum, perfectùmque opus credemus; si vel scintillam sancti in MARIAM amoris in lectore pio accenderit. Utere, & per hunc modum sublunarem ad cœlestia, & æterna ascende; illic olim non jam in speculo; sed ipsam perpetuas inter laudes MARIAM visurus, & amaturus.*

PROTE-



PROTESTATIO AUCTORIS.

CUm ſanctiſſimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii Anni 1625. in S. Congregatione S. R. & Univerſalis Inquiſitionis decretum ediderit, idémque confirmaverit die 5. Julii. Anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu Martyrii famâ celebres è vita migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, & approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem ſanctiſſimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit; ut nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; bene tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem cum proteſtatione in principio; quod illis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes authorem. Huic decreto, ejusque confirmationi, & declarationi, obſervantiâ, & reverentiâ, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu, quidquid in hoc opere, ſeu Mundo Mariano refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut S. ſedis Apoſtolicæ nituntur; iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

FACULTAS PROVINCIALIS.

EGo Gabriel Hevenesi Societatis JESU per Provinciam Austriæ Præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Michaële Angelo Tamburino, Præposito Generali, facultatem concedo; ut liber, qui inscribitur: *MUNDUS MARIANUS;* sive *MARIA SPECULUM MUNDI SUBLUNARIS*, à Patre Laurentio Chrysogono, ejusdem Societatis Sacerdote conscriptus, & à Revisoribus memoratæ Societatis lectus, & approbatus, typis mandetur à Domino Philippo Jacobo Veith, Bibliopola Græcensi. Quem in finem eidem indulgeo jus Cæsarei Privilegii usurpandi, quo Typographi omnes, & Bibliopolæ prohibentur; ne ullos libros à quoquam è Societate Jesu conscriptos imprimant, recudant, aut alibi impressos venales proponant intra sacri Romani Imperii, Regnorúmque, ac Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis Hæreditariorum fines, absque superiorum prædictæ Societatis JESU permissione. In quorum fidem hoc illi testimonium dedi manu propria, & sigillo officii mei munitum. Tyrnaviæ 25. Septemb. 1711.

Gabriel Hevenesi.

INDEX

INDEX DISCURSUUM
TOTIUS OPERIS.



PROOE.



MARIA SPECULUM MUNDI SUBLUNARIS.

PROOEMIUM.

1.

Ægyptiorum Sapientissimus Mercurius Trismegistus in Timandro non semel mundum hunc animatum, imò DEum, Deíque Filium, utpote qui eum â Deo conditum, & quasi generatum, solo naturæ ductus lumine cognoverat. Aptiùs longè dixisset, si DEI Filij Matrem Virginem, DEam quandam, Deíque Filiam, mundum universum suis perfectionibus eminentissimis repræsentantem, imò & ipsum DEI Filium, in quo tanquam in Speculo exprimebatur mundus, siquidem, *quod factum est, in ipso vita erat*, inquit Evangelista Joannes; appellâsset.

Quod de Mundo Trismegistus, aptius de DEI Matre pronuntiasset.

X 2. Ma-

2. *Maria ſiquidem*, ùt loquitur B. Arnoldus Carnotenſis Abbas Tract. de Laudibus B. V. *creaturis conſtat omnibus; quidquid enim Creator juſtus diſtributor, ſingulis contulit, Matri ad ornandum congeſſit.* Hinc Hugo de S. Victore Virginem Deiparam mundum quendam ſublunarem agnoſcens pervenuſtè pronunciavit ſerm. 46. in Inſt. Monaſt: *Quæcunq; in Scripturis, quæcunq; in creaturis ſunt amabilia, quæcunq; dulcia, quæcunq; pulchra, quæcunq; redolentia, quæcunq; jucunda, quæcunque pretioſa, quæcunque laudabilia, Mariæ laudibus ſunt convenientia.* Quibus ſanè oſtendit haberi univerſa, quæ hoc orbe, ſublunari continentur, eminentiori quâdam ratione in Maria.

Mundus ſublunaris Deipara.

3. Unde quemadmodum Timæus Pythagoricus Deum, mundum exemplarem pronunciavit, quod ſicut mundus hic omnia ſuo complexu cingit, ambit, atque continet; ſic DEUS maxima, Univerſaliſque natura, virtualiter ſive eminenter in ſe creaturas omnes complectitur. Unde de ipſo præclarè Plato: omnia enim, inquit, quotquot ſunt animalia intelligibilia, ille in ſe complexus ſervat, atque continet, non ſecus, ac mundus nos, & omnia creata, quæcunque cernuntur, ſuo ambitu cingit. Quemadmodum, inquam, DEUS Mundus quidam exemplaris ob memoratas jam cauſas dicitur: ſic quoque Mater ejus ſanctiſſima Mundus exemplaris appellanda eſt, quòd perfectiones ejus omnes, pulchritudinem illius creator in ipſam tranſcripſerit, eámque velut Speculum quoddam nitidiſſimum Creaturas omnes, repræſentans efformâvit.

Uti DEus, ita & DEI mater mundus quidam exemplaris.

4. Qvare jure merito Deiparam opulentiſſimæ illi menſæ rerum omnium varietate inſtrúctiſſimæ, atque ornatiſſimæ, quam Juſtinianus Imperator in magnifico illo Sophiæ templo collocavit, ut refert Cedrenus, conferre poſſumus. De hac Cauſinus noſter lib. II. Hier. *Opus*, inquit, *imitatione nulla æquandum.* Conſtabat verò aurô, argentô, omníſque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibúſque rebus, quas terra fert, mare, & univerſus mundus. Ex omni materia ſpecioſa plura, meliora, potiora collegerat; liquatíſque iis, quæ fluunt ſicca, illis immiſerat, atque in formam menſæ abſolverat. Ita varium

Menſa opulentiſſima Maria, ſimilis menſæ Juſtiniani Imperatoris.

rium illud opus contuentibus stuporem injiciebat. Addit idem Causinus, mensæ huic rem quamvis eminentissimæ perfectionis appositam fuisse: Sic homo DEI sedes est, ipse ex omnibus universi orbis particulis conflatus. Unde Synesius ad Arcadium, & Philo de opificio mundi, Hominem omne animal vocitavit. Hanc ob causam Mercurius Trismegistus in Asclep. c.3. ajebat: *Propter hoc ô Asclepi magnum miraculum est homo, animal adorandum, honorandum. Hoc enim in naturam DEI transit, quasi ipse sit DEUS, qui nimirum in se mundum velut in exemplari repræsentat.* Quod si hoc de quovis homine dici potest, quantò aptiùs dicetur de Virgine, quæ quasi per antonomasiam Homo nuncupatur? Unde Christus sæpiùs se in Evangeliis Filium hominis nominare non est dedignatus.

Quod de homine Trismegistus, potius de Maria dicitur magnũ miraculum.

5. Ob hanc creaturarum omnium, quam in mundo videmus, repræsentationem, ait idem Causinus lib. 11. Hierogl. 50. totum mundum ex Phengite lapide quasi compositum. Hujus enim lapidis ea est natura, ut cùm Domitianus Imperator ex hoc Porticûs cujusdam parietes distinxisset, quicquid â tergo etiam fieret, provideret; sanè in hoc mundo, quòcunque te vertas, Dei optimi, Max. omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, benignitatémque in creaturis omnibus quasi speculis videbis renitentem.

Mundus ex Phengite lapide quasi compositus.

Quid quæso ad gloriam gloriosissimæ Virginis nostræ pronunciari potest aptius? Verè Virgo Mundus quidam est ex Phengite lapide coalitus, in qua velut exemplari nobilissimo cujuscunqve creatæ pulchritudinis flos enitescit, ita, ut mortalium animos, oculósque ad se rapiat, eósque admirabili sua venustate reddat attonitos. Quare rectè quis effari posset, Virginem Sejæ Fortunæ fanum esse, quod, ùt idem scribit Causinus, in Cappadocia, ex Phengite lapide conflatum, miro artificio visebatur. Sic enim ille ex Suetonio: *Nerone Principe in Cappadocia repertus est lapis, duritiâ marmoris, candidus, atque translucens, etiam quà parte inciderant vena, ex argumento Phengites appellatus. Hanc construxerat ædem* *Fortu-*

Maria Mundus quidam est ex Phengite lapide coalitus.

Maria fanum fortunæ ex Phengite lapide conflatum.

Fortuna, quam Sejam appellant, à Servio Rege Sacratam, aureâ domô complexus: Sic ille.

In Maria velut in fortunæ fano humana & divina repræsentantur.

6. Prosperam porro Christianorum Fortunam, unicámque post DEUM fœlicitatem esse Deiparam ostendimus Tomo primo, quæ sanè, cui arridet, is omnium bonorum copiâ affluat, mundíque vanitatem, carnis, cupiditatúmque illecebras, ac ludibria, velut in Phengite lapide agnoscat, necesse est. Neque verò solùm Divæ Virginis pius, ac devotus cliens in ea, veluti in Fortunæ Sejæ templo, jam memorata cognoscet; verùm etiam ipsum supernum Numen, ejus attributa, ac perfectiones, uti dixi, omnium denique creaturarum pulchritudinis florem intuebitur. Quare quod de mundo hoc aspectabili, ipsum definiendo Sanctus pronunciavit Antonius: *Quid est*, inquiens, *mundus? est liber Divinitatis: cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Longè potiori jure effari possumus de hoc nostro mundo Virgineo. In illa enim velut in libro Divinum Verbum exaratum, cœli, ac terræ, operúmque omnium DEI pulchritudinem, quasi compendio descriptam intuemur, ex quorum contemplatione in Creatoris laudem, ac glorificationem assurgimus; uti fecit magnus Areopagita Dionysius, qui, ubi librum hunc Divinitatis, nempe gloriosissimam Virginem esset intuitus, hæc ad Magistrum suum, Paulum Apostolum perscripsit: *Cùm*, inquit, *à Joanne, vertice Evangelistarum, ductus fui ad DEI formem præsentiam altissima Virginis, tantus me, tamque immensus Divinus Splendor circumfulsit exteriùs, ac pleniùs irradiavit interiùs, tanta etiam in me odoramentorum omnium superabundavit fragrantia, ut nec corpus infalix, nec Spiritus posset totius, ac tanta Fœlicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit Spiritus meus tanta gloria majestate oppressus. Testor, qui aderat in Virgine DEum, si sua Divina mente concepta non me docuissent, hanc verum DEUM esse credidissem, quoniam nulla videri potest gloria Beatorum, quàm fœlicitas illa, quam ego tunc fœlicissimus degustavi.* Hæc ille. Ex quibus perspicimus, non modò Cœlum quoddam esse Dei-

Liber divinitatis, in quo omnia exarata sunt, est Maria.

Dionysius Areopagita Mariam, nisi fides obstitisset, verum DEum credidisset.

Deiparam, ex quo tam immensa lux est evibrata; verùm etiam terram, ex qua tanta suavissimorum odorum fragrantia redundavit. Fortunam denique, ac Fœlicitatem nostram esse Virginem, quæ adeò fœlicem suâ præsentiâ reddidit Dionysium.

Fortuna & felicitas nostra est Maria.

7. Quare quod de Quolibet homine pronunciavit Drogo Episcopus Ostiensis serm. de pass. Domini, id longè potiori jure dicere possumus de Virgine nostra; eam nimirum mundum esse demptô peccatô in quo mirificè velut in librò omnia DEI attributa, perfectionésque elucescunt: *Videmus*, inquit ille, *& præstò est sensibus nostris magna & mirabilis hæc machina mundi, quæ sua pulchritudine, & magnitudine sapientiam, & virtutem, & bonitatem immensam, incomprehensibilem, & æternam prædicare non cessat.* Verùm, & hæc quamvis omnium sensum, & facundiam mortalium superent, ad novum potiùs cœlum, & terram novam, quæ tu modò creare te asseris, aciem mentis intendere libet. Dicas enim Joan. cap. 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Quidni novum cœlum, & terram novam? De abyssis enim terram formas, & de terra cœlos. Peccator abyssus est; sed cùm de tenebris facis lumen splendescere, ut abijciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis, novam terram & novum cœlum creâsse cognosceris.

Maria Mundus est, dempto peccato.

8. Et paucis intercalatis: *O Creator optime, si usque modò operaris opus hoc, quod operatus es in diebus antiquis, quare & in anima mea opus hoc non operaris? Anima enim mea inanis, & vacua est, & tenebræ super faciem abyssi; dic, ut fiat lux, & fiet; cùm creâsti eam, ut aliquid sit, crea eam, ut lux sit; dic, ut fiat lux, & fiet lux. Hoc opus & in Lazaro, & in Paulo operatus es. Illius facies sudario ligata erat, quia tenebræ erant super faciem abyssi; hujus ab oculis, cum baptizaretur, tanquam squamæ ceciderunt, ut revelata facie gloriam DEI specularetur. Illumina Christe tenebras meas! Dic animæ meæ fiat lux, & fiet lux.* Hæc Drogo. Ex quibus sanè

Lux à DEO creata est in Lazaro & Paulo, sicut in creatione Mundi.

perspicimus, quàm meritò Deiparam Mundum esse asseveremus; siquidem homines, & quidem peccatores, tenebris suorum scelerum obvoluti, mundus luce Divinæ gratiæ irradiatus, in quo DEI mirificè virtutes elucescunt, appellantur.

9. Deiparam Virginem denique Mundum sublunarem esse, in quo supernus Artifex sibi mirificè Complacuerit, ipse Angelus sermone suo ad S. Brigittam Cap. 1. Omnium pulcherrimè ostendit: Ubi asserit mundum hunc ex puris & claris elementis, nulli omninò imperfectioni obnoxiis, fuisse compositum. Quàm porrò pulcher quàm gratus Virgineus hic sublunaris mundus, etiam ante sui creationem, summo rerum omnium opifici, ejus intellectui adhuc ante existentiam repræsentatus, inter Creaturas omnes acciderit, ita idem prosequitur Angelus: *Inter omnia tamen, quæ tunc erant increata, unum erat coram DEO, quod summè cætera excellebat, de quo & ipse maximè lætabatur. In illo námque increato quatuor elementa, ignis, aër, aqua, & terra, quamvis etiam tunc increata essent, in hunc modum divino conspectui æternaliter apparebant. Aër nimirum in mundo hoc adeò levis esse debebat, ut contra Spiritum Sanctum nunquam efflaretur. Terra in hoc eodem mundo tam bona, tam fructifera creanda erat, ut nil in ea succrescere posset, quod ad omnia, usibus humanis necessaria, utile non esset. Aqua sic tranquilla, ut, licèt undequáque ventorum turbines illam perflarent, nulli fluctus, aut procellæ in ea apparerent. Ignis denique ita altus, ut ejus flamma, ac calor mansioni illi, quam ipse DEus inhabitat, appropinquaret.*

MariaMundus sublunaris, in quo supernus Artifex etiam ante creationem sibi complacuit.

10. Concludit tandem factâ ad Virginem Apostrophe: *O Maria Virgo purissima, & fœcundissima Mater, hoc ipsum tu es! sic námque, ac talis Divino conspectui increata adstitisti, ac deinde ex supra dictis tam puris, clarisque elementis, materiam tui benedicti, corporis habuisti. Talis utique coram DEO ante creationem tuam increata assistebas, qualis postmodum effici non renuisti; & ideò à principio, omnia creanda, in DEI conspectu constituta maximo ipsius gaudio plurimùm excellebas.*

Maria, ante creationem in conspectu Dei assistens, omnia creanda excellebat.

11. Idem

11. Idem Angelus eodem suo serm. cap. 4. Virgineo huic adhuc increato Mundo sedem Deo proximam, coronâ aureâ miræ pulchritudinis insignitam, ac redimitam, fuisse præparatam affirmat, Mundúmque illum ab Angelis super semetipsos dilectum. *Videbant námque DEum*, inquit, *illum summè diligere, ac de illo per maximè gratulari.* Cap. 5. deníque postquam dixisset, Divinæ menti, & mundum hunc cum suis creaturis fuisse obversatum, mox de hoc Virgineo ita subtexuit: *Adhuc unus minor Mundus coram cum omni venustate increatus adstabat, à quo major gloria DEO, & Angelis major lætitia, atque omni homini ejus bonitate frui volenti major utilitas, quam de hoc majori mundo provenire debebat.* Tum ad Virginem conversus exclamat: *O prædulcis Domina Virgo Maria, omnibus amabilis, omnibus utilis, per hunc minorem mundum non incongruè intelligeris!*

Mundus Virgineus ab Angelis super semetipsos dilectus.

12. Placuit Deo lucem â tenebris in hoc majori mundo dividere; Sed verè lucis illa, ac tenebrarum divisio, quæ in te post sui creationem fieri debebat, multò magìs ei placuit, quando scilicet tenerioris infantiæ ignorantia, quæ tenebris comparatur, â te penitùs debebat abscedere, & DEI cognitio cum voluntate, & intelligentia vivendi secundùm ejus velle, quæ luci assimilatur, cum ferventissima charitate, in te debebant plenissimè remanere. *Convenienter igitur teneritudo illa infantiæ tenebris assimilatur, qua DEUS non cognoscitur, & quid agendum sit, nulla ratione discernitur. Hanc utique infantilis ætatis teneritudinem, o Virgo omnis peccati expers innocentissimè transegisti! Deinde quemadmodum DEus duo luminaria simul cum stellis huic mundo necessaria creavit, unum, ut præesset diei, & alterum, ut præesset nocti; ita & in te alia duo luminaria clariora facienda prævidit. Primum erat tua Divina obedientia, quæ instar solis coram Angelis in cælo, & bonis hominibus in mundo, quibus vere DEUS sempiternus dies est, lucidissime radiaret. Secundum verò luminare erat tua constantissima fides, quâ multi nocturno tempore, hoc est; ab*

In Mundi creatione placuit Deo lucem â tenebris dividere, sed magis sibi complacuit in Maria, quando infantiæ ignorantia depulsa successit Dei cognitio, conformitas voluntatis, & charitas.

Quemadmodum DEus huic Mundo duo luminaria simul cum stellis creavit, ita in Maria obedientiam tanquam solem, fidem ut lunam, reliquas virtutes uti stellas.

 hora

hora illa, quâ Creator in carne, pro creatura pati debebat, usque ad ejus Resurrectionis diem, in desperationis, perfidiaq; tenebris vagantes, veluti quôdam Lunari jubare ad veritatis agnitionem erant ducendi: stellis denique cordis tui cogitationes similes videbantur, quod â tempore illo, quo primo DEI cognitionem habuisti, ita in divina charitate fervens usque ad mortem permansisti, ut DEI Angelorúmque aspectui omnes cogitationes tua stellis nitidiores humanis aspectibus apparerent.

Mundus sublunaris Maria, cujus verba volucrum dulcisoni cantus figurabant, cujus fructus benedictus omnia nutrit, cujus opera flores sunt Deo & Angelis gratissimi.

13. Ut porrò ostenderet Angelus, Virginem non modò mundum quendam cœlestem, verùm etiam sublunarem esse, pulchritudinem ipsius creaturarum complectentem, hæc attexit: *Volucrum quoque diversi generis sublimes volatus, dulcisoníque cantus, verba tuorum labiorum figurabant, qua â tuo terreno corpore, usque ad aures sedentis in throno Divina Majestatis ad summam Angelorum exultationem, cum omni suavitate ascendere debebant. Præterea toti terræ in eo similis exstitisti, quod sicut omnia in hoc majori mundo, terreno corpore prædita, terræ fructibus nutrienda erant; ita omnia illa non solùm nutrimentum, imò & ipsam vitam, ex tuo fructu erant obtentura. Florigeris verò, ac fructiferis Arboribus meritò comparari possunt opera tua; nam tantâ cum charitate ea eras factura, ut supra omnium florum pulchritudinem, fructuúmque suavitatem DEum, Angelosque esset oblectatura. Præsertim cùm absque dubio credendum sit, DEum in te ante tuam creationem plures virtutes prævidisse, quàm in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, metallorúmque generibus, quæ inveniri possent in totius orbis amplitudine. Unde non mirum, si DEus in te, O minor Munde, qui creandus eras, magìs delectabatur, quàm in hoc majori. Nam licet ante te fuerit creatus, periturus tamen erat, cum omnibus, quæ in illo erant: Tu tamen in tua pulchritudine immarcessibili, juxta DEI præordinationem æternam in ipsius amantissima dilectione eras permansura; In nullo enim major hic mundus non meruit, nec mereri potuit, ut sempiternus fieret:*

In Minori Mundo Maria magis DEus delectabatur, quam in Majori, quia hic mereri non potuit ut esset sempiternus, meruit autem Maria omnia dona sibi data.

ret: Sed Tu o felix Maria virtutum pleniſſima poſt tuam creationem, Divinâ opitulante gratiâ, omnia, quæ tecum DEUS facere dignatus eſt, cum omnium virtutum perfectione digniſſimè meruiſti! Sic Angelus. Quibus ſanè clarè nobis ob oculos proponit Deiparam Mundum ſublunarem pulchritudine creaturarum omnium decoratum eſſe, multíſque paraſangis eundem hunc ſua venuſtate, ac perpetuitate ſuperâſſe.

14. Non enim minor Mundus hic Virgineus ita creatus eſt, ut hic aſpectabilis, qui ſucceſſivè ſex dierum ſpatio â Moyſe fuiſſe conditus memoratur; Licet enim in principio DEus creaverit cœlum, & terram, abyſſum item, hoc eſt, copiam immenſam aquarum; hæc tamen omnia erant rudia, atque informia, quæ diebus ſequentibus; creatâ luce, competens ſuum ſortita ſunt ornamentum. Unde Salomon Sap. c. 11. v. 18. ajebat: *DEI omnipotens manus creavit orbem terrarum ex materia inviſa*, ſive ut legunt. 70. *ἀμόρφου informi*, uti legit S. Auguſtinus lib. de fide, & Symbolo cap. 2. & hoc ſibi volebat Moyſes, cùm dixit: *terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Idem 70. Interpp. vertère: *Terra erat inviſibilis, & incompoſita*, utpote luce, aliíſque rebus privata: Theodoſion & Aquila: *terra erat inanis & nihil;* quia nimirum ſuum decorem, pulchritudinémque ex aliis rebus creatis reſultantem nondum acceperat.

Major Mundus creatus eſt informis ac rudis.

15. At verò Mundus hic minor Virgineus in inſtanti primo ſuæ conditionis, ſive Conceptionis, omnem mox ab illa DEI Conditoris omnipotenti manu accepit venuſtatem, quam Divinæ ſuæ Majeſtatis Matrem habere decebat. Hanc ego porrò crediderim potiſſimùm hujuſce mundi pulcherrimam eſſe lucem, hanc gratiarum omnium prædicatam ab Archangelo plenitudinem, hanc humilitatem, hanc puritatem. Hæc nimirùm illam lucis inſtar copioſiſſimæ irradiavit, ac venuſtavit. Præclarè enim mellifluus Bernardus Hom. 2. ſuper Miſſus: *DEus ſiquidem (DEus enim eſt, quem peperit) Matrem ſuam ſingulari in cœleſtibus donaturus gloriâ, ſingulari in terris prævenire cura-*

Mundus Minor Maria in primo Conceptionis inſtanti omnem venuſtatem & gratiarum plenitudinem accepit, uti decet Dei Matrem.

vit & gratiâ, quâ videlicèt ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò DEum hujusmodi decebat nativitas, quâ non nisi de Virgine nasceretur; talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi DEum. Proinde factor hominum, ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Voluit itáque esse Virginem, de quâ immaculata, immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis, & humilis corde, prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimúmque Exemplum ostensurus: Sic ille.

Immaculatam DEus voluit Virginem de qua immaculatus omnium maculas purgaturus, humilem, de qua humilis corde prodiret.

16. Unde Seraphicus Ubertinus Casalius lib. 1. arboris vitæ Cap. 6. vocat JEsum DEI Filium, fabrum Virgineum; utpote qui propriis & omnipotentiæ, & Sapientiæ suæ manibus sibi domum fabricaverit, ac ædificârit, majestate, magnificentiáque sua dignissimam, omnibus attributorum suorum quodam modo profusis opibus, ac divitiis. Sic igitur admirabilem hanc, venustissimámque Mundi hujus Virginei describit fabricam, depingit ornamenta; *Sanè JEsus benedictus, sicut omnia mirâ creavit sapientiâ sic illam benedictam Virginem Matrem suam talem condidit in tempore, qualem eam elegit in sua sacratissima æternitate. Et talem tam nobilitate naturæ, quàm perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem decebat habere suam infinitissimam Majestatem: quia in ea & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi esset unitum unitate personæ, & de quo exiret pretium totius liberationis, & justificationis, ac beatificationis humanæ. Propter quod iste benedictus JESUS hanc sublimissimam Virginem tantâ perfectione produxit, ut istius sacratissimæ Virginis perfectio soli DEO cognoscenda reservetur, ut de illa verificetur illud* Eccl. 1. *Ipse creavit eam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.*

Faber Virgineus JEsus Dei filius qui sibi domum fabricavit suâ majestate dignissimam.

Fabrica venustissima Maria à JEsu condita, cujus perfectio soli Deo cognoscenda reservatur.

17. Tum ad Mundi hujus Virginei exordia, sive fundamenta, omni sanctitate, puritatéque plusquàm Angelica con-

ca conspicua (quæ sunt immaculata ejus conceptio) describenda aggreditur; ex quibus mirificam animati hujus Mundi colligere licet pulchritudinem. *Hanc porrò*, inquit, *Beatissimam Virginem non dubitat sancta Mater Ecclesia, sanctificatam in utero Matris, & ante fuisse sanctificatam, quàm natam. In hac autem sanctificatione datum est illi tantum gratiæ munus ad vincendum omni ex parte peccatum, ut nullum nec veniale, nec mortale peccatum in perpetuum commiserit, sed omnium virtutum gratiâ ex tunc plenissimè abundaverit: Sanctificata autem fuit per Spiritum Sanctum in Matris utero, quàm citò decuit, & potuit fieri, & quantùm decuit honori Filij, cum ipsa Virgo electa Genitrix ei uniatur, sicut membrum principalissimum capiti, & sicut redempta suo Redemptori. Unde oportet firmiter tenere, quod, quicquid honoris decuit fieri Matri, factum illi sit in hac sanctificatione, pro dispositione ad secundum; ita tamen, ut nihil attribueretur Virgini sub titulo honoris falsi, quod gratiæ capitis sui dilecti filij derogaret, per quod excludi à beneficio Redemptionis videatur.*

In sanctificatione datum est tantum gratiæ munus Beatissimæ Virgini advincendum omni ex parte peccatum, ut nullum nec veniale nec mortale commiserit unquã.

Sanctificata est in utero Matris Beatissima Virgo quàm citò fieri poterat, & decuit, & quantum decuit honorem filij.

18. Prosequitur deinde Vir Seraphicus hujusce sanctificationis præclaros commemorando effectus, quos nos animati hujus mundi præclarissima vocitare possumus ornamenta. Cùm enim Virgo adhuc utero delitescens Matris, usu rationis prædita fuerit, DEum in primo conceptionis momento, ut aliàs sæpè Tom.2. memoravimus, clarè viderit, seséque non sibi natam, ut ait S. Damascenus, sed orbi universo cognoverit, mox ad ejus Redemptionem, Sanctissimis, ardentissimísque desideriis Filij DEI in carne adventum potissimùm cœpit expetere, ad illúmque calentissimis suspiriis videndum anhelare. *Totus autem impetus hujus sanctificationis*, inquit Ubertinus, *primariè impellebat mentem hujus sacratissimæ Virginis ad desiderium Incarnationis Filij DEI, omnium electorum salutis. Unde omnes suæ mentis virtutes in id, quod postea in ea factum fuit, toto conatu pendebant. Hæc enim fuit felix clausula totius exspectationis, & desiderij, postulationisque*

Beatissima Virgo in primo conceptionis instanti usum rationis, & Dei visionem habuit.

nisque adventûs boni JESU, quâ, sicut in cono, omnia desideria sanctorum Patrum praecedentium consumari, & terminari videbantur. Propterea omninò inexpressibile est nobis illud fervidum desiderium, & orationis virtuosae suspirium, quô suspirabat ad DEum, ut Filium suum mittere ad assumendam nostram naturam dignaretur. Ne credas autem, quod ad ipsum in carne sua recipiendum, se dignam reputaret; quia gratiam sanctificationis, quae eam omni virtute replevit, sic à principio ipsam Virginis mentem in omnium virtutum radice, sancta videlicet humilitate, profundè inhabitavit, ut sicut nulla post Filium creatura ascendit in dignitate gratiae, sic nulla tantùm ascendit in perfectissimae humilitatis recognitione. Nec alicui purae creaturae datum est in vita tantum nihilum creaturae degustare; nec tantùm se annihilare sub volito suae Divinae Majestatis. Unde ejus humilis oratio non solùm penetrabat nubes, sed etiam omnes Angelicas cohortes, & mox sistebatur ante consistorium acceptabilissimum Beatissimae Trinitatis. Hactenus Ubertinus.

Beatissima Virgo licet instantissime desideraverit incarnationis mysterium, non se tamen dignam maternitate filij Dei reputabat.

Humilis oratio Beatissimae Virginis non tantum nubes sed etiam Angelicas cohortes penetravit.

19. Ob profundissimam hanc Deiparae humilitatem dicere quodammodò possemus, Mundum hunc Virgineum ex atomis, minusculis nempe pulvisculis, ut de hoc magno, arbitratus est Democritus, esse compositum: cùm enim in oculis suis se nihil esse arbitraretur (ubi enim legit Vulgatus interpres: *Respexit humilitatem Ancillae suae;* legunt alij *Nihileitatem*) quid aliud de se sentire visa est, quàm se totam ex minutissimis propriae vilitatis in oculis suis pulvisculis quoddammodò coaluisse?

Virgineus Mundus Maria ob humilitatem quodammodo dici potest ex atomis coaluisse.

20. Ob eandem eximiam humilitatem Mundum hunc Virgineum minorem, quemadmodùm majorem istum Salomon, *stillae roris antelucani* conferre possumus Sap. 11. v. 22. Unde nomen Virginis Maria, ut deducit doctè ac sapienter Pater noster Alcazar in Apocalypsin, stillam maris, sublimem item, & excelsam significat. Nempe Virgo licèt Mundus esset, omnem majoris hujus complectens venustatem, ac proinde est in oculis Dei, & in oculis hominum sublimis foret, & excelsa; in oculis tamen suis stilla maris, *stilla roris antelucani* esse videbatur.

Ob eandem humilitatem Maria Stillae roris antelucani conferri potest, cujus nomen stillam maris significat.

21. Ve-

21. Verè Virgo stilla roris antelucani, sive pruinosi esse dicitur, ob Virginitatis, ac innocentiæ puritatem, omnem noxium calorem restinguentem. Quam etiam ob causam *manna* vocitatur, quæ instar pruinæ cœlo depluebat. Unde Moyses Exod. 16. v. 14. *Apparuit in solitudine minutum, in similitudinem pruinæ super terram, uteri videlicet Beatæ Annæ Matris, in quo cœlestiope, Virguncula illa velut parvus Mundus, velut stilla roris antelucani, Divinis quasi manibus summa in puritate efformata fuit.* De hac puritate Gilbertus Episcopus serm. de B. Virgine: *De regali nempe tribu, & sacerdotali originem duxit, quæ summum Regem, ac Pontificem erat paritura, cujus anima, & caro, quam elegit, & fecit habitaculum sibi sapientia Patris, ab omni malitia, & immunditia purissima fuit, affirmante scripturâ, quod in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Præclarè enim eximius ille Theologus Petrus Aureolus Tract. de Concept. B. Virginis: *Videtur*, inquit, *horrendum piis auribus, animisque devotis, quod unquam anima B. Virginis filia iræ fuerit, aut in odio DEI, vel displicens, ac detestabilis oculis Divinæ Majestatis.* Ob immaculatam igitur hanc puritatem, candorémque, quo Mundus hic minor ad instar guttæ roris antelucani, sive pruinæ in prima sui conditione enituit, rectè Virgo omni cujuscunque peccati labe liberrima, omníque laude dignissima pronunciatur, ita, ut illi cum Ecclesia jure concinere possimus: *Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio; quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

Beatissima Virgo ob immaculatam conceptionem meritò stillæ roris antelucani confertur, & omni laude dignissima pronunciatur.

22. Nimirum Virgo à prima sui origine divinitus electa fuit, ut purissima illa vestis poderis fieret, quâ summus sacerdos, ac Rex supremi Regis Filius ad sacrificium sui ipsius pro generis humani salute offerendum indueretur. Quæ, qualis fuerit, præclarè describit Salomon Sap. 18. v. 24. *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* In Græco pro, orbis terrarum, legitur: κόσμος, quod significat ornatum. Hinc Vatablus: *omnigenus ornatus,*

À prima suâ origine divinitus electa fuit Maria, ut purissima illa vestis poderis fieret, quâ summus sacerdos indueretur.

natus, tunicæ, quâ induebatur, inerat. Hinc Petrus Riga in M.S. in Exod. ita Poderem descripsit.

Poderis est vestis, quæ terræ continet orbem,
Et caput, & corpus Præsulis illa tegit.

Aliquid melius mundo creavit DEus, videlicet Mariam

23. Atque ita in Mundo hoc Virgineo, quô veluti veste sacerdotali se se Dei Filius amore nostrî circumdedit, omnis mundi hujus aspectabilis decor, ac ornatus, veluti brevi compendio continebatur. Hinc B. Petrus Card. Damianus serm. de Ann. B. V. docet, quòd licet DEUS mundum hunc creando, fecerit omnia bona valde, aliquid tamen meliùs fabricârit, cùm Mariam sibi in locum quietis efformavit: *Cùm fecerit DEus*, inquit ille, *omnia opera sua bona valde, hoc meliùs fecit, consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum, atque hominum reclinaret, & requiem inveniret. Hoc est, quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremit terra, infernus exhorret. In hujus utero Majestas altissimi mirabiliter liquefacta sicut adipe & pinguedine replevit terras, infudit cœlos, inferna respersit, hic exinanivit semetipsum excelsius & immensius, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam mittens in sinum nostrum.* Sic ille.

Pulchritudo interna animi summè admirabilis in Maria.

24. Quòd si in sinum nostrum, quantò magis in sinum Virginis, animatum suum hunc Mundum omnibus, & naturæ, & gratiæ decorandum ornamentis? adeò, ut vel solo hoc Virgineo considerato Mundo, universorum Conditor, potiori longè jure sibi complacere potuerit, & magnus ille Cosmographus Moyses dicere: *Vidit DEus cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde*, sive pulchra, ob internam maximè animi pulchritudinem, quæ toto ore, oculísque Virginis, summa omnium spectantium admiratione emicabat. Quod porrò Virgo summi Regis paludamentum, summi sacerdotis tunica exstiterit, testatur B. Andreas Cretensis orat. 2. de dormit. B. V. *Tu es â Deo contexta purpura, indumentum regale, amictus â DEO variatus, aurea specie diplois, Verbi purpuræ intelligibilis, & innominabilis tinctura.*

25. Quâ

25. Quâ sanè mundi, ejúsque creaturarum in se repræsentatione, ac circumgestatione Virgo nostra gloriosissima, se se Mediatricem inter DEum, totúmque mundum esse demonstrat. Unde sapiens ostendere volens summum sacerdotem Aaronem fuisse inter DEum, & peccatores ad supremi Numinis iram, igne populum devastantem placandam, Mediatorum, postquam de eo idem præmisisset Salomon: *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens, quoniam tuus est famulus; cùm enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, & amputavit impetum, & divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam, ne videlicet & illi absumerentur:* Ubi, inquam, hæc dixisset, mox attexuit causam, cur se inter DEum irascentem, peccatorésque interposuisset: *In veste enim poderis*, inquit, *quam habebat, totus erat orbis terrarum:* Unde Pater Cornelius verba hæc expendens, *Causa erat*, inquit, *quod DEUS Aaronem constituerat Pontificem, id est Mediatorem, & Deprecatorem inter se, & populum, ut ipse scilicet iram DEI sisteret, populúmque DEO reconciliaret. Atque ut hoc populo significaret, jusserat in podere, veste ejus videlicet Pontificia, poni Symbola omnium elementorum, totúmque orbem, ut meminisset se esse mediatorem inter DEum, & Mundum. Rursus jusserat, ut in Rationali gestaret 12. gemmas, eísque singillatim insculpi curaret Nomina 12. tribuum Israël, ut hoc signo moneretur, se omnes tribus in pectore, in corde, & cura gestare, ac pro eis assiduè DEum deprecari debere.* Sic ille. Qui postea fusè prosequutus, quânam ratione universus ejus vestitus orbem hunc cum omnibus in illo contentis repræsentet, pro quo apud DEum factus erat mediator. Quæ omnia potiori jure Virgini Deiparæ nostræ gloriosissimæ conveniunt. Ipsam nimirum DEUS tanquam animatum quendam mundum condidit, in eáque majorem hunc mundum repræsentari, veluti in exemplari, lucidissimóque omnis puritatis speculo voluit, ut se talem pro ea, quâ

Mediatrix inter DEum totumque Mundum Maria.

Aaron summus sacerdos, ut indicaret se mediatorem DEum inter & populum, induit vestem poderis, in qua totus orbis terrarum efformatus erat, quæ omnia potiori jure Mariæ conveniunt.

prædita erat ſapientiâ, agnoſcens, magnâ cum fiduciâ, velut pientiſſima Mediatrix ſe ſe inter ſe, orbémque terrarum, in quem tot myriadibus annorum juſtiſſima, atque ardentiſſima Divini Numinis ira deſævierat, interponeret; ne ulteriùs ignis furoris Domini in vivos, qui remanſerant, progrederetur, ſed viam, aditúmque intercluderet.

26. Quare, quod de mundo hoc Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro cap. 12. pronunciavit, aptiſſimè transferre poteſt ad Virginem, tanquam Mundum Archetypum, ipſum DEUM repræſentantem. *Totus hic Mundus magnus DEus eſt, Imago majoris, nempè Archetypi, unitus illi, Patris ordinem, voluntatémque ſervans, vitæ totius integra plenitudo.* Quæ enim creatura ſive Angelica, etiam Seraphica, vel humana Deo unita per amoris affectum unquam exſtitit, quæ æterni Patris ordinatiſſimam voluntatem unquam magìs ſervavit, eidémque ſe ſe conformavit, quàm Virgo Deipara? Oſtendit hæc ſanè voluntatis ſuæ cum Divina conformationem, cùm per Gabrielem in ſacratiſſimam Verbi Incarnationem in ejus puriſſimo utero peragendam, petito conſenſu promptiſſimè, ſummâ cum humilitate reſpondit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* In quo denique, quæſo, vitæ totius integra plenitudo eſt reperta, quàm in hac eadem Virgine, quæ per Antonomaſiam à S. Epiphanio, aliíſque Patribus, *Mater viventium* appellata eſt? Vitæ verè integra plenitudo eſt in Virgine, dum nobis Divinam gratiam, quâ vera anima continetur, impetrat, dum vitam etiam corporibus, uti quàm plurimis comprobatum eſt miraculis, reſtituit.

Potiori jure de Maria, quàm de Mundo Triſmegiſtus, dici poteſt, quod ſit Imago Dei, ſummè illi unita, ſervans ejus voluntatem, vitæ totius plenitudo.

27. Et licèt Virgo glorioſiſſima in primo ſuæ conceptionis, uti diximus, inſtanti, parvus quidam mundus ornatu, decoréque omnium creaturarum conveſtitus, condita fuerit, in conceptione tamen Filij Dei, quando in ejus puriſſimo utero *Verbum caro factum eſt*, extremum viſa eſt ſortiri omnis pulchritudinis complementum; tunc enim in hoc Virgineo Mundo Univerſorum *Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem,* ad Tartareum debellandum hoſtem, *& præcinxit ſe* tan-

In conceptione Filij Dei Beatiſſima Virgo complementum omnis pulchritudinis ſortita eſt.

tanquam Generosissimus Dux, ac Imperator, ad manus cum illo conserendas, gloriosissimúmque triumphum, de ipso reportandum: tunc enim Virgo facta est, uti vidit Joannes Apostolus Apoc. 21. *cælum novum, & terra nova, atq; DEO mundus novus.* Dum enim DEI filium in se suscepit, quid aliud esse visa fuit, quàm cœlum novum? Ipse enim est verus justitiæ sol, ipse lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Ipse luna, noctem teterrimam peccatorum, infidelitatísque tenebras, quas Idololatria exhalaverat, irradians, ipse stella splendida, & matutina, nobis lucidissimum diem gratiæ annuncians. Rursus eundem Dei altissimi Filium gremio uteri Virginalis excipiens, quid aliud videbatur, quàm terra nova, in qua lignum illud vitæ immortalis, cujus fructus dat vitam mundo, plantatum est? In qua vitis illa vera germinavit, cujus botrus in tantis deliciis erat sponsæ, ut diceret Cant. 1. *Botrus Cypri Dilectus meus mihi, cujus vinum lætificat cor hominis.* In qua, ut alia prætermittam, Frumentum illud Electorum, panis ille cor hominis confirmans, panis ille, qui de cœlo descendit, de quo, qui manducaverit, vivet in æternum, succrevit, famémque tam diuturnam, mortalium saturavit. Agnovit cœlum novum, & terram novam, atque adeò Mundum novum evasisse in Verbi Incarnatione Deiparam S. Gregorius Thaumaturgus serm. 3. de Annunc. Cùm eam ita salutavit. *Ave cæli & terræ æquivalens, dignúmque domicilium. Ave naturæ illius incomprehensibilis Capacissimum receptaculum.*

Dum Filium Altissimi concepit utero, facta est Maria cœlum novũ, & terra nova.

28. Deníque Mundus novus est Deipara, quia in illa DEI Filius, novitas cunctarum rerum gratissima, Rex ille immortalis, ac invisibilis, *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, acceptissimum ad deliciandum cum filiis hominum sibi fixit domicilium. Hoc nimirum est *novum* illud, *quod creavit Dominus super* hanc *terram* Virgineam, incarnatum nimirum verbum, quòd unicum sub sole novum, à S. Damasceno appellatur. Unde quid mirum Terram hanc, mundúmque Virgineum novam pulchritudinem, ac perfectionem ab hoc novo, sive novitate, quæ nova facit omnia, & â qua, velut â

Super hanc terram, novũ creavit Dominus, videlicet Verbum incarnatum.

perenni fonte decor omnis, ac perfectiones majoris hujus mundi, creaturarúmque in ipso contentarum emanant, summa cum plenitudine fuerit sortita, in eámque velut in profundissimum puteum aquæ gratiarum omnium de cœlesti hoc candoris dignissimæ illius, increatæque puritatis libano, summo cum impetu in illam sese effuderint?

Invocatur Beatissima Virgo tanquam mulier amicta sole, ut nostras ignorantiæ tenebras dissipet, nósque suis gratiis irradiet.

29. Cùm igitur Virgo sacratissima hodierna die, quæ tuæ Annunciationi per Angelum de Verbo incarnando factæ sacer est, tantâ gratiarum copiâ, veluti uberrimâ luce, velut novus quidam mundus fueris perfusâ, te quàm humillimè possum, oro, atque obsecro, ut eâdem illa luce, menti meæ tuas laudes meditanti affulgescas, tetrámque ignorantiæ caliginem, tenebrásque dissipes, mihíque te præsentem, velut illa amicta sole mulier, tuo Joanni radianti stellarum diademate coronata, candidâque lunâ calcatâ exhibeas; quô in accessibiles illius lucis splendores, quibus hodie ex Divini Verbi præsentia, divinarúmque gratiarum plenitudine ac ubertate irradiata es, participando immensarum tuarum laudum præconia pangere, téque condiguè pro modulo meo celebrare valeam.

Annunciationis die, quod hospitio acceperit verbũ incarnatum, pro mercede munus Advocatæ Generis humani apud DEum est sortita.

30. Tu hodie divinissimam illam æterni Patris mentem, ac sapientiam, Omnipotens verbum illud, per quod facta sunt omnia, uteri tui purissimi, omnium virtutum ceu florum odore fragrantissimi ac florentissimi excepisti hospitiô. Unde pro ejus mercede miram sapientiæ cœlestis lucem, munúsque eloquentissimæ Advocatæ totius humani generis apud DEum, ut tuus senensis censet Bernardinus, es sortita: Hanc igitur Virgo pientissima, ac sapientissima, cum tibi devoto Clientulo sapientiæ, divinorúmque cognitionis lucem communica; illam, ô Verbi æterni Mater admirabilis, de te loquendi Verborum copiam, cum hoc indigno tuo Filio participa, ut aptè, prout tuam omni humanâ majorem decet Majestatem, de te sentire, ac scribere valeam.

31. Quare liceat mihi veluti Virgineam Musam, sapientissimámque nostram Reginam Calliopen te cum tuis vatibus laudes tuas modulantibus compellare, atque invoca-

vocare; ac inprimis cum tuo Baptista Mantuano lib. I. Parthen.

Meria tanquā VirgineaMusa Calliope, cum Marianis poëtis, compellatur, & invocatur.

Tu mihi Diva fave, Cælum cui militat omne
Quam trepidant Erebi sedes, cui terra, fretúmque,
Vota, precésque ferunt, nostro tu sola labori
Sit præsens, operíque tuo largita futuro
Præsidium, nostræ veniens illabere menti!
Tu licet à nostro spatiis ingentibus orbe
Dis jungâre, suos, quantùm Polus elevat ignes
Non tamen humanos casus oblita, tuúmque
Nil pertæsa genus, vigili mortalia Cura
Suscipis, & lacrymæ tangunt tua pectora nostræ.

Liceat mihi deníque cum Humberto Montis Moretani tibi occinere lib. 31. Christiados,

Tu omnes inter Genitrix purissima, Matres,
Sed Genitrix, Virgóque simul, cui sarcina grata
Ille fuit rerum Dominus, Mundíque Redemptor,
Huc mites deflecte oculos, trepidíque Poëtæ
Imple Cælestes corda inperterrita flammas,
Terrenæq; animum noctis caligine tristem
Erige, ne vasto tantarum pondere rerum
Genuà cadant, ægrâq; ratis compage laboret.
Te Duce non metuam Syrtes, non antra charybdis,
Veliferas avido sorbentia Vortice puppes.
Nec me scylla rapax, sævæ nov ira Maleæ
Terruerit, scyrónque ferox tua signa videntem
Tam dulce, & clarum pavidis lucentia Nautis.

32. Nomen igitur tuum ò Maria, quod stellam Maris sonat, invocando, téque salutando: *Ave maris stella, monstra te esse Matrem, iter para tutum, ut videntes JESUM,* veluti polarem stellam, circa quam tu ceu Elice, ac cynosura, semper amore indissolubili ei adhærens versaris, *semper collætemur*, ac in præsenti opere difficillimo laborantes solamen inveniamus. Adsis nobis Virgo

Maria, cujus Nomen maris stellam sonat, invocatur.

)()()()()(2 Beni-


Benignissima cum dilectissimo tuo Filio, in hoc immenso laudum tuarum pelago navigantibus, velut prospera, propitiáque Nautis Castoris, & Pollucis sydera, & ita benignisimâ tua luce iter dirige, ita favoniô tuæ gratiæ aspira, quemadmodùm & Hactenus, ut salvus, incolumísque & hunc tertium tuarum laudum Tomum feliciter terminem, tandémque extremam vitæ meæ terminando Catastrophen, te similiter mihi propitiam maris stellam luce misericordiæ tuæ mihi ad æternitatem iter aperientem experiar, tandémque beatæ Patriæ, ac nunquam terminandæ felicitatis portum, laudum tuarum celeusma concinendo pertingam.

Sis igitur mihi tu Virgo castissima, meus Castor, sis mihi, Mater inpolluta, meus Pollux in hac tam difficili navigatione, in hoc tam vasto tuarum laudum oceano; ita, ut lucis tuæ benignissimos expertus influxus, dicere possim cum tuo studiosissimo Poëtâ Bern. Bauhusio lib. 5. Epigr.

Pro face Pollucis, fax inpolluta Maria est.
Pro face Castorea, casta Maria, mea est.
Hi gemini fateor; Maria unica, sat tamen una hæc
Plùs poterit geminis Fratribus, ista soror.



DISCUR-



DISCURSUS PRIMUS.

QUOD VIRGO DEIPARA TERRÆ PROPRIETATES REPRÆSENTET.

Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Proverb. 8. cap.



LIcet Elementorum nobilissimum Ignis sit, déque illo priùs tractandum esset; nihilominus cum sacer Cosmographus Moyses post Cœlum, in principio dixerit creatam esse terram tanquam elementorum omnium fundamentum, meritò & nos priùs de terra, ut repræsentat Virginem, quàm de reliquis agemus elementis.

Laudes Veterum de terra dictæ aptius quadrant Virgini beatissimæ.

1. Terræ Divinitatem quandam inesse censuêre Veteres; Unde Numa Pompilius Terræ templum rotundum tanquam Deæ consecravit. Hinc Pausanias in Atticis *magnum DEUM* vocitavit. Hinc Herodotus in Melpomene *Jovis Uxorem* censuit. Quæ quàm aptè Virgini nostræ quadrent, tam Tomo primo, quàm secundo variis in locis comprobata sunt. Ipsa enim, S. Augustino teste, *est forma Dei, ipsa Dea,* ut loquitur Sanctus Antonius, *est Deiformitate actuum*; ipsa denique, *Sponsa Spiritûs Sancti,* qui & ipse quoque, ut reliquæ Duæ personæ DEus est. Hanc illa Divinitatem ex Incarnati Verbi in utero ejus purissimo persona participare visa est. Hinc denique S. Damasc. orat. de dormit: B. V. *Tota pulchra es &c. quia tota Deificata, macula non est in te, quia Spiritus sanctus supervenit in te.* Hinc Joannes Hondemius Anglus, in Virgine Divinitatem agnoscens, ita eam in suis Rhythmis Compellavit.

Divinitatis Virgo signifera.

Terram esse Deiparam & sacræ literæ, & varij attestati sunt Patres.

2. Terram porrò esse Deiparam & sacræ litteræ, & varij attestati sunt Patres. Quid enim sibi voluit Isaias, cùm tam ardenti affectu postulabat Cap. 45. *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur Terra, & germinet Salvatorem?* quæ alia erat illa Terra Sitiens apud eundem Cap. 53. Cùm de Messia loquens pronunciavit: *Et ascendet sicut Virgultum coram eo, & sicut radix de Terra sitienti?*

Quam aliam Terram intellexisse putemus Davidem, cùm dixit: *Benedixisti Domine Terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.* Et Psalm. 48. *Dominus dabit benignitatem, & Terra nostra dabit fructum suum.* Hæc est illa Terra, de qua Eccl. 38. *Altissimus de Terra creavit medicinam,* dum mundi peperit Salvatorem, qui animarum nostrarum, corporúmque Medicus est, & Medicina. Unde Cæsarius lib. 7. cap. 15. *Medicina,* inquit, *B. Virginis nihil est efficacius, nihil salubrius.*

Hæc est Terra illa Sacerdotalis, quæ Pharaonis tributo minimè fuerat subdita, cùm aliàs omnis Terra ægypti tributo fuerit obnoxia, ut videre est Gen. 47. 21. *Subjecit ægyptum Pharaoni, & cunctos populos ejus, præter Terram sacerdotum.* Nimirum omnes, qui in hanc Terram ab utero Matris projicimur, terræ sumus, tributo peccati originalis obnoxiæ, exceptâ unicâ Terrâ hâc Virgineâ, quæ singulari privilegio, non modò â peccato originario, verùm etiam ab ipso debito illud incurrendi præservata fuit, uti fusè Tomo 2. comprobatum est.

Terra Sacerdotalis Deipara.

Terram porrò esse Virginem testatur inprimis S. Augustinus serm. 100. de Tempore, ubi eam vocat *Terram promissionis.* Cùm enim historiam illam duorum illius Terræ exploratorum, qui botrum illum ingentem attulerant, num. 13. explicaret, adjunxit: *Sicut uva illa Christum DEum figuravit, ita & Terra promissionis, in qua natus est, S. Mariæ imaginem videtur præsetulisse. In ipsa enim impletum est: Veritas de Terra orta est. Quomodò autem B. Maria non fuit Terra promissionis, quæ per Prophetam multò antè promissa est? Nam per Isaiam multò antè dictum est: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Sic ille.

B. Maria terra est promissionis.

Testis est B. Petrus Card. Damian. serm. 3. de Nativit. B. Virginis. Terram promissionis esse Virginem, dum ita loquitur: *Potest per repromissionis Terram non incongruè ipsum Beatissimæ Dei Genitricis Corpus intelligi, ex quo Redemptor noster velut singularis Botrus voluit humanitus, germinari,* juxta illud: *Veritas de Terrà orta est. Et benè caro Beatissimæ Virginis Terra repromissionis est dicta, quæ longè antè paritura Salvatorem Mundi, a Prophetis multifariam est promissa; quæ verè lac & mel manavit, dum DEum & hominem intemerata Virginitate profudit.*

Testis est Joannes Card. Holgrinus in Virginem pientissimus: qui verba illa Cant. 2. expendens: *Flores apparuerunt in Terra nostra.* Terram hanc floridam censuit esse Deiparam: *Hæc Terra,* inquiens, *est ager ille, qui nondum floruerat, & tamen florum ejus fragrantiam tum odorabatur Isaac in Filio. Hæc Terra est B. Virgo, quæ illum fructum sublimem produxit, de quo dicit* Isaias: *In illa die erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus Terræ sublimis. In hac Terra flores apparuerunt, decor videlicet, & odor gratiarum, Virtutum, & operum.*

Terra florida Deipara.

Testis est S. Ildephonsus Archi-Episcopus Toletanus lib. de Virginitate Cap. 3. *Hæc sola Terra fide operata non corruptione germinare potuit salvatorem rorantibus Cælis, & nubibus pluentibus Justum, id est Prophetis pronunciantibus ejus adventum. Hæc Terra est, de qua Veritas oritur, quæ Veritas Christus eadem est, & quæ de Cælo prospexit justitia eius. Hæc Terra fructum suum dedit. 1. Christum nostrum genuit, in quo benedixit nobis DEus DEus noster, ut, benedicat nobis DEus, & simus benedicti*

Terra, quæ fructum benedictum protulit.

cti à Deo, ter vocabulo repetito, quem in Trinitate unum Deum omnes terræ metuunt fines.

Testis est Seraphicus Doctor, & Card. Bonavent. qui in spec. Cap. 3. explicans Verba illa Apoc. 18. *Vidi Angelum descendentem de Cælo habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus;* ita loquitur: *Filius DEI est Angelus magni Consilij, Terra verò à Deo illuminata fuit à gratia ejus in mundo, ita nunc illuminata est à gloria ejus in Cælo, ut sic illuminata fieret illuminatrix in mundo, & in Cælo.* Idem Bonaventura in eodem Spec. Cap. 12. *meritò Maria*, inquit, *Terra illa Benedicta est, quæ tam benedictum fructum profert, de quo* Psalm 48. *Benedixisti Domine Terram tuam. Terra illa est Maria, de qua ibidem: Veritas de Terra orta est, Veritas est Christus, qui ait: Ego sum via, veritas, & Vita* Joann. 14. *Benedicta ergo est hæc Terra propter benedictum fructum, Benedicta est Maria propter benedictum filium.* Unde B. Bernardus; *non quia tu Benedicta, ideò benedictus fructus Ventris tui; sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu Benedicta.* Et Cap. 10. in spec. idem Pater in Virginem Devotissimus vocat eam Terram floridam, lectulum floridum, dum exclamat mirabundus. *O quàm florida fuit Terra, quàm floridus lectus Mariæ, quæ in florida vitæ honestate, florebat omnium virtutum venustate*, ut testatur B. Bernardus. *Tu es sanctorum Areola aromatum ô Maria, à Cælesti consita pegmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans, inter quorum pulcherrimos, trium in te miramur excellentiam; Viola humilitatis, Lilium Castitatis, Rosa charitatis hi sunt.* Idem denique S. Doctor in eodem spec. c. 14. vocat eam Terram fructuosam, quod fructum illum uteri sui Virginalis ad omnium Mortalium utilitatem, Consolationémque ediderit. *Hic est ille fructus*, inquiens, *de quo Propheta* dicit Psalm. 48. *Dominus dabit benignitatem, & Terra nostra dabit fructum suum:* quod exponens Beda: *Dedit*, inquit, *Dominus benignitatem, quia in ingressu unigeniti sui, Virginalis uteri Templum Spiritûs Sancti gratia Consecravit, & Terra nostra dabit fructum suum, quia eadem Virgo, quæ de Terra corpus habuit, Filium genuit, Divinitate quidem Deo Patri coæqualem, sed sibi Carnis veritate Consubstantialem. Fructus porro ille, Fructus est generosissimus, fructus deliciosissimus, fructus virtuosissimus, fructus copiosissimus, Fructus, inquam, generositate sublimissimus, fructus delectabilitate desiderabilissimus, fructus virtuositate utilissimus, fructus copiositate universalissimus.* Sic ille.

Terra benedicta.

Maria sanctorum Areola aromatum.

Terra proferens fructum ad omnium mortalium utilitatem & consolationem proferens.

Qualis fructus sit Christus.

3. S. Basilius Seleuciæ Archiep. orat. 39. de Annunc. ob fructum hunc Copiosissimum confert Virginem Terræ illi, quæ inprimis mundi incunabulis ad solum DEI imperium herbam virentem, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum, germinavit. Gen. 1. expendens enim verba illa Angeli: *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, hæc subtexit: *Nam si talis virtus te non obumbrabit, eum capere, qui capi non potest, minimè poteris, nisi ipse partus ad propriam parturitionem conferat operam, limus suum fritorem ferre non potest. Et quia dixisti; quomodo sine Satu fructum producam, hoc animo imbibe, quo miraculum credas; quomodo in prima mundi conditione sine semine tellus fructum fructificavit, qui fructificandi vim indidit*

B. Virgo comparatur terræ illi quæ ad solum Dei imperium protulit herbam virentem.

ad fructum edendum, uterum tuum promovebit. Ad illum dictum est: germinet Terra herbam virentem, Deique imperium rerum erat origo, & omnigenis fructibus omnia exornavit.

4. Terram quandam, esse Deiparam, agnovit acutissima suæ mentis indagatione Angelus, cum in sermone suo Cap. 5. inter revelationes S. Brigittæ ita est eandem allocutus: *Præterea toti terræ in eo similis exstitisti, quod sicut omnia in hoc majori mundo terrenum corpus habentia ex terræ fructibus debebant enutriri; ita omnia illa non solum nutrimentum, imò & ipsam vitam ex tuo fructu debebant obtinere. Florigeris verò, ac fructiferis arboribus meritò comparari possunt opera tua, nam cum tanta charitate ea factura eras, ut plus omnium florum pulchritudine, fructuúmque suavitate Deum, atque Angelos delectatura fueras.*

Opera B. Virginis comparantur florigeris, ac fructiferis arboribus.

5. Agnovit terram esse Virginem, ordinis Seraph. Bernardinus Bustius Par. 2. Marial. 3. partic. 1. *Dicitur*, inquit ille, *Terra ipsa Benedicta Virgo Maria; quia licet Terra omnium elementorum sit infima, est tamen præ omnibus elementis magis ornata: sic B. Virgo præ omnibus sanctis fuit magis infima per humilitatem, sed tamen magis ornata per virtutum varietatem. Unde infimam se vocavit, cum ait: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Virtutibus deinde se ostendit, cum dixit: in me gratia omnis vitæ & virtutis.* Eccl. 24. Hæc est Terra illa, quam DEus visitavit, omnibusque virtutibus exornavit. De hac Psalm. 64. *Visitasti Terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.*

Maria est terra infima per humilitatem, sed magis omnibus sanctis ornata per virtutum varietatem.

6. Terra verè est Virgo nostra; licet enim terra in superficie videatur despecta, intus tamen continet pretiosa, aurum scilicet, argentum, lapides pretiosos: sic B. Virgo videbatur extrinsecus despecta, intus tamen cœlestem thesaurum continebat; ideo de ipsa dixit David Psalm. 32. *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.*

B. Virgo est terra quæ afforis videbatur despecta, sed intus erat pretiosa.

7. Hæc est Terra illa, quæ in æternum stat. Eccl. 1. *Generatio præterit, & generatio advenit: Terra verò in æternum stat.* Verè enim in Passione Domini generatio multorum præteriit à vita Christi, generatio autem Latronis, & Centurionis advenit ad fidem. Interim terra Virginea in æternum stetit, quia fidem semper servavit.

Terra Virginea in æternum stetit, quia fidem semper servavit.

8. Ipsa Benedicta Mater, est illa terra bona, bono semine seminata, fœcunda. & ad germinandum apta. Bonitas terræ apparet juxta opinionem Virgilij Georg. 2. ex Coloris nigredine. Hinc communiter dicitur: Terra nigra dat bonum triticum. Ipsa autem Virgo nigra fuit, humilitatis nigredine, ut ipsa fatetur Cant. 1. *nigra sum, sed formosa.* Et sicut homo expositus fervori solis redditur niger, sic Virgo novem mensibus in se solem Justitiæ continens, nil mirum, si reddita sit nigra virtute humilitatis, quæ propria est Virtus Christi, fuerítque omni mundano colore decolorata. Unde ipsa ajebat ibidem Cant. 1. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Fuit quoque Beatissima Virgo terra dulcis, omnis peccati carens salsedine, aut amaritudine. Hinc ibidem Latinus Poëta:

Sicut terra nigra dat bonum triticum sic Virgo humilitate nigra frumentum Electorum.

B. Virgo terra dulcis omnis peccati carens salsedine aut amaritudine.

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara Frugibus infœlix.

Quam in ea dulcedinem, suavitatémque agnoscens Sponsus cœlestis, eam collaudabat Cant. 6. *Pulchra es Amica mea, suavis, & decora!*

cora! Unde Bernardus: *Tota suavis est, & omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi.* Hæc est terra bono semine seminata: DEus enim in utero Virginali, velut agro seminavit semen æternum, antiquum & novum, Divinitatem scilicet, quæ est æterna, Carnem Filij sui, quæ est etiam antiqua, ab Adamo, sed sine peccato descendens, & animam, quæ de novo Creata fuit. De tribus his seminibus, tanquam ex tribus farinis, confectus est panis ille cœlestis, qui de se dicebat Joann. 6. *Ego sum panis Vivus, qui de Cælo descendit.* Quare quòd Abraham olim Genes. 18. dixisse Saræ memoratur, idem Deus Virgini mandâsse videtur: *Accelera, tria sata farinæ Commisce, & fac subcinericios panes.* Verè enim Maria tria sata farinæ commiscuit, cùm Christum in tribus hisce enitentem substantiis generavit.

B. Virgo terra bona, bono semine seminata.

9. Hæc est terra illa bona, habens irriguum superiùs & inferiùs, quam DEus velut alter Caleb, Filiæ suæ Ecclesiæ in dotem, peculiari possessione tradidit Josue 15. Hæc est terra illa, in cujus medio Dei Filius salutem operatus est nostram, ut canit Psalmista, cum carnem de purissimis ejus visceribus suscepit. Hæc est terra, de qua, ut antè retulimus, dixit DEus: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.* Ipsa enim Virgo Beata germinavit herbam virentem sanctarum cogitationum, ac meditationum, flores item odoratos ferventium desideriorum, fructus denique perfectarum operationum, & lignum illud Vitæ in medio Paradisi. Semen quoque ejus remansit super terram, Sanctorum videlicet exemplorum, juxta quæ & alij per imitationem fructificare possunt. Hæc est terra illa, in qua debemus operari per devotionem ad Virginem. De hac Salomon Prov. 12. *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus,* spiritualibus nimirum consolationibus. Quare unicuique nostrûm aptè suadet Moyses Deut. 8. *Benedicas Domino DEO tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Hæc est illa terra, quam DEus sua habitatione illustravit, de qua Isai. 6. *Plena erat omnis terra Majestate ejus.* Hæc est terra, de qua Sapiens Prov. 3. *Dominus Sapientiâ suâ fundavit terram.*

B. Virgo terra irrigua, terra in cujus medio Dei filius salutem operatus est, terra germinans herbam virentem.

Terra in qua debemus operari per devotionem ad Virginem.

10. Hæc est terra illa, quam Creator in mundi principio cum cœlo condidit. Cœlum enim, quod naturâ suâ incorruptibile est, ac diversæ â sublunaribus materiæ, animam omni peccato incorruptam denotat Virginis; Terra verò corpus ejusdem designat Virginis, quod mortale â Parentibus propagatum, absque ullius sceleris accepit Labe. Quia verò utrumque, modo, excellentiori Universorum Dominus, præ cæteris creaturis, ipsóque cœlo, terráque condidit, ideò Evangelista Joannes Apoc. 21. altiori lumine irradiatus pronunciavit: *Vidi cœlum novum, & terram novam.* Et quoniam eadem Deipara non modò in anima, verùm & in corpore beatificata, & gratiâ plena fuit, idcirco ipse DEus apud Jeremiam Cap. 22. edixit: *Cælum, & terram ego impleo;* Ita ferè Bernardinus.

Terra Virginea, terra nova, corp⁹, cœlum novum animam B. Virginis indicat.

Cœlum & terram Deus implet, dum corpus & animâ B. V. Beatificat, & gratiâ replet.

11. Idem piissimus, Virginísque studiosissimus Pater Par. 9. Marial. serm. 2. Assimilat. 8. Terram, ait, esse Deiparam, ratione productionis; quia sicut è terra flores producuntur, & pullulant, inquit ille, pleni amœnâ fragrantiâ, sic ex ipsa Virgine gloriosa flos omni suavitate fragrantissimus, JESUS productus est, qui de se ipso dixit. Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium convallium*

Sicut è terra flores, sic ex Deipara flos campi, & lilium convallium JEsus productus.

lium. Eadem Virgo terra dicitur ratione subventionis. Ipsa enim velut terra cuicunque nostræ subvenit indigentiæ. Nam in cibum frumentum, aliásque segetes profert, oviculas nutrit, ut de vestimentis nobis provideat; boves quoque, ut eorum carnibus nutriamur, corio calceamenta conficiamus. Similitèr Virgo gloriosa, cibum illum Divinum, omnia bona in se continentem, ex carne sua purissima generavit ipsum Christum. Unde de ea dici potest illud Psalm. 77. *Panem Angelorum manducavit homo, Cibaria misit illis in abundantia.* Eidem quoque dici potest cum Salomone Sap. 16. *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Docet denique Deiparam esse terram illam, de qua Joann. 8. *JESUS autem inclinans se deorsum, digitô scribebat in terra.* JEsus enim per mysterium incarnationis ad eam se relicto, quasi Majestatis suæ solio, deorsum verè inclinavit, & in ea scribendo suæ Divinitatis omnipotenti digitô, quo cœlos, solem, lunam, stellásque fabricavit, ac fundavit, multipliciter eandem benedixit, eámque tota Augustissima Trinitas mirificè, ad dignam incarnato verbo habitationem præparandam exornavit. Pater enim æternus in terram hanc suam inscripsit potentiam, illam efficiens potentissimam. Effecit siquidem ipsam adeò potentem, ut omnibus valeat subvenire, Diabolúmque Tyrannum ferocissimum subjugare, ac in fugam agere. De singularissimo hoc dono ipsa in suo Cantico cecinit. *Fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen ejus.*

Sicut terra subvenit nostræ indigentiæ, ita & B.V.

B.V. illa terra in qua JEsus se inclinans se deorsum digito scribebat.

Tota Trinitas exornavit Deiparam, Pater potentiam contulit.

In eandem terram Virgineam DEI Filius suam sapientiam inscripsit, effecítq; ipsam sapientissimam, dum in utero suo novem mensibus ipsum Dei sapientiæ, & Dei scientiæ fontem continuit. Unde dicere poterat cum Parente suo Sap. 7. *Omnium Artificem docuit me Sapientiam.* Hinc quemadmodum Tartareus hostis, est mille Artifex, in nocendo mortalibus; Sic hæc Benedicta Virgo infinitos quasi modos excogitat docendo, & revocando nos sapientiâ suâ, ut vindicet singulorum animas â corruptione, ac perditione. Quod considerans Cassianus eam ita compellat: *Tu Patrona humani generis, tu cunctis afflictis medica singularis! quis tuo non eget munere, cum sit peccare commune? Nemo igitur desperet, cùm causam suam tali Patronâ tutari valeat.* Huic denique sapientissimæ Virgini potiori jure convenit, quod olim ejus Parenti Reg. 3. dixisse fertur Dominus: *Dedi tibi cor Sapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similiter fuerit, nec post te surrecturus sit.* Tandem Spiritus S. in terram hanc Virgineam, suam Clementiam inscripsit, effecítque eam clementissimam. Dignum enim fuit, ut ipse Spiritus Sanctus illam suâ roboraret clementiâ, quæ thronus Altissimi, Clementissimíque Principis esse debebat. De throno enim hoc Virgineo vaticinari visus est Salomon Prov. 20. *Rotabitur Clementiâ locus ejus.* Quæ sanè clementia figurata fuit in muliere illa 2. Reg. 17. quæ Jonatham, & Alchimam â facie Absolonis, quærentis eos occidere, profugerunt, abscondit ex pietate, ac clementia in puteo, velum super os putei expandendo, ubi latuerunt, quousque servi Absolonis, eos inquirentes ad necem, recesserunt. Sic nimirum Misericordiæ Mater peccatores, qui DEum sceleribus suis offenderunt, occultat velo clementiæ in profunditate humilitatis suæ, si ad eam confugerint, quousque ira, vindictáque Dei cessaverit. Hactenus Bernardinus.

Filius Sapientiam.

Spiritus S. Clementiam in terram Virgineam inscripsit.

Clementia B. V. figurata fuit in muliere illa 2. Reg. 17. quæ Jonatham & Alchimam â facie Absolonis fugientes in puteo abscondit.

12. Hæc

Proprietates terræ accommodatæ perfectionibus B. V. duobus versiculis exprimuntur.

12. Hæc est terra illa, peculiaris universorum Domini possessio, de qua cecinit David Psal. 23. *Domini est Terra, & plenitudo ejus.* In quæ verba Doctissimus Alexander de Ales præclarè commentatus est, ostendítque terram hanc esse Virginem, cujus perfectiones versiculis hisce adumbravit.

Nigra, rotunda, capax, medians, circumdata, fœta,
Integra, stans, humilis, cibat omnia, continet aurum.

Quas terræ proprietates jam sæpiùs citatus Bernardinus Virgini applicat parte 11. Marial. serm. 2. partic. 2. qui Consuli poterit.

Sicut argilla tenax tractabilis, & firma ita B. V. &c.

13. Venerabilis quoque Richard. à S. Laurentio lib. 8. de Laud. B. V. agnovit eam terram esse Virgineam. *Hæc est terra*, inquit, *de qua formatus est homo* Gen. 2. *novus videlicet Adam de limo terræ, id est argilla, quæ tenax est, tractabilis, & firma; super quam securè fundantur opera Lapidea; similiter Maria tenax est, & firma fuit in proposito conservandæ Virginitatis, & per obedientiam tractabilis.* Unde dicit: *Ecce Ancilla Domini.* q. D. *quidquid ei placuerit, faciat de Ancilla sua. Tractabilis est, quæ precibus nostris inclinata, meritis, patrocinióque suo sustinet, ac supportat Ecclesiæ militantis ædificium. Tractabilis denique est ad nostra vota implenda, si dignè fuerit exorata.*

B. V. suo patrocinio sustinet Ecclesiæ militantis ædificium.

B. V. terra virginea in qua nullus homo operatus est, sed Spiritus, fons aquæ vivæ, qui irrigabat.

14. *Hæc terra illa*, prosequitur idem Richardus, *de qua*, Gen. 2. *dictum est, quod homo non erat, qui operaretur terram. Nullus enim homo in hac terra Virginea operatus est, de qua formatus est Christus, qui factus est ex semine David secundùm carnem; sed fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ; superficies, id est, Dignitas terræ, est Virgo Maria, omnium virtutum, ceu florum speciositate picturata, quam irrigat Spiritus Sanctus, qui est fons aquæ vivæ.* De terra hac pervenustè cecinit Petrus Riga M. S. in Genesim:

Non erat ullus homo, qui Terræ Cultor inesset;
Irrorabat enim gratia fontis humum.
Nescia Virgo viri, Tellus est absque Colono,
Fons sacer est flatus viscera sacra replens.
De Terræ limo fit homo: de Virginis alvo
Carnem Christus habet, quæ quasi Terra fuit.

15. Hæc est Terra Hævilath, quod interpretatur dolens, vel parturiens, quod convenit Beatæ Virgini, habitô ad Filij passionem respectu, quando super partu suo doluit. In hac Terra nascitur aurum optimum, quod est caro Christi: In hac etiam Terra invenitur Bdellium, & lapis onychinus. Bdellium secundùm Plinium est arbor aromatica, & valde odorifera, & signat animam Christi, quæ totum mundum universis virtutum, exemplorumque respersit odoribus. Lapis onychinus, qui preciosus est valde, colore candens, unguis humani similitudinem exprimens, Deitatem Christi, denotat; quæ cùm sit Candor lucis æternæ, & Speculum sine macula, Splendor gloriæ, & figura Patris; nihilominus ad humani unguis similitudinem humanæ carni in Incarnatione supersedit, eíque personaliter adhæsit.

B. V. terra Hævilath seu dolens super Christo patiente.

B. V. Terra in qua invenitur Bdellium, & Lapis Onychinus.

16. Hæc est Terra Geraræ Gen. 26. in qua seminavit Isaac, & invenit illô annô centuplum. Geraræ interpretatur *Advenæ appropinquantes;* quia illi, qui priùs Advenæ erant â Deo, per orationes, atque exempla Mariæ, eidem Deo ap-

B. V. terra Geraræ, quia per ejus orationes & exempla, prius Advenæ modo appropinquamus ad Deum.

propinquant. Atque ita fit, ut, qui in hac Virginea Terra seminaverint, expendentes ad honorem ejus, quæ sunt temporalia, inveniant etiam ipsô annô, in præsenti scilicet vita, multam, per centuplum significatam, retributionem. Convertit enim quosdam ab errore viæ suæ, quosdam pacificat filio, quibusdam dat gratiam continendi, quosdam humiles, quosdam largos, quosdam misericordes, quosdam facit pacificos, quibusdam variarum largitur vestimenta Virtutum, quosdam Prophetas, ac Sapientes constituit Sap.7. & in animas sanctas se transfert &c. Ecce centuplicatio eorum, quæ seminaveris in hac Terra.

17. Hæc est Terra illa, de qua Ezech. 20. *Dedi eis Terram fluentem lacte, & melle, præcipuum omnium Terrarum*: Hæc est Terra, de qua Moyses Deut.8. *Terra rivorum, aquarum, & fontium, in cujus campis, & montibus erumpunt fluviorum abyssi. Terra frumenti, hordei, & Vinearum, in qua ficus, & malo granatum, & oliveta nascuntur.* Terra olei, & mellis, ubi absque penuria panis comeditur. Verè Maria est Terra rivorum, aquarum, fontium, & fluviorum, per quæ omnium figurantur dona, & charismata, gratiæ & virtutes, quæ per eam Mundus habuit. Ipsa est Terra frumenti, quia nobis peperit Christum, qui se dicit *granum frumenti.* Joan. 12. Ipsa Terra hordei, quod est frigidæ naturæ, ex quo fit potus febricitantibus ad caloris refrigeriem, quia peccatoribus, febri cupiditatum æstuantibus, attulit medicinam. Ipsa est Terra Vinearum, quia ab ipsa vinô multiplicis lætitiæ, ac consolationis potamur. Quarè ad illam oculi mentis in tribulatione maximè nobis attollendi sunt; ut verificetur illud Deut.33. *Oculi Jacobi in Terram frumenti, & Vini.* Quisque enim Luctator in hac Vita

B.V. terra lacte & melle fluens omnibusq; ad alimentum nostrum abundans.

contra vitia velut alter Jacob ad adjutorium Mariæ debet aspirare.

18. Hæc est *Terra appensa super nihilum*, ut ait Job. 26. Humilitatis: Vera enim humilitas, quæ soli Deo innititur, infra se nil videt nisi nihilum; defectus videlicet proprios, mundíque Vanitatem. De hac Terra super proprium nihileitatis propriæ appensa Jerem. c. 4. de Deo loquens: *Aspexit Terram, & ecce vacua erat, & nihil,* in oculis videlicet propriis.

B.V. Terra appensa super nihilum humilitatis.

19. Hæc denique est Terra illa, de qua Isa. 40. de Deo loquens: *Qui appendit tribus digitis molem Terræ; hi tres digiti operationem designant Trinitatis: Pollex indicat potentiam Patris; Index Sapientiam Filij; Tertius, qui dicitur Magister, notat Magisterium Spiritus Sancti; cujus unctio docet de omnibus* 1. Joan. 2. *Porro sicut res appensa illi soli innititur, à quo dependet; Sic Maria soli divino adjutorio innitebatur. Unde* Cant. 8. *dicitur innixa super dilectum suum.* Ita Rich. apud quem plura alia de Terra, ut repræsentat Virginem videri poterunt.

B. V. est terra, de qua dicitur appendit tribus digitis molem terræ.

20. Ex his omnibus Patrum testimoniis manifestum evadit, Universorum Opificem, cùm terram conderet, in Virginem hanc pietatis suæ defixisse oculos, ut omnes terræ proprietates, ac perfectiones in eam transferret. Quod agnoscens Virgo Prov. 8. gloriabatur: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Sive ùt legere 70. Interpp. *Quando fortia faciebat fundamenta terræ,* dans nimirum ei æquilibrium, & centrum gravitatis, ac magnitudinis. Quasi diceret Virgo: Cùm Universorum Conditor terram cum omnibus suis ornamentis crearet, eíque hæc duo centra, quibus velut quibusdam quasi fundamentis nixa, suam stabilitatem sortita est, commu-

Orbis terrarū continet centrum magnitudinis, & gravitatis.

municaret, me præ oculis suæ divinissimæ mentis habuit, mihíque non solùm terræ proprietates, ac perfectiones, verùm etiam centri utriusque qualitates attribuit. Centrum porrò magnitudinis est punctum in medio universi totius, ex quo æquales undiq; usque ad ultimam Sphæram lineæ extenduntur. Centrum verò gravitatis est punctum, à quo lineæ ad terræ ipsius peripheriam æquales protenduntur, & in quo terræ pondus libratis hinc inde momentis æquale est, ita, ut consistat in æquilibrio, nec in illam magis partem, quàm in istam propendeat. De duobus hisce Centris locutum censuerim Ovid. lib. 1. Metamorph. Cùm de terra loquens dixit:

Ponderibus librata suis:

Et paucis interpositis:

Densior his Tellus, elementáque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui; circumfluus humor
Ultima possedit, solidúmque coërcuit orbem.

Et Rursus:

Principio Terram; ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.

Hæc verò magnitudinis ac gravitatis Centra idem omninò esse docet Clavius in Cap. 1. Sphæræ Joannis de sacro Bosco. Idem ibidem multis argumentis, ac demonstrationibus ab experientia &c. ductis probat; Terram respectu totius Universi, ac præsertim firmamenti, imò & solius solis, totam hanc Terræ molem nullius ferè sensibilis, & notabilis esse qualitatis, sed ad instar puncti, etiam respectu minimæ stellæ firmamenti.

Centrum gravitatis & magnitudinis idem esse docet Clavius.

21. Quæ omnia, quàm optimè Virgini conveniant Deiparæ, videamus; Ipsa revera est Centrum gravitatis, ob profundissimam humilitatem, quâ se in oculis suis minimam esse, & ad instar puncti, seu nihili respectu sui potissimùm Creatoris esse cognoscebat. Hinc S. Bernardus serm. 2. de Pentecoste eam *Terræ medium*, id est, Centrum sive punctum appellavit: Cùm enim de Verbi incarnatione in Utero Virginis Mariæ facta loqueretur; hæc attexuit: *Tunc jam operabatur salutem nostram in medio Terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate, Terræ medium appellatur;* Ut porrò ostenderet Creaturarum omnium lineas Centrum hoc spectare, & ad illam ferri, mox hæc addidit: *Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum Causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in Cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis; illi, qui sunt in Cælo, ut resarciantur, & qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur, qui sequuntur, ut glorificentur. Ideò Beatam, te dicunt omnes generationes Dei Genitrix, Domina Mundi, Regina Cæli, quia omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti! In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores Veniam invenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius Creaturæ, quia in te, & per te, benigna manus Omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit.* Hæc ille.

Virgineo terrarum orbi convenit centrum gravitatis & magnitudinis.

Ad B.V. velut ad centrum omnia respiciunt.

22. Quibus sanè ostendit perspicuè, Divinum Verbum humanitatem nostram in utero Virginis, velut in Centro Terræ assumendo, Creaturas omnes instauràsse, pristinæque dignitati restituisse; Cùm humanitas illa Creaturarum omnium tam Cælestium, quàm terrestrium

In utero Virginis velut in centro terræ Uterum divinum humanitatem assumens omnes creaturas restauravit.

um fuerit Compendium, & anacephalæosis quædam pulcherrima. Audiendus quoque est hîc Anastasius Synaita lib. 2. in Hexam. *Fecit salutem,* inquit, *in medio Terræ, utpote qui habitaverit in medio terreni uteri Virginis Mariæ.* Ad hoc ipse Dei Filius allusisse visus est, cùm æterno Patri loquens Psal. 138. v. 15. ajebat: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus Terræ:* sivè, ut Hebræus legit: *In utero Matris meæ.*

Uterus Virginis terræ medium in quo DEus operatus est salutē.

23. Audiendus denique Venerabilis Richardus à S. Laurentio lib. 8. de laude B. V. ubi interpretans illud Psalmi 73. *DEus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio Terræ, id est,* inquit, *in Utero Virginis, qui mirabili proprietate Terræ medium dicitur, utpote Centrum medium circumferentiæ: Sicut enim punctum in medio figitur, à quo linea inchoata in longum protenditur; Sic Maria in tribubus Israël minima, ad exemplum totius mundi quasi protensa proponitur. Punctum quoque in Circulo est humilitas Mariæ; circumferentia verò continentia totius creaturæ, & maximè salvandorum. Unde fatetur ipsa* Eccl. 24. *Gyrum Cœli circuivi sola. Maria denique Centrum mundi dicitur, quia ex omni parte mundi omnibus ad eam recurrendum in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes Circumferentiæ recurrunt ad Centrum.* Sic Rich. Idem hoc Terræ medium, in quo Rex noster salutem nostram operatus est, *Uterum Virginis,* Hieronymus, Ruffinus, Procopius apud Lorinum in Psal. 73. esse dicunt.

Punctum in circulo est humilitas Mariæ, circumferentia verò continentia totiùs creaturæ.

24. In eodem hoc Terræ medio salutem nostram, olim â Mundi Salvatore operandam Vaticinatus est Isaias Cap. 10. 22. Cùm dixit. *Consummationem & elevationem, sive abbreviationem, Dominus Deus exercituum faciet in medio orbis Terrarum;* Sive, ut legêre 70. Interpp. & S. Paulus Rom. 9. v. 27. *Verbum abbreviatum faciet Dominus.* Verè enim, cùm Deus humanitatem nostram in medio terræ uteri Virginalis assumpsit, fecit consummationem, suas illi perfectiones, quantùm Creatura capax esse poterat illi Communicando, eámq; omnibus numeris consummando, atque absolvendo. Verè idem incarnatum Verbum ejusdem naturæ fecit elevationem; cùm enim naturâ suâ corpus hoc nostrum, hæc caro nostra sit terra & limus, pulvis & Cinis, ab hac vilitate elevata; ad Hypostaticæ Unionis dignitatem exaltata, atque Deificata est. Unde sancti Patres Incarnationis Augustissimæ mysterium, elevationem totius Creaturæ in Deum appellavêre. Verè denique magnus ille Dominus Deus, exercituum Angelicorum Imperator, cujus magnitudinem tota rerum Universitas nequit comprehendere, fecit abbreviationem in hoc Terræ Virgineæ medio, dum novem mensibus in purissimo Virginis utero immensus ille Gigas, qui stans in terra, vertice attingebat cœlum, delitescere, & tantilla in corpusculo coarctari, infinitúmque atq; æternum illud Verbum abbreviari non est amore nostrî dedignatum. Quæ sanè Divini Verbi in utero Virginali facta abbreviatio perinde nobis mirabilis esse debet, atque si immensum quempiam circulum punctô concludi cerneremus. Unde miraculum hoc tàm inauditum contemplans Bauhusius noster lib. 5. Epigr. Cecinit.

In utero Virginis B. fecit DEus Elevationem, consummationem, & abbreviationem.

Incarnationis Mysterium elevatio omnis creaturæ in DEum.

Abbreviationem divini Verbi in utero Virginis cecinit Bauhusius noster Epig. lib. 5.

Stupesce terra! olympicum
Interminum Numen, Chao,
Omníque principio prius,
Cœli sator Decemplicis,
Et flammei Arbiter ætheris,
Hic hic puellæ parvulæ,
Et vix trilustris Virginis

Utero

Utero Mariæ clauditur.
Vah! punctus ambit Circulum.

25. Abbreviationem hanc infiniti, immensíque Divinitatis circuli in puncto, sive centro humilitatis Virgineæ admiratus, inquit mellifluus Bern. serm. 1. de Nat. Domini. *Deus Pater Verbum fecit abbreviatum: Vultis noscere quàm longum, quàm breve fecit? Cælum, inquit hoc Verbum, & terram ego impleo. Nunc caro factum in angusto locatum præsepio est. A sæculo, & usq; in sæculum, ait Propheta, tu es Deus, & ecce factus est infans unius Diei. Ad quid hoc, aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus Majestatis, nisi, ut vos similiter faciatis? Jam clamat exemplo, quod postea prædicaturus est verbo: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* De eodem hoc in medio terræ Virginalis abbreviato Verbo sic loquitur serm. 1. de Circumcis. idem S. Doctor, expendens Verba illa Evang. *Ut circumcideretur Puer. Audivimus paucis expressum magnum pietatis sacramentum; audivimus congruam lectionem Verbo abbreviato, quod fecit Dominus super terram: Abbreviatum enim in carne, ampliùs abbreviatur susceptâ etiam Carnis circumcisione. Minoratus paulò minùs ab Angelis Dei filius humanam naturam induit, sed jam nec ipsum respuens remedium humanæ corruptionis, planè multò minùs minoratus est ab eis.* Hæc Bern.

Abbreviationem divini Verbi in utero B.V. mellifluè describit S. Bernardus.

26. Quibus sanè pulchrè ostendit, verbum illud æternum velut magnitudinis Centrum in medio totius universi constitutum, medio seu centro gravitatis, humilitatis scilicet Virgineæ unitum, humanitatem nostram de ejus purissimo utero assumendo, fuisse abbreviatum, atq; ita terram Universam, atque adeò mortales omnes justissimam Numinis iram formidantes, motu trepidationis liberâsse, eíque quietem, pacem, ac tranquillitatem indulsisse; cùm ipsa sit requies animabus nostris, & Deus pacis, qui fecit utraque unum. Et hoc fortasse nobis innuisse visus est Regius Vates Psalm. 75. quando cum Deo hoc terribili, cujus fortitudo similis erat Rhinoceroti, cum illo Deo ultionum, vindicante peccata Patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem, loquens ajebat: *De cælo auditum fecisti judicium: terra tremuit,* à voc evidelicet tonitrui horrisonæ vocis ejus. *Et quievit, cùm exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.* Incarnatio siquidem Verbi judicium quoddam fuisse videtur, quô contra mundum, tartareósque hostes, captivum genus humanum per summam injuriam, nefásque detinentes, processit. Unde Propheta Regius ad incarnationem Verbi anhelans, eámq; ardentissimis desideriis expetens, ingemiscens Deum Patrem precabatur Psal. 71. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis: judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio. Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem,* nempe tartareum Draconem magnum, serpentem antiquum, fratrum accusatorem, de quo Apoc. 12. v. 10. Porro ut ostendat Dei filium, Verbum æternum, centrum quasi Trinitatis creaturarùmq; omnium se expetere, de Regni ejus, ac judiciariæ potestatis æternitate, hæc subjungit: *Et permanebit cum sole, & ante Lunam in generationem, & generationem.* Igitur Sanctus David deprecatione hâc tam humili, judiciorum Divinorum severitatem expavescens, aliud nil desiderabat, quàm ut Deus Pater sceptrum suum concederet filio, eíque virgam virtutis suæ, dominantem in medio inimicorum suorum traderet, quæ

Verbum divinum velut magnitudinis centrum in medio totius universi constitutum, medio seu centro gravitatis, humilitatis scilicet Virgineæ unitum, mortale genus à justissimæ trepidationis motu liberavit.

Incarnatio Verbi Divini judiciũ quoddam fecit, contra mundum & dæmonem.

S. David petit ut Deus Pater filio suo sceptrum seu virgam virtutis tradat.

 mox

mox florida, utpote de radice Jesse ascendens futura erat, magnáq; cum suavitate mansuetos terræ, non immutando naturam, quæ immutabilis est, utpote Divina, sed majora Clementiæ, misericordiæ, benignitatísq; argumenta demonstrando judicatura. Hinc Chaldæus Paraphrastes vertit aptissimè: *DEus itinera rigoris tui, vel sententiam judiciorum tuorum Regi Messiæ da.*

27. Quò verò ostendat David, Verbum incarnatum cordis sui, omniúmque desideriorum magnitudinis Centrum esse, ad quod affectuum suorum, quasi lineæ semper protenderentur, ínque eo solo conquiescerent, Psalmum illum, licèt postremus non esset, ita conclusit: *Completæ sunt, seu defecerunt orationes David filij Jesse.* Habitâ enim revelatione de Verbo incarnando, déque ejus florentissimo Regno, gubernandíque suavitate, fatetur sibi jam suspiria, lacrymas, aspirationes, affectúsque illos ardentissimos, orationesque omnes defecisse, & in illo velut Centro pausâsse.

David in Verbo incarnato se votorum suorum centrum invenisse testatur.

28. Idem Propheta in persona sive sua, sive Messiæ rursus Psal. 85. ib. horribilia Dei judicia expavescens, horrendúmque sibi persuadens in manus illius Dei viventis incidere, humiliter exorabat. *Respice in me, & miserere mei: Da imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.* Noverat enim hunc ultionum Dominum, ùt postea vidit Hieremias; Virgam vigilantem severè percutientem, manu gestare, de qua Hier. 1. *Virgam vigilantem ego video.* sive ut Legêre 70. Interp. *Baculum nuceum.* Sive, ut Theodotion. *Virgam amygdalinam ego video;* quibus versionibus & dura, & accelerata Dei justissimè in peccata hominum desævientis declarantur judicia. Quemadmodùm enim amygdalus ante omnes arbores gemmat, floret, fructúsque producit, ut omnium arborum celerrima videatur; ita olim Dei ad mortalium actiones intuendas excubans oculus, ejusdémque rigidissima justitia ad impiorum ulciscenda scelera comparata fuisse videbatur. Noverat deníque David manum semper ad percutiendum extentam DEum habere, ac proinde Dei filium humanitate nostra circumdatum mitti ad judicandum quamprimùm anxiis desideriis expetebat.

David deprecatur judicia Dei horrenda.

Amygdalina virga symbolum est Nemesis divinæ.

28. De judicij hujus mansuetudine, ac suavitate præclarè nobis Pater æternus testificatus est. Isa. 42. v. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in eo anima mea; dedi spiritum meum* (qui est Spiritus Bonitatis, & super mel dulcis) *super eum; judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, linum fumigans non extinguet;* quibus proverbiis è vulgo petitis sine dubio uti voluit Isaias ad mansuetudinem, benignissimámq; naturam Regis Messiæ, ad benefaciendum propensam, quæ nemini noceat, neminem in ruinam impellat, quæ calamum quassatum non conterere, sed potiùs coaugmentare studeat; linum fumigans non extinguat, sed magìs exuscitare conetur, declarandam. Nulla siquidem corona Rege dignior reperiri potest, quàm Clementia. Unde Seneca Philosophus l. 1. de Clem. cap. ult. *Nullum ornamentum fastigio dignius, pulchriúsq; est, quàm illa Corona ob cives servatos, non hostilia arma detracta victis, non currus Barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia; hæc Divina potentia est, gregatim & publicè servare.* Unde colligimus Messiam publicam omnium salutem procurando, se DEum Omnipotentem ostendisse. Occidere enim, spoliare, vincere, humanum potius quid est, quàm

Judicium filij Dei incarnati mansuetissimum.

Nullum Ornamentum Fastigio dignius & pulchrius, quam corona ob cives servatos.

Clementiæ ac pietati Conſtantini aurea debebatur corona.

quàm Divinum. Hinc Auctor Panegyrici ad Conſtantinum Imperatorem, ejus pietati ac Clementiæ dat coronam tanquam Regum omnium potentiſſimo: *Meritò tibi Conſtantine, & nuper Senatus ſignum dedit, & paulò antè Italia ſcutum, & Coronam, cuncta aurea dedicarunt, ut conſcientiæ debitum aliqua ex parte revelarent. Debetur enim, & ſæpè debetur, & Divinitati ſimulachrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati.* Sic ille.

29. Hanc coronatam pietatem, humanitatem, ac manſuetudinem, ab agna illa manſuetiſſima (Ita enim illam Georgius Nicomed. in orat. de Præſent. B. V. Deiparam appellat) velut immaculatus Agnus, noſtræ carnis vellere in ejus utero ſe contegens, centrúmque ſuæ diviniſſimæ Magnitudinis, cum centro gravitatis, id eſt Virgineæ humilitatis uniens, illudque quaſi penetrans, ſibique identificans quodammodò ob identitatem illam carnis, quam de Virgine aſſumpſit, mutuatus eſt, terramque ſtabilivit, mortaléſque à motu trepidationis Divinorum judiciorum liberavit. Præclarè enim Pater Cornelius noſter in Eccleſiaſt. C. I. v. 4. in illa verba: *Terra autem in æternum ſtat. Cum,* inquit, *punctum hoc, quod & centrum gravitatis terræ penetrat, punctum magnitudinis totius mundi, ex quo lineæ ad cœli ſuperficiem protenduntur, terra quieſcit. Cúmque hoc centrum gravitatis latitudinem non habeat, ſed re ipſa indiviſibile ſit, ſequitur, ſi ex una parte terræ gravitas magis ponderet, mutari centrum gravitatis, & ita Terram in eo ſtatu, quo antea erat, non quieſcere: Nam impoſſibile eſt terram quieſcere, niſi punctum ſuæ gravitatis, à quo lineæ ad extremam terræ peripheriam protenduntur, penetret, & reſpondeat puncto totius orbis, quod eſt centrum magnitudinis, alioquin ſurſum maneret: ſurſum enim eſſe, idem eſt, quod ſupra centrum magnitudinis univerſi quieſcere. Mutatô igitur centrô gravitatis, quantumvis parva mutatio ſit, terra movebitur motu quodam trepidationis. Neceſſe eſt igitur, ut punctum hoc gravitatis reſpondeat, & penetret punctum totius orbis, & ita rurſus ponderibus ſuis æquè ex omni parte librata quieſcet.* Sic ille.

Clementiam ſuam ac manſuetudinē verbum incarnatum à B.V. tanquam agna manſuetiſſima accepit.

Dum centrum diviniſſimæ magnitudinis, cum centro Virgineæ gravitatis ſeu humilitatis conjunxit verbum divinum, mortales à motu trepidationis abſoluit.

Centrum magnitudinis & gravitatis idem eſt.

30. Ex quibus colligimus centrum gravitatis, & magnitudinis idem omnino eſſe, uti ſuprà memoravimus, ſolúmque juxta noſtrum concipiendi modum prout videlicet centrum magnitudinis centro gravitatis unitum, aut penetratum, vel non penetratum mente apprehendimus. Quæ ſanè centrorum unio, ſive penetratio, aut incorporatio, ut ita dicam, Deitatem quandam carnis Incarnati Verbi, ut antea diximus, nobis ob oculos proponit. Unde S. Auguſtinus & Arnoldus Carnotenſis: *Una eſt Chriſti, & Mariæ caro, unus Spiritus, unitas diviſionem neſciens, nec ſcinditur in partes.*

Identitas vel Unio centri magnitudinis cum centro gravitatis adumbrat Incarnationem.

31. Unionem hanc arctiſſimam, & quaſi penetrationem magnitudinis centri Diviniſſimi cum centro uteri Virginalis, ipſum Incarnatum Verbum oſtendiſſe nobis viſum eſt, dum per Davidem ita Patri loquitur Pſal. 21. v. 19. *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ.* Unde Tertullianus lib. de Carn. Chriſti cap. 20. legit. *Avulſiſti me de utero,* Quæ Verba librans, oſtendit planè centrum magnitudinis cum centro gravitatis in Virginis utero fuiſſe incorporatum. *Quid avellitur,* inquiens, *ni quod inhæret, quod infixum, quod innexum eſt ei, à quo ut auferatur, avellitur;* & paucis intercalatis. *Etiam*

Centrum magnitudinis divinæ, cum centro gravitatis ſeu humilitatis Virgineæ in utero incorporatum fuit; & quies absque ullo motu Trepidationis humano generi collata.

D cum

cùm quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur cum eo, cui agglutinatur, ut, cùm avellitur, rapiat secum aliquid ex corpore, cui avellitur. Quibus sanè pulchrè centri cum centro penetrationem, atque inviscerationem expressit: Quasi diceret; adeò Dei filius in utero purissimo flore virtutum omnium, ac præsertim humilitatis virginitatisque ornatissimo libenter habitavit, ut præcepto quasi cogente Patris, inde vi quâdam avelli videretur, cùm in illa velut in centro suavissimè, & ipse conquieverit, & ipsi Virgini, imò & generi humano quietem absque ullo trepidationis motu impertitus fuerit. Et hoc fortassis est, quod David dicere voluit, cùm de Virgine loquens pronunciavit Psal. 45. 6. *Deus in medio ejus non commovebitur*, quia videlicet in illa velut in centro gravitatis infinitum illud Divinæ magnitudinis centrum incorporatum fuit.

DEum esse centrum magnitudinis totius universi antiqui docuêre Philosophi & ex Philosopho factus Doctor Ecclesiæ Dyonisius Areopagita.

32. DEum porrò, atque adeò Verbum Divinum, centrum magnitudinis totius esse universi, docuêre etiam antiqui Philosophi, cùm dixêre DEum creaturarum omnium centrum esse; sensit hoc Plato, cùm dixit: *Bonum esse in centro, pulchritudinem verò ejus in periferia* in creaturis videlicet, in quas perfectiones ejus velut lineæ à centro pretenduntur. Sensit & Mercurius Trismegistus, cùm asseveravit in Pimandro, *DEum sphæram quandam intelligibilem esse, cujus centrum ubique esset, circumferentia verò nusquam.* Hinc magnus Areopagita Dionysius ex ethnico Philosopho, antiquissimus Ecclesiæ Doctor lib. de Divinis Nom. *Sphæra totius Universi DEUM centrum vocitavit.* Hinc Synesius Hymno primo DEum piè salutans centrum magnitudinis esse dixit.

Μέγα χαῖρε κέντρον ὄντων
Magnum Salve Centrum rerum.
Et Hymno 3.
ὄντων σπέρμα,
πάντων κέντρον,
Κόσμου ῥίζα.
hoc est.
Entium semen
Omnium centrum
Mundi radix.

33. Omnium verè centrum, atque adeò ipsius quodammodo Divinitatis æternum illud increatúmque est verbum, cùm media sit Persona inter Patrem, & Spiritum Sanctum, in quam velut in centrum tam amor substantialis Patris, quàm ipsius Divinissimi Spiritûs, qui personalis est charitas, æternùm tendit. Unde, ut se rerum omnium centrum esse ostenderet semper medium, postquam in medium centrum uteri Virginalis incorporatus est, deligere sibi visus est. Unde in medio noctis incarnatus fuisse creditur.

Verbum divinum centrum SS. Trinitatis, quia medium inter Patrem & Spiritum Sanctum.

34. Hoc nobis innuit Salomon, *dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus Domine, de cœlo durus debellator à Regalibus sedibus prosilivit.* Sap. 18. 14. Quæ verba Guerricus Abbas piissimus ponderans serm. 1. de Annunc. ita loquitur: *Bonus planè sermo, & consolatorius omnipotens sermo tuus Domine, qui hodie à Regalibus sedibus venit in uterum Virginis, ubi etiam sedem sibi Regalem exstruxit, in qua, cùm etiam nunc sedeat, quasi Rex circumstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium consolator in terris. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles, ut æterno Regi, Filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à* Rega-

Uterus B. V. regalis sedes, Thronus, tabernaculum ad pugnandum, & cathedra ad docendum dicitur.

Regali sede Patris, Regalis etiam thronus in aula Virginali Reginæ susciperet Matris; in ipsa quippe, & ex ipsa, sapientia ædificavit sibi Domum, in ipsa, & ex ipsa paravit sibi thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi ad omnia perfectum, & congruum, ut & domus sit ei ad quiescendum, & thronus ad judicandum, quod primo tabernaculum ei fuit adpugnandum, & cathedra ad docendum. Hactenus Guerricus.

35. Eadem illa verba Salomonis de Nat. Christi media nocte facta, concinit Ecclesia; in quâ Nativitate ut se centrum creaturarum omnium ostenderet in præsepio, in medio duorum animalium collocari voluit. Unde Abac. 3. juxta 70. Interpp. *In medio duorum animalium cognosceris.* In templo quoque Virgo cum Josepho, eum in medio Doctorum velut solem cuncta illuminantem repererunt. Luc. 2. & Luc. 4. *JESUS autem transiens per medium illorum ibat.* Ipse etiam de se fatetur Matth. 18. *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum.* Similiter Luc. 22. ipse loquitur: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat,* Joannes Baptista Joan. 1. de incarnato Verbo loquens: *Medius,* inquit, *vestrum stetit, quem vos nescitis.* In transfiguratione quoque visus est inter Moysen, & Eliam in monte Thabor. Neque verò vivens medium velut centrum elegit, verùm etiam moriens. Inter duos enim latrones cruci affixus est. *Medium autem JESUM,* inquit, Joan. 19. A mortuis resurgens medium similiter elegit inter Discipulos, sicut sol in medio Planetarum, sicut Dux in medio exercitûs, sicut cor in medio corpore. Unde Joannes cap. 20. *Stetit JESUS in medio Discipulorum suorum.* Idem denique Joannes Apoc. 1. Vidit illum jam in æterna gloria regnantem *in medio septem candelabrorum aureorum,* & c. 7. Vidit eundem in medio throni, omniumque Beatorum: *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Verbum divinum incarnatum, ut se centrum creaturarum omnium ostenderet, in præsepio, in templo, in monte thabor, in monte Calvariæ, inter discipulos, medium eligit.

36. Cùm igitur salvator & vivens, & moriens, resurgens, & in cœlis regnans semper velut centrum in medio substiterit; quid mirum, si in medio Terræ Virgineæ homo factus tanquam centrum magnitudinis illius immensæ, se se centrô gravitatis, humilitatis videlicet ipsius univerit, atque incorporârit, ut terrigenas à motu trepidationis, quoad Divinorum Judiciorum severitatem concuti, quodamodò videbantur, liberaret, eisque quietem, pacem, ac tranquillitatem optatissimam impertiretur?

Verbum divinum in medio terræ Virgineæ homo factus, tanquam centrum magnitudinis centro gravitatis conjungens mortales à motu trepidationis liberavit.

37. De utroque hoc Terræ centro Pater æternus, cui mundi creatio appropriatur, sciscitabatur ex Jobo cap. 38. 4. volens ei suam sapientiam, providentiámque erga mortales demonstrare; *Ubi eras,* inquit, Universi conditor, *quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam: quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super qua bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus, cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii DEI?* Ubi centrum gravitatis videmus vocari fundamentum, basimque terræ. Quemadmodùm enim fundamento, totum domûs, aut palatii cujuspiam ædificium, & basi columnæ moles innititur, ita centro gravitatis tota terræ machina fulcitur, ac stabilitur, ut meritò dixerit David: *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum.* Psal. 103. 5. sive, ut legit Aquila, & symmachus. *Fundasti terram super sedem tuam.* D. Hie-

Centrum gravitatis in scriptura vocatur fundamentum, & Basis terræ.

Hieron. ex Hebr. *Super basim tuam:* Quæ omnia Theodoretus paucis explicare visus est: *Cum ipsam*, inquiens, *super se ipsam fabricasset dedit ipsi, ut nunquam moveatur, & hoc modo permaneat.* Quod fundamentũ sive basim sive centrum, quô tota terræ moles innititur, quia indivisibile est ad instar puncti; jure merito ab eodem Jobo. cap. 26. v. 17. *Terra appensa*, sive juxta 70. Interpp, *suspensa*, super nihilum perhibetur.

Centrum magnitudinis lapis angularis à Jobo dicitur.

38. Idem Jobus loco sup. cit. centrum magnitudinis, quod ipsum DEum, æternúmque Verbum jam sæpiùs esse diximus, terræ lapidem angularem appellat; Unde Doctor Angelicus eum ipsum centrum terræ esse dixit, in quod omnes circumferentiæ lineas coire nobis imaginamur, tanquam in conum, sive angulum, qui diversas partes connectit: & cùm centrum sit punctum quoddam, aptè dicetur habere rationem anguli, qui in puncto consistit.

39. Lapidem porrò hunc angularem incarnatum esse Verbum, evidens est ex sacris litteris: Unde Deus Pater de incarnatione loquens. Isa. 28. ib. *Mittam in fundamentis sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Quibus repetitis verbis ostendit centrum magnitudinis cùm centro gravitatis, in hac Terra Virginea, in hac animata Sione unitum, atque incorporatum esse, & verè in fundamento 1. centro gravitatis fundatum, simul in unum quodammodò ob carnis illam quandam identitatem coalvisse. Ut tandem & nos tanquam lapides vivi superædificemur, ut ait Petrus Apostolus 1. epist. cap. 2. & Paulus ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo JEsu.* Super quem lapidem tanquam firmissimum centrum Terrigenæ fundati motum trepidationis, quô ante Incarnationem terrore Divinorum judiciorum conservati agitabantur, ampliùs minimè pertimescunt. Verissimè enim ibidem dixit Apostolus v. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, medium parietem materiæ, solvens inimicitias in carne sua, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Audiendus hic Guerricus Abbas, Serm. 2. de Annunc. qui de Augustissimo loquens Incarnationis mysterio, in quo centrum Divinæ magnitudinis unitum est centro barico humilitatis Virgineæ, ita loquitur: *Hodie sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in utero Virginis, & ad ædificandam unitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus abscidit; dum sine opere humano de corpore Virginali carnem sibi nostræ Redemptionis separavit. Ab hoc ergo die Dominus Virtutum nobiscum, susceptor noster DEUS Jacob; quia Domini est assumptio nostra, ut habitet gloria in terra nostra.* Sic ille.

Per Incarnationem Verbum divinum centrum magnitudinis, quia divinitatis, unitum est, centro gravitatis Virgineæ, seu humilitatis, ut tandem & nos tanquam lapides vivi superædificemur.

Sapientia ædificavit sibi domum in utero Virginis ad unitatem Ecclesiæ ædificandam.

40. Lapidem porrò hunc angularem Incarnatum esse Verbum declarant etiam Jobi verba sequentia: *Cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii DEI:* sive ut legit Chaldæus: *& jubilarent omnes acies Angelorum.* sive ut 70. Interpp. *Laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Cùm enim DEI Filius centrum illud magnitudinis immensæ cum centrobarica humilitatis, uterique Virginalis unitum atque incorporatum est, tunc orbes omnes cœlestes, sydera ac Planetæ mirificâ suâ luce, virtutéque, quâ pollent, DEUM Creatorem laudare, ipsi quoque Angelicarum Hierarchiarum Exercitus animitus exultare, ac jubilare cœpe-

In Incarnatione, dum centrum magnitudinis, lapis Angularis, Filius DEI conjungitur cum centro gravitatis Virgineæ lætantur omnes Angeli.

cœperunt. Gaudebant enim Angeli, cœli, syderáque naturam suam ex hac centrorum conjunctione in utero Virginis ad Hypostaticæ unionis gloriam elevari. Centrum enim illud diviniſſimæ Magnitudinis centro uteri Virginalis sese uniendo, atque incorporando, radios quoque suos, sive lineas perfectionum suarum ad ultimam cœli peripheriam sese extendentes, & ad ipsos Angelos pertingentes, eôdem illô centrô uteri Virginalis conclusisse visum, est, ut non solùm Virgo lineas omnes terrenæ circumferentiæ, Creaturarúmque perfectiones in se contineret, verùm etiam cœlestium orbium, stellarum tam fixarum, quàm errantium complecteretur; eásque Divinæ Personæ Verbi hypostatica unione sociando Deificaret. Congruè igitur Job asserit, quòd, cùm Deus Pater demittebat lapidem illum angularem, sive centrum magnitudinis, illudque cum centro terræ incorporabat, Astra matutina cum exercitibus Angelicis jubilâsse, quia & suam naturam, omnémque creaturam etiam terrestrem, ex hac centrorum conjunctione nobilitandam imò Deificandam prævidebant.

41. Agnovit Virginem centrum esse ipsius centri Divinæ magnitudinis Verbi æterni, atque adeò creaturarum ad instar linearum ab ipso dependentium B. Petrus Card. Dam. Serm. de Annunc. B. V. ubi dixit: *Cùm fecerit DEUS omnia opera sua valde bona, hoc meliùs fecit consecrans sibi in Virgine reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum & hominum reclinaret, & requiem inveniret.* Tum mysterium tantum obstupescens, beneficiáque creaturis omnibus communicata commemorans hæc attexit: *Hoc est, quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremit terra, infernus exhorret. In hujus verô Majestas altiſſimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe & pinguedine replevit terras, infudit cœlos, inferna respersit. Hic exinanivit semetipsum excelsus & immensus, effectus videlicet centrum, ac indivisibile punctum, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam mittens in sinum nostrum. Hic divinis manibus unctus est oleô lætitiæ, & sicut ad altare summum in Pontificem consecratus, totúmque corpus machinæ mundialis longiori ligamine copulavit; ostendens revera se summum esse sacerdotem, in cujus veste poderis totus erat descriptus orbis terrarum, ut ait sapiens.* Tandem ad lætitiam, ad jubilationem cum Angelis, reliquísque creaturis nos ob hanc Deificationem invitans, hæc addidit: *Facessat igitur mæror, tristitia fugiat, eliminetur dolor, rancor abscedat, ut liceat vocare, & vacare cum Moyse visionem hanc grandem, qualiter DEus in hoc ventre concipiatur, decipiatur Diabolus, recipiatur perditum, indebitum accipiatur. Totum me trahit affectus, sed oratio deficit, & dives cogitatio vocis paupertate confunditur; Fervent interiora, & in undosam ebulliunt altitudinem, sed frigiditas linguæ cumulos refrigerat exundantes.* Denique centrum Divinæ illius immensæque Magnitudinis centrobaricæ, humilitatis parvitatisque Virgineæ, unitum contemplans, præ admiratione quasi extra se positus ita prosequitur: *Missus est ergo Angelus Gabriel à Deo ad Virginem, quæ, postquam ei locutus est, sensit DEUM suis illapsum visceribus, Majestatémque illius Virginalis ventris brevitate conclusam.* Tum tantæ, tamque inusitatæ rei stupore attonitus in illam prorupit exclamationem: *O venter diffusior cœlis, terris amplior, capacior elementis, qui totum claudit omnia concludentem,*

Dum Dei Filius incarnatur in utero Virginis, centrum Virgineæ humilitatis & parvitatis, fit centrum ipsius centri divinæ magnitudinis.

tem, in quo DEus gloriæ reclinatur! utique ut centrum magnitudinis in centrobarica humilitatis, parvitatisque Virginalis.

42. Quâ porrò ratione increatum hoc centrum magnitudinem suam, Majestatem, ac gloriam in tam angusto, ac ut ita dicam, indivisibili vteri Virginalis centro restrinxerit, ibíque admiranda quædam intellectum omnem excedentia perpetrârit, præclarè explicat Guerricus Abb. serm. 3. de Annunc. *Omnium*, inquiens, *humanarum infirmitatum, vel injuriarum, quas pro nobis pertulit Divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensium tempore Majestas illa incircumscripta passa est se contineri. Ubi enim se sic exinanivit, aut quando ita penitùs à se ipsa defecisse visa est? tanto tempore nihil illa Sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur: nullo signô visibili Majestas, quæ clausa latet, proditur. Non sic in cruce visus est infirmus, ubi, quod infirmum ipsius fuit, statim apparuit fortius omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & exspirans inspirat centurione; quando horarius dolor passionis, ei non solùm compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In Utero autem sic est, quasi non sit, hic Omnipotens Virtus vacat, quasi nihil possit, & Verbum æternum sub silentio se premit.* Hæc ille.

Quâ ratione in Incarnatione, increatum centrum magnitudinē suam indivisibili Uteri Virginalis centro restrinxerit, explicatur.

43. Quibus sanè luculenter ostendit, quânam ratione, Divinum illud, immensumque centrum Virginalis uteri centrobaricæ incorporatum, magnitudinem Majestatémque suam infinitam abbreviaverit, atque coarctaverit, ac indivisibili puncto concluserit. Quod fortassis nobis indicare voluit Dominus hic immensus, cùm in persona Davidis ipse loquebatur Psal. 72. 22. *Et ego ad nihilum redactus sum, & nescivi;* quia videlicet summa illa sapientia ita siluit ac obmutuit in Utero Matris, atque si nil sciret, essetque rerum omnium ignara. Tunc verè ad nihilum quodammodò magnitudo summa illa centri redacta est cùm centro Terræ Virginalis, quod nihilum supperius appellavit Isaias, unita est, in eóque suavissimè novem ipsis mensibus requievit.

In Incarnatione ad nihilum quodammodo centrum magnitudinis divinæ redactum, cum centro terræ Virginalis unitum.

44. Neque verò Deipara centrum est dumtaxat Filii Dei, verùm etiam gratiarum omnium; centrum denique humanorum cordium: Quare jure dicere possumus Terram hanc Virgineam velut ingentem magnetem esse, qui omnia ad se trahit, quod de hac aspectabili terra somniavit Gilbertus Anglus medicus Londinensis lib. 6. de magnete. Ad illam enim omnia veluti magnete tracta confluunt, tamquam ad fontem, puteúmq; gratiarum cœlestium, adeò, ut inter cœtera ejus elogia illud celebrârit non postremum Sponsus Cant. 4. v. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt cùm impetu,* sive ut vertêre 70. *Cum strepitu de libano.* De hac gratiarum omnium in Virgine velut in centro conquiescente plenitudine præclarè S. Hieron. serm. de assump. salutationem illam librans Angelicam: *Ave gratiâ plena: & bene plena,* inquit, *quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc enim est, quod David canit: Descendit sicut pluvia in vellus. Vellus itaque, cùm sit de corpore, nescit corporis passionem; sic & Virginitas, cùm sit in carne, nescit vitia carnis. Cœlestis planè imber in Virginem, placido se infudit illapsu, & tota Divinitatis*

Maria gratiarum omnium & humanorum cordium centrum, & magnes.

Maria puteus aquarum viventium gratiâ plenus.

nitatis unda se contulit in carnem, quando Verbum caro factum est. Verè plena, per quam largo Spiritûs Sancti imbre superfusa est omnis creatura. Sic ille.

45. Quod si tota Divinitatis unda se contulit in Virginem, cogitandum vobis relinquo, quantus, quàmque amplus fons iste hortorum exstiterit, quàm profundus, quàm latè patens hic puteus aquarum Viventium, quæ fluunt cum impetu de Libano increatæ illius sapientiæ; quæ cùm Libanus, imò candor lucis æternæ sit, & sapientia eadem quasi trames aquæ immensæ de illo fluvio Divinitatis à siracide Eccl. 24. vacitetur, quis quæso intellectus, licèt Angelicus hanc cœlestium aquarum sive gratiarum abyssum, quæ tanto cum impetu in illam velut profundissimum terræ centrum penetrârunt, valebit comprehendere?

Profunditatem est Latepatentiam putei Mariæ nec intellectus Angelicus comprehendere valet.

46. Neque verò solùm Virgo nostra gratiarum omnium est centrum, verùm etiam humanorum cordium, in quo post DEum suavissimè magnâ animi tranquillitate conquiescunt omnes illi, qui Virginem sincerè diligunt, seseque ipsius obsequiis totos mancipârunt. Ut enim elementa in centro nec gravitant, nec levitant, sed quiescunt; ita Virginis clientes in illa, utpote ipsius Domini requie, ut eam Chrysippus Præsbiter vocitat, jucundissimè pausant, ac morantur. Cùm enim amor ad instar momenti sit in voluntate nostra (verissimè enim dixit Augustinus: amor meus, pondus meum, hôc feror, quòcunque feror) eôdem amoris pondere fertur in Virginem, velut in centrum, quicunque eandem magnô pietatis amplectitur affectu. Quare præclarè P. Salazar noster in Cap. 8. Prov. v. 26. n. 336. & 337. Cùm multis ostendisset centrum quoddam esse Deiparam; tandem ita concludit: *Itaque, qui Virginem diligunt impensius, illam loco centri habent, atque adeò erga illos etiam servat omnes centri conditiones: Nam primò illos maxima quadam animi quiete donat; etenim valde proprius benevolentiæ & studii erga Virginem effectus, sedare animum, & pacatam reddere conscientiam. Unde non immeritò pacis fontem eam appellandam duxit Anselmus, & ipsa de se,* Cant. 8. ait: *Facta sum coram ipso, quasi pacem reperiens, scilicet mihi, & aliis.*

In Maria, velut Elementa in suo centro, ita Clientes Virginis quiescunt.

47. *Secundò conservat illos centri in morem: ita enim experiuntur, quotquot Virgini student, in gratia Dei, & honesta vita diutiùs perseverare. Tertiò denique colligit, atque unit arctiùs. Hinc manarunt tot congregationes, & sodalitates Virgini sanctissimæ ubique consecratæ: Nam cùm Virgo centrum sit animarum, illis, qui ipsi sese speciali benevolentia mancipârunt, statim illos unit, ac fœdere arctissimo sociat.* Hæc Salazar.

Maria conservat suos centri in morem in gratia DEI.

48. Addiderim ego Virginem cordibus ipsam inserere charitatem, velut aliud quoddam centrum, à quo variæ virtutum, perfectionúmque lineæ in hujusmodi Parthenios sodales tanquam in pulcherrimum, aureúmque circulum (sic enim mihi sodalitia Virginis appellare libet) protensæ, eosdem mirificè decorant, exornantque. Siquidem uti legimus apud Villeramum Abbatem lib. 3. cap. 8. v. 11. in Cantica: *Charitas veluti centrum in meditullio posita, omnes quasi per circumferentiam virtutes tangit, simulque cordi, cui inhæret, inserit.*

Maria cordibus suorum Clientum inserit charitatem velut quoddam centrum.

49. Illud porrò attentiùs paulò considerandum; quòd Virgo suos fideles clientulos conservet centri in modum, ne pereant, sed in DEI, ipsiusque gratia, Divinorùmque præceptorum, ac consiliorum observatione, ad mortem usque per-

Maria tanquam centrũ conservat suos clientes, ne pereant.

perseverent. Si enim hoc Virgineæ hujus terræ centrum nobis subtraheretur, quò tandem obsecro, quàm in centrum inferni nos ruere oporteret? audiendus hîc Richardus à S. Laurentio lib. 8. *Maria velut terra nobis, & abysso interponitur, quâ subtractâ, sicut Core, Dathan, & Abyron Num. 16. statim descendimus in infernum viventes: sic subtracto Mariâ, statim labimur in peccatum, & inde in infernum.* Hæc Rich. Piam hanc clientulorum suorum conservationem in Virgine velut in centro agnoscens Psalmista Seraphicus, ita illi Psal. 15. Concinere non dubitavit: *Conserva me Domina, quoniam speravi in te, mihi quæso, stillicidia tuæ gratiæ impertire!* Et Psal. 11. *Salvum me fac Mater pulchræ dilectionis, fons clementiæ, & dulcor pietatis, Gyrum terræ sola circumis, ut subvenias invocantibus te.*

Subtractô nobis Marianæ terræ centrô ruimus in infernum.

50. Centrum, ab interitu spirituali præsertim, nos præservans, esse Deiparam, agnovit B. Franciscus Borgia Dux olim Gandiæ III. Societatis nostræ Generalis, Vir Deiparæ cultui addictissimus; de quo Pater Antonius Balinghen noster in Kalend. B. V. 30. Sept. *Cupiebat*, inquit, *omnes B. V. Mariam in Patronam adsciscere, atque ominabatur sinistri aliquid eventurum iis, qui id non præstarent.* Interrogante illô quosdam Soc. JEsu Tyrones, quosnam sibi delegissent in Patronos, intellexit nonnullos eam Patronam non assumpsisse: Unde ipse admirans ad Magistrum Novitiorum conversus; *Vide,* inquit, *ut invigiles horum saluti: vereor enim, ne non perseverent in Religione;* quod & accidit, cùm omnes illi variis temporibus eam deseruerint.

S. Franciscus Borgia agnovit Deiparam esse centrum ab interitu spirituali nos præservans.

51. Conservatum se in via perfectionis, in eáque plurimùm profecisse centrô protectionis Virgineæ sensit Angelicus Adolescens Joannes Berchmannus; qui extremâ vitæ suæ vesperâ cuidam suo commilitoni id fortè interroganti respondit: *præsentissimum, potissimumque præsidium quoad Religiosæ vitæ perfectionem adipiscendam erat adnisus, fuisse amorem, religionem adversus Virginem sanctissimam*, quam ingenti fiduciâ solebat Matrem suam appellare. Unde hæc post se conscripta reliquit: *Patrona Sanctitatis, sanitatis, & studiorum tu es mea Virgo Maria.* Hoc centro denique cupiens in Dei gratia, ejusque servitio ad mortem usque conservari, circa vitæ suæ ultimam catastrophen his, similibusque verbis identidem magno pietatis affectu compellabat Deiparam: ne me deseras Maria, ne me fallas, filius enim tuus sum; tu scis, quia juravi.

52. Centrum denique, hominem Religiosum in via Divini obsequii fovens, ac conservans, esse Virginem Gloriosissimam, sensit Pater Sebastianus Barradius; Cui ab eadem Deipara Societatem nostram singillatim, ut eam ingrederetur, fuisse demonstratum, ferebat opinio. Unde totâ deinceps vitâ medullitus fuit in eandem propensus, ut omnia ipsius litterarum monumenta, ac præsertim Tomus I. in Evangelicam Concordiam indicat; eandem prædicabant publici, privatique ipsius sermones, in quibus semper ejus mentionem eo calore ingerebat, ut sensibus humanis excessisse videretur. Hoc denique identidem dictitabat, consiliumque omnibus instillabat B. V. accitu religionem adiri; patrociniô ad extremam perseverantiæ coronam retineri.

P. Sebast. Baradius, centrum esse Virginem gloriosissimam, quæ hominē religiosum in via divini obsequii fovet ac conservat, pluribus testatus.

53. Cùm igitur ex hoc Virgineo centro tot, támque magna Spiritus bona in Universum genus humanum dimanent, meritò in eo Paradisum quemdam situm esse diximus,

Maria Paradisus ex quo gratiarum flumina in Mundum universum emanant.

inus, ex quo tot gratiarum tam copiosi rivi, ac flumina in orbem Universum emanant, quibus aspersa ac fœcundata omnis revirescere, ac exhilarari videtur creatura.

Quemadmodum in infimis terræ infernus & sempiterna infelicitas, ita in centro Mariano Paradisus, & plena felicitas.

54. Et sanè, quemadmodùm Infernus, sempiternáque infelicitas in infimis terræ partibus, atque adeò in corde, & quasi centro ejusdem, impiis est præparata, ubi erit fletus, & stridor dentium, dolor, & gemitus, ignísque in extinquibilis, cruciatus æterni, mors denique nunquam terminanda: sic sanè dicere possumus, pios Virginis cultores, ac Clientulos in ea veluti centro reperire Paradisum, & felicitatem quandam plenam spiritualibus delitiis, ac omnem sensum exuperantibus gaudiis, altissimâ pace, animíque tranquillitate redundantem, adhuc in hac vita tot miseriis, calamitatibúsque obnoxia, statum deniq; quemdam omnium bonorum aggregatione perfectum, qui aliud nihil est, quàm beatitudo ex definitione Severini Boëtij; adeò, ut ei dicere omnes ipsius Clientes cum jubilo toti lætitiâ gestientes valeant: *Sicut lætantium omnium nostrùm habitatio est in te Sancta DEI Genitrix.*

In Mariano Paradiso arbor vitæ reperitur, Virginis quiescens inveniuntur.

55. Cùm enim in medio Virginei hujus Paradisi, veluti in centro lignum illud perennis, immortalísque vitæ, afferens fructus duodecim, per singulos menses producens fructum suum plantatum sit, fueritque lignum illud Panis iste, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ille denique bonus Pastor, qui venit in hunc mundum, ut vitam oves habeant, & abundantiùs habeant, & vita sit rerum omnium fundamentum, meritò in Virgine Arborem vitæ, fructúsque vitæ tam uberes producentem lætabimur, in eáque veluti in Paradiso, veluti in centro suavissimè conquiescemus. *Vere enim,* ut loquitur S. Ildephonsus serm. de Assumpt. *hæc est hortus conclusus ille delitiarum, reparatio vitæ, janua cœli, decus mulierum, fastigium omnium Virginum.* In horto siquidem hoc Paradisiaco post Angelorum, hominúmque rebellantium tumultus, ipse DEI Filius in illa, uti jam sæpiùs diximus, velut in centro, velut in Paradisi medio jucundissimè conquiêvit. Unde cum aliquando quæsiisset sponsa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* cuperétq; eum apud se conquiescere, ac delitiari; Respondit: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi.* quasi diceret: Verè ignoras te, quæ ignoras me in te morari, & in te requiescere, cùm nullibi mihi sit grata quies, quàm in te. Quarè Justus Orgelitanus Episcopus ita loquentem sponsum introducit: *Ne erres me alibi ultra te quærendo ullo modo: in te quippe, ubi hactenus me non quærebas, requiesco.*

Quod si DEI Filius Angelorum, Beatorúmque omnium sempiterna felicitas, ac jucunditas, in Virgine tantas delitias, liquidissimásque voluptates, quietémque imperturbabilem reperit; quid tandem ejus clientes in eâ reperturi sunt?

Cœlestes deliciæ, & tranquillitas animi in centro Mariano inveniuntur.

56. Cœlestes has delitias, tranquillitatémque animi in centro hoc Virgineo, medióque Paradisi expertus fuerat ipsius Seraphinus Psal. 32. dum cecinit: *Exultate Justi in Virgine Maria, & in rectitudine cordis laudate eam. Accedite ad eam cum reverentia, & devotione & delectetur cor vestrum in salutatione ejus. Impertite illi sacrificium laudis, & inebriemini ab uberibus dulcoris illius. Influet in vos radios suæ pietatis, & clarificabit vos fulgore misericordiæ suæ: suavissimus est fructus illius, in ore, & in corde sapientis dulcescit.*

gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus Frater, per quem Maria est nostra Mater, & Benedicta Mater, per quam Christus est noster Frater.

63. Quod denique Terra hæc Virginalis sit Mater omnium, etiam Angelorum, testatur Seraphicus Belbartus lib. 9. Stell. Par. 2. ar. 2. variisque assertionem hanc suam ex Alberto Magno rationibus comprobat, aliquot præcipuas commemorâsse sufficiat: *B. V. Maria DEI Genitrix inclyta,* inquit ille, *dicitur Mater non solùm hominum, sed etiam Angelorum, Sanctorum, & in Patria Beatorum, atque omnium Dei Creaturarum, tum quia est Mater Dei, qui est Pater, Causa, & Origo omnium creatorum: quod autem est causa causæ, est etiam causa causati. Cùm ipsa sit Mater Dei, & per se causa & origo humanitatis Filii, & hic per se causa sit, & origo Angelorum, Sanctorum, reliquarúmque creaturarum omnium; omnia enim per ipsum facta sunt: & Deiparam quoque eorundem omnium Matrem esse necesse est. Quod paucis nobis declaravit sapiens,* Sap. 7. *omnium,* inquiens. *bonorum Mater est. Tum quia Deus Caput est etiam Angelorum, omniúmque Beatorum, etiam ut homo, ratione influxûs luminis supernaturalis; Per illum enim omnia instaurantur, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris, ut ait,* Apost. Colos. 1. *habétque gloriam hanc & gratiam capitis, ut loquuntur Theologi, ob humanam naturam de Virgineis visceribus sanguinibúsq; compositam: Quia enim in humanitate nostra sese adeò humiliavit, factus obediens usque ad mortem crucis; ideò Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, & ad dexteram suam in æterna gloria considere fecit, ut lumen gloriæ tam Angelis, quàm reliquis Beatis communicet, quò sacratissima illius humanitas septempliciter ampliùs, quàm sol iste refulget, cùm sit quasi caro Mariæ, ut antè diximus cum S. August. & B. Arnoldo, rectè dicemus, à Maria quoque velut Matre sole Misericordiæ amicta, splendores illos gloriæ in Angelos, Sanctósque omnes Derivari. Hinc Guerricus Abbas salutationem Angelicam à SS. Triade transmissam ad Deiparam ait* serm. 1. de Annunc. Sermonem esse bonum, qui creaturas omnes, ipsos etiam Angelos lætificavit: *Prorsùs sermo bonus,* inquit ille, *sermo fidelis, & omni acceptione dignus, Evangelium nostræ salutis, quòd Angelus missus à Deo hodie Mariæ Evangelizavit, ac lætum de Incarnatione Verbi Dies Diei Angelus Virgini Verbum eructavit. Sermo ille dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem Captivis, adapertionem clausis, vitámque sepultis. Sermo ille, dum Filii regnum prædicat, justorum quoque gloriam annuntiat; terret inferos, lætificat cœlos, & sicut cognitione mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum.* Hæc Abbas piissimus.

Maria Mater Angelorum & beatorum.

64. Et hoc sibi voluisse visus est D. Bonaventura in Spec. Cap. 6. cùm dixit: *Ecce quàm gloriosum Gloriæ Mariæ privilegium, quod ipsa in gloria gloriosissima est post DEum. Gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod quidquid post DEum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omnino gloriæ Mariæ privilegium est, quod post Deum major gloria nostra, majus nostrum gaudium de Maria est.*

Gloriosum gloriæ Marianæ Privilegium.

65. Et verè gloriosum, ac planè ineffabile est hoc privilegium Virginis, ut non modò Mater, & glo-

Elogium Evæ datum, Mater cunctorum viventium potiori jure in Mariam transfertur.

gloria membrorum Christi, verùm etiam ipsorum Angelorum sit; dum eis lucem illam inaccessibilem Humanitatis dilectissimi sui Filii in ipsius utero conceptæ, tam largè diffundit, ut novam quandam gloriam post illam essentialem Visionis Divinæ essentiæ sortiri videantur. Mater denique Angelorum aliqua ratione dici potest Deipara, dum ipsius gratiâ ac patrociniô homines in cœlos ad Angelorum ruinas implendas, ac reparandas tam mirificè evehuntur, eámque partæ salutis parentem benignissimam agnoscunt. Mater quoque creaturarum omnium Virgo aptè dici potest, dum hominem æternæ parit beatitudini; dum enim ille, qui creaturarum omnium nodus est, ac compendium, beatificatur, simul cum illo & ipsæ creaturæ felicitantur. Quam ob causam elogium illud Evæ Gen. 3. *Mater cunctorum Viventium*, potiori jure transferri potest in Mariam: Dum enim illis vitam meliorem, atque abundantiorem donat meritò Viventium Mater appellatur.

66. Quæ sanè consideratio adeò tenera est, & pia, ut Divum Anselmum in Contempl. de B. V. in illas voces amore plenissimas erumpere compulerit: *O Beata fiducia! o tutum refugium! Mater Dei est Mater nostra, Mater ejus, in quo solo speramus, & quem solum timemus, est Mater nostra. Sed o Benedicta & exaltata, non tibi soli, sed & nobis; quid est, quàm magnum est, quàm admirabile est, quod video per te evenire nobis? quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo: si enim tu Domina, & Mater ejus, & alii filii tui, sunt fratres ejus, sed qui Fratres, & cujus ejus? loquar, unde jucundatur cor meum, an silebo, ne elatione arguatur os meum? sed quod credo amando, cur non confiteor laudando? Dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo: qui eum fecit, ut ipse per maternam generationem esset natura nostra, & nos per vitæ nostræ restitutionem essemus Filii Matris suæ, ipse nos invitat, ut confiteamur nos fratres ejus. Ergo judex noster est frater noster, Salvator Mundi est frater noster. Quâ igitur certitudine debemus sperare, quâ consolatione possumus nos timere, quorum sive salus, sive damnatio de boni Fratris, & piæ Matris pendet arbitrio? quô etiam affectu hunc fratrem, & hanc Matrem amare debemus, quâ familiaritate nos illis Committemus, quâ securitate ad illos confugiemus, quâ dulcedine fugientes suscipiemur? Bonus ergo frater noster nobis dimittat, quod delinquimus; ipse avertat, quod delinquendo meruimus; ipse donet, quod pœnitentes petimus. Bona Mater oret, & exoret pro nobis, ipsa postulet, & impetret, quod expedit nobis, ipsa roget filium pro filiis, Unigenitum pro adoptatis, Dominum pro servis. Bonus filius audiat Matrem pro fratribus, Unigenitus pro his, quos adoptavit, Dominus pro his, quos liberavit. Maria, quantum tibi debemus Domina Mater, per quam talem fratrem habemus, quantum gratiarum, quid laudis tibi retribuemus Magne Domine? tu noster major Frater; & nostra Domina, tu nostra melior Mater, docete cor meum, quâ reverentiâ debeat vos cogitare.* Hactenus Anselmus. Quibus sanè ostendit luculentissimè: Virgineam hanc Terram Mortalium omnium communem, benignissimámque esse Matrem, quæ non solùm ipsum Dei Filium, verùm etiam Universum genus humanum cum illô ediderit, Angelorúmque minas redintegrârit, uti supra memoravimus.

67. Quæ profectò summa tam Angelorum, quàm hominum censenda est nobilitas; siquidem Filii

Matris DEI & censemur, & sumus. Athenienses olim, ut antiquissimam suam nobilitatem declararent, se ante omnes de terra genitos, ac terrigenas, non autem ex aliis hominibus genitos appellabant, uti Cic. lib. de orat. testatur: *De quorum vobis*, inquiens, *possessione propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuisse proditum est; quæ vetustate ea est, ut ipsa ex sese suos Cives genuisse dicatur; ut eorum eadem terra parens, altrix patria dicatur.* Qua de re Plato in Menoxerio, sive de Attica Antiquitate: *Ob Sapientiæ siquidem laudem, fingebant eo tempore, quo tellus animalia omnigena producebat, feras: & jumenta, terram dumtaxat illam adhuc sterilem, agrestibusque animalibus vacuam; propriè verò ex omnibus animantibus hominem genuisse, qui cæteris intelligentiâ præstat, solúsque jus, ac Deos colit.* Quare Ausonius in Catalogo Urbium nobilium sic de Athenis cecinit:

Atheniensium Nobilitas unde deducta sit?

Nunc & Terrigenis patribus memoremus Athenas Pallados.

68. Arcades quoque mirum, quantùm de sua nobilitate gloriabantur; jactantes se Proselenes quasi Antelunares esse, quòd suam originem referrent ad temporis initium, cum nondum Luna esset. Cujus rei meminit Plutarchus in quæst. Rom. q. 76. aliique scriptores; sed licèt hanc antiquitatem mentirentur, mentiri tamen non poterant, se ante terram exstitisse. De hoc ergo tantùm gloriabantur, quòd primi omnium hominum ex terra geniti fuissent. Quare idem Plutarchus q. 92. scribit usum Coronæ querneæ fluxisse ex Arcadum prisca consuetudine, quibus aliqua est cum quercu cognatio. Primi enim hominum è terra nati creduntur, sicut quercus inter stirpes prima. Hinc Eliphaz arguere volens Jobum superbiæ sive jactantiæ, de nobilitate generis, ac sapientiæ excellentiâ eidem insultans, dicebat. Job. 15. v. 7. *Nunquid tu primus homo natus es, & ante colles formatus?* ubi per Colles S. Augustinus Angelos intelligit. Quasi dicat Eliphaz: nunquid existimas te antiquiorem ac Sapientiorem aut Adamo, qui primus de terra Virgine Dei manibus plasmatus est, aut Sapientissimis Angelis, qui à perspicuitate intellectûs intelligentiarum nomen sortiti sunt? Protoplastorum porrò nobilitatem, Sapientiámque eximiam perspicuè ostendit Eccl. 37. v. 15. Dum ab ipso Deo instrumenta sciendi, ac cognoscendi ipsis data fuisse memorat: *Consilium*, inquiens, *& linguam, oculos, & aures, & cor dedit excogitandi, & disciplinâ intellectûs replevit illos, creavit illis scientiam, Spiritûs sensu implevit cor eorum, & mala, & bona ostendit illis.*

Arcadum Nobilitas unde deducta sit?

Protoparentum nostrorum Nobilitas ostenditur in scriptura.

69. Quod si Arcades ante Lunam conditam suæ nobilitatis antiquitatem deducunt; & Athenienses primos de terra se fuisse genitos, ante ipsum Protoplastum immediatè ab ipso Universi Opifice conditum, jactitant, indéque se mortalium omnium nobilissimos arbitrantur: quantò potiori jure Christiani omnes, ac præsertim ii, qui se peculiari quadam ratione ab ineunte ætate ipsius obsequiis mancipârunt, gloriari in Domino meritò possunt, se de hac Terra Virginea ac Benedicta velut amantissima Matre genitos, ab eadem propriô gremiô mox in lucem editos fuisse exceptos, ejus pietatis lacte nutritos, & ad omnem probitatem ipsius gratiâ efformatos, exemplis sanctissimis ejus vitæ, in omni Sanctimonia educatos, morientes denique sinu ejus, & quasi manibus susceptos, in terram illam viventium translatos, verámque ac genuinam nobilitatem omni-

Christiani potiori jure gloriantur quam Athenienses & Arcades de sua Nobilitate.

omnibus virtutum numeris absolutam consecutos.

70. Cùm enim Maria Regali stirpe exorta refulget, velut stella ex Jacob, & splendorem hunc nobilitatis ipsi incarnato Verbo secundùm humanitatem quodam modo communicârit, filiis quoque suis spiritualibus Incarnati Verbi membris, eandem eam contulisse oportuit. Hinc Guerricus Abbas supremum cœlorum Regem à Regalibus sedibus ad terram visitandam venientem asserit, Regalem sibi sedem in Virgine, Regali sanguine cretam præparâsse. *Regali siquidem,* inquit ille, *ex progenie Virgo electa, generositatis quidem Regiæ, nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles, ut æterno Regi Filio Regis, materna quoque nobilitas Regium honorem defenderet, & venientem à Regali sede Patris, Regalis etiam Thronus in aula Virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe & ex ipsa sapientiæ ædificavit sibi domum, in ipsa, & ex ipsa paravit sibi Thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptavit sibi, ita ad omnia perfectum & congruum, ut & domus ei sit ad quiescendum, & Thronus ad judicandum, quod primò Tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & cathedra ad docendum. Vide autem, ne ipsa sit sedes David Patris ejus, quam ei dandam promittit Angelus; non quòd David in ea sederit, sed quòd ex semine David assumpta, & fabricata sit. Et certè, si sedes David non est, tamen sedes tua DEus in sæculum sæculi ipsa est: si solium David non est, certè solium excelsum, & elevatum super omnem creaturam ipsa est.* Sic Querricus. Elevata sanè est, atque excelsa Virgo, non modò generis, sanguinísque, verùm etiam, ac multò magis verarum, ac solidarum virtutum nobilitate, ac splendore, quô velut stella matutina in medio nebulæ, inter mortales omnes refulsit.

Mariæ Nobilitas à Regia stirpe desumitur.

71. Eximiam hanc Terræ hujus Virgineæ nobilitatem suspiciens, admiránsque B. Petrus Card. Dam. Serm. 3. de Nat. B. V. Postquam ostendisset in illa mirabili nexu Virginitatem simul ac fœcunditatem fuisse sociatam, atque ita Virginalem ejus carnem rore Spiritûs Sancti infusam germinâsse salvatorem, qui ei longè eminentiorem contulit nobilitatem, in illud prorupit epiphonema, Virgineæque secundùm carnem etiam nobilitatis elogium:

B. V. summã Nobilitatem à filio suo accepit.

72. *O mirabilis, o singulariter, nobilis caro Beatissimæ Virginis, in qua muliebris, natura mutatur, humana conditio non tenetur! per coitum quidem est genita, sed per efficaciam coitûs non enixa: edita communi nascentium jure edidit singularis gratiæ novitatem. In humano denique genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis insignitur; Beata verò Maria licet de generosa sit Patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem: Clara proavorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis; Filia siquidem rerum, sed Mater Regis Regum.* Ut tandem ostendat ineffabilem hanc esse humanæ linquæ Virginis nobilitatem, ita concludit: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI, sed quidquid de te à mortali homine dicitur, Celsitudinis tuæ meritis non æquatur: Quam enim excellens gratia super Angelos elevat, ad ejus dignè offerenda præconia humana fragilitas non aspirat.*

Elogium B. V. à B. Petro Dam. datum.

73. Potiori ergo jure, quàm

Athenienses, quàm Arcades, nos hâc Terrâ Benedictâ genitos, & sanctæ hujus Terræ filios esse gloriamur: siquidem hac eâdem Terrâ productum est germen illud Domini in magnificentia, & gloria, fructus ille sublimis, vertice suo ipsos cœlos transcendens, Unigenitus Dei filius, *flos ille campi, lilium Convallium,* qui cœlestem, divinissimámq; quandam illi contulit nobilitatem, ut & nobis omnibus suis Clientulis, qui eam ut genuinam Matrem nostram agnoscimus, amplectimur, ac veneramur. Unde & nos ejusdem floris nobilitatem sortiti, flores quidem Regij in hac Terra Virginea, singulari in Deiparam pietate plantati evadimus, adeò, ut dicere de nobis videatur sponsus Cant. 2. *Flores apparuerunt in Terra nostra.*

Clientes Mariani sua pietate in B. V. flores regii evadunt.

74. Quod si major Nobilitas ex communi vulgi opinione ab antiquitate pensetur, maxima sanè erit gloriosissimæ Deiparæ; quæ, ut ipsa fatetur, ab æterno â Deo ordinata fuit, & ex antiquis, antequam terra fieret, & quidem in finem hunc, ut Dei Mater efficeretur. Quæ nobilitas & ex natura rei, & ex ipsa sæculorum antiquitate mirificè suspicienda, ac veneranda, omníque honore prosequenda est. Quemadmodùm res æternæ, æviternæ, & temporales inter se longissimo differunt intervallo ob mensuras æternitatis, ævi, & temporis; ita sanè & hæc æternitas nobilitatis Virgineæ, quam ex Divinæ Maternitatis eminentissima dignitate consecuta est: Sicut enim Augustissimæ Trinitatis personæ æternæ, quod principio, & fine careant, nobiliores sunt absque ulla comparatione Angelis, qui æviterni cùm sint, habeántque principium, fine tamen carent; Angeli quoque nobiliores sunt rebus temporalibus, principium, finémque habentibus: Ita & sacratissima Deipara, quod æterna sit ipsius in Dei Matrem Divina mente facta designatio, ac prædestinatio, antiquissimam nobilitatem, parem propemodùm, aut saltem Divinis personis quàm simillimam, præ omnibus Angelis, reliquísque Creaturis ante omne ævum, omnéque tempus jure meritò sortita est, ob nobilissimum finem, ad quem ex omni æternitate â supremo omnium Opifice ordinata est, ad Divinam videlicet æternitatem.

Deiparæ Nobilitas simul antiquissima, simul & maxima ostenditur.

75. Quare præclarè Seraphicus Bernardinus Bustius Part. 2. mar. ser. 5. Cond. 3. asseveravit: *Si omnes Creaturæ simul essent congregatæ, & ab uno latere positæ, & sola gloriosissima Virgo ex alio, nobilior & excellentior ipsa sola reputabitur, quàm omnes aliæ simul, quia ad nobiliorem effectum, finémque â Deo electa est. Nihil enim nobiliùs ipsâ Dei Matre excogitari potest.*

B. V. nobilior quam omnes simul creaturæ

76. Hinc S. Bonavent. in 1. distin. 44. pronuntiavit: *Si omnes Creaturæ, quantumcunque ascendant in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei.* Verè enim, ut ait Sapiens, Sap. 8. Generositatem ejus glorificat contuberniumDei, quod cum eo habuit ejus Mater effecta. Quæ enim mens capere, quæ lingua effari valeat, quæ â filio gratiarum munera, quæ â Spiritu Sancto dona, ac charismata, quæ â Patre luminum mentis acceperit lumina novem illis mensibus, quibus incarnatum Verbum ejus utero delitescens ipsius contubernio usum est? Si enim nobilis Vir nobilitat uxorem, ut habet L. mulieres. Cap. de dign. lib. 10. quantò magìs Pater tanquam genuinam singulari modò adoptatam filiam, Filius tanquam Verissimam Matrem, Spiritus Sanctus tanquam sponsam castissimam nobilitavit?

Maria â tota SS. Trinitate ex specialibus titulis nobilitata.

77. Et licèt Virgo nostra genere & sanguine, uti suprà memoravimus, fuerit nobilissima, utpote quæ

â 14.

à 14. Ducibus, totidémque Regibus; à Prophetis, à summis sacerdotibus, Doctoribus, Viris fortibus, ac strenuis suam traxit originem; nobilitas tamen ipsius ex nobilitate Virtutum, morúmque integritate vel maximè enitescit. Hinc cap. nos. q. 40. asseritur: *Nobilitas morum plùs ornat, quàm Genitorum.*

Nobilitas B.V. vel maximè ex Nobilitate virtutum elucescit.

Hinc Seneca ad Lucilium scribens docet, quod *non facit nobilem, atrium plenum fumosis imaginibus, quia quod ante nos est, nostrum non est; non enim ad nostram vixerunt gloriam.* Poëta quoque Seneca.

Aliena laudat, qui genus laudat suum.

Hinc Ulysses oratione habita pro armis Achillis indipiscendis, contra Aiacem, generis sui nobilitatem à Jove deductam jactantem, ita elusit, ut videre est apud Ovid. 13. Metam:

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. Sed enim quia retulit Aiax
Esse Jovis pronepos; nostri quoque Sanguinis Autor
Jupiter est, totidémque gradus distamus ab illo.
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas; DEus est in utroque Parente.
Nec mihi quod pater est, fraterni Sanguinis insons
Proposita arma peto; meritis expendite causam.
- - - - - - non sanguinis ordo,
Sed Virtutis honor spoliis quæratur initis.

Idem Ovidius lib. 1. de Ponto:

- - - - - - non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos, ingeniúmque facit.

Hinc Juvenalis Ponticum moribus ignobilem, jactantem prosapiæ suæ antiquitatem, proavorúmque domi, militiæque præclarè gesta facinora Falsè ridebat:

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice, longò
Sanguine censeri, & pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas sola est atque unica, Virtus.
Usque adeò miserum est alienæ incumbere famæ.
Malo pater tibi sit Tersites, dummodò tu sis
Æacide similis, Vulcaniáque arma capessas,
Quam te Tersitæ similem producat Achilles.

Hinc denique Severinus Boëtius lib. 3. de Consol. Phil. metro. 6. veram gloriam ac nobilitatem hominis ab autore & conditore Deo tam animi quàm corporis, non autem à carnalium parentum virtute derivari docuit ita canendo:

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu.
Unus rerum Pater est,
Unus cuncta ministrat.
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ.
Ille homines etiam terris
Dedit, & sydera cœlo.
Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos.
Mortales igitur cunctos.
Edit nobile germen.
Quid genus, & proavos strepitis
Primordia vestra,
Auctorémque DEum spectes
Nullus degener exstat,
Nisi vitiis peiora fovens
Proprium deserat ortum?

Quare hujus Divinæ, antiquissimæque nobilitatis à supremo rerum omnium principio in se collatæ Virgo nostra sibi probè conscia jure glo-

gloriabatur Eccl. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.*

Et rursus: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam:* Denique idem Ecclesiasticus ab hoc Universali rerum Omnium æternóque Principio, Rege potentissimo, nobilitatem hanc Deiparam sempiternæ sapientiæ Matrem desumpsisse cognoscens, ita cap. 1. locutus est: *Unus est Altissimus Creator Omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super Thronum, & Dominans Deus; ipse creavit eam in Spiritu Sancto suo, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.* Quæ verba Sanctus Bernardinus Senensis, Ubertinus, Casalius, Pelbartus, Richardus à S. Laurentio, aliíque ad Virginis creationem transtulêre, uti Tomo primo fusiùs ostensum est.

78. Quâ sanè laude simul ostendit Virgo, se dum ab æterno illo Opifice ipsius manibus est creata, eximiis tam naturæ, quàm gratiæ dotibus, ac Virtutibus, quæ Dei Matrem decebant, fuisse decoratam; quibus vera ac genuina hominis nobilitas continetur. Præclarè enim D. Hieron. Epist. ad Celantiam, ad Christianam eam humilitatem exhortans: *nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quásque, & humiliore loco natas, te inferiores putes; nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; servum, & nobilem de moribus pronunciat: sola apud Deum libertas est non servire peccatis; summa apud DEum nobilitas est clarum esse virtutibus:* Quod jam pridèm asseruit Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 4. cùm docuit: *Nil aliud quàm Virtus & malitia determinat liberum & servum, nobilem & ignobilem.* Denique idem Hieron. totam Christiani hominis nobilitatem ad pretiosissimum Christi sanguinem æqualiter pro omnibus effusum, quô redempti, & renati, & nova facti sumus creatura, transfert. *Frustra,* inquiens, *sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cùm universi paris honoris, & ejusdem apud Deum pretii sint, qui uno Christi sanguine sunt redempti; nec interest, quâ quis conditione natus sit, cum omnes in Christo æqualiter renascamur: Nam etsi obliviscimur, quia ex uno omnes generati sumus, semper id saltem meminisse debemus, quia per unum hominem regeneramur.* Ex quo sanè Viri Sanctissimi discursu eminentissimam Deiparæ comprehendimus nobilitatem, utpote quæ prima, ac principalis pretiosissimo Filii sanguine abundantiùs fuit redempta, & omnimoda sanctitate, puritate, gratiarúmque plenitudine super omnem tam Angelicam, quam humanam creaturam exornata. Unde à S. Bernardino Senensi, & aliis, *Primogenita Redemptoris* appellari meruit.

Nobilitas Christianorũ à pretioso Christi sanguine desumenda est, in quo regenerati sunt.

79. Denique Germanam nobilitatem, hominis Virtutem esse, docuit. D. Ambrosius lib. de Noë cap. 4. ubi ostendit Sanctissimum illum Patriarcham, virtute potissimùm nobilitatum fuisse. Noë, inquiens, *non generationis nobilitate, sed justitiæ, & perfectionis meritò laudatur, Probati enim Viri genus virtutis prosapia est, quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.* Unde idem Ambrosius virtutum omnium splendorem hunc præ cœteris singulariter in Virgine coruscantem contemplans lib. 2. de Virginibus, pronuntiavit: *quid nobilius Dei matre, quid splendidius eâ, quam splendor elegit?* Tùm varias ipsius eminentissimásque Virtutes

Germana Nobilitas hominis virtus est.

tutes

tutes Dei Matre dignissimas prosequitur, quibus utriúsque hominis in Virgine nobilitas illustratur. Quare præclarè suprà citatus Bernardinus Bustius Apostolico stylo: *omnes*, inquit, *præclaritates, ingenuitates, dignitates, nobilitates, quæ in aliquo individuo humano esse possunt, in hac egregia Puella, quæ filia Principis* Cant. 7. appellatur, *collocavit. Hæc enim omnes Principes, Duces, Reges, Imperatores, & quoscunque Viros nobilissimos, ac fœminas nobilitate transcendit, adeò, ut virtutis & sanguinis claritatem hanc in Virgine considerans sapiens* Sap. 4. *quasi attonitus exclamavit: o quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines, & in perpetuum coronata triumphat in coinquinatorum certaminum præmium vincens!*

Mariana Nobilitas ex virtutis & sanguinis claritate summa.

80. Ob hanc generis claritatem jure merito Ord. Seraphici Polbartus lib. 5. stell. Par. 2. art. 2. cap. 1. vocat *stellam clarissimam*, & quidem primam, unámque ex illis sacratissimum hujusce cœlorum Reginæ verticem coronantibus. Tantus hujusce cœlestis Heroinæ nobilitatis splendor totô terrarum orbe refulsit, ut stella quædam primæ magnitudinis in firmamento miro splendore radiare videretur.

Mariana generis claritas stella est primæ magnitudinis.

81. Quis igitur Terræ hujus Virgineæ se filium esse non gaudeat, nobilitatémque hanc rebus omnibus mundi hujus cum tempore dilabentibus anteponat? quis tam eximiæ ingenuitatis, generositatísque memor sese terrenis ampliùs quisquiliis immisceat, quis ad heroica facinora amore cœlestis Patriæ perpetranda non accendatur? quis ad Virginis consectanda vestigia, exempla, Virtutésque æmulandas non inflammetur, immò quodammodò necessitetur? præclarè enim suprà cit.: Boëtius lib. 3. Prosa. 5. *quod si quod est*, inquit, *in nobilitate bonum, id esse arbitror solùm, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à Majorum Virtute degenerent.* Degenerat sanè quisquis hac Virgineâ terrâ genitus, animô rebus terrenis, carnis illecebris, ac voluptatibus consectandis, divitiis aucumulandis, honoribus futilibus accupandis adhæréscit. Virginem hujuscemodi homines sibi proponant ob oculos, quæ uti visa fuit ab Apostolo Joanne signum magnum, ac Miraculum eximiæ puritatis in cœlis, ita quoque se gessit, dum versaretur in terris; Vidit illam Lunâ calceatam, ad declarandum non solùm universam ab illa mundi vanitatem, ac inconstantiam proculcatam, verùm etiam ita à mundi affectu fuisse abstractam, ut in puncto ad instar Lunaris sphæræ terram tangere dumdaxat, necessariis ad vitam tolerandam utendo videretur. Hanc fortassis ob causam nobiles Romani Lunulas in calceis gestârint, ut se ad altiora natos, quàm ut corporis, aliarúmque rerum terrenarum mancipia efficerentur, meminissent.

Per Nobilitatem imponitur Nobilibus necessitudo, ne à Majorum virtute degenerent.

B. V. se Lunâ calceatam Joanni Apostolo exhibuit, cur?

Nobiles Romani Lunulas in calceis portabant.

82. Vidit eandem quoque Virginem alis aquilinis præditam, quibus insignis ipsius, eximiáque inter omnes Creaturas nobilitas tam sanguinis sive generis, quàm virtutis adumbratur; quâ geminâ in genuitate veluti quibusdam alis Virgo nostra in Cœlos subvecta, tanquam aquila provocans ad volandum pullos suos, sibi dilectissimos clientes, ad fastidienda terrena, ad appetenda Cœlestia excitavit. Unde quisque virtutum ipsius studiosus æmulator alas hasce, quibus, spretis terrenis, ad Cœlestia subvehi possit, deberet expetere, ac dicere cum Propheta: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ*, sive Aquilæ, *& volabo, & requiescam?* Et cum Salomone in Cant. 1.

Idem Joannes Apostolus vidit B. V. alis aquilinis præditam, quibus tàm sanguinis quàm virtutis Nobilitatem indicat, & pullos suos ad volandum provocat.

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Hæc hisce similia sæpè ingeminemus, deque Virginis benignitate confidamus; præsentissimum mihi credite ipsius auxilium ad mundi hujus pedicas divitiarum, voluptatum, futiliúmque honorum evadendas experiemur. Verè enim dicere possumus id de illa; quod de Filio pronunciavit Isa. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.*

Terra Virginea vires nobis adversus hostes, ut quondam terra Antæo suppeditat.

83. Hæc eadem Terra vires, animósque nobis adversùs Tartareum hostem depugnantibus, uti quondam Antæo terræ filio inusitatæ magnitudinis Giganti, cum Heracle colluctanti, suppeditabit. Et quemadmodùm, inquit Apost. Apocal. 12. *Adjuvit Terra mulierem*, adversùs nimirum Draconem infernalem, qui eam persequebatur, ita nos hæc Terra Virginea adiuvabit, ut nullas ejus technas, nullas insidias pertimescamus, sed eas velut vilissimum vermiculum ipsius exemplo sub pedibus nostris proteramus; deque illo gloriosissimum triumphum reportemus. Hæc demùm nos vitâ functos, omnes nullò habitò personarum inopum, aut divitum discrimine, gremiò suò pientissimè excipiet, & beatam, immortalémque nullo fine terminandam quietem impertietur; quod nobis indicavit Marcellus supra citatus lib. 4. ubi inter cæteras. Terræ laudes ad finem apposuit.

Terra Virginea vitâ fonctos nos recipit.

Immemores eadem in Terra mox esse cubandum
Omnibus, assueta Ducibus confundere egenos,
Affectúque pari natos quoscunque fovere
Materno exceptos gremio, per sæcula longa.

Quare jure merito huic Amantissimæ Matri longè potiori jure, quàm terræ cum eodem Poëta modulari possumus, ac debemus, ut nos morientes in pace gremiò suo suscipiat, foveátque:

At tu Magna Parens (quando omnis adempta quietis
Spes aliter) jam tandem adsis, & nos quoque humatis
Adyce, tot duros Genitrix miserata labores.

84. Neque verò solùm nos, ubi vitæ nostræ pensum Deò persolvimus, sinu suo solitâ suâ benignitate excipiet, beatáque donabit requie; verùm etiam cœlestis Regni consortes suis fidelissimis apud DEum patrociniis, atque intercessionibus efficiet, si eam ad finem usque vitæ velut Matrem sancti amoris, pietatísque studiis, uti par est, constanter coluerimus, nósque totos ejus obsequiis addixerimus: Eveniétque nobis, quod L. Junio Bruto, qui eum duobus fratribus Tarquiniis Delphos esset profectus, secúmque aureum baculum, inclusum Corneo Cavato, donum tulisset Apolini, velut ingeni sui indicem, quæsiissétque ex oraculo inter reliqua: Ad quem eorum Imperium Romanum esset venturum. & ex infima specu, ut scribit Titus Livius Decade 1. vox hæc reddita esset: *Imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus ò Juvenes osculum Matri tulerit;* quod ubi audiissent Tarquinii, ut sentus, qui Romæ relictus fuerat, ignarus responsi, atque expers Imperii esset, rem summopere taceri jubent, ipsi inter se uter prior, cum Romam rediissent, Matri osculum darent sorti promittunt: Brutus verò aliò ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, Terram osculô contigit, scilicèt, quod ea Mater omnium Mortalium esset, atque ita pulsis in exilium Tarquiniis, ipse summum Imperium Romæ obtinuit. Idem, inquam, & nobis eveniet, si profundissima humilitate nos Coram Virgine prosternen-

Terra Virginea suos clientes Regni cœlestis consortes facit, ut quondam terra L. Junium Brutum, eam deosculantem.

nentes, ejus, uti monet S. Bernardus, & Bonaventura, vestigia amplectamur, & tanquàm piissimæ Matri obsequentissimi Filii, devotionis, castíque amoris figamus oscula. Efficiet illa, mihi credite, ut immortale, æternúmque in Cœlis Regnum, divitiásque immarcescibiles, gloriam, vitámque nunquàm terminandam indipiscamur.

85. Hoc enim est, quod sibi volebat illa, cùm apud Salomonem ajebat: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant.* Prov. 8. Beatitatem hanc cœlesti Regni, per Virginem dandã intellexit idem Salomon, cùm dixit Prov. 3. *Beatus homo, qui invenit Sapientiam*, atque adeò hanc increatæ Sapientiæ Matrem, *melior est acquisitio ejus negotiatione argenti & auri, primi & purissimi fructus ejus. Pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria.* Quæ verba Richardus à S. Laurentio lib. 2. de Laudibus B. Virginis, & alii in illam transtulêre, ostendendo per illam nos opibus maximè cœlestibus locupletari, tandémque æviternæ vitæ Regnô potiri.

Confirmatur ex illo Prov. 3 beatus homo qui invenit sapientiam &c

86. Quapropter si quis attentiùs has cœlestes opes ac thesauros, quos Virgo nostra suis cultoribus ob modica obsequia sibi præstita, tanto cum fœnore támquam fidelitèr rependat, consideret; inveniet sanè ipsam terræ benignissimam naturam, ac indolem æmulari. Præclarè enim lib. 3. Hex. cap. 8. Divus pronuntiavit Ambrosius: *Fœneratum terra restituit, quod acceperit, & usurarum cumulo multiplicatum.*

Cum fœnere terra restituit, quorum accepit.

87. *Homines sæpe decipiunt, & ipsum fœneratorem suum sorte defraudant; terra fidelis manet: & si quando non solverit (quod minimè cadit in Virginem) si forte adversata fuit frigoris inclementia, aut nimia siccitas, aut immensa vis imbrium, alio anno superioris anni damna compensat, ita & quando proventus spem destituit agricolæ, nihil terra delinquit, & quando arridet ubertas, fœcundæ Matris se partus effundit, ut nullum unquam dispendium suo inferat Creditori.* Tum Terræ amoenitatem, ac virorem, florem, suavem odorem, ac fragrantiam, quæ invenitur, cultoribúsque terræ exhibet, describit. Quæ omnia majori longè cum gratia, ac venustate, eminentissimè in hac Virginea nostra Terra reperire est. *Quæ verò*, inquit, *species pleni agri? quis odor quæ suavitas? quæ voluptas agricolarum? quid dignè explicare possumus, si nostrò utamur eloquiò? sed habemus scripturæ testimonia, quibus agri suavitatem benedictioni & gratiæ sanctorum advertimus comparatam*, dicente S. Isaac Gen. 27. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Quid tibi describam purpurascentes Violas, candida Lilia, rutilantes rosas, depicta rura, nunc aureis, nunc variis, nunc luteis floribus, in quibus nescias, utrum species amplius florum, an suavitas odore delectet? pascuntur oculô gratô spectaculo longè latéque odor spargitur, cujus suavitate complemur.* Unde divinè Dominus ait Psal. 49. *Et species agri mecum est.* Cum ipsa est enim, quam ipse formavit. Quis enim alius Artifex possit tantam rerum singularum exprimere venustatem? Idem verè dicere potest hujus Domini mater Virginea Pulchritudo agri mecum est. Siquidem ipsa illa Terra est, quæ nobis omnia tam ad necessitatem ac utilitatem, quàm oblectationem ac delitias affatim copiosissiméque suppeditat.

Quæ de terra cum fœnere reddente, quorum accipit, dicuntur longe magis B. V. conveniunt.

88. Unde Venerabilis Richardus à sancto Laurentio lib. 8. de Laudibus B. Virginis Verba illa sancti Patriarchæ Isaac ad Jacob Filium prolata expendens: *mysticè*, inquit, *ver-*

ba sunt Patris æterni de Filio, & Matre. In hoc autem, quod Filio similitudo Matris assignatur, specialis prærogativa Mariæ declaratur. Et quia in Jacob Christum ex eo nasciturum Isaac intellexit, ad Christum & Mariam retulit verba illa, quæ dixit: Verè enim Maria est ager plenus, quia gratiâ plenâ. Est ager, cui benedixit Dominus, quia benedicta in mulieribus, & benedictus fructus ventris ejus. Est igitur odor Christi, sicut odor agri pleni, quia talem suavitatis odorem exhalat Filius, qualis procedit à Matre: sicut enim dicit Filius Eccl. 24. *quasi balsamum non mixtum odor meus, sic etiam dicitur de matre* Cant. 4. *odor Unguentorum tuorum super omnia aromata. Delectatus ergo Pater sua violentia Virtutum filii, in quibus spirat, & redolet odor Matris, velut redolentium flosculorum suavitas: Ecce,* inquit, *odor filii, mei sicut odor agri pleni. Quia Christus velut flos natus est de mundissima totus Mundus, de dulcissima totus dulcis, de misericordissima totus misericors &c. Ager ergo plenus Maria, cujus redolentiam spiritualem magnus ille Patriarcha tam multis intermediis nationibus præsensit. Unde præ gaudio eructavit: Ecce odor filii mei &c.* Concludit tandem idem Richardus

Hæc est ager ille plenus
Cujus odor tam amœnus
Cæli movet gaudia;
Ager, cujus ad honorem,
Se se campi jactat florem,
Qui gubernat omnia.

Verba Genes. 27. accommodantur B. V. quæ est Ager plenus

89. Ut porrò vir hic piissimus ostendat in hac Terra Virginea agrum reperiri, qui non modò varios flores, odorésque deliciosissimos, fructusque uberrimos frumenti, vini, & olei cultoribus suis, verùm etiam divitias, aurum, argentum, gemmas, verbò Thesauros suppeditet, addit illam esse *Agrum illum Evangelicum,* in quo absconditus est Thesaurus; *quem cùm invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.* Math. 13. *Ager hic,* inquit ille, *est Maria. Thesaurus in illo absconditus est Christus, cui dixit Isaias* cap. 45. *Verè tu es DEus absconditus, & salvator;* qui novem Mensibus in uterô Virginali, per urnam auream cœleste manna continentem, designatô delituit. *Terra porrò præcipue thesauri recondi consuevêre, aurum, argentum, & lapides pretiosi. Aurum est anima Christi, omnium Creaturarum, sicut aurum metallorum, pretiosissima. Argentum est caro Christi Virginea; lapides pretiosi, guttæ sanguinis Christi. Hoc Thesaurô humus, redempti pariter & ditati, quia Christus animam suam posuit pro animabus, carnem Divinam prò carne humana; sanguinem demum fudit, ut filios ad instar Pelicani vivificaret. Hic est Thesaurus, quem qui habuerit, dives est, licet nil aliud possideat; quo, qui caret, pauper est, etsi mundum possederit universum.* Ut ostendat denique, quantum gaudium ager hic recludens in se tam pretiosum Thesaurum, possessori suo cultorique apportat, hæc attexit: *Gaudenter & cum lætitia deservias ei, quæ toti mundo gaudium peperit, Nullum enim majus gaudium conscientiæ, quàm Matris & filii esse familiarem.* Hactenus Rich. Agrum fertilissimum agnovit esse Virginem. S. Brigitta, dum orat. 4. ardentissimo, piissimóque affectu ita eam alloquitur: *ô Domina mea fœcundissima, ac Virginissima Virgo Maria! Benedictus sit venter tuus beatissimus super omnes agros fructiferè germinantes: Quia sicut semen, quod cecidit in terram bonam, de se fructum affert possessori certissimum; sic venter tuus ô Virgo fœcundissimus benedictum fructum Deo Patri ac-*

Maria est ager Evangelicus in quo absconditus est Thesaurus.

Thesaurus absconditus in Agro Evangelico est Christus in utero Virginis Beatissimæ.

attulit, plusquàm millesimum: & sicut ex fertili abundantia fructuum agri Dominus gloriatur, aviculæq; & alia delectabiliter pascuntur, sic ex benedicto fructu fertilis agri ventris tui DEus summe in cœlo honoratur, Angeli gratulantur, hominésque in terra largiflue vivunt, & sustentantur. Ex quibus omnibus facilè colligimus, quantâ cum sedulitate Terra hæc Virginea colenda, quantò cum amore amplectenda, atque osculanda, uti fecit Romanus ille, Pythium auscultans oraculum; siquidem nobis tanta cùm liberalitate, atque affluentia bonorum omnium quandam cornucopiam, omnia ad vitam tolerandam necessaria, imò & ad deliciosè transigendam ingentes opes, amplissimos Thesauros suppeditat, ac demum summo Cœlorum Imperio decoratos æviternæ transcribit felicitati.

90. Quid quod Terra hæc Virginea suum Creatorem æmulata, nos omnes, urbes, provincias, regiones, regna, atque imperia sustentat? quemadmodùm enim Terram hanc Divina Omnipotentia, sapientia, ac bonitas tribus quasi digitis in aëre suspensam absque ullo fulcro, basi, aut fundamento conservat, uti cecinit Ovid. lib. 6. Fastorum:

Terra Virginea nos omnes, urbes, provincias Regna, atque imperia sustentat.

Terra pilæ similis, nullo fulmine nixa,
Aëre subjecto, tam grave pendet onus.

Ita Virgo Deipara mortales omnes subjectis quasi humeris ad instar terræ mira charitate supportat, ne in æternam perditionem, infernúmque prolabantur. Et hoc est quod S. Fulgenti[9] sibi voluit, cùm pronunciavit: *Jam pridem cœlum, & terra ruisset, nisi B. V. precibus suis eam sustentaret.* Unde Terræ, sive magnæ Matri turritam coronam Veteres imponebant. Hinc & turrita Cybelle dicebatur, de qua Poëta.

Muralique caput summum cinxere corona,
Quâ nunc insignis per magnas dedita terras,
Eximiis munita locis, quod sustinet urbes,
Horrificæ fertur Divinæ Matris Imago.

91. Hinc in Faustinæ quodam Numismate videre est sphæram pro terrarum orbe positam, penes quam Cybelle Leoninæ insidens sellæ, sphæram illam inter manum, genúque continet, cum hac Epigraphe: *Magna Matri*, ut est apud Pierium Hierogl. lib. 39.

92. Eandem Poëtæ invehi finxerunt curru à Leonibus tracto; quo figmento censet Lucretius Terræ in aëre pendentis Libramentum fuisse adumbratum, dum ita cecinit:

Sellæ per Cybellen Leoninum sellæ, aut curru à Leonibus vecto in sidentem; alii terram quæ sustentat omnia.

Hanc Veteres Grajum docti cecinêre Poëtæ,
Sedibus in curru bijugos agitare Leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes Tellurem.

93. Quamvis Marullus Leones Magnæ Matri subjugatos ideò attribuisse Veteres censet, quod Matris reverentia quemcúnque generosum, & audacem, etiam moribus efferatum edomare possit, & debeat.

Alii reverentiam Matris, quæ efferos domat, intelligunt.

Hinc neque deformes junxerunt curribus ursos,
Nec grege de molli capreas, cervósque fugaces,
Sed fulvis horrenda jubis generosa Leonum
Colla, quod egregiis quantum quisque eminet ausis,
Æquius hoc debet senium grave ferre parentum.
Nam bijugis invecta nihil nisi vincula bina,
Aurarúmque profundarum, laticisque liquentis
Significat Terras, atque inter lucida Templa,
Queis innixa suo medio est, neque pondere pressa

 Desi-

Desinit à suso circumpendere ligatu.

B. V. iratum Deum, & efferas gentes mansuefacit.

94. Quod sanè multò aptiùs convenit Virgini Matri nostræ benignissimæ, quæ sicut formidabilem illum Unicornem, qui omnipotentiæ, justitiæque cornu illo suo formidabili ventilabat gentes usque ad extremum terræ, in utero suo mansuefecit, & mitem, humilémque agnũ reddidit; ita quoque eos, qui sese suavissimo ipsius servitiis jugo subjecêre, quantumvis moribus efferi, barbariéque truces sint, ipsa eos suaviter edomat, ac cicurat; uti videre est in orbe novo Indos, Japonios, sinenses, Brasilos, Pervanos, aliásque gentes barbaras atque efferatas, quæ postquam lumine Christianæ fidei, beneficio potissimùm hujus illuminatricis Virginis, quæ Lusitanis in Regiones illas iter aperuit, irradiati sunt, belluarum efferatarum naturam exuentes, oviculæ Christi mansuetissimæ evasêrunt. Unde factum est, ut tanta cum promptitudine, atque alacritate variis in persecutionibus facti oves occisionis, sanguinem, vitámque variis suppliciorum atrocissimorum generibus amore Christi profuderint, gloriámque antiquissimorum Ecclesiæ Martyrum adæquârint.

95. Alias Terræ proprietates amore brevitatis lubens omitto. Cùm igitur Virgo Deipara sit Terra Benedicta, Terra lacte, & melle manans, Terra variis Virtutum floribus, iisque pulcherrimis exornata, fructibus suavissimis opulenta, cultui ipsius nos totos sedulò, animitúsque impendere debemus, si de ipsius divitiis participare desideramus. Licet enim Terra hæc velut illa prima in ipsis mundi incunabulis condita, culturâ nostrâ non indigeat; (Quia ut benè cecinit ovid. lib. 1. metam.

Ver erat æternum, placidíque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat;
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis,
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flaváque de viridi stillabant ilice mella.)

Cultui Mariano atque servitio se totum impendat, qui de fructibus terræ benedictæ participare cupit. Ita Richardus à S. Laurentio.

Licet, inquam, Benedicta hæc Tellus culturâ non indigeat, ipsi sibi per se sufficientissima, atque abundantissima, utpote operâ augustissimæ Trinitatis exculta, & peculiari Spiritûs divinissimi ope fœcundata, nihilominus tamen nemo de fructibus ejus participabit, nisi qui sese graviter ejus cultui, servitióque totum impenderit.

96. Unde Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laude B. V. præclarè docet, quod quemadmodùm Virgo omnibus suis membris, discursu facto per singula, in salutem, utilitatémque humani generis, ut bona terra deservivit, sic ipsius clientes oportere se totos cum omnibus tam animi, quàm corporis potentiis, ac viribus, membris, ac sensibus, obsequio tantæ matris devovere, ac consecrare, quò uberes suæ in Virginem pietatis, variarúmque virtutum fructus percipere mereantur.

Cultui & obsequio Mariæ totum se S. Bonaventura devovit.

97. Devoverat se totum cultui, obsequióque Virginis Seraphicus Doctor Bonaventura, cum Psal. 102. Animam suam ad serviendum Virgini, eamdémque, colendam excitabat. *Benedic, inquiens, anima mea Matri JEsu Christi, & omnia præcordia mea glorificate nomen ejus. Ne oblivisçaris beneficia ejus, nec gratiam, & consolationes ejus. Gratia ejus peccata relaxantur, & misericordia ejus ægritudines reparantur. Benedicite ei omnes Virtutes cælorum, glorificate eam omnes chori civium beatorum. Benedicite ei mare, & Insu-*

Insulæ gentium, hymnum dicite cæli, & habitatores eorum. Idem Psalm. 118. se totum devoverat pientissimæ hujus matris cultui atque obsequio, dum canebat: *Concupivit anima mea laudem tuam desiderare omni tempore: Tu enim salus mea in Domino, quia me morti adjudicatum liberasti. Quid pro his tibi retribuam, nisi me totum? Domina suscipe me.*

S. Anselmus pariter totum se cultui B. V. addixit.

98. Totum se Virgineæ hujus Terræ cultui addixerat S. Anselmus, ut ejus passim scripta testantur, ac præsertim præclarissima illa meditatio de ejus laudibus, ubi inter reliqua amoris in Virginem monumenta illud est non vulgare, cùm dixit: *Te Domina magna, & magna valde, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, desiderat te venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea. Enitimi viscera animæ meæ, enitimini quantum potestis sed quidpotestis interiora mea, ut ejus merita laudetis, ut beatitudinem ametis, ut eius celsitudinem admiremini, ut ejus benignitatem deprecemini, cujus Patrocinio indigetis quotidie? Te igitur Mater illuminationis cordis mei, te nutrix salutis mentis meæ, te obsecrant, quantum possunt cuncta præcordia mea. Exaudi Domina, adesto propitia, adjuva potentissima!*

Magnus B. V. cultor S. Ildephonsus.

99. Totum Virgineæ hujus Terræ cultui sese devoverat S. Ildephonsus Archiepiscopus Tolet. lib. de Virg. S. M. cap. 12. *At nunc venio ad te sola Virgo Mater DEI, procido coram te; sola inventa Mater Domini mei. O salutis, ac vitæ meæ simul, & gloriæ præmium, grandi opulentia magnum! O libertatis meæ nobilissimum titulum! ò ingenuitatis meæ præclara conditio! ò nobilitatis meæ adstipulatio insolubiliter gloriosa, & gloria æternitate confecta! Ut ego malè deceptus, ad reparationem meam fieri concupiscam servus Matris Domini mei, ut ego olim in Protoplasto Angelica communione sejunctus, Ancillæ, & Matris Factoris mei merear confici servus. Ut ego idoneum opus in manibus summi Dei impetrem in servitute puerperæ Virginis, jugi servitutis devotione ligari.* Utque ostendat quantâ cum efficacia Virgineæ huic servituti totum sese mancipari desideret, ipsius Dei, Virginísque filii opem ad hoc præstandum plurimorum, ad affectum majorem in Virgine demonstrandum facta aggregatione implorat: *hoc mihi præsta JEsu DEus Fili hominis, hoc mihi tribue Domine rerum, & Fili Ancillæ hoc mihi largire humilis DEus in homine! &c. Ita serviam Matri tuæ, ut ex hoc ipse me probes servisse tibi: Ita Dominium ejus me teneat in sæculum, ut tu sis meus Dominus in æternum. Quàm promptè servus hujus Dominæ effici concupisco, quàm fideliter servitutis hujus jugo delector, quàm plenè famulari hujus imperiis opto, quàm ardenter ab illius Dominio dissociari non quæro, quàm avidè ab ipsius famulatu nusquam abstrahi cupio, tam verè illi serviendi facultatem inveniam, tam verè illi serviens gratiam illius merear, tam verè in servitute ejus sine interruptione detinear, tam verè nusquam æternitatis ipsius jucunditate disjungar.* Hæc S. Antistes; cujus sanè piissimus, ardentissimúsque in colenda Virgine affectus omnibus ejus clientulis jure meritò summo studio æmuladus est.

100. Quid jam de iis dicemus, qui non modò piis affectibus, verùm etiam effectibus Terram hanc Virgineam coluêre. Sanè Reginaldus Aggellus ord. Divi Dominici operis domestici adjutor, sancta

Reginaldus Aggellus ord. S. Dominici intra diem & noctem millies genuflexus B. V. salutabat.

sua cum simplicitate intra noctem, diémque unam millies genua in terram salutando, summo ardentissimóque affectu, Angelica salutatione Deiparam, figebat. Quô sanè pietatis exercitiô maximis cœli muneribus locupletari meruit. Kal. B. V. 5. Febr.

Columba ord. S. Dom. quod licet infestata à dæmone constans permanserit in cultu Mariano, meruit in nocte nativitatis Domini JEsum videre in præsepio.

101. Columba quoque Reatina ejusdem ord. quæ circa Annum 1510. vixit, tanto amore in unam hanc columbam electam ferebatur, ut postquam eam sibi peculiarẽ Advocatam elegisset, adeò frequenter per diem Angelicis verbis in genua procidens consultabat Deiparam, ut Cacodæmon furore percitus rosarium, quô in ea salutanda utebatur, aliquoties diruperit, globulósque hùc, illúcque dissipârit: quô eam à tam pio Deiparæ cultu, honore, sanctáque exercitatione averteret, atque impediret.

Verum ne quicquam frendente humani generis hoste, cùm illa in proposito colendi DEI Matrem firma persisteret, variis Dei donis, ac gratiis cumulata fuit; inter quas sanè illa fuit memorabilis, quod ipsa illa Natali salvatoris consecrata nocte, videre meruit parvulum in præsepio vagientem, pannis involutum cùm Matre ejus sanctissima, ejusque sponso Josepho, simúlque cœlestem Beatissimorum spirituum, Gloria in Excelsis Deo modulantium, Symphoniam. Kal. B. V. 20. May.

B. Maria Pazzia ord. S. Dom. ob cultum Marianũ meruit desponsari Christo Domino.

102. Quid de B. Maria Razzia ejusdem Dominicanæ familiæ stella fulgentissima dicam? Hæc in cultu Deiparæ adeò sedula fuisse memoratur, ut Dei Mater ipsius capiti speciosissimum diadema imposuerit, eámque Reginam proclamârit. Insuper dilectissimo suo filio Regi Regum Christo tandem despondit insertô digitis summi pretii annulô pro arrha sponsalitiorum, futuríque in cœlo matrimonii castissimi, ubi lætissimæ hæ Agni nuptiæ summo cum gaudio celebrabuntur. Quâ sanè tam insigni in Virginem hanc benevolentiâ Virgo nostra clarè ostendere voluit, eos, qui ejus cultui, amoríque sunt addicti, adhuc in hac vita summum Imperium, Regnúmque, ac Coronam immarcescibilem æternitatis indepturos.

Cum cultores B. V. tam uberes fructus proferant, uti Boëtius ad Philosophiam, sic Author operis mortales ad cultum Mariæ hortatur.

103. Cùm ergo Terra hæc Virginea suis cultoribus tam varios, támque uberes fructus proferat, eósque tam mirificè cœlestium donorum copiâ locupletet; libet hujusmodi Virgineos cultores eisdem ad colendam Deiparam hortari verbis, quibus Severinus Boëtius lib. 3. de Conf. Phil. met. 13. Philosophiam mortales ad sui amorem excitantem introducit.

Huc omnes pariter venite Capti.
Quos fallax ligat improbis catenis,
Terrenas habitans libido mentes;
Hic erit vobis requies laborum:
Hic portus placidâ manens quiete:
Hoc patens unum miseris Asylum.
Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi
Candidis miscens virides lapillos,
Illustrant aciem, magísque cæcos
In suos condunt animos tenebras.
Hoc quidquid placet, excitáque, mentes,
Infimis Tellus aluit Cavernis.
Splendor, quô regitur, vigétque cœlum,
Vitat obscuras animæ ruinas.
Hanc quisquis poterit notare lucem,
Candidos Phœbi radios negabit.

104. Adeò enim Virgineæ gratiæ lux clara, ac splendida est, ut hujus aspectabilis solis jubar non satis can-

Illuminatrix Virgo roganda, ut nos illuminet.

candidum, nitidúmque eſſe fateri cogamur. Cùm enim illa ſit ſecundùm nominis ſui Etymon Illuminatrix, & æviterno ſole juſtitiæ amicta mulier, clariſſimis ſanè radiis cultores omnes ſuos illuminet, neceſſe eſt; ut agnitis, proculcatiſque terræ fallacibus divitiis, aliisq; vaniſſimis inconſtantis fortunæ ludibriis veras cœli opes, bonáque ſempiternæ illius Terræ viventium appetamus. Quare hæc Illuminatrix Virgo, hæc Terra, quæ ab Angeli illius de cœlis deſcendentis, Incarnati nimirùm Verbi gloria reſplenduit, aſſiduè roganda eſt, ut mentis noſtræ oculis lumen Divinæ gratiæ porrigat, quò perſpectis terrenarum rerum, mundíque Vanitatibus, ac deliramentis, quæ ſurſum ſunt, quæramus, ubi Chriſtus eſt in Dextera Dei, ubi ipſa eſt Mater noſtra ſanctiſſima, ac Beatiſſima ſedens, quæ ſurſum ſunt, ſapiamus, non quæ ſunt ſuper terram; ut docet Apoſtolus: quod ſanè facili negotio conſequemur, cùm ipſa filios ſuos ſibi ſimiles, totos cœleſtes, totos puros, immaculatóſque indolem ipſius Divinam æmulantes eſſe percupiat.



DISCURSUS SECUNDUS.

VIRGO DEIPARA MONS ALTISSIMUS.

Necdum Montes gravi mole conſtiterant; ante colles ego parturiebar. Prov. 8. v. 25.

1.

Eximiæ montium proprietates adumbrant Dei Matrem.

INter terræ partes eminentiores Montes computantur; qui eam ob cauſam à Deo potiſſimùm videntur conditi, ut terram ab inundatione & impetu aquarum, mariúmque ſævientium injuriis tuerentur. Montes hi eximiè ſuis proprietatibus adumbrant DEI Matrem, in quam Univerſorum Conditor, ſicut reliquarum Creaturarum, ſic Montium in illam contulit perfectiones. Hinc illa apud Salom. Prov. 8. 25. gloriabatur. *Necdum montes gravi mole conſtiterant, ante omnes colles ego parturiebar.* Quaſi diceret: Cum de Montibus, collibúsq; creandis Divinâ ſuâ mente Univerſi hujus Architectus cogitaret, in me priùs convertit obtutus, ſtatuítque eorum mihi conferre perfectiones, ſtabilitatem nimirum, ac firmitatem Conſtantiæ, ac fortitudinis, virtutis ſublimitatem, humilitatis radicem, ac profunditatem, Terræ denique, atque adeò totius Mundi adversùs aquarum, mariúmque undas propugnationem, ac defenſionem.

B.V. eſſe montem altiſſ. mũ omniũ Angelorum & hominum ſanctimoniam & perfectionem tranſcendentem, varij teſtantur Patres.

2. Quod porrò Virgo Deipara adhuc parvula, imo mox atque nata eſt, magnus quidam, altiſſimùsque mons omnium Montium, id eſt tam Angelorum, quàm hominum ſanctimoniæ magnitudinem, ſublimitatémque perfectionis tranſcendens exſtiterit, Varij atteſtantur Patres. Inter quos agmen ducat S. Joannes Damaſc.

masc. orat. 1. de Nat. B. Virginis, ubi Creaturas omnes ad novam lætitiam exoriente in Mundum hunc velut novâ, luce Deiparâ, invitans, ipsos etiam Montes ad exultandum, gratulandúmque excitat: *Exultate*, inquiens, *montes*. 1. *ratione prædita naturæ, quæ ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis, siquidem Clarissimus Dei Mons paritur; mons, inquit ille, qui collem omnem, ac montem* 1. *Angelorum, hominumque sublimitatem exsuperat, ex quo citra omnem manuum operationem more corporeo exscindi, velut lapis angularis Christus unica persona, distinctas naturas inter sese uniens, divinitatem scilicet, & humanitatem, Angelos & homines, Gentiles & Carnalem Israëlem. Mons Dei, mons pinguis, mons Coagulatus, mons in quo Beneplacitum est Deo habitare in eo.* Sic ille.

3. Sanctus Gregorius Papa lib. 1. cap. lib. Regum: non modò Montem Virginem, verùm montem super verticem omnium montium exaltatum appellat. Dum enim Verba illa: *Fuit Vir unus de Monte Ephraim*, ponderaret, dixissétque Montem Ephraim esse cœlum, quod Monsfrugifer est, qui æternæ pulchritudinis flores, & fructus indeficientis gaudii semper profert; Virum verò illum unum Dei filium, Virum planè Unicum, ac singularem inter Mortales omnes intellexisset, qui de se ipso dicit: *Ego sum panis Vivus, qui de cœlo descendi*, ubi inquam, hæc, aliáque præmisisset, ut ostenderet Cœlo, de quo ejus filius totus cœlestis in terram descendit, similem esse Deiparam, eidem Monti Ephraim frugifero ac fertilissimo eam comparat: *Potest*, inquiens, *hujus montis nomine Beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari: Mons quippe fuit, quæ omnem electæ Creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non Mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit: Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias Vaticinans ait*, c. 2. *erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe, & domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc Divina fœcunditas non levaret. Et Domus Domini non fieret, si in ejus ventre per assumptam humanitatem Verbi Divinitas non jaceret. Sed rectè Mons frugifer dicitur, de quo optimus fructus, id est, novus homo generatur; quam certè in fœcunditatis suæ gloria pulchram, ornatámque Propheta respiciens, ait: Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. De fructu hujus montis rursus*, Isa. 4. *erit fructus terræ sublimis. Nam quem Virgo genuit, non solùm homo factus fuit, sed etiam potens DEus. Rectè igitur mons Ephraim dicitur, quæ dum ineffabili dignitate divinæ generationis attollitur, in ejus fructu arida humanæ Conditionis germina revirescunt.* Hæc Gregorius.

Per montem Ephraim designatur B. V.

4. Ex quibus causam tam eminentis in Virgine sublimitatis colligimus esse ipsam Divinam Maternitatem qua Dei domus, atque habitatio effecta, in montem sublimissimũ supra vertices reliquorum montium collocatum, cœlósque ipsos ad instar Atlantis attingentem evasit; simul innuens, eam omnium sanctorum, ac

Causa tam eminentis in Virgine sublimitatis est ipsa maternitas Divina.

ac ſanctarum, ipſorum quoque Angelicorum Spirituum merita, ſanctimoniámque plurimis paraſangis tranſcendiſſe. Nemo enim iſtorum verticem ſuum usque ad ſolium Deitatis erexit, ut Virgo, quæ ſuper ipſos ſeraphinos evecta proxima Filio thronum Regalem omni purâ creaturâ eminentiorem, ipſa per ſe Hierarchiam conſtituens, obtinuit. Atque ita tam Angelis, quàm ſanctis omnibus perfectiſſimæ ſanctitatis Idea à Deo, editiori loco ad imitandum conſtituta eſt, ut ad ejus exemplar, quoad fieri poteſt, omnes conformentur. Reperitur enim in Virgine hac Virginum omnium Regina purior præ cæteris Virginitas, cujus amore oblectatus Dei Filius de ſinu Patris in puriſſimum ejus uterum deſcendit. Reperitur major ſcientia, ac ſapientia, quàm in Doctoribus; cùm fuerit Magiſtra Magiſtrorum, Doctrix Doctorum, denique ipſius increatæ ſapientiæ parens. Reperitur fortior patientia, quàm in Martyribus; ſiquidem prope crucem Filii ad inſtar montis tot dolorum procellis expoſita ſtetit inconcuſſa. Fuit illi clarius lumen Propheticum, quàm Prophetis, utpote quæ adhuc in Utero Matris deliteſcens viſione beatificâ, ac lumine gloriæ, uti & aliàs ſæpiùs perfruita eſt. Habuit ardentiorem zelum divini honoris, quàm Apoſtoli, quia tota igne charitatis velut Rubus ardens deflagrabat. Lampades enim ejus lampades ignis & flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. In illam denique omnium cœleſtium Hierarchiarum perfectiones ac prærogativæ, velut ampliſſimi quidam fluvii in immenſum quendam oceanum confluxerunt; gratiæ denique omnes velut lucidisſimæ ſtellæ in firmamento in ipſius benedicta anima domicilium ſuum defixêre.

5. Quare P. Bernardus Bauhuſius noſter, Vates Virginis ſtudioſiſſimus, ut eximiam Dei Matris dignitatem, ejusdémque eminentiſſimam perfectionem omnium creaturarum pulchritudinem complectentem, ſimúlque tranſcendentem declararet, Verſiculum hunc Heroicum velut Epitomen Virginearum laudum

Laudum Marianarum Epitomen exprimit noſter P. Bauhuſius uno Verſiculo, qui millies & vigeſies bis ſalvo ſenſu & Heroici carminis lege verti poteſt.

Tot tibi ſunt dotes Virgo, quot ſydera cælo;

Compoſuit, eidémque dedicavit his verbis:

Divæ, optimæ, Maximæq; Matri Virgini Mariæ,
Admirabilem hunc unius libri verſum,
Unius versûs librum, Chriſtianum Proteum,
Tot ora ſcilicet, quot cælum ſydera gerentem,
Noſtri in cœli Reginam affectûs monumentum
Hoc ponimus ſempiternum.

Simúlque addit, verti poſſe millies, bis viciésque, ſalvo ſenſu, & Heroici carminis lege. Qua tam multiplici verſione numerus ſtellarum, ſive perfectionum, ac dotum, quæ hoc Virgineo cœlo reſplendent, deſignatur. Quemadmodùm enim in firmamento communi Aſtronomorum conſenſu, ut videre eſt apud Clavium in 1. Caput Sphæræ; mille & 22. ſtellæ partim primæ, partim ſecundæ, tertiæ &c. magnitudinis, 48. Aſteriſmis, ſeu conſtellationibus comprehenſæ numerantur; ſic in Virgine noſtra glorioſiſſima, Virtutes omnes, quæ ſive in Angelis, ſive Juſtis, ceu luciſſimæ ſtellæ inanimatis hiſce cœlis emicant, jubare longè excellentiori orbi affulgeſcunt. Jure igitur Virgo mons in vertice Montium ſita perhibetur, ſiquidem omnem & Angelicam, & humanam, quantumvis eminentiſſimam perfectionem, ſanctitatémque tranſcendit.

In firmamento numerantur mille 22. ſtellæ apud clavium in 1. cap. Sphæræ.

L 6. Agno-

B. V. Mons quem Daniel vidit, quem David cecinit; mons Sion in quo Deo habitare placuit.

6. Agnovit montem esse Deiparam B. Andreas cretensis Episcop. Hierosol. orat. in Ang. salut. dum eam ita compellat: *Sola tu vere benedicta es, quam montem magnum Vir ille desiderabilis vidit Daniel; montem obumbrantem, sive umbrosum Abacuc ille Admirabilis montem Dei, montem pinguem, montem quoque jucundum, montem, quem Deum inhabitare placuit; de quo Protopater tuus, & Rex divino afflatus spiritu cecinit.* Idem orat. 2. de dormit. B. V. *Te quoque Prophetans,* inquit, *Vir ille desideriorum magnum vocavit montem, & lapidem sine manibus viri ex te sumptum, non excisum, ablatum, non divisum, assumptione humanitatis nostræ. Tu es mons sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo Beneplacuit, Deo habitare, ex quo in carnem concretus is fuit, coagulatus, qui est superessentialis. O mons umbrosus, non adumbrans ingratum populum Judæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctam maternis tuis tædis illustrans.* Sic ille.

7. Similiter Rich. à S. Laurentio lib. 8. de laud. B. V. eam vocat montem Dei, montem pinguem, Montem coagulatum ac pinguem, pinquedinémque hanc ejus, fertilitatémque virtutum Variarum declarat. Hæc est mons pinguis pinguedine Charitatis, adipe devotionis, ubertate fœcunditatis, oleo misericordiæ & pietatis, butyro mansuetudinis, melle contemplationis, crassitudine gratiæ singularis. Et notandum bis dici, mons pinguis Psal. 67. quia & pro se, & pro omnibus nobis data sunt ei omnium charismata gratiarum.

8. Verissimè enim dixit D. Laurentius. Justin. in M. S. Codice apud Novarinum: *Mons coagulatus est nutriens parvulos lacte, mons pinguis, fertilis plane, cibans perfectos.* Sanctus Athanasius quoque Virginem Montem sion appellat, quæst. 117. Cùm enim quæsisset, quid mons sion iste, in quo inhabitâsti in eo? Respondit: *Divina scriptura montem vocat propriè sanctissimam Deiparam Virginem, veluti, cùm inquit, mons Deo placuit ad habitandum in eo. Nam Dominus æternum inhabitabit. Et alicubi habetur: DEus à Theman veniet, & Sanctus de monte opaco, & denso. Mons autem ibi dicitur S. Virgo Maria; quia sicut ii, qui campo aberrantes, & calore æstuant, si montem subeant, velut rore conspersi in umbra subter arbores montis, vel aqua sedant æstum flammæ; ad eundum modum hominibus quoque facta est S. Virgo, quæ rore quodam sui partus animas hominum æsti peccati confectas in vitam revocavit, & in umbra alarum sui Filii collocavit.*

Maria Mons qui umbra protegit, & rore suo æstum peccati restinguit.

9. Rursus S. Joann. Damasc. Virginem Montem Sinai, in quo lex Divina in tabulis lapideis digitis Dei exarata Moysi tradita fuit, meritò appellat: *Maria,* inquiens, *Mons DEI, mons pinguis, mons coagulatus, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Mons sina Sanctior, quem non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis contegit; verùm illuminandi vim habens Spiritûs Sancti splendor. Illic enim DEI Verbum tanquam Dei spiritu legem saxeis tabulis inscribebat: hic autem ex Spiritu Sancto, & Virginis sanguine Verbum ipsum carni inscriptum est: illic manna, hic ipsum manna suavitate donarat.*

Maria Mons Sinai in quo lex Divina in tabulis lapideis digitis Dei exarata.

10. Rupertus Abbas lib. 2. cap. 25. de divinis officiis vocat Deiparam *Montem myrrhæ, & collem thuris.* Cant. 4. Fuit enim tam ob jugem sui mortificationem, quàm ob dolores, acerbissimósque Filii

Maria Mons myrrhæ & collis thuris ob compassionem cum Christo, patiente.

Filii cruciatus, quos corde, animóque suo perpessa, mons quidam ingens myrrhâ amaritudinis plenissimus.

11. Hinc Card. Hulgrinus reddens rationem, cum mons myrrhæ Virgo dicatur; *quia*, inquit, *major acerbitas doloris esse non potuit in corde matris*. Unde in persona illius dicebat illa Noëmi Ruth. 1. *nolite me vocare Noëmi* id est pulchram, *sed vocate me maram, quia amaritudine replevit me Dominus*. Nam ut inquit B. Laurentius Justin. lib. de agone Christi: *Cor Virginis factum fuit Dominicæ passionis Imago, & Vulnera Christi, quæ in corpore Christi erant dispersa, in corde Virginis fuerunt collecta*, ut loquitur S. Bonavent.

Cor Virginis factum fuit dominicæ passionis Imago.

12. Collis etiam thuris fuit Virgo nostra ob assiduum orationis, meditationísque studium, atque Vigilantiam, cujus sibi probè conscia aiebat: *Ego dormio, sed cor meum vigilat*, nam ut ait S. Ambrosius; *Cum dormiret corpus, vigilabat animus*. Atque ita assiduâ hac orandi vigilantiâ dirigebat orationem suam, sicut thus & incensum thymiamatis in conspectu Divinæ Majestatis, ipsiúsque orationis collis quotidie vertice suo quodammodò cœlos attingebat, faciebátque, ut cœli gratiarum copiosiores imbres in Universum genus humanum distillarent.

Collis thuris B. V. nominatur ob assiduũ Orationis studium.

13. Et licet semper Virgo fuerit Mons Myrrhæ, fuit tamen vel maximè triduo illo, quo dilectissimus ejus filius mortuus in sepulchri tenebris delitescebat, cui & ipsa consepulta doloris acerbitate, compassionísq; magnitudine videbatur; Tunc etiam fuit collis thuris, quia ut ipsius resurrectio ad consolationem, ac firmamentum mœrentium, ac vacillantium Discipulorum, quantociùs acceleraretur, anhelabat: *Exurge*, inquiens, *gloria mea, exurge Psalterium & Cythara;* Cui Christus mox respondit: Exurgam diluculo, atque ita ibo mihi ad montem myrrhæ, & collem thuris, efficiámque, ut mons iste stillet dulcedinem, & collis hic fluat lacte & melle adeò Copiosè, ut uberrimi ipsius dulcedinis rivi in mundum redundent Universum.

Præcipue in triduo quo Christus in sepulchro delituit comprobabat se B. V. montem myrrhæ & collem thuris.

14. Fuit quoque Virgo nostra mons myrrhæ odoris suavissimi; fuit Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & Universi pulveris pigmentarij, cùm virtutum præclarissimarum odore summum cœlorum Regem stellato in solio sedentem recreavit, eúmque ad humilitatem Ancillæ suæ benignè respiciendam inflexit. Fuit collis thuris cum ardentissimis Votis, ac desideriis, precúmque suarum Calentissimarum instantiâ Incarnationem Verbi æterni pro redimendis è Sathanica Tyrannide mortalibus expetebat.

15. Quæ quàm gratæ, quàm efficaces in Conspectu Divinæ exstiterint Majestatis, ipsa de se fatetur. Cant. 1. dum preces, humilitatémque suam, virtutésque reliquas nardo, suavissimum odorem exhalanti comparavit. *Dum esset*, inquiens, *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*.

Quam gratæ Deo fuerint preces B. V. & virtutes ipsa de se se fatetur cant. 1. nardus mea dedit odorem suum.

16. Richardus lib. 8. varios montes Coacervat, aitque omnes repræsentare Deiparam: *Hic est mons*, inquit, *in quo odorare debent veri Judæi* Joa. 4. Quia reverà Virgo præ omnibus sancta, utpote Dei Mater, & quæ solo Deo excepto major existit, ut loquitur B. Andreas Cretensis Episcopus, cultu hyperduliæ colenda, atque adoranda est. Hic est Mons Galaad Gen. 31. ex lapidibus Compositus, qui interpretatur Acervus testimonij; quia in Virgine conveniunt omnia testimonia scripturarum veteris ac novi testamenti; & tam oracula Prophetarum, quàm opera

B. V. mons Galaad qui interpretatur acervus Testimonii quia scriptura Veteris & novi testamenti præbet de illi Excellentia testimonium.

pera Patriarcharum ei reddunt testimonium.

17. Hic est mons Oreb Jud.7. quod mensa interpretatur, quia ejus lacte velut delitiosissima mensa refectus est ille, *per quem nec ales esurit*. Hic est mons Thabor, quod lumen veniens significat: quia in illam primò venit Verbum æternum, lux illa vera, & per eam lumen æternum venit sedentibus in tenebris, in eáque transfiguratus est omnium Dominus formam servi accipiens.

B.V. Mons Oreb, mons Thabor dicitur.

18. Hic est mons ille umbrosus & condensus, de quo Abac. 3. *DEus à libano veniet, & Sanctus de Monte umbroso, & condenso.* Beata Virgo est mons ob Sanctissimæ suæ Conversationis eminentiam: est Libanus 1. Candor, ob Virginalis puritatis prærogativam: est mons umbrosus, quia Virtus Altissimi obumbravit ei in Conceptione filii Dei, qui est Lux inaccessibilis lucem inaccessibilem inhabitans. Ipsa est mons Condensus per Universarum Virtutum multitudinem, quæ in condensitate arborum designantur; quia in hoc Monte quasi à Divina sapientia consitæ creverunt omnes Virtutes in superlativo: Ipsa est mons in Vertice Montium, utpote super choros Angelorum exaltata, ad quem fluent omnes gentes.

B.V. Mons Libanus.

19. Agnovit Montem esse umbrosum, & Montem Sion Deiparam B. Georgius Nicomed. Archiep. orat. de Præsent. B. Virginis, dum templum, quod ingrediebatur Virgo, sic alloquitur: *Accipe umbrosum Montem, in quo Verbo placuit habitare, in quo cum recubuisset natura, exustionem peccati declinavit. Ex quo sine manibus devolutus lapis angularis, inimici contrivit Imaginem, & redegit in pulverem. Accipe Sanctam Sion, quam elegit opifex, quam Verbo providentiæ paravit ante Sæcula, in qua in Carne est genitus, ex qua progressus vires Contrivit impiorum.*

Mons Umbrosus.

20. Omitto plurima alia Patrum testimonia, quibus Virgo Mons esse perhibetur. Et verò nil mirum illam montem appellari consuevisse, cùm & ipsi ejus Parentes Joachim & Anna sublimitate, excellentiáque meritorum montes esse dicantur. Unde congruum fuit, ut tam sancti montes, montem tam ingentem sublimémque, in quo DEus inhabitaret, parturirent. Hinc S. Damascenus orat. 1. de Nativ. B. Virginis *Joachim*, inquit, *& Anna tanquam Spirituales montes dulcedinem stillârunt.* Illi siquidem canit Ecclesia: *Vita, dulcedo, & spes nostra salve.*

Parentes B. V. Joachim & Anna montes dicuntur.

21. Hinc Civitas, in qua nata est Virgo, nempe Nazareth, in monte sita est, ut colligitur ex Evangelio Luc. 4. ubi agens de insidiis Civium ipsius, quibus eum circumvenire attentabant: *Duxerunt*, inquit, *JEsum usq; ad supercilium montis, super quem Civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Qui sanè Virgineæ Patriæ situs ita sublimis, ipsam Deiparæ puritatem nullis peccati in Conceptione maculis aut sordibus obnoxiam designat. Quare de sitûs hujus eminentiâ jure Virgo gloriari posset cum illis, de quibus Hugo de S. Vict. serm. 21. loquitur: *Sunt, qui gloriantur in Civitate in clivo alicujus ardui loci posita, quia Civitas talis cadentibus pluviis lavatur sordibus suis, & habet inde non solùm vias mundas, sed etiam auram salubriorem.* Vituperant quoque Civitates in imo positas propter sordes, & sordium fœtorem, & aëris exinde corruptiones. Ideò fortasse S. Hier. de Nom. Hebraicis, Nazareth munditiem interpretatur.

Nazareth, in qua B. V. nata est, in monte sita est

Ordinariè civitates in clivo positæ vias habent mundas, & auram salubrem.

22. Hinc ordinis Seraphici Bernardinus Bustius Par. Marial. serm. 1. partic. 7. ostendere volens Deiparam jure merito montem super verticem montium exaltatam dici, inter varias rationes, quas apportat, primam ait esse ejus puritatem, quâ tantam loci eminen-

eminentiam est promerita: *Sicut enim gravia*, inquit, *naturaliter tendunt deorsum, ita levia sursum; & quantò aliquid est levius, tantò magis ascendit, donec ad terminum sive sphæram suæ naturæ præfixam attingat. Creatura autem rationalis secundùm spiritum tantò est levior, quantò à peccato purior.* Unde peccatum pondus appellat Apost. Hebr. 12. *Deponentes omne pondus, & circumstans vos peccatum;* Cujus gravedinem senserat Psalmista, dum ajebat: *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt Caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Nulla autem pura Creatura B. Virgine purior, ac consequenter nulla levior, ac proinde super omnes ratione suæ puritatis ascendit. Unde S. Ansel: *Sicut nulla potest sub Deo major puritas, Virginis puritate intelligi; sic sub Deo locus sibi propinquior intelligi non debet illo, ad quem Virgo exaltata est.* Atque ideò S. Bernard. *ô Virgo*, inquit, *Virga sublimis, in quàm sublime Verticem Sanctis erigis usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum Majestatis!* Denique S. Hieron. *Si in domo Patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem Matri filium præstitisse, quam olim ædificavit sibi in domum septem Columnis, id est septem Spiritûs Sancti donis subnixam.* Hactenus Bernard.

Ob puritatis suæ Excellentiam B. V. mons super verticem montium exaltatus dicitur.

23. Cùm igitur Virgo Deipara ad tam sublimem Divinæ Majestatis dignitatem, puritatémq; plùsquàm Angelicam, quáque sub Deo major, puriórque nequit intelligi, â primo Conceptionis instanti fuerit electa; meritò à sublimibus illis eximiæ sanctitatis montibus Joachimo, & Anna, velut alter inusitatæ magnitudinis, ac celsitudinis mons in lucem editur, meritò in montosa Urbe Nazareth originis suæ radices defigit, nobísque ad montem Domini, ad locum sanctum ejus, ad cœlum videlicet iter sternit. Unde B. Joannes Geometra Hymno 2. ita illam salutavit: *Salve Virgo, novum quæ clivum montibus altis ostendisti, unitritum hominum generi.*

Ob excellentiam & puritatem plus quam Angelicam â sublimib⁹ sanctitatis montibus Joachim & Anna, in Urbe montosa Nazareth nasci decuit.

24. Montis ergo hujusce Virginei sublimitas est ipsius eminentissima puritas, quâ illa tumentibus divinæ iræ fluctibus ad peccatores perdendos insurgentibus sese opponit. Hanc enim ob causam Universorum Opifex montes è terra exstare, & attolli jussit, ut nimirum Continentem terram à pelago sejungeret, nè inundantes aquæ, rabidíque fluctus eam demergerent.

Creator DEus montes è terra attolli jussit, ut continentem terram à pelago sejungeret.

25. Agnovit immane quoddam pelagus Divini Numinis iram esse Job. 31. 23. Cùm dixit: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui DEum, & pondus ejus ferre non potui.* Quàm porrò hi Maris fluctus formidandi sint, facilè intelligemus ex Ovidio, qui eos egregiè descripsit, ut ex illis Justissimam Judicis supremi iram intelligeremus. Sic igitur ille lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Maris irati fluctus descripti ab Ovidio comparantur iræ divinæ.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
Jam jam tacturos sydera summa putes.
Quantæ deducto subsidunt æquore valles?
Jam jam tacturos Tartara nigra putes.
Quocunque aspicio, nihil est, nisi pontus & æther,
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani murmure venti,
Nescio cui Domino pareat unda maris.
Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis,
Dúmque loquor, vultus obruit unda meos.
Heu mihi, quàm Celeri micuerunt nubila flamma,
Quantus ab æthereo personat axe fragor!

Deus ad tantam celsitudinem montem Marianum evexit, ut coerceret iræ Divinæ pelagus.

26. Quod si adeò horribiles sunt Maris tempestates, multò sanè majores sunt iræ divinæ contra peccatores sævientis furores ac procellæ; quibus nisi Virgo se se velut mons opponeret, facilè universum genus humanum interiret. Ideò enim, ut præclarè sentit Pater noster Salazar, *ad tantam meritorum Celsitudinem DEus Mariæ Montem evexit, ut mare à continente secerneret, id est, ut tumidum iræ divinæ pelagus coërceret, ac metaret, ne fortè peccatis nostris tanquam validissimis ventis in flatus & elatus nos penitùs obrueret. Cùm enim nos omnes tam humiles, & depressi meritis apud DEum simus, sanè ira Dei jam inde multis retrò sæculis nos obruisset, nisi Mariæ Mons defenderet, ac prohiberet.* Sic ille. Unde Zonaras in canone de B. Virgine eam alloquens: *ne tam validi,* inquit, *errorum fluctus Ecclesiam demergant, obyce te Virgo Celsissima.*

Hæresis procellis & conatibus contra Ecclesiā opponit se Mons Maria.

27. Idem Salazar ait Deiparam ad instar montis, insanis hæreticorum procellis, ac conatibus contra Ecclesiam desævientibus se se objicere, eosdémque retundere. *Ipsa enim est, quæ Universam hæreticam pravitatem superavit:* ut ait Sanctus Bern. & Rupertus. Unde ei Ecclesia læta concinit: *Gaude Virgo Maria cunctas hæreses sola interemisti in Universo mundo.* Hinc S. Hieronymus illam *hæreticæ pravitatis contritionem* appellare non dubitavit. Hinc Henricus Spondanus Tomum suum ultimum Annalium Ecclesiasticorum ab Anno Christi 1517. inchoáturus ab infandis hæresibus gravidum opem Virginis ad eas pandendas sibi implorandam jure merito censuit: *ab Hæresum monstris, quæ etiamnum miserum orbem depascuntur, Tomum Tertium inchoaturi, ante omnia Divinum invocamus Nomen per intercessionem ejus, quæ ut sancta canit Ecclesia: Cunctas hæreses sola intermisti in Universo Mundo. B. Virgo, Mater D. N. JEsu Christi, gratiam conferre dignetur, eas rite explicandi, & exponendi; quod id simul sit evertere; Siquidem sapienter Irenæus scripsit: Adversus hæreticos victoria est, sententia eorum manifestatio.*

Henricus Spondanus ultimum Tomum Annaliū inchoaturus B. V. invocat, ut assistat in explanandis hæresibus, quia adversus hæreticos victoria est sententiam eorum manifestatio.

28. Quam porro ob causam Virgo Deipara hæreticæ pravitatis Interemptrix vocitetur, doctè explicuit P. Joannes Baptista Novatus To. 2. de emin. B. V. cap. 7. q. 15. Docétque illam cunctas contrivisse hæreses, quia Christum peperit, qui de se ipso fatetur: *Ego sum Lux Mundi.* Joan. 8. & Joan. 14. *Ego sum via, Veritas, & Vita.* Cùm enim Hæreticorum dogmata tenebræ sint plùsquàm Cimmeriæ, imò Ægyptiacæ, & fumus ac caligo putei, abyssi infernalis, sintque insuper ipsa falsitas à Patre mendacii fabricata, merito B. V. velut Aurora producendo increatam illam lucem, æternámque Veritatem Christum, interimere dicitur cunctas Hæreses, eásque toto mundo profligare. Addit insuper singularem Virgini ad fugandas, interimendásque Hæreses Virtutem, facultatémque Illuminativam divinitùs communicatam esse, ut ita totam irradiaret Ecclesiam, ut errorum omnium tenebras sua luce dissiparet. Quod nobis vel ejus sacratissimum Nomen apertè indicat, quod Illuminatam, & Illuminatricem inter reliqua significata sonat. Unde aureo illi Candelabro in templo Hierosolymitano septem lucernis dies & noctes radianti à Sancto Bernardino Senensi, & aliis conferri consuevit; uti Prima parte D. 7. ostendimus; inter quos Leo orientis Imperator ita Virginem alloquitur, Hom. 6. *Tu tanquam perpetuo lumine collustratum Candelabrum tenebras pellis, liberásque, & liberas à morte peccati totum mundum*

Cunctas hæreses B.V. contrivit, quia Christum peperit, qui est lux mundi, via, veritas, & vita.

B. V. aureo Candelabro comparatur, Magistra Apostolorum & Illuminatrix Evangelistarū dicitur. Cujus Nomen Maria Illuminatricem significat.

dum, & floribus, quos producis, benè olentem efficis, utpote quæ salutis florem tulisti. Aureô hôc candelabrô in hoc Ecclesiæ novo templô primùm illuminati sunt Apostoli, & Evangelistæ: Unde Magistra Apostolorum, & Illuminatrix Evangelistarum dicta est, ut diximus Par. 1. Dis. 13. & ab his lux Divinorum Arcanorum fidei nostræ mysteriorum in totum mundum in Ecclesiæ totius diem ad terram Infernalium horum Tenebrionum Hæreticorum, sacrarum scripturarum lumine effugandam caliginem emanavit. Denique Interemptrix Hæresum omnísque infidelitatis nostræ meritò Virgo dicitur, quia ipsâ velut ingenti Monte Ecclesiam, ejúsque fideles christianos protegente, insignes victoriæ tam de Hæreticis, quàm de infidelibus, ipsâ vires armáque Spiritùs, utpote quæ *Turris* est *David, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium* Cant. 4. suppeditante, reportatæ sunt.

B. Raymundus Abbas Ord. Cist. B. Virginis protectione confisus, contra saracenos in Hispania depugnans eos debellavit.

29. Hujus montis protectione Confisus B. Raymundus Abbas, cultui Virginis vir addictissimus, ordinis Cisterc. illustre sydus, contra saracenos in Hispania depugnans eos debellavit, eísque Urbem calatravam ademit. De hoc Chrysostomus Henriquez in suo Menol. Cisterc. ad 1. Diem Febr. *In Hispania B. Raymundus Abbas B. M. de Fitero, qui postquam Verbo & exemplo ad omne opus pietatis suos induxisset, copiosum exercitum fidelium collegit, & Saracenos fugavit, multas Urbes subjecit, & ad fidei propagationem Ordinem militarem sub regula Cisterciensium instituit.* Quâ porrò ratione exercitum hunc coëgerit Raymundus, ex M. S. libro Morimundensium liquet, ubi sic habetur: Idem Abbas reversus ad suum Monasterium de Fitero armenta, greges & cætera mobilia, quibus tunc Monasterium abundabat, nec non & multitudinem Monachorum, & Fratrum ac sæcularium Bellatorum, quibus stipendia ministravit, secum adduxit. Cùm igitur exercitu, patrociniô sine dubio fretus cœlorum Reginæ, cujus protectioni totus ille sacer ordo est subjectus, Calatravam est aggressus; expugnatísque, ac profligatis felicissimè Dei, Deiparæque virtute calatravam occupavit; quam postea pientissimus Hispaniarum Rex Sanctius gratus Deo, ejusque Matri, totíque ordini facta charta donationis, ut ipse loquitur in privilegio, in perpetuum valituræ, Deo, & B. Mariæ donavit, ut habeant, & possideant liberam, ac quietam jure hæreditario deinceps in perpetuum, & defendant eam à Paganis inimicis crucis Christi ejusdem, suóque adjutoriô. Ut ostenderet porrò Rex religiosissimus suam in Deum singularem pietatem animúmque, ac voluntatem liberalem, hæc adjunxit: *Et hoc facio vobis pro amore Dei, & salute animæ meæ, & Parentum meorum, ut Deus per vos honoretur, & ut Regnum nostrum augmentum, & protectionem vestro, Omnipotenti Deo, gratissimô famulatu recipiat. Si quis hoc factum nostrum Divino munere inchoatum infringere voluerit, sit maledictus, & excommunicatus, & cum Juda proditore Domini in inferno damnatus.* Audiant hoc hujusce nostræ tempestatis Politici, qui haustô superiori sæculô ex perversô nefandi Lutheri dogmate lethali venenô, Ecclesiasticos tot, támque ampla bona possidere non ferentes, ganniunt, ea illis omnino esse adimenda. Unde quibus possunt artibus, ac machinationibus agunt, ut importunis, ne dicam injustis exactionibus onerentur. Caveant hujusmodi, nè maledictiones Judæ ejusdémque æviterna damnatio eos consequatur, inque caput eorum conquiescat.

Cisterciensium ordini, quod Abbas B. Raymundus urbē calatravam Saracenis in Hispania eripuerit, Rex Hispaniarum Sanctius eandem in perpetuum donavit.

M 2 30. A-

30. Aliâ longè mente, animóque Christiani antiqui Principes, ac præsertim Hispaniarum Reges fuerunt in Religiosorum, ac præsertim Cisterciensium familias, quas tot largis támque munificis donationibus in animæ suæ, antecessorúmque suorum refrigerium locupletârunt; maximè in Hispania, postquam B. Nivardus Frater S. Bernardi natu minimus Sanctum illum ordinem, propugnavit. De quô audire libet Joannem Seifridum Abbatem Doctissimum: *quantum hæc Cisterciensis Vinea*, inquit ille, *à Nivardo in Hispanias transplantata, atque mox liberalitate, ac munificentia Regum fossa, & quasi compluta brevi tempore creverit in Vineam magnam, palmitésque suos extenderit usque ad mare, ejusque ad flumina Lusitaniæ propagines suas, longum esset hic recensere: Illud dumtaxat hic commemorabo Ordinem Cisterciensem in nullo orbis Christiani parte adeò floruisse, atque in Hispaniæ, Aragoniæ, ac Lusitaniæ Regnis. Nam esto affulserit hæc sacra familia Tolosanæ Provinciæ Albigensium Hæreticorum tenebris obscuratæ, quasi Aurora consurgens; fuerit inter tot luculenta diversorum Ordinum Gallicanæ, & Germanicæ Ecclesiæ sydera, Pulchra ut Luna; fuerit in Italia ad tuendam fidem Apostolicam, Romanorúmque Pontificum auctoritatem conservandam, Electa ut sol: in nullo tamen, quàm in Hispaniæ Regnis fuit terribilis, ut castrorum acies ordinata. Nam in aliis quidem orbis christiani partibus Cisterciensenses contra spiritualia nequitiæ viriliter dimicare ex instituto consueverunt spiritualibus armis, oratione, jejunio, corporis maceratione, & his similibus; sola verò Hispania præ cæteris hac se laude jactare potest, quod pepererit, & continuò nutriat, ac foveat in suo gremio Instituti Cisterc. homines, qui ut strenui cooperatores spiritualis fabricæ aliis una manu, dexterâ scilicet, indefatigabiliter laborantibus, & opus Domini facientibus, ipsi, ut apud Esdram dicitur, alterâ teneant gladium &c. quò videlicet Hæreticos, & implacabiles Christianæ Religionis hostes Infideles, præsertim verò Saracenos, trucidant, eosque Dei, ejusque Matris protectione, auxilióque fulti ex Regnis illis exturbarunt.*

Cisterciensium Religio à S. Nivardo S. Bernardi fratre in Hispanias transplantata, & liberalitate Regum dotata, præcipus floret in Hyspaniæ, Aragoniæ & Lusitaniæ Regnis, in quibus Terribilis ut castrorum acies ordinata.

31. Unde rursus hæc Virgo fortis, ac magnanima, terribilis ut castrorum acies, ordinata, perditissimis Albigensium Hæreticorum conatibus objecit sese instar montis, Monachorum ejusdem Cisterciensis Ordinis provocata precibus, eo tempore, quô Petrus Aragonum Rex eorum fautorem Raymundum Tolosatium Comitem adjuturus cum centum millium circiter armatorum copiis in campum processit. His tam ingentibus copiis comes Montis fortis, socio B. Arnoldo Abbate Cisterciensi cum modico exercitu cruce signatorum obviam processit. Equitum siquidem numerus octingentos non excedebat; peditum verò adhuc erat inferior. Cùm verò Comes hic Monfortius admoneretur, ut exercitum suum lustraret, in Deum, ejúsque Matrem totam suam spem, fiduciámque velut in fortiores, validiorésque montes, à quibus auxilium speraret, reponens, Respondit: *Satis sumus Deo adjuvante ad vincendos hostes, neque opus est exercitum censeri.* His itaque Cœlestibus instructus præsidiis cum hostibus magno ardore animi conflixit Monfortius, & mox prima, & secunda Crucigerorum turma divinô planè impulsu magnanimiter in medias hostium acies penetravit; ipse verò, qui in tertia turma erat, sinistro ex latere hostes adortus est, Atroci conserto prælio, mox

Cisterciensium monachorum, & B. Arnoldi Abbatis precibus B. V. adstitit Monfortio Comiti, ut cum suo modico manipulo de innumerabili Albigensium hæreticorum exercitu victoriam reportaverit.

mox Rex Aragonum cecidit, magna inimicorum consternatio & confusio secuta cum clade ingenti, & fuga turpi. Dum conseruntur manus, Monachi cum sancto Dominico & B. Arnoldo suo Abbate DEum exercituum precabantur, pro causa sua staret, Ducem se suis militibus præstaret, crucem, quam pro insigni militiæ accepisset, invictam vellet, ídque ipsius DEI Matris Reginæ Cœlorum potentissimæ intercessione efflagitabant. Nec spe suâ frustrati sunt boni illi Religiosi.

32. Ingenti hoc Virgineo Monte protectus primus ille Christianorum Imperator Constantinus, spes suas universas post DEum in Deiparam collocârat. Unde in 6. Synodo Constantinopol: sub Agathone Papa ita publicè locutus esse perhibetur: *Speram' veram, ac celerem salutem à multorum munerum datore Deo, intercessionibus Sanctæ & immaculatæ Dei Genitricis suscipere.* Unica enim post DEum spes nostra Deipara, insignibus prodigiis præsentissimam suam opem contestata est: Cùm enim nobilis quidam Eques Alanus nomine cum parva suorum militum manu ingentes hæreticorum copias, numerò & viribus longè impar, multis jam acceptis vulneribus hostili esset circumdatus agmine, extemplò vidit sibi adesse felicissimam Dei Genitricem, velut invictam quandam Bellonam hæreticos prosternentem, ac profligantem. Alteri quoque militi Antonio inter præliandum sæpiùs periclitanti ignota legio, sine dubio Angelica, ab eorum Regina submissa præstò fuit. Non semel etiam ingravescente pugnâ, cœlitus globorum ignitorum grando hostiles Copias obruit, attrivítque. Aliàs jaculis desuper missis innumeri sunt confixi, obrutíque. Atque ita Virgo gloriosissima tam immani hæreticorum exercitui, veluti montem ingentem se se opponendo, vim eorum omnem elisit, in nihilúmque redegit, totámque hæreticam pravitatem triumphavit.

Constantinus Imperator spem suam in Virginem immaculatam spes suas reposuit.

Variæ contra Hæreticos Victoriæ.

33. Virgineo hoc Monte protecti in Japonia, gravissimâ sæviente tempestate, ac procellâ â Xogun de Jendo Regni illius Imperatore, ut constat ex literis annuis ad Patrem Generalem datis An. 1623. & 1624. excitata in Christianos, ac præsertim societatis nostræ Patres, aliósque Religiosos Evangelij Prædicatores; qui omnes partim ferro, partim igne, partim gelidissimis aquis demersi; partim in Crucem acti, sacratissima JEsu, & Mariæ Nomina in auxilium, protectionémque suam invocando, vitam pro fide, legéque JEsu Christi profuderunt. Inter hos agmen duxit P. Hieronymus de Angelis, gente Siculus, Dei, ejúsque Matris amore, zelóque animarum ardentissimus; nec non Simon Jempo ejus socius Japon, una cum 50. aliis Christianis, qui omnes flammis exusti sunt, ubi ad aream supplicij generosi Heroës, atque Athletæ Christi venerunt, oculos ad cœlum, quò aspirabant, verterunt, spe pleni, robur ac vires pro ultima pugna deposcunt: Tum â satellitibus quisque ad suum palum alligatur, ubi subjectis facibus ardere materia cœpit, & crepare undique flam̃a; felices illæ animæ nihil aliud, quàm sanctissima, suavissimáque, in tanta doloris acerbitate, JEsu, & Mariæ nom̃ina, magnâ voce ingeminant. Exprimi non potest, quàm constantem, & invictum animum omnes in tanta tormentorum sævitia ostenderint; Neque unus fuit, qui ingemisceret, qui se contraheret, aut vultu saltem minimum doloris signum ostenderet: Quâ suâ mirificâ constantiâ adeò moverunt spectantium animos, ut vel ipsi gentiles intra se dicerent: Supra naturam esse hanc fortitudinem, cùm esse commune soleat omnibus, qui suorum Criminum causâ damnantur, ut saltem

Fortitudo Martyrum in Japonia inter supplicia JEsu & Mariæ nomina invocantium.

tem alicujus rei jacturam molestè ferant. Undè cùm ignis maximè fureret, fuêre duo, vir ac fœmina, qui suâ sponte ad Judicum tribunal accurrêre, & voce publicâ se Christianos esse exclamârunt. Pater de Angelis inter crepitantes flammas dicere cœpit ad socios, quàm brevia essent tormenta cum æternitate cœlestis gloriæ, quam exspectabat, comparatæ; Tum flexit se Urbem versùs, & pro eâdem breviter precatus iterum se vertit, unde impellente Vento, major vis flammæ in eum insurgebat, partim ut monstraret se eam non timere, partim ut ad populum, qui ibi stabat frequentissimus, postremùm diceret. Eodem deinceps situ & erectus semper stetit, zelo maximo circumstantes adhortans, quoad incendij mole oppressus animam suo Creatori reddidit, in genua procumbens. In uno ex his Generosis Christi militibus singulare illud fuit, & generositatis magnum argumentum, quòd, cum flammarum una vehementiùs illi insultaret, eandem ille tamquam rem sibi longè charissimâ, amplecteretur. Circumstantes tantam fortitudinem atque Constantiam nimium quantùm sunt admirati, & generositatem hanc Christianorum extollere satis non poterant.

P.Hieronym' de Angelis S.J. inter flammas socios ad Martyrium constanter perferendum hortabatur.

Christi miles quidam flammas tanquam rem sibi charissimam amplexus.

34. Eodem Anno 1624. Christiani alii ad rogum, alii ad crucem, alii ad gladium damnati sunt. Inter hos erant, Pueri octodecim tam parvi, ut à morte trepidare nondum didicissent. Ibant ridentes & exultabundi, puerili modô jocando, & bullas ac crepundia, quibus oblectare se solet hæc ætas, gestando, quæ non Christianis modò, sed Ethnicis quoque lacrymas expressit. Ad locum supplicii ubi ventum est, ab hac ipsa tenera ætate cœpit Laniena tam ferox & barbara, ut nemo audiat, quin totus perhorrescat. Capite truncati alii, alii à vertice ad umbilicum divisi, alii modô transversô dissecti, alii deniq; cùm pede uno in altum raperentur, membratim concisi. Lanienâ hâc finitâ, quæ ad incutiendum terrorem datâ operâ in conspectu Christianarum fœminarum est peracta, alii undecim affixi sunt cruci, & lanceis confossi, Sacrosancta JEsu, & Mariæ nomina magna cum pietate implorando exspirârunt, eorúmque manibus puerorum illorum capita desecta suspenderunt. Interim residui illi sex Christiani, qui ad rogum erant damnati, variis orationibus ad Deum, ejúsque Matrem, sanctorúmque Litaniis se se DEO altâ voce commendabant. Nil illos movebat illa ante eorum oculos exercita crudelitas, quinimo unus ex eis oratorem agere cœpit, omnes ad tormenta hilariter toleranda animando; deinde ad populum conversus, ingenti zelo de Christiana fide declamavit, in qua sola & unica reperiri possit vera salus. Non poterant spectatores non mirari maximè viriles inter tam dira tormenta animos, cùm grassante jam flammâ aliud non agere viderentur, quâm JEsum & Mariam invocare, & sine doloris signo omnia constantissimè pati, quoad DEO Creatori suas animas reddiderunt. Mortis causa erat: moriantur, quia Christiani sunt.

18. parvuli gloriosè Martyrium subeunt.

35. Quid de P. nostro Didaco Carvalio una cum 24. Christianis, plerísque partim ad rogum, partim ad gelidas aquas damnatis, dicam? Inter hos fuit fœmina quædam nomine Maria, quæ in medio incendio lacrymari dulciter, ac copiosissimè cœpit, contestata scire se, quantùm Divinæ Majestati debeat, & non posse se non præ gaudio flere, quod mori pro Christo sit ei concessum. Ita DEI beneficia secum repetens inter flammas exspiravit. Pater verò Carvalius cum aliis in gelidissimum stagnum ad pectus usque demersus, in qua tortura nullus ploratus, nullus gemitus, sed sanctissima tantùm JEsus & Mariæ nomina; Laus, honor sanctis-

P.Didac' Carvalius S.J. stagno Gelido immersus DEum benedicebat, JEsu & Mariæ nomina invocabat.

sanctissimo sacramento; Benedictus sit DEus, & superexaltatus &c. Numerabant summa cum pietate DEI in se partim collata beneficia, partim nova petebant, partim gloriosissimam Virginem exorabant, ut vires, & auxilium â suo filio pro certamine ultimo vellet impetrare, próque illis in tanta persecutionum tempestate ac procella, se se tanquam Matrem interponere, quo salva fide filii ejus JEsu constantes in tantis tormentorum turbinibus consisterent. Denique cum decem horis integris constantissimè in illa gelidarum aquarum tortura, magnâ modestiâ animíque generositate perseverâsset, tandem inter JEsu & Mariæ invocationem supremam tormenta simul & vitam gloriosè conclusit.

Mathias Japon Christobara cognomine corollam B. V. orando velut ad nuptias pergebat ad crucem illi affigendus.

36. Monte hoc Virgineo protectus videbatur Mathias ille Japon Christobara cognomine, cum pro fide Christi ad Crucem hastis confodiendus jam damnatus, post plures gravissimos exantlatos cruciatus, post grave lignum ad instar jugi boum collo impositum, quod infame est supplicium Japonibus, ad locum tormentorum jucundus ac hilaris atque si ad epulas proficisceretur, corollam B. Virginis Angelicis salutationibus, velut rosulis contexeret, eámq; quodammodò ad suas beatas in cœlum Nuptias invitaret, â qua sine dubio ingentem illum ardorem animi mutuatus est, quô ad Crucem tendens, ubi populi erat frequentia de vera fide, pro qua ipse moreretur, & unica salutis via perorabat. Illa sine dubio pietatem illam, æquitatémque animi suggessit, ut, cùm ad aream supplicii devenisset, in genua procumberet, altâ primùm voce, ac Spiritu ingenti, Generalem confessionem pronunciaret, interpositâque parvâ meditationis morulâ, magno devotionis sensu exclamaret: *Laudabile sit semper, & superexaltatum Sacrosanctum JEsu nomen. O mi DEus, quanta tua est pietas, & misericordia! quod ego cogitando non poteram, tu facis miserando, & peccatorem tam sceleratum per viam crucis ad te vocas.* Deinde sublatis in crucem oculis dixisse fertur: *salve crux à JEsu Deo meo sanctificata, te veneror, te obsecro, te omni sensu & affectu honoro.*

Pari alacritate Joachimus Curogemon à Virgine Deipara protectus crucem amplexus est.

37. Pari alacritate Joachimus Curogemon Japon à Virgine Deipara protectus crucem amplexus est, ad quam corollâ B. V. tanquam torque aureo pro ea, qua in ipsarum erat pietate decoratus, & Agni DEI de collo suspenso amuleto munitus, adventanti lictorum turbæ vultu, animóque hilari obviam prodiit: Ac denique cùm in pugnæ locum descenderet, omnibus in Dei sinum rejectis, orationéque ad gentiles ad Christi fidem amplectendam, magno Zelo habitâ è cruce suspensus, & more consueto lanceâ transverberatus est.

Mulier quædam, cervice modicè adhuc à trunco corpore pendente, non cessabat JEsu & Mariæ Nomina pronunciare.

38. Mulier quædam nomine Maria Virgini Deiparæ devotissima, adeò in vita consuetudinem imbiberat. sacratissima, JEsu & Mariæ nomina, vitam Mortuis dare solita, ut cervice modicè adhuc à trunco pendente, eadem, invocare non cessaret. Voluerit fortassis DEus etiam post mortem ad refutandos, ac confundendos Ethnicos loqui per Mariam simúlque indicare, nominibus hisce sanctissimis, ceu montibus protectam, salutem æternam fuisse consecutam.

39. Alia quoque mulier nomine Maria cum 4. filiis, Virginis sanctissimæ, Patronæ suæ patrociniô munita, vitam pro Christo datis cervicibus cum decenni filio profudit: reliqui verò tres parricidarum more, singuli palearum sacco, tanquam culeo involuti in mare præcipitati sunt.

40. Quid de Adolescente illo Japone, cui nomen Joannes dicam? qui

qui cum esset cum Matre, Patre, & duobus fratribus decollandus, ad Matrem in supplicii loco constitutus recurrit, & supra ætatem, cùm 13. tantùm esset annorum, ita locutus fuisse memoratur: *En Mater, quàm turbati mei sunt capilli, & sine omni lege per collum sparsi, viam ferro impediunt; age obsecro, & quantum per tempus licet, ordina, ne aciem gladii obtundant.* Obsecuta Mater composuit, ut potuit: deinde ad carnificem admodùm Juvenem adolescens conversus: *Nisi me*, inquit, *conjectura fallit, non videris mihi hactenus vel unum caput amputasse; Quare vide, ut agas dextere, quod agis.* Atque ita manibus, & oculis in cœlum erectis JEsum, & Mariam ad se vocat, simúlque flexis genibus ictu unico obtruncatus pientissimus Adolescens, protegente velut ingenti Monte Mariâ, cujus cultui erat addictissimus, de morte gloriosissimè triumphavit. Inter reliqua enim pietatis obsequia Deiparæ exhibita, majorem anni partem diebus sabbati, ut magnam Dei Matrem à pueritia venerari assuesceret, & per quadragesimale tempus tribus in hebdomada diebus, inediâ se ipsum, ac jejunio castigabat:

Juvenis 13 annorum B. V. addictissimi Generositas in loco supplicii.

41. Quid de P. Michaële Carvalio nostro dicam? qui eâdem Japonicâ persecutionis procellâ cum 4. aliis Viris Religiosis jactatus, protectione Virginis Deiparæ tam immanes fluctus, ac tempestates ingenti delibutus lætitiâ superâvit. Certè Annuarum scriptor de ipsius tam in Deum, quàm in Dei Matrem pietate hæc memoriæ prodidit: Beatissimæ Virgini cliens erat devotissimus; sacrum nunquam faciebat, nisi unâ horam priùs vel meditando, vel pia legendo insumpsisset: Faciebat autem cum lachrymis, additâque iterum horâ pro sacrificii beneficio gratias agebat. Quotidie se flagello, & bis in solennioribus anni pervigiliis ad multum sanguinem verberabat: cilicio indutus quasi perpetuo, eóque subinde ferreo: Ter quâvis hebdomadâ, & paulò celebrioribus pervigiliis jejunabat; & Veneris die nil præter panem, & aquam admittebat. Alia multa sunt quæ insignem ejus religionem, ferventémque spiritum nobis declarant, sed nihil æquè, atque ardentes Divinio amore ad suum Provincialem exaratæ litteræ; In quibus inter alia: *Intelligo Jendi multos pro Christo interemptos. O millies felices, & beatos Christi millites, qui contemnentes Aulam Regiam, in Imperatoris conspectu, arguebant ejus legem iniquam, & justissima præcepta Omnipotentis Dei probabant, pro cujus honore vitam profundere, & sanguinem non dubitabant. O fortuna eximia, & felicitas singularis! ò invidia sancta, quantum illorum mors est felicior, tantò mihi vita in hac lacrymarum valle sit amarior; adeò, ut non possim nisi tandem cum S. Paulo exclamare: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Miserum me! qui pro eo, quòd esse arbor viridis, & fœcunda debeo, peccatis scateo; non me manebunt ista certamina, quæ suis electis reservavit DEUS. Rever. Vestra, quam ut Patrem cælo, & qui plurimùm potest apud Deum, precetur eundem, ut suis oculis amoris, & pietatis me aspicere dignetur, ac concedere, ut, postquam in loco constitutus sum, vitam possim, & animam pro ejus gloria, & meis peccatis ponere.*

P. Mich. Carvalii societatis JEsu, religiosissimi viri epistola ad suum Provincialem data, in qua explicat desiderium Martyrii.

42. Quam porrò æquô animô carceris angustias, reliquáq; incommoda tulerit, ex aliis ad P. Provincialem litteris liquet: *Carcer*, inquit, *oppidò est angustus, palmos sedecim longus, octo latus, & tamen jam nostrûm quinque cepit. Duo verò sunt, quæ has angustias valde dilatant: primùm, quod locus pro sacro quotidie*

Ejusdem Patris Epistola ad P. Provincialem data ostendit quàm æquo animo carceris angustias, reliquaque incommoda pro Deo tulerit.

die faciendo superest; alterum, quod 4. *reperi socios verè pios, & Spiritu fervidos, ex S. Dominici, & Francisci familia, qui ingredienti mihi carcerem in amplexum meum ruebant omnes, mihi congratulantes, quod eò locorum, ob causam tam sanctam, ob fidei prædicationem venissem. Verum est, conferti stamus, & angusti, laxiùs tamen adhuc, quam Christus in cruce: Corpore omnes infirmi, ac debiles sumus, Spiritu verò gaudentes, & validi; siquidem DEus, qui est Misericordiarum Pater, cùm auget ærumnas, multiplicat etiam gratias, & vires ad ferendum subministrat. Id sanè de me affirmare possum, me delicatissimo, dum hæc patior, perfundi gaudio, neque antehàc unquam intellexisse, quàm suave sit pro amore Dei pati. Sit DEus semper Benedictus: sciebam me servum esse inutilem, & ad conversionem mundi non plùs momenti attulisse extra, quàm intra carceres. Hinc DEO visum in hunc me locum compingere, ut contubernalium meorum exemplò, præteritæ vitæ peccata plangam, & ad mortem, quam pro Dei gloria, & delictorum meorum expiatione unicè desidero, me præparem. Verum quidem est, me, quoties de iis cogito, totis artubus contremiscere; simul ac Verè ad illam Bonitatem me reflecto, quæ oriri solem facit super bonos & malos, super justos & injustos, non possum non omnia mihi summa promittere de tanto Deo, ut jam habere in manibus mihi videar vires, ac gratiam ad occumbendum pro sua sancta lege, quam & nunc tot generosi milites, tot cruciatibus distenti defendunt, & Sancti olim Apostoli copiosò sanguine effusò propugnarunt. O quàm felix ero, & beatus, si ardere mihi in magno igne licebit pro amore tam boni Dei! si mille ex me partes fecerint pro Domini mei honore, qui tot me prævenit, & prosecutus est gratiis, & sustentavit semper, non nesciens supinam meam ingratitudinem. O mi JEsu! & quid ego miser peccator agam, ut gratus tibi sim! quid patiar, ut mea debita solvam? quæ tormenta feram, ut tuæ voluntati morem geram? O mi Deus, quas in me cruces, quæ incendia præparasti? quid vis ut faciam? Da Domine, quod jubes, & jube, quod vis. Jam mi Pater tempus est, ut me tuis calidis orationibus, & sanctis sacrificiis adjuves, ut me confortet Deus in omnibus, quæ vult, ut patiar pro peccatis meis; ut mihi largiatur pro sua gloria, & fidei testimonio ferre flammas, ferrumq́; & quidquid in caput meum hostes Numinis ejus excogitare quiverint, ac molliri. Habeat sibi mundus suas voluptates, opes, honores, quibus me penitissimè abdico, nec me aliud delectat, quàm pro Christo pati. Omnia eò modo, quô Deo videbitur, cui si placet, ut in carcere tam ærumnoso hæream longius, fiat voluntas ejus; etsi voluerit ampliùs, ut ad ultimum Judicij diem in loco tam angusto ac deserto morbis, & doloribus oppressus vivam, non recuso.* Hæc Carvalius.

43. Ex quibus facilè est perspicere egregiam ipsius in DEum pietatem, charitatémque, quâ ejus præcordia ad patiendum extrema quæque pro Christo æstuabant. Advenit huic Christi militi tandem optatus dies post 3. mensium incarcerationem, qui fuit S. Ludovico Galliarum Regi sacer, quô eductus cum sociis è carcere, ad rogum damnatus est. Crucem manu gestans, ut & alii, prodiit, elevatáque cruce alta voce Psalmos dicere cœperunt omnes, quoad P. Carvalius visô magnô hominum globô ad eosdem se vertit, publicè protestans, se, suósque Comites esse Christianos, & pro pura puta fide Christi ad mortem libentissimè pergere. Lætitia, quæ ex o-

Ejusdem Patris Carvalii gloriosa mors, inter dulcissima JEsu, & Mariæ Nomina Itemidem pronunciata.

mnium vultu promicabat, neminem non movebat, ut diceret, non ad mortem quidem sibi videri istos, sed ad encænia, & nescio quas epulas prodire. Primus qui ad palum rogalem ligatus est, fuit Pater noster Carvalius, qui cum reliquis in tam immani supplicio inter crepantes flammas, sanctissima ac dulcissima JEsu, & Mariæ nomina invocando intrepidus, & constantissimus exspiravit, & Virgineô Patrociniô velut ingenti monte protectus in tam horribili persecutionis procella, ac tempestate, cum jam supra memoratis Christianis, aliis quàm plurimis, quos enumerare longum, & â nostro proposito alienum foret, ad portum œviternæ salutis pervenit.

In Virgineum montem spes suas collocat, adversus iræ divinæ fluctus hæreticorumque nefarios impetus B. Andreas Cretensis.

44. In Virgineum hunc Montem spes suas collocârat adversùs sævientes in Ecclesia iræ Divinæ fluctus, hæreticorúmque nefarios impetus B. Andreas Cretens. Episc. orat. 2. de dormit. B. V. ubi eam regnum quoddam potentissimum, atque inexpugnabile appellat: *O Regnum è terrenis quidem sumptum, sed ex superna gloria potentiam habens inexpugnabilem! O Christianorum fidei propugnaculum, & propugnatrix eorum, qui in te spem collocârunt!* Ut porrò ostendat, quantô in pretiô patrocinium Virginis sit habendum, quantæque apud DEum sit ænergiæ contra omnes inimicorum quorumcunque incursiones, hæc attexit: *Da nobis, qui te ornamus Virgo Mater, hanc parvi doni hujus remunerationem, nempe, ut habeam' quibusvis thesauris, ac divitiis pretiosiores, ac splendidiores ad Filium tuum & nostrum Dominum, Regem, ac DEum preces supplices; per quas & peccantes DEum placamus, & nos rectè gerentes ad nos meliùs attrahimus, per quas arma barbarorum, infantium tela ducimus, manéntque inutilia, & inefficacia, lancea, galea, & jaculatio: & ut in summa dicam per preces tuas omne bonum rectè geritur â Christianis, pérque easdem DEO fit, assimilatio.*

Sanctus Germanus Archi. Constant.

45. Agnovit sanctus Germanus Archiepiscopus Constantinopolitan: quàm validum sit Christianis apud DEum iratum, præsidium Virginis, cùm orat. de Zona illi fidenter dicebat: *Potens ad salutem est tuum auxilium ô Deipara, & non indiget aliquo alio ad DEUM intercessore. Hoc nos certò scientes, ut qui etiam, cùm sæpè petierimus, experientiâ didicimus, te esse vehementissimam defensionem, affatim postulandi sumimus occasionem, & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui filii tui appellatione exornatur, & gloriatur. Respice de sancto habitaculo tuo circumstantem fidelem populum, qui cùm te Dominam, & Patronam habeat, hùc convenit, ut totô animô te celebraret. Divina ergo perfectione sua, præsentem visitans cœtum ab omni calamitate & angustia, ab omni morbo & incommodo, violentiáque liberatum, omni gaudio, salubritate, gratiáque prosequere, atque in adventu filii tui, cum assistemus omnes judicandi, tu quæso, ut maternam habens fiduciam, maximámque potentiam, validâ illâ manu tua ab æterno igne nos eripiens, fac, ut æterna consequamur bona.*

46. Idem orat. de Præsent. montem excelsissimum agnoscens esse Virginem, ita ipsius protectionem implorat: *Tu sola Dei Genitrix excelsissima super omnem terram! Moveat te mei misericordia, ut Matrem benigni Dei, aspice, & annue meæ supplicationi: Tu es omnium defensio, omnium Lætitia. Tu certè meum refugium, vita, defensio, arma, gloriatio, spes, & robur meum. Habes, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut, quæ sis Mater Altissimi, & propterea au-* des.

des. *Ne ergo priver mea exspectatione, ô Domina intemerata, quæ Universorum exspectationem Dominum nostrum JEsum Regem Universæ Creaturæ super omnem rationem peperisti.*

47. Agnovit B. Georgius Archiep. Nicomed. orat. de præsent. B. V. eam montem quendam, nos adversùs justissimam Divini Numinis indignationem defendentem, cùm eam ita alloquebatur: *Per te recessit romphea versatilis, quam de ore Judicis æterni prodeuntem vidit Joannes* Apoc. 1. *& quam Cherubinus ante portam Paradisi à DEO constitutus gestabat. Per te deliciarum portæ, quæ fuerunt clausæ, sunt apertæ. Te nostræ salutis habemus adjutricem. Te nostri auxilii habemus defensionem, Te proponimus, cujus ore nostra dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo murum habet firmissimum. Te fideles Reges arma habent validissima. Per te Bellorum frangunt audaces impetus, per te Victoriæ trophæa consequuntur. Præbe igitur manum laborantibus, & ne despicias preces eorum, qui semper te exorant. Fer opem eis, qui tempestatibus agitantur, seda Bellorum fluctus, fac in aures evanescant spiritus eorum, qui nos incessunt injuriis. Da petitioni nostræ convenientem (potes enim) eventum. Habes, ut mater in filium, quæ recusari non potest fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis Viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ deserviunt potestati. Te omnibus suis operibus reddidit excelsiorem, qui ex te natus est.* Hactenus ille.

B. Georgius Arch. Nicom.

48. Agnovit Leo V. Imperator cognomento Philosophus homil. 6. montem quendam nos defendentem, sed ex se copiosissimos beneficiorum rivos in genus humanum profundentem esse Deiparam, dum eam ita alloquitur: *A te indesinenter beneficia, quasi ex fonte manant, ex perenni illo rerum prosperarum cursu, & fluxu eorum, quæ nos circumstant, malorum impressionem cohibes; dissipantur tristitiæ nubila, cùm nitore tuo vitam nostram serenas. Passiones & cruciatus fugantur, formido periculorum in securitatem commutatur, nihil commodorum reperitur, quæ te volente non suppetant, & nullæ sunt adversariorum vires, quæ te opitulante non propulsentur. Annuit enim omnibus, & omnia per te largitur ille, qui ut beneficio singulari figmentum efficeret, te ut in hanc vitam nascereris, concessit, ex qua ad sempiternam illam nunc translata es.*

Leo V. Imperator cognomento Philosophus.

49. Et quoniam non modò furanti, æstuantíque oceano justissima superni Judicis ira, atque indignatio conferri solet, verùm etiam ardori solis, uti fecit Apostolus, cùm iratum Judicem exprimere volens dixit Apoc. 1. *oculi ejus tanquam flamma ignis, & facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Ideò ad Virginem benignissimam, tanquam ad umbrosum Montem est recurrendum, ut precum, patrociniíque sui interpositione nos defendat, ardorémque illum æterni solis attemperet. Qui ardor adeò Divinæ illius faciei formidabilis, adeò horribilis est, ut idem Dilectus Christi Discipulus eam intuens, exanimatus penè fuerit: *& cùm vidissem eum,* inquit ipsemet, *cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus;* Ex quo tanti Apostoli omniúmque virium destitutione terrificus prorsus ardor Divinæ Justitiæ comprehenditur, quem sola Virgo tanquam mons excelsus interpellatione sua validissima potest, consuevítque tempera-

Ira divina solis Ardori comparatur.

Contra hunc solis Ardorem mons Marianus nos protegit.

re, uti supra retulimus ex S. Athanasio. Idem docet Venerabilis Rich. à S. Laurentio lib. 8. de laud. B. V. Maria, inquiens, *mons est, qui ab eminentia dicitur secundùm Isidorum* 14. Orig. Cap. 8. *Vel secundùm alios dicitur Mons quasi moles opposita, nascenti soli; moles enim immobilis est humilitas Mariæ, quam humilitatem Christus adamavit, ita, ut de ipsa nasci dignaretur. Moles hæc opponit se pro suis amicis, & familiaribus fervori solis justitiæ, ne ipsos arrefaciat; exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, id est carnales homines inquit.* Jacob. 1. cap.

B.V. monti Selmon comparatur, quia temperat æstum cupiditatum.

50. Hanc ob causam idem Richardus eam monti Selmon, de quo Psalmista Ps. 67. *nive dealbabuntur in Selmon;* contulit, aitque ipsius umbrâ humanarum cupiditatum æstum temperari. *Mons* enim *ille interpretatur umbra*, inquit, *quæ relinquitur ex lumine, & corpore opaco lumini opposito, quod quadrat Virgini: Ipsa enim habuit corpus Virgineum, & lumen gratiarum, quibus duobus obumbramur per gratiam contra vitiorum fervorem, atque ita per ipsam peccatores nive ejus, scilicet puritate dealbantur super nivem.* Unde Isa. 1. hujusmodi peccatoribus aiebat: *si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur.*

Variæ montis proprietates accommodantur Mariæ. Mons est latus in pede angustus in cacumine.

51. Ut porrò idem Richardus ostendat verissimam in se montis imaginem exprimere Virginem, nósque & adversùs solis fervorem, & adversùs cupiditatū æstus obumbrare, varias illius exponit proprietates; eásque attribuit Deiparæ. *Mons est lat⁹ in pede*, inquit, *sive radice. Radix Mariæ est humilitas, quæ latiùs, ac profundiùs, quàm omnium sanctorum est fundamentum. Mons angustus est in cacumine. Cacumen hoc est Mariæ Maternitas, cujus modus est incomprehensibilis, sivè exemplo singularis.* Unde Isa. 53. *Generationem ejus, quis enarrabit.* Et Isa. 66. *Quis unquam audivit tale? & quis vidit huic simile?* Mons terrâ adjacente est superior, & Virgo omni purâ creaturâ. Hinc B. Anselmus: *Nihil æquale Mariæ, nihil nisi DEus major Mariâ.* Mons est terra, super terram exaltata, & B. V. in Incarnatione Verbô plena, non tantùm super omnes homines est exaltata, sed ipsum in se complexa est cœlum, ut ipsa fatetur Eccl. 24. *Gyrum cæli circuivi sola.* Cœlos etiam attingebat stans in terra, quemadmodum Verbum æternum, quod utero gestabat. Ideò dicitur mons in vertice montium. Mons terræ semper inhæret, eíque incumbit: & Maria peccatoribus, qui terra sunt, per affectum misericordiæ adhærescit: *quis*, inquiens, *infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. 11. Mons terram sibi subjectam validè protegit, quamdiu sub eo est; & B. V. sibi subditos defendit, nisi per peccatum Mortale ab ea recedant.

Mons terrâ adjacente est superior & Virgo beata omni purâ creaturâ.

Mons terræ semper inhæret, & Maria peccatoribus.

52. Mons à longè videtur, & B. V. per omnia mundi climata cognoscitur, & sonus pietatis, ac misericordiæ ejus in omnes fines terræ exivit. Mons quidquid desursum descendit, priùs suscipit, & inde ad valles propinquas transmittit: & B. V. in Incarnatione suscepit prior omne datum optimum, & de plenitudine ejus accipiunt humiles, eidem per veram dilectionem appropinquantes. Mons omnia ferè producit flumina, & ab ea ortum ducunt: & de B. V. natus est ille, qui ait Eccl. 24. *Ego quasi fluvii Dyorix*, à quô ad illam, & ab illa ad nos fluenta gratiarum, quæ fluunt impetu de Libano, defluunt.

Mons à longe videtur & Maria per omnia Mundi climata cognoscitur.

Mons omnia ferè producit flumina & à B. V. omnia flumina gratiarū.

53. Mons fontes lympidos ex sua radice sive pede emittit: & ab affectu charitativo Virginis aquæ gratiæ, Cupiditatum æstum refrigerantes

Mons fontes emittit, munit civitates, B. V. fontes gratiarū emanat, est munimentum Ecclesiæ.

tes, ad peccatores scaturiunt. Mons deníque munit civitates, quæ sunt in illo exstructæ, fiúntque in illo speculæ: Et B. V. est munimentum Ecclesiæ, & omnium simul fidelium: in exemplis etiam ipsius, quid fugiendum, quid amplectendum sit, tanquam in speculâ speculari possumus, nósque adversùs omnes hostium incursiones, atque impetus præmunire. Hæc ferè Richar.

Ex quibus facilè perspicimus Virginem Deiparam Montem esse eminentissimum, omnium reliquorum montium cacumina excedentem, imò omnium verticibus insidentem, suáque sublimitate cœlos attingentem.

54. Unde Seraphicus Bern. Bustius Part. 11. Marial. serm. 2. part. 1. cap. 3. Deiparam ob eximiæ puritatis eminentiam Olympum appellat; De quo Virgilius.

Olympus omnes montes imò nubes excedit, & ideo ventis, imbribus tenebris non obnoxius.

------ *Nubes excedit olympus,*
Pacem summa tenent.

Mons enim hic supremam aëris regionem attingens, semper est lucidus, diéque perpetua fruitur, nullos Ventorum, aut imbrium experitur impetus, aëréque adeò purô gaudet, ut ob ejus subtilitatem nemo ibidem mortalium vivere valeat. Unde nonnulli Philosophi sidera contemplaturi spongias aquâ imbutas secum deportabant, quò aërem aliqua ratione ad vitam sustentandam addensarent. Iidem in Sacrificiorum cineribus litteras aliquas exaratas relinquebant, quas post diutinum tempus illæsas revisebant; ex quibus indicijs advertêre, montem illum nec ventis, nec imbribus, nec ullis tenebris esse obnoxium; Quæ omnia quàm venustè quadrent Deiparæ, nemo non videt; & nos, quia alibi passim & luculenter comprobavimus, lubentes prætermittimus. Quemadmodùm igitur olympus montes omnes, atque adeò nubes sublimitate suâ excedit, ita Virgo Deipara montes omnes tam Angelicæ, quam humanæ perfectionis ac sanctitatis supereminet. Imò in eorum apicibus, ac culminibus, in ipsa consummatione puritatis fundamenta sua collocat, ut ubi alij perfectionem suam absolverunt; ibi Virgo eandem inhoâsse visa sit. Unde de ipsa loquens veluti de Civitate quâpiam munitissima ejus parens David canebat: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, quo indicare voluit, eam Civitatem, & montem in vertice montium esse.

Philosophi in olympo sydera contemplaturi spongias aquâ plenas secum portabant, & in sacrificiorum cineribus litteras exaratas relinquebant.

Olympi proprietates accommodantur B. V.

55. Quodsi Virginem ut confirmatam in gratia, ac stabilitam, ejúsque inpeccabilitatem divinitùs illi concessam consideremus, inveniemus sanè Montem quemdam firmissimis radicibus inconcussè hærentem esse Deiparam. Hinc Baptista Mantuanus lib. 3. Parthen. eam rupi, ac silici in medio maris consistenti hanc ob causam contulit:

Rupi ac silici in medio maris B. V. comparatur.

Non illam Terrenus amor, non ulla caduci.
Forma boni, non spes Vitæ, non tristis imago.
Horriferæ mortis, nec honor, nec fama movebat.
Hic fuit à primâ servatus origine semper.
Vivendi modus, ad gelidi nigra usque sepulchri.
Limina. Sicut enim assiduis, quæ vapulat undis,
Dura silex immota manet, nec murmura ponti,
Nec metuit ventos, tempestatésque sonoras,
Quoque magis premitur, tantò fit levior æstu;
Sic inconcusso firmato robore pectus,
Fortunæ quascunque minas, quoscunque labores
Ærumnásque tulit, patiens terit omnia Virtus.

56. Quod porrò non modò Virgo Mons sit, verùm etiam Angeli,

li, & homines sancti, ac justi, luculenter testatur Bern. Serm. 53. in Cant. ubi expendens vocem illam sponsæ: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, ait, Angelos esse spirituales montes: *pleni quippe Deo sunt*, inquit, *celsi meritis, cumulati virtutibus; nihilominus tamen erectos vertices tota & humili obedientia submittunt, & inclinant illius longè supereminentis imperio Majestatis, tanquam oves mansuetissimæ ad nutum sui pastoris per omnia ambulantes, & sequentes eum, quocunque ierit. Denique quod cœlestis habitatio sancta illa verè habeat non modò spirituales, sed & vivos ac rationales montes, audi.* Isa. 55. *Montes & colles cantabunt coram Deo laudes. Saliit ergo in montibus, id est in illis supremis spiritibus, cum ad eos usque descendit, sacramentum à sæculis absconditum, & magnum pietatis mysterium eis dignanter aperiens. Sed transiens hos superiores, atque eminentiores montes Cherubin scilicet ac Seraphin, nec non Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutésque, etiam usque ad inferiorem ordinem Angelorum descendere tanquam ad colles dignatus est. Sed nunquid vel in illis remansit? transiliit & colles: non enim, inquit, Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, quod utique Angelis inferius est. Ita ergo saliit in montibus, & transiliit colles, cùm non solùm superioribus sed & inferioribus spiritibus dignatissimè se inferiorem exhibuit: Nec modo illis supernis spiritibus, sed & ipsi, qui domos luteas inhabitarit, subjectum se exhibuit, transiliens, & vincens humilitate etiam hominum humilitatem. Erat denique subditus Mariæ & Joseph, cùm esset duodenis in Nazareth, & apud Jordanem Joannis jam juvenis inclinavit.*

Angeli & homines sancti sunt montes.

57. Sermone denique 54. in Cant. ostendit homines justos tam Viatores, quàm comprehensores in æterna Patria nomine montium appellari. Unde de primo Apostatante Angelo, ejúsque invidia circa hominum felicitatem loquens: *quàm miser*, inquit, *cùm suspicit cælos, in quibus innumeros montes intuetur Divina claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes in gloria, abundantes in gratia: quàm miser, cùm respicit terram, montes nihilominus quàm plurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, charitate speciosos, cultos virtutibus, bonorum operum fructibus refertos, de rore cæli, tanquam de saltu sponsi quotidianam cupientes benedictionem.* Sic ille.

Homines justi tam Viatores quàm comprehensores sunt montes.

58. Cùm igitur & Angelicæ Hierarchiæ omnes, ac præsertim Seraphinorum, Cherubinorum, Thronorum &c. montes sint, & justi omnes tam in hac vita peregrinantes, quàm in cœlis æterna beatitate perfruentes; cùm altissimum Montium audimus esse Deiparam, Montem supra verticem montium præparatum, protinus occurrat nobis, uti antè memoravimus, illam & gratiæ, & gloriæ sublimitate super omnem creaturam evectam, adeò, ut nihil eminentius illâ sub Deo valeat intelligi: Idque ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem, cujus intuitu à primo Immaculatæ ipsius conceptionis instanti tantis, támque divinis divinarum gratiarum, perfectionúmque aucta est incrementis, ut vel tunc in vertice illorum spiritualium montium sui spiritualis ædificii, atque adeò tam singularis sanctimoniæ jecerit fundamenta, quæ quotidianis intensioribus semper, ac intensioribus virtutum actibus, quantopere totius vitæ decursu fuerit provecta, nulla creata mens capere, nulla lingua valet eloqui: solus novit ille, qui tam copiosos

Maria Mons supra verticem montium.

ſos ſuæ gratiæ ſumptus illi ad tam ſublime, divináque ſua majeſtate dignum domicilium ædificandum ſuppeditavit.

59. Unde licèt dicant aliqui, Henoch, & Eliam Viatores eſſe, & mereri, ac progredi ſemper in gratia, & meritis; nunquam tamen attingere poſſunt ad eminentiſſimum acervum, apicémque meritorum Deiparæ, quantumvis tot myriadib' annorum indies magis, magisque ſemper profecerint, & maximè Henoch, qui ſeptingentis annis ante diluvium in Paradiſum translatus fuiſſe memoratur. Cùm enim Deus prævidiſſet, quanta futura eſſent horum ſanctorum merita, multò majora eſſe voluit merita Virginis, tantæque intenſionis, ad quantam eorum gratiam nunquam perventuram prævidebat; ſiquidem ab ipſo primo Immaculatæ ſuæ Conceptionis inſtanti, intenſioribus ſemper charitatis actibus, habitualem gratiam, virtutes, aliáque ſpiritûs ſancti dona in horâs, in momenta ſingula etiam inter quiescendum intendebat, majoribùsque ſemper incrementis accumulabat.

Quamvis Henoch & Elias juxta aliquos ſemper mereantur, nunquā tamē ſublimitatem B. V. aſſequi poterunt.

B.V. à primo concept. Inſtanti in ſingula momenta majora & majora Spiritus S. dona accepit.

60. Quare præclarè aſſeruit S. Bernardinus Sen. Tomo 3. ſerm 3. de Nom. B. V. art. 2. c. 1. *Certitudinaliter tenendum eſt, quod ipſa ſit ſuper omnem puram creaturam in gloria exaltata, tanquam per ſe implens, & continens unum integrum, ac totalem ſtatum, cui ſecundùm rectam rationem altera perſona congrue non poteſt addi; quia nullatenus decet filium Dei, niſi unam ſolùm naturalem habere matrem. Sed ratio naturalis ex gratuita lege dictat, ut Mater Regis omnium in ſede Regia ſuper omnes miniſtrorum ordines collocetur.* Vidit ſuper verticem Angelicorum montium montem hunc Virgineum collocatum S. Jacobus Apoſtolus in ſua liturgia, cùm dixit: *Dignum eſt ut te verè beatam dicamus Deiparam, honorabiliorem, quàm Cherubin, & glorioſiorem, quàm Seraphin, quæ ſine corruptione Deum peperiſti.*

B.V. mons ſupra verticem Montium Angelicorum teſte S. Jacobo Apoſt.

61. Idem vidit ſanctus Ephrem Syrus orat. de laud. B. V. dum eam ita allocutus eſt. *Intemerata, prorſusque pura Virgo Deipara Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina mea glorioſiſſima, ſublimior cœlicolis, purior ſolis radiis, ac ſplendoribus, honoratior Cherubin, ſanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior, ſpes Patrum, gloria Prophetarum, Apoſtolorum præconium, honor Martyrum, ſanctorum lætitia!* Vidit ſuper verticem Virginum, aliorúmque ſanctorum Virgineum hunc Montem elevatum S. Gregorius Nazianzenus in Trag. de Christo patiente, cùm exclamavit.

Teſte S. Ephrem.

Teſte S. Gregorio Naz.

- - - - - - ô Puella gratiâ
Æquanda nullis, Mater & Virgo ſupra
Omnes decora Virgines, & maxima,
Quæ ſola vincis Cœlitum omnes ordines!

62. Vidit denique mundum hunc eminentiſſimæ ſanctimoniæ, ſuper omnes Angelorum ſanctorúmque montes exaltatum S. Chryſoſtomus, cùm altiſſimam ipſius perfectionem demirans pronunciavit: *Quidnam illâ ſanctius? non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubin, non denique quidpiam inter creaturas viſibiles, aut inviſibiles majus, aut excellentius inveniri poteſt. Eadem Ancilla Dei eſt, & Mater; eadem Virgo, & Mater. Viſne cognoſcere, quantò Virgo hæc præſtantior ſit cœleſtibus potentiis? Illæ cum timore, & tremore aſſiſtunt faciem velantes ſuam; hæc humanum genus*

Teſte S. Chryſ.

nus illi offert, quem genuit. Quibus verbis postremis radicem nobis ostendit, ex qua tanta magnitudo omnes cœlos, omnem Angelicam simul, humanámque naturam transcendens pullulavit; Divinam videlicet Maternitatem, ob quam illa apud summam illam Majestatem, summam quoque obtinuit gratiam, summam potestatem, quâ æquissimæ ipsius contra mortales accensæ se se opponere consuevit indignationi, velut vehementissimo solis ardori, velut furentis pelagi turbulentis fluctibus.

Patrocinio B. V. Innocentius III. Pontifex sumus inferni cruciatus evasit.

63. An non velut Montem irato Judici se se opposuit Virgo nostra, cùm Innocentium III. summum Pontificem ab inferni cruciatibus liberavit, eíque pœnam æternam in temporalem ignis purgatorii commutavit? Quod ipsemet indicavit Innocentius B. Lutgardi Virgini, cùm se ipsi ingenti flammâ cinctum post obitum spectandum exhibuit. Quem dum ita immaniter ardentem conspexisset, & cum gemitu, quam ob causam tam dira pateretur, esset sciscitata: *Quid hoc est,* inquiens, *communem omnium nostrùm Patrem tam dirè cruciari?* Cùm ille: *Tres ob causas ita Crucior, quæ etiam æternis suppliciis me justissimè addixissent, nisi per purissimæ DEI Matris intercessionem, cui Monasterium, templúmque condidi, in extremis pœnitentiam egissem. Quam ob causam æternam quidem mortem evasi, verùm pœnis atrocissimis ad extremum usque judicij diem cruciabor. Eadem tamen misericordiæ Mater, ut à te precum suffragia postulare valerem, mihi à Filio impetravit.* Surius Jun. 16.

64. Montem & murum quendam aheneum contra insidias Cacodæmonis, humanæ salutis insidiatoris, se se opposuit Deipara in protectione Florentii cujusdam viri eloquentissimi, Jurísque peritissimi, qui posteà Ordinem Vallis umbrosæ est ingressus. Hic, cùm ad extremam vitæ catastrophen pervenisset, ordinis illius Fundator P. Joannes Gualbertus ei multorum Patrum coronâ circumdatus adfuit ejúsque animam Deo commendavit. Dum hæc aguntur, æger derepentè palliô, quô erat opertus, totus contremiscens caput operuit; Admiratus id S. Pater, sciscitatur, cur id faceret? trementibus labiis totísque artubus, respondit: *Video satanam propè assistentem, è cujus ore, oculísque vasta funditur flamma, naribus fumus sulphureus erumpit;* simúlque cruce, quam manu tenebat, indicat locum; mox P. Gualbertus appræhensa illâ eâdem cruce Cacodæmonem verberans, abegit. Hoc ubi factum, æger lætitiâ gestiens in illas prorupit voces: Ecce aufugit satan, & ecce recessit, & ecce adest B. Maria, & Sancti gloriosi Petrus, & Benedictus. Quibus in verbis protectione Deiparæ tanquam Monte, Muróque adamantino munitus animam in sinum Virginis exhalavit. Surius 11. Julii. O quàm benè ob hanc in suorum Clientulorum morte pientissimam suam visitationem prædicavit de se Deipara Cant. 8. *Ego murus, & ubera mea sicut Turris;* Charitas nimirùm illa, quâ nos Virgo velut amantissima Mater sinu suo, uteróque ad instar filiorum gestat, murus noster, & adversùs iram sævientis Judicis, & insidiantis Tartarei hostis impetus, est solidissimus. Pietas quoque illa ceu purissimo lacte clientulos suos nutrit, ac sustentat; Turris est validissima, ac fortissima, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium.

Patrocinium B.V. in Agone expertus Florentius Ord. Cist.

65. Et licèt Virgo Montem quemcunque, ejúsque proprietates in se, veluti speculô repræsentet; repræsentat tamen vel maximè Carmelum Montem eminentissimum, amœ-

Præcipuè Carmelum Montem in se repræsentat B. V.

amœnissimum, pulcherrimum, fontibus irriguum, ubertate variorũ fructuum, frumenti, vini, oleíque, potissimum domicilio servorum Dei, Prophetarúmque, maximè Eliæ, atque Elisæi, aliorúmque celeberrimum. Unde Dominus apud Jerem. cap. 2. 7. Judæis crimen ingratitudinis exprobraturus: *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus & optima illius.* Sive, ut legit Chaldæus Paraphrastes: *Introduxi vos in terram Israel, quæ erat plantata sicut Carmelus*, quibus verbis omnimoda fructum quorundam ubertas indicatur. Quare rectè dicere possemus Carmelum æquè ac Tempe, Hesperidúmque Hortos, apud Poëtas fœcunditatis, deliciarúmque esse symbolum. Sic teste D. Hieron. & Vatablo intelligendus est Isa. 29. *Convertetur Libanus in Carmelum*, omnium scilicet fructuum exuberantiâ nominatissimum. Quam in Virgine nostra reperiri ostendit ipsa veritas sponsus, Matris secretorum probè conscius, cùm inter reliqua ipsius eximia encomia illud præclarissimum celebravit Cant. 7. *Caput tuum ut Carmelus.* Addit Theodoretus: *Omnibus refertum bonis:* Unde quicunque sub montis hujus Virginei se se umbram absconderit, non modò defensionem ac protectionem adversùs sempiterni iram Judicis, & Cacodæmonis insidiantis impetus, verùm etiam omnium bonorum uberrimam quandam cornucopiam in illa reperiet. Verissimè enim tam sapiens Idiota, quàm Venerabilis Richardus Laurentianus pronunciârunt: *Inventa Maria invenitur omne bonum. Ipsa enim diligentes se diligit, & servientibus sibi servit.* Hinc Baptista Mantuanus lib. 2. Parth. agnoscens Carmelum figuram fuisse Deiparæ, eum se se huic inclinantem, dum iret ad visitandam Elisabeth introducit:

- - - - - - Dominam speculatus ab alto
Vertice Carmelus caput inclinavit apricum,
Coniferas pinos, & odoriferas Cyparissos
Blandior alternis flectebat nutibus aura,
Terra suas monstrabat opes.

66. Porrò licèt Deipara tota similis Carmelo videatur, ipsius tamen altissima rerum divinarum contemplatione defixa mens potissimùm Carmelo denotatur. Unde Guilelmus Abbas apud Delrium: Mens in Virgine matre monti comparatur propter excellentiam gratiæ. Carmelus quippe in litteris sacris mons est famosus. Cur autem non alii monti, sed Carmelo potissimùm mens illa Virginea comparetur, ratio est: Carmelus, siquidem interpretatur *scientia circumcisionis*, & ne pia Mater videatur fortè minùs intellexisse mysterium circumcisionis, quod in illo veteri populo contra originalem reatum divinitus sancitum erat; ne inquam, videatur minùs nôsse mysterium circumcisionis, eò quòd Filium duxit circumcidendum, quem privilegio sacræ Conceptionis, & Nativitatis sciebat esse ab omni originali labe immunem ac liberum, idcirco illi à Filio specialiter dicitur: *Caput tuum, ut Carmelus.* Acsi apertè diceretur: benè sciebas ô pia Mater, cur populo Dei datum esset hoc remedium circumcisionis, & tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis singulariter concepisti, carnali circumcisioni, quasi ab originali labe purgandum, subdidisti. Neque hoc insipienter faciebas, sed divinæ inspirationi per Spiritum edocta serviebas. Quippe oportuit me Datorem legis, factum ex Muliere, fieri quoque sub lege, & hoc dispensatoriè, ut eos, qui sub

Mens B.V. ob excellentiam gratiæ comparatur monti Carmelo.

lege erant, redimerem. Neque verò Virgo filium ad circumcisionem solùm obtulit, sciens gratum id esse Divinæ obsequium Majestati, verùm etiam, ut censet Doct. Hieronym. ipsa circumcidit, mirifica quâdam efficaciâ ad Redemptionem nostram in pretiosissimi sanguinis effusione cooperando.

B.V. juxta D. Hieronymum circumcidit JEsum parvulum, ut specialiter cooperaretur ad redemptionem.

67. Dionysius verò Richelius artic. 24. in Cantica docet: Carmelô voluntatem Virginis non ad terram, sed in summum, æternúmque bonum amandum, erectam, rectitudinem quoque intentionis ad cœlestia tendentem, designari: *Caput Reginæ nostræ*, inquit, *est sancta voluntas ejus, nunquam ad hæc inferiora repræhensibiliter inclinata, sed ad eum, qui essentialiter bonus est, semper altissimè, ac fructuosissimè elevata, utpote ardentissima charitate plenissima; ideò monti Carmelo, qui valde sublimis, & frugifer est, similis perhibetur. Potest quoque per caput Imperatricis nostræ Sancta, & summa ejus intentio sursum inviolabiliter fixa signari.* Sic ille.

Voluntas B.V. comparatur Carmelo.

68. Cùm igitur Virgo nostra gloriosissima mons sit super omnes vertices montium, etiam ipsius Carmeli exaltatus; in se perfectiones omnes, ardentes inprimis divino amore voluntates, mentes, ac intentiones directè, ac Syncerè in DEUM Creatorem tendentes tam Angelicæ, quàm humanæ naturæ, aliáque sanctitatis ornamenta velut absolutissima quædam epitome repræsentans, ad montem hunc, ut de ipsius tam protectione, quàm reliquis bonis, quæ in se comprehendit, participemus, accurramus quàm promptissimè, ut & in nobis vaticinium Isaiæ impleatur, qui ubi dixisset: *In illa die erit præparatus mons domus Domini in vertice montium;* protinus subtexuit: *Et fluent ad eum omnes gentes:* quibus verbis auctore Richard. â S. Laurent. lib. 8. de Laudib. B. Virg. nonnullæ proprietates servorum, ac Clientulorum Deiparæ pervenustè adumbrantur; quas nos imitari oportet, si monte hoc Virgineo obvallari, contra varios adversantis fortunæ impetus, contra mundi, Satanæ, carnísque insidias desideramus. Prima est, impetus fervoris; cum festinatione enim, & impetu quodam omnia obstacula rumpenda sunt, ut Virgini dignè serviatur. Altera est, descensus humilitatis: Ad valles enim defluunt flumina, & sola humilitate ad Virginem pervenitur. Tertia, quia verbo fluendi notatur abundantia; qui Deiparæ famulari desiderat, omni opere bono eum abundare oportet. Quarta: requiritur perseverantia; sicut enim fluvius alveum suum nunquam deserit, sic servus Virgini propositum illi serviendi: assiduè enim servum Mariæ in desideriis, lacrymis, devotis orationibus, bonis operibus, ac præsertim amore ejus liquescere, ac fluere opus est, ut præ amoris vi dicere valeat: anima mea liquefacta est. Ita ferè Richardus.

69. Hac ratione, si quis defluxerit, & confluxerit ad Montem hunc Virgineum, fidelissimam sanè ipsius protectionis umbram, ac in omni tentationis, ac tribulationis ardore refrigerium experietur. De monte hoc potiori jure dicere possumus, quod Doctissimus Aloysius Novarinus in umbra Virginea pronunciavit: *solo jactaris? ne time: Virginem voca, & discrimina vitabis.* In Oëlandia Insula Gothici maris prope aquilonare littus exurgit mons excelsus, quem nauticum vulgus vitandæ marinæ tempestatis gratiâ Virginem vocat, atque in ejus portu manentes muneribus montem placent, ut refert Olaus lib. 2. cap. 23.

In Oëlandia Insula Gothici Maris mons exsurgit, quē nauticum vulgus Virginem vocat.

70. Mera

70. Mera fatuitas hæc est, & insanæ superstitionis certa consignatio: rem ad Virginem transferamus, & impietatem exuet, veritatem induet. Maria mons est, cui jure Virginis adhæsit nomen, ob Virginitatis, quam semper coluit, firmitatem. Hunc montem respiciat, qui in hujus sæculi mari, fluctibus jactatur, ac tempestatibus. Dicebat David tentationem, adversitatúmque æstibus actus Psal. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Cur non id certiùs. & justiùs de Virginis monte dicatur, quæ super omnes montes est? de qua & illud intelligitur: *Præparatus mons domûs Dei in vertice montium.* Tantùm cùm in portum ejus ope te receperis, munera huic Virgini offer virtutis, pietatis; ac gratiarum omnium ab ea dona recipies. Faciendum proinde, quod facit S. Bonaventura, qui Davidem imitatus, ad Virgineum hunc montem, qui illi ad instar erat omnium, oculos suos sustulit, totámque suam spem in omnibus rebus adversis, ac tribulationibus direxit, ut solatium mereretur experiri. Unde illi confidenter concinebat Psal. 120. *Levavi oculos meos ad te Mater Christi, per quam venit solatium omni carni. Auxilium tuum, & gratiam tuam nobis impende, in omni tribulatione nostra custodi nos Domina Virgo Maria, ne peccatorum laqueo capiamur. Non dormit, neque dormiet pupilla oculi tui, ut tua semper custodia protogamur.* Rursus ad Virgineum hunc montem oculos mentis extulerat à sancto ipsius nomine sperans protectionem, idem Doctor Seraphicus, illi ita concinendo Ps. 122. *Ad te levavi oculos meos Regina, quæ regnas in cœlis. Adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui, per te omnia opera nostra dirigantur. Esto Virgo defensatrix nostra, & ante Deum advocata propitia. Ostende nobis Domina misericordiam, & conforta nos in servitio tuo sancto. Non tradas bestiis animas confitentium tibi, ora te canentium non obdurentur.*


Hic Mons symbolum B. Virginis.

Spes nostræ in B. V. benè collocantur.

71. In omnibus igitur tribulationibus, atque angustiis, quibus in hoc mundo affligari consuevimus, ad Misericordiam Virginalem, tanquam ad montem eminentissimum cœlos attingentem nobis confugiendum est. Quemadmodùm enim Dei misericordia, uti canit David Psal. 56. magnificata est usque ad cœlos; & sicut Divina Justitia est sicut montes Dei Psal. 35. hoc est maximi, omnibus reliquis eminentiores; ita sanè Deiparæ nostræ misericordia est mons altissimus ad cœlum usque attingens, & omnes sanctorum reliquorum Montes incomparabili intervallo transcendens, Deúmque nobis propitians, & contra omnia mundi adversa communiens, atque defendens. Quare licet in tribulationum, atque adversitatum æstu ad sanctorum patrocinium velut ad montium umbram confugere admodum salutare judicandum sit, ad umbram tamen immensi hujus montis Virginei, Montis verè umbrosi, quô obumbrari ipsa Divinitas, assumptâ humanitate nostrâ, non est dedignata, potissimùm recurrendum est, dicendúmque illi animitus cum B. Ruperto Abbate Tuitiensi, qui postquam octo libris Deiparæ laudes in Canticis Canticorum contentas, Maximô, quô poterat, affectu celebrâsset, virésque ingenii, ipsius beneficio accepti, exercuisset omnes, tandem velut aurea coronide pulcherrimum illum ingenii sui fœtum, hâc pyssimâ ad Virginem directâ oratiunculâ coronavit, absolvítque; quâ & nos præsentem discursum sub umbra hujus Virginei montís assiduè residere cupientes, terminavimus. Dicamus igitur illi medullitus: O

Ad Patrocinium B. V. tanquam Montem Altissimum confugiendum.

B. Maria Mons Montium, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum! ad omnes quidem convertimur montes aromatum, & vocamus, ut respondeant nobis; & hoc est, quod unusquisque nostrûm dicit: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Sed ad te præcipuè convertimur, ad te præ cæteris oculos nostros levamus, tuum præ omnibus auxilium suspiramus. Per sanctum uteri tui sacramentum, & illum, qui animam tuam pertransivit, gladium, obtine, ut videamus ipsam illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum, & ex dilecto dilectum, simúlque dilectionem amborum; Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Deum unum, vivum, & verum, cujus Regnum, & Imperium permanet in sæcula sæculorum Amen.



DISCURSUS TERTIUS.

VIRGO DEIPARA HORTUS PARADISI.

1.



Paradisus est vox Persica, aut potius Hebræa, ut arbitratur Pollux. Pardes enim Hebraicè locum voluptatis significat à radice Para, id est, fructificavit; & hadas, id est myrthus. Quasi dicas, Hortus Myrthorum, seu in quo fructificant myrthi. Myrthus odore, & sapore præ aliis arboribus recreat, atque excellit. Locum porrò omnibus deliciis refertissimum Paradisum esse, colligimus ex Verbis Moysis Divini cosmographi, qui Gen. 2. 8. scribit: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio;* seu ut legête 70. Interpp. *Plantaverat Paradisum Edem,* regionem quandam designantes, in qua situs erat Paradisus; quæ Regio voluptatem, deliciásque significat. Locum hunc ad orientem circa Mesopotaniam, & Armeniam, quia Regiones has Paradisi flumina Euphrates, & Tigris originem è Paradiso ducentia irrigant. Hinc S. Joannes Damasc. lib. 4. de fide orthodox. c. 13. docet, Christianos orare consuevisse obversa facie ad Orientem; ut meminissent Paradisi, ex quo per peccatum expulsi sunt, atque anhelent ad Paradisum cœlestem, cujus ille terrestris typus & Imago exstitit.

Paradisus interpretatur hortus Myrthorum, hortus voluptatis.

2. Idem Damascenus lib. 2. de fide orthodox. c. 11. ita Paradisum describit: *Paradisus est locus Dei manibus in Edem ad orientem mirabiliter consitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, omni terra excelsior, optima temperie cœli, aëre subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus, suavissimumque odorem spirantibus, plenus lumine, universæ sensibilis venustatis &*

Paradisus fusè describitur à SS.PP. hoc & sequenti numero.

& pulchritudinis excellens intelligentiam. Divinus profectò locus mirificè congruens primi hominis dignitati. Uberiùs Paradisum descripsit S. Basil. orat. de Parad. *Paradisus est locus delitiis omnibus affluens, omnem Creaturæ sensibilis exsuperans pulchritudinem, ob sublimitatem loci, in quo erat, nulli sui parti tenebras admittens, sed orientium syderum splendore semper illustratus; in quo nulla erat immodica tempestatum procella, nulla ventorum vis, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æstatis ardor, non molesta & noxia autumni siccitas, sed temperata & pacifica omnium temporum inter se consonantia, ita ut in se haberet veris amænitatem, ubertatem æstatis, autumni hilaritatem, hyemis otium & quietem: Ejus terra erat pinguis & mollis, omniumq; bonorum & voluptatum fertilis, quàm verissimè dixisses fluere melle & lacte. In eodem erant omnia avicularum genera, quæ pulchritudine colorum & naturali musica, ac dulcedine Concentus incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic variorum etiam animalium spectacula, sed erant omnia mansueta, obedientia homini, inter se concorditer & pacificè viventia. Serpens autem non erat tunc horrendus, sed mitis & mansuetus &c.* Audiatur Tertullianus, qui de Paradisi laudibus sic cecinit:

Est locus Eois Domino dilectus in oris,
Lux ubi clara nitet, spiràtque salubrior aura,
Æternúsque dies, atque immutabile tempus;
Nox ibi nulla, suas defendunt astra tenebras,
Virentésque gravant uberrima germina ramos.
Nulla cadunt folia, ut nullo flos tempore desit.

3. Eandem amœnitatem descripsit S. Ambrosius lib. de Parad. cap. 1. *quoniam legimus*, inquit, *in Genesi à DEO Paradisum esse plantatum secundùm, & ibi esse positum hominem, quem plasmavit DEus, istius Paradisi autorem jam possumus invenire. Quis est enim, qui potuit fingere Paradisum, nisi Omnipotens DEUS, qui dixit, & facta sunt, nunquam indigens eorum, quæ generari vellet? Ipse ergo plantavit Paradisum, de quo dicit sapientia: omnis Plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. Bona Angelorum plantatio, bona sanctorum; sancti enim sub ficu & vite ducuntur in illo pacis futuræ tempore, in quibus typus est Angelorum. Ergò Paradisus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi, atque virtutis, de quibus dicitur: Exultabunt omnia ligna sylvarum. Ligna sylvarū semper florentia viriditate meritorum, sicut illud lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, cujus folium non defluet, quia totus in eo fructus exuberat; Hic ergo Paradisus est. Locus autem, in quo est plantatus, voluptas dicitur. Unde S. David: Torrente voluptatis potabis eos: legisti enim, quia fons procedit ex Edem, qui rigat Paradisum. Hæc igitur ligna, quæ plantata sunt in Paradiso, quasi pro fluvio quodam torrentis spiritus irrigantur. De quo rursus: Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: Est autem civitas illa, quæ sursum est Hierusalem libera, in qua diversa sanctorum merita pullularunt. In hoc Paradiso DEus hominem posuit, sicut solem in cælo, exspectantem Regnum cælorum, quemadmodùm creatura exspectat revelationem filiorum Dei. Ergo si Paradisus est, in quo erant exorta Virgulta, videtur Paradisus*

disus anima esse, qua multiplicat semen acceptum, in quo Virtus unaquaque plantatur, in quo erat quoque lignum vita, hoc est, sapientia, sicut dicit sapiens. 7. Quia sapientia non de terra orta est, sed de Patre. Est enim splendor lucis aterna, & emanatio Omnipotentis gloria. Sic Ambrosius. In amœnissimum hunc locum Henoch, & Elias translati sunt, ibique ad extremum usque diem judicii magna animi tranquillitate, divinæ contemplationis dulcedine delitiantur. Hinc Eccl. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pænitentiam.*

In Paradisum Henoch & Elias translati sunt.

4. Et licèt censeant aliqui, ut videre est apud P. Blasium Viegas nostrum in Apoc. c. 11. comm. 5. sect. 5. Paradisum, in quo positus fuit Adam, aquis diluvii fuisse deletum, & Henochum in alium, æqué delitiosum locum translatum; probabiliorem tamen censeo antiquissimorum Patrum, cum P. Cornelio in Eccl. 44. 16. sententiam, qui asserunt ibidem inundantibus aquis Diluvii Dei servum fuisse conservatum, qui uti à culpa erat immunis, ita congruebat, ut esset & à pœna cataclysmi, utpote æternitatis candidatus, & in gratia confirmatus. *Ex quo plerique colligunt*, inquit Viegas, *quò in pretio habeat DEus vel unum ex servis suis, siquidem propter unius tantùm delitias tam illustre miraculum effecerit, ut Diluvij aqua in morem fornicis, & quasi camerati operis coalescentes, Paradisum non obruerint.* Unde Doctor subtilis in 2. D. 17. q. 2. ait: miraculosè Paradisum à Diluvio servatum; censétque, cum aquæ illæ ad Paradisum usque pervenissent, veluti mare rubrum ibi immobiles substitisse. Quo in loco deliciis affluentissimo, licèt divinam faciem, utpote viatores & in statu merendi constituti, minimè videant, altissima tamen rerum divinarum contemplatione, vitâ felicissimâ ab iis, quas modò patimur, miseriis, peccatíque fomite prorsus immuni perfruuntur. Quam ego rerum Divinarum assiduam contemplationem eis cibi, potiùsque locò esse censuerim. Licet S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 3. sub disjunctione hac de re sciscitantibus respondeat, aut sine cibo nimirum à Deo sustentari, aut si cibo opus habent, in Paradiso fortè pasci sicut Adam de ligno vitæ, & inde contra vetustatem, habilitatem vitæ accipere. Et rursus lib. 1. cont. Adversarium legis, & Proph. cap. 15. ait: non temerè esse asserendum, utrum ligno vitæ vescatur nunc aliquis, nisi fortè Enoch & Elias. Sine cibo tamen ullo eosdem vivere affirmat Epiphanius Hæres. 64. & S. Hieron. Epist. ad Pammachum, & solius Dei virtute, atque Omnipotentia.

Paradiso non nocuerunt aquæ diluvij.

Qualiter in Paradiso sustententur Henoch & Elias?

5. Eandem Paradisi amœnitatem, atque delitias pervenustè Poëtæ Christiani depinxère; inter quos Baptista Mantuanus sit Coryphæus.

Est locus Eoos Phœbi nascentis ad ortus,
Arduus, attolens vicina cacumina cœlo,
Threitia major Rhodope, sublimior Ossa,
Pelion, Æmonium superans, & culmen Olympi,
Caveásque nives, ubi sunt juga maxima Tauro.
Illic perpetuò vernantia gramine rura,
Perpetui fructus, æternáque gratia florum,
Vernáque temperies semper, sine nubibus aër
Lympidus; Auster abest, Boreas non sibilat, Eurus

Exu-

Exulat, occiduâ zephyrus non
murmurat aurâ.
Hic primæva quies homini, jeju-
na priusquam
Infelix vetita vitiâsset guttura
fruge.
In medio fons est lato pulcherri-
mus orbe,
Quatuor unde fluunt occulto flu-
mina cursu:
Nam tria secretis delapsa mea-
tibus Arcton
Versus eunt; at verso revocan-
tur in Austrum
Tramite, ad Æthiopes, combustá-
que solibus arva
Defluit assiduis quartum, Me-
rœmq; refuso
Gurgite complectens, memphiti-
ca Regna peragrat.

Non minùs venustè Nicolaus Nomesseus hortum hunc Paradisiacum floridis planè coloribus expressit, cùm cecinit:

Invio latè maris angiportu,
Cinctus Eois latet hortus oris,
Menstruæ cœlum superans ovanti
Vertice Phœbes.

Dictus antiquis Paradisus, her-
bas
Semper intacto fovet omne, sem-
per
Vere pubescit, variisque semper
Floribus halat.

Semper Aiacis neces fabulabor
Semen, at verum miniabo Tempe
Sparsò, quem tellus dedit, appa-
ratur
Cespitis ostrô.

Fons ibi dumos amat, & perenni
Roris affulgent adamante chal-
tæ;
Tempus æterno madefacta pingit
Gramina risu.

Nulla Divinos pede Nympha,
rostrô
Nulla conturbat latices volu-
cris,
Nullus arbustum caper in virenti
Margine Carpit.

Veris hic rivus fluit, atriûmque
Nemini quantumvis licet, unus
undam
Tangit, & Sancto sitibunda rorat
Guttura potu.

Sedulius denique eandem Paradisi pulchritudinem versiculis hisce nobis ob oculos proposuit:

Quêis etiam in nemus umbrife-
rum, sedésque quietas
Quatuor in partes, vitreus quas
irrigat amnis,
Et placido spirans intercrepit.
aura susurro;
Ver ibi perpetuum adducit lætis-
sima ruris
Otia, & aspersis viridantia flo-
ribus arva
In campos Paradise tuos, ubi flo-
re perenni
Gramineus blanditur ager, ne-
merúmque voluptas
Irriguis nutritur aquis.

Pontanum nostrum Paradisum cæteris accuratiùs describentem volum 3. Progym. Par. 1. Progym. 7. hìc quoque audire libet:

Eoi salve pars formosissima
Mundi,
Nobile supremi salve opus Ar-
tificis.
Assyriæ omniferi salvete in fini-
bus horti,
Ruráque præcipuis accumula-
ta bonis.
Grandia Conamur tenues expro-
mere; nam vos
Nulla sat egregio Carmine
Musa refert.

Vos fugiunt venti, fugiunt vos nubila cœli:
Nec Paradise potes noscere, quid sit hyems.
Lumine te assiduo vestit largissimus æther,
Attamen æstiferis solibus usq; cares.
Sydere mutato haud tempus variatur apud te,
Perpetua veris commoditate places.
Et parit, & nullos tellus tua postulat imbres,
Purpureos laxans ebria rore sinus.
Et nobis, quæ vix totus produxerat annus,
Fœnore ibi magno menstrua dat brevitas.
Semper habes, nemorúmque comas, & amœna vireta,
Flore novo semper picta renitet humus.
Lilia cúmque rosis, & cum narcisso hyacinthi
Decerptæ nullis unquibus, & violæ.
Illinc & redolent immortales amaranthi,
Dein alii, quorum nomina ferre labor.
Spirat ibi molli quoque mollis amaracus umbra;
Et Myrrha, & nardi copia multa viget.
Copia multa thymi, qualem non novit Hymettus,
Roscida mellificis pabula Virginibus.
Nec desunt pendere tibi de matribus uvæ,
Cernitur & baccis arbor onusta suis.
Sunt & odorifero sudantia balsama ligno,
Cinnama punicei mollia fila croci.
Sunt illic, quæ thurilegis dat fama sabæis,
Quæque alius nondum germina vidit ager.
Divinis avium feriuntur cantibus aures,
Par facere, ut nunquam barbita docta queant,
Hic Philomela studet sub ramis arboris altæ
Gutture vocali continuare melos.
Flatu impulsa levi per gratum sylva susurrat,
Arboreas crepitans ventilat aura comas.
Indocilésque vias currunt per gramina lymphæ,
Languidulósque vocant murmure somniculos.
Non rabies tigrim, non fulvos ira leones,
Concitat invalidas dilacerare feras.
It lupus inter oves: non miscent prælia tauri,
Non est vulnifico dente timendus aper.
Nescit adhuc medios cervus transmittere campos,
Dum tergo insequitur vis violenta canum.
Persultare pecus vidisset pabula læta,
Pérque eadem pasci pratula pacificè.
Cum canibúsque ibant consueta ad pocula damæ,
Audebant sese jungere gryphes equis.
Illecebris tantis mentes perculsa novellis,
Armenta insolitis luxuriare modis.
Ludebant teneras nimium lasciva per herbas,
Inque vicem ad requiem corpora fessa dabant.
Uberibus plenis manabat lacteus humor,
Ampla voluptatum, tu Paradise, domus.

Ter-

Terrarum, heu, quondam splendor, Decus, ornamentum,
Heu! hodie præter nomen inane nihil.

Paradisi descriptio majori ex parte Deiparæ congruit, in cujus utero velut Paradiso Filius DEI tanquam secundus Adam humanam naturam assumpsit.

6. Quæ sanè omnia, quàm venustè majori ex parte Deiparæ congruant, facilè perspicit, qui Virginearum laudum encomia à Patribus exarata contemplatus est. Inter quæ Illud sanè non vulgare censendum est, cùm Paradisum, hortumq; voluptatis, in quo Dei Filius tanquam secundus Adam de cœlo cœlestis, humanitatem nostram hypostaticæ unionis vinculô Divinitati suæ associans, novem mentibus suas sibi delitias, cum filiis hominum habiturus commoratus est. Unde S. Gregorius Thaumaturgus Serm. 2. de Annunc. inter reliquas laudes hanc reposuit: *Hæc semper vigens immortalitatis Paradisus, in qua lignum vitæ plantatum cunctis immortalitatis fructum suppeditat.* Serm. verò 3. eandem Paradisum Dei ratione præditum vocitavit.

7. Hinc sanctus Proclus Archiepiscopus Constant. de Dei Matre loquens: *Hæc est,* inquit, *secundi Adami Paradisus, in quo per Incarnationem fuit positus, ut operaretur videlicet, & custodiret illum,* Gen. 2. Quæ verba scitè exposuit Rich. Lib. 8. *In Paradiso uteri B. V. Mariæ positus est Christus in Incarnatione, quando mulier circumdedit virum, ut operaretur in ea fæcunditatem, & custodiret illæsam Virginitatem.* Hinc D. Hier. Epist. ad Eustochium librans elogium illud sponsi: *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ Paradisus. Vere,* inquit, *Hortus delitiarum, in quo consita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicq; conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus: Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis; ex quo fons vitæ manat, in cujus lumine omnes videbimus lumen, cujus perfecta emissio uteri, supernorum civium omnium est Paradisus.* Hinc S. Ambrosius in Psal. 1. in illa verba: *Erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum: Inter multa,* inquit, *quæ erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam lignum vitæ terra produxit in medio Paradisi, ut cætera ligna ejus viriditate florerent: quid esse hoc lignum dicimus nisi per quod nobis salus venit? & lignum hoc terra produxit, quem tum terra generavit, quæ erat Terra. JEsus est lignum vitæ, lignum sapientiæ plantatum in Utero Virginis voluntate Patris.* Jam aliquos Græcæ Ecclesiæ SS. Patres, qui Virginem Paradisum appellant, audiamus. S. Joan. Damasc. orat. 2. de dormit: *Hodie,* inquit, *Edem novi Adam Paradisum suscepit animatum, in quo sublata est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta est nostra nuditas.*

P. Virgo Hortus delitiarum, in quo omnia odoramenta virtutum, hortus conclusus violari nescius.

Eadem B. Virgo Fons signatus sigillo SS. Trinitatis.

JEsus est lignũ vitæ signum sapientiæ in utero Virginis plantatum.

8. B. Andreas Cret. Episcopus orat: de Annunc. ita Virginem salutat: *Gaude unicum illius qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum: Gaude Sancta Terra Virginea, ex qua novus Adam formatur, qui veterem Adam servat. Tu vere benedicta, quæ tanquam Paradisus intra te contines ipsius Edem plantatorem Christum, qui infinita virtute ex almo utero tuo prodiens, instar fluvii, quatuor principiis per Evangelium rigat faciem universæ terræ. Benedictus tuus fructus est, ex quo Protoplastus Adam vescens evomet veterem illam potionem, per quam fraudis venenum hausit. Fructus, ex quo ligni amaritudo dulcescit.* S. denique Ephrem syrus ita Virginem salutavit orat: de B. V. *Ave Paradise delitiarum, totiúsque amœnitatis, & immortalitatis: Ave*

Adam Novus Christus in Utero Virginis tanquam Paradiso formatus.

lignum vitæ, gaudium, & voluptas.

9. Audiamus denique Humbertum Mons moretanum lib. 4. Christiados, ubi S. Joseph sponsum Deiparæ, cum SS. Regibus ad visenda incunabula Salvatoris positis frugalibus mensis, tenuíque absoluta cœnaculâ in longam noctem differentem, de primorum parentum lapsu in Paradiso, de remedio Incarnatione verbi tantis malis apportato, de infante Deo, de Virgine ejus Matre, déque aliis fidei nostræ Mysteriis inducit. Ubi Protoplastorum lapsum, insignémque coràm aggrediens describere ingratitudinem, ita loci ipsius, in quo situs erat Paradisus, describit amœnitatem:

Est locus Eoo primi sub cardine cæli.
Arduus, ut curvæ pertingat cornua lunæ,
Æterno, qui vere tepet, qui spirat odore
Perpetuo, & nebulis nunquam fuscatus opaci,
Gramine gemmifero fert multicolaria campo.
Illuc innuptæ lauri, vastóque renitens
Palma oneri, & patulis floret coma pinea ramis:
Et thyma mellifluæ lætissima pabula muscæ,
Bumastíque decor, roris cum flore marini,
Cum thure & placida nardi benè olentis arista,
Cum myrrha & casia dulcem profundit odorem,
Nec fragrans narcissus abest, nec lutea Caltha,
Lacteoláq; rosæ, & prænuncia pacis oliva.
Nec cedrus, cariem nunquam passura, nec ulmus.
Purpureis, ulmus latè redimita racemis,
Nec quidquid campos gemmis stellantibus ornat.
Delius & gratæ Boreas gelidissimus auræ
Concedens fluidas jam marmore detegit undas,
Ac volucres pictæ lætis concentibus æthra
Demulcent, pecudes in apricis montibus errant,
Densáque barbatæ tendent labrusca capellæ.
Quatuor e medio labuntur flumina cursu,
Ac varius piscis clara perlucet in unda.
Vivida ceu puro candet rosa candita vitro,
Hic Pater, ut cælum vastos curvavit in arcus,
Alituum generi magnum dedit aëra, fluctus
Piscibus, & terras amplum formavit in orbem.
E tellure Virum, sensúque, animóque valentem,
Eque viri mixtam convulsis ossibus Evam
Composuit, faciémque dedit, quam dura leonum,
Semina, quam celsis frendentes montibus apri,
Ursi monticolæ, & genus insuperabile tigres,
Ac demum quidquid spirat sub sole, timeret.
Qualem ipse Plasmator habet; sed prisca vetustas
Capta oculis, talpáque minus trudente, minúsque
Sopito Bubone videns, quæ lumina lyncis,
Lumina quævis superare Aquilinia putabat;
Tanta Panomphæi non vidit facta Tonantis.

Libuit hæc Paradisi encomia fusiùs recensere, eò quòd mirificè Divinæ Matris

Matris tam internam animi, quàm externam corporis pulchritudinem, variarum virtutum formam, morúmque ejus integritatem, omnimodam denique ex creaturarū omnium tam cœlestium, quàm sublunarium decerptam perfectionem, ac venustatem repræsentant.

10. Hanc ob causam Rupertus Abbas lib. 4. in Cant. Virgineum hunc Paradisum multis nominibus terrestri illi anteponit: *Hortus conclusus*, inquit, *soror mea, sponsa Dei Genitrix. Ecce novus Paradisus novæ plantationis, quas plantavit unus idémque antiqui Paradisi plantator Dominus Deus. Ille est Paradisus antiquus, paradisus terrenus; iste est paradisus novus &c. Paradisus novus, Paradisus cœlestis: utriusque plantator est unus idémque Dominus Deus. In illo posuit hominem, quem formaverat; in isto formavit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De illa humo produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi; Istam humum, istam terram suam benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria Virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum Deum & hominem, Dominum Paradisi cœlestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluvius ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in 4. capita: De isto Paradiso ille fluvius, sive flumen egressum est, de quo Psalmista: Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei, qui inde dividitur in 4. Evangelia.* Sic Rupertus. Ex quo inferre possumus, quantò nobilior fuit secundus hic homo de cœlo cœlestis, terrenô illô; tantò nobilior est Virgineus hic Paradisus alterô, quem in Edem Dominus plantaverat. Ille locus erat voluptatis; hic verò Paradisus voluptatis simul, ac sanctitatis tam eximiæ, ut illum B. Petrus Card. Damian. ser. de. Annunc: cum Patris æterni delitiis omnibus refertissimo sinu, conferre non dubitârit. Postquàm enim dixisset: *Locum voluptatis Patrem esse censemus. In ipso enim omnem voluptatem esse intelligit, qui legit Apostolum dicentem: Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia;* Rom. 11. & Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre Luminum. Ipse etiam filius dicit,* Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Cognitio igitur Patris vita æterna est, ibi sempiterna voluptas, quia gignitur de utero Patris, Deus de Deo, Lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur autem identitate, quia idem est, quod Pater,* Postquam; inquam, hæc præmisisset; hæc de utero Virginis subtexuit: *Videndum jam, quomodò egrediatur de Virgine; quia egressio ista dulcior, & affectuosior est humanæ miseriæ. Hic Locum voluptatis uterum Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delitias delitiarum Dominus, de quibus Spiritus Sanctus* Cant. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Nunquid in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos?* Tandem concludit: *Non est locus voluptatis nisi uterus Virginis. Hinc egreditur cum humanitate, quia indutus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit; Egreditur & cum novitate, quia nunquam sic natus est homo, sicut ipse nascitur. Primus enim homo primò de terra formatur, secundò mulier de ejus latere fabricatur: Tertiò Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur ab utroque: Solus iste de sola Virgine nascitur, & Virginis uterum novo & singulari*

Uterus Virginis locus voluptatis, in quo cumulavit Dominus omnes delitias delitiarum.

partu divinitas humanata sigillat. Sic ille

11. Similiter Rich. à S. Laurentio lib. 2. parte 2. uterum Virginis cum patris æterni sinu contulit: *Ipsum cor Virginis*, inquiens, *omnibus creaturis dignum inventum est, exeuntem de corde paterno primò suscipere Unigenitum Dei, quando scilicet cor Patris eructavit verbum bonum, qui de sinu Patris egrediens, in sinum Matris Virginis se recepit.* Quantis autem delitiis in Virgineo hoc sinu Dei filius fuerit perfruitus, declaravit Rupertus lib 2. in Cant. *Si delitiæ ejus cum filiis hominum, quantò magis erat, & delitiabatur cum ista Ancilla Domini, miraculò cunctorum filiorum, hominum?*

Uterus Virginis cum Patris æterni sinu confertur.

12. Et licet Paradisum illum plantaverit Dominus Deus â principio, nihilominus animatum hunc Paradisum peculiari quâdam ratione tota Augustissima Trinitas exertis quodammodò omnibus suæ Omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, reliquorúmque attributorum viribus, habitationem Incarnato Verbo dignissimam præparavit: Quare Theodoretus Hom: in Concil. Florentino habita, Virginem Paradisum illô terrestri nobiliorem appellavit. *Paradiso gloriosior facta est Maria; Ille enim Dei cultura factus est, hæc autem secundùm carnem Deum coluit, eligentem hominis copulari naturæ.* Unde seraphicus Pelbartus lib. 2. stell. parte 3. art. 2. cap 5. præclarè pronunciavit: *In omnibus operibus à principio mundi factis, mirum maximum, quod DEUS fecit in toto mundo, & facere potuit, est hoc, quod in Maria fecit.* Hinc Bernard. *multa*, inquit, *magna fecit DEUS in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, & tam magnum opus digitorum DEI, sicut in Virgine, quam sol & Luna mirantur. Nihil enim majus dici potest, quàm quod DEus factus sit homo, cùm magis DEUS distet à Creaturis, quam quæcunque creatura à nihilo. Cæterùm ex parte Creaturæ nihil majus dici potest, quàm quod sit Mater DEI: Hoc est enim summæ gratiæ & gloriæ, qua major creaturæ communicari non potuit.* Ideò dicit Anselmus: *Nihil tibi ò Domina est æquale, nihil comparabile, omne enim quod est, aut suprà te est, aut infrà te est; quod suprà te est, solus DEus est, quod infrà te est, omne est, quod DEus non est. Magna quidem fecit DEUS, quando cælum, terrámque, ac omnia, quæ in eis sunt, solò verbò creavit de nihilo: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt; sed certò multò majus fecit in Matre, quando de purissimo ejus sanguine corpus Christi formavit, quò totus DEus, quem cæli capere non poterant, essentialiter continetur. Magnum quoque fecit DEus, quando cælum Empyreum repletum Angelis creavit, & ipsis DEum diligentibus, se se visione beatifica fruendum exhibuit: sed majus fecit in Virgine, cùm in ejus utero DEUS ipse, quò omnes Angeli fruebantur, habitavit.*

Paradiso gloriosior facta est Maria.

Cœlo Empyreo gloriosior facta est Maria.

13. Quòd si olim viridaria summo in pretio haberi sunt solita, quæ regia aliqua manu fuêre consita; quo in pretio, Deus immortalis! Hortus hic Virgineus habendus est, quem ipsa Augustissima Trias propriis manibus conserere, plantare, excolere, ac omnium Virtutum, ceu plantarum, florúmque genere decorare non est dedignata? Quòd, porrò Imperatorium, Regiumvè fastum, hortorum cultura minimè dedecuerit, testis est Cyrus, de quo Ælianus lib. 1. de anima cap. 59. ita loquitur: *Cyrus minor ex hortis, quos purpuræ nitore, & gemmarum fulgo-*

Hortos coluit Cyrus.

fulgore ornatus in Lydia sua manu consevisset, gloria magna cum apud omnes Graecos, tum apud Lysandrum Lacedæmonium, cum is in Lydiam ad eum venisset, fuit. Addit Marcus Tullius in Cat. cùm admiraretur Lysander, & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam atque puram, & suavitatem odorum, qui afflaretur è floribus, tum eum dixisse; mirari se non modô diligentiam, sed etiam solertiam ejus, â quo essent illa dimensa, atque descripta; & ei Cyrum respondisse: Atqui ego sum omnia ista dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Sic ille.

Diocletianus Imperator, ipseque Rex Salomon cultores Hortorum fuere.

14. Testis est Diocletianus Imperator, qui salonam abdicatô â se imperiô se contulit, ibíque locô amœnissimô, quem videre licuit inter aquas maritimas ac fluviatiles, sibi hortum conseruit, plantandísque potissimùm caulibus se occupavit: Testis est ipse Rex sapientissimus Salomon qui Eccl. 1. de se fatetur: *Feci hortos, & pomaria, & consevi ea Universi generis arboribus.* Sive ut vertit Hebræ. *Feci hortos, & Paradisos,* exquisitarum videlicet arborum, fruticum, florum, fontium, &c. Verisimile enim est, Salomonem frutices & arbores pretiosas ex Arabia, Ægypto, India, totóque orbe conquisitas, in Hierosolymitanum Hortum transtulisse. Unde Josephus lib. 8. Antiq. tradit plantam balsami dono allatam â Regina Saba, feliciter â Salomone suo satam in Horto; ubertim denique in Palæstina provenisse, atque adeò in tanta copia, ut postea scripsit Plinius lib. 12. cap. 25. Balsamum uni Terræ Judææ, concessum. Testis denique est Assuerus, qui manu suâ propriâ Hortum, nemúsque conseverat, ut Sacræ attestantur litteræ est, *Jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo Horti & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat.* Testis est Venantius Fortunatus Poëta lib. 6. carmin. 8. qui de horto Ultrogothonis Reginæ scribens, ait illum vel ex eô fuisse celeberrimum, quòd Regem Gilbertum habere Cultorem meruerit.

Rex Gilbertus pariter excoluit hortum Reginæ Ultrogothonis.

Hæc magno inseruit Rex Childebertus amore;
Carius ista placent, quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta saporem,
Forsan & hic tacitos miscuit ille favos.
Regis honore novis duplicata est gratia pomis,
Nare suavis odor, dulcis in ore sapor.

15. Quæ sanè longè aptiùs de Virgineo hoc Horto superni Regis manu consito dicerentur. Ipse enim tam ipsius plantis, quàm floribus, atque fructibus virtutum, gratiarum, pulchritudinem, saporem, odorémque duplicavit. Ab hoc verè cœlesti cultore mellitum saporem fructus omnes hujusce Viridarii admirabilis traxêre, ipse verè dulcissimos cœli favos illis admiscuit, effecítque, ut quisquis fructus hos gratiarum Virginearum degustat, jure dicat: *Fructus ejus dulcis gutturi meo.*

16. Quòd si Paradisus ille terrestris non solùm multiplici arborum varietate plenus fuit, sed etiam ligno vitæ singulariter amœnus; animat⁹ sanè hic Paradisus omnium virtutum germine, floribus fructibúsq; abundavit, & lignum vitæ, JEsum vitam omnium in medio uteri ope, operáque Spiritûs sancti plantatum produxit. Audiendus hic idem Ru-

Maria Paradisus ex quo cunctarum exemplaria virtutum, ipsum quoque lignum vitæ Christum Dominum DEus produxit.

pertus: *De ista humo, Paradiso videlicet, produxit Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi: sed istam humum, istam terram suam, nempe Virginem Matrem benedixit Dominus, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum DEum & hominem, Dominum Paradisi cælestis.*

17. Ut porrò ostendat nulla virtutum, pietatísque omnimodæ germina in Virgineo hoc Paradiso defuisse, id verbis confirmat Sponsi Cant. 4. 13. *Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha, & Aloë cum omnibus primis unguentis.* Quibus sanè septem aromaticis fruticibus, omnium virtutum Universitas in Paradiso hoc rationali plantata designatur. Præclarè enim prosequitur ibidem Rupertus: *Quidquid virtutum, quidquid operationum cælestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt, ut ubi erant prius spinæ, & vepres, carduus, lappa, tribulus, urtica, & paliurus, universitas nequitiarum, ibi sit Cyprus & nardus, & Crocus, fistula & Cinnamomum, myrrha & Aloë, universitas gratiarum juxta numeri septenarij sacramentum.* Atque ut vir Virginis studiosissimus in Paradiso hoc non modò nardum humilitatis, verùm etiam prælatam Libani Cedrum Divinæ Maternitatis reperiri ostendat, hæc attexit: *Pulchra valde varietas hujus Paradisi nostri ubi & altitudo Lignorum Libani, & humilitas aromatici germinis spectaculum commune præbent.*

18. Hæc Virtutum ceu florum varietas uterum Virginis effecisse est nisa floridum Lectulum, in quo æternum Verbum humanitatem nostram sibi despondens, atque hypostatica unione consocians, suavissimè conquievit. Audiendus hìc Abbas Villaramus in Cap. 1. Cant. Porrò juxta humanitatis sacramentum dilecti lectulus, B.V. Mariæ est uterus, qui mirabiliter floridus est, & Virginitatis pulchritudine, & singularis nativitatis inæstimabili ac inenarrabili per spiritum sanctum operatione. *Sed noster,* inquit, *lectulus, quia tuus quidem est per Incarnationis electionem; meus verò per ipsius Incarnationis fidem.* Audiendus hìc quoque Rich. à S. Laurentio lib. 10. de Laudibus B. V. de hoc lectulo: *Lectulus Salomonis,* inquit, *veri Pacifici B. V. dicitur, in qua Deitatis inclinato capite DEI filius requievit, velut in lectulo, unde & ipsa dicit: qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Uter' Virginis Lectulus floridus, Lectulus Salomonis.

19. Vidit florentissimum Paradisum esse uterum Virginis S. Zeno Veronensis Episc. & Martyr, cùm dixit: *requievit lubens in florentissimo Virginitatis domicilio.* Vidit eundem uterum florentissimum Paradisum S. Basilius Seleuciæ Archiep. orat. 31. dum Virginem ita consalutat; *Ave gratia plena, ave florentissima Virginitatis Paradise, in quo lignum vitæ satum producet fructus omnibus salutares, ex quo Evangeliorum fons in 4. ora sectus miserationum flumina credentibus deducet.*

Uterus Virginis Paradisus Florentissim'.

20. Agnovit uterum Virginis amœnissimum ornatissimúmque esse Paradisum Guilelmus Abbas, qui verba illa: *veni auster perfla hortum meum,* cùm dixisset esse cœlesti Sponsi, Spiritum S. invitantis ad Virginei uteri hortum fœcundandum, subdit: Impleto tempore, quod præfinitum erat à Patre, venit Filius Dei ad Virginem, de qua incarnan-

Uterus Virginis amœnissimus & ornatissimus Paradisus.

carnandus erat; venit præveniendo eam in Benedictionibus dulcedinis. Unde Angelus ad eam missus, ut futurum partum ei nunciaret; *Ave*, inquit, *Gratia plena, Dominus tecum. Jam ergo Dei Filius cum Virgine erat, de qua carnem sumpturus erat; Jam inquiebat: veni auster, persla hortum meum, & fluant aromata illius; nempe si cum Virgine jam non degeret non diceret: veni Auster, sed potius, vade Auster. Austro ergo dicit veni, quia non mentiebatur Angelus dicens ad Virginem: Dominus tecum: veni ajebat, Spiritus S. sanctifica uterum Virginalem, & fluent aromata illius, ut qui nascetur ex eo, sanctum, vocetur Filius Dei, quod utique erit in odorem suavissimum omnibus sæculis. Planè uterus Virginalis est cœlestis Sponsi hortus delitiarum, hortus aromatum. Quantæ in eo delitiæ, quanta intimæ suavitatis aromata fuerunt. Cum ibi Dominus gloriæ per Incarnationis mysterium fuerit dignatus habitare, & præclaras illas nuptias in eo per spatium novem mensium celebrare? Eodem spatio exacto aromata illius fluxerunt, quia sacra Virginis viscera Filium Dei fuderunt. Quare missus ad Virginem Angelus congrua salutatione præmissa: Ecce* ait, *concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus JEsum. Cito de utero tuo fluent aromata cœlestia, tanquam de horto voluptatis Dei. At illa: quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? quomodò prædicis partum Virgini non cognituræ virum? quomodò prædicis uterum meum hortum fore fœcunditatis, cùm clausus, signatúsque sit sigillo perpetuæ Virginitatis? Tum ille: Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi &c. ne timeas Virginati tuæ, quia non defloraberis à viro, ut fœcunderis; sed sicut Dei hortum decet, austrò perflaberis, ut fluvant aromata tua.*

21. Nec mirùm nobis videri debet uterum Virginalem Paradisum quendam esse, siquidem alium Paradisum ex se produxit longè præstantiorem, totíque naturæ, & gratiæ, longè admirabiliorem; nempe universorum summum illum Creatorem; qui Paradisi hujusce Virginei tantam amœnitatem, fructúsque uberrimos admiratus, postquam eam hortum conclusum esse ingeminâsset, mox attexuit cap. 4. *Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus &c.* ubi rursus audiendus est piissimus Abbas Guilelmus, qui emissionem purissimam, ac principalem Virginis docet esse Christum unctum oleô lætitiæ, aliisque pretiosissimis odoratísque aromatis, quibus suo odoratissimo adventu universum orbem recreavit. *Emissiones*, inquit ille, *sunt fructus ex ea emissi, unicus ejus fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est JEsus: sed in uno illo fructu multiplex est fructus; In uno salvatore omnium JEsu, plurimos Maria peperit ad salutem, pariendo Vitam multos peperit ad vitam. Eò ipsò, quod Mater est capitis, Mater est multorum membrorum. Mater Christi, Mater est membrorum Christi, quia caput & corpus unus est Christus. Corporaliter caput pariendo, spiritualiter membra peperit. Unde etiam ab omnibus Mater appellatur, & ab omnibus cultò debitò, ut Mater, honoratur.*

Uterus Virginis Virginalis Paradisus qui alium Paradisum Universorum creatorem produxit.

22. Neque verò Virgineus hic Paradisus Filium Dei, Caput nostrum nobis dumtaxat in mundum imisit, ad totius humani generis ornamentum, verùm etiam alia ipsius membra spiritualia, viros summos, medios, infimos, Apostolos nempe, Martyres, Confessores, ac Doctores, per species illas arborés-

Virgineus Paradisus non tantum Filium Dei caput nostrum, sed etiam ejus membra spiritualia produxit.

que aromaticas designatos, qui omnes ob eximinm Deiparæ cultum, ab illa tanquam cœlesti Paradiso originem traxisse visi sunt. Unde jam memoratus Guilelmus, *Prima emissio*, inquit, *post Christum videlicet, est Paradisus malorum Punicorum, cum pomorum fructibus; hoc est, nobile illud Collegium Apostolicum, cum cœtu reliquorum Martyrum. Mala punica sanguineo rubent colore; Sancti Apostoli ad similitudinem Magistri sui sanguine suso ruberunt. Nam & Joannes cum cæteris malum punicum fuit animi virtute, voto, & conatu. Hæc punica mala Paradisus protulit cum pomorum fructibus, hoc est, cum bonorum operum variis exemplis.*

23. S. Gregorius Nyssenus Hom. 9. in cant. ait, ex ore sponsæ germinâsse Paradisum: Qui enim, inquit, accuratiùs attendit Emphasim dictionis Hebraicæ inveniet: *Emissiones tuæ ex ore tuo Paradisus malorum Punicorum.* q. d. sermo tuus, qui per os tuum emittitur, est Paradisus malorum punicorum. Tum paucis interpositis, modum, quô plantatur hic Paradisus, attexit: *quid est*, inquiens, *quod emittit os sponsæ? verbum fidei, quod cùm est in iis, qui suscipiunt, fit Paradisus, qui plantatur per auditionem in cordibus.* Nemus enim plantatum frequens arboribus Paradisum vocare consuevimus. Verbum porrò illud fidei crediderim fuisse, Virginis de arcanis filii, incarnationísque mysteriis ad Apostolos, Discipulósque Christi habitas explicationes; quibus illi eruditi, aromaticæ quædam plantæ, & novus quidam in terra consitus Paradisus evaserunt. Inter has arbores Paradisiacas numerat Paulum eúmque vocat myrrhæ plantulam ob assiduam, quam in corpore suo JEsu circumferebat mortificationem: hanc Virgo emissa ex ore ad filium suum oratione, cùm lapidaretur Stephanus, in Ecclesiæ Paradiso plantavit; ut Tomo 1. diffusiùs ostendimus. Sed ipsa tanti Patris verba audiamus, sic igitur ille Hom. 10. in Cant. *Arbor myrrham ferens erat Paulus, qui quotidie moriebatur, & ipse sibi dabat responsum mortis, & per puritatem, & Divinam vitæ institutionem aromatizans fiebat quodammodò odor vitæ iis, qui salvi fiunt.*

Paulum Apostolum tanquam myrrhæ plantulam ob continuam mortificationem, hanc Virgo emissa ex ore ad filium suum oratione, in Ecclesiæ Paradiso plantavit.

24. Emittit quoque Cyprum Paradisus hic Virgineus, quem ait Honorius & Guilielmus denotare gradum continentium seu Religiosorum, qui se & votis ad castitatis puritatem obstrinxerunt, & in docendis cæteris fidelibus operam, quam possunt, sedulò impendunt. Cyprus enim est arbor aromatica in Ægypto abundans, habens semen simile Coriandro, ut manna, album, sublucidum, & odoratum, quod oleô coquitur, & inde succus exprimitur, qui cyprus dicitur: unde Regium unguentum conficitur, ita dictum, quòd regius morbus eo curatur.

Cyprus & arbor aromatica in Ægypto abundans, unde regium unguentum conficitur.

25. Et verè aptissimè cypri arbores in Ægypto præcipuè vigere dicuntur: siquidem Regio illa examinibus penè innumeris Religiosorum floruisse à S. Chrysostomo, & S. Augustino aliisque Patribus, ut Tomo 2. ostensum est, perhibetur. Hoc aliquando futurum, nescio quô afflatus spiritu, Mercurius Trismegistus Ægyptius vaticinatus est in Asclepio c. 9. *An ignoras*, inquiens, *o Asclepi! quod Ægyptus imago sit cœli, aut quod est verius, translatio, & descensio omnium, quæ gubernantur, atque exercentur in cœlo? Etsi dicendum est verius: Terra nostra totius mundi est templum.* Móxque deplorat Idolorum cultum in Ægypto abolendum, superstitionémque omnem finem

Cyprus est symbolum Religiosorum.

finem accepturam. *Et tamen*, inquit, *quoniam præscire cuncta prudentes decet, istud vos ignorare fas non est: futurum tempus est, cùm appareat Ægyptus incassum pia mente Divinitatem, sedula religione servâsse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur; è terris enim est ad cœlum recursura Divinitas: linquetur Ægyptus, terráque, quæ fuit Divinitatis sedes, religione viduata, Numinum præsentiâ destituetur. Alienigenis enim regionem istam, terramque complentibus, non solùm neglectus religionum, sed quod est durius, quasi de legibus à religione, pietate, cultúque divino statuetur; perscripta pœna prohibitio erit. Tunc terra ista sanctissima sedes delubrorum, atque templorum, sepulchrorum erit, mortuorúmque plenissima.* O quam aptè & hic vaticinatus est? quid erant enim illa tot &c. Illa tot innumera Cœnobia, quàm sepulchra quædam, quibus homines mundo mortui, Deo vero vivóque viventes continebantur? Quid verò viri Religiosi, qui in eis versabantur, quàm totidem mortui, qui cum Apostolo dicere poterant: *Christo confixus sum cruci, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* His eisdem idem dicere poterat Apostolus: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Concludit tandem piissimam suam lamentationem: *O Ægypte! Ægypte religionum tuarum solæ supererunt fabulæ, & æque incredibiles posteris suis, soláque supererunt lapidibus incisa tua pia facta narrantibus &c.* quæ longùm & à proposito alienum foret exarare. Ad reliquas proprietates Cypri, sive Religiosorum per illam denotatas procedamus. Horum semen est Doctrina, & virtus, quæ est mannæ similis; quia habet spirituale delectamentum, & omnem saporem sanctæ suavitatis, semen candidum nitore veritatis, sublucidum exemplô sanctitatis, odorum famâ piæ conversationis. Hoc semen oleô decoquitur, quia semen verbi sine oleo gratiæ nihil est nisi aër incassum verberatus; ex succo inde expresso regale conficitur unguentum, quô morbus Regius, hoc est superbia curatur. Nam hunc morbum regium esse S. Laurentius apud Prudentium Præfecto urbis respondit. Et quia regio huic morbo curando optima est humilitas, ideò rectè cypro nardus annectitur; In his enim Religiosorum domiciliis velut Paradisis, humiles, & innocentes ait Honorius, qui se coràm aliis parvos & despectos faciunt, & odore, atque ardore charitatis peccatis saucios ungunt, delitescunt. Ibi crescit crocus aurei coloris, quia viri hujusmodi sunt sapientiâ divinâ fulgentes. Ibi crescit & fistula robusti & purpurei corticis, quæ ad curandas viscerum molestias valet; quia sunt patientes pro Christo, & pro fratribus suis animam ponere parati. Ibi crescit & cinnamomum cinerei coloris, qui sunt pœnitentes, qui se infirmos reputant, & in cinere pœnitentiam agentes, dulcem odorem Ecclesiæ præstant. Rectè porrò Monachi cinnamomo comparantur; quia sicut cinnamomi cortex nimio fervore solis ab arbore solvitur, ita illi à mundo se semetipsos separant Christi amore ardentissimo.

Cinnamomũ symbolum religiosorum.

26. In Paradiso hoc Virgineo crescunt universa ligna Libani, cedri, & similes arbores, inquit Guilielmus, quæ sunt universi fideles Christi, cum Prælati, tum subditi. Fistula & Cinnamomum arbusculæ aromaticæ sunt: & qui meliùs per illas, quàm boni subditi figurantur? Hi per humilem gradum arbusculæ sunt, sed per animum humilem aromaticæ sunt.

In Paradiso Virgineo crescunt universa ligna libani, cedri, & similes arbores, quæ sunt universi fideles Christi, cum Prælati, tum subditi.

Arbusculæ per subjectionis necessitatem, aromaticæ per obedientiæ pietatem; subsidunt gradum, fragrant moribus. Ligna Libani non tantùm odora, sed & procera sunt, & bonos designant Prælatos, qui attoluntur gradu, fragrant verbo & actu. Denique myrrhæ & aloës fit mentio, dicuntúrque Paradisi hujusce rationalis emissiones. Arbores illæ aromaticæ emittentes sui nominis succos amarissimos, sed utilissimos. Altera arbor inchoantes significat, altera perfectos significat in cænobiis. In illos amaritudinem timor, in istis amor exsudat. Illis enim metu supplicii amara est peccatorum memoria, istis verò præ dulcedine DEI, & desiderio Regni, amara est peccatorum memoria; & ipsa temporalis vita. Denique illorum vox est: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* Istorum verò: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Utraque amaritudo aromatica est, quia utraque est in odorem suavitatis. Domini porrò sunt quidam, qui jam non parùm profecerunt, in quibus tamen nondum perfecta charitas ex omni parte foras misit timorem: hos medios dixerim inter inchoantes atque perfectos. Hi utramque exsudant aromaticam amaritudinem, sed illam, quam elicit timor remissiùs, quàm inchoantes. Istam, quam elicit amor, remissiùs quàm perfecti, sic mixturam myrrhæ, & aloës conficiunt, quâ mortuum pro peccatis nostris Salvatorem perungunt, id est, fidem salutiferæ passionis ejus in semetipsis contra vitiorum corruptelam conservant.

27. Audiendus hic quoque S. Amad. Episcop. Laur. Hom. 7. de hoc Virgineo Paradiso orbem universum recreante: *Mariæ*, inquit, *præsentia gratam veris temperiem exhibebat, & quò favens se verteret, Paradisus* erat: *emissiones tuæ*, ait sponsus, *Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Habet quippe Paradisus gloriosæ Virginis mala punica in varietate virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fistula exspoliationis carnis, cinnamomum suavitatis cum universis lignis Libani, per quæ universitas virtutum figuratur. Myrrha quoq; mortificationis & aloës incorruptionis cum omnibus primis unguentis effusis in oratione, ab illo unguento, quod consistens in capite descendit in barbam, barbam Aaron, non illius veteris & significantis, sed novi & significati, descendit in oram vestimenti ejus, quod est Ecclesia.*

Paradisus Virgineus Universum orbem recreat.

28. Denique Lælius Panno- Ord. S. Pauli Eremitæ illustre sydus, comment. suis M. S. in Cant. quæ ex celeberrimo, atque antiquissimo lepoglavensi cœnobio in Croatia habere licuit, aromaticas hasce arbores, viros spirituales designantes contemplans, quas Paradisus Virginalis emittit, ita loquitur: *In quibus arboribus tam suave spirantibus, quid aliud magis, quam Sanctorum vitas, & vitæ eorum conditiones debemus accipere? studia quoque ac dignitates, & ordines; Apostoli primi sunt, qui odore virtutum suarum mundum universum replevêre, qui Cypri fuêre, & nardi & croci, & id genus reliqua rerum odoratarum. Idem fuêre & Doctores, Prælati Ecclesiarum instituti ab Apostolis, & deinceps usque ad tempora nostra: sunt enim Ordines in Ecclesia DEI, & ipse, inquit Apostolus, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, ac Doctores ad Consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.*

Per arbores Aromaticas, & odoriferas Viri Religiosi & sancti denotantur.

Christi. Ephes. 4. *Non caret odoribus his ne ætas quidem nostra, quando passim sunt Apostolici viri, tum Doctrina, tum integritate insignes; Ecclesiarum Prælati, qui odoribus suis fragrant. Et in subjecta quoque plebe quantam putas virtutem? in quibus sunt Virgines illibatæ pudicitiæ, fragrantes amore in Christum, singulari se se parsimoniæ subigentes: sunt viduæ, quæ ex cœlibatu, ac pietate redolent, quas honorandas fore censuit Apostolus, quæ veræ viduæ sunt. Eæ autem sperent in DEum, & instent obsecrationibus, & orationibus nocte & die: nam quæ in delitiis est, vivens mortua est,* 1. Thimot. 5. *Sunt & in matrimonio degentes, quæ filiorum curam, in timore Dei educantes eos, agunt. Quanti denique Religiosi viri, qui abnegatione suorum, suique, Angelicam in terris vitam studio imitantes, obsequiis diurnis ac nocturnis in psalmis, & hymnis DEO vota reddunt, in sanctitate & Justitia DEO servientes? Jam vero Ecclesiasticorum Virorum quantus est numerus? qui omnes pro sua virili DEI placita custodiunt, & officia in plebe DEI exercent sua. Nonne ij quasi Cypri sunt in igne tribulationis, suavissimum redolentes odorem? aut nardi aut croci amœnis Consolationibus ungentes, & lætificantes contritas conscientias mæstorum pectorum? fistula in ablationum molestiarum, cinnamomum in confortatione pusillanimorum, Myrrha in præservatione a corruptione pendenti, Aloë in purificatione a vermibus conscientiarum, & etiam oculorum illuminatione in doctrina fidei. Porrò in Universitate lignorum Libani, Ecclesiasticas quasque cape sublimitates, quæ candidæ esse debent puritate vitæ, & doctrinæ.* Hæc Pannonius.

29. Ex quibus sanè colligimus pietatem omnem, bonique Nominis ac sanctæ ædificationis odorem, qui in Universa Ecclesia in sæcularibus æquè, ac Religiosis, in Prælatis æquè ac subditis sentiatur, nil aliud esse, quàm emissiones, purissimósque animati hujus Virgineíque Paradisi fructus. *Ipsa enim omnibus omnia facta est,* ut loquitur Bernardus, *sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitrium se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant Universi:* serm. de verb. Apoc. quam illa pientissimam charitatem verbis illis quoque nobis demonstravit, cùm dixit: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis,* quæ æmissiones quoque veræ sunt, *implemini.* Eccl. 24. quotquot enim gratiæ, ac virtutes reperiuntur in Virgine, tot generationes, tot emissiones sunt planè Paradisiacæ, orbem Universum omnésque in eo gradus, ac ordines recreantes, decoréque suo mirificio exornantes. Unde S. Bonav. in spec. c. 13. ponderans dictum illud Eccl. 40. *Gratia quasi Paradisus in benedictionibus,* ait Virginem esse Gratiarum Paradisum, imo gratiam ipsam Paradisi, quæ videlicet in protoplastis initiò ipsorum creationis à DEO ter Opt: Max: tam largâ effusione communicata enituit. *Tanta* inquit ille *gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipsa gratiosa Virgo gratia quodammodò dici possit. Hæc autem Gratia, gratiosissima videlicet Virgo Maria, fuit quasi Paradisus in benedictionibus: sicut enim in Paradiso materiali gula Evæ meruit maledictiones pœnarum, sic in Paradiso hoc spirituali temperantia Mariæ meruit benedictiones gratiarum.* Unde Augustinus. *Maledictio Evæ in benedictionem vertitur Ma-*

Sanctæ ædificationis odor, qui in Universa Ecclesia sentitur, nil aliud est, quam emissiones Virginei Paradisi.

In Paradiso materiali Gula Evæ meruit maledictionem pœnarum, in Paradiso spirituali temperantia Maria, meruit benedictionem gratiarum.

riæ, benedictionem inquam non modò corporalem, verùm etiam spiritualem.

30. Quòdsi Emissiones illæ aromaticarum arborum ex hoc Paradiso Virgineo profectæ tantis, támque copiosis fructibus orbem universum repleverunt ut in omnibus eorum gradibus, præsertim Religiosis ordinibus videre est; quantis bonis, Deus immortalis, gratiarúmque fructibus emissio illa ligni vitæ Dei videlicet Filii, quem Virgo in lucem edidit, Ecclesiam universam locupletavit? Præcipuum hujus ligni vitalis fructum pulchrè nobis ostendisse visus est Leo orientis Imperator Hom. 7. cùm salutando pro suo affectu piissimè Deiparam pronunciavit: *Ave Paradise, cujus fructu Senectam insitam nobis, & interitus effectricem abjecimus, & ad floridam seniique expertem formam traducti sumus.* Verè enim Deus, qui est lignum vitæ, senium peccati, quod nos ad terram incurvans decrepitos efficit, dum in Evcharistia dignè suscipitur, tollit, florentémque ætatem, renovatámque ad instar aquilæ juventutem conservat. Quare S. Alphonsus Arch. Tolet. serm. 1. de assumpt: hanc ob causam Virginem Reparatricem vitæ vocitare non dubitavit: *Hæc est.* Inquiens, *hortus conclusus ille delitiarum, Reparatio vitæ, Janua cæli, decus mulierum, fastigium omnium Virginum.* De hac arbore vitæ adeò mirifica præclarè Rich. â S. Laurent. lib. 12. de laud. Virginis. *Beata Virgo est hortus conclusus & Paradisus voluptatis ob arboris vitæ continentiam, quæ fuit arbor principalis, scilicet Dominus Deus, qui benè dicitur lignum vitæ, quia mortis defectum fugat fructûs sui immortalitate, Eucharistia videlicet quoad dignè accedentes, & quoad bonos æternæ sui contemplatione:* unde ait Joan. 6. Ipsemet, *qui manducat me, vivet propter me;* sed non competit fructus hic nisi victoribus vitiorum. Unde Apoc. 2. *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei,* in Maria videlicet.

Eucharistia senium peccati tollit, florentémque ætatem conservat.

Reparatrix vitæ Maria.

31. Quare de illo ligno vitæ Paradisi terrestris benè pronunciavit August. lib. 13. de Civit. cap. 20. & 23. illud nimirum vim habuisse prorogandi vitam in omne tempus, hominémque ab interitu vindicandi: *de ligno* inquiens, *vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undequaque surreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.* Idem docet Doctor Angelicus 1. Par. q. 93. art. 4. Esum nimirum ligni vitæ repetitum, habuisse vim hominem â morte in perpetuum vendicandi; non tamen semel susceptum ad id sufficere potuisse. Quæ omnia quàm aptè Christo Domino Arbori æternæ vitæ sub speciebus Eucharisticis congruant, clarissimum est. Neque enim hæc amœnissima æternæ vitæ arbor vitam spiritualem conservabit illi, qui semel in anno ejus fructu vitali vescitur, sed illi, qui mensam hanc quot hebdomadis, vel saltem mensibus singulis frequentat. Hoc enim est illud lignum vitæ, quod vidit Joannes in medio Paradisi afferens fructus 12. per menses singulos afferens fructum suum; qui quidem fructus in hac vita vitam animæ spiritualem, velut antidotum â morte peccati præservans, vitam tandem illam beatissimam sempiternámque elargitur.

Signum vitæ vim habuit prorogandi vitam in omne tempus, quod multo melius Eucharistiæ convenit.

32. Nimirum Dominus DEus est sapientia illa, de qua Salomon Prov. 3. *lignum vitæ est, qui apprehendunt eam.* Quemadmodum enim vitæ fructus habet vim humidum radicale restituendi ea puritate,

Fructus ligni vitæ humidū radicale restituit, & conservavit. Idem præstat Eucharistia.

re, ac perfectione, quæ in ipso hominis ortu inerat, ita ut fructus illius energia homo annare, & perennare posset; ita animati hujus, rationalísque Paradisi fructus Benedictus JESUS habet eam vim, ut hominem dignè cibum hunc frequentantem in vita spirituali absque lethiferi peccati culpâ foveat, atque conservet, æstúmque ac calorem cupiditatum, quæ nativum humorem gratiæ in nobis exstinguunt, temperet, imò aliquando penitùs eliminet. De ligno hoc vitali præclarè S. August. *Virgo Maria Paradisus dicitur, in cujus medio positum est lignum vitæ, cujus foliis sanantur infirmi, cujus odor vivificat mortuos, cujus sapor dulcorat amaros, cujus umbra refrigerat miseros, cujus aspectus lætificat Angelos.*

Fructus benedictus Ventris Virginalis copiosis laudib⁹ celebratur à SS. PP.

33. In Paradisiaci hujusce Virgineíque ventris fructûs laudes piè, copioséque excurrit Seraph. Bonav. in spec. cap. 14. *Considerandum est,* inquiens, *quòd fructus iste generosissimus, fructus delitiosissimus, fructus virtuosissimus, fructus copiosissimus est. Generosus quidem, quia de utero Regali est; Generosior, quia de utero Virginali est; generosissimus, quia de utero Paternali, de utero, inquam, Patris æterni est. O verè nimis admiranda, nimísque veneranda nobilitas, quæ fructus ventris Materni est filij uteri æterni, & sapientia Cordis paterni! unde D. Bernardus de hoc fructu: Illius, ô Maria! eris Mater, cujus DEus est Pater; Filius potentiæ, & Charitatis erit Corona tuæ castitatis, sapientia paterni Cordis erit fructus uteri Virginalis.* De hoc fructu Isa. 11. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis;* in magnificentia propter Regalem, in gloria propter Virginalem, sublimis ob æternalem sive paternalem generositatem.

SS. PP. prosequuntur laudes fructûs Benedicti.

34. Est quoque fructus hic uteri Virginalis delitiosissimus, delitiosus quidem est in odore, delitiosior in specie, delitiosissimus in Sapore. Delitiosus est quidem in suavi odore: Unde de ipso Mater ejus, inquit; *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Fructus vitis est proles Virginis, quod tamen verè mirum est, & mirè verum est. De hoc August. *De Creatura creator omnium procreatus nascitur, de rivulo suo fons magnus educitur, radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmitis sui fructus efficitur. Quòd nos miseri huc non currimus, sed vix serpimus, signum est, quia de odore hujus fructûs parùm suscepimus.* Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat, qui dicebat: *Odor filij mei, sicut odor agri pleni:* Genes. 27. fructus hic delitiosior est specie, & decore: de hoc dicitur Lev. 24. *sumetísque die primo fructus arboris pulcherrimæ.* Primus dies animam illuminans est fides, & certè si sumere debemus fructus arboris pulcherrimæ, Arbor pulcherrima est Maria, pulchra quidem in foliis oris, pulchrior in floribus cordis, pulcherrima in pulcherrimo fructu ventris. De quo B. Bernard. *Si fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed & delectabilis aspectu, quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere? Illum, inquam, in quem desiderant Angeli perspicere.* Pulcher utique fructus Dominus est, qui speciosus formâ præ filiis hominum est. Si autem pleniùs cognoscere volumus fructûs hujus pulchritudinem, recurramus ad ipsam arborem pulcherrimam, requiramus ipsam pulcherrimam ejus Matrem, & dicamus, Cant. 5. *Qua-*

lis est dilectus tuus ex dilecto O pulcherrima mulierum! & tibi respondebit: *Dilectus meus Candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Ipse candor lucis æternæ. Delitiosissimus denique est fructus hic sapore, quem sancta illa anima experta est, cùm dixit: Cant. 2. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Vide reliqua de fructûs hujus energiâ, & Copiâ, quæ S. Doctor ibidem fusè prosequitur.

35. Sed in paradisum ipsum redeamus: Terrestris ille quamvìs ab initio grata semper amœnitate vernaret, tamen alterna fructuum nascentium, & cadentium varietate, ac vicissitudine mutabatur. Imò jam, ut aliqui opinantur suâ viriditate ac fertilitate, generali illo cataclysmo viduatus, ac deletus fuit. At in Virgineo hoc paradiso nunquam illa gratia, illa sanctitas, ac puritas, illa singularia virtutum germina, quibus à primo suæ plantationis, sive conceptionis immaculatæ instanti floruit, nunquam emarcescunt; sed semper in suo primo vigore perseverantes primigeniam pulchritudinem retinuêre, imo majori in dies venustate decorata sunt. Hinc inter cætera pulcherrima ipsius elogia cœlestis sponsus illud præ cæteris celebravit Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea, sponsa Hortus conclusus;* quod encomium ut clariùs intelligamus, sciendum ad litteram intelligi de Horto Salomonis Hesperidum, Alcinoíque viridariarum longè excellentissimo, quem Adricomius in Descriptione terræ sanctæ ex Josepho, Brochardo, Bredenbachio ita depingit: *Hortus Regius, qui hortus conclusus dicitur, hortus erat in sub Curbanis Hierusalem, muris undique septus & obfirmatus, atque sicut Paradisus arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum, fructuúmque ubertate amœnum, mulcendísque, ac fovendis sensibus conveniens, & ad secessus voluptuarios idoneus; In quo erat inclytus ille fons Rogel, & lapis Zæleth, quorum frequens in scriptura mentio fit, ubi Adonias, cùm regnare instituisset, immolavit victimas, & una cum suis asseclis convivium fecit,* 3. Regum 1.

Paradisus Virgineus vicissitudinis expers

Describitur Hortus Salomonis.

36. Crediderim ex hoc horto concluso, & ex hoc horto Paradisi, Platonem mutuatum fabulam de horto Jovis test. D. Ambros. lib. de bono Mort. cap. 5. *hinc*, inquiens. *Hortum illum Plato sibi composuit, quem Jovis hortum alibi, alibi Hortum mentis appellavit; Jovem enim & Deum, & Mentem totius esse dixit. In hunc intrasse animam, quam Peniam nuncupat, ut se abundantia, & divitiis horti repleret, in quo repletus potu jaceret Porus, qui nectar effunderet; hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eò quod anima Deo adhærens in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum, floresque sermonum. Quis autem ignorat, quod ex Paradiso illo, quem legimus in Genesi, habentem Lignum vitæ, & Lignum scientiæ boni & mali, & ligna cætera, abundantiam virtutum putaverit transferendam, & in hortum mentis esse plantandam?* Sic ille.

Ex Horto Paradisi Plato fabulam mutuatus de horto Jovis.

37. Hortus igitur Paradisi, hortus Jovis, hortus divinissimæ illius Mentis omnia compræhendentis est Deipara, omnium virtutum abundantiâ divitiísque velut floribus, fructibúsque assiduè succrescentibus refertissimus. Hinc Rupert. Horti ethymon contemplans, ait: *Inde nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur, quia cùm alia terra semel in anno aliquid creet, Hortus nunquam sine fructu est. Unde ergo hortus es tu o dilec-*

Horti ethymon ab ortu, quod semper ibi aliquid oriatur.

o dilecta dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam desinit, & fructus tuus nunquam marcescit?

38. Quibus ex verbis colligimus, Virginem in continuas virtutum actiones, velut florum, fructuúmque productiones erupisse, adeò, ut semper assiduè vernanti horto ejus sanctissima anima similis esse videretur, & nunquam hæc virtutum proles in Virgine Matre interquiesceret. Benedictus ille fructus ventris ejus IESUS semper florens, semper germinans, utpote flos campi & Lilium convallium utpote flos de radice Jessæ Virgulæ ascendens, suam parenti gratiam, & germinandi assiduè efficacitatem communicabat.

In Horto Virgineo continuo virtutum flores & fructus oriebantur.

39. Nec vacat mysterio, quòd hortus conclusus ingeminetur; unde D. Rupert. tantum Virginitatis cum fœcunditate unitum miraculum agnoscens; *maximè autem*, inquit *hoc mirum est atque jucundum, quod prædicatur de hoc horto, quòd conclusus sit. Quomodò enim hortus sit conclusus? nunquam simile hujus auditum est de omni hortorum nostrorum multitudine, nec potuit dici vel esse hortus non habens aditum, per quem saltem unus intraret, vel exiret Hortulanus. Hic hortus unus solus est Clausus, vel Conclusus, hic uterus unus est fœcundus & incorruptus; & quare bis hortus conclusus diceris? Videlicet propter conceptum & partum, quia in utroque mirabile es, & amabile miraculum, quòd neque corrupta es conceptu, neque violata partu. Nam & uterus tuus nihil carnali commercio accessibilis, & mens tua nulli spirituali nequitiæ fuit unquam penetrabilis.* Lib. 4. in Cant. Ubi ponderanda ea verba accuratiùs: *penetrabilis*, & *accessibilis*, quæ non modò peccandi actum, verum etiam ipsam potentiam excludunt; tantam enim gratiam â primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti consecuta est, eáque velut Turris illa Davidica ædificata cum propugnaculis, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, communita fuit; ut Impeccabilis Divinam naturam quodam modò æmulata reddita fuerit, maximè visionis beatificæ vi, quâ tunc, ut alibi sæpè, ex gravissimorum Theologorum sententia ostendimus, perfruita est, & totius suæ vitæ sanctissimæ decursu sæpiùs; atque ita nullis Tartarei hostis insidiantis tentationum machinis expugnari unquam potuit. Unde felicior longè Virgo hæc sanctissima, quàm Eva exstitit, quæ venenati serpentis sibilis aurem præbens, se, virum, atque adeò universum humanum genus pessumdedit. Hæc autem superbissimum ejus caput pede ad instar vilissimi vermiculi contrivit, ostendítque re ipsa se Mulierem illam fortem esse, cujus pretium procul, & penultimis finibus est. Ostendit, denique se verè, & non per Antiphrasim Matrem cunctorum viventium esse, eòquòd vitam per Evam amissam, vitali suo ventris purissimi fructu, tota admirante naturâ reparavit. De hâc gloriosissimâ Virginis nostræ de antiquo serpente reportatâ victoriâ pulchrè Seraph, Pelbartus lib. 5. stell. Par. 2. art. 1. ubi conferens illam cum Aurora ita loquitur: *Sicut Aurora aves nocturnas effugat, ut vespertiliones ac noctuas; sic Maria Dæmonum potestates.* Ideò Gen. 3. dictum est serpenti â Domino: *ipsa conteret caput tuum.* Unde Fulbertus carnotensis: *B. Maria*, inquit, *caput Dæmonis quasi pedibus utriúsque contrivit, in hoc, quia Virginitatem & humilitatem conservavit. Virginitate enim ex-*

Per Hortum conclusum Virginitas & fœcunditas B. V. designatur.

Auroræ comparatur B.V.

stinxit concupiscentiam carnis, & humilitate superbiam mentis. In hoc etiam contrivit, quia Diabolicam potestatem contrivit, & superavit. Unde ex Hebræo legitur. Ipsa conteret caput tuum.

40. Nec sanè mirum Hortum hunc, amœnitatem suam ubertatémque fructuum semper vernantem custodiisse, cùm hujus Paradisi Omnipotens Conditor simul exstiterit Hortulanus, culturæ pulcherrimi hujusce Horti semper invigilans. Si enim quælibet anima hortus, & Christo cultore, Hortulanóque gaudet, ut docet Guer. Abbas ser. de script. Utilitate; quantò magis Virgo beatissima: *An non sunt hortus,* inquit ille, *in quibus fit quod ipse Hortulanus loquitur plantationi, quam plantavit Pater suus? Audite me, inquit, divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate, Quasi Libanus odorem suavitatis habete, florete flores quasi Lilium, date odorem, & infrondete in Gratiam. O JEsu Verus Hortulanus! operare in nobis, quod exigis à nobis nam sine te nihil possumus facere, Tu enim verus es Hortulanus, idem creator, qui cultor, vel custos horti tui; qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas Maria, quæ cùm existimabas Hortulanum illius Horti pauperis & exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, Hortulanus est cœli, Hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat, & rigat, donec incremento consumato transplantet eam in terram Viventium, ubi non timebit, cùm venerit æstus, sed erit folium ejus viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati, qui habitant in illis hortis tuis Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, cujus conversatio in cœlis erat, qui mente sæpiùs excedens perambulabat Paradisum beatæ voluptatis, hortos delitiorum Dei: ubi & pertransiens rosas Martyrum, Lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorum Dei, delectabatur potiùs carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio Paradisi, in ipso nimirum gustans pleniùs & feliciùs, quàm suavis est Dominus. Ideóque cùm inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantiæ suavitatis ejus profusiùs eructabat, & ex abundantia cordis os redundabat; quia enim sicut adipe & pinguedine repleta erat anima ejus, ideò labiis exultationis laudabat os ejus.* Sic ille.

Christus Dominus animarum, & præcipuè horti Virginei Hortulanus.

41. Idem sanè amœnissimum hunc Paradisum Virgineum contemplanti eveniet; Cùm enim tam innumeros virtutum pulcherrimorum flores, aromatum areolas, Virginitatis Lilia, charitatis ac patientiæ rubentes rosulas, soliloquia obedientiæ, nardum violásque humilitatis, cedrum altissimam Divinæ maternitatis, ac denique lignum vitæ in medio uteri ejus Paradisiaci ipsam increatam sapientiam, illiúsque uberrimos dulcissimósque fructus, quos suis amatoribus per singulos offert menses, quispiam consideraverit, non poterit mirificâ lætitiâ ipsius animus non efferri, cor delitiis spiritualibus non diffluere, & in eadem illa verba cum sapiente non erumpere: *Audite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate* &c.

In Horto Virgineo varii virtutum flores recensentur.

42. Quare S. Bernardus orat. ad B. V. horum Virgineorum florum persentiscens fragrantiam, præclarè edixit: *Hortus delitiarum nobis sacratissimus tuus uterus ô Maria! quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde affulsit. Hortus conclusus tu es ô Dei Genitrix!*

Suorum florum odore totam domum Domini replet B. Virgo.

nitrix! ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum, à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas, inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te ô excellentissima! Hi sunt, quorum odore suavissimo totam domum Domini reples! ô Maria! viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de hac Dei areola Flos ille speciosus præ filiis hominum electus est, super quem requievit Spiritus Domini.

Fons ascendens de terra, & irrigans universam superficiem terræ, Fluvius egrediens de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, est Verbum Incarnatum lætificans Paradisum Ecclesiæ militantis & Triumphantis.

43. Quòd si fontem illum ascendentem de terra, irrigantem universam superficiem terræ, fluvium quoque illum, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, & in 4. dividebatur capita, consideremus, animadvertemus sanè Virginem nostram rationalem Paradisum esse, terrestri illô longè præstantiorem; de hac enim Virginea terra ascendit, ut loquitur Rupertus, qui apud Deum erat, & vera lux erat, sicut scriptum est; *quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen.* Fons igitur ille, qui ascendebat de terra, est Verbum Incarnatum, quod gratiæ suæ copiosissimis rivulis humanæ naturæ ariditatem, sterilitatem irrigavit, fœcundavit, & totum orbem sceleribus expiavit. Idem Incarnatum Verbum per fluvium de loco voluptatis egredientem denotatur, ut supra commemoravimus ex B. Damiano, qui sanè universum Ecclesiæ sanctæ militantis Paradisum, imò etiam triumphantis mirificè lætificat. De hoc enim cecinisse visus est David: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei.* De fluvio hoc ex Virgineo Paradiso emanante Audiendus Bernardus orat. de B. V. qui summa cum pietate Deiparam alloquens: *Et cui te*, inquit, *assimilabimus Mater pulchritudinis? verè Paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti, de quo, qui manducaverit, vivet in æternum.*

44. Fons vitæ, qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris tui exilivit, atque in te in 4. capita sese dispergens ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans Civitatem Dei. Omnis enim, qui biberit me, non sitiet in æternum, & erit plùs quàm Paradisus hic, de cujus aqua siquis biberit, sitiet iterum! o quantum mundo contulisti, quæ tam salubris aquæ ductus esse meruisti!

B. Virgo aquæductus gratiarum.

45. Quòd si per fluvium hunc Paradisi, abundantia donorum Spiritûs Sancti, quæ à Virgine tanquam à loco voluptatis in Paradisum Ecclesiæ emanat intelligatur, intelligemus sanè Virgineum hunc Paradisum longè diviniorem illô terrestri exstitisse. Audiendus hìc Seraph. Bern. Bustius 9. Part. Marial. serm. 1. Assimil. 1. Iste fluvius Paradisi, inquit, est abundantia Spiritûs Sancti, quæ fuit copiosissimè in Maria, & dividitur in quatuor capita; quia unum mittit ad contemplativos, dans eis gratiam & devotionem orandi, alium mittit ad activos, dans eis gratiam in laboribus perseverandi, alium mittit ad Prælatos, dans eis gratiam gubernandi, & præsidendi, alium mittit ad subditos, dans eis gratiam obediendi.

Fluvius Paradisi est abundantia Spiritus Sancti, quæ fuit in Maria.

46. Experta est S. Elisabeth, & Præcursor Domini adhuc in visceribus matris delitescens, hanc charismatum Divinissimi Spiritûs, seu fontium uberrimorum abundantiam de Virgine, tanquam de loco voluptatis promanantium; cùm ad solam ejus vocem repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & filius ejus labe originali expurgatus exultavit in gau-

S. Elisabeth experta est, & Præcursor Domini charismatum Divinorum abundantiam de Virgineo Paradiso promanantium.

gaudio, suúmque Creatorem ac Regem, conversâ ad eum facie, ut potuit, adoravit.

47. Quæ divinæ gratiæ, naturæque miracula contemplans Guerricus Abbas serm. 1. de Nat. S. Joan. Bapt. sic loquitur: *Vox Mariæ, dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Joannis penetrat, qui abstrusus inter materna latebat viscera, spiritum ejus animat, gaudioque salutari vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeò, ut etiam de plenitudine filii copiosè videatur in matrem refundi. Verè gratiaplena Maria, manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia tam copiosè, tam magnificè principaliter in Matrem, de Matre in Joannem, de Joanne in Parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant, aquæ vivæ, & fons vitæ & gratiæ oriebatur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi. Proxima erat fonti Cedrus ista nobilis, Joannem loquor; ideóque nimirum uberibus irrigata in tantum excrevit, ut inter natos mulierum nihil illâ sublimius posset inveniri. Omnino salvatori proximus erat, qui non modò copula sanguinis conjunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloriâ annunciationis, novitate nativitatis, sanctitate pene originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat, &c.*

S. Joannes Baptista cedrus Nobilis proxima fonti gratiæ & vitæ qui oriebatur in Virgineo Paradiso, & ideò excrevit ad tantam sublimitatem.

48. Et hanc copiosissimam Spiritûs Sancti gratiam, quæ ad instar fluvii de loco hoc voluptatis, de Paradiso hoc Virgineo emanabat, mortalésque omnes velut Dei plantas irrigabat, crediderim esse gratiam illam, de qua Eccl. 20. *Gratia quasi Paradisus in benedictionibus.* Quæ verba trutinans S. Bon. c. 13. in speculo, Postquam dixisset, Deiparam fuisse benedictam propter sobrietatem, contra gulam primæ parentis nostræ Evæ, ob quam & ipsa, & vir ejus, imò & universum humanum genus maledictionem incurrit, hæc attexit: *Contra hanc gulæ maledictionem, Maria obtinuit abstinentiam, & omnis temperantiæ benedictionem: meritò enim contra maledictiones gulæ in Paradiso materiali, abundaverunt benedictiones temperantiæ in Paradiso spirituali, juxta illud: Gratia quasi Paradisus in benedictionibus.*

49. *Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipsa gratiosa Virgo, gratia quodammodò dici posset. Hæc autem gratia, gratiosissima videlicet Virgo Maria, fuit quasi Paradisus in benedictionibus; sicut enim Paradiso materiali gula Evæ meruit maledictiones pœnarum, sic in Paradiso spirituali temperantia Mariæ meruit benedictiones gratiarum.* Unde Aug. *Maledictio Evæ in benedictionem vertitur Mariæ: Sicut enim gula Evæ non solùm maledictionem in anima, sed etiam in corpore, sic Maria non solùm benedictionem in corpore, sed etiam in anima, non solùm benedictionem spiritualem, sed etiam corporalem obtinuit. Maledictio enim Evæ gulosæ fuit parere cum dolore; benedictio autem Mariæ temperatæ fuit parere sine dolore, teste B. Bernard. qui ait: Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem evasisti; quâ dictum est: In dolore paries filios; & illam similiter; maledicta sterilis in Israel; singularémque consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parias.* Hæc Bonaventura.

Maledictio Evæ in benedictionem vertitur Mariæ.

50. Quòd

50. Quòd si per fontem illum ascendentem de terra, & fluvium illum egredientem de loco voluptatis, & in 4. Capita se se dividentem, sacram scripturam intelligamus, ut idem intellexit Rupertus, facilè intelligemus rationalem hunc Paradisum illô terrestri longè fuisse excellentiorem, fœcundiorem & feliciorem. Ex te enim, ut ait piissimus Abbas alloquens Deiparam, O locus voluptatis Dei! egreditur scriptura, quæ in 4. Evangelia distincta, totam Ecclesiam irrigat & fœcundat. Nam per te initium sumpsit sanctum Evangelium, ut per universum mundum spiritualem irriget Paradisum. Virgine enim gratiâ suâ præveniente concomitante, & subsequente, toto orbe lex Evangelica diffunditur, favente radices in animos agit, patrocinante in virtutum fructus erumpit, copiosissimáque animarum messis excrescit, ut clarè videre est in orbe novo, qui ope Virginea, cùm fuerit reseratus, ejúsque benignissimis gratiæ rivis velut Paradisiacis fluminibus irrigatus, tantas, támque uberes novorum christianorum segetes attulit, ut iis tot societatis nostræ seduli, industriíque, aliíque sanctissimarum, variarúmque Religionum cultores in demetendis, colligendísque vix sufficiant.

Rationalis Paradisus Mariæ multo excellentior fuit Paradiso terrestri.

Quatuor Evangeliorum rivi è Virgineo Paradiso originem traxerunt.

51. Neque verò mirandum est â Virgine quatuor Evangeliorum rivos tanquam â fluvio Paradisi originem traxisse, siquidem Leo Orientis Imperator Virginem ita salutavit: *Ave Elegantissimum scripturæ Divini Verbi volumen.* Et Richardus â S. Laurentio in Prolog. 2. *In corde tuo*, inquit, *exemplò B. V. fiat armarium scripturarum.* Quasi pectus Virginis arca illa fœderis exstiterit, in qua Divina Lex fuerit recondita. Quare meritò illam salutavit. S. Germanus Archiep. Constant. orat. de nativit. B. V. *salve legis atque gratiæ Mediatrix, veteris, noviq; testamenti sigillum, totius Prophetiæ clarissimum supplementum, summa divinitus inspiratæ veritas scripturæ, quæ Dei ac verbi spirans, ac purissima pars, in qua sine voce: & scriptura ipse inscriptus DEus, & Verbum per diem loquitur;* ob profundissimam hanc sacræ scripturæ cognitionem jam memoratus Rich. lib. 9. Puteum aquarum viventium Virginem appellavit: *Est enim ipsa*, inquit, *armarium scripturarum, quæ profundæ sunt, & obscuræ sicut aquæ fusci, quam tenebrosa aqua in nubibus aëris; id est obscura scientia in Prophetis, cujus notitia plenè fuit in Maria.*

B. Virgo armarium scripturarum, veteris & novi testamenti sigillum à SS. PP. nominatur.

52. Denique Evangelistas in scribendis Evangeliis â Virgine tanquam illorum Magistra fuisse illuminatos, ejúsque beneficio Evangelica hæc flumina Ecclesiæ Paradisum irrigâsse, testatur Eusebius Emissenus serm. 2. de Nativ. Domini; *O Mater*, inquiens, *sapientissima! quæ omnia verba hæc in corde suo ideò conferebat, nobísque conferebat, nobísque conservabat, & memoriæ commendabat, ut postea ipsa docente, ipsa narrante & nunciante scriberentur, & in Universo Mundo prædicarentur, cunctísque nationibus nunciarentur. Ab ipsa hæc Apostoli audiverunt, & ipsa dictante scripserunt, nobísque legenda mandaverunt. Quis igitur Evangeliis non credat, quis eis contradicere præsumat, quæ aut Matris, aut filij authoritate muniuntur? Quædam enim Apostoli, & Evangelistæ a Matre Domini audierunt, quemadmodum & cætera, quæ de Salvatoris infantia scripta sunt; plurima verò visu &*

Evangelistas in conscribendis Evangeliis B.V. illuminavit.

& auditu ab ipso Domino didicerunt.

Præcipuè S. Lucas tanquā Deiparæ secretarius circa mysterium Incarnationis, Nativitatis & totius infantiæ salvatoris à B. V. illuminatur.

53. Porrò inter cæteros Evangelistas S. Lucas tanquam Deiparæ secretarius, peculiari quadam ratione ad Evangelium suum conscribendum ab ea illuminatus est, maximè circa mysterium Incarnationis, Nativitatis, & totius infantiæ salvatoris: Audiendus hìc Idiota in Contempl. c. 3. *O B. V. Maria species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctorum cogitatuum, & doctrinæ veritate, quæ doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum: Unde & B. Lucæ inter cæteros Evangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Evangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.* Hæc Idiota.

Prædicatores Evangelici dicendi gratiam, vitæ sanctimoniam ex devotione erga B. V. de sumpsère.

54. Ex quibus sanè colligere possumus, quòd, quemadmodùm ex Virgine velut Paradiso, sive amœnissimo voluptatis loco Evangelii Flumina totum orbem irrigantia promanârunt, ita quoque Evangelicos Prædicatores, qui Christianæ eloquentiæ fluminibus Ecclesiam hactenus fœcundârunt, & imposterum fœcundaturi sunt, ex insigni in Virginem pietate, ac devotione eam dicendi gratiam, ubertatémque cum egregia morum incorruptione, atque vitæ sanctimonia fuisse sortitos. Inter hos, & quidem præcipuos, numerandus videtur B. Bernardinus Senensis, qui cùm à teneris annis præcipuo, ardentissimóque amore ferretur in Deiparam, eam sponsam, Amicámque suam castissimam vocitans, & singulari pietate sanctissima ejus gaudia, recitando Rosarium, Angelicísque salutationibus eam venerando recoleret, ei ad populum verba faciendi eximiam gratiam, miraculorúmque, ac prodigiorum perpetrandorum peculiarem facultatem concessit, ut Seraph. Pelbartus lib. 2. stell. Part. 2. artic. 3. testatur. Cùm enim die quâdam eadem illa gaudia mente revolveret, corollámque ex salutationibus Angelicis, vel rosulis ei contexeret, eidem se se Virgo benignissima magnâ circumfusa luce spectandam exhibuit: *O mi devote famule, inquiens, multùm mihi in tua devotione complaceo. Et ecce quia hâc coronâ me quotidie honorasti, à filio meo tibi impetravi prædicandi, ac miracula faciendi gratiam. Et scito tandem te in cœlis mecum meorum gaudiorum participem, lætitiâ nullo unquam fine terminandâ perfruiturum.* Concludit tandem Pelbartus: *Igitur Charissimi, vos omnes hortor ad B. Virginis devotionem, ejúsque gaudiorum recordationem: omnes in Domino JEsu admoneo, ut ad Coronam illius Virgineæ recitationem excitemini, quò in cœlo cum eâdem Virgine gaudere valeatis.*

Inter hos numerandi.

B. Bernardinus Senensis cui prædicandi ac miracula faciendi gratiam B. V. impetravit, ob recitationem corollæ ex Angelicis salutationibus contextæ.

B. Petrus Nicolaus supra cujus caput cum de laudibus Virginis concionaretur, B. V. mirâ luce circumfusa supra ejus caput consistere visa est.

55. Eundem aliquando de laudibus D. Virginis B. Joannes Capistranus concionantem observans, supra ejus caput stellam miro splendore radiantem est conspicatus. Fuerit sine dubio stella maris, stella illa ex Jacob menti ejus affulgescens, eámque gratiæ suæ luce perlustrans, quò digna pro Matris Dei dignitate eloqui valeret, ut clarissimè in ejus scriptis elucescit. Idem contigit superioris sæculi Anno 1583. ejusdem Ordinis Viro B. Petro Nicolao, qui cùm aliquando Virginis encomia pro concione celebraret, eadem Deipara quàm plurimis Angelis stipata ingenti circumfusa luce supra caput concionantis, quasi in illis tam præclaris laudibus sibi complacens, assistere serena facie visa fuit: ut habetur in

Chron.

Chron. Min. Tom. 4. lib. 8. Quantò porrò in illam ferretur amore, variis id comprobavit argumentis; sanè dum ad novitios verba faciebat, eos ad peculiarem ipsi cultum obsequiúmque deferendum exhortabatur, negans eum tristem exitum posse in religione sortiri, qui Virginis addictus esset amori. Unde ut amorem hunc mortalium animis ingeneraret, magno numero ipsius pingebat imagines, quibus ut & alii â cæteris pictoribus ante depictis piam hanc precantiunculam subjiciebat:

Ave Filia Dei Patris,
Ave Mater Dei Filij,
Ave sponsa Spiritûs Sancti,
Ave Templum totius Trinitatis.

Quatuor studiosi B. Nicolai concionem, quam B.V. ipsi dictaverat, despicientes infelici morte puniti sunt.

56. Quibus piissimi hujus viri obsequiis Virgo delectata, bis ei locuta fuisse, eidémque filium suum complectendum, osculandúmque exhibuisse perhibetur. Hujus sanctitatis famâ permotus Philippus II. Hispaniarum Rex ad sixtum quintum Pontificem maximum pro ejus Canonizatione impetranda institit. Nam artium studiosi, quatuor ipsius Concionem despicientes, quasi puerorum lectionem, rudiúmque Catechesim, nocte sequenti se se libidini, ebrietatique dediderunt; Inter potandum ortâ rixâ duo ex illis perimuntur, Cæteri ad mortem vulnerantur, qui paulò post inter blasphemandum animas exhalârunt planè infelicissimè. Atque ita comprobavit eventus folium Sibillæ â Viro sanctissimo illis fuisse recitatum, simúlque ostensum, quantæ Angelica salutatio ad benè feliciterque moriendum sit efficaciæ, quàmque gratum hujusmodi pietatis obsequium gloriosissimæ Virgini universi totius Reginæ accidat; siquidem ipsa concionem totam dilectissimo suo clientulo dictare non est dedignata.

B. Venturinum Bergomatem ord. S. Dominici inter orandum B. V. in altum extulit, & eidem familiariter locuta est.

57. Quid de B. Venturino Bergomate S. Dominici germana prole dicam? hic tanta in Deiparam ferebatur pietate, ut hæc illum de ejusdem Virginis gloria, atque excellentia meditantem in aëra aliquando genibus flexum efferret: Vidit enim hunc pia quædam Matrona florentina coram B. Dei genitrice, quam unâ cum filio circulus quidam aureus ad instar solis radians circumdabat, orantem, Virginémque ipsam familiariter serena fronte cum illo colloquia miscentem. Quæ visio occasio cuidam fuit, cur quidam â calumnia illi inferenda desisteret; statuerat enim illum de gravissimis criminibus, & quæ nunquam illi ne in mentem quidem venerant, insimulare.

Idem Beatus, ut se vicissim gratum exhiberet, tum concionibus, tum Epistolis mortales ad Virginis amorem inflammabat.

58. Tantæ Virginis in se benevolentiæ S. Vir minimè ingratus totius vitæ suæ decursu exstitit; diebus enim sabbati ad maximam coronam subinde quinque millium auditorum, de laudibus Deiparæ miro ardore, utpote quam mirè diligebat, concionabatur; quos præsens alloqui & ad Dei ejúsque Matris amorem exstimulare nequibat, id faciebat per Epistolas, in quarum fronte hæc verba præfigebat: JESUS amor meus: vel: Ave Maris stella, vel: In nomine Patris, & Filii, &c. ad calcem Epistolæ insignia passionis Domini, columnam, crucem, lanceam, clavos appingebat; ad quos aliquod hujusmodi ipsius perferebatur Epistolium, se felices arbitrabantur. Multi enim ægroti ea legentes sive tangentes sanabantur. Calend. B. V. 28. Martij.

59. Et licèt Virgo nostra omnibus concionatoribus, utpote rivulis uberrimis â se veluti Paradiso quodammodò emanantibus, Ecclesiam universam fœcundantibus mirificè faveat, atque hono-

Specialiter B. V. assistit illis concionatoribus qui suas conciones vel incipiunt, vel finiunt in laudibus illis.

ret, eisdémque in omnibus assistat ac patrocinetur, illis tamen vel maximè, qui conciones ipsius ab ipsius Laudibus vel exordiuntur, vel terminant.

S. Hemigius Episcopus, qui a laudibus B. V. in concionibus semper desumebat, quam gratiam obtinuerit?

60. Hinc de Sancto Hemigio Episcopo, qui â Virgineis elogiis in concionibus suis semper desumebat exordium, Deipara Beatæ Brigittæ in revel. ext. cap. 164. revelavit: *dic* inquiens, *Episcopo illi, qui omnes conciones inchoare solet â laude mea, ego volo ei esse in Matrem, ejusque animam præsentare Deo.* Quo favore quid per Deum immortalem majus excogitari potest! Parem favorem alter Concionator experiri meruit, qui conciones suas aliquo miraculô, vel præclarissimo quopiam â Virgine perpetrato facinore claudere consueverat: Hic enim morti proximus aspectu ipsius jucundissimo recreari, incredibilique lætitia perfundi, de Tartareis denique hostibus ipsius saluti insidiantibus triumphare, contra ipsos epinicium gloriosissimè canere, tandémque felicissimè animam suam in manus misericordiæ matris exhalare promeritus est.

Alanus Rupensis Ord. S. Dominici, â Deipara electus ut collapsam SS. Rosarij pietatem erigeret: miras ob illa gratias & favores obtinuit.

61. Quid de Alano Rupensi Dominicano dicam? qui cùm â Deipara esset electus, ut collapsam Sanctissimi Rosarii pietatem ejusdémquie sodalitia suis ad populum concionibus erigeret, variis eundem iisque eximiis ob ipsius dicendi ardorem & in vita, & in morte decoravit ornamentis. Huic enim Virgo benignissima se se aliquando spectandam exhibuit, eique annulum ex sanctissimis capitis sui crinibus miro planè opere contextum obtulit, eúmque præsente dilectissimo suo Filio, sanctísque quàm plurimis sponsum sibi adscivit, arrhámque immarcescibilis æviternæ gloriæ coronæ superaddidit, corollam nempe Rosarii, quam ejus collo manibus propriis iniicere non est dedignata: ut porrò ostenderet eum non modò castissimum suum esse sponsum, verùm etiam dilectissimum filium; dum aliquando altissima rerum divinarum contemplatione defixus teneretur, mirificáque dulcedine delibutus cor ejus & anima in Deo vivo exultaret, cumulum tantæ suavitatis eadem Virgo superaddidisse visa est, lac suum purissimum in os instillando: Unde factum, ut ejus eloquium esset dulcissimum, nec non mirificæ energiæ ad hominum corda amore Deiparæ inflamanda; adeò, ut etiam illi elogium illud sponsæ competere videretur. Cant. 4. *Favus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua,* Tantis his dulcedinis Virgineæ præventus benedictionibus miro fervore ad gloriam honorémque summæ cœlorum Reginæ propagandum, amplificandúmque passim ferebatur, eáque omnia mirâ industriâ præstabat, quæ eidem grata fore existimabat, ut officiis cum illa piè decertare videretur. Hinc salutationem Angelicam, Gabrielis Virtutes æmulatus, semper habebat in ore, loquendo, prædicando, & quoties aliquid pronunciare, aut dictare volebat, priusquàm etiam aliquid inchoaret, genibus flexis salutationis Angelicæ suffragio præeunte auxilium requirebat. Ex Kal. B. V. script.

A principio nascentis Ecclesiæ ad hæc usque tempora quare Angeli alati, & Juvenes pingantur?

62. Jam ad reliquas Paradisi delitias gradum faciamus. Scribunt nonnulli in Paradiso illo inter reliqua oblectamenta avium suavissimum exstitisse concentum. Aves hasce in Virgineo hoc animatóque Paradiso ego dixerim esse beatas illas mentes ab omni contagione Corporis liberas, quas alatas pingi consuevisse â principio nascentis Ecclesiæ testis est S. Dionysius Areopag. Cap. 15. de Cœl. Hierar.

addit-

addítque, Juvenes & pubescentes pingi, ut eorum Vitalis virtutis nunquam senescens constantia cognoscatur. Alæ his velut aviculis cœlestibus adduntur ad significandam eorum celeritatem alta conscendentem, & cursum illum vitæ spiritualis, ad anteriora & celsiora se extendentem. Eædem Alæ indicant, quòd terreni sarcinâ Corporis liberi, toti absque ullo pondere ad celsa ferantur; pedes verò illorum indicant nobilitatem, celerémque cursum potentiarum intellectûs & voluntatis ad divina tendentem. Quod iidem Angeli denique nudis pedibus repræsententur, inquit S. Dionys. signatur, eos liberos, & omni labe puros ad Divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendere. Aviculæ porrò istæ in Virginis nativitate, cùm animatus hic conderetur Paradisus, jucundissimum melos modulatæ sunt. 8. Septembr. Die Sabbati sub exortum auroræ, ut testatur Vincentius Belluacensis, qui scribit solitarium quemdam quot annis eo die, eodémque tempore harmoniam Angelicam audiisse, cúmque stuperet â se illam alio tempore minimè fuisse auditam, rogavit DEUM, ut sibi hujus rei causam patefaceret; Cui Angelus apparens, Virgo inquit, perpetua, quæ DEum genuit, hac nocte nata fuit, quod licèt ab hominibus ignoretur, ab Angelis tamen celebre habetur. Quâ revelatione evulgatâ ipsius Nativitatis dies festus, ut solenniter celebraretur, ab Ecclesia toto terrarum orbe est institutus. De hac Virgineæ Nativitatis lætitiâ, Angelorùmque eâ die concentibus sequentia cecinit Baptista Mant. lib. 6. Parth.

In Nativitate B.V. Angeli suavissimum concentum edidêre.

Candida nascentem mox ut vidêre Puellam,
Omnia Jucundo fulserunt sydera cœlo,
Arrisêre poli, summóque auditus ab axe
Concentus, prolíque nova Pæana Canorum,
Argutúmque melos divi Cecinêre.

63. Eædem Aviculæ cœlestes in Verbi incarnatione in Virgineo purissimóque ejus utero veluti Paradiso peracta, suavissimis concentibus æthera recreârunt. Tunc enim pater æternus lapidem angularem, qui fecit utraque unum, in terras demisit, impletùmque est, quod Dominus ad Jobum dixit: *Quis demisit lapidem angularem ejus, cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filij DEI?* Job. 38. Angeli videlicet, qui tantam támque profundam, filij DEI se se majestate gloriæ suæ exinanientis, contemplando humilitatem, pleni lætitiâ ac jubilô epithalamium novæ sponsæ modulati sunt.

Tempore Incarnationis Angeli cecinere.

64. Quid de aliis suavissimis harum cœlestium Aviculaerum Concentibus in Virgineo hoc Paradiso mellitissimis vocibus iteratis dicam? longè suavior cæteris visus est Concentus ille, cùm hic animatus Paradisus emisit alium, nempe JESUM, de quo suprà Guilielmus Abbas: Tunc enim *facta est multitudo militiæ Cœlestis Laudantium DEUM, & dicentium: Gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ Voluntatis* Lib. 2. Hinc B. Rupertus Abbas Lib. 3. in Cant. Tu Regina Cœlorum persæpè cœlestibus interfuisti, quippe quam circumsteterunt obstetricum vice Gloriam DEI concinentes Angeli &c.

Pariter in nativitate Domini.

65. Reliquo etiam vitæ decur-

Reliquo etiam vitæ decursu B.V. Angelorum Harmoniâ recreata.

decursu hâc Angelorum harmoniâ Virginem identidem fuisse recreatam admodùm est credibile; siquidem ad ejus Custodiam plurimas Angelorum myriades excubâsse est admodùm credibile. Præclarè enim Georgius Nicomed. Archi-Episcopus Oration. de Præsentat. Beat. Virginis, pronunciavit: Oportebat non unum ei servire Angelum, sed decies mille millia eam stipare: Etenim quem illi minimè possunt videre, ipsa mirandum in modum in utero continuit. Eum, qui lucem induit tanquam vestem, in suo sinu comprehendit. Eum, qui pugillô continet Universa, virum factum in ulnis continuit: Idem sensisse visus est Sanctus Ambrosius lib. 2. de Virgine, quin etiam tunc sibi minùs sola videbatur, cùm sola esset: nam quomodò sola, cui tot adessent Archangeli? Deníque eam ubi revisere solebant, invenit & Angelum Maria quasi viri specie, mota, trepida, quasi non cognitum audito nomine recognovit, ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, de hoc Angelorum cum Virgine nostra consortio audiamus quoque S. Hieronimum qui in Hist. de ortu Mariæ ita loquitur: *Quotidie ab Angelis frequentabatur, quotidie Divina visione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat.* S. Denique Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. *Si quis,* inquit, *indagare voluerit, quàm sanctè & justè vixerit, soli DEO cognitum esse videtur, & Gabrieli Arch-Angelo, & Angelis sibi conlætantibus, secùmque loquentibus.*

Sunt nonnulli qui sentiunt Angelos Salvatore redivivo Regina cœli lætare modulatos esse.

66. Non desunt contemplativi nonnulli, qui sentiunt, Salvatore redivivo, & ad Matrem consolandam proficiscente, quòd quàm plurimæ Angelorum myriades, veluti Canoræ aviculæ solem renascentem salutantes, sint secutæ, Virginèmque circumdantes summâ gestientis animi lætitiâ modulatæ sint: *Regina cœli lætare Alleluja, quia quem meruisti portare Alleluja, Resurrexit sicut dixit Alleluja.*

Dulciori præter solitum concentu Angeli B.V. in sua in cœlos assumptione exceperunt.

67. Verum hæ cœlestes aviculæ tunc vel maximè dulciori præter solitum concentu cœlos recreârunt, cùm Virgineus hic animatúsque Paradisus in cœlestem ipsarum operâ translatus est. Hoc enim nobis in Arcæ illius, quæ Typus exstitit Deiparæ, deductione adumbratum fuit Lib. 1. Paral. cap. 15. his verbis: *Universus Israel deducebat Arcam fœderis Domini, in jubilo & sonitu buccinæ, & tubis & Cymbalis, & nabliis & citharis concrepantes.* Et Lib. 2. Paral. 5. vers. 7. *Et intulerunt sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, id est ad oraculum Templi, in Sancta Sanctorum subter alas Cherubim; ita, ut Cherubin expanderent alas suas super locum, in quo posita erat Arca, & ipsam Arcam tegerent.* Quæ mysteria longè pulcherrima pulchrè S. Joannes Damascenus Orat. 2. de Dormit. Beatæ Virginis explicuit: *Et animam quidem per Angelos in Sancta Sanctorum, quæ sunt exemplaria vera & cœlestia, introduxit, sub ipsas alas quadruplicis formæ animalium, & suo sitit throno in interiori tabernaculo,*

in

in quod Præcursor ipse Christus ingressus est corporaliter.

68. Qua porrò pompâ Christus Matri dilectissimæ obviaverit, quibus Angelorum applausibus excepta fuerit, scitè S. Augustinus. Serm. 35. de sanctis solennitatem hanc, gaudiáque Virginis describens, addit eam harmonicis Angelorum cantibus vocem quoque suam dulcissimam sociâsse: *Tum illa*, inquiens, *beatorum felicissima regia primi ordinis dignitatem, indepta, plantis roscidis oberrans inter Paradisi amœnitatem, gramineósque crocos tenero poplite pergis, felicique palma violas immarcescibiles carpis: Tu Coccinis sine fine choris conjuncta summis, Angelis, Arch-Angelisque sociata, indefessa voce sanctus clamare non cessas: Tibi thronus Regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis.* Audiendus de hac solennitate D. Bernard. serm. 1. de assumpt. *Quis cogitare sufficiat quàm gloriosa mundi Regina processerit, & quantò devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium Legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata Creaturam?*

Quâ pompâ Christus Matri suæ dulcissimæ in cœlos assumptæ obviaverit.

69. Cœlestium porrò harum avium alternantibus choris concentus dulcissimos hujusmodi ferè exstitisse fatetur Bernardus serm. 4. de assumpt. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens innixa super dilectum suum,* Cant. 8. Item: *quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & Universi pulveris pigmentarii.* Cant. 3. Denique: *quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut Castrorum acies ordinata?* Cant. 6. Quibus cæteri superiores Angelorum chori dulciori respondebant sine dubio harmonia: *ista est speciosa inter filias Hierusalem: Hæc est gloria Hierusalem, & hæc lætitia Israel, & honorificentia populi nostri. Hanc* enim *videntes* cœlestis illius *Sion Filii beatissimam prædicaverunt, & laudaverunt eam.* Hæc quidem est mulier illa fortis, cujus filii Angelici nempe spiritus surrexerunt, ut loquitur Salomon, & beatissimam prædicaverunt; Vir quoque ejus, quem utero suo circumdedit, nempe Christus, laudavit eam, & velut alter, ut ita dicam, Apollo Angelicis modulis vocem illam melle, favóque dulciorem & gutture suavissimo prodeuntem sociavit.

Quales cantilenas Angeli in Assumptione B. V. cecinerint?

70. Quid tandem de Angelica hujusce animati Paradisi dicemus custodia? de illo terrestri Gen. 3. sic loquitur; Moyses: *Et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem.* Quod sanè de animato hoc Paradiso dici potest: Ad hujus enim custodiam S. Joseph plùsquàm seraphici amoris ignito armatus gladio, divinitus fuit deputatus. Audiendus hic Isidorus Isolanus 3. Par. c. 22. ubi ita loquitur: *Memento sacræ seriem Geneseos asserentem Deum posuisse Cherubinum, qui Paradisi terrestris custos foret, atque Servator. Reminiscere quoque Virginem Matrem Paradisi typo signatam, & Christum lignum esse vitæ, quod plantatum est secus decursus aquarum. Porrò, si hæc explorata cre-*

Paradisus Virgineus Maria pro sua custodia habuit D. Josephum, D. Joannem Evangelistam, & omnes Angelorum Hierarchias.

tæ creduntur Veritatis, cur non Joseph Cherubin asseverandus est, qui & Virginis sanctissimæ & Christi custos à Deo Immortali positus fuit? Sic ille. Ad hujus quoq; ànimati Paradisi Custodiam Ubert. Casalius Ord. Seraph. lib. 4. arb. vitæ cap. 38. postquam dixisset S. Joannem Evangelistam, & Gabrielem tanquam duos Leones Throni Salamonis Virgini ad custodiam assignatos divinitus, mox adjunxit: *Non intelligas autem, quod curia cælestis, vel tota Beatissima Trinitas, nec JEsus Filius fuerint contenti unum Virgini assistere de civibus Paradisi: Nam sicut suæ Reginæ, & æterni DEI Matri jugiter assistebat multitudo militiæ cœlestis Exercitûs, & sublimissimo divinorum gustu, ipsa Mater actu continuo irremissa permansit. Unde Dionysius cum ad eam videndam introductus esset, vidit tantum splendorem, & Angelorum multitudinem innumerabilem circa eam, tantâque luce fulgentem Virginem, ut dixisse referatur: quod eam ut Deam adorâsset præ magnitudine gloriæ, quam videbat, nisi fide Evangelica aliter sentire esset coactus.* Hæc Ubertinus. Ex quibus colligimus, ad custodiam Deiparæ ex omnibus Hierarchiis Angelos ob eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem fuisse assignatos, maximè autem Cherubinos, à plenitudine scientiæ appellatos, qui ideò & ab Ezechiele, & â Joanne Apostolo pleni oculis intus, & extra fuisse perhibentur; ut eorundem singularis prorsus vigilantia in tuendis à Dæmonum insidiis mortalibus indicetur. Neque enim hominum custodiæ inferiores solùm Angeli, verùm etiam superiores divinitus deputantur: siquidem Apost. test. Hebr. 1. *omnes sunt administratorii spiritus, missi in ministerium eorum, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quòd si Cherubini in ministerium eorum, qui cœlorum hæreditate digni habiti sunt, mittuntur; quantò magis in illius, quæ nobis cœperatrix ad æternam hæreditatem, ipsam salutem capessendam exstitit, míssos credamus? Gladium porrò Illum flammeum, atque versatilem ardentissimum illius gloriæ defendendæ Zelum esse censuerim, quô velut flammatô accinčti gladiô dies, noctésque in tuenda Deipara pervigilant.

71. Nimirum Virgo nostra non modò Paradisus est, verùm etiam Salomonis Lectulus, de quo habetur in Cant. c. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, & fortissimi Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Quæ verba expendens Richardus â S. Laurentio l. 10. de Laud. B.V. ita loquitur: *Hæc sunt Verba Angelorum describentium, quantô studio ipsi famulabantur in terris Virgini gloriosæ. Lectulus Salomonis veri pacifici B.V. dicitur, in qua Deitas inclinato capite, Dei filius velut in lectulo requievit: Unde & ipsa dicit: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Cum autem sicut dicit Apostolus, omnes administratorij Spiritus sint &c. & non solum ad ministerium hominum minores mittantur spiritus, sed etiam superiores, & de ordine Seraphim, qui propter Charitatis ardorem dicuntur flamma ignis, vel ignis urens.* Ps. 103. *Ostenditur hoc loco, quod ad custodiam, & obsequium Beatæ Virginis non inferioris, sed superioris dignitatis Angeli deputati sunt. Cum verò dicitur, quod lectu-*

Lectulus Salomonis sexaginta fortibus custoditus symbolum est B.V. ab Angelis custoditæ.

lectulum hunc ambiunt 60. *fortes de fortissimis Israel, indicatur, quod B.V. ambiebant, diligenti custodia & obsequiosa reverentia, Angelici spiritus fortes inter spirituum fortissimos, qui pro eo, quod assidua contemplatione DEum conspiciunt, Israelis nomine designantur. Et isti fortes* 60. *dicuntur, non propter numerum, sed propter numeri mysterium; numerus enim ille ex senario & denario constat: senarius autem perfectionem significat, ut & Denarius, qui Regis habet imaginem, Angelicam designat naturam, quæ ad imaginem Dei creata est expressius. Horum autem fortitudo, prudentia, & obsequij promptitudo demonstratur, cum dicitur: omnes tenentes gladios &c. in gladiis signatur potestas spiritus malignos debellandi. Cum dicuntur ad bella doctissimi, ostenditur eorum prudentia ad obviandum contra omnes insultus Dæmonum. Cum dicitur: Uniuscujusq; ensis super femur suum; ostenditur, quam sint expediti, quamq; parati ad prælium. Quare autem fortes hi lectulum hunc ambiant, indicatur, cum subditur: propter timores nocturnos, ad repellendas non solùm tentationes graviores, sed etiam illam brevem & modicam, quæ per timorem nocturnum designatur.* Ps. 90. *Per ministerium enim Angelorum sic à B.V. repulsa est omnis tentatio, ut post Conceptionem Filij, nec etiam venialiter peccasse credatur.* Addo ego planè nunquam etiam à primo immaculatæ suæ conceptionis instanti, in quo Caput serpentis conterens, reliqua quoq; ejus membra, peccata nempe omnia protrivit, atque pessumdedit. Cur porrò lectulus dicatur Virgo, dat rationem Guiliel. aitq; lectulum dici comparatione sinûs Paterni, qui infinitus, & ideò Lectulus. Sanè ex quo in lectulo uteri virginalis per Incarnationis mysterium accumbere dignatus est, eundem Lectulum sanctissimi Angeli plurimi ambire cœperunt, & circa quiescentem in Utero Virginis Deum sacras excubias agere. Sic Guilielm.

72. Ex hoc Canticorum loco P. Joan. Bapt. Novatus Tom. 2. de Emin. B. V. contra Abulensem asserentem duos dumtaxat custodes Angelos habuisse Deiparam, alterum tanquam persona privata, eumq; perfectissimũ omnium spirituum illius ordinis, qui ad Custodiam hominum deputantur; Alterum verò tanquam persona, ex qua bonum commune dependebat, & hunc fuisse altioris ordinis, scilicet de Archangelis, & iste dirigebat eam, quantùm ad omnia, quæ respectu Christi futura erant. Ex hoc, inquam, Virgineo in Canticis elogio, aliorúmque Patrum testimoniis persuasus, plures Angelos ad Virginis Custodiã, Consortium, atque obsequium fuisse deputatos, eósq; præcipuos SS. Archangelos Michaëlem ac Gabrielem extitisse, variis gravissimorum virorum ductus sententiis affirmat.

Duplicem Angelorum custodiam habuit B.V. alteram tanquam persona privata, alteram tanquam persona ex qua bonũ commune dependet.

73. Non est porrò intelligendum Angelicos hosce Spiritus adfuisse Deiparæ, ac si ipsorum indiguisset operâ in mentis illuminationibus, aut custodia contra peccata & tenebrarum Principes, ac Potestates, cúm illa potiùs tanquàm suprema Hierarchizans, omnes Angelorum Hierarchias, tanquam earum Regina mirâ sapientiæ suæ, rerúmq; Divinarum Cognitione irradiârit, hostibúsq; Tartareis à primo Immaculatæ suæ Conceptionis instanti, totiq; inferno fuerit trepidationi; Custodia igitur hæc Angelica fuit divinitus Deiparæ ad ejus obsequium, servitiúmque deputata. Qua de re Audiendus hic Dion. Richelius art. 27. in Cant. dum verba illa enucleat Cant. 8. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.* Postquam enim dixisset: *Fæcundissima vitis, ac pulcherrima nimis fuit præstantissima Virgo, eminentissime deputata, ac consecrata vero pacifico, Christo Altissimo; & Vinea hæc omnes populos* habet

Angelorum custodia non indigentiam sed ad obsequium B. V. præstandum divinitus deputata fuit.

habet sibi subditos ac commissos præsertim credentes. Postquam, inquam, hæc præmisisset, explicat verba sequentia ad nostrũ propositum: *Tradidit eam custodibus, Angelis sanctis, custodiendam, nonne peccaret, quia confirmata fuit in bono, in tantum, quòd nec venialiter peccare poterat, sed ad reverentiam ejus, consolationem, profectum, atque obsequium.* Sic ille.

Omnes cœlestes Angelorum chori B. V. tanquam Reginam suam venerati sunt.

74. Idem Religiosissimus Novatus Tom. 3. cap. 9. quæst. 3. ex eodem Canticorum Uteri Virginalis encomio, colligit fortes Angelos, omnes Cœlestes Choros, non modò coram Christo adorabundos concidisse, sed etiam coram Matre tanquam suo potentissimo Rege, ac Regina Clementissima, per quam Hierarchiarum suarum ruinas reparandas intelligebant.

Angeli imitantur eos qui dies exspectationis Virginei partus celebrant & qui sacro Rorate dicto, intersunt.

75. Docet denique idem Novatus eos, Angelos imitari, qui novem illos, dies exspectationis Virginei partus Deiparæ, Hispanis recepto more, assiduâ cœlestium meditatione defixi devotè celebrant, eisque assistunt. Pari ratione easdem beatas mentes æmulari arbitror illos, qui ex antiquissima & laudabilissima in Germania usurpata consuetudine unâ horâ ante diem Sacro illi mellifluo in honorem Virginis per adventum intersunt; hi enim miros & Incarnati verbi & Deiparæ favores, mentis nempe lumina, voluntatis divinos ardores; omnium denique gratiarum incrementa, imò & subinde rei familiaris, opùmque amplificationem adipiscuntur. Quamobrem hæc in honorem sacratissimæ Virginis oblata sacrificia jure merito â nostris Dalmatis missæ aureæ vocari consueverunt, eòquòd aureum cœlestium donorum imbrem, bonorúmque omnium affluentiam mundo depluant.

Sacrum Rorate dictum â dalmatis vocatur aureum.

76. Quòd si cum plerísque scripturæ Interpretibus dicamus ideò Cherubinum flammanti illa romphæa armatum, a dcustodiam Paradisi constitutum, ne Adam originali scelere inquinatus in Paradisum regrederetur; clarissimè nobis animati hujus Paradisi ab originaria labe immunitas ob oculos proponitur: Quemadmodúm etiam cùm ejus situs ad orientem fuisse collocatus perhibetur. Omnes enim reliqui Mortales in sua conceptione ad occidentem peccati originalis animam nostram deterrimâ caligine obfuscantem, atque involventem obversi esse videntur. At vero Virgo nostra, ad orientem solis Justitiæ, velut Paradisus mirificis ipsius puritatis sanctitatísque radiis corruscare meruit. Quemadmodùm enim Paradisus â principio ingenti luce in hodiernum usque diem resplenduit; siquidem Enoch placens Deo translatus in Paradisum splendore illo perfruitur, sic Virgo nostra primigenia illa sanctitatis Justitiæque luce in sua conceptione perfusa, non modò illam stabilem invariatámque, verùm etiam maximis incrementis amplificatam conservavit. Quæ sanè in ipso conceptionis momento tanta támque eximia exstitit, ut Protoplastorum originalem Justitiam, multis parasangis absque ulla comparatione superârit. Unde factum, ut ad eam, quemadmodùm Evam aggrediendam, ac tentandam vel â longè accedere Tartareus hostis, tantâ gratiæ magnitudine ac sublimitate perculsus exhorruerit.

Cherubinus ad custodiam Paradisi terrestris constitutus, clarissimè Immaculatam B. V. conceptionem denotat.

In ipso conceptionis instanti tanta fuit sanctitatis & justitiæ lux in B. V. ut ad eam tentandam accedere ausus non fuerit.

77. Eadem Virginis originalis Justitia ac sanctitas non solùm colligitur ex eo, quòd Paradisus ad orientem situs fuisse â sacris litteris memoretur, sed etiam ex hoc, quòd dicatur: *Plantaverat autem Dominus DEus Paradisum voluptatis â principio,* Gen. 2. id est die Tertia â creatione mundi, qua suprem' Artifex suæ Omnipo-

Paradisus terrestris a primo creationis momento fuit hortus deliciarum, B. V. Paradisus spiritualis a primo conceptionis suæ Instanti hortus gratiarum.

nipotentis voluntatis nutu omnem ei ornatum decorémque variarum plantarum florúmque satum, ad omnem amœnitatem conducentem impertitus est, adeò, ut in primô creationis ejus momento perfectionem omnem, pulchritudinémque ad aliquem deliciarum hortum requisitam fuerit sortitus, sempérque Dei Paradisus excultissimus atque amœnissimus exstiterit. Talis planè Virgineus hic Paradisus etiam exstitit. Non enim primò, ut nos in infelici nostra conceptione terra inculta, terra spinas tribulósque germinans, maledicto peccati originalis obnoxia exstitit, sed in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti ornatissimus fuit Paradisus Dei deliciis degnissim⁹, omnibus cœli benedictionibus gratiarúmq; omnium Ubertate redundans; Unde tota virtutum ejus velut aromaticorum florum, arborúmque amœnitate captus supremus cœli Rex in eandem descendere, & non novem horis, ut primus ille Adam, sed novem omnino mensibus summâ animi sui lætitiâ ac voluptate degere, ac deliciari non est dedignatus.

78. Cùm igitur Virgo Deipara semper Paradisus fuerit voluptatis omnibus benedictionibus refertissimus, in quo secundus Adam de cœlo cœlestis novem mensibus mirificis delibutus deliciis commoratus est, in eóque omnium gratiarum flores, ac germina, omnium Virtutum plantæ, arborésq; aromaticæ Divina manu superni illius Agricolæ â prima ipsius conditione consitæ reperiantur: Ingrediamur Passibus amoris in Paradisum hunc Virgineum, rogemúsq; divinissimum ejus Cultorem, ut nos in eo collocet velut Alterum Adamum, ut operaretur, & custodiret illum, hoc est juxta Interpætationem S. Augustini, ut ipse paradisus operaretur, sive excoleret hominem, eúmque ita ab omni malo, ac peccato custodiret. Verè enim, quicunque animatum hunc paradisum per affectum amoris fuerit ingressus, in eóque fuerit Virgineis obsequiis semetipsum mancipando versatus, ipsa Virgo nostra animum ejus velut solum fertile operabitur illúmque excolet, virtutúmq; omnium floribus gratiarúmque variarum plantis conseret, ac denique Virginis, ipsorúmque Angelorum, qui in ministerium Virginis excubant, custodiâ protegetur. Verissimè enim devotissimus Bernardus Bustius asseveravit, non solùm ad custodiendum ipsum Paradisum, sed etiam eos, qui in illum per devotionem ingrediuntur, Cherubinos, flammeúmque vibrantes gladium fuisse constitutos. Unde jure merito exclamavit: *O felix, o fortunatus, o beatus ille qui in Paradisum hunc devoto mentis affectu introjerit!* De hoc enim promissio illa salvatoris Apoc. 2. verificabitur: *Dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei,* atque ita nunquam ejus vires languescent, juventus spiritualis nunquam senescet, sed in dies singulos velut aquilæ renovabitur, ac juvenescet; eumque ab interitu vitæ spiritualis præservabit. In hoc Paradiso denique Virgineo bona illa omnia majori cum excellentia, quâm fuerint in illo terrestri, reperiet; quæ bona paucis utcumq; adumbravit S. Bern: *Habitabat homo in Paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus, ubi nihil doloris, aut molestiæ sentiebat; odoriferis stipatus malis & pomis, fulcitus floribus, honore & gloria coronatus, & magna claritate ob insigne divinæ similitudinis refulgebat. Erat ei sors atque societas cum beata plebe Angelorum, & cum militia cœlestis curiæ, atque exercitus.* Denique, quicunque Paradisum hunc in hac vita Deiparæ obsequiis semetipsum impendendo piè incoluerit, experietur reipsa in se ipsius verificari ethymologiam, Paradisus enim secundùm nonnullos dicitur, quasi nobis parans DEI visum.

Qui Amoris affectu ingreditur Virgineum Paradisum, excoletur ab eo, & custodietur ab Angelis,

In Paradiso Virgineo omnia bona reperiuntur Excellentiori quodam modo, quæ in Paradiso terrestri.

Cùm enim Virgo sit nobilissima illa creatura apud Hebræos Mitraton sive princeps facierum appellata, eò quòd nos ad facies divinarum personarũ, tanquam supernæ illius Aulæ post DEum Princeps contemplandas introducat, si eam præcipuè, dum in hac degimus mortalitate, coluerimus, facilè evademus securi, nos revelata facie ejus patrociniis adjutos Dei gloriam contemplaturos, eidémque similes futuros, *quia videbimus eum*, ut ait Apostolus Joannes, *sicuti est*.



DISCURSUS QUARTUS.

MARIA CEDRUS PARADISI.

Quasi Cedrus exaltata sum in Libano. Eccl. 24.

1.

EXposita pro modulo nostro amœnitate, ac pulchritudine Virginei hujusce Paradisi, libet ad singula ejus ornamenta depingenda descendere: Hæc præsertim variis arboribus, partim floribus, Virtutes Deiparæ repræsentantibus, continentur; & licèt innumeras arbores sicut & flores reperire sit, quæ mirificè gratias, Virgineíque animi decora nobis ob oculos proponunt, libet tamen ea duntaxat brevitatis amore proponere, quæ sacris litteris exarata, animati hujus Paradisi venustatem, amœnitatémque non tam exprimunt, quàm adumbrant, quibus etiam Ecclesia sancta in Virginis pangendis laudibus uti consuevit. Ea potissimùm ex Ecclesiastico petere libuit, quibus ille divinæ sapientiæ encomia deprædicavit, cujus cum Mater dignissima Virgo nostra exstiterit, jure ob intimam illam unionem Carnis, ac spiritûs, omnia penè ipsius elogia eidem attribuuntur Virgini, tanquam filii Vivæ spirantíque Imagini, ipsius præclaram generosámque indolem, geniúmque repræsentanti.

2. Inter reliqua porrò increatæ sapientiæ elogia agmen ducit cedrus tanquam arborum omnium eminentissima Regina. Unde quemadmodùm filius, ita & ipsa jure meritissimo dicere potest: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Variæ sunt arboris hujus proprietates atq; multiplices: hìc tamen sapiens procèritatem altitudinémque admirabilem spectâsse visus est, quod nobis illud: *Exaltata sum*, indicat; quo sanè ingens Deiparæ Virginis Virtualis magnitudo, quâ omnem creaturam humanam simul & Angelicam transcendit, nobis indicatur. (Ob magnitudinem virtutum B. V. Cedrus Libani.) Hæc in monte Libano præcipuè in miram magnitudinem excrescit, in quo procerissimæ sunt Cedri, ut loquitur Matthiolus, in eóque felicissimè proveniunt, ut mihi retulerunt amici, qui totam ferè syriam lustrâverunt. Tota facie abjetem referunt, abies autem græcè est ἐλάτη unde cedrelate quasi cedriabies latinè. Arbor hæc, ut iidem mihi narraverunt, adeó magna & procera est, ut nunquam se vidisse arborem, quæ cedrelatem excellat. Hinc Plinius lib. 16. c. 40. *Nascuntur*, inquit, *in Cypro cedri habentes in longitudine* 139. *pedes, crassitudine ad quinum hominum complexum*; Undè Cedrus arborum Regina, sicut Avium Aquila, ferarum Leo rosa florum dicta est.

3. Cedrus

3. Cedrus itaque Deipara nostra in Libano monte ob nives assiduas Candidissimo, quem Tacitus lib. 71. Annalium Montem montium præcipuum appellat, exaltata ob eminentissimam Divinæ Maternitatis, potissimùm Virginitati sociatæ, dignitatem prædicatur. Qua de re præclarè Hugo de S. Vict. in Instit. Monast. Sermone 47. *Cedrus arbor est Libani alta, & valde imputribilis. Per Libanum autem, qui dealbatio interpretatur, præsens sæculum, quod qualicunque candore temporaliter splendet, multoties significatur. Rectè igitur B. DEI Genitrix Arbor Libani fuit, quæ de sæculo præsentis carnis originem habuit, sed ipsam Libani altitudinem ad astra surgens excessit, quæ cunctam mundi gloriam suarum sublimitate virtutum inæstimabiliter transcendit: Quæ imputribilis quoque fuit, dum Virgo incorrupta permanens Mater existit. Bene denique se sicut Cedrum exaltatam dixit, dum inviolata semper existens, & primùm per gratiam, & postmodùm per gloriam, præ omnibus Creaturis se sublimatam vidit.* Hæc Hugo.

PerLibanum, qui dealbatio interpretatur, præsens sæculum significatur, ex quo Deipara Originem duxit.

4. Cedrum agnovit esse Deiparam alter etiam Hugo Card. de Charo: *Cedro se comparat*, inquiens, *primò V. M. quia Cedrus Libani materia fuit Templi, & B. V. Corporis Christi, quod est secundum templum: solvite templum hoc* Joannis 2. *Item Cedrus sine vermibus est, quia imputribilis est; & B. V. sine verme fomitis & Conscientiæ fuit. Cedrus semper viret; & B. V. semper per Virginitatis viriditatem. Cedrus odore suo fugat serpentes; & B. V. Dæmones; Cedrus magnas, & altas habet radices, similiter & B. V. radices hæ fuerunt: Abraham, Jesse, David. Unde* Isa. 11. *Egredietur Virga de radice Jesse. Cedrus præterea servat libros à tinea; & B. V. servat sacram scripturam, ne ab hæreticis corrumpatur. Cedrus odorifera est; & odor humilitatis B. V. totam respersit Ecclesiam, imò usque ad Cælum veniens deduxit in terras filium DEI. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Cedrus alta super omnes arbores; & B. V. super omnes mulieres.: multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. item Cedrus in Libano oritur, & crescit; & B. V. in triplici candore Virginitatis, duplicis Innocentiæ. Pes denique Crucis Domini fuit de Cedro, & B. V. quasi fixa semper adstitit Cruci.* Joan. 19. *Stabat juxta Crucem Jesu Maria. Hæ proprietates duobus versibus comprehenduntur:*

Comparantur proprietates Cedri, cum B. V. prærogativis

Materies templi, sine verme virens, fugat Hydros,
Radix magna libros servans, cedrinisque crucis pes.

Decima est, quod in Libano crescit, in Mundo, in Cælo, in Ordine Cisterciensium; quia omnes Abbatiæ illius Ordinis sunt fundatæ in honorem ipsius. Sic Hugo.

5. Quo sanè pulcherrimo elogio insignem nobis sacri Cisterciensis Ordinis ob oculos proponit dignitatem: habet Venerabilis hæc Religio quàm plurima quæ ipsam & coram DEO & coram hominibus, universóque mundo reddant commendabilem, uti prima hujus operis parte ostendimus; quódque monti Libano, qui candor & candidatio interpretatur, in quo Virginea hæc Cedrus altissimas radices jam inde à primis suis incunabulis egerit, atque extenderit, conferatur. quódque ipsius Abbatiæ Monasteria, ac templa in Honore Dei Matris sint fundata, omnibus reliquis ipsius multis parasangis eminet laudibus. Verè Libanus Ordo Cisterciensis est; candorem enim morúmque candidationem, ac puritatem animi, ut purissimæ Patronæ suæ vitam, quoad fieri potest, in se repræsentet, ipso sacro suo vestitu candido, habitúque profitetur. Hoc enim fine ipsa Virgo immaculata ei habitum hunc candidum præscripsit, ut ejus alu-

Cisterciensium Ordo velut Libanus, in quo crescit honor B. V. tanquam Cedrus, quia omnes hujus Ordinis Abbatiæ in honorem B. V. fundatæ, ipseque Ordo non tantùm candidus habitu, sed & cultu B. V.

mni Virginea hæc, quibus decorati sunt, oculis assiduè observantia insignia aspicientes, ad tantæ Matris æmulandum candorem, animíque puritatem excitarentur.

Cistercienfium habitum, priùs nigrum, mutavit in Album B.V. 5tâ Aug. 1101.

6. Atque ut magis Virgo benignissima candorem hunc animi, cordísque puritatem hisce dilectissimis suis filiis comendaret, iique se se contra exæstuantes carnis, libidinísque ardores illibatæ Matris Virginitatis memoriâ tuerentur, mutationem hanc habitûs ipso die 5.to Augusti, quô festa Lux ejusdem Virginis ad Nives celebratur, fieri voluit, ùt testatur Chrysost. Henriq in Menologio, ubi ex antiquis M. S. Cisterciensis Ordinis monumentis id probat: ita enim ibidem exaratum legitur. *Quinta Augusti Incarnationis Dominicæ Anno 1101. B. V. descendit in Cistercio, & mutavit habitum de nigro in album sub Alberico.* Ferunt porrò Viri graves ejusdem ordinis ab ipso citati, id ita accidisse; dum Monachi horas matutinas in choro devotè canerent, Deiparam eis apparuisse, quæ manibus candidissimum cucullum præferens eam stupentis Alberici capiti imposuit, eodémque instanti Monachorum in choro psallentium cuculla colorem mutârunt: Quod sanè mysterio non caret; Nam sicuti diximus, Cisterciensis Ordo Libanus quidam est candidissimus, & Mons hic ideò candor, & candidatio dicitur, quòd assiduis operiatur candicétque nivibus, meritò Virgo in hoc mystico Libano velut Cedrus exaltata, nivali vestium candore, ipso die, quô Romæ sibi de Cœlo lapsis nivibus Templum designavit, servos suos operiri voluit; ut intelligerent, se in eorum cordibus, animísque sanctimoniæ puritate nitentibus sibi templum, domiciliúmque delegisse; curarent proinde concupiscentiæ exæstuantis in hac mortali carne ardores, illibatæ suæ puritatis candore, assiduè illum recolendo velut nive quadam cœlesti refrigerare, atque restringere: sic enim futurum est, ut in hoc Ordine velut populo honorificato Virgo nostra tanquam Cedrus radicata, illum ceu Cedrum multiplicet, totóque terrarum orbe illius protectione reflorescat.

Ipso die, 5.tâ videlicet Augusti, quo Romæ sibi, delapsis nivibus, designavit templum, voluit candore vestium Ordinem Cisterciensium ornare, ut in eorum cordibus domicilium & templum stabile deligeret.

7. Mira profectò sunt, quæ de gloria sacri hujus Ordinis gloriosissima, maximáque varii fide dignissimi Auctores posteritati commendàrunt. Audiamus breviter Jacobum de Vitriaco S. R. E Cardinalem, qui de illo in Hist. occidentali cap. 14, ita loquitur: *Fama & opinione sanctitatis Cisterciensium, quasi ex odore unguenti adeò repleta est tota domus Ecclesiæ JEsu Christi, quòd non est Provincia vel Regio, ad quam Vinea illa benedicta palmites suos non extenderit. Dilatavit Dominus, & Beata eorum Patrona V. M. cui unanimiter, & humero uno ubique devotissimè inserviunt, locum tentorii eorum, & non solùm usque ad Mare, sed etiam ultrà mare propagines illorum protendit, ut jam per experientiam in se completam agnoverit, quod ait Dominus in Evangelio: centuplum accipient in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro.*

Dilatatio sacri Ordinis Cist. per totum mundum.

Audiamus etiam Franciscum Sylvium SS. Theologiæ in Universitate Duacena Doctorem Professorémque Publicum, qui epistola ad Cistercienses ita eminentissimam eorum gloriam, quam à Virgine potissimùm Cedro velut Libano mutuati sunt, deprædicantem: *Tota*, inquit ille, *Cisterciensis Ordinis longè latéque diffusa familia, multum per omnem modum debet Beatissimæ Virgini Genitrici Dei Mariæ, tum sanctæ recordationis Venerabili Viro S. Bernardo: Deiparam enim Virginem Cisterciensis Religionis Matrem, Patronam, & Advocatam nemo nescit, qui vestrarum historiarum aliquid scit, qui ex nobilissimo* Bur-

Burgundiæ Monasterio in locum tunc horroris, & vastæ solitudinis, quem Cistercium vocant, primi venerunt arctioris observantiæ Zelo, ab illo divinitus edocti, qui docet mites vias, & justificationes suas, ut ad perfectiora ferantur; quia cœnobium, de quo exierant, in Reginæ Cœli honorem fuerat exstructum, tam ipsi quàm Successores eorum de illo, quod Cistercii ædificabant, Monasterio propagati, omnes suas Ecclesias in ejusdem gloriosæ semper Virginis honorem Deo dicandas esse censuerunt. Mortuis autem illis, imò quasi non mortuis (vivunt enim DEO non jam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem eum videntes) pro patribus nati sunt in Cisterciensi Religione Filii, qui non sunt abalienati retrorsum, sed & ipsi cum unanimi ore honorificant Deum, DEI etiam Matri humero uno servire pergunt, honorantes eam ut Matrem, timentes ut Dominam, sequentes ut stellam. Tum paucis intercalatis in melliflui Doctoris Bernardi Virginis Deiparæ ejus purissimo lacte nutriti filii, à quo post DEI Matrem pietatis, sanctimoniæque ac puritatis lac totus ille Ordo hausit, laudes excurrens ita prosequitur: *Vinea illa Domini Sabaoth plantata in Cistercio dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, & ultra mare propagines suas; ipse enim Bernardus celeberrima sanctitate præclarus, per quem sui temporis Ecclesia in antiquum pristinæ Religionis decus refloruit, directus est divinitus in multiplicationem Cisterciensium. Cùm esset potens opere & sermone, exemplô sanctæ Conversationis, & pabulò doctrinæ cœlestis factus est multis odor vitæ in vitam, qui fallacissimis mundi delitiis valere jussis, observantiæ regulari mancipârunt. Ipse totius Religionis probatissima Margarita, ipse Lucerna Ordinis, & stella in firmamento cæli, ipse quasi sol refulgens, sic effulsit in templo Dei, gentem multam liberavit à perditione, & prævaluit amplificare non civitatem unam, sed Religionem, sed austeritatem, sed pietatem.*

Cisterciensium Ordo Vinea illa Domini Sabaoth plantata in Cistercio dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, & ultra mare propagines suas.

D. Bernardi Claravallensis Abbatis Elogia.

9. Quantâ porrò curâ, ac sollicitudine, Virginea hæc Cedrus sub umbra protectionis suæ Ordinem hunc Venerabilem foveat, ac tueatur, declaravit in primis B. Alberico Abbati, qui contemplationi intentus à Virgine visitari, & audire meruit: *Ego Ordinem istum usque in finem sæculi protegam, & defendam.* Vidit protectionem hanc Virginis quidam illius familiar Religiosus ejusdem Beatissimæ Deiparæ amantissimus, qui, ut scribit Cæsarius lib. 7. cap. 16. Cùm alienatus à sensibus Ecclesiæ triumphantis in Cœlo contemplatus esset gloriam, vidissetque Angelorum Hierarchias, reliquorúmque Beatorum cœtus, variorúmque Religiosorum catervas, ipsamque DEI Genitricem, nec tamen ullum sui Ordinis videre posset Alumnum, ingemiscens eam ita allocutus fuisse dicitur: *Quid est Beatissima Domina, quod de Ordine Cisterciensi neminem hic video? quare famuli tui tibi devotissimè servientes à consortio tantæ beatitudinis excluduntur?* Cui misericordiæ mater verbis hisce eum consolans respondit: *Ita mihi dilecti sunt, qui de Ordine Cisterciensi sunt, ut eos etiam sub ulnis meis foveam*; móxque pallium suum miræ amplitudinis aperiens innumerabilem multitudinem Monachorum, ac sanctimonialium illi ostendit.

Quantâ cura & solicitudine Virginea Cedrus Maria Venerabilem Ordin. Cister. sub umbra protectionis suæ foveat, ac tueatur.

10. Neque verò Virgo gloriosissima protectionem hanc verbis duntaxat, sed multò magis factis comprobavit. Sanè cùm Innocentius III. falsis malevolorum calumniis persuasus Ordinem hunc cogitaret exstinguere, à DEI Matre acriter verbis illis minacibus reprehensus fuisse memoratur; *Tu Ordinem Cisterciensem, cujus Advocata ego sum, destruere conaris: sed non prævalebis; & nisi citiùs à tuo malo proposito resipiscas, ego te, & omnem potestatem tuam conteram.*

Innocentius III. falsis calumniis persuasus volens Cist. Ord. extinguere, à B. V. reprehensus.

Juvenem Coloniensem Monachis Cist. obloquentem increpat B. V.

11. Pari dexteritate Juvenem quendam Coloniensem hisce dilectis suis servis liberiùs, acerbiúsque obloquentem eadem Virgo vultum ab illo avertendo increpuit: *Male puer*, inquiens, *optimis amicis meis, quos habeo in toto mundo maledicis, & detrahis?* Vide plura in fasc. sanctorum Chrysost. Henriq. lib. 1. Dis. 2.

12. Ex quibus omnibus luce meridiana clariùs perspicere licet, quàm altè amoris, pietatisque suæ radices Virginea hæc Cedrus in hoc Libano defixerit, atque extenderit, quantis suæ sanctimoniæ puritatisque donis candidaverit, atque exornaverit. Unde Greg. IX. *Ordinem hunc Virgini singularitate Devotionis adscriptum, candore, castimonia, pulchritudine conversationis elucere, charitate rutilare. Denique Candidis Nazaræis, de quibus Spiritus sanctus.* Threnorum 4. illud pulcherrimum celebravit elogium: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyrô pulchriores, simillimos pronunciavit*, Unde quid mirùm vires habere in hoc eminentissimo perfectionis, sanctitatis ac puritatis Libano candore Angelicæ puritatis emicanti sub protectione Virginis degentes, ejúsque intercessione insignes quotidie in omni virtute progressus facientes, post debellatas sensuum, carnisque blandientis illecebras, post mundi immundi proculcatam vanitatem, ejúsque concupiscentiæ ludibria, post tot de Tartareis hostibus reportatas Victorias, quid mirùm inquam, si à Cœlesti Sponso, eorúmque Agonotheta Christo evocentur, atque invitentur ad coronam? Ad illos enim etiam suavissimam illam invitationem pertinere arbitror. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant. 4.

Cistercienses Religiosi Candidis Nazaræis comparantur.

13. Varia hìc commemorare possem, eáque pulcherrima exempla æque Virorum ac mulierum Cisterciensis Religionis, qui ex hoc sanctitatis, puritatísque Libano ad æternam immarcescibilémque gloriæ capessendam coronam evocati sunt. Sed duo memorâsse sufficiat: Agmen ducat SS.mus Abbas Stephanus, qui sicut à corona nomen accepit, ita & ex hoc candidationis monte ad coronam percipiendam in Cœlis à B. V. vocatus est. Cùm enim Vir iste nimiùm quantùm Religiosæ Disciplinæ amore teneretur, & eam ob causam in odium aliquorum Monachorum incurrisset, carceríque esset mancipatus unà cum Ruperto Abbate, & Alberico, aliisque 18 Monachis Zelo arctioris disciplinæ in solitudinem quandam esset profectus, audiissétque hanc vocem demissam cœlitùs: Cis est à vou,, hoc est, hic vobis locus est; Ordinem Cisterciensem à cœlesti illa voce sic dictum inchoârunt. Hic ille cùm die quadam mœstior esset. quod putaret Ordinem illum exiguos, ac minùs prosperos successus habiturum, vidit in spiritu, dum attentiùs orationi vacaret, copiosissimam hominum candidorum multitudinem, quam Juvenis quidam pulcherrimus deducebat, quem B. V. manu apprehendens Stephano obtulit: *Noli*, inquiens, *de cætero affligi, semper enim in conspectu meo lachrymæ tuæ fuerunt, pro quibus hos omnes, quos vides Ordinis tui, obtinui, & reservavi, qui in dies augebitur, ac dilatabitur. Inter cæteros verò hunc tibi commendatissimum esse volo, quia eum à multo tempore in peculiarem Filium mihi elegi.* Juvenem hunc pulcherrimum censent aliqui fuisse Bernardum: quem sanctus hic Abbas cum 30. sociis in suum Ordinem suscepit: fertur enim mirâ formæ præditus fuisse elegentiâ, quæ sine dubio ex interiori animo in ipsum corpus redundabat.

Cisterciensis Ord. Abbas S. Stephanus qualem visionem habuerit de Venerabili suo Ordine, & quâ gloriosissima morte obierit.

His

Hic tandem Stephanus cùm in Libano hoc multis annis fuisset commoratus, & in candore puritatis miros fecisset progressus, dum flexis genibus sub vitæ finem ante Iconem Deiparæ, cui semper fuerat addictissimus, preces funderet, intellexit horam, quâ brèvi ejus tabernaculi depositio esset futura, simúlque æternæ beatitudinis promissionem; atque ut ejus puritatis candor omnibus fratribus innotesceret, mox ut innocentissimum spiritum suo reddidit Creatori, Cella ipsius tanta claritate repleta fuisse perhibetur, ut longo temporis spatio corpus ipsius minimè appareret, cunctis ad tantum splendorem obstupescentibus; augebatur cunctis circumstantibus admiratio, quòd idem sancti Viri corpus omnis corruptionis expers, suavissimum quendam, ac planè Paradisiacum odorem exhalaret, vel hoc ipso attestans, odoratam hanc Virgineámque Cedrum altissimè cordi suo pietatis, amorísque radices defixisse. Denique ut ostenderet Virgo fidelem hunc sibi clientulum de terreno hoc Libano ad Cœlestem conscendisse, misit Angelorum choros, utpote ipsorum Regina, qui suis concentibus templum, in quo Stephani corpus jacebat, implerent, ejúsque laudes celebrarent. Et quoniam MARIÆ nomen, utpote maris stellæ lucidissimæ, altè cordi ejus insederat, crediderim ideò crucem illam pulcherrimam, quinis constantem stellis ejusdem nominis litteras repræsentantibus super idem illud templum mira luce radiâsse. Plura de hoc sancto Viro qui volet, consulat Fasciculum sanct. Ordinis Cisterc. lib. 2. D. 26. c. 1.

14. Ex eodem hoc Cisterciensi Libano ad perennis gloriæ coronas evocata fuit B. Aleydis Virgo, ut habetur in Menol. Cisterc. ad 11. Junii, cùm adeò gravi lepra esset infecta, ac incurabili, aliísque morbis visitata, ut à planta pedis ad verticem capitis non esset in ea sanitas; nam præter cœcitatem manus ejus erant contractæ, earúmque cutis, ùt & capitis & brachiorum, corticis alicujus arboris, variis distincta vulneribus speciem præferebat, crura verò ipsius excoriato cuipiam vitulo erant simillima; accedebat his omnibus gravis tumor, vermes & sanies, quæ toto corpore cum acerbissimis doloribus, quibus quater diebus singulis ita excruciabatur, ut exclamare cogeretur: Nunc in inferno crucior; mobò in Purgatorio torqueor: quæ tormenta se pati dicebat Virgo afflictissima pro defunctis, in locis pœnalibus detentis, & peccatoribus, laqueis Cacodæmonum irretitis, ut liberarentur, prout Christus Sponsus eam docuerat. Afflictiones hasce idem Christus variis solatiis mitigabat: Cœlo enim Crucem auream ad cruces illas molestissimas leniendas ad illam submisit: Leprosos ipsa leprosa solo levi contactu pristinæ sanitati restituebat. Cùm aliquando die Divæ Ursulæ sacra, matutinas horas à sanctimonialibus decantari audiret, rogâssetque Sponsum, ne, sicut à choro, ita ab earum consortio in cœlo excluderetur, audire meruit ejusdem aspectu amplexúque recreata: Filia non solùm in Sodalium B. Ursulæ numerum referris, sed & altiori multò gradu super eas collocaberis. His doloribus tandem velut aurum purissimum in fornace charitatis excocta atque purgata, candidissimum ac mundissimum spiritum exhalavit. Visaque fuit sanctissima anima de hoc Cisterciensi Libano ad Cœlestem evolare, in cujus occursum ipse Dominus Deus cum Sacratissima sua Genitrice, Angelorúmque cho-

Cisterciensis Ord. B. Aleydis Virgo in vita admirabilis, in morte gloriosa.

choris advenit; eámque dulciter amplexans: *Bonum*, inquit, *certamen certâsti, cursum consummâsti, fidem servâsti, propterea nunc venio, ut duplici coronâ Martyris, ac Virginis decorata in æternam requiem introducaris.* En vobis Sponsam de Libano candidissimo Cisterciensi, à Cœlesti Sponso ad duplicem Virginitatis, Martyriique coronam in æviternæ beatitatis domicilium tot, támque acerbis doloribus evocatam.

15. Innumeras alias recensere possem, purissimas sanctissimásque Virgines, quæ de hoc candidissimo Cisterciensi Libano velut Lilia in Cœleste beatæ patriæ Viridarium translatæ sunt. Verùm suffecerit Jacobi Episcopi Aconensis illustre hac de re testimonium, quod ille in historia occidentali memorat, cap. 15. hìc attexere: *Multiplicata est sicut Stellæ Cœli, & excrevit in immensum Cisterciensis Ordinis Religio sanctimonialium benedicente Domino, & dicente: Crescite & multiplicamini, & implete Domum. Fundabantur cœnobia, & replebantur, confluebant Virgines ex alijs etiam Monasterijs mutato habitu ad fructum melioris vitæ & arctioris viæ advolabant. Matronæ nobiles, & potentes in sæculo relictis hæreditatibus terrenis, & immensis possessionibus præeligebant abjectæ esse in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Illustris prosapiæ Virgines oblata matrimonia contemnentes, relictis ingenuis parentibus & blandientis sæculi delitijs, projectis ornamentis & vestibus pretiosis Christo Sponso Virginum jungebantur, in paupertate & humilitate, & vitæ durioris asperitate Domino devotissimè servientes; temporales divitias, & fallaces delicias pro spiritualibus sapienter permutantes. Ut enim de alijs hujus Ordinis Monasterijs, quæ alijs in locis passim ædificabantur, taceamus, in una Diœcesi Leodiensis regione septem hujus Ordinis, & professionis Abbatias Monialium in tempore modico fundari, & construi vidimus; & sanctis Monialibus tanquam Liljis & Violis exornari. Adeò autem sanctis, & devotis Virginibus abundat DEO amabilis illa Provincia, tanquam Hortus Liliorum & Paradisus deliciarum, ut pro certo credamus, si triplò plures essent in partibus illis, hujusmodi non deessent Lilia, sed promptô animô, & ardenti desiderio in holocaustum pinguedinis, & odorem suavitatis se se offerrent piæ & devotæ Virgines Domino, regnum mundi, & omnem ornatum ejus contemnentes propter amorem D. N. JESU CHristi, ut tranquilla devotione Domino servientes, sæculi pereuntis evadentes incendia, ad tabernaculum fœderis confugerent, ut esset eis in Umbraculum Diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & pluvia. Non solùm autem in partibus occidentis, sed & in Orientalibus Provincijs in Constantinopoli & Cypro, Antjochia, & Tripoli & Areon novis ejusdem Ordinis constructis fœminarum Monasterjis, prædicta Domini Vinea propagines benedictionis extendit.* Sic ille. Sed ad Cedrum nostram revertamur, & audiamus Venerabilem Richardum à S. Laurentio lib. 4. de laud. B. V. qui ob singularem in omnibus tam naturæ, quàm gratiæ donis Deiparæ eminentiam super omnem Creaturam etiam Angelicam, ejúsque puritatem censet esse comparandam: Ubi cùm Cedro Deiparam variis recensitis ejus proprietatibus contulisset, tandem circa finem hæc attexit:

Cisterciensium Monialium fusum & gloriosum Elogium.

Altitudo signat ingens inter arbusta edita,
Virginem autem dignitatis celsiore culmine
Omnibúsque præsidere cœtibus cœlestium.

16. Hinc Rich. de S. Victore Parisinæ Academiæ jubar cap. 39. in Cant. librans encomium illud Sponsi: *Species ejus ut Libani*, cùm dixisset à Christo suam speciem, pul-

Inaudito Prodigio Cedrus Virginea Libanum (id est Christum Dominum) generavit.

pulchritudinémque ipsi simillimam mutuatam fuisse Virginem, addit insuper ab eodem Libano Divinæ Maternitatis sublimitatem Cedrum hanc mutuatam, cùm inaudito prorsus prodigio Cedrus hæc Virginea Libanum generavit; sed tanti Doctoris verba audiamus: *Sunt ergo species Christi scilicet Virgines, sicut species Libani: Libanus enim est Christus; nec tantùm est candidus, sed etiam candidatio; candidat enim decoràtque electos. Libanus quoque nobilium ferax est arborum: Inter has arbores sublimior & nobilior fuit B. V. quæ exaltata est velut Cedrus in Libano, id est in Christo, quia non est sublimis per se ipsam sed per Christum, & ab illo sublimata & electa, ut sic excresceret, & Creatori suo ipsa incrementum daret. Sublimis & nobilis arbor, quæ sublimem hunc protulit fructum, DEI videlicet Filium: denique ipsa Cedrus: quæ crevit in Libano, id est in Christo, & dum Christum ipsa genuit, quasi Libanum Cedrus produxit, & mons processit ex arbore, cùm DEUS prodijt ex homine:. hoc est novum, & inauditum, quod DEUS fecit super terram, ut Cedrus proferret Libanum, arbor montem, mulier circumdaret Virum; id est Deum, & quem Mundus non caperet, hunc Virgo in suo utero concluderet.* Hact. Rich. Ex quibus colligimus totam Virgineæ hujusce Cedri sublimitatem à Libano esse, in quo radicata, atque unita per amoris affectum, à primo suo in hunc orbem satu divinitus, adeò in gratiarum omnium plenitudine, virtutúmque exercitatione profecit, ut in ingentem Cedrum, quæ immensum illum Divinitatis Libanum generaret, excreverit.

Cedrus Virginea suam sublimitatem desumpsit à Libano Divino.

Quod de Rege Assyriorum Ezech. 31. meliùs accommodatur B. V.

17. Aliam tam miræ Virgineæ hujus Cedri, tàmque ingentis caussam reperio proceritatis, nempe jugem fluminum prope immensorum Divinæ gratiæ irrigationem, adeò, ut de Cedro hac longè potiori jure quàm de Rege Assyriorum hic usurpari possit illud Ezech. 31. 3. *Ecce Assur quasi Cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsúsque altitudine, & inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum:* Quæ enim aquæ sunt istæ Cedrum hanc Virgineam nutrientes? quæ illæ viventes Divinorum donorum ac charismatum, quæ fluunt impetu de Libano Cœlesti, ut secus harum decursus aquarum Cedrus plantata fructum illum dulcissimi ventris sui in tempore præfinito, in plenitudine illa temporum orbi daret Universo? quæ sunt hæ abyssi, nisi rursus eædem copiosissimæ gratiæ, quæ tantâ copiâ atque redundantiâ in sinum Virginis confluxêre, ut abyssus profundissima, atque immensa quodammodò gratiarum videretur, uti eam appellat Damascenus.

Cedrus Virginea irrigata aquis gratiarum, quæ fluunt de Libano divinitatis.

18. Quòd si sancto Basilio teste Homil. 2. Abyssus est copia aquæ, ad cujus fundum non facilè penetrari potest deorsum versùs: sive secundùm S. August. in psal. 41. profunditas aquarum impenetrabilis, & incomprehensibilis: quis quæso illum penetrare, quis mente comprehendere unquam poterit vastissimum hunc gratiarum Oceanum, quem omnium sanctorum cœlestia charismata, ceu ingentia flumina in ipsum influentia, adeò immensum, ut penetrari nequiret, reddiderunt? Hanc ob causam S. Antonius, & Albertus Magnus Congregationem illam aquarum, quam Deus in primis mundi initijs appellavit Maria, quasi vocitare MARIA non dubitârunt.

Abyssus quid sit?

Abyssus gratiarum Maria.

19. Quid mirum igitur, si Virginea hæc Cedrus ad tantarum aquarum sive gratiarum plantata decursus, in tantam vastitatem proceritatémque excreverit, ut cacumine suo omnia paradisi ligna infinitis parasangis superârit?

Abyssus Divinorum charismatum nutrivit Virgineam Cedrum.

20. Dicamus igitur de Cedro hac: aquæ ac flumina gratiarum, quæ in sanctis ab initio sæculi exstiterunt, nutrierunt illam, abyssus divinorum charismatum donorúmque imperscrutabilis, super omnes Angelorum choros sanctorúmque ordines exaltârunt illam, usque ad eminentissimum illum Thronum Divinitatis Augustissimæ.

21. Quòd si per abyssum profundissimam Deiparæ intelligamus humilitatem, advertemus profectò jure dictum esse: *abyssus exaltavit illam.* Siquidem ipsa increata attestante veritate: *qui se humiliat, exaltabitur.* Cùm igitur Virgo infra mortales omnes Ancillam Domini se nominando, & in Collegio Apostolico Spiritum S. cum Discipulis, aliisque piis mulieribus exspectando depresserit, immeritò super omnes Angelorum Hierarchias exaltari meruit. Audiendus hìc mellifluus Bern. Ser. de verb. Apoc. *Maria quantò major erat, humiliabatur non modò de omnibus, sed & præ omnibus. Meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset, omnium se se novissimam faciebat. Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat Ancillam, meritò denique super Angelos exaltata est, quæ & infrà viduas, & pœnitentes, & infrà eam, de qua ejecta erant 7. Dæmonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat.* Concludit tandem exhortando omnes ad virtutis hujus imitationem, per quam in tam proceram Cedrum attingentem sydera DEI Mater excrevit: *Obsecro vos filioli*, inquit ille, *æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximéque Monachum nihil adeò decet.* sic ille.

Humilitatis Abyssus exaltavit Beatissimam Virginem super omnes Angelorum choros.

22. *Hæc Virgo est*, inquit idem, *Cedrus illa, cujus medullam aquila quædam miræ magnitudinis tulit, de qua*, Ezech. 17. 3. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Quid enim est aliud hæc medulla, quàm intima illa interioris hominis humilitas; quâ Virgo in excelso omníque puritate Candidissimo Divinæ maternitatis Libano jam pridem à primo Immaculatæ suæ Conceptionis instanti exaltata Ancillam Domini indignissimam se se medullitus esse sentiebat? de hac Rich. à S. Laurentio lib. 4. humilitas MARIÆ fuit in corde & sensu; nihil de se sentiens, vel æstimans, aut cogitans magnum filia imitatrix Patris sui David: si non humilitatem: de Domino magna sentiebat, dicens: Magnificat anima mea Dominum non me ipsam; quâ tam profundâ animi demissione divinum Verbum, aquila grandis magnarum alarum, cujus magnitudinis non est finis, nimiùm quantùm delectatum tulit eam exinaniens semetipsum, DEUS formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo. Unde B. Andre. Cretens. Episc. Verbi Incarnationem DEI submissionem vocat, orat. de Annunt. quantopere porrò grandi huic Aquilæ medulla hæc interioris humilitatis placuerit, ostendit S. Bernard. Hom. 1. super missus, dum ita loquitur:

Cedrus illa cujus medullam Aquila grandis Ezech. 17. tulit B. Virgo.

23. *Sine humilitate audeo dicere, nec Virginitas MARIÆ placuisset: super quem inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum? super humilem dixit, non Virginem: si igitur MARIA humilis non esset, super eam Spiritus S. non requievisset, nec imprægnâsset. Quomodò enim de ipso sine ipso concepisset? patet ergo, quia ut de Spiritu S. conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit DEUS humilitatem Ancillæ suæ potiùs, quàm Virginitatem; & si placuit*

Sine humilitatis medulla Virginitas Cedri Mariæ non placuisset DEO Aquilæ magnarum alarum.

cuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia etiam ut placeret Virginitas, humilitas procul dubio fecit. ita Bern. Humilitatē hanc, quam Cedri medullam nos appellamus, Rich. à S. Laurentio lib. 1. de laud. B. V. cap. 5. nardum suavissimam appellat: *sic nimirum,* inquit Rich. *humilitas MARIÆ Regem Cœli & attraxit ad terram, & velut aquilam odore prædæ concupitæ illectam carni immaculatissimam copulavit, & ascendente fumo aromatum, id est, virtutum ejus in conspectu gloriæ Magni DEI, invenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus, qui circumstabant: quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? &c. Statimque egrediens de loco sancto suo, & de excelso cœlorum habitaculo prosiliens, exultavit ut Gigas ad currendam viam, & nimio provolans desiderio prævenit nuntium suum ad Virginem, quam elegerat, quam amaverat, cujus decorem concupiverat, & quasi unicornis mansuetissimus in sinu Virginis se recepit, deposita iracundiæ feritate, quam ob primorum parentum peccatum ad humanum genus usque tunc tenuerat.* Hæc Richardus.

In Incarnatione Aquila divinitatis medullam Cedri Mariæ tulit, dum Verbum Divinum carnem de Virgine assumens, Matris Indolem, misericordiam induit.

24. Quod si Virgineæ hujus Cedri medulla sint effusissimæ ipsius pietatis misericordiæque intima viscera, quibus mortalibus velut amantissima Mater compatitur, ac miseretur, rectè dicemus grandem illam Verbi æterni aquilam, fulminatricem olim contra mundi scelera, perduellione protoplastorū in mortales omnes redundantia, tulisse medullam hanc, cùm de Virgine carnem assumens viscera illa misericordiæ ipsius induit, Matrísque indolem pietatémque in se derivavit: quod nobis B. Andreas Cret. Episcopus orat. de Annunc. insinuavit, cùm dixit: *DEUS, qui naturâ sanctus est, in Virginea naturæ officina, corpus sibi ratione mirabili fabricatus est, non deponens id, quod erat, utpote immutabilis, sed assumens id, quod non erat; est enim benignus, & humanitatis hominúmque studiosissimus, atque amantissimus.* Unde Guerricus Abbas Serm. 2. de Assumpt. *non degenerat,* inquit, *à Matre Filius.* Cujus vestigiis Petrus Canisius noster insistens lib. 4. de Deip. 18. *Mater,* inquit, *à filio haud quaquam degeneravit, sed filius potiùs Matris indolem, & naturam expressit.* Hinc matrizâsse à nonnullis ob effusissimam illam, quam à matre imbiberat pietatem Christus dictus est.

25. Vidit Virgineæ hujus Cedri altitudinem Seraphicus Doctor Bonav. in Spec. cap 8. Cùm ponderans verba illa Gabrielis: *Dominus tecum;* ita discurrit: *Attendite charissimi, quòd Dominus iste, qui tam singulariter est cum MARIA, ipse Dominus est, cujus Mater dignissima est MARIA; de Domino hoc, & de hac Matre dixit Elisabeth: Unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini ad me? Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima, ipsa est Mater, quæ tali filio est decentissima. Ipsa Mater est, cui talis filius decentissimus fuit. Ipsa est, quâ majorem DEUS facere non potest. Majorem mundum posset facere DEUS, majus Cœlum posset facere DEUS, majorem matrem, quam Matrem DEI non posset facere DEUS. Unde Bern. nec enim decebat DEUM alia Mater, quàm Virgo, nec Virginem alius filius, quàm DEUS, qua nec major inter matres, nec major inter filios nasci potuit.* sic ille.

Beatissima Virgo Mater est qua majorem Deus facere non potuit.

26. Vidit ejusdem Cedri sublimitatem B. Petrus Card. dum Serm. de Nativit. B. V. eámque excedere docuit ipsorum sublimissimorum Spirituum Seraphicorum, cæterorum Principem post DEUM Hierarchiam, cùm dixit: *Quid grandiùs Virgine MARIA, quæ magnitudinem summæ divinitatis mirè sui ventris conclusit arcanum? Ascende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem & videbis, quidquid majus, est mi-*

MARIA Opus est DEI, solo minor Opifice.

minùs Virgine, solúmque opificem opus istud supergredi.

26. Vidit hanc Cedri Virgineæ, solium planè divinitatis attingentis sublimitatem Seraph. Ord. Pelbartus lib. 1. Stell. Par. 6. art. 3. cap. 3. ubi cùm varia gaudia Virginis nostræ recensuisset, quibus in Incarnatione Verbi est perfruita, eandémque Cedrum, Libano Divinitatis tam ingenti gravidam esset contemplatus, dixit in instanti conceptionis Filii Dei ejus in utero peractæ, ipsi Dei faciem ad videndum fuisse revelatam, quod certè credi potest, inquit, Verbô in ejus utero commorante, esse factum; si enim Moysi & Paulo concessum est Divinitatem vidisse, ut ait Augustinus: multò magìs MARIA, cùm à nullo Illustrium superetur, ut ait Damascenus. Postremum tandem ejus gaudium hoc fuisse ait, quòd fuerit super omnes creaturas gratiâ, meritis, & gloriâ exaltata per hanc Filii Dei Maternitatem, evaseritque Regina Cœlorum, Domina Angelorum, totiúsque orbis Imperatrix, & quod majus est, habuerit Deum sibi per omnia ita condescendentem, atque obtemperantem & ad nutum obedientem, tanquam filium, omnísque potestas eidem data fuerit in Cœlo, & in terra, ut, quidquid vellet, potuerit impetrare, atque efficere, ut dixit Bern. Tandem sublimitatem hanc ipsius gratiæ penitus contemplans exclamat: O quis comprehendere sufficienter valeat, quantô gaudiô Cor Virgineum jucundabatur, cùm sciret, & experimentali gratia sentiret se esse planè sanctificatam, in gratia confirmatam, Donîs Spiritûs S. super omnes repletam, déque salute, ac gloria æterna certificatam! O fidelis anima ingredere in cor benedictæ Virginis, & vide saltem aliquantulum, quanta suavitate lætitiæ spiritualis ex his bonis abundet excellentissimis! Quantô porrò Divinæ consolationis dulcore, putas cor delibutum fuisse Virginis, cùm agnosceret se Matrem Dei purissimam, Dilectissimam, omni laude dignissimam, nec non apud Deum Mediatricem, & Advocatam humani generis, suíque sanguinis carnísque portionem Divinitati in Christo unitam, ab omnibus creaturis adorandam, tandémque super omnes Angelorum Hierarchias ad dexteram patris evolandam? sic ferè Pelbartus. Quibus pulchrè sanè ostendit Virgineæ hujus Cedri altitudinem, quæ ad Incarnationem Verbi excrevit, ut adhuc existens in terris ad clarè videndam Dei faciem attigerit.

Multiplicia argumenta gaudiorum, quibus Incarnationis tempore B.V. recreata est.

27. Sanctus Bernardinus Senensis hanc Exaltationem Virginis ad solium Divinitatis pertingentem, in Bethsabee Matre Salomonis, cujus thronus positus fuit juxta thronum Filii. 3. Reg. 2. agnoscens. ita loquitur: Quæst. 3. Ser. 11. Art. 2. *Contemplare mirificam obviationem, quia surrexit Salomon in occursum Matris suæ: mirificam adorationem, quia adoravit eam: altissimam sublimationem, quia positus Thronus Matris Regis, immediatissimam conjunctionem, quia sedit ad dexteram ejus. Surrexit igitur gloriosus JESUS in occursum suæ dulcissimæ Matris, ut videlicet eam super omnem, quæ sub DEO est, Creaturam, velut Cedrum Libani ad dexteram suam exaltaret.* Nam ut idem sanctus Pr. art. 3. *sicut Benedictus JESUS sedet à dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis, sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filij sui JESU, juxta ipsum in throno sublimata consedit.*

Exaltatio B. V. per Incarnationem obtenta in Bethsabee Matre Salomonis, cujus thronus positus fuit juxta Thronum Filii adumbratur.

Sicut Jesus à dextris Patris sic B.V. à dextris filii.

28. Idem Pater Virginis Studiosissimus art. 1. expendens verba illa Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime à terra.* Cùm docuisset Arcam Noeticam mundum universim salvantem esse Dei-

Arca Noëtica Salvans Mundum Symbolum B. V.

Deiparam, hæc attexit: Multiplicatio aquarum in arca, denotat gratiarum plenitudinem in MARIA, qua elevaverunt Arcam, in qua salvatum est universum semen generationis electæ in sublime à terra, id est ab omni terrenitate & amore infecto. Dixit autem, in sublime; quia ad hanc puritatem, & munditiam nulla pura Creatura ascendit, nec Angeli, nec Virgines. Nam Angeli habent munditiam tantùm in mente, Virgines mente, & carne, sed gloriosa Virgo MARIA cum quadam utriusque perfectione super omnem Creaturam elevata est in sublime.

29. Qua in re ostendit se juxta nominis sui ethymologiam Cedrum, quæ arborum Domina ac Regina vocatur; quid enim MARIA sonat aliud Syriaco idiomate, quàm Dominam, ut testatur S. Hieron, & Arnoldus Carnot. Tract. de Laud. B. V. MARIA linguâ syriacâ Domina dicitur; Christus, Dominus, Maria Domina, & licèt ipsa se Christi profiteatur Ancillam, hoc servitutis genus omni Regno sublimius esse intelligit. Constituta est quippe super omnem Creaturam, & quicunque JESU curvat genu, Matri quoque supplicet, & filii gloriam cum Matre non tam communem judico quam eandem.

MARIA linguâ syriacâ Domina dicitur.

30. Et decebat sanè, ut nomen Dominæ ac Reginæ Virgo nostra sortiretur, utpote quæ inter omnes Creaturas nobilissima existit, & super omnes exaltata in omnes Dominium, amplissimúmque regimen sortiretur. Dominium hoc, regiménque significat corona illa admirabilis in capite ejus stellarum 12. Quemadmodùm enim caput membris corporis dominatur, & in eadem suum exercet regimen atque imperium, ideóque Regum capita aureis Coronis tanquam membra principalia sensu, rationéque pollentia decorantur; sic caput supremæ Cœlorum Reginæ Stellis 12. Coronatur, ut ipsius Dominium super omnes Creaturas, super omnes Angelos ac sanctos, quos omnes eximia multis parasangis transcendit puritate, declaretur. Ut enim murali corona, aut rostrata olim ii coronari consueverunt, qui hostium naves, ac muros superâssent: sic Virgo gloriosissima Regina Stellis, Angelos ac sanctos denotantibus redimitur, quòd eos omnes gratiarum plenitudine, meritísque longo intervallo excesserit.

Corona Stellarum 12. denotat B. V. Dominatum in omnes

31. Ejusdem ingenuitatem nobilitatémque excellentissimam super omnem Creaturam nobis innuit Luna sub pedibus ejus. Ut enim Patritii Romani ad nobilitatis suæ, quam de Cœlo se hausisse somniabant, declarandam præstantiam Lunas in calceamentis gestabant: sic Universorum Creator Matrem suam Lunam calcare voluit, eámque ejus pedibus substernere, ut ipsius eminentissimam nobilitatem, & in Cœlum terrámque altissimum Dominium, ut Cedri in omnes arbores, ut ex ipso ejus nomine Mariano vel ipsa Stellata illa corona, Lunatisque calceamentis perspiceremus, ejusdémque cœlestem præclarissimis virtutibus constantem nobilitatem æmularemur.

Luna sub pedibus B.V. indicat ejus nobilitatem.

32. Unde Pater noster Alphonsus Salmeron unus ex primis sancti Patriarchæ nostri Sociis Tom. 3. tract. 4. docet nulli peccatrici fœminæ tam augustum MARIÆ nomen imponendum esse, personæque, quæ illud gestat, Virgineos mores esse imitandos. *Nomen Mariæ*, inquit ille, *persanctè est nobis venerandum ac frequenter invocandum, nam nomen ejus, sicut & JESU, ob significatum efficacissimum, est terrens Dæmones, lætificans Angelos, recreans peccatores, & accendens justos. nullique peccatrici fæminæ tam sanctum nomen est tribuendum.*

Nomen MARIÆ sicut Jesu, terrificum Dæmonibus jucundum Angelis, &c. nulli peccatrici fœminæ tribuendum.

Quod Aristogiton Patriam à servitute liberaverit, in præmium constitutum est, ne ulli servo nomen Aristogitonis imponeretur.

23. Quod Aristogiton Tyrannos Republ. Atheniensi expulerit, & patriam à servitute liberavit, in prœmium tanti meriti constitutum est, ne ulli servo nomen Aristogitonis imponeretur; ita nulli fœminæ peccati ac Dæmonis servæ tam præclarum, & honorificum Nomen MARIÆ libertatis assertricis (quam P. Joannes Landspergius Carthusianus Hom. 48. de Pass. Cooperatricem Redemptionis nostræ vocitat) imponendum. Fuit in exercitu Alexandri Magni vilis, & pusilli, dejectique animi miles, ad quem Imperator Alexander: *Aut spolia te hôc nomine tuô, aut indue magnanimitatem, ac fortitudinem tanto nomini convenientem.* Idem dicendum est omnibus fœminis, quæ benedicta Virginis MARIÆ vestigia non imitantur, nomine autem tantummodò eam repræsentant. Hæc fere Salmeron.

Alexander Magnus non patiebatur timidum militem vocitari Alexandrum.

Arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt, tantum radicem in una demergunt, Symbolum Marianæ humilitatis.

34. Quod ut eò faciliùs assequantur, profundissimam Virginis humilitatem imitentur, quæ quantò magis meritis, ac virtutibus in sublime attollebatur, tantò profundiùs in terra per sui cognitionem, despicientiámque radices agebat, ostendens se hac quoque in re verissimam Cedrum esse. De qua S. Hieron. in c. 14 Oseæ. *Arbores Libani, quantùm in auras consurgunt vertice, tantùm radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant; harum arborum rami hùc, illùcque tenduntur, ut veniant volatilia cœli, & habitent in eis, crebræ hic crescunt Cedri imputribiles, mirâque proceritate sublimes.*

Virginitatis adeò amore flagravit B.V. ut à primo Immaculatæ Conceptionis instanti votum perpetuæ Virginitatis emiserit.

35. Quibus ex verbis, sicut & aliorum scriptorum alia Cedri proprietas, nempe imputribilitas sive incorruptio colligitur, quæ in Virgine mirificè elucescit. Ipsa enim tanto ipsius amore flagravit, ut à primo suæ immaculatæ conceptionis instanti votum perpetuæ Virginitatis emiserit, ut testatur Jacobus de Valent. Episcopus Christop. in Cant. B. V. & Pater noster Suarez. Usu enim rationis accelerato, & clara DEI visione illustrata, cùm tanta DEI munera tam liberaliter sibi communicata in prima sanctificatione cognovisset, in grati sui animi erga summam illam tam munificam Majestatem attestationem, semetipsam totam cum anima & corpore Divino servitio æternùm devovit, atque mancipavit, ostenditque revera tunc non modò se incorruptibilem Cedrum, quæ nullo unquam tempore, ullam peccati cariem, putredinémque admisit, quæque antiquitus teste Plinio lib. 2. cap. 2. Natural. Hist. omnium prima supremo Numini in Sacrificiis accendebatur, sibi persuadentes suavissimum ejus odorem gratissimum cœlitibus existere consuevisse; Verùm etiam Virgam Aaron amygdalinam esse, quæ ante arbores omnes frondere, florere, ac fructum afferre consuevit. Ipsa enim communi Sanctorum Patrum asseveratione, uti Tomo I. docuimus, ante omnes absque ullo exemplo, solo spiritûs sancti ductu primum Votum perpetuæ Virginitatis emisit, seséque totam in holocaustum superno Numini consecravit, aliásque Virgines desidiæ, ignorantiæque somnô sopitas, ad Virginitatis pretium pulchritudinémque agnoscendam excitavit. Quocirca Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. V. ait illam esse Virgam illam, de qua Hierem. I. *Virgam*, inquit, *vigilantem ego video: Virga vigilans*, inquit ille, *sive ad vigilias excitans est B. V. siquidem Virgâ excitari solent somnolenti.* Moram autem faciente Sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt, ait, Matth. 25. cap.

Cedrus omnium prima in sacrificiis antiquitus supremo Numini accendebatur à Gentilibus.

Aaronis Virga amygdalina, quæ omnium prima floret, flores, & fructum fert adumbrat B.V.

Virga vigilans est Maria, quæ somnolentos excitare solet.

36. Hæc Voti Virginei emissio, fuit vox illa turturis teste Aponio, quæ

Virginitas in veteri testamento similis deserto, quia rarissima fuit, neglecta ferme ab omnibus.

quæ audita ubi fuit in terra nostra, reliquas Virgines ad eandem vocem emittendam excitavit. Unde Guilielmus Abbas expendens verba illa Cant. 3. *quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi Virgula fumi &c. Nihil*, inquit, *aptiùs hic per desertum, quàm Virginitas figuratur: Quid enim illis diebus tam neglectum, atque desertum, quàm Virginitas? da mihi vel unum vel unam illius temporis, qui titulo Virginitatis affulserit; Et quidem nulla sanctarum fœminarum Virginitatem amplexa legitur, dum ratio temporis officium propagationis exposceret. Porrò aliqui sanctorum virorum, paucissimi tamen, Virginitatem eo tempore servâsse creduntur, sed jussam magis, quàm spontè oblatam. Denique Hieremias de servanda Virginitate præceptum Domini habuit dicentis: non accipies tibi uxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco isto. Atque hìc præsumitur, quòd si qui alij eo tempore Virginitatem servârunt, præceptum Domini super hoc similiter habuerunt; unde nec in ea quasi in re excellenti tam insignes esse potuerunt. Nullus enim Prophetarum tunc dicebat, quod nunc dicit Apostolus de Virginibus, præceptum Domini non habeo, Consilium autem do. Non ergo tunc Virginitas, quasi res Consilij excellebat, nec eam aliquis DEO per votum offerre audebat, propter illud: maledictus, qui non fecerit semen in Israel; illis nimirum exceptis: quos huic maledicto mandatum speciale Domini exceperat. Proinde parùm est, quod dixi Virginitatem tunc temporis non fuisse rem consilij, erat enim res maledicti. Unde filia Jephte in ætate nubili sine filijs moritura in Israël Virginitatem suam per duos menses flevit in montibus Judic. 11. expians scilicet hôc modô maledictionem suam; & quoniam lamentatione propria à tam gravi maledicto non penitus expiata videbatur, conveniebant Filij Israel singulis annis, & solenni luctu expiabant eam per dies quatuor. Ecce Virginitas illis temporibus præ amore sobolis, & metu maledicti, quàm exosa & abominabilis, & quàm deserta res fuit? & ideò per desertum hoc loco rectissimè significabatur. MARIA princeps per hoc desertum ascendit, quia ad singularem inter fœminas excellentiam excrevit, quæ prima hominum Omnipotenti DEO, immaculati corporis & cordis sacrificium studuit offerre, malens utique subjacere maledictioni, quàm libidinosæ corruptioni. DEUS verò primam, ac præcipuam integritatis æmulationem insigniter subduxit maledictioni, dando illi salva Virginitate semen in Israel, & benedictionem amplissimam omnium gentium, quando singulari miraculô fecit Matrem DEI. Amore incorruptionis parata erat à sua gente elogium maledictionis incurrere, & ecce salvâ incorruptionis gloriâ totus ei mundus proclamat: Benedicta tu in mulieribus: sic ergo ascendit de deserto.* Hæc ille.

Virginitas, & infœcunditas in Veteri testamento habebatur pro maledictione.

Beatissima Virgo prima hominum Omnipotenti DEO Virginitatem vovit.

37. Ascendentem porrò per hoc desertum Virginem nostram Virginum Reginam, Virginum primiceriam, ùt eam appellat S. Bernardus, magnísque passibus in virtutum omnium exercitatione, singularíque perfectione progredientem, quot chori eam secuti sunt Virginum, sancti Patres contestantur. Audiamus S. Chrysost. Hom. in Matth. ubi de Ægypto loquens Virginitatis puritatísque Angelicæ, in utroque Religioso sexu feracissimo: *Est*, inquit, *cernere totâ illâ Regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum Regium gregem, virtutúmque cœlestium conversationem in terris micantem, atque non in viris solùm, verùm etiam in fœminis splendere conspicias. Nam illæ quoque non minori, quàm viri virtute decorantur, non ita varijs astrorum choris Cœlum refulget, ùt Ægyptus innumeris Monachorum ac Virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.* Palladius in Lausiaca Hist. cap. 135. in ANCYRA ad *decem millia Virginum* fuisse testatur. Ruffinus in vitis Patrum lib. 2. cap. 5. in urbe Thebai-

Virginum Primiceria B. V.

Ægyptus innumeris Monachorum ac Virginum claustris abundat.

pos vocata Oxyrincho, ait, *reperta viginti millia Virginum.* Theodoretus denique in Philotheo cap. 30. *Multæ aliæ partim quidem vitam amplexæ sunt solitariam, partim autem vivere amârunt cum pluribus; adeò ut 250. & plures simul vivant, unô cibô vescentes, super solas storeas ex instituto dormientes, & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis verò linguam consecrantes: sunt ejusmodi innumerabilia sapientum gymnasia, non solùm in nostra regione, sed etiam per totum Orientem: iis autem plena est Palæstina, & Ægyptus, & Asia, Pontus, & tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honoravit Virginitatem, prata Virginitatis natura germinavit, & hos suaveolentes, & qui non marcescunt, flores offert Creatori, non virtutem in masculo, ac fœmina discernens, nec in duas differentias dividens Philosophiam; est enim differentia corporum, non animorum.*

Cedria, sive resina Cedri præservat à putredine, unde Libri Pythagorici in terra defossi post 535. annos integri reperti.

38. Ex quibus Patrum testimoniis clarè perspicimus Virginem Deiparam non modò in se Cedri incorruptionem illibatam conservâsse, verùm etiam eandem velut Cedriam, id est, Cedri humorem Virginibus communicâsse, easdémque à carnis corruptione præservâsse. Præclarè enim ait Richard. à S. Laurentio lib. 12. de Laudibus B. V. *Cedriam, sive Resinam Cedri Virginitatis munditiem significare, ab illa non secus, ac libros eâ perunctos à vetustate, tineisque præservari.* Unde libri Pythagorici in terra defossi post 535. annos integri reperti sunt. Teste Plinio lib. 13. cap. 13.

Cedria Mariana præservat ab hæreticis, velut à tineis sacram scripturam.

39. Hinc etiam ut idem Richardus prosequitur: ab Hæreticis sacram scripturam velut à tineis Virgo conservat, & gratiam maximè diligentibus se largitur, ut de die in diem meliùs intelligatur, & pertranseuntibus plurimis, ut dicitur Dan. 12. multiplicetur scientia. Ipsa enim revelat profunda de tenebris, & cùm sit Doctrix Disciplinæ DEI, & Prophetas constituit, atque ita non permittit sacram scripturam veterascere.

Cedri succo vermes ulcerum consumuntur, Ulcus sanie fluens est luxuria, vermis hujus ulceris motus illiciti, quos Cedria consumit.

40. Addit idem Richardus. Cedri succo vermes ulcerum consumi; ulcus sanie fluens est Luxuria, Vermis, hujus ulceris est ardor sive desiderium voluptatis, vel ipsi ad voluptatem motus illiciti, succus Cedri est pietas MARIÆ, quæ hujusmodi vermes enecat, & ulcera sanat. Concludit denique si Cedri succo corpora perungantur, à muscarum aculeis præservari. Quæ omnia quàm aptè congruant Virgini nostræ gloriosissimæ, quam sancti Patres vel solo suo aspectu muscas obscœnarum cogitationum abigere, vermes Carnalium Desideriorum exstinguere consuevisse asserunt, nemo non videt. Hinc Alexander de Ales 3. parte summæ Theologiæ q. 2. memb. 2. art. 5. *tanta*, inquit, *fuit in Virgine sanctificatio, ut etiam extenderetur ad alios, unde etiam dicunt infideles, cùm Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen unquam potuit concupisci, & hoc erat, quia virtus ejus castitatis & sanctitatis exstinguebat omnem motum carnalem in aliis ipsam aspicientibus, peccatorum corda compungeret, mundanorum hominũ desideria ad cœlestia elevaret.* Sic ille.

Cedri succo copora inuncta à muscarum aculeis præservantur.

Juditha Castissimæ B.V. persimilis, imò sine comparatione eam superat.

41. Qua in re Judithæ Castissimæ venustissimæque Heroinæ Virgo nostra persimilis, privilegio longè eminentiori visa est, dum inter Persas perditæ ac pictæ libidinis milites versans, stuporem quendam non modò oculis, sed & ipsi effrenatæ illorum cupiditati injecit. *Considerabant*, inquit, sacer textus 10. 14, *faciem ejus, & erat in oculis eorum stupor.* Quæ Verba P. Didacus de Celada attentiùs considerans in sua figurata Judith lib. 5. 13. ita loquitur: *Tametsi Persarum gens erat libidinis impotens, & venustissima & ornatissima Judith, dum diu noctúque inter viros liberè versabatur, in eorum tamen ocu-*

Aspectus B. V. non incendebat, sed extinguebat libidinis ardorem.

oculis stupor esse dicitur; fortè pariter & stupebat concupiscentia ex ipsius aspectu, si unum excipias obstinatissimum Holofernem, qui ad populi liberationem inescandus erat tantæ venustatis illecebrâ. Miraculi ad instar est salacissimos viros, militiæ privilegio impudentiores, nec lascivis oculis, nec inhonestô verbulô fuisse insidiatos Judith pudicitiæ, saltem quando noctu patrocinantibus tenebris gyrabat castra. Procul dubio in typica Judith adumbrari censeas singularem Mariæ laudem, quæ etsi venustissimo erat aspectu, nunquam tamen illam intuens exstimulabatur tantæ pulchritudinis concupiscentiâ, quin potiùs appetitus libidinis interstinguebatur, quasi spectatoribus castitatem afflaret.

Philemonis Philosophi Imago meretriculam ad modestiam compositam referens, scelus meditantibus objecta, eos deterrebat.

42. Et verò si Philemonis Philosophi coloribus duntaxat expressa Imago, ad gravitatem modestiámque compositæ meretriculæ, scelus meditanti oculis objecta, tantam vim energiámque in ejus animo à destinato scelere avertendo habuisse à S. Nazianzeno dicta est, ut mox atque suos in Iconem illam objecit obtutus, exæstuantis illius libidinis exstinctum sit incendium, quid vivus, spiránsque puritatis omnis radios evibrans modestissimus DEI Matris facturus est vultus, Virginitatis, ut loquitur S. Damascenus orat. 1. de B. V. Nativit. Feracissimus? Cùm enim ipsa animatus foret justitiæ originalis, reliquarúmque virtutum omnium, ac præsertim, Virginitatis Paradisus, eundem hunc aspectantium piis immittebat animis, atque ita verum evadebat elogium sponsi: *Emissiones tuæ Paradisus.* Cant. 4.

Respicientes Christi, & B. V. vultum, non posito actuali obice, movebantur ad detestationem peccatorum.

43. Hinc Auctor Margaritæ quæst. ult. *Respicientes*, inquit, *Christi, & Virginis Divinum vultum, non posito actuali obice statim movebantur ad detestationem peccatorum, emundationem vitæ, & maximam Devotionem, ex quodam cælesti fulgore ex eorum vultibus radiante.*

Mariam pulcherrimam Virginum nunquam intuens malè concupivit.

44. Idem sensit de Virgine Rich. à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. V. ubi Cedro eam conferens, docénsque ad instar Cedri suavissimum odorem in eam intuentes exhalâsse, eóque fœdas cupiditates in eisdem exstinxisse, ita loquitur: *MARIA pulcherrima Virginum fuit, nec unquam aliquis eam intuens malè concupivit, licèt multæ aliæ bonæ mulieres fuerint concupitæ, ut Sara, Rebecca, Susanna, Judith, Agnes, Lucia, &c. Et hæc gratia in eam in ipsius singulari sanctificatione transfusa fuit, quasi quædam respiratio, sive Cedrinj odoris respiramentum, ad evitandum concupiscentias, motúsque carnales, qui quasi venenosi serpentes in Carne nostra serpunt; & ideò dicit ipsamet se quasi Cedrum in Libano exaltatam.* Quare Dionysius Carthusianus pulchritudinem Virginis Deiparæ candidissimo suavissimum odorem aspiranti Lilio, venustatem verò aliarum fœminarum pungentibus spinis conferre non dubitavit: sic enim ille in cap. 2. Cant. art. 8. *Quamvis fuerint multæ Virgines sanctæ, tamen respectu Virginis beatissimæ quasi spinæ fuisse videntur, in quantùm aliquid culpæ habebant; & quamvis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus exstinctus; fuerunt & alijs spinæ, qui ex earum intuitu concupiscentiâ pungebantur.* Porrò Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis; fuit in ea fomes planè exstinctus, támque intensa castitate erat repleta, ut intuentium corda sua inæstimabili castitate Virginea penetraret, & à nullo posset concupisci; imò potiùs exstinxit ad horam eorum libidinem. Refert idem lib. 2. de Laud. B. V. art. 2. Henricum de Hassia gravem Theologum hæc asserentem: *MARIA plena gratia, optimæ compaginis naturalis, singularissimæ pulchritudinis corporalis, decentissimæ habitu-*

Pulchritudo B. V. quam nunquam intuens malè concupivit, similis lilio odorifero, pulchritudo verò aliarum fœminarum similis spinis pungentibus.

bitudinis moralis: Quoniam omnium Artifex DEUS ad ipsius formationem in utero supernaturaliter concurrens Filio suo dignum habitaculum fabricaturus eam intrinsecus omnium gratificantium charismatum, & dignificantium habitum plenitudine adornavit, ut etiam in exteriori eius effigie gratia Divina tam copiosè, efficacitérque luceret, quòd ejus aspectus carnalium cupiditatum æstum exstingueret.

Juxta sapientes, si adsint duæ mulieres æquè pulchræ quarum una sit Virgo pudica, altera verò corrupta, majorem tentationem sine DEI timore aspicienti ingeret corrupta, quàm pudica.

45. Quare Bernardinus Bustius Par. 2. Marial. serm. 5. *à facie Virginis*, ait, tantæ puritatis atque honestatis emicuisse radios, ut & in alios, ob intrinsecam, quæ illi inerat, integritatem, resultarent: si enim, ut ajunt sapientes & experti, adsint duæ mulieres æque pulchræ, quarum una sit Virgo pudica, altera verò corrupta, majorem ingeret tentationem sine DEI timore aspicienti, magísque ad concupiscentiam inclinabit illa corrupta, quàm pudica: Corrupta enim inficit duplici corruptione, naturæ scilicet & personæ, naturæ quidem! quia est corrupta generaliter in tota natura humana, ex peccato primorum parentum & personæ propriæ peste contaminatæ. Altera verò nempe Virgo pudica minùs inficit, quia licèt infecta sit in natura, non tamen infecta est in persona. Duo enim vincula cæteris paribus magis quàm unum solum ligant. Cùm ergo B. V. à communi naturæ humanæ corruptione præservata fuerit, & in persona sua nullam unquam penitus habuerit corruptionem, mirum non est, si ejus aspectus neminem unquam infecerit, imò ratione illibatissimæ, atque incontaminatissimæ Virginitatis, & integerrimæ puritatis, ad castitatis & honestatis amorem omnes induxerit. Hinc aliqui dixère Theologi, quòd Joseph ejus Sponsus quantò ampliùs loquebatur, & cum ea conversabatur, tantò ampliùs in proposito Virginitatis, quam simul cum ea voverat, confirmabatur. Sic ille.

Aspectus B. V. alios ad castitatem & honestatis amorem induxit.

46. Idem Par. 4. Marial. Serm. 4. ad finem Deiparæ Virginitatem inter varias, quibus exornabatur, prærogativas, ait fuisse transfusam, quæ nimirum in alias transfundebatur. Nam quamvis pulcherrima fuerit, tamen à nullo unquam potuit concupisci, quia ejus puritas corda omnium penetrabat, omnésque motus illicitos in eis exstinguebat. Unde de illa id, quod de Filio ejus dici potest: *Virtus de illa exibat, & sanabat omnes.* Luc. 16. & ideò comparatur Myrrhæ & Cedro: Quia sicut odor myrrhæ fugat vermes, & odor Cedri expellit serpentes; sic & odor ipsius Virginitatis de aliorum cordibus motus brutales expellebat. Cùm enim Virgo nostra à Dilectissimo suo filio, ipsóque suo Sponso Spiritu S. interiorem animi pulchritudinem potissimum mutuata fuerit, fuerítque tota Divina, Divinum planè quid toto ore, oculisque eam spirare necesse fuit, puritatémque DEO proximam spectantibus inhalare: De Divina hac Virginis pulchritudine præclarè Rupertus Abbas. *Pulchra decore Virgineo, pulchra Unigenito Filio.* Idem lib. 6. in Cant. *quando Spiritus Sanctus in te supervenit, & filium Virgo concepisti, tunc tu, & ex tunc fuisti pulchra pulchritudine Divinâ.* Quâ proinde, ut testatur etiam B. Thomas de Villanova Serm. 2. de Annunc. & oculis simul vino pulchrioribus ad instar vini illius Evcharistici, quod ipsius etiam fuit, utpote Caro, & Sanguis Christi, Virgines germinabat. Sed tanti Præsulis ipsa verba pietate plenissima audiamus. *Sacra pura & immaculata Virgo, cui etiam præ aliis erat hoc Virginitatis insigne, ut inspectores suos, ut ita dixerim, Virgines faceret. Erat enim in ea, ut* Pro-

Sicut odor Myrrhæ fugat vermes, & odor Cedri expellit serpentes, sic odor B. V. brutales motus.

Virginitas B. V. virgines germinans.

Prophetæ utar Elogio, Virgines germinans Virginitas. Idem ante Virum hunc sanctissimum sensit S. Gregorius Thaumat. Serm. 1. de Annunc. *Non solùm*, inquiens, *admirationem nobis parit sanctissima illius in corpore pulchritudo, sed & virtus animæ ejus, quas inter sanè pulcherrima Virginitas est.*

47. Quod nobis sanctus Ambrosius luculentissimè exemplô præcursoris, præsentiâ ipsius Virginis ab originarii peccati labe mundati, declaravit lib. de Instit. Virg. cap. 7. sic enim ille de Deipara loquens: *Cujus tanta erat gratia, ut non solùm in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret, visitavit Joannem Baptistam, nec immeritò mansit integer corpore, quem tribus mensibus, oleo suæ præsentiæ, & integritatis unguento, Domini Mater exercuit.*

B. V. suâ præsentiâ Joanni Baptistæ integritatem contulit.

48. Miram hanc operationem voce sua, benignissimâque salutatione, qua ei Spiritum sanctum contulit, produxit. Audiamus Bonavent. in Medit. Vitæ Christi cap. 5. *vide quanta virtus sit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronunciationem confertur Spiritus sanctus, sic enim abundanter ipso erat plena, ut ejus meritis ipse Spiritus sanctus etiam alios repleret.*

B. V. salutando Elisabeth, Spiritum sanctum contulit Joa. Bapt.

49. Eodem Virginitatis flore ex aspectu, contuberniόque Virginis Deiparæ præ cæteris vernavit feliciter alter Joannes, cui Deus in Cruce dixit: *Ecce Mater tua, & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*, mox idem Joannes de se subtexuit ostendens se ipsius imposterum usum fuisse familiarissimo castissimóque convictu, ab eáque & excellentissimum illud Virginitatis donum, & innumera alia animi sui mutuatum fuisse ornamenta. Qua de re præclarè, ut assolet B. Petrus Card. Dam. serm. 63. *Theotocos MARIA, quia Deum veraciter genuit; Theologus Joannes, quia DEI Verbum ante secula apud Patrem esse, & Deum esse non solùm inenarrabiliter vidit, sed & profundâ sublimitate descripsit. Rectè igitur Virgo Virgini ad obsequium traditur, & pro Dominô servus vice Filii subrogatur, ut Virginalis pudicitiæ splendor ex utraque persona sibimet invicem congruat, & floridus intimi candoris aspectus, quod in se virere considerat, simul se cernere, & in alio deprehendat.*

Ex aspectu & contubernio B. V. Joannes Evangelista accepit Virginitatis donum, &c.

50. Quam eximium porrò hoc Virginitatis decus à Deipara communicatum in Joanne exstiterit, circa finem sermonis declaravit; postquam enim dixisset, hanc nimirum hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem Angelus ille cognovit, qui se ab illo adorari prohibuit. *Vide*, inquit, *ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum, Deum adora.* Ap. 22. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem noverat apud communem Judicem gratiæ familiaritatem obtinere; noluit adoratorem, quem decernebat æqualem; postquam, inquam, hæc præmisisset; mox subintulit: *Quamvis enim in omnibus sanctis semper sit Angelicæ munditiæ contubernalis & cognata Virginitas, Beatus Joannes tantò reliquas Virgines superat, quantò Virginitati B. MARIÆ per sedulitatis ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquat, à qua sola præceditur: quia fœcunditas Virginalis, quæ est in Maria, nullis est omnino meritis comparanda, & non solùm quia fœcunda, sed quia Deifica; sicut igitur verecundæ Matris Domini Virginitas Beati Joannis Virginitatem excedit, sic ipse pro glorioso ejus contubernio cæteros à mundi primordio Virgines antecellit.* sic Damian. Unde ob hanc etiam singularissimæ Virginitatis incorruptionem, eum ibidem Cedrum Paradisi appellare non dubitavit.

Ob Virginitatis donum, aliorumque meritorum sublimitatem S. Joanni à Deipara communicatum, noluit Angelus ab ipso adorationem admittere.

Sicut Virginitas B. V. excedit Joannis Virginitatem ita Joañes ob gloriosum B. V. contubernium cæteras Virgines excellit.

51. Sermone verò 64. ob eximiæ hujus Virginitatis excellentiam Joannem primarium inter illa 144.

Millia Virginum esse censuit. Apoc. 14. *quia cùm his omnibus*, inquit, *B. Joannes tantò propinquior, Agnum quocunque ierit, sequitur, quantò & eidem Agno dilectior, ac familiarior existit, & insuper Matri ejus, quæ Virgo est Virginum, perpetua filii subjectione convixit. Nam ex utriusque Matris videlicet, & Filii consortio Joannis Virginitas excellenter enituit, & quousque possunt humana merita provehi, quasi meta virtutum factus indesinenter excrevit.* Hæc ille: Ex quibus clarè perspicimus, quantæ energiæ aspectus, contuberniúmque exstiterit Virginis, quod dilectum Christi Discipulum tantò puritatis splendore inter omnes Virgines decoravit, cùm maximæ, tota honestissima Virginis nostræ facies oculíque, purissimæ lucis radios evibrarent, mirificúmque in spectatoribus castimoniæ amorem accenderent. Unde Dionys. Carthus. lib. 1. de Laud. B. V. art. 36. *Virgo*, inquit, *quò abundantioribus Divinorum charismatum infusionibus fuit præventa, eò hæc ipsa exuberantia magis in ejus vultu refulsit, ac visu; & quò quotidie in omni gratia ac virtute, & in omni luce contemplationis Theoricæ, in mysticæ Theologiæ splendore, in puritate interna, & sanctitate Angelica excelluit, & profecit, eò interior illa ac Divina synceritas luminosa evidentiùs in ejus facie apparebat, atque ut quidam etiam magni Doctores dicunt visibiliter radiabat.* Hæc ille. Unde quid mirum terram æstuantium cupiditatum caliginem tam luculento puritatis splendore depulsam? Divináque pulchritudine Lunariæ profligatam fœditatem?

S. Joannis Virginitas ex utriusque Matris & Filii consortio supra reliquas Virgines enituit.

Excellentia virtutum, quibus præventa fuit B. V. in ejus facie refulsit.

52. Splendorem hunc faciei Virginalis, dum præsertim increata illa pulchritudo, & candor lucis æternæ in purissimo ejus utero velut in Zodiaci circulo sol morabatur, figuravit Tabernaculum fœderis, de quo Exo. 40. *Operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis nube operiente omnia, & Majestate Domini coruscante.* Quæ sanè Domini majestatis nota, ore Virgineo ad instar purissimæ lucis coruscans, mirificum in spectantibus puritatis aspirabat amorem, & ad increatæ pulchritudinis, cujus Illa Imago existit, desiderium excitabat.

Vultus B. V. divina quadam luce coruscans præfigurabatur Tabernaculo fœderis.

53. Quapropter Joannes Gerson Cancell. Paris. Serm. de Con. postquam ad finem docuisset, decentissimum fuisse, ut Domina nostra Virgo gloriosissima corporali etiam pulchritudine esset prædita, cùm Deus principaliter ejus corpus efformaverit, & Dei perfecta opera esse consueverint, & ipsa speciosum præ filiis hominum generare debuerit, ceciniss étque illud Romani Poëtæ Æneid 5.

Gratior est pulchro veniens de corpore Virtus.

Ac tandem effatum Arist. citâsset. *Non omninò felix est, qui specie turpissimus*; postquam, inquam, ita docuisset, hæc attexuit: *Dico, quòd hæc pulchritudo, ac Physiognomia hujusmodi fuerit temperantiæ, naturalisque harmoniæ, itaque disposita, ut nullo pacto spectantes ad iniquam aliquam dissolutámque delectationem, sed ad castam devotámque, ut ait Bonaventura, permoveret.* Idque probat exempló filii, cujus physiognomia bonis apparebat delectabilis, & amabilis. *Pariformiter*, inquit, *Physiognomia Dominæ nostræ movebat aspicientes ad omnem puritatem, & castitatem, simúlque luxuriosas exstinguebat, mortificabátque cogitationes.* Si enim Moyses, cùm allocutus esset Deum, facies ejus refulgebat, sanctúmque quendam timorem intuentibus ingenerabat, quantò magis facies Dominæ nostræ sanctum hujusmodi timorem ingenerare poterat, ne turpe quid

Vultus B. V. ad omnem puritatem & castitatem, timorem sanctum excitabat.

quid eam contemplantes cogitarent? siquidem cum ea non modò Dominus locutus est. sed etiam in eadem novem mensibus habitavit.

54. Quòd si natura Physiognomiam Principum, ut ait Aristoteles, facit talibus personis dignam, ac proportionatam, quò subditos ad timorem, reverentiámque permoveant, quantò magis aspectus Dominæ nostræ spectantes ad castitatem temperantiámque, omni carnali motu exstincto, permovere valuit? Quodsi præter quotidianam novimus experientiam hominum vitam vultu patefieri consuevisse, adeò ut Ovidius in Metamorphosi cecinerit. lib 2.

Heu! Quam difficile est crimen non prodere vultu!

Faciliùs credendum est, quòd virtus ac pudicitia Dominæ nostræ toto ore, oculísque emicuerit, radiósque quosdam in spectantes evibraverit, eosdémque ad puritatem inflammaverit; Sic enim Helenæ facies, quia erat adultera, adeò impudicitiam, libidinémque spirabat, ut Trojani senes, Auctore Aristotele, clamarent, ut ejiceretur. Contra certè Virgineus, purissimúsque intemeratæ Deiparæ nostræ ad omnem pudicitiam puritatémque compositus aspectus, mirificos ad amplectendam castimoniam, aliásque virtutes suggerebat igniculos, adeò, ut eam piè contemplantes dicere potuerint; *trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, & illarum virtutum, quæ vultu ejus promicabant, velut instructa acie debellati, ac triumphati exclamare: *pulchra es Amica mea, suavis, & decora, sicut Jerusalem, terribilis ut Castrorum acies ordinata*, in Tartareis hostibus assiduè nos facibus libidinis inflammantibus profligandis.

Sicut vultus Helenæ, quia erat adultera, ad omnem libidinem concitabat, ita vultus B. V. ex opposito, ad omnem puritatis amorem.

55. Sic denique concludit idem Gerson; *in operibus naturæ videmus, quòd Basiliscus solo aspectu occidat hominem, quare non potuit Domina nostra aspectu suo veterem, carnalémque hominem simul cum ejus concupiscentiis exstinguere, & ad amorem castitatis excitare?* Hanc ob causam S. Amedeus Lausanensis Episcopus Hom. 7. de Laud. V. eam basilisco, ad salutem in nobis veterem Adamum enecanti contulit; Postquam enim præmisisset, quibus radiis post gloriosam Filii eam amplexantis Anastasim refulserit, splendor, inquiens, indeficiens in circuitu ejus, & ignis exardescens à facie ejus, Fluvius igneus, rapidúsque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos consoveret, juvaret proximos, concremaret inimicos, ubi, inquam, hæc præmisisset, hæc subnectit: *Fertur ab iis, qui nôrunt naturam animantium, quòd solo visu, & flatu mortifero, vicina quæque Regulus venenatus interimat, sic illa è regione ignis Divini calore vehementer accensa, & Verbi Flammigerantis sparsa incendiis, odorem resuscitantis gratiæ, iis, qui longè, & iis qui propè commanebant, exhalabat, & aliis quidem, id est adversæ partis, erat odor mortis in mortem, aliis verò, id est, credentibus in filium suum, odor vitæ in vitam: sicut enim in Eva omnes moriuntur, ita & in MARIA omnes vivificabuntur. Et sicut Evæ scelere fit mundi Damnatio, ita fide MARIÆ facta est orbis reparatio, illa infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros, hæc infusa vitali antidoto, quod fidelis transmisit ad universos; corruit illa male credula serpenti, surrexit ista, & juxta Verbum, quod dixerat DEUS, contrivit caput serpentis.* Hæc Amedeus.

Sicut Basiliscus solo aspectu occidit hominem, ita B. V. solo aspectu, extinctâ concupiscentiâ resuscitat hominem ad gratiæ vitam.

Sicut Eva Venenum, ita B. V. vitale antidotum transfudit ad posteros.

56. Ex quibus colligimus Virginem nostram admirabilem quendam, longéque ab his consuetis diversum esse Basiliscum, qui mortem quidem sensui veterique homini inferat, vitam vero salubriorem hominum animis, vel solo aspectu

communicet; ita, ut ejus oculis salutiferis illud lem̃a adscribi possit:

Diversa ab aliis virtute valemus.

Quod Avi Maritimæ charadrio dictæ, Icterium morbum solo aspectu curari, adscribi solet: oculis vitam melius B. V. accommodatur.

Eisdem Virgineis oculis aliud quoque Lemma, quod charadrio Avi Maritimæ magnæ, ac candidæ præfigi solet, *Oculis vitam*, potest attribui. Hæc enim avis Icterico morbo laborantibus solo aspectu medetur, ut testatur Ælianus lib. 11. cap. 22. Hisce oculis longè aptiùs concinere possumus, quàm Stroza de nescio qua impura terræ filia:

Lucet enim latè morum nitor ille tuorum,
Rara nec ingenuo forma pudore caret.
Inque oculis Charites habitant, & grata venustas,
Quos super & circum blandus oberrat amor,
Unde faces, ac tela jacit, furtímque latentes
Tendit ibi laqueos, multiplicátque plagas,
Cernere nec cuiquam fas est ardentia tuto
Lumina, tantùm illic ars, geniúsque valet.
At tu, cujus abit nunquam de fronte cupido,
Nulla cupidinei signa caloris habes.

57. Quid quæso de Virginis luminibus dici poterat aptiùs, verè enim à fronte, oculísque ejus castissimus Cupido Mortalium corda castè inflammans sauciánsque nunquam aberat; verè Virgo eadem nullum unquam vel tenuissimum cœci illius vestigium Cupidinis in animo suo admisit, sed illius oculis gratia, divinúsque amor adeo promicabat, ut inde castissimas faces, teláque salutifera evibrare, in Divinam illam faciem intuentes, eósque purissimo quodam ardore accendere videretur.

58. Unde B. Georgius Nicomed. Archiep. orat. de præsent. B. V. oculos Deiparæ soli conferre non dubitavit. *Hujus*, inquiens, *pulchritudo est incomparabilis, & gloria ineffabilis, cujus lux oculorum solis superat radios.* Quare potiori jure de Virgineis hisce oculis dicere possemus, quod sanctus Basil. lib. de S. Virginitate: universim de oculorum vi pronunciavit; eos nimirum similes esse tactui, qualitatem suam in contingentem transfundenti. *Si*, inquiens, *juxtà naturæ rationem tactus quidam est oculorum ad corpora jactus, & sicut, cùm in eos, qui morbô tenentur oculorum, obtutus diutiùs figimus, morbi ipsius consortes efficimur: Contráque cum his, quæ aciem naturaliter juvant, uti color viridis, speculum aquæ limpidæ, infigimus luminum radios, secretissima naturæ vi inde proficit noster intuitus, ita profectò & cùm in voluptatis indicia injicimus oculos, animus voluptatis morbo fit saucius: sicut etiam cùm viris bonis intendimus, magna in anima per oculos emolumenta suscipimus.* O quàm bellè aptéque ad rem nostram! Et quæ tandem è Virginis hujus, optimæ Matris hujus, sanctorum sanctissimæ Divinissimis oculis, ad animos nostros transmittemus emolumenta, si eam ob oculos mentis semper, dum vivimus, habeamus? Ipsius, mihi credite, oculi nobis sanitatem æque mentis ac corporis communicabunt; ipsius oculi non secus ac specula Crystallina (cùm ipsa tota sit speculum sine macula Divinæ Majestatis, & Imago Bonitatis illius) nos recreabunt, déque Divina, quâ pleni sunt bonitate, nobiscum participabunt ipsius oculi, *qui sunt velut aquæ limpidissimæ in Hesebon.* Cant. 7. in nobis ardorem venereæ cupiditatis exstinguent, fiéntque nobis quasi ventus roris flans in fornace hac hujusce nostri corporis, quod variis Carnalium Desideriorum ad instar fornacis illius Babylonicæ æstuare consuevit incendiis.

Oculis similis est tactui, qualitatem suam in contingentem transfundenti, quod B.V. applicandum

Oculi B. V. nobis sanitatem mentis & corporis communicabunt, si eam præ oculis habeamus.

diis. Ipsa enim dum adhuc inter mortales degeret, ut testatur Pater noster Canisius, frigidum quendam humorem oculis distillare videbatur, qui in aspicientibus ardorem sensualium appetituum exstinguebat, ostendens reverà se Auroram esse, cujus nocturni rores nimiùm quantùm torrentis æstatis incendia attemperare consueverunt. Idem sensit Doctissimus, virginísque amantissimus Joannes Gerson Cancell. Paris. Serm. de Nat. B. V. postquam dixisset S. Josephum ex aspectu, & assidua conversatione cum DEI Matre, repressum habuisse peccati fomitem, & ad castitatem potiùs, quàm ad libidinem ex MARIÆ virtute & merito fuisse motum, hæc attexit: *Tradit D. Bonaventura hoc se habuisse à Judæorum fideli narratione, quod nullus ex aspectu gloriosæ Virginis, quamvis esset pulchra nimis, urebatur, aut inflammabatur ad fœdam Carnis concupiscentiam, sed eam potiùs exstinguebat ille Divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros Virgineus spiraret, vel efflueret à mente ipsius castissima.* Sic ex adverso de peccatrice, & petulanti muliere verum est illud Horatii.

Ex oculis B. V. velut aurorâ, frigidus quidam ros in animas aspicientium fluebat, qui omnem carnalis cupidinis ardorem restinguebat

Et vultus nimiùm lubricus aspici.

De his S. Jacobus:

Oculos habentes plenos adulterii,
Et insatiabilis delicti, unde consurgit fascinatio quædam illecebrosa in aspicientes.

59. Vel certè oculi Virginis dici possunt velut Piscinæ in Hesebon, ut interpretatur Religiosissimus Bernardinus Bustius Par. 2. Marial. ser. 4. quia sicut piscina habens aquarum abundantiam, ita Virginis oculi pietate pleni in tribulatorum afflictionibus Compassionis lacrymas effundebant, hìc illa nostris miseriis, animique morbis, sensuúmque cupiditatibus, quibus velut febribus æstuamus, compatiendo, eas quodammodo velut ignes exstinguebat. Quare Angelus sermone suo cùm S. Birgittæ cap. 13. Virginis pulchritudinem internam animi, & externam corporis venustissimis coloribus depinxisset, ad finem capitis de mira ipsius formæ energia hæc attexuit: *Verè & absque dubio credendum est, quod sicut ipsius anima Coram DEO & Angelis erat pulcherrima, ita ejus corpus in cunctorum oculis eam intuentium, fuit gratissimum. Et quemadmodùm DEUS & Angeli de ejus venustate animæ gratulabantur in Cœlis, ita etiam gratissima ejus corporis pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus utilis fuit, & consolationi in terris. Videntes autem devoti, in quanto fervore illa Deo famulabatur, ad Dei honorem ferventiores, quamdiu illam aspiciebant, exstimulabantur.* Hæc Angelus. Ex quibus colligimus, quòd quemadmodúm devoti, & Divino amore ferventes, conspecta Virgine, quæ ipsissima eáque ardentissima ad instar illius flammantis Rubi fuit charitas majoribus flammis accendebantur; sic ji, qui cupidinis obscœnis adusti erant facibus, ita Virginis aspectu velut affusâ gelidâ refrigerabantur, imò penitus cœcus ille concupiscentiæ ignis in eorum cordibus emoriebatur.

Oculi Virginis, velut piscinæ in Hesebon, suis emissionibus gratiarum curánt.

Quemadmodum devoti & divino amore ferventes conspecta Virgini Beatâ ampliùs accendebantur, sic obscœnis facibus ardentes velut gelidâ affusâ refrigerabantur.

60. Quod si eosdem Virginis oculos, cum Judæ Patriarchæ, de cujus stirpe descendebat, conferamus oculis, quorum moribundus Jacob illud protulit Elogium Gen. 49. *Oculi ejus pulchriores vino, & dentes ejus lacte candidiores*, multò adhuc magis eorundem vis, atque energia in curandis hominum animis, ac variis perturbationibus enitescet. Præclarè enim Juvenis ille Regis Darii corporis custos, cum reliquis suis sociis, quidnam in rerum natura foret fortiùs, decertans, quàm prævalet, inquiens, vinum omnibus hominibus? qui bi-

bibunt, seducit mentem, &c. Quid verius de Virginis nostræ piissimis oculis dici potuit, qui quantùm omnibus hominibus, qui ab hisce oculis videri digni sunt, prævaleant, eósque divino amore inebrient, mentémque eorundem seducant, nemo non videt? O quot Virgo nostra castissimos adolescentes sui studiosos purissimis suis oculis ceu potentissimo suavissimóque vino cepit, illecebrísque rerum mundanarum abstractos, & quasi extra se positos felicissimè mente seductos divino amore inebriavit, eorúmque cor ad se rapuit? siquidem Osea teste cap. 4. *Vinum & ebrietas auferunt cor.*

61. Cor sibi virgineis oculis raptum sensit S. Bonavent. cùm, Par. 3, Hymn. divini amoris cap. 19. ajebat: *O Dulcis Domina, cujus sola memoria affectum dulcorat, cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat, cujus amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat! O Domina, qua rapis corda dulcedine! Nonne Domina cor meum rapuisti, & ubi, quæso, posuisti illud, ut ipsum valeam invenire, nunquid in sinu tuo, ne inveniam, collocâsti? Nunquid inter ubera tua posuisti illud? fortasse, ibi posuisti cor meum, ut quod friget, ibi calefiat? O raptrix cordium! quando mihi restitues cor meum? quare sic corda simplicium rapis?, quare violentiam facis tuis amicis! Nunquid semper vis ipsum tenere? Cùm id â te postulo, me amplexaris Dulcissima, & statim inebrior tui amore: Ex quo ergò sic est cor meum tuo dulcore inebriatum, guberna illud cum tuo, & in sanguine Agni conserva, & in latere Filii colloca; tunc assequar, quod intendo, tunc possidebo, quod spero, quia tu es spes nostra.*

Oculis suis corda suorum Clientum ad se rapit B. V.

62. Idem Virgineorum oculorum in se expertus vim, ac energiam sæpiùs eorundem luce irradiari exoptans ingeminabat; *Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, non enim dubito,* inquit, *quòd si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum officium retardare. Mirabiles nec non amabiles tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam O Domina salutem! venenatos oculos eruunt basilisci.* O Evæ oculi! cur non offertis vos oculis B. Virginis, si vultis perfectam respicere medicinam, nam suorum charitas oculorum umbras expellit, effugat catervas Dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata succendit, ac demum ad cœlestia trahit. O Domina, quàm beati sunt, quos viderint oculi tui! Eos ergo oculos ad nos converte. Abhisce Pater hic Seraphicus, imò Virginis Seraphinus puritatem illam animi corporisque hausit singularem, ab illis flammas illas, caloré sque planè Seraphicos, qui in ejus libris, ut B. V. speculo, qui in ejusdem emicant psalterio, quæ sanè opera, qui diligentiùs evolvit, mirificos in se Divini Virgineíque amoris ardores experiatur, necesse est.

Ab oculis B. V. S. Bonaventura animi & corporis puritatem hausit S. Bonaventura.

63. Hi enim oculi Dei-Matris sunt luminibus Filii, ut & in reliquis penè omnibus, quàm simillimi, de quibus Joannes Apoc. cap. 1. *Oculi ejus tanquam flamma ignis,* Unde ad quemcunque se piè converterint, eundem ita ad se se rapiant, ut & ipsius Virginis, & ipsius Filii purissimo amore succendant, omnésque turpissimi Cupidinis faces exstinguant, arcus, sagittásque conterant, hominémque hujusmodi in Angelum quodammodò transforment.

Ad quemcunque oculi B. V. se piè converterint, eundem ad amorem JESU & MARIÆ accendunt.

64. Virginis hisce oculis lustratus sanctus Bernardinus Adolescens planè Virgineus, ad urbis Senensis portam Camuliæ Virginem diebus singulis crebriùs visitaturus ac salutaturus itabat; tantis ex ipsius jucundissimo aspectu exarsit flamis, omnis fœdæ cupidinis exstinctis ignibus, ut eam suam amicam, dilectis-

Jucundissimo aspectu B. V. ita S. Bernardinus exarsit Divini amoris flammis ut eandem vocitaret suam amicam & dilectissimam Sponsam.

lectissimámque vocitaret sponsam, cum sapiente absque dubio identidem illud iterando: *Hanc amavi, & exquisivi à Juventute mea, & quæsivi eam mihi Sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius.*

S. Hermanus B.V. Sponsus fieri Josephi nomine appellari, & parvulum Jesum ulnis suis bajulare, & osculari meruit.

65. His oculis lustratus Adolescens ille sanctissimus Hermanus, ejusdem Virginis Sponsus fieri, Josephi nomine appellari, & parvulum Jesum, uti quondam ipsi sanctus Josephus in Ægyptum fugiens, ulnis suis bajulare, & osculari meruit. Quam beatitatem considerans Joannes Gerson Tract. 2. in Magnif. in illud prorupit epiphonema, quo dignitas Josephi mirificè illustratur: *Felix prorsus exstitisti Vir Mariæ Juste Josephe, cui toties concessa sunt oscula blanda pueri JEsu, quem gestare manibus, sinu fovere, brachiis amplecti, pectus DEI tuo capax stringere pectori, cum omnibus pueritiæ gratissimæ blandimentis toties meruisti! O quoties intuitus oculorum beatorum tibi, sponsæq; tuæ lætos afflabat honores! O quoties jucundissima vox Divinos vobis spirabat amores, sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat: tanquam verè cum Filio hominis, Filius esset DEI.*

66. Eandem felicitatem admirans idem Gerson Tract. 4. in Magnif. ita stupefactus exclamavit: *O verè felix Joseph! Sponsus tuus Virginalis O MARIA! qui tui custos cum puero JESU fidelis, sedulus, prudens, atque Charissimus audire, vidéreque te cum filio tanto tempore dignus fuit.* Cùm simili felicitate affectos alumnos etiam reliquos B. Virginis agnoscens, inter quos ego jure meritissimo numerârim hunc jam memoratum Hermannum Joseph, de quo hæc subjunxit: *Proptere ajam justos beatificare nequeo, neque sufficio, quos O beata, tibi feceris esse devotos, quos traxeris post te, postq; JESUM Benedictum fructum ventris tui in odorem unguentorum tuorum! Quomodò non beati, quibus ubera charitatis lactanda, quibus os pietatis osculandum non dedignata fueris ostendere? Ergo jam oleum effusum nomen tuum. Ergo tu fons hortorum, ad emundationem simul & recreationem, cum delectatione mirabili mundo datus. Tu puteus satietatis aquæ vivæ salientis in vitam æternam, puteus aquarum, quæ fluunt impetu de Libano candido Paradisi: Tu Hortus consitus omni genere tam arborum quàm areolis aromatum.* Hæc ille. Ex quibus manifestum evadit, non modò oculos Deiparæ, sed totam penitus quanta est, mirificam ad cupiditatum in nostris membris sævientium restinguendo incendia vim habere; Quemadmodùm enim aliæ mulieres vanissimæ terræ filiæ ipso corporis habitu atque incessu mortalium animos irretire, suisque illecebris inflammare ad impudicitiam consueverunt, ita contra Virgo nostra purissima ad se pio mentis affectu accedentes, ad omnem honestatem, uti diximus, inflammabat.

Deipara licet formosissima nunquam intuentes se ad vanum, sed ad divinum accendit amorem.

67. Mulierem porrò ad impuros amores irritamentum esse fatetur sapiens Eccl. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit*, & rursus ibidem: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius: averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.*

Mulier incitamentum ad impurum amorem.

68. Accinit Siracidi Bensira Alphabeto 2. lit. Beth. *propter speciem*, inquiens, *pulchræ mulieris, multi pessumdati fuerunt, & robusti omnes interfecti ab ea.* Et literâ Daleth: *Abstrahe carnem tuam à muliere gratiosa tanquam à carne prunarum.* q. d. mulieris pulchræ carnes non tam carnes, quàm ardentes prunæ esse videntur, quæ ignem concupiscentiæ in spectantibus, aut tangentibus accendunt. Et literâ He. *Denique abscondo oculos tuos à muliere gratiosa, ne capiaris reti ejus.*

69. His accinit Virgilius Ecloga 4. *Uritque videndo fœmina.* Hinc Ale-

Alexander Magnus noluit captivas Darii filias videre.

Alexander Magnus videre noluit captivas Darii filias formosissimas: *Non committam*, inquiens, *ut cùm viros vicerim, à mulieribus vincar.* Ut testatur Plut. in Alex.

70. Scribit sanè P. Cornelius à Lapide in cap. 13. Dan. v. 8. ad rem nostram, dictum cujusdam Matronæ memorabile: *Audivi*, inquiens, *Matronam gravem, & castam monentem confessarios, ut caverent ab aspectu, & colloquiis longis fœminarum: ego enim*, ait, *certa sum, non esse Virum tam Sanctum, tam constantem, quem non flectam, quò velim, si cum eo per quadrantem colloquar, isque oculos meos intueatur*: Serpentini sunt, & Basilisci oculi fœminarum. Quòd si forma, oculi, habitúsque mulieris tantùm ad expugnandum hominum animos, quantumvis sanctissimos pollent, quantò magìs mulierum pulcherrima, Virgóque sanctissima aspectu suo, totiúsque oris dignitate mortalium animos ad pudicitiam, sanctimoniámque, omni fœdæ cupiditatis igne exstincto, pertrahet?

Serpentini & Basilisci oculi sunt fœminarum.

71. Hujus rei causam refert Seraphicus Pelbartus lib. 5. Stellarii Par. 2. cap. 3. in Virgineæ gratiæ plenitudinem: *Quia Gratia Divina*, inquit: *in ea abundabat, adeò, ut & in aliis esset libidinis, & concupiscentiæ exstinctiva.* Gratia namque fortior est quàm natura. Sed videmus, quòd Natura quibusdam lapidibus atque herbis hanc virtutem contulit, ut libidinem temperare valeant, ut patet in Camphora, Saphyro, & Chalcedonio, atque rutâ sæpè comesta. Ergo multò fortiùs Divina gratia in B. V. id potuit efficere, & defactò efficit. Unde ipsa per Cedrum & Myrrham figurata est, ipso attestante Eccl. 24. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, quasi Myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Sicut enim Cedrus odore suô fugat serpentes, & Myrrha vermes interficit; sic MARIA serpentes & vermes pravæ concupiscentiæ, in aliis solô exstinxit intuitu, Divinàque prorsus virtute effecit, ut à nemine mortalium posset concupisci. Unde idem Vir in Virginem piissimus inter 12. illas stellas virgineum verticem coronantes, numeravit ibidem hanc inconcupiscibilitatem, uti eam ipse appellat.

Lapides aliqui & herbæ vim habent sedandæ libidinis, quantò magis gratia divina B. V.

72. Ob hanc plenitudinem gratiæ, æstum omnem libidinis exstinguentem, jure meritò Lunæ plenæ, quæ in diebus suis lucet, licet comparare. Quemadmodùm enim Luna pura ac candida est, puritatémque nitidissimi argenti æmulatur, adeò ut à Poëtis argentea luna prædicetur; & insuper humida est, & roscida adeó, ut ab iisdem Poëtis roranti biga invehi concinatur, suisque influentiis unà cum sole mirificos in hisce sublunaribus effectus causare consuevit: ita Virgo nostra, quæ à Spiritu Sancto pulchra ut Luna dicitur Cant. 6. plenitudine redundans gratiæ, maximè recepto eo in uteri sui Virginalis hospitio, in quo complacuit omnem plenitudinem gratiæ habitare, & mira divinâque puritate, candoréque lucis æternæ, cùm plena sit, roris sui fœcundissimi copiâ, ardorem in cordibus Mortalium concupiscentiæ carnis non modò exstinguet, verùm etiam virtutum omnium fœcunditatem in animis nostris generabit.

Plenitudo gratiæ in Maria vim habet libidinis extinguendæ.

Luna Mariana suo gratiæ rore extinguit ardorem concupiscentiæ in suis clientibus.

73. Quare potiori jure Virgineæ huic pudicissimæ, fœcundissimæque Lunæ, Symbolum illud Corneliæ Saloninæ Augustæ apud Pier. lib. 44. in quo lunæ effigies cum hac Epigraphe visebatur: Fœcunditas, & Pudicitia; attribui debet. Hæc enim animata Luna nostra, cùm in se & pudicissima, utpote semper Virgo, & fœcundissima sit fructu illô dulcissimô, ac divinissimô in lucem editô, quô tam dira ac diu-

Lunæ Symbolum illud Corneliæ Saloninæ Augustæ in quo Lunæ effigies cum Epigraphe: fœcunditas, & pudicitia: potiori jure B. V. applicatur.

diuturna mortalium fames satiata est, sine dubio rore suo in nobis æstum libidinis exstinguet, bonorúmque operum conferet ubertatem. Ille námque fructus est Pomum, sive Poma, de quibus Moyses in benedictione Patriarchæ Joseph Deut. 33. 14. rerum omnium ubertatem ipsi apprecans dixit: *De Benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore atque abysso subjacente, de pomis fructuum Solis, & Lunæ.* Virginea enim hæc Luna Cœli benignis influxibus velut terra benedicta visitata, nobis JEsum velut suavissimum Pomum protulit, quod in Eucharistia piè comedentes saturamur, animique puritatem assiduè cumulamus. De Pomo hoc Sponsa in Canticis cap. 7. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic Dilectus meus inter filios.* Quàm porrò hujus arboris fructus dulcis sapidúsque sit, mox declarat: *Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Unde quid mirum, si Sponsus ejus Joseph hanc terram Virgineam tot Cœli benedictionibus irrigatam, tam dulci fructu fœcundatam possidens, illibatam Virginitatem in sancto illius connubio ad extremum vitæ suæ halitum, omni exstincto concupiscentiæ fomite, ut docet Joannes Gerson Serm. de Nat. B. V. conservaverit? sed ad Cedrum, ejúsque mirificos effectus revertamur.

In Evcharistia Pomum nobis apponitur, de quo Sponsa Cant. 2. quod comedentes satiat, & puritatem confert.

74. Scribunt Naturales Historici vel solâ Cedri umbrâ serpentes & quidquid venenatum est, profligari, sentis O homo Tartarei illius colubri insidias? sentis pestiferos afflatus, quibus primæ Matris Evæ mentis potissimum Virginitatem infecit, atque corrupit? Sentis denique cordi tuo faces libidinis admoveri, illúdque fœdis ignibus ustulari, nimióque ardore ex æstuare? Ad hanc Cedrum Virgineam, ejúsque umbram confuge, sub ejus patrocinio, ac protectione te absconde: experiêre sanè, quòd Virgo nostra ipsum velut vilissimum vermiculum, Virginitatis Humilitatísque pedibus protereret (ipsa enim est Eva illa, de qua ad serpentem dixit Dominus: *ipsa conteret caput tuum*) atque ita minimè dubitabis pleno ore prædicare, eam incorruptam Cedrum esse, incorruptionémque etiam in aliis conservare.

Cedri umbra serpentes, & quidquid venenatum est profligatur.

75. Audiendus hic rursus Bernardinus Bustius Par. 9. Marial. Ser. 2. similit. 8. ubi sic loquitur: *Si Cedrus naturaliter tantæ est potentiæ, ut solâ umbrâ fuget serpentes, omniáque venenosa, quantò magìs ipsa Cedrus Dei in Cœli Libano exaltata, singulari sua virtute antiquum effugabit serpentem, ita ut homini ipsam devotè invocanti appropinquare non audeat, vel nocere?* Ideo cum Innocentio petendum, ac dicendum est: AVE DEI MATER ALMA, quæ ex dignitate, quâ Mater DEI es, imperare potes Angelis, ac Dæmoniis: Compesce ergo Dæmones, ne nobis noceant, præcipe Angelis, ut nos custodiant. Quòd si Jaspis, ut addit idem Pater, gestantem securum ac tutum reddit, quantò magìs Virgo gemma cœlestis thesauri pretiosissima eos, qui ipsius pietatem devotionémque corde reconditam gestant, ab omnibus Tartarei hostis insidiis, fœdisque cupiditatum illecebris defendet? Quare rectè monet Virgilius lib. 3. Georgicorum Cedri odorem, virtutémque in effugandis serpentibus agnoscens:

Si Jaspis gestantem securum reddit. Quantò magis Virgo gemma cœlestis thesauri.

Disce & odoratam stabulis accendere Cedrum,
Galbaneóque agitare graves nidore chelydros.

76. Plinius etiam lib. 24. cap. 5. idem sentit, dum inquit: Cedri

 um-

umbrâ serpentes fugari certum est, idem baccis tritis cum oleo, si qui perungantur. Quisquis igitur à Tartarei colubri maximè Asmodei insidiis ad sensuum, carnisque illecebras concupiscendas mortales exstimulantis tutus esse desiderat, Virginis gloriosissimæ virtutum, ac præcipuè ipsius Virginitatis suavissimo odore, ejus merita, eximiamque præstantiam identidem recolendo, sese recreet, ipsius auxilium præsidiúmque confidenter imploret, tutissimus ab eorum incursibus evadet, donúmque puritatis, facillimô negotiô acquiret.

Coradinus Brixiensis Ord. S.Dom. visibiliter donum castitatis à B. V. accepit.

77. Testis est Coradinus Brixiensis, Ord. Divi Dominici insigne jubar, qui circa Annum 1426. floruit. Fuit hic Virginis Deiparæ studiosissimus, castitatisque amantissimus: Unde duabus stipata Virginibus Virgo Virginum sanctissima se se ei spectandam exhibuit, postquam ipse cœlo dignissimum de se spectaculum exhibuit: postquam enim ipse ad Carnalium cupiditatum suo proprio sanguine exstinguendos ignes adeò immaniter flagellis sæviisset, ut rivi cruoris per cubiculum fluerent, his verbis eum allocuta fuisse memoratur: Jam pridem agnovi fili Dilectissime, quô adversùs me sis animo, & quanta cum diligentia illibatum servare niteris Virginitatis florem. Noveris itaque te nihil à Filio meo postulaturum, quod non sis impetraturus; quod ut verè tibi à me dictum constet, en tibi confero donum castitatis, cujus desiderio tantoperè semper arsisti: & hæc dicens, renes ei pretiosô quôdam ungit oleô in hæc verba: *Hac unctione corroborentur renes tui, ne deinceps ullum carnis aculeum persentiscas.* Quòd porrò hæc eximia quædam fuerit prærogativa, eáque paucissimis concessa, locus, in quo visio illa ac visitatio Virginis contigit, magnam etiamnum habet venerationem Calend. B. V. 1. Novemb.

Pater Ripa Ord. Seraph. donum castitatis visibiliter à B. V. obtinuit.

78. Testis est Pater Ripa Transonis Ord. Seraphici, qui circa Annum 1595. vixit. Hic, ut puritatem cordis impetraret, plurimùm se se in meditandis Deiparæ doloribus occupabat, eam obtestans, ut per illorum merita illibatam animi castimoniam ei obtineret: Nec irritæ ipsius cecidère preces; adfuit illi Mater benignissima, extensâque manu suâ potentissimâ, ac supra pectus ejus positâ: En tibi, inquit, quam tantopere flagitas puritatem cordis. In Chron. Min. D. 4. lib. 10.

Adolescens piâ annuli gestatione, cui Nomen Mariæ inscriptum carnis incentiva superavit.

79. Testis est Adolescens ille, qui ut in Societatis nostræ quibusdam habetur annuis, pia annuli, cui nomen Virginis erat inscriptum, gestatione, carnis incentiva superavit. Nempe Maria, ut interpretatur Epiphanius, myrrha maris, ac Cedrus est, quæ odore suo Tartareos vermes ac colubros fœdis, ignitisque halitibus nos afflantes fugat, enecatque.

Imago B. de collo suspensa nonnullis donum castitatis contulit.

80. Eandem puritatis gratiam amorémque spiritualem contulisse memoratur Imago ejusdem Virginis, à nonnullis de collo suspensa, peculiari cum pietate circumgestata, qua in re id verificari videtur, quod de Imagine æterni Verbi scripsit Orig. Præf. in Cant. *Sicut*, inquit ille, *dicitur aliquis carnalis amor, quem & cupidinem vocant Poëtæ, secundùm quem, qui amat, in carne seminat; ita est quidam spiritualis amor, secundùm quem ille interior homo amans, in spiritu seminat. Et, ut evidentiùs dicam, si quis est, qui portat adhuc imaginem terreni, secundùm exteriorem hominem, agitur Cupidine & amore terreno; qui verò portat imaginem cœlestis secundùm interiorem hominem, agitur cupidine, & amore cœlesti. Amore autem & cupidine cœlesti agitur anima, cùm perspecta pulchritudine & decore verbi DEI,*

DEI, speciem ejus adamaverit, & ex ipso telum quoddam, & vulnus amoris acceperit. Est enim Verbum hoc Imago & splendor DEI invisibilis, primogenitus omnis Creaturæ, in quo creata sunt omnia, quæ in Cælis sunt, & in terris, visibilia & invisibilia. Itaque si quis potuerit capaci mente conjicere & considerare horum omnium, quæ in ipso creata sunt, decus & speciem, ipsa rerum venustate percussus, & splendoris magnificentiâ ceu jaculô ut ait. Psal. 49. *electo terebratus, salutare ab illo vulnus accipiet, & beato igne amoris ejus ardebit.* Sic ille. Quemadmodùm igitur contemplatô æternô illô Verbô, quod Apostolus Imaginem DEI invisibilis, in quo pulchritudo creaturarum omnium tam cœlestium quàm sublunarium, veluti speculo enitescit, fieri non potest, quin spirituali, divinóque amore velut sagitta electa cor ejus minimè saucietur, in eóque carnalem fœdúmque amorem, cùm simul, utpote sibimet contrarii, esse nequeant, non enecet, ac trucidet: Sic sanè visa Virgine purissima, quam B. Georgius Nicomed. Arch. orat. de præsent. B. V. *Pulcherrimam rerum omnium pulchritudinem, ac pulchrorum omnium summum ornamentum*; & S. Damasc. *humanæ Naturæ venustatem appellat*, cor nostrum castissimo ejus amore exardescet, fœdúmque Tartarei Cupidinis ignem exstinguet, donúmque eximiæ puritatis impertietur. Hinc crediderim Patres Carmelitanos Virginei cultus pietatisque promovendæ, atque amplificandæ studiosissimos, Scapularia, ut vocant, Icone Deiparæ insignita distribuere consuevisse, quò fidelium pectora calentissima in Virginem pietate, veluti Cedria quasi peruncta, nullum carnalis concupiscentiæ vermem admittant, sed suam puritatem, incorruptionémque in fonte Baptismatis haustam conservent. Si enim Imago Virginis Matris Sozopoli Civitate Pisidiæ, ut scribit sanctus Germanus Patriar. Constant. epist. ad Thomam Episcop. Claudiopoleos in II. Synodo Nicæna recitatâ, ex picta manu sua, unguentorum scaturiginem variorum morborum curationem profundebat, persuadere sanè nobis poterimus, ejusdem Virginis Imaginem magna pietate ac reverentia gestatam, puritatis Cedriâ incorruptionísque balsamô pectora nostra perfusuram, mirificùmque amorem DEI, suíque instillaturam.

Pulcherrimam rerum omnium pulchritudinem ac pulchrorum omnium summum ornamentum B.V. Nicom. Archiep. appellat.

Scapulare IconeB.V. insignitum remedium contra libidinem.

Imago B. V. in Pisidia ex picta manu sua unguentorum scaturiginem, variorum morborum curationem profundebat.

81. Experta est donum piissima illa Virgo Lydwina Schiedanensis, de qua Sur. 14. April. quæ adhuc septennis, miro in Iconem Virginis amore ferebatur: quæ ipsius pietati amoríque vicem rependens, ei sæpiùs arridere, salutationéque ipsius delectari visa est. Hinc crediderim, in corde Lydwinæ tantus pudicitiæ excrevit ardor, ut puellas licentioris vitæ sibi coætaneas subterfugeret, quô candidam innocentiæ stolam, quam in Baptismo acceperat, conservaret. Amore denique perpetuæ conservandæ castimoniæ, quam ei DEI Mater blandissimo illo aspectu instillârat, ut nec nuptiarum, nec ullius mortalis Sponsi quantumvìs nobilissimi atque opulentissimi nomen ferre posset. Unde cùm die quadam parens, thori nuptialis mentionem intulisset, ipsi, tædas exosa conjugales, ita respondisse fertur: *Ego mi Pater, Virginitatis Thesaurum fero in vase fictili, quem propter mortalis hominis conjugium nullô pactô perdere velim: Itaque oro te, ne post hàc ullam mihi Sponsi mentionem injicias: Nullus me mortalium eò allicere poterit, ut sponte nubam: quòd si vi coacta fuero, rogabo Dominum, ut ea me corporis deformitate afficiat, quæ omnium animos facilè à me avertet.* Quare identidem ad Cœlestem conversa

Lydvvina Virgo miro in Iconem B. V. ferebatur amore, atque inde castitatis donum obtinuit.

Sponsum, eum deprecabatur: *Averte à me Domine DEUS vitiosum cujusque hominis amorem, nec me sinas erga Creaturam ullam vitiosè affici.*

Mariæ Ægyptiacæ, conspectâ præ foribus templi B.V. Imagine, affectus

82. Ejusdem Deiparæ Imago præ foribus templi à Maria Ægyptiaca conspecta, adeò in illa fœdi Cupidinis exstinxit ignes, tantóque puritatis amore succendit, ut eam hisce verbis, quæ mirum pudicitiæ præseferunt affectum, allocuta sit: *Domina Virgo, quæ Deum verum peperisti secundùm carnem, scio, scio, quòd non est condecens nec opportunum, me sic horridam squalidámque adorare imaginem tuam, vel contemplari oculis tantis sordibus pollutis, quæ semper Virgo casta esse agnosceris, quæ corpus & animam habes mundam, & immaculatam. Justum autem est, ut me luxuriosam tua purissima castitatis munditia abjiciat, atque abominetur: Tamen, quia audivi, quòd ideò effectus est DEUS homo, quem ipsa concipiens dignè genuisti, ut peccatores vocaret ad pœnitentiam, adjuva me solitariam, & nullum habentem adjutorium, &c.*

Imago B. V. Annunciatæ, quæ Florentiæ Angeli penicillo depicta visitur, mirificum in B. AloysioAdolescente pudicitiæ & puritatis amorem excitavit.

83. Ejusdem Virginis Annunciatæ, quæ Florentiæ Angeli penicillo depicta visitur Imago, mirificum illum pudicitiæ amorem B. Aloysio Adolescenti nostro excitavit, cùm coram ipsa perpetuæ castitatis voto sese obstrinxit. Quam ille ad instar Angeli totius vitæ decursu maximis in dies singulos factis puritatis incrementis ita conservavit, ut nullô prorsùs vel carnis stimulô, vel fœdô aliquô phantasmate, ut ipsius Confessarius Card. Bellarminus publicô testimoniô confirmavit, vexaretur. Eam denique Virginis potissimùm patrocinio obtinuit gratiam eximiámque puritatem, ut nullo unquam lethali à primis incunabilis innocentissimum animum scelere contaminârit. Nimirum Virginea hæc Cedrus altissimas pietatis radices in corde hujus egerat Adolescentis, gratiæque suæ pretiosissimâ Cedriâ ita eum perunxit, ut corpus ab omni corruptione, ac concupiscentiæ verme præservârit.

Qui donum castitatis obtinent, comparantur tribus pueris in fornace Babylonica.

84. Quare & B. Adolescentem hunc, & reliquos, qui tantæ puritatis donum in hac tam corruptibili carne, rorémque Virgineæ pietatis in corporis hujus fornace babylonica beneficio Virginis gloriosissimæ, verè Cedri incorruptibilis, experti sunt, libet verbis D. Augustini alloqui lib. de S. Virginitate cap. ult. *Proinde vos quoque laudate eum, ejúsque Matrem*, addiderim ego, ut illi tres pueri, quibus refrigerium in igne præbebat, quem corde ferventissimo diligebant: *laudate*, inquam, *eum, qui vobis præstat, ut ardore medio sæculi hujus, quamvis conjugio non copulemini, non uramini, & orantes etiam pro nobis benedicite sancti & humiles Corde Dominum, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula Amen.* Quid jam de Cedri in sanandis variis hominum morbis virtute dicam? Plinius lib. 24. cap. 5. de hac ita loquitur: *Cedrus magna dat picem, quæ Cedria vocatur, dentium doloribus utilissimam. Cedrides, hoc est, fructus Cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt, utiles ruptis, convulsis, spasticis, stranguriæ admoti.* Hos aliósque innumeros effectus imploratum Deiparæ à fidelibus auxilium producere magna totius orbis admiratione consuevit. Unde S. Damascenus orat. 2. de Dormit. B. V. eam *Abyssum gratiæ, & pelagus curationum* vocitavit. Et orat. 1. de Nat. B. V. eandem *miraculorum abyssum, & fontem Universo orbi medicinam afferentem:* dixit.

Cedris virtus inest varios hominum morbos curandi.

Cedrus Mariana præstat omnibus sanctis in morbis curandis.

85. Sanctus Basilius Seleuciæ Archiepisc. orat. 31. virtutem hanc morbos curandi in Virgine, præ Sanctis omnibus longè fuisse admirabiliorem: *Quis*, inquiens, *Magnam DEI Genitricis Virtutem non venere-*

neretur? quis, quantò eos omnes intervallo post se relinquat, quos divorum locò habemus, non miretur? si enim Christus suis servis tantam gratiam contulit, ut solo contactu imò verò sola corporis umbrâ ægris præsidium afferre possent, ut in Petro & Paulo videre licuit. Act. 5. *qualem vim adversùs omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? an non multò majorem, quàm reliquis Christi Imperio subjectis? omnino res clara est. Ecquid mirum, si sancti, cùm in vivis etiamnum degebant, præpotenter operabantur, cùm terra quoque non omnem vita hac mortali jam perfunctorum vim, & energiam unà cum ipsis prorsus obruere potuerit; constat namque sancta illorum corpora ita tegere, ut sibi addictos, si piè adeantur, tueri ac conservare non desinant. Nam si talibus tantam miracula patrandi virtutem DEUS contulit, qualem educationis mercedem Parenti donâsse, quantisque charismatis, donisque illam exornâsse censendus est?* sic ille. De hac medicinali Cedro Dionys. Richelius in Eccl. art. 25. sub persona Virginis: *sicut resina Cedri languidos sanat: sic gratia, consolatio, subventio mea curat ægrotantia corda.*

86. Ob eximiam hanc Virginis morbos quoslibet sanandi virtutem Rich. a S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. V. eam horto cuipiam, in quo omnium herbarum, fruticúmque genera vi aliqua ad curandas mortalium infirmitates pollentia, esse consueverant, contulit: *MARIA*, inquiens, *est hortus sanus, sive sanativus ac medicinalis, ratione herbarum, aromatum, & specierum, arborúmque medicinalium, quæ ibi crescunt: quæ singula singulas habent virtutes; ut viola humilitatis medetur malo superbiæ, lilium Virginitatis adustioni luxuriæ, &c.* Hortus Medicinalis est B. Virgo, quia ex ea Christus natus est, qui medicus & medicina est omnis morbi. Unde Eccl. 38. *Altissimus de Terra Creavit Medicinam*, id est, de Virgine Christum. Quemadmodùm enim in horto voluptatis lethaliter infectum, ac vulneratum fuit genus humanum, ita in hoc horto inventum est ipsius salutis remedium. Evæ enim & MARIÆ convenit Dialogismus ille, Deut. 32. *Ego occidam*, inquit Eva, *Et ego vivere faciam*, respondet MARIA. Unde autem virtus hæc sanativa proveniat, ostenditur Ezech. 74. *Aquæ ejus*, quibus scilicet irrigatur hic hortus, quæ sunt dona gratiarum, *egredientur de sanctuario*, id est, vel ab ipso Patre, vel etiam ab ipso Filio, *& erunt fructus ejus in cibum*, scilicet in Sacramento filii, qui fructus hujus est horti, *& folia*, verborum nimirum atque exemplorum *in Medicinam* languentium animarum, & obumbrationem peccatorum. Hæc ille.

Hortus Medicinalis Maria.

87. Idem Richardus lib. 10. vocat Virginem Apothecam Christi medici, qui per MARIAM, inquit, & lignum Crucis venit sanare mundum languidum, qui per Evam, & lignum vetitum ægrotabat. Dici quoque potest Apotheca Spiritûs sancti, in quam descendit Apothecarius idem spiritus, superveniens in eam in Filii Conceptione, qui de purissima ejus substantia unguentum confecit, quando filius DEI totum suscepit, quod est hominis, & in assumptam naturam plenitudo divinitatis corporaliter se infudit, sine qua vulnera humani generis curare fuit impossibile.

Apotheca Christi Medici MARIA

88. Denique Joannes Damascenus orat. 1. de Nativit. B. Virginis, ut ostendat præsentissimum omnium humani generis morborum remedium esse Deiparam, vocat illam probaticam piscinam, de qua S. Joannes cap. 5. *Erat*, inquit, *Hierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens, in ea jacebat multitudo magna languentium, cœcorum,*

Piscina Probatica Maria, quæ omnes humani generis morbos curat.

rum, claudorum, aridorum. Omnes ergo infirmi, his aliisque gravioribus ægritudinibus detenti ad Virginem tanquam ad longè excellentiorem probaticam piscinam recurrant, certóque sibi persuadeant, se pristinam incolumitatem tantæ Virginis patrocinio, effusissimáque pietate consecuturos. Præclarè enim asseveravit S. Bernardus Serm. de Verbis Apoc. *Omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant Universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam.*

89. Quàm porrò in suis medicinis Virgo nostra efficax esse consueverit, declaravit Cæsarius lib. 7. cap. 15. *Medicina*, inquiens, *B. Virginis nihil est efficaciùs, nîl salubriùs, utpote quæ nobis tam præstantem, omnisciúmque Machaonem, verum DEUM hominémque generavit.*

90. Quare Albertus Magnus & S. Antoninus Par. 4. tit. 15. cap. 19. §. 5. docet Virginem beatissimam gratiam sanitatum a Deo accepisse, ad curandum infirmos non medicina naturali, sed virtute Divina. Hac gratia sanitatum copiosè repleta fuit B. Maria; Et licèt non legatur de aliquo in vita ejus sanato, post mortem tamen quàm innumeros variis atque incurabilibus languoribus detentos ipsa curaverit, vel in hodiernum usque diem curet, Ecclesiæ in ejus honorem constructæ, plenæ imaginibus ipsas sanitates prædicantibus, satis edocent. quod minimè nobis mirum videri debet. Ipsa enim totum hominem sanavit in anima & corpore, per benedictum ventris sui fructum. Unde dicitur Eccl. 48. *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Nebula ista est caro Christi de terra Virginali exorta, nullo peccati pondere prægravata, ultra Angelorum puritatem elevata, calore Spiritûs sancti efformata. De hac nebula cantat Ecclesia: *Ecce video DEI potentiam venientem, & Nebulam totam terram tegentem, &c.* & de hac medicina à B. Virgine nobis facta, nobisque proposita totus mundus sanatus est virtualiter.

Quod B. V. innumeros curaverit testantur templa, plena imaginibus ipsas sanitates prædicantibus.

91. Quæ sanitas mundo reddita, figurata fuit in ægrotante Ezechia, cui in pristinæ valetudinis recuperatæ signum, sol in horologio Achaz ut habetur 4. Reg 20. retrocessit decem lineis. Quid enim horologium hoc significat aliud, eodem Antonino teste, quàm Deiparam Virginem, in quam velut decem lineæ novem Angelicarum Hierarchiarum, humanæque naturæ perfectiones omnes confluxêre? Quid sol decem retrocedens lineis, Regémque sanans denotat aliud, quam sempiternum illum Justitiæ Solem, qui uterum Virginis velut admirabile quoddam horologium ingressus, paulò minùs ab Angelis minoratus, quia mortalis factus, formam servi accipiens, habitu est inventus ut homo, retrocessit, & in decima naturæ humanæ eam sibi hypostaticè uniendo, subsistens linea, Ezechiæ, mundum protoplastorum scelere ægrotantem repræsentanti, pristinam sanitatem restituit? Unde S. Antoninus mysterium hoc admirabile, ubi attentiùs fuisset contemplatus, exclamavit: *O quantæ virtutis opus! DEUS factus est homo, ut homo fieret DEUS, cæcus illuminatus, mortuus resuscitatus, infirmus sanatus per Virginem MARIAM.*

In ægrotante Ezechia, & Horologio Achaz exprimitur virtus B. V. curandi omnes mortalium morbos.

92. Porrò licèt in primo immaculatæ Conceptionis instanti gratia hæc sanitatum Virgini nostræ cum reliquis Cœli donis copiosissimis fuerit concessa, illam tamen, antequam Filium Dei conciperet, exercuisse minimè constat, *cùm*, ut docet P. Franciscus Suar. Tomo 2. in 3. Par. Disp. 20. Sect. 3. *illud tempus non fuerit visum opportunum ad hujus-*

Licèt in primo Concept. Immaculatæ instanti B. V. gratia sanitatum cum reliquis cœli donis fuerit concessa, illam tamen antequam Dei Filium conciperet exercuisse non constat.

hujusmodi gratiam exercendam : quia neque ad Doctrinam confirmandam erant necessaria, nec merita sanctitatémque Virginis oportebat tunc per miracula manifestari.

In Cana Galilææ Miraculum factum ad Intercessionem B. V.

93. Censet tamen idem Suarez à Conceptione DEI Filii usque ad ejus in Cœlos ascensionem, licèt per se nulla publica miracula Virgo perpetraverit, perpetrâsse tamen dici posse interdum per filium, insigni fide, ac impetratione sua Ut videre licuit in nuptiis Canæ Galilææ, cùm aqua in vinum mirabili metamorphosi, sola illa brevi insinuatione: *vinum non habent*, transmutata est.

94. Docet denique post Christi ascensionem verisimile esse, B. Virginem multa miracula perpetrâsse, vel multis sanitatem præbuisse; quia licèt ad eam non pertinebat publicè concionari, vel fidem persuadere, tamen ad magnum Ecclesiæ bonum, profectúmque pertinebat, quòd agnosceretur, & coleretur ut Mater DEI. Quod totum in Christi Domini manifestationem redundabat, & fidem in ipsis confirmabat. Atque ita non fuit præter statum & conditionem Virginis, ut eo tempore miracula faceret, & insignia beneficia hominibus conferret, quibus eorum fides & devotio augeretur. Unde B. Andreas Cretensis Episcopus orat. 2. de Dormit. B. V. gratiam hanc sive virtutem miracula perpetrandi admiratus, postquam dixisset: quod ita viveret, & non haberet omnino easdem, quas nos proprietates; habebat enim propria illius, quæ cum DEO ipsi intercedebat, propinquitatis; tum ut ostendat Divinum quid in operandis miraculis in ea refulsisse, subjungit: *Quid enim ex iis, quæ sunt longè maxima, non processit in ea cum maximâ virtutis abundantiâ? quid verò ex iis, quæ spectant ad ostendenda miracula, non productum est admirabile? adeò ut omnium miraculorum, quæ quomodocúnque facta sunt, aut fiunt, eam esse effectricem in omnium resonet auribus.* Hinc Pelbartus lib. 7. stellarii par. 3. art. 3. ad finem narrat ex sancto Germano varia miracula, quæ Virgo, dum adhuc inter mortales degeret, designavit.

95. Expertus est inter reliquos Deiparam medicinalem esse Cedrum B. Sylvanus sancti Bernardi Discipulus: Et B. Richardus de Alduera epist. de Viris SS. Ordinis Cisterc. hæc memoriæ commendavit: *Adeò magnam perfectionem acquisivit, ut plurimas revelationes, & beneficia à Beatissima Virgine MARIA Matre nostra, & hujus Ordinis Advocata acceperit.* Huic, cùm quadam die ob continuas vigilias, & mentales orationes pectore & capite laboraret, sereno vultu apparuit, tangénsque eum sacris manibus debilia membra pristino vigori & sanitati restituit. Redi, inquiens, in te fili mi Sylvane, & meum hunc in te favorem, quem tibi exhibeo, novis operibus gratificare.

B. Sylvanum visibiliter B. V. sanavit.

96. Expertus est B. Bonifacius Episcopus, postea Cisterciensis Monachus Deiparam medicinalem esse Cedrum, qui sæpè à B. V. & aliis cœlitibus visitari meruit, imò & ipsum puerum JESUM amplecti. Cùm enim, ut ejus in vita legitur cap. 7. ægrotaret aliquando in Natali Domini, & ad vigilias cum aliis surgere non valeret, & super lectulum suum tristis, & mœstus jaceret, Virginíque Beatissimæ de hac sua invaletudine conquereretur, mox illi se se visendam piissima Mater exhibuit, portans in ulnis suis desideratum gentibus, panniculis involutum, posuítque illum super ejus lectulum: Infans illico protraxit manus fasciâ obvolutas, sustulitque telam de facie sua, ostendere ei volens pulchritudinem fa-

B. Bonifacium Cisterciensem Monachum B.V. visibiliter sanavit.

faciei suæ, quam universa terra videre desiderabat. Qua cœlesti venustate summopere delectatus Bonifacius, JESUM ita allocutus fuisse memoratur: *Si nihil aliud esset in Paradiso, nisi facies ista benedicta, dignum esset pati omnes tribulationes, ut tuam hanc faciem gloriosam intueri valeremus.* Et confestim pristinæ valetudini restitutus est. In Menol. 19. Feb.

Cedrus enodis B. V. in qua nec nodus Originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.

97. Quid denique de illa Cedri proprietate, qua enodis esse dicitur, dicam? nodositas apud sanctos Patres peccatum, ac præsertim originale denotat. Sic S. Ambrosius: *hæc est Virga in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.* Sic B. Petrus Card. Damianus Ser. de Annunc. *Germinat igitur Virgo Jesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore, in altitudinem, & rectitudinem erumpens omnem ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit, infructuosa quæque non habet.* Quam sententiam piissimus in Virginem Cardinalis à D. Hieron. in 10. Caput Ecclesiast. versu 17. videtur mutuatus. Ubi enim verba hæc exponens; *Beata Terra, cujus Rex nobilis est*, seu ut legit ipse; *cujus Rex filius ingenuorum est*; ita loquitur: *Beata terra Ecclesiæ, & multò magis dixerim terra Virginea, cujus Rex est Christus filius ingenuorum, de Abraham, Isaac, & Jacob, Prophetarum quoque & Sanctorum omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerunt liberi, ex quibus nata est Virgo liberior S. Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere, sed totus fructus ejus erupit in florem illum loquentem*, in Cantico Cant. 2. *Ego flos Campi, & Lilium convallium.* Quibus verbis Virginis nostræ ab omni peccato tam originali quàm actuali perpetua immunitas declaratur. Licèt enim ipsius Avi, Atavique dominium in se peccati nunquam passi sint diuturnum, eò quòd & ab originali & actuali mox se se liberare sint conati: Virgo tamen gloriosissima nec Adæ originali maculâ, nec ullô aliô vel levissimô actualis peccati nævô fuit ullo unquam tempore contaminata; jure meritò nobilior, ac liberior suis progenitoribus, velut virgula enodis, nullum alium fruticem germénque ex latere producens prædicatur. Unde ob tam eximiam, liberrimámque ab omni vel minima labe, nodóve animi rectitudinem ac puritatem, digna habita fuit, quæ germen illud Domini in magnificentia & gloria, florem illum de radice Jesse ascendentem, super quem requievit Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus Consilii & Fortitudinis, &c. germinaret.

98. Quid jam de Cedri dicemus æternitate? Certè Plinius de hac arbore loquens, déque ejus materia: *materiæ ipsi*, inquit, *æternitas scilicet inest: Itaque & simulachra Deorum ex ipsa factitavere.* Unde veteres, cùm quid æternâ memoriâ dignum exprimere volebant, Cedro dignum esse dictitabant. Hinc Persius Satyricus: *Cedrô digna locutus.* Horatius in arte Poëtica:

Cedrus æterna, hinc deorum simulachra ex Cedro fieri consuevêre.

Speramus Carmina fingi
Posse linenda Cedro, & levi servanda
Cupresso.

99. Hinc memoriam Virginis Deiparæ S. Evangelista ipsius studiosissimus Lucas æternam esse, in quam plurimas sæculorum myriades, medullitus desiderans, effigiem illius, quæ in sanctissima Lauretana asservatur æde, è Cedro, ut ipsemet vidi, exsculpsit. Hoc ipsum ipsa Virgo nobis insinuare visa est, cum dixit Eccles. 24. *Memoria mea in generationes sæculorum.*

B. V. Imaginem S. Lucas Evang. è Cedru expulsit.

100. Porrò sicut de beata hujus Virgineæ Cedri æternitate, alíisque divinissimis ejus privilegiis, quia nemo mortalium hactenus, sed nec An-

Angelorum digna pro eorum videlicet dignitate est meditatus; sic dicere verè possumus: *Nemo Cedro hac digna locutus.* Certè Divus Anselmus licèt hujus Virginis gloriosissimæ semper fuerit amantissimus atque addictissimus, totúmque se in ipsius excellentia declaranda impenderit, beatam tamen ipsius æternitatem, felicitatémque se se nequaquam sufficienter declarâsse, nec hac æternâ Cedrô digna locutum censuit, cum dixit cap. 8. *De Excellentia B. V. Quid ampliùs dicere possum Domina? Immensitatem quippe gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ consi-derare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit.* Agnovit se Cedrô hac Virgineâ digna loqui non posse illud ingeniorum miraculum Augustinus Serm. de Assumpt. *Sed quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in ejus laudibus referemus, cùm, etsi omnium nostrûm membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior Cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur.* Tum nonnullis intercalatis, ut penitus ostendat se hac Cedrô digna loqui non posse, hæc attexit: *Sed quid dicam pauper ingeniô, cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur? si Cælum te vocem, altior es, si Matrem gentium dicam, præcedis, si formam DEI appellem, digna existis; si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse comprobaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam, cùm non sufficit lingua carnis tuas enarrare virtutes?* Missos facio viros quàm plurimos & pietatis, & sapientiæ gloriâ celeberrimos, qui hac Virginali Cedro se digna minime loqui potuisse ingenuè fassi sunt. Unde cùm viri tam illustres ingenio suo tantopere diffidere visi sunt, mihi omnino in Cedri hujus laudibus meritò conticescendum, & devoto silentio tantæ Virginis mysterium venerandum.

Nemo Cedro Marianâ digna eloqui valet, ut testantur SS. Patres.



DISCURSUS QVINTVS.

MARIA CYPRESSUS PARADISI.

Et quasi Cypressus in Monte Sion. Ecclesiast. 24.

Cypressi prima proprietas altitudo & rectitudo.

I. Ariæ æque laudabilissimæ suntCypressi seuCupressi proprietates, quæ omnes aptissimè Virgini Deiparæ congruunt. Inter has est altitudo, ac rectitudo, quæ sublimitatem mirificam meritorum Virginis, ejusdémque super omnes Angelicas Hierarchias, reliquósque Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis sanctos ac sanctas, eminentissimam sanctimoniam repræsentat. Hanc enim ob causam exaltatam se quasi Cypressum in Monte Sion, qui apud sanctos PatresEcclesiam denotare consuevit, deprædicat. Hinc venerabilis Richardus à S. Laurentio lib. 12. *Mons Sion, inquit, Ecclesiam significat militantem, in qua DEUS videtur per speculum in ænigmate: Sion enim speculum, vel speculam significat.* Notat etiam triumphantem Eccle-

Per Montem Sion utraque Ecclesia denotatur.

 siam,

siam. Exaltatur in Monte Sion B. V. in eminentia videlicet utriúsque Ecclesiæ, ut ipsa testata est: *Beatam me dicent omnes generationes* Angelorum & hominum videlicet. Hinc Bernardinus Bustius Ord. Seraph ob eminentiam hanc super omnem sub DEO Creaturam, ait, de Virgine dici posse, quod Siradices Eccl. 50. de Simone Sacerdote pronunciavit: *quasi Cypressus in altitudinem se extollens.*

Per Cypressum in Monte Sion, sublimitas B. V. super omnes homines & Angelos denotatur.

2. Quòd si Cypressus per se arbor est sublimis, & altitudinis planè singularis, quam tandem ejus proceritatem esse nobis persuadebimus, si eandem in editissimo quopiam monte plantatam esse imaginemur? Mira sanè est altitudo Virginis nostræ gloriosissimæ, quòd inter omnes natos mulierum, inter omnes puras Creaturas, nulla peccati originalis in primo suæ Conceptionis instanti maculâ fuerit aspersa. At longè major Cypressi hujus Virgineæ altitudo, omnibus gratiæ cœlestis monilibus, charismatúmque Spiritûs sancti ornamentis decorata, totiúsque Universi Regina effecta, super omnes Hierarchias Angelicas, atque adeò super omnem Creaturam, velut altissimos montes, eximiis suis meritis ac prærogativis evecta est. Tunc enim verissimè Cypressus hæc Virginea, in primo suæ immaculatæ Conceptionis instanti, in altitudinem se extollens in Monte Sion, super Ecclesiam militantem ac triumphantem sublimata, caput inter nubila condidit, & ad instar cujuspiam orbis Dominatricis Romæ, ut latinus concinit Poëta Ecloga 1.

Hæc tantum alias inter caput extulit Urbes,
Quantùm lenta solent inter viburna Cupressi.

3. Virgineæ hujusce Cypressi proceritatem gratiarum, meritorúmque super omnes cœlites præstantia constantem, contemplatus est idem Bernardinus Bustius Par. 11. Marial. Ser. 2. ubi, cùm omnes beatorum Civium ordines, Angelorúmque Hierarchias, Virginem in Cœlum proficiscentem, ad se invitantes introduxisset, & ad Seraphinorum Chorum Divinæ Majestatis Throno proximum pervenisset, sic gloriosissimam suam hanc, reliquorúmque Angelorum Commilitonum Reginam alloquentes introducit. *O Virgo Beatissima, tu nôsti, quòd nos Seraphim ardentes appellamur, eòquòd inter nos & DEUM nulli alii intersunt; & ideò quantò ei vicinius collocamur, tantò magis charitate Divini luminis accendimur, & tantò majori charitate illustramur, quantò ardentiori motu dilectionis intimæ inflammamur: Unde proprium nostrum officium est charitate & dilectione ardere. Tu verò super omnes homines charitate DEI & proximi exarsisti, observans illud, quod de te in figura dictum fuit à Domino.* Exod 27. *Ardeat lucerna semper in tabernaculo.* Et illud Levit. 6. *Ignis in altari meo semper ardebit. Mane igitur in ordine hoc nostro, in quo omnes ordinum inferiorum perfectiones reperiuntur, siquidem tu omnium beatorum spirituum proprietatibus, perfectionibúsque prædita fuisti, quas omnes in humani generis emolumentum impendisti. Esto igitur Tabernaculi nostri habitatrix O sancta DEI Mater, & omnium, O sacra Virgo Virginum, O sanctissima Mediatrix DEI, & hominum, O Domina & Regina Cælorum, O Imperatrix exercituum Cunctorum Angelorum! Verè decet te, ardore & incendio charitatis ferventissimam, in supremo hoc ordine nostro nobiscum residere, ut tuo felici consortio perfruamur.* Cui tam benignæ amantíque invitationi ita Virginem respondentem proponit: Valde mihi complaceo, summéque de vestro Divino ardore congratulor. At altiùs me ascendere con-

Omnes beatorum Civium ordines, Angelorúmque Hierarchiæ B. V. assumptam alloquuntur.

convenit, quia vos in amore superavi: si enim ab omnibus amandus est Deus, multò certè magis ab illa, cujus ipse est filius. Mirum autem non est, si ego Mater Dei plùs Filium meum diligam, quàm alii ejus subditi, ut estis vos, reliquique Angeli; Ego enim Mater pulchræ dilectionis sum. Ad hoc impleri debet Scriptura Gen. 2. ubi Deus ipse sic loquitur: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Cùm ergo omnes tam sancti quàm sanctæ vobiscum, reliquisque ordinibus inferioribus associandi sint, & Filius meus, Deus & homo super omnes Angelicos ordines elevatus, quoad humanitatem Societate careat, decet me, quæ ipsi in mundo fui in tribulationibus socia, sim etiam in consolationibus. Et sicut ille in Cœlos ascendit, *ut appareat vultui DEI pro nobis.* Heb. 9. Ita quoque mihi ascendendum est, ut appaream vultui ipsius filii pro peccatoribus, atque ita humanum genus semper ante faciem Dei habeat adjutorium simile Christo ad suam salutem procurandam. Ascendam igitur super vos ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum: ipse enim me vocat: veni dilecta Mater mea, veni charissima Genitrix mea, & ponam in te thronum meum. Concludit tandem: *Meritò autem Beatissima Virgo omnes Angelorum ordines transcendit, quæ omnes eorum perfectiones excellentiori modô possedit:* Unde Albertus: *Patet ergo qualiter Beatissima Virgo omnes proprietates Angelorum habens, super omnes Angelos, omnésque Hierarchias est exaltata, ita ut singulorum, & omnium proprietates ac dona ipsa sola universaliter, & singulariter in Summo possederit universa.* Sic ille.

Sion, ut interpretatur Lyranus, sonat acervum.

4. Quòd si Sion, ut interpretatur Lyranus, sonat acervum, facilè intelligemus Virgineam hanc Cypressum super omnes Sanctos, qui triticea quædam grana sunt, quæ simul unita Ecclesiæ, unitate ingentem quendam acervum Cœlos attingentem efficiunt, supra quem tamen mirifica Celsitudine eminet Virgo, & caput inter Sydera condit; siquidem purissimus ejus venter ob cœleste granum illud frumenti, Virgines germinantis, in se receptum, factus est acervus tritici, vallatus Liliis ob innumeram filiorum spiritualium multitudinem, quos unà cum Christo eorum capite generavit; quorum, cùm Mater sit ac Domina, meritò in Monte Sion, qui acervum, uti dixi, sonat, exaltata dicitur. Hanc crediderim ob causam grano Divini frumenti fœcundatam, in montana mox cum festinatione abiisse Virginem, ut se Electorum omnium, quos velut acervum tritici uterô cum filio gestabat, Reginam adeò eminentem esse ostenderet, perinde, atque dum in illis montanis salutatura Elisabetham constiterat. Tunc enim ob eminentissimam, qua in Deum, proximúmque super omnes etiam Seraphinos flagrabat, charitatem, utpote ipso, Deo, qui substantialis est charitas, repleta, Cypressus verè in Monte Sion exaltata visa est. Hæc substantialis chariras, cum personali, quæ Spiritu S. est Sociata, quasi additis alis cum festinatione, ipso Conceptionis videlicet puncto, omnes non modò Sanctos, verùm etiam Angelos velut excelsissimos montes charitate, reliquisque virtutibus superavit.

Acervus Tritici vallatus Liliis Maria

Per montana festinans salutatura Elisabeth, Cypressus in Monte Sion exaltata visa est Maria.

5. De hac Virginis super omnes cœlites exaltatione præclarè cecinit Prosper Martinengius Benedictinus in sua Parthenodia, ubi eandem Cypresso contulit:

De exaltatione B.V. super omnes cœlites præclarè cecinit Prosper Martinengus.

Nec quidem proceritatem præteriisse convenit

Arboris sacræ, sub æthram quæ cacumen porrigit,
Quando sese Sponsa tali comparat fastigio.
Haud secus sublimis evasi, infit, ac nulla in Sion
Prominet diva Cupressi planta acuto vertice.
Quod quidem dictum esse constat omnibus verissimum.
Nam decus Divæ nitentis, gloria est ineffabilis,
Fulgidum chorum antecellit Civium Cœlestium.
Vincere ut solet Cupressus Celsa Viburnum breve.

Cypressi altitudo mentis Virgineæ elevationem in DEUM significat.

6. Quodsi Cypressi altitudinem hanc mentis Virgineæ, à terrenis ad contemplanda cœlestia elevationem esse dixerimus, intelligemus profectò, arbore hac aromatica eminentissimam Deiparæ contemplationem designari, in qua ipsa à primo suæ immaculatæ Conceptionis momento, in utero adhuc matris, dum beatifica DEI visione digna exstitit, sese exercere cœpit.

B.V. in utero Matris Canticum: Magnificat meditata fuit.

7. Hinc Theodoretus, ut alibi diximus, censet Canticum illud suavissimum Magnificat in Matris utero fuisse meditatam, & utriúsque vitæ tam activæ, quàm contemplativæ jecisse fundamenta. Non enim sat erat Virgini DEI magnalia attributáque potentiæ, sapientiæ, bonitatísque mente sua agitare, verùm cùm in Verbo, velut in speculo, humani generis calamitates atque ærumnas, multorúmque hominum æternam perditionem prævideret, animitus angebatur, precibúsque Divinum Numen assiduis fatigabat, ut ab æviterna damnatione eos præservaret. Crediderim etiam eam quàm citissimè ex maternis illis claustris erumpere cupivisse, ut occasionem pro animabus illis benè operandi, & verbo & exemplo, aliísque corporis afflictationibus eas sublevandi inveniret.

8. Has postmodùm vitæ tam contemplativæ quàm activæ exercitationes Virgo nostra, hìc nobiscum dum vixit, magno Spiritûs fervore prosecuta est, ut filio suo dilectissimo se se conformaret, ejusdémque actiones æmularetur. De hoc vitæ mixtæ genere præclarè B. Petrus Cardin. Damian. Serm. 1. de Nat. B. V. qui Throni Salomonici Virginem figurantis exponens Mysteria! *Porrò duæ manus*, inquit, *hinc & inde tenentes sedile, Activam & Contemplativam vitam significant, quæ Matrem Virginem propensiori diligentia ambierunt, adeò, ut nec actio contemplationem minueret; & contemplatio non desereret actionem. Recordare, quòd non erat ei locus in diversorio, & quomodò filium suum propriis uberibus lactaverit, & omnes denique vagientis parvuli sustinuerit actiones; & tunc intelliges, quia plurimùm ministravit. Considera quia ipsa est, quæ in contemplativæ dignitatis supervecta dulcedinem, in ipsius DEI substantiam lucidiores infixit obtutus: læva*, inquit, *ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. Sic ille.

Throni Salomonis duæ manus hinc inde tenentes sedile, activam & contemplativam vitam B. V. figurarunt.

9. Infixit verò Virgo nostra, tanquam regalis illa avium Regina magnarum alarum Aquila, clarissimum sui intellectûs in Divinam essentiam velut sphæram solarem sæpiùs dum in hac vita moraretur, ut alibi fusiùs ostendimus, obtutum, quô tantis irradiata est anima ejus fulgoribus, tantis ejus cor divini amoris exæstuavit ignibus, ut identidem illud Davidicum ingeminaret Psal. 22. *Quid mihi est in Cœlo, & à te, quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum DEUS cordis mei, & pars mea in æternum.* Ardor hic eam in verba illa prorumpere subinde cogebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Filiæ Hierusalem nunciate Dilecto meo, quia amore vulnerata sum.* Nec sanè mirum, Nam S. Bernard. Se-

Beatissima Virgo, velut aquila continuò Divinum solem intuita, etiam in somno à contemplatione non desistebat.

Senensi teste To. 1. Serm. 51. art. 3, cap. 2. *Mens Virginis in Ardore contemplationis continuò tenebatur, adeò, ut nec quidem cùm somnum caperet, ab ea desisteret.*

10. Et hoc est, quod illa indicare voluit, cùm in Cant. 5. modulabatur. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Licet enim naturaliter simul & semel somnus, & vigilia in homine aliquo esse nequeat, virtute tamen Divina exstitit in Virgine: etsi enim sopor sensus externos internósque sopiret, intellectus tamen ejus animúsque vigilabat; siquidem, ut docuit Suarez, operabatur independenter & absque conversione ad phantasmata: unde eveniebat, ut quamvis assiduè contemplationi attentissimè intenderet, nullam tamen lassitudinem experiretur.

Etsi sopor sensus externos, internósque sopiret, intellectus tamen B.V. animúsque vigilabat.

11. Miraculosæ hujus vigiliæ somno consociatæ meminit S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus: *Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit, & tamen cùm quiesceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somnô interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat.* Unde Dionys. Carthusianus cap. 18 in Cantica Verba illa Virginis ponderans: *Hoc, inquit, præclarissima Sponsa Verbi æterni sanctissima Virgo, præeminenter dicere potuit, quia contemplatissimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu omni inordinato strepitu & cura superflua, atque inquietudine culpæ penitus abstinens & sopita, vigilantissima mente DEO vacavit, pro Ecclesia exoravit, actibúsque virtutum in termino excellentiæ perfectissimis jugiter fuit intenta: Denique in somno corporali cor ejus pervigil fuit: & ex assidua assuefactione perfecta insistendi Divinis ex ardentissima & exercitatissima charitate, ex splendidissima & exuberantissima sapientia sibi infusa, & Contemplatione in vigiliis pene, aut prorsus pene, aut prorsus continuè etiam tempore somni, vigili corde fuit DEO conjuncta, & pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessat.* Sic ille.

B. V. in ipso somno vigilabat pro Ecclesia Dei.

12. Contemplatione hac ad tantam Divinæ Majestatis cognitionem pervenit, ut humanæ menti fuerit incomprehensibilis. Hinc sæpè citatus Bernardinus de Bustis 3. Par. Marial Ser. 1. punc. 3 *Potentia intellectualis postquam intellexit sublimia, faciliùs intelligit infima: & ideò B. Virgo, quæ ad tantam cognitionem DEI fuit sublimata, ut à nullo intellectu creato comprehendi potuerit, non solùm excessit in lumine intellectûs omnes homines, sed etiam, dum erat in ventre matris.* Quod ex S. Bernardino Senensi comprobat, qui Tomo 2. Serm. 51. art. 1. cap. ita loquitur: *Somnus, qui abyssat, & sepelit in nobis rationis & liberi arbitrii actus, & per consequens actum merendi, non credo, quòd talia in Virgine fuerit operatus, sed anima ejus liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in DEUM. Unde eo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm unquam fuerit aliquis dum vigilavit. Unde ipsa: Ego dormio, & cor meum vigilat, in contemplatione videlicet perfecta à nulla actione debilitata.* Hæc Bernard.

B. V. perfectior contemplatio in somno, quam quiscumque alius vigil.

13 Et licèt Virgo nostra, uti dixi, à primo Conceptionis suæ purissimæ puncto, velut Cypressus in altitudinem contemplationis se se extulerit, extulit tamen vel maximè in Verbi Divini Incarnatione, quo tempore, & imposterum, semper dum vixit, & contemplativæ & activæ vitæ mirificis operationibus ei sedulò deservivit.

Quamvis à primo Conceptionis immaculatæ instanti contemplationi intenta fuerit B. V. vel maximè tamen Incarnationis tempore illi dedita fuit.

14. Affectus hos ardentissimos, pietatísque plenissimos S. Amadeus in Virgine agnoscens, nec eos comprehendere valens Hom. 3. in Laud. B. V. eos sibi ab illa indicari desiderans, ita eam affatur: *Rogamus Domina DEI Mater dignissima, non asperneris petentes cum tremore,*

quærentes ex pietate, pulsantes cum charitate: rogamus quo affectu movebaris, quo amore tenebaris, quibus stimulis agitabaris, cum hæc fierent in te, & Verbum carnem susciperet ex te? ubi erat anima tua, ubi cor, ubi mens, ubi sensus, ubi ratio? ardebas ut rubus, qui olim ostensus est Moysi Exodi 3. *& non comburebaris; liquefiebas, & non consumebaris; ardebas liquefacta supernis ignibus, liquefacta in igne vires resumebas ab igne, ut semper arderes, & interim liquefieres.*

Incarnationis tempore ardebat ut rubus B. V. divino amore, & non consumebatur.

15. *Ignis ille rorem luminis exhibuit, ros luminosus unctionem præbuit, unctio semen sanctum præstitit. In quo repromissum est Abrahæ, quòd in eo benedicerentur omnes gentes. Hæsisti enim Virgo pulcherrima strictis amplexibus Auctori pulchritudinis, & effecta plùs Virgo, imò plùs quàm Virgo, quia Mater & Virgo, hoc sacrosanctum semen Deifica infusione suscepisti: Ave igitur gratia plena, &c.*

Operationes mentis Virgineæ eminentissimæ editô ex utero Salvatore.

16. Hom. verò 4. easdem vitæ mixtæ admirabiles, in lucem de Virginis purissimo utero jam edito Salvatore prosequitur operationes eminentissimas, Cypressinam sublimitatem excedentes: *Cùm igitur,* inquit ille, *natum repromissum edidisset, diem ex die, in diem nostrum peperisset, conversa ad DEUM toto corde vocem gratiarum, & laudis suæ auditam fecit in excelso; obtulit acceptum labiorum sacrificium, & hostiam jubilationis immolavit, & dedit holocausta cordis pacifica, & thus odoris suavissimi in incensum Domini adolevit. Accipiens verò natum Emanuel, aspexit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, sensitque ignem aquis inestinguibilem: Suscepit in testa carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia, & Verbum universa portans portare meruit inter brachia. Repleta igitur scientia Domini, velut aqua maris inundantes rapitur extra se, & mente sursum elevata, altissimâ cogitatione defigitur. Miratur se Virginem assumptam in Matrem, & DEI Genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, & Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci præconabantur, & ortum ejus votis omnibus respectabant. Videt DEI filium sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentem Dominum DEUM: Ecce elegi te ex omni carne & inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendavi tibi filium meum, commisi tibi unicum meum. Noli timere, lactare, quem peperisti, agnosce non solùm DEUM, sed & Filium. Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex Divinitate, Filius tuus ex assumpta humanitate. Quo igitur affectu & studio, quâ humilitate & reverentiâ, quâ dilectione & devotione id explêrit, hominibus incognitum est, & DEO cognitum, qui renum & cordium est scrutator, DEO cognitum, qui spirituum ponderator est.*

17. Prosequitur inde actiones obsequiáque Virginis, Dei Filio infantulo exhibita miris, altissimisque contemplationibus sociata, quæ revera illam simul & vigilare atque agere, & dormire ac in Deo conquiescere indicant: *sæpè ut credimus,* inquit ille, *oblita esûs ac potûs*, spretáque carnali necessitate noctes insomnes agebat, ut secum mente cogitaret Christum, carne videret, cujus ardebat desideriô, cujus flagrabat obsequiô. Sæpè etiam agebat, quod in canticis scriptum est: Ego dormio &c. Carne quippe dormiens, animo vigilabat, & vigilans in eisden se inveniebat, & artus sopori concedens, in pace, in idipsum dormiens quiescebat. Ubi erat thesaurus ejus, ibi & cor; ubi gloria, ibi & scientia. Diligebat Deum, ac Filium suum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia ex toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; & ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione,

Obsequia & actiones, quos Dei filio infantulo Deipara exhibuit.

ne, & mandatorum omnium executione. Videbat oculis, & manibus tractabat Verbum vitæ: Felix cui præstitum est fovere eum, qui fovet ac nutrit omnia, portare portantem universa, lactare filium, qui lac ipsis uberibus infudit, pascere cuncta pascentem, & escam avibus administrantem. Pendebat in collo ejus Patris Sapientia, & in humeris eius virtus movens cuncta residebat. Stabat in sinu Materno parvulus JEsus, & in gremio quiescebat Virgineo sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite læva dexteráque tenentem, vultu placidissimo Genitricem aspiciebat, quem desiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat Genitricem, quam omnis spiritus appellat in necessitatibus. At illa repleta Spiritu sancto sanctum pectus pueri, suo pectori copulabat, & faciem illius faciei suæ applicabat. Nonnunquam osculabatur manus & brachia, & materna confisa licentia ab ejus ore sacratissimo dulcia oscula carpebat. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat, quem multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire, & non audierunt. Proficiebat igitur magis ac magis in amore, & animus inardescens mente pervigili divinis obtutibus inhærebat. Non labores; non dolores, non discrimina, non penurias, aut necessitates, non formidines, aut mortes, non Regis impiissimi furorem, & fugam reditúmque in Ægyptum, & ex Ægypto pro nati charitate formidabat. Erat gravissima in opere, lætissima in actione, promptissima in obsequio, devotissima in ministerio, & humillima in famulatu: in cunctis prosperè agebat, cuncta strenuè, & sapienter administrabat. Universa humanitatis officia vultu sereno & mente tranquilla percurrit. Nam sicut in Theorica nulli similis exstitit, *sic in activa vita similem non invenit.* Hæc Amadeus.

18. Eundem Canticorum locum ad B. V. derivavit Michaël Ghislerius, qui dein fuit summus Pontifex, dictus Pius V. ex ordine Prædic. ubi ita Virginem de sua altissima contemplatione loquentem introducit: *Dormio ab externis actionibus semota, dormiréque mihi lubet somno prædulci contemplationis, quo & dormio simul, & vigilo, dum vigilat cor meum: ita modò dormio, & cor meum repræsentat mihi Christum Dilectum meum, quem intra se habet.* Et paucis interpositis: *Ego aliquando quietissimo dormiebam somno contemplationis, & cor meum vigilabat dilecti mei ortum mihi repræsentans quasi per somnium; & ecce tibi illa vox dilecti mei pulsantis.*

Canticorum Verba: Ego dormio cor meum vigilat: Optime B. M. applicantur.

19. De sublimissima hac Virginis contemplatione activæ vitæ, operationibus conjuncta S. Ildephonsus Ser. 5. de Assumpt. præclarè disserit, docétque Deiparam in Sororibus Martha & Magdalena fuisse figuratam? quibus præmissis, hæc attexit: *Eja videamus si Domina nostra, imò Domini nostri & DEI Genitrix semper Virgo MARIA utramque vitam ad plenum exercuit, activam laudabilem, quam opere Martha excoluit, & contemplativam optimam, quam MARIA audiendo, & diligendo obtinuit.* Sanè sicut dilectum Domini Joannem Theologum de humanis, & corporalibus actibus Domini JEsu pauca dixisse, & multa de natura Divinitatis ejus, Potentia & Maestate dixisse, & scripsisse cognoscimus, ita Domini Genitricem non adeò fuisse credimus intentam activæ conversationi, quoniam se totam contulit divinæ speculationi. Non enim ad activam ultrà quàm Matrem Domini decuit, se contraxit, sed toto mentis affe-

B.V. in Sororibus Martha & Magdalena fuit figurata.

ctu, ac desiderio ad vitam se contemplativam erexit. Et ne ex toto esset vitæ exors activæ, postquam electa est à Domino, salutata ab Angelo, obumbrata à Spiritu sancto, fœcundata DEI Verbo, exurgens de loco, per iter devium & abrupta montium veniens, ut deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zachariæ vatis ingreditur domum, Elisabeth salutans cognovit in Spiritu in sinum ejus nobile pignus depositum, & in iis paucis, uti diximus, Marthæ complevit actum. Si Martha felix, quæ activæ vitæ præferebat figuram, quantò magìs hæ sanctissimæ, de quibus loquimur, personæ exstiterunt felices, quæ tantorum gaudiorum, ac munerum, meruerunt fieri compotes? Quæ major potest esse felicitas, quàm quòd in Matre Domini, & ut ita dicam, in aula Regali, in aula Virginali fœcunditas regnet, & Virginitas? Quomodò, quantum & qualiter officiis, & obsequiis speculativæ vitæ cum altera MARIA se subdidit, Gabrielis Archangeli in Evangelio profiteatur assertio, quia ad hæc narranda nostræ parvitatis deficit sermo. Unum profectò scimus, quoniam omnis ejus vita, & actio intenta fuit sermoni Dominico. Et sicut de altera MARIA dictum est, ista optimam partem elegit, quia prima omnium fœminarum DEO Virginitatem obtulit, & idcircò promeruit, ut DEI filius Angelo nunciante ex ea corpus nostræ Redemptionis susciperet. Diximus enim eam semper intentam fuisse speculationi divinæ: ubi enim erat Spiritu, cùm venit Angelus? In illo sine dubio Divinæ speculationis intuitu. Quid agebat? sine præjudicio alicujus irreprehensibiliter vivens, ut suæ professionis proprium erat, orabat, legebat. Quomodo orabat? Canticum, quod cecinit tympanizans, & exclamans. Quid legebat? forsan occurrebant ei Divinæ scripturæ testimonia, ad illud ineffabile Sacramentum, quod in ea generabatur, sine dubio pertinentia. Sciebat enim DEI Genitrix, in arcem Divinæ contemplationis assumpta, Davidicis edocta testimoniis, processurum de se Dominum tanquam de thalamo suo sponsum, & ipsum speciosum præ filiis hominum. Non enim dubitabat, ad se pertinere Spiritus sancti illustrata lumine, quod Isajam Prophetam dixisse recolebat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: Et: Egredietur Virga de radice Jesse, &c.* Isa. 11.

20. De hoc denique vitæ mixtæ genere in Virgine nostra tam admirabili nexu sociato, audiamus S. Bonav. in Spec. Cap. 4. *Ecce*, inquit, *MARIA nostra non solùm ore in orationibus, sed etiam corde in sanctis meditationibus indefessa fuit, & sedula: de ipsa enim dicitur: MARIA conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo; atque ita non solùm mentem in Sanctis meditationibus, non solùm linguam in devotis orationibus, sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit.* Unde de illa dicitur: *Mansit MARIA cum Elisabeth tribus mensibus?* Ad quid? Respondet Beda: *ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvencula Ministerium sedula impenderet.*

Cur B.V. tribus mensibus manserit apud Elisabeth?

21. Virgineæ vitæ hujus tam activæ quàm contemplativæ symbola fuere pulcherrima, alæ illæ geminæ Aquilinæ, datæ divinitus Apocalypticæ illi mulieri Virginem nostram repræsentanti: *datæ sunt*, inquit sacer textus Apoc. 12. *mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ.*

Alæ duæ aquilæ Apocalypticæ datæ mulieri B.V. repræsentant

22. Magna verè Aquila est Virgo nostra, Aquila, inquam, illa grandis magnarum alarum apud Ezechielem, ut illam S. Bernardinus Senensis appellat. Ipsa enim præ omnibus reliquis Angelorum, sancto-

cto-

ctorúmque Aquilis, intellectûs sui aciem in Divinam essentiam velut solarem sphæram sæpiùs contemplandam, dum adhuc in hac vita degeret, uti supra memoravimus, defixit. Aquila fuit Joannes Evangelista dilectus ejus filius, sed nec tam magnas alas, nec tam perspicaces oculos habuisse visus est Ezechieli, qui Evangelistas sub mysticorum illorum animalium typo describens: *Facies aquilæ*, inquit, *desuper ipsorum quatuor*: ubi videre est Aquilæ huic epitheton: magnæ: minimè fuisse additum; eò quòd Virgineam aquilam nec activæ, nec contemplativæ vitæ volatu, nec oculorum acie, vel ipse Dilectissimus JESU Discipulus, cui in ultima cœna super pectus Domini recumbenti revelata fuerant secreta cœlestia, superare potuerit. Licèt enim ille tanto favore dignatus fuerit, ut sacrosanctum illud Domini Salvatoris pectus capiti ejus fieret reclinatorium, longè tamen majori favore digna habita fuit Deipara, quæ novem mensibus incarnatum Verbum utero gestans, aureum ipsius reclinatorium, nec non Regius superni Regis filii delitiis affluentissimus esse meruit accubitus. Hic nimirum magnus Dominus, & laudabilis nimis, cujus magnitudinis non est finis, cujus immensitatem tota cœli terræque comprehendere nequit Creatura, Aquilæ huic magnitudinem illam admirabilem, quâ non modò Evangelistas, sed & Angelos, & universam transcendit humanam naturam, indidit, unde Magistra Evangelistarum, Illuminatrix Apostolorum à SS. Patribus est appellata.

Quâ ratione B. V. totum vitæ spatium contemplationi & actioni impenderit.

23. Qua porrò ratione totum vitæ suæ spatium hisce duobus vitæ generibus Virgo nostra impenderit, descripsit Jacobus de Valentia Episc. Christopolit; in Cant. B. V. *Post obitum Josephi, & post Christi ascensionem, vivendo in statu viduali, exemplô vitæ & doctrinæ alios docebat.* Unde totum spatium temporis ab Ascensione Christi usque ad obitum suum Virgo MARIA distribuebat in duas partes. In una enim parte occupabatur in vita activa, eleemosynas largiendo, jejunando, loca sancta quotidie visendo. In alia autem parte temporis occupabatur circa vitam contemplativam in orationibus, ac meditationibus rerum divinarum, puta mysterium Incarnationis, & Conversationis Christi in hac vita, nec non mysterium Redemptionis nostræ, gloriam Filii sui, & omnium beatorum, quorum societate frui desiderabat, meditando. In qua quidem contemplatione sæpè consolabatur familiari Angelorum consortio, ac colloquio, & sæpè rapiebatur in Spiritu magis, quàm Magdalena usque ad tertium Cœlum. Et sic Virgo MARIA in vita activa meruit super omnes activos, & in contemplativa super omnes contemplativos. Ultimò autem meruit in suo obitu super omnes ab hoc sæculo discedentes, quia majori cum charitate discessit, & cum majori desiderio cupiebat dissolvi, & esse cum Christo.

Privilegia & dignitates B. V. in hac vita.

24. Idem privilegia, & dignitates Virginis describens, activam esse docet, quòd præ cunctis cæteris fuerit Christi singularis, & familiarior Ministra, Cubicularia, & Secretaria, opera vitæ activæ ab ineunte ætate circa DEI Filium exercendo. Ex quibus actionibus ille summam Virginis colligit esse dignitatem. Ille enim in domo Regis præ cæteris magis habetur dignus honore, qui familiariùs ministrat, & servit Regi, diutiùs cum eo manet, & conversatur, quales sunt Camerarius, sive Cubicularius, & Secretarius. His

enim Rex majora signa amoris ostendit; quia illis sua secreta & arcana concredit, atque commendat. Cùm igitur Virgo MARIA præ cæteris diutiùs, familiariùs, & laboriosiùs Christo ministraverit, serviverit, cúmque ipso conversata fuerit, consequens sanè est, quod præ cæteris laude, honoréque digna exstiterit.

25. Quod porrò Virgo præ cæteris Christo diutiùs, ac familiariùs ministraverit, manifestum evadit, si totum ipsius vitæ decursum consideremus. Nam sicut in ipsa citiùs quàm in cæteris, in utero nempe Matris ipso primo Immaculatæ Conceptionis momento, usus liberi arbitrii exstitit; ita citiùs cœlestia contemplari, DEO servire, ac ministrare cœpit, tertiô nimirum ætatis annô, quô ad DEI servitium in templo fuit præsentata ac dedicata. Ibi enim cum cæteris Virginibus orationi, ac contemplationi jejuniisque vacans, in illa habitatione sancta Coram Domino ministravit usque ad suam desponsationem. Idem factitavit vivens cum suo Sponso Joseph. Sed multò familiariùs, accuratiúsque Christo post Incarnationem ministravit, quia ipsi carnem de propriis sanguinibus ministravit, communicavítque; novem item mensibus in utero suo purissimo aluit, & nutrivit natum, proprio suo lacte lactavit; ipsa eundem propriis manibus lavit, vestivit, induit, & exuit, pannis involvit, & in cunas reposuit, omniaque ejus secreta noverat. In pueritia postmodùm pane cæterísque bonis ad vivendum necessariis acquisitis, ipsum alebat, unde in omnibus ipsius ministeriis, ac peregrinationibus illi comes fuit, ut ipse fusiùs prosequitur, &c. ex quibus vitæ activæ tam sanctis ipsi DEO exhibitis operationibus, quasi pennis quàm altè in Cœlum super omnem Creaturam evolaverit, quæ mens capere, quæ lingua edicere audeat?

26. Sublimem quoque ejusdem contemplationis volatum incomprehensibilem esse quodammodò declaravit piissimus Pelbartus dum lib. 7. Stell. Par. 2. ar. 2. *Ipsi*, inquit, *major cognitionis perfectio debebatur, ob majorem mentis elevationem habituúmque excellentiam, quâ præ cæteris viatoribus erat prædita. Si enim consideremus gradus, quibus ad videndum DEUM conscenditur, nempe habitus gratuitos, sacramentales gratias, virtutes, dona Spiritûs sancti, quæ quò perfectiora sunt, eò sublimior est contemplatio, Deique visio clarior; certè eminentissimam Virginis Deiparæ contemplationem fuisse oportuit.* Sublimem B. V. contemplationis volatum incomprehensibilem esse.

27. Addit prætereà contemplationem hanc Virginis excelluisse in habitûs possessione. *Habitus enim hujusmodi est actus, qualem habuit Paulus in suo raptu ad tempus. qui postea cum ipso actu cessavit. Perfectiorem igitur habuit B. V. habitum, quia semper & continuè eundem habuit, ab eo tempore, quô primùm Mater DEI facta est, quousque idem habitus in gloriosam cognitionem transiens, secundùm statum patriæ perfectus fuit. Atque ita hæc continuatio perfectionis habitûs debebatur ei ratione perfectionis majoris; siquidem huic vitæ, mundóque super omnes viatores funditus mortua fuit, ejúsque vita cum Christo in DEO abscondita, cum Angelis semper intra DEI sanctuarium habitavit. Unde meritò dicere poterat cum* Eccl. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministravi; & sic in Sion firmata sum, & in civitate sancta similiter requievi.* Denique contemplatio Virginis excellebat in modo cognoscendi cum quiete, & sine abstractione, qualis est in raptu. Deiparæ enim modus cognoscendi non semper fuit per modum abstractionis vel stuporis, vel extasis, aut soporis, hæc enim con- Contemplatio B. V. excelluit & quoad habitum, & quoad modum.

contingunt ob excellentiam, & improportionem luminis ad intellectum illuminabilem, ut contigit in transfiguratione Domini. Unde cùm dixisset Petrus: *Bonum est nos hic esse*, additur: nesciens, quid diceret: stupor enim circumdederat eum. Hinc Paulus excellentiori visione stupefactus ajebat: *utrum in corpore, vel extra corpus, nescio, DEUS scit.* Hunc autem stuporem Beatissima Virgo non habuit, cujus intellectus Deiformior, lucique illi proportionabilior exstitit. Unde sicut una eadèmque lux, quæ infirmis oculis estodiosa, sanis è contra amabilis: Ita lux illa spiritualis in intellectu Pauli induxit raptum, ac stuporem, in Virginis autem mente delectationem. Lux hæc porrò Spiritualis intellectui Virginis ob mentis puritatem, ac munditiem, quâ super Paulum, omnésque reliquos viatores nitebat, meritò debebatur. Concludit tandem sublimitatem, hujus Virgineæ contemplationis creatæ menti impenetrabilem: Quis ergo hominum, quæ rationabilium mentium mens excogitare poterit, quàm Deiformis mens benedictæ Virginis exstiterit, quanta luce splenduerit, quantúmve divinæ contemplationis saporem experta fuerit? O anima mea, utinam aliquando illius participes esse quantulumcúnque merearis, ut Virginis beatissimæ unà cum ejus filio dulci JESU congratulatione, intima suavitate perfruaris! O utinam moriatur anima mea morte justorum, ut ad contemplationem ingrediatur beatorum, videátque multitudinem in Christo, & ejus pia Matre dilectorum. Hæc Pelbartus. Quibus perspicuè satis sublimitatem contemplationis Virgineæ, omnes Cypressos in altitudinem se se extollentes præcedentem patefecit.

28. Jam Cypressi rectitudinem tantisper consideremus. Hæc planè in hac arbore est mirabilis, dum quidquid habet succi, id totum in altum in ipsum verticem, cœlum quodammodô tactura dirigit. Quo pulchrè sane Virginis nostræ recta, Divinæ Majestati semper placendi studiosa intentio designata est, quâ puero DEI honorem, ac gloriam irretorto mentis oculo assiduè in omnibus suis cogitationbus, verbis, ac operationibus etiam indifferentibus spectabat. Unde factum, ut continuè absque ulla interruptione merita meritis cumularet, & in dies majora sanctitatis capesseret incrementa.

Rectitudo Cypressi adumbrat B.V. rectam in Deum intentionem.

29 Hinc S. Antoninus Florentinorum Antistes 4. par. sum. Tit. 15. Cap. 2. §. 6. inter reliqua Deiparæ privilegia illud non vulgare commemorat, quòd in quolibet opere meruerit, meritísque hujusmodi omnes sanctos superârit. *Quamvis sancti*, inquit ille, *in multis, & per multa bona opera sese exercuerint in gratia, nullus tamen fuit, qui semper & in omni tempore secutus fuerit instinctum gratiæ, ut sic semper in operibus suis mereretur. Hoc enim privilegium fuit singularis gratiæ in B. V. MARIA, quæ quolibet motu liberi arbitrii ad agendum vel patiendum merebatur, quatenus actiones illæ siue passiones gratiâ erant informatæ. Tum quia secundum Philosophum intellectus semper rectus est, nisi quando se immiscet phantasiis, & seducitur ab eis. Intellectus autem B. MARIÆ nullis unquam se immiscuit phantasiis, ut ab eis seduceretur; ac proinde semper suam conservavit rectitudinem. Rectum porrò nihil est aliud quàm cuius medium non exiit ab extremis: ergo semper mens eius in summum bonum velut omnium principium finémque tendebat. Tum quia Virginis ratio nec in discernendo errare, nec voluntas mala eligere poterat, sed elegit ultimum duntaxat & optimum. De illa enim multò veriùs dictum est* Luc.

Privilegium non vulgare B.V. quod in omnibus operibus meruerit, meritísque suis omnes sanctos superârit.

Rectum est, cujus medium non exiit ab extremis.

10. *MARIA optimam partem elegit, scilicet unum, quod est semper, & absolutè necessarium, nempe summum bonum, atque ita semper circa illud operando meruit. Tum quia B. V. Consilium illud* Ap. 1. Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in Gloriam DEI facite; præ reliquis viatoribus, quorum nemo id semper servavit, executa est. Unde Odilio in quodam sermone: unum pro certo scimus, quia omnis MARIÆ actio semper Domino intenta fuit.* Hæc Antoninus.

30. Quare rectam hanc sacratissimæ Virginis nostræ intentionem aptè illam Regis Midæ Virgulam, in aurum cuncta, quæ tangebat, convertentem appellare possumus. De qua Claudianus:

Recta Intentio B.V. aptè Regis Midæ virgulæ comparatur.

Ditabat rutilô, quidquid Mida tangeret, aurô.

Cùm enim quidquid ageret, ex charitatis purè DEUM quærentis affectu omnia proficiscerentur, fieri nequibat, quin ingentes meritorum thesauros sibi, totique Ecclesiæ compararet. Quos in Spiritu ejus parens prævidens Salomon, Spiritu divino afflatus de illa solenne illud vaticinium pronunciavit Prov. 31. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Hinc Michaël M. Mediolanensis Ord. S. Pauli primi Eremitæ Serm. M. S. de Nat. B. V. quem ex Monasterio B. V. de Eremo penes Posonium habere licuit, Deiparam Arcam Gazophylacij appellat, in qua reponebatur pecunia ad templi reparationem. *Verè enim*, inquit ille, *in arca Virginis repositus fuit Thesaurus, verum scilicet Christi corpus, de quo facta mundi reparatio gloriosa.* Ex Arca hac pretiosum sumptum est pretium redemptionis, ac reparationis nostræ.

Arca Gazophylacii in qua repositus fuit thesaurus est B. V.

31. Ob Dei charitatem hanc eximiam, quâ flagrabat Virgo nostra, eáque suas actiones omnes in Deum, rectitudine, puritatéque intentionis dirigebat, ipsos in admirationem rapiebat Angelos, adeò ut stupore attoniti exclamarent: Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi in aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* ubi videmus virgulæ cuipiam fumi aromatici, & variis aromatum suavissimè redolentium speciebus compositæ, ignéque divini amoris accensæ, suam fragrantiam directè in cœlum exhalanti, solam purámque Dei gloriam intendendo, Deiparam conferri. Unde S. Ildephonsus encomium illud Serm. 6. de Assumpt. ponderans: *Quasi Virgula fumi*, inquit, *ex aromatibus ascendit, quia delicata, & divinis extenuata disciplinis, multis virtutum erat repleta odoribus, per quos quotidie se in holocaustum Domino concremabat, incendiô pii amoris, & desideriô charitatis.*

Virgula fumi aromatici est B. V.

32. Quantum porrò suis virtutibus odorem, quotidie in illis proficiendo, majoráque capiendo incrementa rectitudine intentionis, illas in ultimum finem dirigendo fecerit, docuit B. Petrus Card. Damianus Serm. de Assumpt. B. V. dum ascensum hunc Virgineæ hujus virgulæ consideraret: *In hujus sæculi vanitates*, inquit, *omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur, rarúsque, qui non vel descendat, vel cadat in hujus turbulentissimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater & Filia Creatoris nec descendit, nec cecidit, sed de virtute in virtutem ascendens, consummatione virtutum vestita est. Qualiter autem ascendit? sicut virgula*, inquit, *fumi. Virgula fumi recta est, subtilis, odorifera, & quantò magis in aëra extenditur, tantò ampliùs dilatatur: sic & Angelorum Regina recta est in sublimitate conversationis (intendendo videlicet in suis actionibus omnibus singulisque, purè superni Numinis gloriam) quia Virga directionis, Virga Regni Domini. Subtilis in Deitatis contem-*

Quantum in virtutibus per rectam intentionem B.V. profecerit.

templatione, ad quam nimirum jugiter mentis dirigebat oculum, quia ipsa est, quæ conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Odorifera in virtutum opinione, quia currimus in odorem unguentorum suorum. Angusta in temporalibus, quia non erat ei locus in diversorio. In spiritualibus dilatata, quia adstitit Regina à dextris Domini.

33. Eandem Virgineæ intentionis rectitudinem in encomio illo Deiparæ agnovit Guilielmus Abbas: *Ivit DEI Genitrix*, inquiens, *recta per actionem, fragrans per bonam existimationis famam, sursum erecta per mentis sinceram intentionem. Quid prodest rectitudo actionis cum fragrantia boni nominis, si tibi facias o homo, non Deo, si tibi fragres, non Deo, id est, gloriam propriam quæras, non DEI? junge tertium, ut ascendas similis MARIÆ. Denique quia nihil deesse potuit spiritualium aromatum, utpote quæ genuit fontem charismatum, sequitur; Universi pulveris pigmentarii. Pigmentarius iste, est ipse DEUS. Unde Jacobus Apostolus.* Cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Et rursus: *si quis indiget sapientia, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Q. D. si quis illo vel alio spirituali pigmento opus habet, postulet à summo illo pigmentario, qui tibi non minuit, dum aliis tribuit. Magnus iste pigmentarius, pigmenta quæ largitur, plerumque contundit in pulveres ad majorem usum, & fragrantiam suaviorem. Pressuris namque tribulationum virtutes suorum exercet, ut nec in semetipsis deficiant, & bonum Christi odorem latius spargant. In Deipara omnia virtutum aromata pilo tribulationis ad præclaram redolentiam in pulverem erant contusa, quia cunctis filii perpessionibus materno affectu communicabat. Horum aromatum duo præcipuè nominantur, myrrha sacri doloris, & thus pii amoris; quantùm amabat, tantùm in filii passione dolebat, atque ita thus, & myrrham æqualiter spirabat.* Hæc Guilielmus.

Sine rectitudine intentionis, quid prodest rectitudo actionis?

34. Audiendus Card. Holgrinus de hac Virgineæ intentionis rectitudine, *Ascendit*, inquit ille, *B. V. de virtute in virtutem in operibus suis exteriùs, ascendit per desertum, mundum videlicet, quem pro deserto habuit. Contemnens enim mundum, ejúsque concupiscentias, spiritualibus adhæsit delitiis. Ascendit autem sicut virgula ob rectitudinem intentionis & operis, gratiámque humilitatis, perseverantiæ soliditatem, carnisque extenuationem, &c.*

Cur B. V. dicatur per desertum ascendere tanquam virgula fumi.

35. Hanc Virgineæ intentionis rectitudinem. Agnovit M. Michaël Mediolanensis sup. cit. Serm M S. de Nat. B. V. ubi verba illa Num 2. explicans. *Consurget Virga de Israël, MARIA*, inquit, *Virga fuit plana per benignitatem, recta per charitatem, gracilis per paupertatem, flexibilis per compassionem, & pietatem, fertilis per fructuum ubertatem. Plana fuit per mansuetudinem & benignitatem. Nihil autem in ea fuit durum, asperúmve.* Unde Bernard. *Revolve diligentiùs Evangelicæ historiæ seriem, si quid asperum, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis inveneris in MARIA, de cætero suspectam habeas, & ad eam accedere verearis.* Propter hoc comparatur columbæ, quæ est sine felle amaritudinis. *Una est columba mea* Cant. 6. Ipsa quoque dicit: *Spiritus meus super mel dulcis.* Hæc est Virga Assueri aurea, quam in signum clementiæ ingredientibus ad se porrigebat. Est 5. Recta hæc Virga fuit per charitatis ordinem: Ipsa enim dicit: *ordinavit in me charitatem.* Recta etiam fuit, quia erigebat se per amorem in DEUM & proximum propter DEUM. Unde ejus rectitudinem admirantur Angeli, dum dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi?*

Virga Assueri aurea comparatur B. V.

36. Richardus denique à sancto Laurentio lib. 12. de Laud. Virginis.

Deipara Virga est per contemptum temporalium & amorem Dei.

Virgæ varias proprietates considerans, ait, *Deiparam Virgam esse sursum erectam per contemptum temporalium, & amorem DEI.* Omnis enim res quantò magis terrenis participat, tanto faciliùs ad terram se inclinat; quantò verò minùs, tantò faciliùs se in altum levat. Amor enim Dei ideò ignis appellatur, quia naturaliter tendit sursum, mundanus autem amor velut terrenus humor trahit deorsum. Propter hæc duo Virga nostra levis erat, & ad ea, quæ sursum sunt, se jugiter erigebat Hinc Thr. 3. dicitur: *Levamus corda nostra cum manibus ad DEUM*, id est affectiones mentis cum operibus bonis. Dici etiam potest quoniam levis erat, & sursum erecta per dilectionem Dei, quoniam ignis sursum naturaliter ascendit, & sursum suam materiam trahit, ut in flamma videre est.

Carmelo monti comparatur B. V. ob voluntatem & intentionem ad cœlestia elevatam.

37. Ob Virgineam hanc mentem ad Cœlum semper erectam, Cœlestis Sponsus Deiparæ caput montem Carmelo conferre non dubitavit. Cant. 7. *Caput tuum ut Carmelus.* Unde in hæc Verba Guilielmus Abbas: *Mens in Virgine Matre monti comparatur propter excellentiam gratiæ.* Carmelus quippe in litteris sacris mons est famosus. Dionysius Richelius art. 24. in Cant. per Carmelum voluntatem, intentionémque Virginis altissimè ad cœlestia elevatam intellexit. *Caput*, inquiens, *Reginæ nostræ est sancta ejus voluntas, nunquam ad inferiora hæc reprehensibiliter inclinata, sed ad eum, qui essentialiter bonus est, semper altissimè, ac fructuosissimè elevata, utpote ardentissima charitate plenissima, ideò monti Carmelo, qui valde sublimis, & frugifer est, similis perhibetur. Potest etiam per caput Imperatricis nostræ sancta & summa ejus intentio sursum inviolabiliter fixa signari.* Hæc Dionysius.

38. Ob hanc intentionis Virgineæ semper in Deum tendentis rectitudinem, nova quædam, eáque mirifica Deiparæ faciei accessit pulchritudo, quam cœlestis contemplans Sponsus, eámque admirans canebat Cant 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Quæ verba attentiùs de more librans S. Bernard. Serm. 4. in Cant. faciem animæ rectam mentis pronunciavit esse intentionem. *Vide*, inquit ille, *ne carnaliter cogites coloratam carnis putredinem, & purulentiam flavi, sanguineique humoris vitreæ cutis superficiem summatim atque æqualiter suffundentem, è quibus sibi invicem moderatè permixtis, ad venustandam genarum effigiem rubor subpallidus in efficientiam corporeæ pulchritudinis temperatur. Alioqui corporea illa anima, invisibilisque substantia nec corporeis distincta membris, nec visibilibus exstat fucata coloribus. Tu verò spiritualem essentiam, spirituali si potes, attinge intuitu, & ad coaptandum propositæ similitudinis schema, cogita animæ faciem, mentis intentionem, ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur. Porrò verecundiam intellige tanquam colorem in facie, quod hæc potissimùm virtus, & venustatem ingerat, & augeat gratiam.*

Facies & pulchritudo animæ recta mentis intentio.

39. Et quoniam in qualibet intentione duo reperiuntur, res videlicet, & causa, propter quam res illa fit, ideò, inquit mellifluus Doctor genas potiùs quàm faciem nominavit. Velut enim geminæ genæ sunt animæ nostræ, res honesta, quam intendimus, & causa, propter quam operamur. Alioqui si honestas horum alteri desit, actio honesta esse minimè poterit, cum Magno Dionysio Teste: Bonum est ex integra causa, malum ex integris defectibus. *Ex his enim duobus*, inquit Bernard. *animæ vel decor, vel deformitas judicatur,*

In qualibet intentione duo reperiuntur, res videlicet, & causa propter quam res illa fit.

ut verbi causâ anima, quæ ambo ista recta, atque pudica habuerit, illi meritò, veracitérque dicatur: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quòd pulchræ sunt genæ ejus sicut turturis, propter eam, quam adhuc ex parte gerit, deformitatem. Multò autem minùs illi hoc poterit convenire, quæ neutrum horum habere laudabile invenitur. Sic ille.

Pulchritudo intentionis Marianæ in corpus & animam redundavit.

40. Cùm igitur Virgo nostra semper virtuosè ac honestè tanquam Domini virtutum Parens operata sit, & ob puram Dei conditoris sui gloriam, laudémque operata sit, genas sanè pulcherrimas, eásque pudicissimi turturis habuisse cogitandum est. Quæ postea pulchritudo, in totam animam, corpúsque redundavit, adeò, ut venustatem hanc Divinam suspiciens Sponsus exclamârit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Formosissima fuit anima Deiparæ, utpote cujus facies & genæ venustissimæ.

41. Quòd si Seneca Philosopho teste Epist. 33. Non est formosa mulier, cujus crus laudatur, aut brachium, sed cujus universa facies admirationem singulis partibus adimit; formosissimam sanè animam Deiparæ fuisse constat, utpote cujus facies, genæque venustissimæ tantopere à Sponso deprædicatæ admirationem reliquis membris ademerint. Neque verò hæc ideò dicimus ac si aliquid perfectionis in reliquo ejus corpore desiderari potuerit. Omnes enim ipsius corporis partes penè divinæ erant, divinitatémque quodammodò spirabant, fuerúntque omnes Cœlesti Sponso admirabiles, adeò, ut tota à capite ad calcem summam illi pepererit admirationem. Unde Cant. 4. in tanta pulchritudine sibi eximiè complacens canebat: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ Soror mea Sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Ac denique ut reliqua ipsius formæ missa faciamus elogia, ipsi etiam pedes ei stupori fuisse visi sunt, dum eos contemplans exclamat Cant. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?*

Omnes corporis & animæ partes cœlestem pulchritudinem in B. V. spirabant.

Pulchritudo B.V. ex ipsius pura intentione emanavit.

42. Hanc porrò totius corporis pulchritudinem ex ipsa pura Virginis assiduè in Deum syncerè tendentis emanâsse intentione compertum est. Quod nobis ipsa insinuavit veritas, cùm puram intentionem oculo comparavit Luc. 11. *Lucerna corporis tui est oculus tuus si oculus tuus simplex fuerit, totū corpus lucidum erit.* Quasi dicat: si intentio tua simplex unum Deum, ejúsque honorem, laudem, ac gloriam purè quæsiêrit, tota anima tua evadet lucidissima ad instar cœli, ad instar domicilii cujuspiam tenebricosi, quod lucernæ splendore illuminatur. Quod enim sol est cœlo, quod lucerna caliginoso conclavi, hoc est homini recta Deum spectans intentio. Unde quid mirum, Virginem tantis támque divinis splendoribus fuisse irradiatam, siquidem semper rectè Deum spectabat? Lucem hanc beatæ illæ, ab omni carnis concretione liberæ mentes suspicientes meritò modulatæ sunt Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?*

Quod lux auroræ oriente sole, hoc pura intentio in anima B. V.

43. Fuit sanè oculus hic puræ intentionis in anima Virginis, quod est lux auroræ oriente sole, cùm manè absque nubibus rutilat 2. Reg. 23. ipsi cœlo, quod est Luna inter stellas, quod est Sol denique in meridie, quem luce sua mirificè condecorat. Unde oculó hoc purissimo captus Sponsus Cant. 4 cecinit: *Vulnerâsti Cor meum Soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum.* Id est, in iden-

Intentio pura B.V. oculus fuit, quo Sponsi cor vulnerabatur.

identitate cogitationum, interprete Ruperto, quia in unum videlicet, idémque tendunt, in Divini nempe Numinis laudem, ejusdémque gloriæ amplificationem, nusquam evagando.

44. Ob puram hanc DEUM assiduè quærentem intentionem, Pisci illi, qui Vranoscopus cœli spectator appellatur à Plinio lib. 7. cap. 32. & Æliano lib. 13 cap. 4. Comparari potest Virgo Deipara. Hic enim inter pisces omnes insignem in capite oculum habet, quo aquis superior Cœlum assiduè spectat ac contemplatur. Talis erat (si liceat magnis componere parva) talis, inquam, erat DEI Mater, quæ licèt in mari mundi hujus versaretur, nîl tamen mundanum, terrenúmve amabat, cœlum duntaxat, & Regis cœlorum Gloriam spectabat, adeò ut dicere posset, cum Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est.* Et cum Psalmista: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum DEUS Cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* Unde Vallesius lib. de Sacra Philos. cap. 42. Censet Piscem hunc esse illum, quem ex præscripto Angeli Raphaëlis Tobias cepit, ejúsque felle cœcos Tobiæ oculos inunxit, & sanavit; quem Piscem vocant Callionymum, piscem pulchri nominis. Verè Virgo sicut aliorum Angelorum, ita & Raphaëlis, qui medicina DEI dicitur, naturam æmulatur, nobis impertita cœlitus ad exacuendam oculorum aciem, & stercora terrenorum bonorum cognoscenda. Nihil enim hâc medicinâ potentiùs atque efficaciùs ad hoc, ut mundana omnia quantumvis splendida lippientibus, sive cœcis oculis videantur, stercora & cœnum re ipsa esse appareant. Nimirum Virgo nostra erat una ex jis, de quibus S. Gregorius Magnus Hom. 11. in Evang. *Qui Cœlestis vitæ dulcedinem, in quantùm possibilitas admittit; perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, libenter cuncta relinquit, in comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie.* Móxque rationem subnectit: *quia sola pretiosa Margarita charitas refulget in mente.* Similia habet S. Chrysost. Hom. 66. in Joan. *Dulcis*, inquit, *præsens vita est, & multis plena voluptatibus, non tamen omnibus, sed ijs, qui illi affixi sunt. Quod si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, & nullius pretij æstimabit.* Sic ille.

Vranoscopus piscis est, qui insignem in capite oculum habet, quo aquis superior continuò cœlum spectat.

Talis Piscis censetur ille fuisse quem Tobias jussu Raphaëlis cepit.

45. Verè denique Virgo nostra piscis videtur Callionymus; quid enim pulchriùs Nomine Virgineo, quod præter cætera significat illuminatam, & illuminatricem? Illuminata enim verè est, dum intentionis suæ oculum in lucem illam æternam defigit, Illuminatrix est, dum nobis ad idem faciendum exemplô suô lucem porrigit. Quare dicere possumus eam auditô monitô illô sapientis Eccl. 2. 14. *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat*; intentionis suæ oculum in caput suum, quod est Christus, semper defixum habuisse, omnia cogitata, dicta, factáque purè ad ipsius solam gloriam dirigendo. Unde S. Hieronymus: *Qui in perfectum virum pervenerit, & meruerit, ut caput ejus Christus sit, oculos ejus semper habebit ad Christum, & eos in sublime elevans nunquam de inferioribus cogitabit.* Quod si S. Gregorius Nyssenus verba illa Apostolo Paulo mundi contemptori, Deíque insigni Amatori applicuit Hom. 5. in Eccl. sanè magis applicari poterunt Deiparæ: sed Nyssenum audiamus, qui rationem reddens, cur Apostolus in Christum oculos defixos tenuerit, ita lo-

Monitum Sapientis Eccl. 2. Sapientis oculi in capite ejus, convenit S. Paulo, sed meliùs B. V.

loquitur: *Ejus enim prudentia, & sapientia versabatur in nullo eorum, quorum studio hic tenemur. Dicit itaque: nos stulti propter Christum; perinde, ac si diceret: Nos cæci in ijs, quæ pertinent ad hanc, quæ deorsum agitur, vitam, propterea quòd sursum aspicimus, & oculos habemus in capite.* Tandem paucis intercalatis: *Quis autem non existimasset eum esse miserabilem, eum videns in vinculis, & plagis per probrum affici, & navi fracta esse in profundis fluctibus maris, & cum vinculis circumferri? sed tamen etsi talis esset inter homines, non avertit tamen oculos, quo minùs eos semper haberet in capite dicens: quis nos separabit à Charitate Christi, quæ est in Christo JESU? afflictio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? quod perinde est, ac si diceret: quis meos oculos effodiet à capite, & transferet ad id, quod conculcatur, & est terrestre?* Nimirum Pauli & multò clariùs Deiparæ menti divina affulgescebat pulchritudo, à qua nullo unquam tempore, nullo in negotio removere poterat, unde factum, ut præ illa omnia tanquam apinis, tricisque leviora contemneret.

46. Hinc consideratâ ejus formæ elegantiâ ajebat Cant. 1. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Quod elogium expendens Orig. Hom. 3. in Cant. *Nunc*, inquit, *primùm videtur attentiùs aspexisse Sponsi sui pulchritudinem, & considerâsse illis oculis, qui columbæ dicti sunt, decus & speciem Verbi DEI; ex attenta enim illius contemplatione reperit nil pulchrius in rebus humanis, quæ sub sole sunt, reperiri.* Audiendus hic rursum Nyssenus Hom. 4. in Cant. ubi ad illa verba sic loquentem Sponsam introduxit: *Ex quo nil aljud mihi videtur esse pulchrum, sed aversatus sum omnia, quæ anteà reputabantur in bonis, ac pulchris; non ampliùs mihi aberrat à bono judicium, ut aliquid aljud existimem, præter te esse bonum, ac pulchrum, non ullum honorem humanum, non gloriam, non splendorem humanum, non potentiam.* Hujusce rei mox rationem attexit: *Hæc enim ijs, qui aspiciunt, ad sensum boni quidem specie sunt illata, sed non sunt, id quod putatur: quomodò enim erit pulchrum, quod nullô modô consistit? Nam quod in mundo est honoratum, suam habet essentiam in sola existimatione eorum, qui esse existimant. Tu autem verè pulcher, non solùm pulcher, sed ipsa boni essentia, semper talis es omnino, id quod es; non in tempore florens, nec in tempore rursus florem abjciens.* O quam præclarè denique de his Sponsæ oculis S. Hieron. Epist. 4. ad Rusticum pronunciavit: *Oculis aspicientibus Christum, non dignabatur aliud aspicere.* Quod in re dissimili ad confusionem nostram, M. Joannes Avila impiissimos Mahometi cultores scribit facere consuevisse. Hi enim Mecham proficiscentes infami illô fœtidissimôque sui Prophetæ visô sepulchrô sibi eruunt oculos, ne ampliùs rem ullam terrenam intueantur, utpote qui rem tam eximiam támque in stulta sua opinione divinam vidissent. Sed ad lineam. Cùm igitur recta Virginis intentio & pulchra facies sit animæ, & oculus mentis lucidissimus, eâ sanè spiritualem Virginis nostræ gloriosissimæ venustatem contineri omnino arbitrandum est. Genarum enim rosearum, oculorúmque decor formæ humanæ præcipuum est ornamentum.

Dium continuo contemplanti, nihil, præter ipsum pulchrum apparet.

Mahometi cultores, visô ejus sepulchro sibi oculos eruunt.

47. Atque ut pulchritudinem genarum Sponsæ ex pura hac intentione resultantem magìs, magísque perspiciamus, & quàm spontaneô, hilaríquè animô Virgo nostra purè omnes suas operationes in DEUM direxerit, rursus ejus genas Cant. 4. deprædicantem Sponsum audiamus: *Sicut fragmen mali Punici, sic genæ tuæ.* Ubi sanè mirandum est, quòd cortici potiùs

mali Punici, quàm Pomo, quod corticem præferre videtur elegantiorem, conferatur. Nimirum mali Punici cortex per se sua sponte aperitur, & ridenti quodammodò vultu opes suas, sapidissima illa pulcherrimáque grana exhibet. Talis omnino Virginis indoles exstitit, lubenti, lætóque animo omnia sua offerebat Domino, ejusdémque majorem gloriam in actionibus omnibus spectabat. Nónne genas mali Punici cortici quàm simillimas nobis exhibere visa est Deipara, cùm DEUM glorificando, atque exaltando super omnia, plena jubilo, spiritualíque gaudio sponte, nemine provocante, nisi Spiritu Divino, quô agebatur, modulata est: *Magnificat Anima mea Dominum. Et exultavit Spiritus meus, in DEO salutari meo?* Hinc Philo Carpathiorum Episcopus: *Comparatur*, inquit, *sancta anima malo Punico, quia fovet in sinu suo cogitationum, & desideriorum optimorum grana pulcherrima, quæ se opportuno tempore promunt & aperiunt.* Observandum illud: se aperiunt; non aliena manu, quasi vi coacta, ut cibum suavissimum DEO exhibeant. Hinc S. Basilius Seleuciæ Archiepiscopus orat. 3. ita DEUM, Adamo de manducando fructu vetito loquentem, introduxit: *Tu verò non terrore, sed honore, amorem mihi defer. Tu major cùm sis, esto Planta Paradiso illustrior, & voluntariæ tuæ obedientiæ carpam fructum honorum.* Quæ spontanea oblatio quàm grata DEO accidere consueverit, ostendit S. Ambrosius exemplo Isaiæ cap. 6. Qui audiens vocem illam consultantis Augustissimæ Triados: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Cœcô quôdam impetu voluntatis parendi, cupidè se se ultrò obtulit: *Ecce ego mitto me.* Ubi audiendus S. Doctor: *Utique servulo suo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, invenerat; sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse offerret, præstolatus est, & quamvis ejus sciret affectum, exspectavit tamen vocem, ut cumularet gratiam, & sic se offerens missus est.* Etenim quasi voluntarium organum ulteriore sui Spiritûs gratiâ Christus implevit. Talis omnino fuit Virgo Deipara: non illi sat fuit recta, ac semper in DEUM tendente intentione in omnibus suis operationibus ferri, sed velut voluntarium Spiritûs sancti organum sponte suâ libenter, ac hilariter cum suo Parente David concinendo: *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, cantabo, & psallam tibi gloria mea:* Semetipsam summæ illi Majestati offerebat, consecrabátque: atque ita non modò genas turturis honestè, & ob causam honestam divinæ videlicet gloriæ amplificandæ intuitu agendo, verùm etiam cortici mali Punici quàm simillimas sortiri visa est.

Oblatio nostri spontanea DEO grata, quæ cortici mali Punici comparatur.

B. V. voluntarium Spiritûs sancti organum cum David concinit: Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum.

48. Neque verò Virgo nostra contenta fuit hac recta in divino obsequio intentione omnia sua peragere, sed etiam precibus, piisque apud Filium suum patrociniis instat, ut mentem eandem suis clientulis largiatur. Hinc jam sæpè memoratus Richardus docet lib. 2, Parte 6. Virginem suis clientulis, ac servis hanc suam rectitudinem communicare. *Per ipsam enim*, inquit, *confregit Dominus catenas cervicum nostrarum, ut incederemus recti.* Levit. 26. de his dicitur Cant. 1. *Recti diligunt te, incurvati verò alia*, & hoc dicitur Matri & Filio. Debent enim recti esse servi & laudatores MARIÆ, quia *rectos decet collaudatio*, Psalm. 32. Rectus porrò est, cujus intentio ad DEUM propter DEUM dirigitur, sunt enim, qui laudant DEUM, vel MARIAM, cùm benefeceris eis, vel ut benefaciat eis, quorum laus etsi tendat

B. V. orat DEUM ut suis clientibus mentem rectam largiatur.

in

in DEUM vel MARIAM, tamen reciprocatur ad ipsos, atque ita verificatur illud Isa. 59. *Semitæ eorum incurvatæ sunt eis*, id est reflexæ, & recurvatæ in eorum commodum. Denique bona anima non porrigit se ante, ut præsentia bona concupiscat, non retrò, ut ad ante acta mala per delectationem respiciat, non Dextrorsum, ut in prosperis per incontinentiam se effundat, non sinistrorsum, ut in adversis per impatientiam excedat, sed sursum profert incrementum suum, sursum habet cor: *Ubi Christus est in dextra DEI sedens* Col. 3. Recta quoque anima est, quæ non curvatur ad amorem terrenorum, quod signatur rectitudine corporis humani, quod rectum est, ut spiritum suum doceat rectitudinem. Quare dicitur:

Recta est mens, & anima, quæ non curvatur, ad terrenorum amorem, quod signatur rectitudine corporis humani.

Os homini sublime dedit, Cælúmque tueri, &c.

Ecclesiastis 7. *Hoc inveni, quòd DEUS fecerit hominem rectum.* Ideò petit Justus: *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Hinc S. Bernardus: *Ipsa corporis rectitudo servandæ suæ spiritualis rectitudinis, signum est; & decor limi deformitatem arguit animi. Perversa res est oculos habere sursum, & internos affectus, vel sensus in terram trahere deorsum. Indignè humanum corpus inhabitat brutus & bestialis Spiritus, quærere, & sapere, quæ super terram, curvitas est animæ, meditari vero, quæ sursum sunt, rectitudo illius.* Hæc Richardus. Ob hanc intentionis rectitudinem Sponsus illam Palmæ rectitudini comparavit. Cant. 7. *Statura tua assimilata est Palmæ.* Hinc Cardinalis Halgrinus: *Statura ejus*, inquit, *rectitudo bonæ intentionis, & sanctæ operationis directio assimilata est palmæ, ut, sicut palma, arbor videlicet triumphalis crucis Dominicæ terribilis est malignis spiritibus: sic Beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos spiritus terret, & expellit.* Similia ferè habet paulò ante citatus Richardus lib. 5. de Laud. B. V. *Statura tua*, inquiens, *id est, recta intentio tua, & ad cælum directa bona operatio tua assimilata est Palmæ, quia ad terrena despicit incurvari, & in cælestibus appetit remunerari; & illud bravium quærit tantummodo, quod quandóque daturus est, Dominus animæ victrici, de qua* Apoc. 2. *dabo manna absconditum.*

Perversa res est oculos habere sursum, & internos affectus deorsum.

Statura B.V. est recta intentio & sancta operatio, quæ assimilatur Palmæ.

49. Neque verò virgulæ hujus Virgineæ rectitudo puritatem denotat solùm intentionis, verùm etiam contemplationis omni mentis distractione carentis sublimitatem. Hinc antequam elogium hoc Virginis pronunciarent Angeli, præmisit Sponsus: *Adjuro vos filiæ Hierusalem per capreas, cervósque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.* Quibus verbis ostendit, & altissimo contemplationis somno Sponsam fuisse sopitam, & mentem ejus totam in DEUM adeò fuisse raptam, atque absorptam, ut nusquam animus ejus extra DEUM evagaretur, sed ad instar aromaticæ Virgulæ igne Divini amoris succensæ, in Cœlum, ejúsque Creatorem rectè absque ulla sui quamlibet in partem, & ad Creaturas effusione dirigeretur; adeò, ut cum suo Parente Davide canere potuerit: *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: atque ita dormiendo aliorum vigilantium multis parasangis superaret contemplationem, nec non in virtutibus progressum, qui ascensu illo per desertum, ut & eædem virtutes, myrrha & thure universóque pulvere pigmentario denotantur. Hinc S. Bernardinus Senensis. Tomo 1. Serm. 61. Art. 3. *Ad tantam contemplationem sublevata est Virgo, ut perfectius in ventre Matris contemplaretur DEUM, quàm unquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate.* De men-

Contemplatio B. V. expers fuit omnis distractionis.

Nullus SSo-rum in contemplatione mysteriorum Dei comparari potest cum B. V.

mentis porrò evagationum vacuitate audiendus est Dionysius Carthusianus lib. 2. *Nulla unquam inordinata affectio, nulla distractio, aut fragilitas mentem Virginis à contemplationis lumine revocavit, nec occupatio ulla exterior.* Quare jure merito Art. 8. asseruit nullius hominis, quantumvis in contemplatione excellentissimi meditationem, cum Virginea posse comparari: *Nam ut securè fatear,* inquit ille, *nec Princeps Apostolorum Petrus, neque in tertium cœlum raptus Paulus, nec Joannes Theologorum altissimus, ubertimque in Spiritu consistens, nec Legislator Moyses, nec David vatum Spiritualissimus, quem Spiritus DEI inducit, neque Isajas, qui de Christi, Ecclesiæq; mysteriis tam eminenter cecinit, Virgini huic sanctæ, Matríque Divinæ in Divinorum contemplatione mysteriorum, in Divini revelatione consilij, in Synceritate Sapientiæ comparari queunt, eatenúsque distant, quatenus servos à Matre distare decet.* Dicamus ergo de hac Virginea mente, cœlestia assiduè absque animi ad Creaturas effusione contemplante: *Quasi Cypressus in Monte Sion.* Quemadmodùm enim arbor hæc surculum nullum ad partes projicit, sed vires omnes, uti diximus, in se se colligit, ut in verticem succrescat, eum cœlo quodammodò minitantem attollat; ita Virginis nostræ gloriosissimæ animus vires omnes, ac facultates ab externis avocabat, atque intra se se colligebat, ut omnes in unum collectæ non nisi Deum, ejúsque majorem gloriam assiduè spectarent.

Insigne precandi donum probabiliter à B.V. B. Aloysius accepit.

50. Quod tam insigne precandi donum crediderim Beatum Aloysium beneficiô Virginis consecutum: De quo Religiosissimus Card. Bellarminus, in luculentissimo illo ipsius Sanctitatis Aloysianæ testimonio memoriæ prodidit, nòn modò illum nullum unquam lethale peccatum commisisse, nec ullum unquam ad libidinem stimulum habuisse, verùm etiam in oratione & contemplatione, in qua plerúmque genibus nixus nusquam incumbens versabatur, nullam ferè distractionem mentis esse passum. Quod certè cœleste munus quàm magni faciendum sit, colligere poterimus ex Divi Bernardi querelâ subinde factâ, qui dolere solebat magna animi demissione, se ad modicum tempus in oratione absque mentis evagatione perseverare minimè posse. Quod cùm, nescio quis agaso audisset, subrisit, & vanissimè gloriatus est, se sat longo tempore mente collectâ in oratione perdurare posse: cui sanctus Vir mulam, quâ vehebatur, mox promisit, si absque distractione vel unicam salutationem Angelicam recitâsset; Pactum audacter arripit agaso, & salutationem inchoat, vix ad tertium verbum devenerat, cùm rogat, an etiam frenum cum reliquis ad equitandum opportunis ei obventura sint.

S. Bernardus promittit Agasoni mulam, qua vehebatur, si salutationem Angelicam sine distractione recitaret.

51. Ob hunc assiduum in Deum purè tendendi motum, Virgo nostra cœlo comparari consuevit: Quemadmodùm enim hoc, mox ut fuit conditum, mox acquisivit motum; non enim decens esse videbatur, ut corpus adeò nobile ac perfectum, vel ad breve momentum otiaretur: sic Virgo Beatissima mox, ut fuit in utero Matris concepta, intellectûs, ac voluntatis piissimis motibus in Creatorem, Redemptorem, Sanctificatorémque suum directè absque ulla distractione ferri cœpit. Quod nobis declarare Rupertus Abbas visus est lib. 5. in Cant. supramemorata verba Sponsæ: *Ego dormio, & cor meum vigilat,* ponderans ita loquitur: *Multarum quoque animarum fuit, & est, non solùm secundùm illam similitudinem otiô sanctô dormire,* id

Cœlo, comparatur Beatissima Virgo ob assiduum in Deum pure tendendi motum.

id est à terrenis curis vacare, & in cælestibus per contemplationem corde vigilare: Verùm etiam eôdem modô, quô & Jacob tunc dormivit, secundùm corpus dormire, & secundùm animam per somnium cælestia videre juxta illud: senes vestri somnia somniabunt, & Juvenes vestri visiones videbunt. Tum conversus ad Deiparam: *sed tu O cælum DEI, unica sedes Domini, in utroque vigilantiæ modo, cunctis mortalibus, hinc terrenis hominibus longè eminentior exstitisti!*

Cypressi caput à rotunditate in acumen erigitur. Symbolum B. V. quæ ab opulentissimis majoribus descendens in tenuem paupertatis virgulam extenuabatur.

52. Quid jam de illa Cypressi proprietate dicam, cujus meminit sanctus Isidorus? *Caput ejus*, inquiens, *à rotunditate in acumen erigitur. Quæ sanè Deiparæ quadrat mirificè: si quis enim librum Generationis IESU Christi, quem sanctus Matthæus describsit, evolvat, dum Abrahamum Patriarcham opulentum tot amplissimarum terrarum, gregúmque copiosissimorum Dominum, dum Davidem Regem Regno totius Israëlis florentissimum, ac reliquos Reges ibidem depictos, & tandem Virgam hanc, sive Arborem Jesse, MARIAM & opibus & Regno destitutam contemplatur, quid aliud sibi videre videbitur, quam pulcherrimam Cypressum, cujus caput à tot Regum tam opulentorum gloria, divitiísque ceu rotunditate quadam in tenue Virgineæ hujus Virgulæ ac pauperculæ acumen sese erigit? Hinc Richardus à S. Laurentio Virginem Deiparam Cypressum rectam per dilectionem appellat. Recta etiam fuit, quia nunquam inclinata per amorem mundi, vel aliquod peccatum. Recta denique per paupertatem, quæ est recti*-*tudo animæ, divitiæ verò faciunt tortuosum.* Sic ille.

53. Inter reliquas Cypressi proprietates illam Plinius lib. 16. cap. 18. numeravit. *Aquas odêre Cypressi*; unde ita solidæ, firmæ, ac imputribiles esse consuevêre, ùt benè de illis pronunciâvit S. Isidorus: Templorum quoque trabibus aptum lignum est impenetrabili soliditate, quâ fuerit à principio firmitate perseverans. Aquæ hæ, mundi deliciæ, voluptates, divitiæ, ac honores sunt, quæ omnia, quemadmodùm aquæ dilabuntur, & cum ipso homine pereunte pereunt, quemadmodùm Sapiens illa Tecuitis dixit ad David: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur, quæ non revertuntur.* 2. Reg. 14. *Quid enim mutationis periculô*, inquit Seneca Epist. 71. *exceptum? non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contentus, quamvìs DEO agente ducatur, non semper tenebit hanc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet. Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, extingui, quæcunque vides supra nos currere, & hæc quibus innixi, atque impositi sumus, veluti solidissimis, carpentur ac desinent. Nulli non senectus sua est. Inæqualibus ista spatijs eodem natura demittit, quidquid est, non erit, non peribit, sed resolvetur.* Sic ille.

Cypressi aquas odêre, unde solidæ, ac imputribiles. Symbolum B. V. delicias mundi hujus contemnentis, & soli Deo solidè inhærentis.

54. Hanc rerum terrenarum ad instar aquarum cum tempore dilabentium varietatem, fluxibilitatémque Virginea hæc perosa Cypressus nostra, nunquam eis corde, animóque adhæsit, sed supra altitudinem se extollens, uni vero, summo, æternóque bono contemplando, amandóque se se totam impendens, ad ejus sempiternam fruitionem crebros amoris languores patiendo, & crebra quasi deliquia, dixerit identidem sine dubio: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Et illud: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* Illæ nimirum voces ejus sunt amore dilecti plenissimæ. *Adjuro vos Filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo:* Quæ ver-

B. V. terrena pertæsa, languet desiderio cruciata, dilectum filium suum post ascensionem videndi.

verba ponderans Rupertus Abbas lib. 5. in Cantica, censet de animabus cœlum petentibus dicta: *Cùm veneritis*, inquiens, *ante Dilecti mei conspectum adjuro vos, ut nuncietis ei, quia amore langueo, quia præ amore ejus, præ magno faciei ejus videndæ desideriô, nimium vitæ hujus tædium patior, & animo gemituoso, lacrymosísque oculis, suspiriosas præsentis exilij moras sustineo.* Philippus Abbas quoque lib. 5. in Cant. cap. 15, Deiparam Angelos verbis illis allocutam arbitratur, & Richardus à S. Laurentio lib. 3 de Laud. B. V. *Languit*, inquiens, *amore post ascensionem quodammodo desideriô piô feliciùs, sed mirabiliùs cruciata, quia sedentem in cœlo non teneret. Propter hunc languorem dicit ipsa: Filiæ Hierusalem. O vos virtutes Angelicæ nunciate Dilecto! Filio meo, quia amore langueo.*

55 Audiendus hîc B. Thomas de Villa Nova piissimus Antistes Serm. 4. de Assumptione. Ubi tædium Virginis circa res fluxas, ac caducas, & amorem cœlestium describens, ita loquitur: *Quibus tunc existimas singultibus, ac suspirijs, quàm inenarrabilibus gemitibus, & clamoribus Spiritus ejus, cœlestes illos Spiritus interpellabat? Adjuro vos Filiæ Hierusalem, si inveneritis Dilectum, ut annuncietis ei, quia amore langueo, quia deficio præ amore, quia tota amore liquesco; mitigate flammas obsecro, temperate incendium, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Neque enim fortitudo lapidum, fortitudo mea, neque caro mea ænea est. Unde meritò crediderim hôc totô exilii sui tempore ad sustinendos extaticos illos amoris impetus, odoriferis eam Paradisi floribus, & purpurantibus malis, id est lucidissimis è cœlo revelationibus, & dulcissimis suavitatibus ab Angelis fuisse fulcitam, ne deficeret præ amore. A-

B. V. amoris deliquium.

moris denique vi animam ipsius sanctissimam totam charitate in Dilectum transformatam, summa animi gestientis voluptate corpore fuisse solutam, opinio SS. Patrum ac Theologorum est provulgata. Quare de hac ejus Spirituali in morte lætitiâ benè vaticinatus est Salomon Prov. 31. 25. *Et ridebit in die novissimo.*

Summa cum animi voluptate B. V. moritur.

56. Et verò si B. MARIA Ogniacensis moriens risit, ut testatur Jacobus Card. de Vitriaco lib. 2 vitæ ejus cap. 13. quantò magis Virgo Deipara, quæ gaudium, lætitiámque orbi peperit universo? Cardinalis verba sunt hæc: *Præ gaudio diutissimè subridens, submissa voce cantabat: quàm pulcher es DEUS noster Domine! in eo gaudio postquàm diu perstitit, cantando, ridendo, & interdum plaudendo manibus, tandem ad se reversa: mirabilia*, inquit, *dicerem, si auderem:* tum prosequitur: *Dulci voce cantavit Alleluja, & tota ferè nocte illa tanquam ad epulas invitata, fuit in jubilo, & exultatione; ac paulo post iterum cantans alleluja, in Vigilia S. Joannis Bapt. circa horam nonam, qua Christus in Cruce Spiritum Patri reddidit, ipsa quoque ad Dominum migravit, nullo unquam mortis dolore vultûs angelici hilaritatem amittens, anno Domini 1213. ætatis 36.* Verùm Deiparam ipsam de ardentissimis hisce amoris, quibus ad cœlum summa animi alacritate anhelabat, desideriis loquentem audiamus; sic enim illa apud S. Birgittam lib. 6. revelat. cap. 62. *Paravi me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat: cùmque quadam die animus meus suspensus esset in admiratione Divinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, ut vix se capere posset, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* De eadem ardentissima charitate, quâ anima ejus ab hujus cor-

Ogniacensis Virgo cantando & ridendo mortua est.

Præ charitatis incendio & divini amoris æstu moritur B. V.

corporis resoluta est ergastulo, ita locuta fertur Virgo Beatissima sanctæ Mechtil. lib. de Spirit. grat. ubi agens de Vigilia Assumptionis, Deiparam ita loquentem introducit: *Cúmque Seraphicus ille ardor in tantùm excresceret, ut ultra vires corporis non haberem, lecto decubui, omnésque Angelorum ordines mihi ministrabant, ignem illum Divinum in me magìs ac magìs succendentes.* Ex quibus *omnibus facilè intelligimus, quâ nam ratione Cypressus aquas, præterfluentium hujusce vitæ vanitatum ac voluptatum, Divitiarum atque honorum perosa, verticem mentis animíque sui, in altitudinem cœlestium æviternam assiduè contemplando beatitatem sustulerit.* Hinc Richardus à S. Laurentio lib. 12. *Sicut Cypressus ramos à rotundo in acutum colligens, velut conum facit in summo: sic MARIA virtutum suarum ramos non per vanitatem dispergebat, sed ad unum sublime, quod DEUS est, colligebat*; juxta illud Ezech. 30. *Contine & congrega cor tuum in sanctitate: unum enim petebat à Domino sciens unum esse necessarium.*

Cypressus arbor Medicinalis varios morbos curat B. V. medicinalis, quia medicum divinum genuit vulneribus nostris.

57. Quid de Cypressi, corporibus humanis medendi vi, atque energia dicam? de hac præclarè idem Richardus: *Arbor est medicinalis*, inquit, *& medetur corporibus; & MARIA medicinalis est; quia genuit salvatorem animorum fidelium, Christum scilicet, medicum vulnerum nostrorum. Folia etiam Cypressi, fructus, & frondes id est verba, opera & exempla sunt in medicinam, per exemplum ipsius sapientiæ: sunt in cibum in Filij Sacramento; sunt etiam in umbram, & protectionem quò ad frondes, in quibus habet venustatem per exemplorum honestatem: consolidat herniosos, quibus interiora inferiùs defluunt: Et exempla MARIÆ consolidant nos, ne per cupiditatem projiciamus in terram interiora nostra.* Unde Ecclesiastici 10. De cupido dicitur: *in vita sua projiciet intima sua. Fluxum sanguinis Cypressus restringit; & MARIA Cypressus est animæ Hæmorrhoissæ, quia desiccat venas Mortis* Oseæ 13. Hactenùs Richardus.

58. Audiendus hic etiam Prosper Martinengus in sua Parthenodia, ubi canit Virginem Cypressum humanis morbis medicinalem esse, dum ita cecinit: *Jam comas tradunt periti, & galbulos Cupressinos, corticémque miram habere vim medendo corpori: sed MARIÆ cuncta Verba fusa ab ore melleo, studia cuncta, gestus omnis, actus omnis, denique plena virtute existere, plena efficacia.*

Sanguis fluxu laborans Matrona voto nuncupato ad B. V sanitati restituta est.

59. Testatur hoc Virgo Beatissima de Valle sive Thal penes Posonium Hungariæ civitatem non ignobilem, in Ecclesia Patrum S. Pauli primi Eremitæ miraculis, rerúmque ad animorum, corporísque incolumitatem præclarè gestarum gloriâ percelebris; hic enim cœcis visus, surdis auditus, mutis loquendi facultas, claudis gressus, paralyticis membrorum soliditas, peste laborantibus pristina sanitas aliáque innumera mortalibus conferuntur beneficia. Inter hos Matrona nobilis Anna Resenmania Posoniensis anno 1644. 7. Januar. Cùm gravissimè periculoso fluxu sanguinis laboraret, ad gloriosissimam hanc Virginem votô nuncupatô pristinam sanitatem recuperavit.

Celebre prodigium in Præsidarium Jaurinensem Beatissima Virgo Thallensis demonstravit.

60. Non minùs celebre prodigium ejusdem Virginis in militem præsidiarium Jaurinensem Joannem Schmid anno 1638. 5. Febr. hic, cùm hilariorum diebus avidiùs comederet, os sat magnum in fauces ingessit, quod, dum nec deglutire, nec reddere valeret, præsentissimum vitæ periculum adjit. Ad eum juvandum advocatur chirurgus, qui mox filo ferreo crassiori os intrudere conatur, sed conatu plane irrito; dum igitur Chirurgus de alio remedio cogitat, miles sive mo-

moræ, sive doloris impatiens, dum os ferro illo intrudere laborat, os simul cum fero deglutit; mox gravissimis stomachi torquetur, & dilaceratur doloribus. Cùm spes omnis ultra vivendi esset sublata, advocato Societatis nostræ confessario peccata per exomologesim explicat, simúlque totum se Thallensis Virginis patrocinio commendat, ac devovet, & mox pristinæ incolumitati restituitur.

Diœcesis Vesprimiensis singularem opem B. V. Thallensis experta.

61. Eandem opem Virginis, contagiosa lue infecti, sunt experti. Laborabat malô hôc anno 1634. admodùm graviter Diœcesis Episcopi Vesprimiensis Georgii Lippaji: itaque bonus hic pastor pro grege suo piè sollicitus, ad pientissimam hanc summi Pastoris Matrem Virginem Thallensem tanquam ad asylum confugit, eique se suúmque gregem commendans, præsentissimum ejus auxilium est expertus. Tanta porrò Reverendissimi hujus Antistitis in loci illius Deiparam est pietas atque devotio, ut mox atque Archiepiscopus Strigoniensis superiori anno est inauguratus, nihil antiquiùs habuerit, quàm suam Archiepiscopalem Tiaram ante Virginem, tanquam animatum cœlestis agni thronum, summa cum Religione prosternere, ejusdémque auspiciis tot animarum regimen, quod D Bernardus onus Angelicis humeris formidandum appellat, aggredi; atque ut eò feliciùs tantum opus inchoaret, proniorémque in se favorem Virginis experiretur, illud præ primis curavit, ut in ejusdem Virginis Monasterio piis S. Patriarchæ nostri Ignatii meditationibus sive exercitiis, pro egregia illa sua, qua & in DEUM, & sanctissimam ipsius Matrem fertur pietate, octo dierum spatio animum excoleret, viresque ad Athlanteum illud onus in humeros tollendum validiores impetraret; nec spe sua optimus frustratus est Antistes: nam in Rachoziana rebellione, quâ per summum nefas Hungariæ Regnum hostilibus armis impiissimus Calvinista occupare attentavit, adeò fortiter, ac strenuè se se nefariis ipsius conatibus opposuit, ut & Cæsaris & totius Regni, gregísque inprimis sui, rem præclarissimè gesserit, adeò, ut nullam optimi Præsulis partem intermisisse visus sit.

Georgius Lippay priusquam Archiepiscopatûs onus in se assumeret, Exercitia Octiduana S. P. Ignatii præmisit cum Regni, & gregis sibi commissi emolumento.

Cypressus adeò fortis, ut maximis oneribus sit ferendo. Symbolum fortitudinis Marianæ.

62. Quid de Cypressi pulcherrima illa proprietate dicam, quæ adeò fortis est, ut maximis oneribus sit ferendo? de hac rursus Richardus à S. Laurentio ibidem est audiendus: *Cypressus*, inquit, *oneribus supportandis est aptissima, quia infragibilis, & oneribus nunquam cedit, sed sub eis perpetua stabilitate perdurat.* Similiter & MARIA nunquam cessit oneribus tribulationum, quas patiebatur in Filio. Per charitatem verò, quæ omnia sustinet, infatigabiliter, & quasi infrangibiliter humanæ infirmitatis in nobis onera suffert, & supportat juxta illud Rom. 15. *debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere.* Et sanè peccatores, atque impii onus sunt, ipsis, ut ita dicam, Herculeis humeris exhorrescendum; quos tamen Virgo nostra mirâ suffert fortitudine, ac facilitate, tanquam pietatis ac misericordiæ vera Mater eos uberibus consolationis in adversis, æque ac prosperis lactando, ut convertantur, & salutem, ad quam ipsa tantopere cooperata est consequantur.

Impiorum, & peccatorum onus, quàm grave sit.

63. Quantopere porrò impii, DEI ejúsque Matris humeris graves existant, testatus est Siracides Eccli. 22. *Super plumbum*, inquit ille, *quid gravabitur? Arenam & salem & massam ferri, faciliùs est ferre, quàm fatuum & impium.* Peccatorem suorum gravitatem hanc agnoscebat Job, cùm ingemiscens sub illis sudabat:

dabat: *Utinam*, inquiens, *appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris, hæc gravior appareret.* Impietas nimirùm est mulier illa in medio amphoræ, talentô plumbi obduratæ, quam Zacharias contemplatus est, cùm capite 5. dixit: *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit: hæc est impietas, & projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus.* Quid enim mulier in medio amphoræ considens significat aliud, quàm impiissimorum Judæorum, quâ per summum nefas DEI filium, trucidàrunt, impietatem? hæc quàm gravis fuerit, plumbi talentum, quô os amphoræ obduratum est, significat. Illô enim tam atroci facinore impleverunt mensuram patrum suorum; qui tot Prophetas ac viros sanctos, tam diris suppliciis mactârunt, illô nimirum Deicidiô tanquam talentô plumbi clauserunt scelerum suorum mensuram, atque sigillârunt. Talentum porrò plumbi immensi esse cujusdam ponderis advertemus, si intellexerimus illud sex milliaDrachmarum appendere. Jam si sola Hebræorum scelestissimorum impietas Talentum plumbi ponderat, quantùm, DEUS immortalis, Paganorum ponderabit impietas, quantùm Turcarum, quantùm tot Hæreticorum, ac Schismaticorum, quantùm tot millium Christianorum, quantùm impietas Mortalium omnium, qui à primis mundi incunabulis exstiterunt modò, & usque ad consummationem sæculi futuri sunt? Quare Palacius Siracidis verba illa considerans, præclarè pronunciavit: *Igitur gravissima in mundo sunt plumbum, arena, sal, & ferrum: at his gravior est stultus; si enim deorsum ferri, gravitatis est signum, fatuus in infernum descendit, quò plumbum & alia gravissima descendere nequeunt. Et quidem fert DEUS omnia; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & fert omnia verbô virtutis suæ, fatuum tamen non sustinet: ait enim: laboravi sustinens, & tandem pondus in infernum excutiet.* Isajæ 1. 14.

Mulier in medio Amphoræ, quid significet?

Talentum plumbi sex millia Drachmarum appendit.

64. Quare nîl mirum, DEI Filium in horto orantem, mortalium sceleribus onustum, laborâsse sustinendo, nec tamen tantum pondus ferre potuisse, sed sub tanto onere corruisse, sanguinémque adeò copiosum toto corpore sudâsse, ut non modò vestibus contineretur, verùm etiam illis imbutis in terram proflueret, dicente Evangelista Luca: *Factus est sudor ejus velut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Tunc nimirum botrus ille cypri dilectus, velut torculari peccatorum nostrorum pressus & oppressus, pretiosissimum suum sanguinem velut suavissimum vinum, ad sui amore homines inebriandos expressit. Corruisse, & sub pondere pene exanimatum fuisse optimum Dominum JEsum sæpiùs, cùm bajulans crucem, in qua omnia mundi erant peccata convasata, processit in eum, qui est Calvariæ, locum, crediderim. Verùm cùm in horto oravit, multò ampliùs; ibi enim ita angustiatus est, ut prodigiosè sanguinem sudârit, & tot nefandis malis fuit oneratus, ut *procideret in faciem suam*, inquit Matthæus 26. *super terram*, adjunxit Marcus Cap. 14. *positis genibus.* addidit Luc. 22. atque ita non modò in genua tam enormi flagitiorum totius mundi sarcinâ onustus, verùm etiam in faciem suam Benedictam, super terram nostram maledictam, tribulos spinásque germinantem, procubuit. Quid ita? Respondeat Isaias Cap 53. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrûm.* Ob quam apud Psalmistam ajebat. *Quoniam*

DEI filius peccatorum onere onustus in horto corruit, sanguinem sudavit.

Cum tantum sit onus Peccatorum quàm fortes humeros B. V. sortita est, quæ tot enormes peccatores suffert, ac sustinet misericorditer.

ego in flagella paratus sum. Cùm igitur adeò enormis sint ponderis peccata nostra, ut illos altissimos, fortissimósque DEI, verbô cuncta portantis, humeros ad terram usque cum genibus, sacratissimáque illa facie, in quam Angeli prospicere desiderant, depresserint, quantam Virgineæ hujus Cypressi soliditatem esse oportet, quæ tot innumeros, ac enormes peccatores tam benignè ad pœnitentiam exspectando, quasi humeris portat, ac supportat, donec tandem eos in beatissimam illam patriam importet?

65. Tanto labore hæc Virgo nostra benignissima peccatorum nostrorum onera portare consuevit, ut jis subinde ipsi sudorem eliciamus. Testatur hoc Pater Spinellus in throno Deip. Tract. de exemp. cap. ult. ubi scribit: Imaginem Deiparæ rudi penicillo depictam in pariete cujusdam domunculæ, in qua retia, aliáque hujusmodi nautica instrumenta servabantur, Salerni in Regno Neapolitano Anno 1611. horâ ante solis occasum, prodigiosum cœpisse sudorem emittere, aqueo liquori persimilem; guttula etiam rubra velut sanguinei coloris ex ejus fronte fluxit, quod à quatuor viris observatum est: fuit sudor hic prænuntius ingentis cladis, quæ die sequenti, in festo Pentecostes videlicet, in monte Virginis contigit ob variorum hominum turpissima flagitia, comessationes, ebrietates, impudicitias, libidines, ac choreas profanis Cantibus admixtis, quas impiissimi homines intra septa Templi per summum nefas ducere ausi sunt. Ignis enim in Hospitio proximo, quod peramplum est, & aliquot peregrinorum centurias capit, accensus, quadringentos circiter absumpsit cum vicino Monasterio, aliorúmque quamplurimorum interitu. Videtur sanè Deipara, tam multorum calamitatem miserata, precibus apud Filium pro eorum incolumitate enixè fusis quasi laborâsse ac sudâsse, dicendo ad impios illos peccatores singulos domûs suæ profanatores cum filio: *Servire me fecisti in peccatis tuis. præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Isa. 43. 24. Ut porrò ostenderet Virgo benignissima, se enormitate scelerum obrutam, diutiùs iræ districti Judicis resistere minimè potuisse, & quod in se erat, præstitisse, puerum quemdam inibi sibi impensè devotum, qui præter cætera pietatis officia bis qualibet hebdomada in ejus honorem jejunabat, manu propria apprehensum, ab incendii periculo liberavit, uti & reliquos montis Virginis Religiosos, suo cultui, ac venerationi plurimùm addictos. Denique ubi illius imaginis sudor evulgatus fuit, ingens hominum concursus mox est factus, pecuniáque collecta copiosè, adeò, ut brevi nobile templum exsurrexerit, & ad imaginem hi appositi versiculi:

Sudant quandoquè Imagines B. V. indicantque gravia mala imminentia in pœnam peccatorum.

Salerni in Regno Neapolitano B. V. puerum sibi devotum manu apprehendit & incendio subduxit.

Virgineus cum Mons multorum cæde flagravit
Sudorem hæc visa est mittere sanguineum.

Et ne cuipiam suspicio oboriretur, sudorem hunc vel casu, vel naturaliter, vel alia de causa profluxisse, ex eo primùm tempore cœpit Imago illa Deiparæ miraculis illustrari; die enim ipso Pentecostes clericus quidam, cui brachium sinistrum unà cum manu jam supra biennium exaruerat, desperata à medicis sanitate, hoc sudore à Sacerdote manus ejus, cùm esset illita, statim brachium cum eadem manu movere cœpit. Qui plura hujusmodi volet miracula, eundem Spinellum locô citatô consulat.

66. Statua quoque Beatæ Virginis Thallensis penes Posonium, uti narravit mihi vir Religiosus Pater Joannes Michalzy Ord. S. Pauli Primi Eremitæ, nunc Magister Novitiorum in Lepa glava: anno 1634. in festo S. Stephani Proto-Martyris, se Deiparam vidisse propriis oculis unà cum tribus ejusdem ordinis Patribus sudorem emisisse; Crediderim eum præsagium fuisse, malorum ac calamitatum, quæ post Mortem Ferdinandi II. piissimi, Opt. Max. Cæsaris, & Cardinalis Pazmanni intimi ipsius Consiliarii, toti Imperio, Boëmiæ, Moraviæ, Austriæ, atque Hungariæ in sequentibus annis contigerunt; Credibile enim est, benignissimam Reginam in verbo cuncta videntem, pro tantis avertendis cladibus adeò apud Filium fortiter egisse, ac laborâsse, ut peccatorum nostrorum moles sudorem ei tam copiosum elicuerit. Pia enim Ferdinandi III. Cæsaris sibi addictissimi, tam tetris calamitatibus, suorúmque populorum stragibus, Regionum vastitate, atque excidiô, maximè Hæreticorum perfidiâ involvendi, commiseratione tangi videbatur. Hæc nimirum clades ex enormibus mortalium sceleribus originem trahentes, dulcissimæ Virgini tam largum sudorem expresêre.

Ad calamitates Ungariæ B. V. imago Thallensis sudavit.

57. Legimus quoque, quòd alibi eadem Virgo sudorem sanguineum ob mortalium scelera emisisse reperta sit. De statua Deiparæ Sichimensis in Belgio Anno 1603. id testatur Pater Antonius Balinghen noster in Cal. B. V. 3. Januar. n. 3. Diverterant ad sacrum Sacellum è pagis adjacentibus quinque Scabini, Virginis salutandæ gratiâ: Inter salutandum unus ex jis guttam sanguinis in labro videt Dei Matris; accedit, manu tangit, & digitis abstergit; attonitus ostendit sociis, non sine eorum item admiratione. Sed ecce secunda se ibidem gutta prodit, & ab alio detergitur; fit idem tertiò, fit & quartò: Quartam hanc stillam sanguinis quidam ex illis candidô linteô exceptam, omnibus exhibuit veri sanguinis colore, mansitque inposterum diem instar denarii nummi diffusa, licèt minùs ruberet, ut in vero sanguine fieri consuevit. Deiparæ sudorem hunc sanguineum vi Divinâ ex arido simulachro stillantem, indicem interni fuisse doloris, quô Virgo angi ac excruciari videbatur ob tantum, Hæreticorum impietate in Belgio, mortalium fusum fundendúmque imposterum cruorem. ut Justus Lipsius Vir in Deiparam pientissimus ominatus est; qui sic de hoc sudore modulatus est:

Ad Hæreticorum impietatem in Belgio Statua B. V. Sichimensis sanguinem sudavit.

Quid signi tamen hoc fuisse dicam?
An sudas Dea sanguinem? hoc in ævo?
Et sic exprimis? an magìs cruenta
Sistes bella, tuisque gutta labris
Ut detersa fuit, sic & madenti
Huic fiet Patriæ? O benigna fiat!
Et juva precibus, Deúmque placa.

68. Neque verò modò sudorem, eúmque sanguineum, peccatorum nostrorum gravitate oppressa Deipara fuisse, verùm etiam copioso lacrymarum imbre immaduisse visa est aliquando. Certè anno 1404. in Episcopatu Spoletano propè oppidum Trivii, ubi Sacellum quodam in compito, in quo Divæ Virginis imago depicta visebatur, quæ à plurimis lacrymas fundere visa est. Erant nimirum lacrymæ illæ Virgineæ malorum Italiæ jmpendentium sat clarum Prognosticon; ejus rei fama plurimos ab usque Roma excivit, collectæ mox eleemosynæ largissimæ, templum inibi miræ magnitudinis, ac speciei ad Divæ Virginis gloriam exstructum est, quod in hodiernum

num usque diem templum S. MARIÆ de lacrymis nuncupatur. Cal. B. Virginis 21. Maij. Ex his colligimus, Virginem velut Cypressum, nulli peccatorum quantumvis enormium, & gravissimorum oneri, unquam cessisse, sed usque ad sudorem, cúmque sanguineum, lacrymásque amore nostri liquescentem toleráste.

69. Hugo de S. Victore in Cypresso aliam Deiparæ fortitudinem rimatur in instit; MonasticisSerm. 47. nempe eam, qua mundum, ejúsque illecebras, rerum Divinarum contemplatione mente in cœlum quodammodò defixa proculcavit: *Cypressi lignum*, inquit ille, *fortissimum, Cedro pene proximam habet virtutem, templorum trabibus aptam, impenetrabili soliditate, nunquam oneri cedens, sed in ea, qua primum fuerit, soliditate perseverans; fortitudinem quoque congruè significat: Sion etiam, quæ specula interpretatur, sancta Ecclesia benè intelligitur, quæ cœlestis boni pulchritudinem sublimiter speculatur. Beata itaque Virgo quasi Cypressus in Monte Sion exaltata dicitur, quæ, dum in Mundo viveret, cunctis, quæ mundi sunt, potenter subactis, virtutum gradibus ad cœlestia fortiter scandens, Divinitatis gloriam præ cunctis Ecclesiæ fidelibus speculabatur, & nunc eam præ cunctis spiritibus cælestibus contemplatur.* Hactenus Hugo.

Cypressus pro signo mœroris, ac funeris olim exponebatur, qui usus ex Fabula ortum duxit.

70. Cypressus denique pro signo mœroris ac funeris olim exponebatur, eadémque Poëtæ elegi nænias mortuorum deplorantis coronabatur. Hinc canebat ille:

Mæstáque caput damnabo Cupresso.

Qui usus ex ea fabella originem traxisse videtur, quam Ovid. lib. 10. Metamorph. scribit; ubi Adolescentem quendam Cyparissum nomine, cervi cujusdam pulcherrimi nimiùm quantùm amore captum narrat, quem cùm is sagittâ miserabili quodam casu confixisset, doloris vehementiâ in arborem sui nominis mirabili metamorphosi fuit transformatus. Cervi hujus pulchritudinem Ovid. hisce depinxit coloribus:

Ingens cervus erat, latéque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant aurô, demissáque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla, super frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur, parilique ætate nitebant
Auribus è geminis, circum cava tempora, baccæ.
Isq; metu vacuus, naturalique pavore
Deposito, celebrare domos, mulcendáque colla
Quamlibet ignotis manibus præbere solebat:
Sed tamen ante alios Ceæ pulcherrime gentis
Gratus erat Cyparisse tibi, tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undas,
Tu modò texebas varios per cornua flores, &c.

Per cervum DEI Filium sagitta mortis confossum intelligere possumus, quem dum plangeret Deipara, præ doloris vehementia inCypressum conversa est.

71. Cervum hunc venustissimum dixerim ego (liceat fabellis aliquando admiscere seria) denotare Christum DEI Filium Virginis Matris delicias, de quo illa Cant.2 *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles, similisque est Dilectus meus capreæ, hinnulóqee cervorum.* De hoc dicere videbatur Prov. 5. Salomon: *Sit tibi cerva clarissima, & gratissimus hinnulus.* Hic sive cervus sive hinnulus, ut telô mortis acerbissimæ confossus est, Mater pia doloris vehementiâ in Cypressum luctiferam quodammodò transmutari visa est, adeò ut doloris magnitudine

Compassio B. V. filio suo exhibita, dolores Martyrum excessit.

tudine omnium Martyrum quantumvis gravissimos cruciatus, quos toto corpore tolerârunt, longè excesserit, & præ illis planè Cypressus quædam in Monte Calvariæ fuisse visa fuerit. Unde Prosper Martinengus in sua Parthenodia ob mortem filii censuit in Cypressum lugubrem quodammodò transformatam, dum ita canit:

Num Cypressum concinam,
Quem fuisse mentiuntur nobilem puerulum,
Cui fuit perempta cerva, causa acerbi funeris?
Occupat sed nomen istud rectius Virgo inclyta;
Quippe quæ crudele funus interempti atrociter,
Flebilis gnati immerentis mæstula olim luxerit,
Et modò graves ruinas nostra probráque ingemit,
Quòd relicto Rege cæli, nos vocante ad sydera,
Gloriámque sempiternam, mergimur sub Tartarum.

MARIA in morte filii sui Benedicti Martyr.

72. Propter hanc doloris vehementiam de morte Christi salutis nostræ, sitientissimi, atque cupidissimi, à SS Patribus Deipara plùs quàm Martyr appellata est, ut alibi fusius ostensum est. Unde mellifluus Bernardus Serm. de Verb. Apocal. *Martyrium sanè Virginis*, inquit, *tam in Simeonis Prophetia, quàm in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. Positus est hic ait S. Senex de parvulo JESU in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam* (ad MARIAM dicebat) *pertransibit gladius. Verè tuam O Beata Mater animam gladius pertransivit, alioquin non nisi eam pertransiens carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquàm emisit Spiritum tuus ille JESUS (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius, nec mortuo parcens, cui nocere non posset, aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirū anima jam ibi non erat, sed tua planè, indéque nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, & plùs quàm Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis, excesserit compassionis affectus. An non tibi plùs quàm gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ, & Spiritûs: Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Iesu traditur, servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, Filius Zebedei, pro filio DEI, homo purus pro DEO vero. Quomodò non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licèt saxea, licèt ferrea pectora, sola recordatio scindit? Nec miremini, quod MARIA Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd sine affectione fuissent*, Rom. 1. *Longè id fuit à MARIÆ visceribus, longè sit à servulis ejus, &c.* Hæc ille.

Amoris affectione plusquam Martyr B. V. quæ charitatis vi in crucifixum filium transformata fuit.

73. Agnovit amoris affectione plusquàm Martyrem fuisse Virginem, ejusdémque charitatis vi in crucifixum Filium transformatam, sanctus Bonav. Par. 1. Stim. Div. Amo. Cap. 3. Cùm illam ita est allocutus: *Vulnera O Domina, vulnera corda nostra, & in cordibus nostris tuam Filij tui renova passionem! Cor tuum vulneratum conjunge cordi meo ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. Cur hoc tuum cor saltem, O Domina, non habeo, ut quòcunque pergam, semper te tuo filio videam crucifixam? O Domina! non vis mihi dare tuum Filium crucifixum, nec cor tuum vulneratum, saltem quæso mihi tribue Filij tui vulnera, contumeliásque, & illusiones, ac opprobria, & illa, quæ in te sentis. Quæ enim Mater est, quæ si posset, & à se, & à suo filio non auferret passiones, & in suo poneret servo? aut si inebria-*

ebriata es istis, quòd nec vis à tuo corde, nec à tuo Filio separari; saltem Domina illis ignominijs & vulneribus indignissimum me conjunge, ut tibi, filióque tuo solatium sit habere socium pœnarum. O quàm beatus essem, si possem saltem vobis in vulneribus sociari! Nam quid est magis hodie Domina, quàm habere cor junctum cordi tuo, & corpori tui filij perforato?

74. Cùm igitur Virgo nostra amoris viin Crucifixum Filiũ fuerit transformata, & cum moriente per compassionis affectum quodammodò mortua, quis eam Cypresso arbori funereæ comparare dubitabis? optat jam quispiam jugem Dominicæ passionis, mortísque in mente, animóque suo fovere memoriam? Ad Virgineam hanc Cypressum identidem intellectûs oculos convertat, recolátque eam doloris gladio in Filii sui morte, quâ ipse velut cervus telo amoris confossus occubuit, transverberatam, inque Cyparissum quandam intèr omnes Martyres eminentissimam fuisse transmutatam; recolat ejus cor, ut B. Laurentius Justinianus loquitur, factum fuisse Dominicæ passionis speculum; recolat denique crucifixum JESUM velut fasciculum myrrhæ, intra mentis ejus ubera assiduè fuisse commoratum, atque ita videndo Virginem sibi videre videbitur in corde ejus cruci suffixum, consputum, flagellatum, spinis coronatum, mille ludibriis expositum universorum Dominum, agnoscétque revera jure meritissimo a D. Epiphanio eam Thronum Cherubicum cruciformem fuisse appellatam.

Cor MARIÆ Dominicæ Passionis speculum.

MARIA, Thronus Cherubicus cruciformis appellata.



DISCURSUS SEXTUS.

MARIA VIRGO PALMA PARADISI.

Quasi palma Exaltata sum in Cades. Ecclesi. 24.

1. CONsideratâ Cœlestis Sponsus utrâque in Virgine, tam animi quàm corporis attentiùs pulchritudine, ipsam palmæ conferre non dubitans Cant. 7. 6. Cùm admiratione suspensus exclamavit: *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in delicijs? Statura tua assimilata est palmæ;* sive ut alii ex Hebræo transtulère: *Quàm pulchra es, & quàm jucunda O charitas in delicijs! hæc statura tua similis est palma.* Quasi diceret: tanta est totius oris, corporísque tui nonmodò ex apta membrorum symmetria, colorisque suavitate, verùm etiam ex interna animi forma in te resultans venustas, ut omnes ad tui castissimum, jucundissimúmque amorem, charitatémque, ipsa quodammodo effecta charitas allicias: Unde fit, ut inter omnes Creaturas altitudine perfectionis, quæ vera est animæ pulchritudo, ad instar palmæ emineas, déque illis omnibus palmam, utpote, quæ es pulcherrima Mulierum, referas. Ne porrò pulchritudinem, elegantiámque Virginis aliquarum mulierum instar, turpitudinis aliquod illicium habuis-

Palmæ folia ensiformia Symbolum sunt pulchritudinis Marianæ de mortalium

cordibus subactis, velut exercitus gladiis instructus triumphantis.

buisse arbitraremur, aptè palmæ confertur, cujus folia speciosissima speciem gladii præseferunt, ut intelligeremus inprimis visam Divinam Virginis speciem, in homine vitam carnalem, ac sensualem veterémque Adam enecare, ac velut ense confodere consuevisse, uti Discur. 4. fusè ostensum. Deinde eandem internam præsertim animi formam eximiis virtutibus, ac perfectionibus constantem, esse velut totidem palmæ folia enses repræsentantia, quibus mortales sibi per amorem subjicit, déque omnibus tanquam armatus, ac benè gladiis instructus exercitus triumphat. Quod verò pulchritudo gladius quidam sit, testatur David Psal. 44. ubi MARIAM speciosam forma præ filiis hominum alloquens, ajebat: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Quis porrò sit hic gladius, ulteriùs prosequens, annectit: *Specie tua & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna;* insinuans Messiam formæ suæ elegantiâ gratiaque, velut armis, mortalium animos expugnaturum, suavissimáque quâdam violentiâ in suum regnum potestatémque redacturum.

Pulchritudo gladius quidam est.

Amoris arma potentissima.

2. Amoris arma, sagittásque, vimque earum potentissimam
Expertus erat poëta ille, qui de eo concinebat:

Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero gnosia utroque jacet.
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

In me tela manent. Prosper lib. 2. Eleg. Et rursus:

Non tot Achemeneis armantur fusa sagittis
Spicula, quot numero pectore fixit amor.

Idem denique alibi ait, amorem omnes captivare, nec sui juris amantes esse sinere.

Amor omnes captivat, nec sui juris esse sinit, quocunque tandem fugiant.

Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amore volet.

Quare docet eodem libro, quempiam amore captum, nullum omnino posse effugium reperire, licèt extrema terrarum aerisque altitudinem penetraret:

Quo fugis ah demens? nulla est fuga, tu licèt usque
Ad Tanaim fugias, usque sequetur amor.
Non si pegaseo vectèris in aëra dorso,
Nec tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel si te sectæ rapiant Talaribus auræ,
Nil tibi Mercurij proderit alta via.
Instat semper amor, supra caput instat amanti,
Et gravis ipse super libera colla sedet.

3. O quam longè aptiùs hæc de hoc Virgineo castissimóque amore, atque charitate, quæ Virgo est ipsissima, dicerentur? ipsa enim, cùm palma sit, gladiis undique obarmata, mortales omnes in se oculos defigentes castissimè feriat, felicissimè captivet, jugúmque non grave, sed leve ac suave collo ita injiciat, ut nusquam effugere valeant, necesse est.

Castissimo amori ac charitati B. V. dicta applicantur.

4. Palmæ frondes instar gladiorum esse, agnovit Richardus a sancto Laurentio. lib. 12. de laudibus B. V. *Palma spatulas habet pro folys,* inquiens, *& spata bellicum est instrumentum. Palma spatula, sunt verba humilia MARIÆ, quibus, quantùm in se est, à nobis resecat per exempla, superfluitatem, verborúmque magniloquium: quasi diceret: nolite multiplicare sublimia gloriantes, sed recedant vetera de ore vestro.* 1. Regum 2. *Rami*

Palmæ frondes instar gladiorum, exempla virtutum sunt, quæ nobis præbet B. V. ut contra vitia pugnemus.

mi ejus, id est, virtutes Virginis gladij sunt, quibus dimicavit contra vitia, nobisque similiter dimicandi exemplum dedit; quô nobis loqui videtur, cùm Eccli, 4. cap. *pro justitia agonizare, pro anima tua & usque ad mortem certa pro justitia, & DEUS expugnabit pro te inimicos tuos. Quibus depugnatis DEI Virginisque amor in corde nostro mira capiet incrementa.*

5 Ad amorem hunc Virginis, quô in Deum, & nos fertur ostendendum, addit Sponsus, *Et ubera tua botris*, scilicet, *assimilata sunt*, in quibus uberibus Cœlius Pannonius, in Comment. M. S. in Cantica geminam Virginis dilectionem, Dei videlicet, & proximi docuit significari: *duo sunt ubera*, inquiens, *quia duo sunt vitæ præcepta, quibus colligitur, quidquid Lex habet, quidquid & Prophetæ ardenti zelo perorârunt, ut: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis; proximum autem sicut te ipsum, ad eandem beatitudinem tecum creatum; cui æquè benè velis, ut tibi, juvando, hortando, consolando, & quidquid summa humanitatis officij est faciendo, & hæc omnia in summa Spiritûs dulcedine. Ubera enim lac fundunt in dulcedine, quæ ideò botris assimilantur, quia in illis succus dulcissimus est, & per se lac, quod dant ubera, dulce est. Gemina ergo dulcedo cumulatur, dum uvæ dulcedini, lactis dulcedo copulatur: sed in botris consolatio quoque innuitur, ad dulcedinis delectationem. Quia vinum lætificans cor hominis est, ut cum lacte uberum nutriamur, vino botri consolemur, etiam usque ad animæ saturitatem.* Sic ille.

Per duo ubera Sponsæ gemina B. V. dilectio, Dei videlicet, & proximi significatur.

Ubera botris assimilantur, quia in illis succus dulcissimus est, & per se lac, quod dant ubera, dulce est.

6. Ex quibus omnibus colligimus, Virginem ad instar palmæ gladiis amoris armatam, non modò mentes, animósque nostros perempto veteri Adam expugnare, & in sui castissimi amoris captivitatem pertrahere, verùm etiam nobis geminum illum, cúmque dulcissimum amorem Dei videlicet, & proximi, quô ipsa plena est, instillare, dum velut amantissimi filii ab ejus amoris uberibus pendemus, ex quibus non tantùm lac dulcissimum consolationis, sed etiam vinum cor hominis lætificans haurientes, ab ubertate Domûs Dei inebriamur, & cœlestis voluptatis torrente, ita, in hac etiam peregrinatione potamur, ut sempiternæ felicitatis gaudia, dum hîc vivimus, prælibare videamur.

Ubera dilectionis Marianæ dulcissimum Dei & proximi amorem nobis instillant, & uberrima consolatione lactant.

7. Quibus uberibus ut labia infigamus, maximo cum pietatis, amorisque sensu nos hortari visus est Salomon, cùm dicebat Prov. 5. 19. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus, ubera ejus inebrient te omni tempore.* Quæ verba ponderans Guilielmus Abbas: *habet*, inquit, *pia Mater, & spiritualia ubera, quibus nimirum datum est illi, adoptivos fratres filij sui spiritualiter enutrire, & de his quidem uberibus ejus potest intelligi, quod in proverbijs dicitur de cerva, &c.*

8. Eandem palmæ similitudinem ad pulchritudinem Virginis declarandam transtulit B. Theodoretus in Cant. lib. 4. ubi postquam ipsius miram, Giganteámque quandam membrorum magnitudinem depinxit, collúmque eburneæ turri, oculos piscinis in Hesebon, nasum turri Libani, caput Carmelo Monti contulisset, expendissétque admirationem ipsius Sponsi, qui virtualem ipsius immensitatem quamdam, ac plùs quàm humanam, Angelicámque obstupescens pulchritudinem, charitate potissimùm Dei proximíque constantem dicebat: *Quàm decora, & quàm jucunda facta est charitas in delicijs tuis?* hæc attexuit: *hæc omnia consecuta es, quoniam charitatis deliciis oblectaris. Diligens enim amantem te Sponsum, & in ejus amore omnes tuas delicias locans, reliqua omnia contempsisti. Quam ob*

rem

rem & decora, & suavis effecta es, & magnitudo similis facta est palmæ, & ubera tua botris. Cùm enim excelsa sis adeò, ut cœli fastigium attingas, tamen submittis te infirmis Discipulis tuis, quibus doctrinâ indigentibus ubera præbes doctrinæ tuæ. *Palma enim fructus deorsum pendentes habet.* Egregium sanè charitatis symbolum, inquit Pater noster Cornelius; Palma in sublime assurgens, deorsum tamen dactylis pendentibus onusta, ut, quæ DEUM intimè complectitur, ad utilitatem tamen proximorum se se demittit: id fecit, & facit sanè præ omnibus sanctis beata Virgo, quia præ omnibus Angelis, & hominibus charitate excellit, & flagrat.

Palma fructus deorsum pendentes habet. Insigne charitatis Marianæ Symbolum.

9. Ut porrò ostendat idem B. Theodoretus Divinam hanc Sponsam in perfectione charitatéque DEI, ac proximi in dies singulos majora ac majora facere incrementa desiderasse, quò revera magnitudo ejus, ac statura Cœlum Empyreum, soliúmque Divinitatis quodammodò pertingeret, verba illa sequentia eidem attribuit Sponsæ: *Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*; *additque simul: quanto Sponsi desiderio Sponsa teneatur, hinc patet perspicuè quòd & cupit ascendere, & cogitat de altitudine, & sicut Apostolus ait, nondum arbitratur se comprehendisse, sed persequitur ut comprehendat, & eorum, quæ retrò sunt, obliviscitur, & ad anteriora contendit, ut nimirum ipsius dilecti divinam perfectionem assequatur.*

Beatissima Virgo in perfectione charitatéque Dei ac proximi in dies singulos majora facere incrementa desideravit.

10. Similiter tres illi Patres, Nyssenus, Maximus, & Nilus apud Theodoretum locô citatô, palmam non solùm ipsius Christi, sed etiam Virgineæ pulchritudinis à filio derivatæ, symbolum esse arbitrati sunt, dum ita loquuntur. *Quàm decora, & quàm jucunda facta es charitas admirabili circumdata es pulchritudine, eâ nimirum, quæ pervenit ad te ex similitudine, & exemplari, & sponso conjuncta, illóque fruens, incredibili jucunditate spirituali referta es. Unde magnitudo tua palmæ similis facta est. Tua videlicet ex virtute sublimitas assimilata est palmæ, quæ radice non ita in profundum tendit, sed vertice sublimis admodùm extollitur: sic tu de rebus terrenis leviter cogitans, quantùm corporis necessitas urget, mentis altitudine cœlos attingis, cum ad mensuram ætatis plenitudinis Christi perveneris.*

Marianarum virtutum sublimitas Palmæ assimilatur.

11. Iidem Patres pulchritudinem Virgineæ charitatis, quâ proximis doctrinâ & exemplô prodesse semper studuit, in verbis illis: *Et ubera tua botris* assimilantur scilicet agnoscentis, hæc attexunt: *Ubera nimirum doctrinæ tuæ tum moralis, tum naturalis, quibus nos adhuc infantes ad pietatem erudiens aluisti, nunc similia facta sunt Palmæ botris, dum nos ad perfectionem progredientes, diviniore doctrina pascis, quasi mellita botrorum palmæ dulcedine.*

Doctrina tum moralis tum naturalis, quâ nos eruditB.V. uberibus, & Palmæ botris assimilatur.

12. Ut verò ostendat Virgo, quantô virtutes, perfectionémque Filii imitandi flagret desideriô, mox prosequitur, aitque: *Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam altitudines ejus, & erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Quæ verba jam memorati Patres explicantes ita Virginem Filii perfectionis cupidam, eundem alloquentem introducunt: *Mecum ipsa deliberans dixi; ascendam per virtutis imitationem ad perfectionem Doctrinæ tuæ; ubera, quæ me naturaliter nutriunt, erunt omnino sicut botri vineæ, vitis, quæ Christus est, præbentes mihi gratiam Divinitatis, quæ more vini à natura mentem dimovet, & super naturam transfert.* Hæc Patres.

13. Omnium denique pulcherrimè atque absolutissimè, Palmarem in Virgine veluti speculo plurimarum virtutum varietate repræsentatam, pulchritudinem, explicuit Alanus; *B. Virgo*: inquiens: *quasi*

Diversæ Palmæ proprietates, diversis Marianis virtutibus accommodantur.

quasi Palma asperum habuit corticem, quia quantùm ad sæcularem honorem, fuit infima, quantùm ad divitias temporales paupercula; sed firmitatem habuit roboris per constantiam mentis. Erecta fuit stipite, quia suspensa in cœlum animi intentione, pulchra in culmine, in Virginitatis & humilitatis celsitudine, delectabilis in flore, quia sine concupiscentia concepit florem campi, & lilium convallium. Dulcis in fructificatione, quia sine poena peperit mundi Redemptorem. Hæc nobis proponitur in signum victoriæ & exemplum, ut sicut ipsa vicit mundum, peccatum, diabolum, ita & nos vincamus juxta posse nostrum. Ubera MARIÆ dicuntur Virginitas, & Humilitas, in quibus delectatus est Christus, quæque nobis proposita sunt ad informandum, & instruendum, ut sequamur vestigia ejus. Comparantur botris, quia botrus in flore parit odorem, in fructu dulcedinem. Calefacit etiam, & reficit, sic Virginitas, & Humilitas Virginis fragrant odore bonæ opinionis, fructum dulcedinis propinant, calefaciunt in amorem, & reficiunt ad spiritualem satietatem. Hæc ille. Ex quibus omnibus Palmæ hujus Virgineæ mira, divinaque venustas, nec non in mortales omnes redundans utilitas perspicitur.

Palmam symbolum est constanstantiæ, roboris, invictique animi; hinc victoribus olim ad manus sive palmas Palmæ frondes dabantur

14. Jam ad reliquas Palmæ considerandas proprietates, virtutes Deiparæ mirificè repræsentantes, gradum faciamus. Palmam Symbolum esse constantiæ, roboris, invictique animi nemo ignorat: Hinc antiquitus iis, qui in bello fortiter egissent, manus palmæque palmâ ornabantur. Unde S. Isidorus lib. 17. Orig. cap. 7. *Palma*, inquit, *dicta, quia manus sive palma victricis ornatus est, vel quia oppansis est ramis, in modum palmæ hominis. Est enim arbor insigne victoriæ, proceróque ac decoro virgulto, diuturnísque frondibus vestita, & folia sua sine ulla successione conservans. Hanc Græci* Φοίνικα *dicunt; quòd diu duret ex nomine Avis illius Arabiæ Phœnicis, quæ diu vivere perhibetur.* sic ille. Quam sane arborem licèt Virgo Beatissima totius vitæ decursu gestis, moribúsque suis mirè expresserit, ut decursu sermonis videbitur, expressit tamen vel maximè, dum morienti juxta crucem inter tot dolorum, mœrorúmque turbines, ac procellas immota constitit, adeò, ut dilectus Discipulus dixerit Joan. 19. *Stabat juxta crucem JESU Mater ejus.* De cujus sanè constantiâ ac fortitudine in tantis Filii ærumnis illud dici potest Virgilianum Æneid. 7.

Palmam totius vitæ decursu gestis & moribus suis expressit B.V. vel maxime tamen dum sub cruce stabat.

Illa velut pelagi rupes immota resistit:
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circum latrantibus undis
Mole tenet: Scopuli ne quicquam spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

15. Audiendus hìc Guilelmus Abbas, qui staturam illam palmæ interpretans: *Ubi*, inquit, *ad hoc ventum est, ut bajulans sibi Crucem JESUS exiret in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, tollebat & ipsa, Virgo scilicet, crucem suam, crucem interioris hominis sui, & sequebatur eum crucifigenda cum eo. Unde sequitur: Statura tua assimilata est Palmæ. Siquidem per palmam, quâ manus Victoris antiquo ritu ornatur, insigne illud & victoriosum crucis lignum signatur, cui nimirum Evangelista staturam piæ Matris assimulatam insinuans: Stabat*, inquit, *juxta crucem JESU Mater ejus.* Joan. 19. *quis tam piam Matrem dulcissimo Filio in cruce morienti astantem, acerrimi doloris ambigat crucem intùs tolerâsse? Planè ille foris, & illa intus patiebatur crucem. Stabat illa juxta crucem sui JESU, atque eò ipsò sibimet*

Dei filius foris, Deipara intùs acerrimi doloris crucem toleravit, & quasi confixa cruci stetit.

bimet quodammodò erat in cruce erecta, stando juxta crucem Filij, ipsa quodammodò per affectum maternum facta erat crux: sic ergo cùm staret juxta insignem illam Palmam, statura ejus assimilata est Palmæ. Sed clarificatô jam filiô à resurrectione ejus, & deinceps ubera ejus assimilata sunt botris, &c. Hæc Guilelmus, quibus insinuare videtur, Virginem cruci, cujus pars una, ut censent ascetici, Palmâ constabat, fuisse assimilatam, dum animo erecto, constanti, atque incusso, Filio in crucem acto speculum ipsius dolorum, ac cruciatuum effecta, imo & ipsa in crucem quodammodô acta imperterrita assistebat.

16. Unde sanctus Bonaventura 1. part. Stim. Div. Amo cap. 3. de hac Virginis juxta crucem assistentia sic loquitur: *O Domina mea ubi stabas? Numquid tantùm juxta crucem? Imò certè in cruce cum Filio, ubi crucifixa eras secum: Sed hoc distat, quia ipse in corpore, tu autem in corde, nec non & ejus vulnera per corpus ejus dispersa, sunt in tuo corde unita. Ibi Domina lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum, & contumelijs plenum, aceto & felle potatum. O Domina, cur ivisti immolari pro nobis? Numquid non sufficiebat filij passio nobis, nisi crucifigeretur & Mater? O Cor amoris, cur conversum es in globum doloris? Aspicio Domina cor tuum, & id non cor, sed myrrham, absynthium, & fel video. Quæro Matrem DEI, & ecce invenio sputa, flagella, & vulnera, quia tota conversa es in ista. O amaritudine plena quid fecisti? Cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis? Cur te domi non retinuit pudor muliebris, horror facinoris, stultorum vesania, Dæmoniacorum caterva? Hæc non considerâsti Domina, quia cor tuum alienatum totum præ dolore, non erat in te, sed in afflictione Filij, & in vulneribus unici, & in morte Dilecti.* Hæc Bonav.

Crucifixa pro nobis B. V. quia omnes cruciatus filius in corpore, illa in animo pertulit.

17. Invictam Palmam atque inconcussam, in morte Filii agnovit Deiparam S. Amadeus Hom. 5. de Laud. B. V. cùm in Monte Calvario stabat juxta crucem JESU, ipsiúsque dolores, ac vulnera mente, animóque suo hausisset, ac plùs quàm Martyr evasisset. Ait enim: *duo esse genera Martyrij, unum in manifesto, aliud in occulto, unum patens, aliud latens, unum in carne, aliud in Spiritu. Carne sancti Apostoli, & Martyres passi sunt, qui ob amorem veritatis in testimonium JESU se ipsos impenderunt, & effecti hostia Christi, calicem Domini biberunt, ut per crucem ascenderent ad majestatem. Isti ascendunt in palmam apprehendere fructus ejus, & per ascensum purpureum in lectulum veri Salomonis congregantur, ut discumbant in reclinatorio aureo, & delicijs affluant universis, edentes & bibentes in Regno DEI, Christo ministrante. Spiritu verò sancti illi passi sunt, qui aliquid passione carnis durius in suis spiritibus pertulerunt. Spiritu passus est Abraham, quando jussus Isaac filium suum, quem unicè diligebat, immolare; paterno pertentatur affectu, & ab imis visceribus pietate nati movebatur.* Hæc, aliaque ubi præmisisset, mox annectit hoc mentis Martyrium Deiparam invicto animo, dum cruci Filij adstitit, pertulisse. *Hoc, inquiens, Mentis Martyrio, quod carnis tormenta excedit, hoc patiendi genere gloriosa triumphans, quandò cunctis vicinior, tantò cunctis gloriosior Venerandæ Cruci, Dominicæ passioni inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, & torrente Doloris potata, nulli nunquam similem dolorem pertulit. Currit post JEsum, non solùm in odore unguentorum, sed in multitudine dolorum. Cernebat verum Salomonem in Diademate, quô Coronaverat eum noverca synagaga, & ipsa coronata coronâ tribulationis post eum incedebat: stabat autem juxta crucem, ut illud dulcissimum Caput Nati unctum oleô lætitiæ præ*

Deipara dum sub cruce stabat, plusquam Martyr evasit.

Duo sunt Martyrii genera, aliud internum aliud externum, alii in carne, alii in spiritu Martyrium subière.

Describitur Martyrium animi quod perpessa est B.V. dum sub cruce stetit.

præ participibus suis, arundine percussum, spinis coronatum tristi spectaculo videret. Aspiciebat speciosum formâ præ filijs hominum, non habere speciem, neque decorem, Excelsum super omnes gentes despectum, & novissimum reputatum, sanctum sanctorum cum sceleratis, & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & cervicem sustinentis omnia humeris inclinatam pendere, serenissimam faciem DEI emarcuisse, & decorem vultûs ejus absconditum. Igitur tam pro Nati morte, quàm pro Judæorum perditione, ineffabili dolore gloriosum pectus urebatur, & altissimo pietatis jaculo confossum, extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsa morte, & quod humanum genus ferre non posset, adjuta divinò munere fœmina voluit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultra humanitatem. Torquebatur námque magis, quàm si torqueretur ex se, quoniam supra se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat. Tandem ostendit inter tam amaros mentis, animique cruciatus ad instar Palmæ infracto animo Virginem constitisse, nec ullis perturbationibus fuisse agitatam: *In tanta, inquit ille, posita adversitate nec resolvit pudorem Verecundiæ, nec amisit pudorem Constantiæ.* Ad cujus rei probationem ait de ea B. Ambrosius Mediolanensis Episcopus: *Lego stantem juxta Crucem Domini, non lego plorantem: stare namque in illa cordis amaritudine magnæ adscribitur constantiæ; abstinere à lacrymis summæ verecundiæ anotatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore, stabat sublimissima quadam animi magnitudine, itaq; nec dolor excussit lacrymas, nec animum pœna dejecit, quia hinc pudor honestus, illinc fortis constantia decertabant.* Concludit denique, hortatúrq; idẽ sanctus Amadeus nos adhortando, ut exemplô Virginis in adversis simus invicti ad instar Palmæ; mente animóque infracti, atque constantes: *Ergo charissimi imitemur Matrem Domini, ut inter adversa non obliviscamur verecundiæ, & memores simus constantiæ. Non deerunt tristitiæ, non deerunt adversa, non deerunt tentamenta, & mors ipsa transitum faciet per nos. Vallemus animum humili verecundiâ, & firmâ constantiâ, vivat in mortem pudor, & inter gladios animi constantia perseveret. Tunc effecti morum similitudine similes DEI Genitrici, post eam adducemur in Templum Regis ejus Filij.*

18. Invictam Palmam juxta Crucem filij stantem Virginem agnovit Richardus à S. Laurentio lib. 2. de Laudibus B. V. partic. 2. ubi cùm docuisset Deiparam omnibus membris nostræ saluti deservjisse, tandem ait: *Ipsa staturâ Corporis nobis, dum in monte Calvario filio morienti adstitit, servitium exhibuisse: statura ipsius assimilata est Palmæ.* Cant. 7. *Hæc statura MARIÆ manifestata est in tempore Dominicæ passionis, nam cum omnes Apostoli vacillarent in fide, ipsa immobiliter perseveravit in fide. Et hæc ipsius statura comparatur Palmæ, id est, est Dominicæ Crucis arbori triumphali; quia pro rectitudine perseverantiæ, hæc ei gratia collata est, ut Nominis ejus devota invocatio sit signum Crucis Dominicæ, malignos Spiritus terreat, & expellat.* Unde Bernardus terribilem ut castrorum aciem ordinatam, deprædicans: *Non sic timent hostes,* inquit, *visibiles quamlibet castrorum aciem ordinatam, sicut aëreæ potestates MARIÆ vocabulum, patrocinium, Exemplum. Fluunt, pereunt sicut cera à facie ignis, ubicúnque invenerint hujus nominis crebram recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* Idem Richardus lib. 7. eandem Virginis fortitudinem, ac constantiam, non in dolorum solùm tolerantia, sed & in fide Christi servanda cognovit, Palmæ illam comparando: *statura tua* inquit, *quâ scilicet in fide stetisti, assimilata est Palmæ, quia sicut Palma nunquam foliorum amittit virorem, sic nec*

Statura B. V. assimilata est Palmæ, id est triumphali cruci. Nam devota invocatio Nominis MARIÆ instar signi dæmones fugat.

Constantia B. V. in fide Christi assimilata est Palmæ.

nec ipsa fidei suæ virtutem. Unde dicitur de illa: *Non exstinguetur in nocte*, scilicet Dominicæ passionis *Lucerna ejus. Ideo dicitur de Justo* Eccli. 27. *Homo sanctus in Sapientia permanet sicut sol.*

19. Hæc nimirum est Palma illa, quæ pondere tantarum pœnarum, ac cruciatuum veluti ingentis molis lapide pressa, & inclinata, sed non oppressa, tandem in Filij resurrectione resurrexit: ita ut & huic Virgineæ Palmæ illa Epigraphe addi possit: *Inclinata resurgo*, & illud meritò concini:

Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit,
Sub Cruce sic florent dedita corda DEO.

Pondus, quo Passionis tempore premebatur B. V. ad 12. redigitur causas; quæ velut 12. Stellæ ejus sanctissimum verticem coronant.

20. Ingens hoc tantarum pœnarum pondus, quô in morte Filij DEI Mater veluti palma premebatur, ad 12. redegit causas devotissimus Pelbartus lib. 3. Stellarij Par. 3. Cap. 1. Quas ille 12. dicit esse stellas gloriosum modò verticem sanctissimæ Virginis in coelis coronantes. Verè enim secundùm multitudinem dolorum ejus in corde ipsius consolationes Domini modò lætificant animam ejus: Itaque sicut Christus Dominus omnes humanas miserias sibi imponere, easque tolerare debuit tanquam perfectissimus emendator omnis mali, quod humano generi ob peccatum primi parentis inflictum fuit; adeò ut de hoc nostrorum malorum, miseriarúmque pondere dixerit Isaias Cap. 55. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit:* sic etiam B. V. hæc omnia pertulit quia mente assiduè eadem recogitavit; & ideò dicebat Thren. 1. *Multi gemitus mei, & cor meum mærens,* quia videlicet omnes dolores ac mærores, tribulationes & angustiæ filij in cor Matris redundârunt adeò ut tot pene mortibus exstincta fuerit, quot Christus doloribus excruciatus. Et tamen palma hæc Virginea tantorum dolorum, quos tanquam Prophetes in Spiritu prævidebat, pondere pressa, nunquam oppressa fuit, sed erectissimo, constantissimóque animo in fide spe, & charitate erga DEUm inconcussa perstitit.

Constantia Beatissimæ Virginis sub cruce stantis docemur, etiam in tribulatione perseveranter diligere Jesum, contemplari ejus dolores, & compati.

21. Ejusdem Virginis juxta crucem ad instar invictæ Palmæ constantiam diligentiùs Contemplans idem Pelbartus Par. 4. ait doceri nos exemplô Deiparæ ac reliquarum piarum mulierum, Dominum JEsum fideliter, & perseveranter diligere, siquidem hæ omnibus alijs amicis, & Discipulis fugientibus Christo usque ad mortem astiterunt. Fidelis enim amicitia est, quæ in tribulatione non deserit, sed permanet etiam in tempore necessitatis; docemur quoque piè, ac devotè passionem Domini JEsu, & dolores Compassionis beatæ Matris ejus contemplari, & oculis mentis intuendo compati, & deflere, ac gratias agere pro tanto nostræ Redemptionis beneficio. Stabat præterea in Justitia ac sanctitate, quia nunquam in aliquod vel minimum peccatum lapsa est. Audivit enim præceptum Eccli. 2. *Fili accedens ad servitutem DEI sta in Justitia, & timore.* Stabat MARIA in servitio DEI operibus justitiæ firmata: Unde de illa dicitur: Prov. 31. *Manum suam misit ad fortia. i. e.* ad ardua virtutum opera: Stabat denique MARIA in fide JEsu Christi constantissima & patientissima; Nam cunctis viris recedentibus in gloriam totius fœminei sexûs, inter tot pressuras Filij sui constanter ipsa sola stabat in fide JEsu Christi firma, & pulchrè stabat, ut decet pudicitiam Virginalem, non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium â DEO petebat, sed stabat disciplinata verecunda Virgo, pa-

tientissima, lacrymis plena, doloribus immersa. Unde Anselmus ait: *O Domina quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cùm attenderes unicum Filium tuum innocentem coram te flagellari, mactari, carnémque ejus dissecari crudeliter & tamen divinæ voluntati conformis fuisti patienter!* Statum denique hunc Deiparæ terræ illius Virgineæ declarabat consistentiâ, de qua Eccl. 1. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Præterijt siquidem Petrus, quando cum reliquis Ecclesiæ Principibus fugit. Advenit generatio, cum latro credidit, & in Paradisum pervenit. Terra autem hæc Virginea stat in æternum, quia Divinum, æternúmque fructum proferens immobilis stetit, in fide Christi, & charitate: In cujus mysterij repræsentationem in triduanô Dominicæ passionis officio Ecclesia candelas exstinguit, unica abscondita relictâ, quæ postmodùm ad illuminandum profertur; & hæc B. Virginem significat, quæ in fidei lumine stetit, & ipsa postea omnes illuminavit Apostolos. Ecce ergo B. V. Stabat in omni sanctitate, et tamen ipsam Deus voluit pati præ omnibus Martyribus dolores in morte Christi. Sic ferè Pelbart.

Ecclesia in triduano Dominicæ passionis officio omnes candelas extinguit, unicâ absconditâ relictâ, & hæc B. Virginem significat, quæ in fidei lumine stetit, fugientibus discipulis quos posteà illuminavit.

22. Ob immensum hoc tantarum pœnarum, dolorúmque in Christi morte juxta crucem consistendo exantlatum pondus, jure idem Pelbartus cum aliis non paucis Doctoribus. Virginem Martyrii Laureolâ longè pulcherrimâ præ omnibus reliquis Martyribus exornatam, excellentiorique palmâ præ cæteris cœlestis capitolii triumphatoribus donatam asseveravit, Sic enim ille Par. 2. art. 3. cum Alberto Magno: *Ipsius B. Virginis Martyrium quamvis non fuerit secundùm actum Martyrij per mortem illatum corporaliter, & materialiter consummatum; quia tamen habuit Virgo summum dolorem in anima, ideò excessivum Martyrium, ejusdémque felicissimam laureolam omnium aliorum Martyrum martyrio præponderantem habere dignoscitur.* Idque probat luculenter; quia quintuplex Martyrium quodammodò passa est Deipara, nempe Martyrium Doloris, Compassionis, divini sermonis, voluntatis, & memoriæ. Passa est imprimis Martyrium doloris ex amore filii juxta vaticinium Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. 2. quod dictum Gorra ita exposuit: *Tuam animam, quæ est ipsius Christi Filij tui per amoris vinculum (diligebat enim Christus Virginem Matrem, sicut animam suam) gladius, denique tuam ipsius videlicet Christi animam (quæ quidem est tua per amorem intimum) pertransibit: Diligebat enim Virgo Mater animam Christi sicut suam, imò improportionabiliter magìs quàm suam.* Hæc ille.

Præ omnibus Martyribus B. V. Laureola Martyrii, & palma ornari meretur.

23. Hinc Ubertinus Casalius lib. 4. Arb. vitæ cap. 24. ubi de vulnere lateris agens, sic Virginem alloquitur: *Exsurge ergo O Virgo Beata, quæ sola es, & una JESU dilecti columba formosa! esto nidificans in summo ore foraminis aperti cordis, & lateris Christi tui, recipe dolorosum gladium, quem tibi Simeonis diu prophetia promisit: Et tuam, ait, ipsius animam pertransibit gladius. Verè tuam ipsius, quia tunc fuit ipsius benedicti JESU multò plùs quàm tua in ipsam totaliter per amoris incendium transportata. Verè etiam ipsius tuam, quia gladius diri supplicij JESU mortis tuam dilectissimam animam pertransivit totam se in suos transportándo dolores.*

Columba nidificans in latere Christi, est Virgo dolorosa tempore Passionis filii sui.

24. Martyrem spiritualem doloris gladiô transverberatam agnovit Virginem Guilielmus Abbas: *Planè gladius acutissimus*, inquit, *ille dolor Dominicæ passionis animam piæ Matris penetrans atque transverberans eam spiritualiter commori filio fecit:*

Mar-

B.V. Commartyr Christi, quia spiritualiter commortua.

Martyres alij fuerant moriendo pro Christo, hæc commoriendo Christo Martyr fuit, Commartyr Christi: Illorum corporale, Matris spirituale, ac proinde præstantius Martyrium fuit, Plùs est esse Commartyrem Christi quàm Martyrem Christi. Martyres suo humano foris sanguine; sed MARIA filij hoc est DEI Sanguine intus rubebat. Unde Damasc. *Ipsa B.V. dolores quos effugit, pariens, ac moriens, hos in passione Christi sustinuit, ac Materna compassione viscerum laceratione tolerans, quem DEUM cognovit per Nativitatem, hunc ut maleficum interfectum videns, gladiô seu cogitatione lacerabatur.*

Accessit Pulchritudo Beatissimæ Virgini ex Spirituali Martyrio

25. Hoc spirituali, eóque acerbissimo Martyrio coronatam Deiparam contemplans Richardus de S. Victore cap. 26. in Cant. postquam eam tam pulchram tam animi quàm corporis excellentiâ inter omnes Creaturas etiam Angelicas prædicâsset, ait, novum ei formæ decorem accessisse ex hoc Spirituali Martyrio: *Beata Virgo*, inquit ille, *tota pulchra fuit, quam totam illustravit, & perfudit Sol Justitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ; super hæc Martyrio decorata fuit; Ipsius enim animam pertransivit gladius non materialis, sed doloris, quô martyriô graviùs passa est quàm ferro; quantò enim incomparabiliter amavit, tantò vehementiùs doluit.*

Quo major fuit amor, eo major fuit dolor MARIÆ

Unde sicut non fuit amor sicut amor ejus, ita nec dolor fuit similis dolori ejus. In Martyribus magnitudo amoris dolorem lenivit passionis, sed B.V. quantò plùs amavit, tantò plùs doluit, tantóque ipsius Martyrium gravius fuit; Unde quia plùs omnibus dilexit, & juxta magnitudinem amoris erit vis doloris, graviùs passa fuit mente quàm Martyres carne. Pulchra ergo fuit B.V. Virginitatis decore, pulchra confessione laudis, & cæteris omnibus Pulchrior, quia sanctè vixerat, Pulchra Martyrij palmâ, & sine omni macula. Sic ille.

Dolor B.V. ex ardentissimo amore proveniens ipsam animam pertransivit; quia filii mortem, suam fecerat.

26. Dolor porrò hic Virginis ex ardentissimo amore in Filium proveniens adeò magnus fuit, ut totam animam occuparet, ita ut nulla ejus particula, ut ita dicam, doloris expers existeret, sed totam repleret. Hinc S. Hieronymus Serm. de Assumpt. *Constat, quòd MARIA tantùm doluit, ut totam animam pertransiret, ac possideret vis doloris.* Denique tantus dolor hic exstitit, ut non superficie tenus, sed usque ad cordis intima pertransierit, omniáque ossa ejus penetrârit, quia mortem Filii suam fecerat, ut idem asserit Hieronymus.

Vulnus lateris Christi, Virgo sola in corde suo doloroso suscepit Quia anima Christi à corpore decesserat, anima verò MARIÆ in corpore filii erat.

27. Passa quoque est Martyrium compassionis, ait idem Pelbartus in multis tribulationibus, ac vulneribus Christi Martyrio, Regis Martyrum, adeò, ut præter alia, vulnus illud lateris Virgo sola in corde suo doloroso susceperit. Anima enim Christi jam à corpore decesserat, & anima MARIÆ in corpore erat Filii per amorem plusquàm in corpore proprio, quia anima plùs est ibi, ubi amat, quàm ubi animat. Unde Bern. *Verè tuam O B. Mater animam gladius pertransivit, quando crudelis lancea Filio jam mortuo latus aperuit: Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè avelli nequibat, ut plùs quàm Martyrem te non immeritò prædicemus, in quô sensum corporeæ passionis affectus compassionis excessit, pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem Spiritûs.*

Martyrium compassionis.

Martyrium divini sermonis.

28. Passa est divini sermonis Martyrium. Quid enim fuit sermo ille filii in cruce: *Mulier ecce filius tuus;* Quid, inquam, aliud fuit quàm gladius? *Vivus enim & efficax est sermo DEI penetrabilior omni gladio ancipiti,* ùt loquitur Apostolus ad Hebr. Quid de Martyrio voluntatis dicam? Hoc illa, juxta crucem, velut erecta palma consistens, parata fuit pro Filio & pro salute hominum Martyrium pati.

Martyrium voluntatis.

tientissima, lacrymis plena, doloribus immersa. Unde Anselmus ait: *O Domina quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cùm attenderes unicum Filium tuum innocentem coram te flagellari, mactari, carnémque ejus dissecari crudeliter & tamen divinæ voluntati conformis fuisti patienter!* Statum denique hunc Deiparæ terræ illius Virgineæ declarabat consistentiâ, de qua Eccl. 1. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Præterijt siquidem Petrus, quando cum reliquis Ecclesiæ Principibus fugit. Advenit generatio, cum latro credidit, & in Paradisum pervenit. Terra autem hæc Virginea stat in æternum, quia Divinum, æternúmque fructum proferens immobilis stetit, in fide Christi, & charitate; In cujus mysterij repræsentationem in triduanô Dominicæ passionis officio Ecclesia candelas exstinguit, unica abscondita relictâ, quæ postmodùm ad illuminandum profertur; & hæc B. Virginem significat, quæ in fidei lumine stetit, & ipsa postea omnes illuminavit Apostolos. Ecce ergo B. V. Stabat in omni sanctitate, et tamen ipsam Deu[illegible] voluit pati præ omnibus Martyrib[illegible] dolores in morte Christi. Sic fc[illegible] Pelbart.

Ecclesia in triduano Dominicæ passionis officio omnes candelas extinguit, unicâ absconditâ relictâ, & hæc B. Virginem significat, quæ in fidei lumine stetit, fugientibus discipulis quos posteà illuminavit.

22. Ob immensum hoc ta[illegible] rum pœnarum, dolorúmq[illegible] Christi morte juxta crucem stendo exantlatum pondus, dem Pelbartus cum aliis n[illegible] cis Doctoribus. Virgin[illegible] tyrii Laureolâ longè pu[illegible] præ omnibus reliquis [illegible] exornatam, excellent[illegible] mâ præ cæteris cœl[illegible] triumphatoribus don[illegible] vit, Sic enim ille cum Alberto Magn[illegible] *ginis Martyrium qu[illegible] [illegible]undùm actum Mar[illegible] [illegible]m corporaliter,*

Præ omnibus M[illegible]tyribus [illegible]

summatum; quia tamen ha[illegible] summum dolorem in anima, [illegible]ivum Martyrium, ejusdem[illegible] mam laureolam omnium [illegible] tyrum martyrio præponde[illegible] dignoscitur. Idque pr[illegible] ter; quia quintupl[illegible] quodammodò pass[illegible] nempe Martyrium [illegible] passionis, divin[illegible] luntatis, & men[illegible] imprimis Mart[illegible] more filii juxt[illegible] nis: *Tuam ip[illegible] gladius.* Luc. ra ita expos[illegible] *est ipsius Chr[illegible] lum (dilig[illegible] Matrem, denique t[illegible] mam (q[illegible] timum Virgo imò sua[illegible]* li[illegible]

[illegible]us [illegible]rin[illegible]ortium [illegible]ilti dolo[illegible]irtutum re[illegible]nem peccati, quòd in mentes [illegible]uentiâ spiritûs in[illegible] ideò quandò magis [illegible]peccati depurata est, & [illegible]ore DEI dilatata, magis [illegible]oris intensi capabilis est. Quare idem Ubertinus Cap. [illegible] immensitatem Virginei hu[illegible] doloris atque amoris, Deiparam ma-

-liquos
hu-

)
n-
vi,
gulos.
rat, a-
Corpore
erè Mar-
us fuit, ut
s capaces,
nensis docet
t dispertitus,
ssent exstinctæ.
Patres Ascetici
anti doloris acerbi-
morte commutaret,
fuisse præservatam.
ique Rupertus Abbas
n Cant. Staturam hanc
ad Crucem, palmæ assi-

milatam, accuratiùs expendens, docet Filium ejus, utpote cordis ejus intima penetrantem, dicere luisse, Matrem suam sibi simil- in humilitate, dolorúmque toleranda exstitisse; sic ura tua assimilata est is. *Et ne du-* *lhuc: Di-* *rehen-* onsam xo Do- . Unde na Sponsi: *itu mentis tuæ,* *es in eo, quòd* *, & humilis corde.* *neum futurum dixi,* *icorum dubitaverit,* *; si enim ipsis amicis* *endimus Hierosolymam,* *nis tradetur ad crucifigen-* *a multa ad hunc sensum per-* *Imò si & inimicis dixi: Ego* *us fuero à terra, omnia traham* *ipsum. Quantò magis Charis-* *dixi: aut dicere debui: Ascendam* *palmam & apprehendam fructus* *us, & erunt ubera tua sicut botri vineæ, & odores tui sicut malorum, guttur tuum sicut vinum optimum.* Hoc erat dicere: *Exaltabor in crucem victoriosam, & moriendo morte fructuosâ, operabor velociter salutem omnium credentium, & deinde doctrina tua, doctrina legalis, & Evangelica tempore opportuno palàm prædicabitur, sicut in autumno dulces botri comeduntur, & bonus ubique diffundetur odor bonorum operum tuorum, & dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum, sicut vinum optimum.* Hæc Rupertus de assimilatione Virgineæ palmæ ad palmam alteram crucifixum nempe Filium, cui fortitudine, dolorúmque tolerantia admodùm similis exstitit.

Ascendit Sponsus in Palmam, quando Christus in crucem.

Simillima Christo B.V. in doloris acerbitate toleranda, & in humilitate.

33. Fortitudinem hanc, constantiámque Deiparæ in tantis Nati de cruce pendentis tolerandis doloribus, ad instar palmæ infractam,

Quid de Martyrio memoriæ? Hoc non momentaneum, sed admodùm diuturnum fuit Ab ipsa enim JEsu pueritia, Simeonis prophetiam de gladio illo doloris animam ejus pertransituro mente, animóque suo revolvebat. Denique etiam post Christi passionem semper, quoad vixit ipsius cruciatus recolebat, nam quia miro amore, uti diximus, in filium ferebatur, vehementi quoque dolore torqueri eam necesse fuit; & tanto sanè magis, quòd eum & naturali & supernaturali amore, eóque ardentissimo prosequeretur, cum ex majori amore major dolor proficiscebatur, quod enim cum amore possidetur cum dolore admittitur, ut ait Albertus Magnus. Ex quo consequens sanè est, dolorem Virginis omnium Martyrum dolorem, cruciatúsque multis parasangis superâsse; siquidem nullius Martyris amor, naturali ac gratuito Virginis erga Filium amori potest comparari. Accedit, quòd licèt Martyres in parte sensitiva summos cruciatus tolerarent, in parte tamen rationali summis cœli gaudiis replebantur, quæ in partem inferiorem ita redundabant, ut suppliciorum quantumvìs crudelissimorum vim retunderent, imò penitus sensum omnem persæpè exstinguerent At verò dolor Virginis internus ita ob amoris vehementiam, totam ejus animam occupabat, ut nulli consolationi locus superesse videretur. Quemadmodùm enim amor, qui in corde Virginis ardebat, adeò totam occupabat, ut omni alteri amori aditum præcluderet, ita dolor quoque ipse ex amore, uti diximus profectus, adeò mentem, animúmque Virginis occupârat, ut penè nullius consolationis, nisi conformitatis cum voluntate divina capax esse posset.

Martyrium memoriæ B. V. subivit.

29. Quare Ubertinus Casalius Ordinis Seraphici lib: lig. vitæ cap. 15. ait dolorem Christi â Divina Sapientia fuisse mensuratum infinta peccati, quod DEUM offenderat, ac proinde dolorem illum procedentem ex sic offenso DEO, qui per se summè, ac infinitè est amabilis, fuisse quoque infinitum. *Quia dolor*, inquit, *amore mensuratur, ut, quantus est amor alicujus, tantus sit dolor ex ejus offensa.* Cum igitur Christus ex Unione Divina DEUM amaret inæstimabiliter, hoc ipso, in quantum erat passibilis, debuit ita immensurabiliter dolere, sicut amabat. Ad videndam porrò aliqualem illius immensurabilitatis causam, imaginare tibi, si esset unus DEUs, qui esset totus dolor, sicut verus DEUS est totus amor, & ille DEUS doloris uniretur Christo unione personali!, illique dolores infunderet, cogita, quantùm doleret: sic aliqualiter videre possumus, quomodò dolores Christi inæstimabiles fuerint. Unde rationes contradicentium, phantasmata sunt errantium atque ignorantium dolorũ Christi radicẽ, ac causam: sicut ergo tibi aliqualiter expressi in Christo homine; sic & de ipsius intelligas reverendissima Matre, quòd ad illam immensurabilem mensuram dolorum JESU, omnem Creaturam, Spiritu sancto influente accessit, quantum status Maternæ puritatis, & dignitas principij JESU, & naturæ consortium requirebat. Unde cùm isti dolores sint radix omnium virtutum reductè post derivationem peccati, nulli dubium est, quòd in mentes humanas salvâ influentiâ spiritûs infundatur: & ideò quandò magis mens â labe peccati depurata est, & magìs in amore DEI dilatata, magis hujus doloris intensi capabilis est.

Dolor Christi mensuratus à divina sapientia infinitate peccati, quod Deum offenderat.

30. Quare idem Ubertinus Cap. 14. ob immensitatem Virginei hujus doloris atque amoris, Deiparam ma-

Ob doloris & amoris Virginei quandam immensitatem, Deipara mare magnum Passionis.

mare magnum passionis, reliquos verò Martyres vascula quædam hujusmodi tribulationum, ac cruciatuum Christi vocitare non dubitavit. Ubi enim Capiti illi titulum hunc præfixisset: JESUS dans principatus; docuit imprimis, Matrem suam inter omnes doloris principatum obtinuisse: *Hoc enim*, inquit, *fuit, quando suæ Matri primatum compassionis dedit, ut esset mare magnum omnis deplorationis, & lamentationis mortis suæ, in qua omnes mentes aliæ, tanquam in mari magno, quasi vasa modica haurirent.* Sic ille.

Martyr doloris & amoris MARIA, mensa panum propositionis Exod. 25. præfigurata, quæ duplici coronâ aureâ redimita fuit.

31. Ex quibus omnibus inferre licet, Deiparam martyrium excellentissimum super omnes Martyres subjisse, fuisséque simul amoris dolorísque Martyrem quodammodò, duplicémque Martyrii coronam indeptam, utpote quæ fuit figurata illâ mensâ panum propositionis, duplici corollâ aureâ redimita: De qua præceperat Dominus Moysi Exod. 25. 23. *Facies & mensam de lignis setim, & inaurabit eam auro purissimo, faciésque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem, altam 4. digitis, & super illam alteram coronam aureolam.* Martyr verò Amoris jure merito Virgo dici potest, Cùm divini amoris infinita quadam, atque immensa vi, quam multiplicatis in dies singulos intensioribus actibus acquisierat, anima ipsius felicissima â Corpore fuerit separata. Doloris verè Martyr exstitit, is enim tantus fuit, ut si in Creaturas sensûs capaces, quemadmodùm Senensis docet Bernardinus, fuisset dispertitus, omnes penitus fuissent exstinctæ. Quare censent Patres Ascetici Virginem, ne tanti doloris acerbitate vitam cum morte commutaret, altiori virtute fuisse præservatam.

Tanti doloris vehementiâ occubuisset B. V. nisi altiori virtute in vita conservata fuisset.

32. Denique Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. Staturam hanc Virginis ad Crucem, palmæ assimilatam, accuratiùs expendens, docet Filium ejus, utpote cordis ejus intima penetrantem, dicere voluisse, Matrem suam sibi simillimam in humilitate, dolorúmque acerbitate toleranda exstitisse; sic igitur ille: *Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris. Et ne dubium sit Cui palmæ, dicam adhuc: Dixi ascendam in Palmam, & apprehendam fructus ejus.* insinuat Sponsam doloris vehementiâ crucifixo Domino fuisse simillimam. Unde pergit Rupertus in persona Sponsi: *mihi assimilata es omni habitu mentis tuæ, mihi inquam, assimilata es in eo, quòd in crucem ascendi mitis, & humilis corde. Hunc ergo ascensum meum futurum dixi, nec quisquam amicorum dubitaverit, quin dixerim tibi: si enim ipsis amicis dixi: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum, & alia multa ad hunc sensum pertinentia: Imò si & inimicis dixi: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Quantò magis Charissima dixi: aut dicere debui: Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus, & erunt ubera tua sicut botri vineæ, & odores tui sicut malorum, guttur tuum sicut vinum optimum.* Hoc erat dicere: *Exaltabor in crucem victoriosam, & moriendo morte fructuosâ, operabor velociter salutem omnium credentium, & deinde doctrina tua, doctrina legalis, & Evangelica tempore opportuno palàm prædicabitur, sicut in autumno dulces botri comeduntur, & bonus ubique diffundetur odor bonorum operum tuorum, & dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum, sicut vinum optimum.* Hæc Rupertus de assimilatione Vigineæ palmæ ad palmam alteram crucifixum nempe Filium, cui fortitudine, dolorúmque tolerantia admodùm similis exstitit.

Ascendit Sponsus in Palmam, quando Christus in crucem.

Simillima Christo B.V. in doloris acerbitate toleranda, & in humilitate.

33. Fortitudinem hanc, constantiámque Deiparæ in tantis Nati de cruce pendentis tolerandis doloribus, ad instar palmæ infractam,

atque inconcussam descripsit Prosper Martinengus lib. Parthen:

Dia Virgo hæc indoles,
Et tua hæc statura Palmæ comparata est ardua;
Hic crucis palmam vocavit Rex triumphalem arborem,
Pectorisque vim potentis nescij panderier,
Nam velut nostri hasta Regis fixa nisu perpeti
Crux stetit, dum vindicaret sæcla adfrementibus
Circùm eam, supráque magnis hostium tumultibus.
Sic MARIÆ mens fidelis, cæteris lapsantibus,
Firma mansit more rupis, passionis tempore
Qua graves procellæ adurgent turbulenti marmoris:
Nam licèt, quot Christus ipse semivivo in corpore
Vulnerum gerebat ictus, tot quoque ipsa saucijs
Virgo plagas ferret intus anxia in præcordijs,
Ac licèt confossa acutô, cor, doloris spiculô,
Haud locum complevit omnem questubus muliebriter,
Hæc genas carpebat humi provoluta in pulvere
Nilq; prorsus indecenter egit, aut incondité,
Nil malô externata tantô turbidum ore protulit,
Sed suum cruorem acerbum temperabat fortiter.

Palma victrix compellatur, sed potiori jure B. V.

34. Quòd si palma inter reliqua pulcherrima epitheta victricis nomen est sortita, quòd superior omnibus oneribus, opprimi nunquam posse videatur: Victrix sanè potiori jure Virginea hæc nostra Palma appellanda erit, siquidem in primo immaculatæ suæ conceptionis instanti, de Tartareo Dracone caput illius magnanimè, ac si vilissimus foret vermiculus, pede suo proterendo, gloriosissimam victoriam, triumphúmque reportavit. Hujus Virgineæ Symbolum videtur mihi Palma illa ænea, quæ in templo cujusdam, à Cypselo consecrati, donata visebatur, ad cujus radicem sive pedem insculpti videbantur hydri, plurimæque ranæ, quas Virgo velut Palma in cœlum pulcherrima ramorum propagine assurgens ridet, pedéque proterit. Vide Plut. de orac. silentio.

Ænea Palma de qua Plutã. Symbolum Immaculatæ concepti.

Palma Virginea qua ratione contra tartareum serpentem in primo conceptionis instanti victoriam obtinuerit.

35. Atque ut modum, quô Virginea hæc Palma victoriam obtinuit; intelligamus, observandus est omnino locus, in quo se exaltatam fuisse Virgo nostra fatetur, nempe in Cades, quod sanctum, sive sanctitatem significat, quæ, cùm Dionys. Areop. teste cap. 4. de Div. Nom. nil sit aliud quàm puritas ab omni scelere libera, itémque incontaminata munditia, facilè perspiciemus Virginem sublimem illam excellentémque, ac planè palmariam Victoriam, quâ Tartarei serpentis caput contrivit, suâ illâ plùs quàm Angelica puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi, in primo suæ conceptionis momento ab originali præservata, fuisse consecutam, atque ita super omnem Angelorum, sanctorúmque puritatem, sanctitatémque exaltatam.

Archangelus Gabriel annuncians mortem B. V. palmam prætulisse fertur.

36. Hinc Simeon Metaphrastes, Nicephorus, alijque referunt, Gabrielem Archangelum ex hac vita discessum Virgini nunciantem, palmam prætulisse, quâ significare volebat, victoriâ de morte, de mundo, carne, ac Cacodæmone reportatâ, unà cum Filio, cui ante mortem palmarum rami sunt prælati, in Cœlesti Capitolio triumphaturam. Palmæ hujus significationem explicuit S. Vincentius Ferrerius Serm. 1. de Assumpt. *Statim apparuit illi Gabriel Angelus salutans eam,*

cum, & portans ramum palmæ. Ramus ille significabat victoriam, quam Virgo habuit de mundo per humilitatem, ac Diabolo per paupertatem, de carne per purissimam Virginitatem.

Palma exaltata in Cades, cur dicatur B. V.

37. Palmam similiter ad victoriam Deiparæ transtulit Hugo de S. Vict. in Instit. Monast. Serm. 47. qui, ubi præmisisset: Israëliticum populum bis aquâ fuisse de petra productâ potatum, nempe in Raphidim, & in Cades; dixissetque: duo hæc loca duplicem in nobis compunctionem significare, unam, quæ nascitur ex dolore peccatorum, alteram, quæ surgit ex desiderio futurorum præmiorum; tandem attexuit: *Benè igitur Beata Dei Genitrix se velut Palmam in Cades exaltatam gloriatur, quia spiritualibus hostibus potenter, & victoriosè subactis, non dolore criminum, sed amore præmiorum cælestium compuncta suavissimè, potabatur. Beata itaque MARIA se velut Palmam in Cades exaltatam rectè perhibet, quia superni fontis dulcedinem, omnibus spiritibus excellentiùs possidet.* Sic ille.

Hinc Prosper Martinengus in sua Parthenodia Archangelum Virginem alloquentem hunc in modum introducit.

Te decet, te præter omnes Virgo palma nobilis,
Mille te decent coronæ, & militares laureæ,
Civibus, quæ liberâsti, cum tuis, cunctum genus.

Palma exaltata in Engaddi, cur dicatur B. V.

38. Quod si legamus secundùm aliorum versionem: *Quasi palma Exaltata sum in Engaddi*, quæ vox sonat fontem judicii, sive justitiæ, quo in loco Mariam Sororem Moysis tumulatam fuisse ferunt, hôc factô indicare volens Spiritus sanctus, figuratæ MARIÆ Virgini ex justitia, tanquam mortis, Cacodæmonis, Infernique Triumphatrici, victoriæ palmam deberi, dignámque, quæ velut Phœnix quantocyùs dilectissimum imitata Filium rediviva resurgat, ut, sicut inter omnes filios hominum à mortuis resurgentes Christus fuit primus & unicus Phœnix, ita quoque Virgo inter omnes hominum filias esset prima, & unica, quæ post mortis triduum vitam immortalem capesseret, diésque æviternos multiplicaret.

39. Hinc Pierius Valerianus lib. 50. Hieroglyph. cap. 7. palmâ victoriam denotari asseveravit, quod ex nummis, inquit, picturis, sculpturísque omnibus Universæ jam plebeculæ manifestum est. Hinc Cicero: *Docto oratori palma danda est: In quadrigis, qui palmam primus acceperit: Quam palmam utinam Dij immortales tibi Scipio reservent!* Hinc Poëtarum non nemo cecinit:

Nunc his, nunc illis præbet Victoria palmam.

Hinc Richardus à S. Laurenrio lib. 12. vocavit Virginem Palmam, Arborem victoriosam, designantem victoriam, quia mundum paupertate, carnem Virginitate, Diabolum vicit humilitate. *Nec solùm signum, sed & causa victoriæ est Virgo: quia pugnat pro nobis contra hostes invisibiles, & ejus adjutoriô de ipsis nos quoque similiter triumphamus. Denique ante ipsam nunquam apparuit victoria, sed omnes tanquam devicti in carcerem trudebantur.* Unde Job. 17. in antiquorum persona ajebat: *In tenebris stravi lectulum meum. Uterus etiam ejus arbor victoriæ dici potest. Ex quo pugnator noster ad salvandum processit.* Isa. 62. *Eâdem Virginali palmâ donantur victores, & coronantur*: Unde MARIÆ dicitur: *Eris Corona gloriæ in manu Domini, & Diadema Regni in manu DEI tui.* Isa. 62. Sic ille.

Palmam victoriæ Adjutorio MARIÆ obtinemus.

Quare felix ac ter beatus is meritò mihi videtur pronunciandus, in cu-

In cujus corde Palma Virginea radices fixit, hic beatus est, ut autem radices agat, à carnalibus voluptatibns cavendum est.

cujus corde palma hæc radicem fixerit. Ipsi enim Universorum Dominus peculiariter præcepit, ut in suis prædestinatis radices suas expanderet, atque germinaret, cum dixit: *In electis meis mitte radices.* Quod quisquis desiderat, cavendum illi omnino est, ne mens ejus fimô carnalium voluptatum defœdata sit, hunc enim hæc palma Virginea mirum quantùm aversatur; gaudet autem solo salsugineo. Unde Theophrastus lib. 2, de hist. plantarum cap. 8. *Ubi tale solum non est*, inquit, *agricolæ salem aspergunt.* Salem nimirum Cœlestis sapientiæ qui, dum in hominum cordibus radices suas expandit, certissimam victoriæ de omnibus nostris infestissimis hostibus, mundo, carne, Sathana, Palmam pollicetur.

Palma gaudet solo salsugineo.

AugustoCæsari Palma ante domum inter juncturas lapidum enata, victoriæ sine labore auspicium fecit.

41. Et verò si Augusto Cæsari palma, ante domum inter juncturas lapidum enata, Victoriæ sine labore auspicium fuit si alteri Cæsari Dictatori, adversùs Pompejum in pugna Pharsalica Depugnaturo Trallibas, enata palma futuræ victoriæ ostentum dedit, quo etiam tempore ferunt Cæsareæ statuæ basi, quæ in templo Victoriæ dicata erat, palmam enatam fuisse, quamvis totus locus durissimo è lapide esset constratus: si denique cuidam inter sylvas pro Castris locum capienti, dum arbores cædit, reperta palma felicissimum Victoriæ omen dedit, unde & eandem illæsam conservari voluit: quandò magis Virginea hæc palma, si in cordibus nostris innascatur, pietatisque suæ radices in nobis extenderit, certæ victoriæ de omnibus nostris hostibus referendæ signum datura est? Eveniet sanè hujus modi Virginis pullis, natis felicibus ovis, quod Timoleonti accidisse refert Plutarchus, cui coronæ victoriales pro more ornatæ prætereunti sponte in caput defluxerunt: sic nimirum Virgo suos palma, coronáque Victoriæ immarcescibili addictos Clientulos, triumphatis hostibus æviternum coronabit. Ipsa enim nostra non modò palma, sed & gloriosissima Victoria est, quæ suis meritis ac precibus Cœleste nobis Capitolium reserat, ut verè illi potiori jure cani possit illud, quod in laudem Stiliconis Claudianus modulatus est:

Palma Virginea in cordibus nostris enata, certæ victoriæ de hostibus referendæ signum dabit.

Cum totis exsurgens ardua pennis,
Ipsa duci sacras Victoria panderet ædes,
Et palmâ viridi gaudens, & amicta trophæis.

Quare unicuique suo clientulo, quod Virtus Scipioni Africano apud Silium lib. 15. cecinit, Virgo nostra modulari potest:

Mecum honor, & laudes & læto gloria vultu,
Et decus, & niveis Victoria concolor alis;
Me cinctus Laurò perducit ad astra triumphus:
Casta mihi domus, & celso stant colle penates,
Ardua saxosô perducit semita clivô,
Aspera principiô (neque enim mihi fallere mos est)
Prosequitur labor, at nitendum intrare volenti,
Nec bona conscendunt, quæ sors infida dedisse,
Atque eadem rapuisse valet; mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

42. Imo ausim dicere Virginem hanc gloriosissimam, post Deum nostram Coronam, nostram Palmam, nostram tot exantlatorum laborum in hac vita uberrimam mercedem, in cœlesti beatorum curia eorundem cumulum, lætitiam, gloriámque futuram. Unde S. Bonav. in Spec. cap. 6. præcla-

Palma nostra, Corona nostra, Gloria nostra, B. V. post Deum est.

clarè pronunciavit: *Ecce quàm gloriosum gloriæ MARIÆ privilegium est, quòd ipsa in gloria gloriosissima est post DEUM gloriosum, gloriæ MARIÆ privilegium est, quòd quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc MARIA, hoc in MARIA, hoc per MARIAM est. Gloriosum omnino gloriæ MARIÆ privilegium est, quòd post DEUM major gloria nostra, majus nostrum gaudium de MARIA est.* Hinc B. Petrus Card. Dam. Serm. 1. de Nativit. B. V. ait: Beatorum Virginem contemplari anhelantium voces illas, tanto ardore repetitas esse: *Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Cant. 6. Móxque rationem tam ardentis ipsorum desiderii attexit: *Summa enim est gloria post DEUM te videre, adhærere tibi, & in tua protectionis munimine demorari.* Hinc S. Bern. Serm. 1. de Assumpt. *Virgo*, inquit, *gloriosa cælos ascendens supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis: si enim parvuli, nempe Joannis Bapt. necdum nati, anima liquefacta est, ut MARIA locuta est, quid putamus, quænam illa fuerit cælestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beata ejus frui præsentiâ meruerunt?*

Palma Virginea altas radices egisse in B. Andreæ de Chio. Martyre videtur, qui inter gravissima tormenta, continuò MARIAM invocavit, & mirabiliter cuncta superavit,

43. Altas egisse radices Virginea hæc palma visa est in corde B. Andreæ de Chio, natione Græci, cùm inter gravissima tormenta, quæ ei Anno 1464. à Mahometanis infestissimis christiani nominis hostibus inferebantur, magno pietatis affectu assiduè ad præsidium, tutelámque Virginis confugiendo, eámque invocando; MARIA adjuva me; acerbissima, enormissimáque supplicia ad instar victricis palmæ superavit: Invocationem hanc piissimam Deiparæ octo sequentibus diebus prosecutus est magno suo cum spirituali imo & corporali fructu; Nam sequenti semper die post immania supplicia sanus, integris omnino membris ac viribus, reperiebatur, ita ut velut Palma, tantorum tormentorum pressa pondere, dicere potuerit: *Inclinata resurgo.* Duravit ea immanis carnificína diebus omnino novem; primâ quidem die dirissimè loris cæsus est, secundâ ferreis ungulis dilacerata membra, tertiâ membra eadem è suis locis divulsa, quartâ humeri cultris, carnibus denudati, quintâ clunes carne novaculis spoliati, sextâ partes inter genua, & clunes carnibus privatæ, septimâ suris carnes abstractæ, octavâ femora cum vicinis partibus excoriata, nonâ totum corpus à capite ad pedes verberibas cæsum, & maxilla ei uno ictu carne nudata. Ad singulos cum tortoribus congressus, magna voce nec minori cum pietate Deiparam inclamans, ab ea mox stupentibus Mahometanis sanabatur. Tandem cùm hæc omnia tam admiranda in Crucem Domini, atque B. Virginis opem referret, ejusdémque patrocinium infractô animô extolleret, securi percutitur, ejúsque beneficiô victoriæ palmam retulit. Quis neget igitur in hujus Martyris, Deiparæ cultoris eximii, mente animóque, Virgineam hanc palmam profundissimas radices sui in ipsam amoris egisse, eíque robur ad vincendum tribuisse? Tali porrò favore Virginis Martyr se dignum reddidit: Cùm enim aliquando lethali febre laboraret, ab eáque miraculosè curatus esset, in hujus beneficii gratiarum actionem votum ei perpetuæ Virginitatis obtulit, cujus servandæ, ut semper meminisset, candida deinceps veste usus est. Calend. B. V. die 20. Maij. En ut in hoc gloriosissimo Martyre non modò symbolum, verùm etiam causa victoriæ Virginea hæc palma exstitit!

 44. Et

In hora mortis præcipuè suis clientibus victoriæ palmam B. V. procurat.

44. Et licèt Virgo Beatissima contra omnia vitia, ac peccata, contra omnes infernalium hostium tentationes atque insidias, suô patrociniô victoriæ palmæ suis fidelibus clientulis esse consueverit, consuevit tamen vel maximè in extremo illo mortis nostræ discrimine, in quo totus infernus adversus nos consurgere, séque ad nos debellandos, æviternúmque perdendos armare consuevit. Quod, cùm probè intelligeret Venerabilis Thomas de Kempis, magna cum fiducia ejus fretus misericordiâ, ardentissimique in illam amoris affectu oratione 2. ita est Virginem deprecatus: *Propter multitudinem misericordiæ tuæ O MARIA, spem bonam habeo ac firmam, citiùs impetrandi gratiam, & plenam reconciliationem, te mihi benignè apparente, & pro me interpellante. Quid aliud possum de Misericordissima Matre, & de dulcissima Virgine, nisi misericorditer, & dulciter sentire, in meum & omnium peccatorum solatium? Propter hanc clementiam & mansuetudinem, sub tuam protectionem fugio, ubi infirmi accipiunt virtutem, & captivi liberationem. Esto ergo misericors mihi, & bona Mater cordi meo, ut felici experientiâ nunc sentiam, te omnium esse consolatricem, omniúmque tibi servientium & in te sperantium fidissimum sublevamen. Quare precor te gloriosissima Mater DEI MARIA, quatenus ab hac præsenti hora usque ad extremam horam propitiô ac serenô vultu, cordéque dulcissimo super me respicere non fatigeris, sed in tua custodia me accipias, atque sanctissima brachia tua super me, quôcunque ambulavero, Maternaliter expandas: Cùm autem venerit dies meus novissimus, quem ignoro, & hora mortis meæ metuenda valde; O clementissima Domina mea, singularis fiducia in omni angustia mea, sed in hora mortis maximè, tunc memento mei, & assiste fini vitæ meæ, consolando trepidantem animam meam. Protege eam ab illis tetris, & immundis spiritibus, ne audeant ad me appropinquare, quem tua gratiosa præsentia dignetur cum multitudine Angelorum, & sanctorum visitare: Satage quoque placare mundissimis precibus tuis, priusquàm decedam ex hac luce, divinam faciem filij tui, quem toties, & tam graviter offendi peccatis meis. Post hæc suscipe enavigantem ab hoc exilio inopem animam, & introduc eam in portas Cœli, ad mœnia Paradisi, statue me juxta te, & loquere ad Filium tuum pro me Regem omnium sæculorum verbum bonum & suave, quæ ab ore Gabrielis benedictum illud Ave accepisti, per cujus virtutem me conservare viventem, ac morientem digneris: & dona mihi hanc obsecro cum devotione cordis sæpius replicare, in laudem mellifui nominis tui. Accipe igitur deprecationem servi tui, quam modò coram te fundo, respice in me misericordissima Mater JESU Virgo MARIA, super omnes dilecta, & recordare mei semper. Quòd si aliquando oblivíscor tui, hoc utique magnæ mihi est displicentiæ; sed tamen tu noli mei oblivisci, quæ misericordiam omnibus peperisti.* Tandem tanquam charissimæ castissimæque suæ amicæ, patronæque fidelissimæ ita valedicit: *Vale jam Virgo MARIA, ecce te saluto flexis genibus, tibi me inclino devotis nutibus; tibi gratias ago conjunctis manibus: & ut orationem meam libenter audias, & confirmes, adhuc una reverenda salutatione faciem tuam honorabo. Ave Maria gratia plena* &c. Hæc vir in Virginem devotissimus: quibus tanquam spiritualis Magister optimus docere nos voluit, qua pietate, qua animi demissione, ac reverentiâ ad Deiparam nobis sint fundendæ preces, ut in horâ mortis ejus intercessione palmam de insidiantibus nobis tartareis hostibus referre, & ab illa protegi in omni vita mereamur.

45. Rem

S. Lydvvina vidit Beatissimam Virginem Schedam Dæmoni eripere, ac dilacerare, quâ se quædam fœmina quondam malo genio obstrinxerat, & deinde Pœnitens facta ritè scelus confessa est.

45. Rem mirabilem simul ac terribilem idē Vir Religiosissimus narrat in vita S. Lydwinæ lib. 2. cap. 20. qua ratione magna hæc ac Divina Mater, quæ stygij serpentis caput mira magnanimitate contrivit, fœminam quamdam à desperationis barathro liberaverit: Visa enim est per quietem videre Cacodæmonem, schedulam cum peccato quodam ab ea olim commisso objicientem, dicentémque: illud non dum esse dimissum, nec dimittendum; cùm tamen illud ipsa Sacramentaliter fuerit confessa, ab eóque legitimè absoluta injunctáque pænitentia ritè persoluta. Has cordis sui angustias communicavit hæc pia mulier cum sacra Virgine Lidwina, quæ cùm eam Divæ Matri, uti solebat, Commendâsset, et pro ipsa adeò ardenter preces fudisset, ut in extasim fuerit rapta, & â sensibus penitus alienata. In quo mentis raptu vidit Dæmonem manu chartam illam gestantem, sed mox manu B. V. Mariæ inde ereptam, ac dilaceratam. *Potens enim est*, inquit idem Thomas, *misericors Domina contra omnia machinamenta Diaboli, & tristem animam bonæ spei fiduciâ consolari.* Unde factum, ut S. Virgo Lidwina fœminam illam ad se accedentem, bonô animô esse, & securô deinceps vivere jusserit, nec quidquam mali formidare: sed & ipsam obsidem pro conscientia illius in die Judicij offerens, ab omni trepidatione liberam reddidit ac paratam.

46. Quid jam de suavissimo Palmæ fructu dicam? Hunc ego Christum benedictum Virginei ventris fructum esse dico. Cùm enim fructus palmæ dulces, ac salubres sint, adeò, ut veteres illis usi sint Anachoretæ, & modò illis utantur ad vitam sustentandam Afri, rectè Christum Palmeô hôc Dactylô denotari asserimus, qui in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento de Virgine immaculata accepta Carne factus est nobis cibus, humidum radicale divinæ gratiæ per concupiscentiæ ardorem absumptum instaurans; factus denique est peccatorum nostrorum saluberrima medicina. Audiendus hic Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. V. *Fructus palmæ Dactylus est, exteriùs mollis ac rubens, interiùs robustum lapillum in se continens. Fructus palmæ nostræ Christus est, qui carnem quasi mollem (peccatrici nostræ similem) exteriùs præferebat, sed interiùs robur Divinitatis occultabat.* Unde illi dixit Isaias cap. 45. *Verè tu es DEUS absconditus, & Salvator.* Hujus caro per benignitatem, quæ ipsum incarnari compulit, mollis fuit: Unde de Spiritu sancto, qui ipsa est Bonitas, dicitur incarnatus. Rubra etiam fuit, quia Sanguine proprio in passione rubricata est. Unde carneum humanitatis nostræ paludamentum Sanguine aspersum, intuentes quæritabant Angeli: *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Isa. 63. Virtus porrò lapilli hujusce benedicti Dactyli, Filij Divinitas figuratur, Diabolum excerebravit. Quod 1. Regum 17. signatum est in illo facto heroico Davidis; qui Lapide Goliam dejecit, atque prostravit. Observandum porrò dactylos in summo palmæ cacumine succrescentes, maturiores, grossiores, ac sapidiores esse. Talis planè fructus est Christus Dominus: De illo enim ait Isaias cap. 4. *Erit fructus terræ*, Id est, Mariæ sublimis. Qui denique hunc fructum volet attingere, necesse est in palmam ascendere. Hinc Cant. 7 dicitur: *Ascendam in palmam.* Id est in Crucem per Synecdochen, cujus pars palma fuisse perhibetur: *& apprehendam fructus ejus*, qui est filius Virginis. Ipsa enim est palma, ut & crux est palma: sed palma, Id est

Palmæ fructus dulcis Christus in Eucharistia.

MARIA, alteri palmæ nempe cruci, fructum suum in passione commisit. Illis ergo, qui à B. Virgine tota die quærunt fructum suum, potest ipsa meritò respondere: Fructum meum cruci commisi, si vultis eum habere, ite, ascendite in palmam, & ibi colligite. Ille verò altiùs in palmam ascendit, qui diuturniorem, & acerbiorem pœnitentiam agit, majorique tribulationi pro Domino se se exponit. Qui ergo fructum hunc sublimem in præsenti colligere voluerit per gratiam, necesse habet omnia temporalia & mundana per contemptum suis pedibus subjicere, & de toto mundo sibi scabellum pedum constituere, uti fecit Virgo nostra, de qua dicitur Apoc. 12. *Luna sub pedibus ejus.* Et ideò dulcissimum hunc fructum possidere meruit. Hæc ferè Richardus.

47. De hujus Virgineæ palmæ fructu Ordin. Seraph. Bernardinus Bustius etiam ita loquitur Par. 9. Marial. Serm. 1. assimil. 5. *Palma*, inquit, *multum fructificat, quando in terra arida plantata est solis radijs exposita, & Palma masculinæ vicina, hujus enim ventò fœmina afflata fructificant, ut docet Plinus* lib. 13. cap. 5. *B. Vrgo igitur fructum illum protulit, de quo dicitur* Cant. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructum ejus. Nec mirum, si Virginalis hæc palma ita benè fructificavit. Anima enim ejus fuit primò in terra arida plantata. In carne ab omnis carnalis concupiscentiæ humore desiccata. Unde Virgo arida dicitur, privata nimirum concupiscentiarum aquis in locum unum collectis, ut ab omnibus penitus fieret aliena. Fructificavit etiam, quia radijs Solis ad instar Lunæ ante omnes alias Creaturas fuit irradiata. Eidem divino soli sive palmæ adeò fuit vicina, ac conjuncta, ut dicatur innixa super dilectum suum.* Cant. 8. *Quid ergo mirum si ad instar palmæ fructum uberem, dulcissimumque protulerit, cùm ipse ejus fructus sapientissimus æterno divinitatis soli unitus fuerit, ut candor lucis æternæ, & splendor paternæ gloriæ nuncupetur?* Hebr. 1.

Palma multum fructificat, quando in terra arida plantata est solis radiis exposita, & Palmæ masculinæ vicina quæ omnia accommodantur B. V. & Christo Domino.

De Palmæ fœcunditate, fructûsque dulcedine præclarè Prosper Martinengus in lib. Parthenodiæ:

Ergo Palma nuncupatur (Virgo videlicet) in sacris oraculis
Palmeum quod gestet instar proferens suavissimum
Dactylon, quo lethi mæror cœpit edulcescere:
Palmeo nam comparatur Pignus almum Dactylo
Virginis, tum propter olli dulce nectar inditum,
Tum rubrum propter cruorem, quo madescens occidit.

48. Virgineæ hujus palmæ fructum S. Bonav. in Spec. B. V. cap. 15. vocat deliciosissimum. *Deliciosus quidem est*, inquit ille, *in odore, deliciosior in specie, deliciosissimus in sapore. Decorem ejus fide, odorem spe, saporem charitate percipimus. Dico, quod fructus MARIÆ deliciosus est suavi odore. Unde Mater ejus dicere potest de eo: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Eccl. 24. *Fructus vitis & proles Virginis. O si olfactum Isaac haberemus, qui hujus fructûs odorem tam longè præsensit!* Unde Bern. hujus odoriferi fructûs fragrantiam sentiebat, qui dicebat: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui Benedixit Dominus.* Gen. 27. *Deliciosior est fructus hic in specie & decore. Est enim fructus Arboris illius pulcherrimæ, de qua.* Levit. 24. *Sumetisque die primo fructus arboris pulcherrimæ. Arbor pulcherrima est MARIA, pulchra quidem in folijs oris, pulchrior in floribus cordis, pulcherrima verò in pulcherrimo fructu ventris.* De quo B. Bernardus sic infert: *Si fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiam delectabilis*

Fructus deliciosus odore Christus.

Fructus pulcherrimus Christus de pulcherrima arbore MARIA.

lis aspectu, quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere? Illum, inquam, in quem desiderant Angeli prospicere. Pulcher utique fructus Christus est, qui speciosus formâ præ filijs hominum est: Si autem pleniùs cognoscere volumus fructûs hujus pulchritudinem, recurramus ad ipsam arborem pulcherrimam, requiramus ipsam pulcherrimam ejus Matrem, & dicamus: *Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto O pulcherrima mulierum?* Cant. 5. Et ecce ipsa statim respondebit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.* Ipse est candor lucis æternæ. Candidus quidem Divinitate, rubicundus autem humanitate: Candidus conversatione, rubicundus passione: ecce quam pulcher fructus! quare de illo benè dixit Augustinus: pulcher in Cœlis, pulcher in terris pulcher in Patre Verbum, pulcher in Matre Caro & Verbum. Hæc autem pulcherrima Arbor MARIA non solum habet pulcherimum fructum ventris, sed etiam pulcherrimos habet fructus mentis, de quibus Apostolus scribens ad Galat. 5. *Fructus autem spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Denique fructus hic arboris hujus pulcherrimæ est deliciosissimus in sapore. Quod benè illa S. anima experta fuit, quæ Cant. 2. dixit: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo:* Quid mirum, si fructus iste tam dulcis est, qui tam altus est? Dicit enim S. Bernard. fructus quantò altior, tantò dulcior; ergo tu solus dulcissimus, quia tu solus altissimus. Quomodò autem potest altissimus esse ille fructus, cujus brevissima est arbor? Certè arbor hujus fructus MARIA & altissima simul est & brevissima; altissima dignitate, brevissima humilitate, altissima in oculis Domini, brevissima in oculis suis. Quæ licèt hôc modô sit brevis, fructus tamen ejus est valde dulcis: sic igitur fructus ventris MARIÆ in olfactu, in visu, & in gustu deliciosissimus est; ideò verè benedictus est. Uti B. Bernardus testatus ast: *Benedictus fructus ventris tui, benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.* Sic Bonav.

Fructus deliciosus sapore Christus.

49. Arborem hanc porrò, pulcherrimam esse palmam paulò antè citatus Bernardinus Bustius colligit ex verbis adnexis; ubi agitur de Solennitate Tabernaculorum, quâ ratione celebranda sit septembri mense, quô Virgo nata in Tabernaculum altissimo DEO fuit sanctificata. *Sumetis fructus*, inquit, *arboris pulcherrimæ, spatulásque palmarum.* Licèt S. Bruno Carthusianæ Familiæ Patriarcha, lib. de ornatu Ecclesiæ cap. 5. arborem citri appellet: quæ & odore, inquit, & sapore, & fronde, & flore, ipsiúsque fructus magnitudine & pulchritudine tam nobilis est, ut difficile inveniatur, quæ ei dignè comparari possit. Per hanc igitur pulcherrimam, humilémque arborem B. V. MARIAM intelligimus. Fructus hujus arboris Christus est: Hunc fructum suscipiamus in festivitatibus nostris, hôc reficiamur, hôc satiemur, hujus Carne & Sanguine impinguemur, ac inebriemur. Arboris quoque hujus pulcherrimæ nunquam obliviscamur, ad ipsam semper respiciamus, fructum vitæ & salutis ab ea quæramus. O verè lignum pulcherrimum MARIA, quæ talem meruit portare fructum! Nos eam arborem, sed scriptura lignum vocat: quia enim Virgo permanens peperit, non arbor, sed lignum dicitur. Hanc significavit illa Virga Aaron, quæ cùm sicca es-

Palma arbor pulcherrima adhibebatur in Solennitate Tabernaculorum, quæ solennitas celebrata mense septembri, quo B. V. nata in Tabernaculum Altissimi.

esset, flores, frondes, & nuces amygdalinas protulit. Sic ille.

Arbor Indica, quæ indigenis omnia humanæ vitæ necessaria præbet, Symbolum B. V.

50. Quare de palma hac Virginea id jure dicere possumus, quod de arbore quadam Indica perhibetur, eam nimirum hominibus indigenis cibum, potum, vestimentum, reliquáque vitæ humanæ sustentandæ necessaria suppeditare. Verè Virgo nostra tanquam palma nobis cibum, potúmque pretiosissimi corporis, sanguinísque Filij sui subministrat. Unde beneficij hujus sibi probè conscia ajebat: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt, adhuc sitient:* Eccl. 24. Ipsa nobis quoque suppeditat variarum virtutum vestimenta, ac præcipuè duplicis in Deum, proximúmque charitatis. Unde ejus *Domestici*, familiares, ac Clientuli, *duplicibus vestiti* esse perhibentur. Prov. 31.

Inter Palmas datur masculinus & fœmininus sexus, & absque ulla radicum commixtione solo odore & aspectu quodammodo, frondiúmque masculi attactu fœminam fœcundatur.

51. Jam quid de castissimis Palmæ nostræ dicemus Nuptijs? De quibus antequàm ad dicendum accingamur, sciendum ex Plin. lib. 13. Nat. Hist. cap. 4. inter palmas masculinum, fœmineúmque sexum reperiri & absque ulla radicum commixtione solo odore & aspectu quodammodò, frondiúmque imo & pulveris, qui in masculo resederat, aspersione attactúque fœminam fœcundari. Quod si pulvis desit, excogitaverunrt coloni funem â mare religatum ad fæminam usque perducere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam fœcundare. Hinc teste Pierio lib. 50. Hierog. cap. 20. ait Philostratum nuptiarum symbolum pervenustè expressisse, dum palmas ex utraquê parte summis verticibus ad se se mutuò inclinatis ac connexis, fornicem quendam pontémque facientes depinxit. Rem planè admirabilem idem Pierius ex Joviano Pontano narrat, cujus temporibus duæ enatæ sunt: altera Brundusij, altera Hydrunti, eæque mas & fœmina, quæ steriles tam diu permansêre, quousque altera alteram successu temporis succrescendo contueri posset. Et licet grandi multorum Stadiorum distarent spatiô; ubi se se fuerunt intuitæ, fœcundatæ sunt. Sed historiolam hanc pervenuste â Pontano versibus redditam audiamus:

Historia mirabilis de duabus Palmis.

Brundusii latis longè viret ardua terris
Arbor, Idumæis usque petita locis
Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma;
Illa virum referens, hæc muliebre decus.
Non uno crevêre solo, distantibus agris,
Nulla loci facies, nec socialis amor.
Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor,
Utraque frondosis, & sine fruge, comis.
Ast postquam patulos fuderunt brachia ramos,
Cœpêre & cœlô liberiore frui.
Frondosique apices se conspexêre, virique
Illa sui vultus, conjugis illa suæ
Hausêre, & blandum venis sitientibus ignem,
Optatos fœtus sponte tulêre suâ.
Ornârunt ramos gemmis, mirabile dictu,
Implevêre suo melle liquente favos.

Semine Palmarum marium ad frondes Palmarum fœminarum, hæ fœcundantur.

52. Audiendus quoque de eodem hoc Palmarum virili fœmineóque sexu, déque illarum connubiis D. Ambrosius lib. 3. Hexam. cap. 13. Est discretio sexûs in arboribus. Nam videas palmam, quæ Dactylos generat, plerùmque inclinantem ramos suos, & subjacentem, & concupiscentiæ atque amplexûs speciem prætendentem ei arbori, quam marem palmam appellant pueri rusticorum. Illa ergo

go fœminea est, & sexum suum subjectionis specie confitetur. Unde locorum cultores præjaciunt ramis ejus Dactylorum vel palmarum semina masculorum, quibus illi fœmineæ arbori velut quidam sensus persunctionis infunditur, & expetiti concubitûs gratia repræsentatur. Quo munere donata rursus erigitur, & elevat ramos suos, & in veterem statum comam suam rursus attollit. Et Sanctus Ephræm Tractatu de Margarita: *Palmarum mares: dum obumbrant fæminas, fructuosas illas efficiunt, cùm tamen nec illis misceantur, neque ullam ipsis substantiam præbeant. Ficulnearum etiam nonnulla fructum non ferunt nisi maribus obumbrentur.* Sic ille.

Palmarum mares umbrâ suâ fœcundant Palmas fœminas.

53. Qui sane Palmarum castissimi Hymenæi pervenustè nobis Virgineum Virginis Beatissimæ, & divi Josephi Matrimonium adumbrant. Palma fœmina est Virgo nostra; unde ubi legit vulgatus interpres: *Quasi Palma axaltata sum in Cades*, legit alius: *Quasi Palma maritata sum.* Palma Vir est Joseph, cui Evangelista Justi nomen indidit; *Joseph autem cùm esset Justus.* De quo cecinisse visus est Psalmista: *Justus ut palma florebit.* Noluit universorum Dominus Virgineam hanc Palmam fructum illum benedictum producere priusquam matrimonij purissimi vinculô Sponso suo Joseph uniretur, tum ne concepisse videretur ex adulterio, tum ut partus ejus Diabolo celaretur, ut Martyr censuit Ignatius. Hinc Simon de Cassia Ord. Divi Augustini lib. 2. cap. 1. Justitiam Josephi commendans: *Vir justus* inquit, *erat ex lege, justus ex fide, justus ex moribus, Joseph nomen ejus, cui Sponsata erat. Nomen augmenti erat Virgináli Sponso sibi congruum, magisque mysterio; quoniam omnia erant augmentanda per gratiam, & mundi detrimenta jam ad incrementa revolvebantur.*

Palmarum castissimum conjugium Symbolum B.V. cum D. Josepho Matrimonii.

S. Josephus Justus ex lege, Justus ex fide, Justus ex moribus.

54. Legunt alij ex Græco: *quasi Phœnix florebit*: Verè duæ istæ palmæ maritatæ, ob inauditam ad illa usque tempora hujusmodi matrimonij pudicissimi raritatem, duo Phœnices in toto mundo unici, ad illa usque tempora exstitêre; qui veluti palmæ non commixtis inter se radicibus, sive corporis sexu, sed custodito mentis affectu, ut loquitur D. August. amore purissimo, quasi longè à se dissitæ, copulatæ sunt.

55. Quare P. Suarez To. 2 in 3. part, disp. 7. sect. 1. docet cum communi Theologorum sententia: B. Virginem verum ac proprium matrimonium ratum cum Joseph contraxisse, aitque veritatem hanc esse de fide, eò quòd sit in Evangelio fundata, dum dicitur Luc. 1. *Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam Viro.* Item Luc. 2. *Ascendit Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum MARIA desponsata sibi uxore.*. Matth. 1. denique ubi dicitur: *Cùm esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH.* Desponsatio enim illa matrimonium ratum significat. Accedit, quòd Joseph Pater Christi dicebatur, non sanè aliam ob causam, nisi quia Mater ipsius vera conjux Josephi habebatur: Neque enim censendum est, habitum fuisse Christum Filium Josephi Spurium, aut illegitimum, cùm ad suspicionem hanc tollendam voluerit legitimum matrimonium inter Matrem Josephúmque intercedere, quô etiam ipsius Doctrina majorem haberet auctoritatem, nec illi ab ullo posset detrahi; quod observavit B. Albertus Magnus Tract. super missus, ubi rationes varias afferens, cur de desponsata nasci Christus voluerit, illam inter reliquas reddidit; quia, inquiens *si de non desponsata nasceretur, illegitimus haberetur, & sic doctrina ejus justè coram hominibus refutaretur.*

Inter B. V. & D Josephum verum fuit matrimonium ratum.

 56. Quam-

56. Quamobrem Rupertus Abbas verum Matrimonij contractum inter Virginem, ac Josephum intercessisse cognoscens in Matth. 1. cap. exclamavit. *O conjugium verum & sanctum, conjugium cæleste, non terrenum, unus spiritus & una fides erat in eis, sola illic carnis corruptio desivit.* Ubi clarè innuitur conjugium verissimum, legitimúmque matrimonium absque carnali copula esse posse. Cùm enim tria in quolibet Matrimonio interveniant; nempe nexus & vinculum, quò mutuô jus, potestatémque in sua corpora tradunt; alterum est mutua in eadem domo cohabitatio, mutuis obsequijs studijsque se se juvando; tertium est usus matrimonij per carnalem copulam, quæ etiam de essentia matrimonij non est omnium Theologorum communi consensu.

Copula carnalis non est de essentia Matrimonii.

57. Solus ergo consensus mutuus, quo conjuges jus potestatémque sibi in corpora invicem tradunt, matrimonium perficit, atque absolvit. Unde in Concilio Florentino Eugenio Pontifex suô decreô matrimonium mutuô consensu, qui absque dubio copulam antecedit, perfici definivit. Unde à principio inter Adamum & Evam, antequam inter se convenerunt, verum matrimonium in primigeniæ illius innocentiæ statu, dum in Paradiso terrestri morarentur, intercessit. Quod indicavit Protoplastus, dum se tam arctô vinculô Evæ adstrictum agnoscens dixit: *Hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una,* sibi mutuô videlicet jus potestatémque corporis, licèt non usum tradentes, & uno corde, una vuluntate simul conspirantes. Quòd etiam asseveravit Apostolus 1. Cor. 7. *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed Vir, similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Solus consensus, quo conjuges jus & potestatem sibi in corpora invicem tradunt, Matrimonium perficit atque absolvit.

58. Hæ igitur duæ Cœlestis Paradisi Palmæ MARIA & Joseph, castissimè se se invicem mutuo consensu affectúque conjungentes, & jus potestatémque sui corporis tradentes, absque ulla radicum commixtione matrimonium verum legitimúmque, emissô ex utraque parte Virginitatis votô, quô usu Matrimonii sibi mutuò interdixêre, Dominium solùm duntaxat corporum sibi mutuò exhibendo inierunt. Quem sanè consensum mutuum voluntatis MARIÆ & Joseph nobis figurant palmæ se se à longè inclinantes, uti diximus, ac quodammodò videntes, umbrâ solâ se operientes, funiculo deniquè à longè se se copulantes. Hinc S. Ephræm Syrus Serm. de Marg. ostendere volens MARIÆ ac Joseph purissimum absque ullo carnali complexu exstitisse matrimonium, postquam figurâ Templi Hierosolymitani illud comprobâsset, dixissetque: *Sapientia sibi domum ædificavit in MARIA. Non est auditus ferri sonus in ædificio. Neque enim Vir in MARIA ministravit, sed Virgo ipsa permansit: Ut enim in templo Salomonis politi per se ac dolati jam lapides erant, non ibi ab hominibus præparati, ita etiam in MARIA assumptio non virili operâ facta est, sed ex natura nostra delecta de castissima, ac Venerabilissima Virgine. Absque ferro consummatum est Templum, & sine dolore, ac corruptione natus est Christus, sola illic terra ministravit: sicut hic sola Virgo concepit. Non est scissa petra nec sensit lapidum percussionem terra; & Virgo neque mota est, neque ex carnali voluptate concepit. Josephum quidem Evangelista Patrem appellat, cùm nullam in illa generatione partem haberet: Non enim propter Christum dicitur Pater, sed propter Virginem, ut non*

Beatissima Virgo & Joseph Dominium duntaxat in corpora sibi invicem dedere, usum verò Matrimonii sibi interdixêre.

Templum Hierosolymitanum figura est Deiparæ.

S. Josephus non propter Christum dicitur Pater, sed propter Virginem ne ex fornicatione putaretur peperisse.

non ex fornicatione putaretur peperisse. Non appellatio naturam tribuit: Nam & nos crebrò Patres nuncupamus, non quidem genitores, verùm seniò conspicuos. Porrò & si Joseph Natura appellationem indidit, honorémque tempus tribuit; quoniam Virginis & Joseph Sponsorum arrhabones, ut hoc nomine vocaretur, effecerunt. Postquam, inquam, hæc præmisisset de Virginis illabata à Josepho Sponso conservata puritate, mox matrimonium illorum castissimum, Palmarum confirmavit exemplô: *Possum contra ostendere patrem, qui non genuerit: Palmarum mares, qui dicuntur, dum obumbrant fœminas, fructuosas illas efficiunt; cùm tamen neque illis misceantur, neque ullam ipsis substantiam præbeant. Et ficulnearum quoque nonnullæ fructum non ferunt, nisi ramis maribus obumbrentur: sicut igitur ista, quamvis non generent, Patres appellantur, ita & Joseph Pater est dictus, licèt maritus Virginis non esset.* Tandem totus admiratione perculsus exclamat: Magnum mysterium, ad quod perscrutandum oportet omnem vocare Creaturam: Solus tantæ rei enarrandæ non sufficio; loquantur igitur mecum, & quæ naturæ sunt, & quæ artis, quæque operationis intellectualis, &c. Hæc Ephræm de intemerato Deiparæ cum Josepho connubio, palmis quàm simillimo.

S. Josepho magna dignitas accrescit ex connubio cœlesti cum B. V.

59. Quô ex cœlesti planè matrimonio mira S. Josephi perspicitur dignitas, utpote qui DEI Matri tam arctô matrimonii vinculô fuerit conjunctus, ut in ipsius castissimum, & puritate Angelica purius corpus, quod DEUM erat gestaturum, jus potestatémque nactus sit, ac per consequens Parens DEI filii, quà homo est, haberi, inque illum Patrium jus, potestatémque exercere dignus fuerit.

60. Quæ Privilegia Joannes Gerson Cancellarius Paris. Vir Pietate æque ac litteris florentissimus, Serm. de Nat. B. V. in Concilio Constantiensi, in quo cum S. Josephi varia exposuisset præconia, quò ad ipsius festum in Ecclesia celebrandum solenniter Patres illos induceret, tandem hæc addidit. *Cuperem mihi verba suppetere, ad explicandum tam altum, & absconditum à sæculis mysterium, tam admirandam venerandámque Trinitatem, JESU, JOSEPH, & MARIÆ. Velle quidem mihi adjacet, sed posse non invenio, ac in ipso conatu deficio. Unde cùm gratia similiter & gloria naturam non tollat, sed extollat, & perficiat, recogitemus pia devotione, quod si vinculô quôdam naturali obligatio consurgit filij ad Matrem, & Matris ad sponsum suum, & utriusque, scilicet filij & Matris ad fidelissimum, vigilantissimum, & sedulum Custodem, & Nutritium Joseph, qui fuit caput MARIÆ, habens inde auctoritatem aliquam, principatum, Dominationem, & Imperium in MARIAM, sicut & MARIA suô modô in filium suum JESUM jure naturalis Maternitatis: Quantus existimandus est Justus ipse Joseph, nunc in gloria & in Cœlis, qui talis & tantus est hìc in miseria, & in terris? Profectò si non mentiebatur JESUS, cùm ait: Ubi sum ego illic & minister meus erit: Ille proximior collocandus videtur in Cœlis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post MARIAM inventus in terris.* Ad finem tandem sermonis; dum hortatur ad diem Natalem sancti Joseph celebrandum ab Ecclesiasticis saltem; ait; *ejus honorem redundare in ipsam Virginem MARIAM, & in ipsum qui de ea natus est, JESUM Christum.* Quod similiter initio ipsius sermonis inculcat docens ex duplici principio laudes Virginis, ac sanctissimi ejus Sponsi Joseph pendere: primùm, quòd ex MARIA natus est Christus Filius DEI: alterum, quòd Joseph fuit Vir MARIÆ, atque ita caput ejus, quia caput mulieris

Varia divi Josephi præconia.

S. Josephus specialiter colendus, quia honor qui ei exhibetur, specialiter redundat in B. V. ejusque Filium Jesum

lieris vir secundum Apostolum. Ex quo duplici principio rursus duplex aliud infert: Unum quidem, quòd decuerit MARIAM tanta puritate nitere, quâ sub DEO major nequit intelligi, ut ait Anselmus: alterum, quòd similiter decuerit Joseph tanta prærogativa pollere, quæ similitudinem & convenientiam exprimeret talis Sponsi ad talem Sponsam MARIAM, de qua natus est JESUS, &c. Unde sicut laus MARIÆ est laus Christi Filii ejus, ita laus Joseph in præconium redundat utriusque, JESU scilicet & MARIÆ. Sic ex adverso dicit sapiens, quòd dedecus Filii est Pater sine honore: similiter dedecus Sponsæ esset Sponsus sine honore derelictus.

Laudes tam Virginis quàm Joseph sunt ineffabiles, nec mundus caperet omnes, qui super his scribendi essent, libros.

61. Tum ut ostendat laudes tam Virginis quàm Joseph esse ineffabiles, hæc attexit; *Solvitur ex his quæstio, cur de MARIÆ, cur de JOSEPH præconiis dignitatibus atque excellentiis, virtutibus, operibus, ac gestis ampliora, scriptura non tradat. Neque enim mundus ipse caperet omnes, qui super his scribendi essent, libros: atque ita ex hoc quadruplici principio velut fæcundissimo quôdam, copiosissimo, & amplissimo laudum seminario habet devoti contemplantis animus, unde faciliter ad laudes quantaslibet MARIÆ, ac JOSEPH assurgat, simúlque adscribat eis per sufficientiam, aut virtualem continentiam laudes, quas in aliis Creaturis etiam Angelicis considerabat. Habet enim hoc ordo Hierarchicus secundùm Dionysium, ut inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modô repositæ, uti sapientiâ perfectior est Seraphim quàm Cherubim. Est autem MARIA super choros Angelorum per gratiam & gloriam sublimata; quale aliquid de ipso Joseph negare non audeo, sed nec affirmare præsumo. Erunt igitur in ambobus cæterarum Creaturarum irrationabilium, ac rationabilium, & Angelicarum eminenti quôdam modô perfectiones. Et hoc quàm latè pateat ad commendationem utriusque, perspicuum est solerter intuenti, amplissimósque campos omnium virtutum, donorum beatitudinum, fructuum Spiritûs sancti per considerationem ingredienti.* Hæc Gerson de privilegiis sanctissimi Josephi, eximiisque dignitatibus.

S. Joseph cum vir appellatur, brevi compendio amplissimus quidam laudum Joseph Oceanus aperitur.

62. De his etiam P. Suarez Disput 8. Sect. 1. easque ad quatuor reducit capita. Prima dignitas esto, quòd fuerit verè ac propriè sacratissimæ Virginis Deiparæ Sponsus & omnia jura ac munera veri Sponsi, exceptô carnali usu matrimonii habuerit. Cùm igitur ab Evangelistis Matthæo & Luca, Vir MARIÆ appellatur, brevi compendio amplissimus quidam laudum Joseph oceanus aperitur:

63. Hôc enim ipsô nobis declaratur, ipsum tanquam castissimum conjugem, jus ac potestatem in DEI Matrem habuisse, ejusdémque fuisse caput; & ex hac tam arcta cum Deipara conjunctione ineffabilia planè DEI dona gratiarúmque omnium sortitum fuisse munera, adeò, ut cum Gersone ipsum super omnes Angelicas Hierarchias, DEI Matri vicinissimum constituere possimus: cùm omnia, quæ uxoris sunt, sint viri, credo quòd Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Joseph recipere poterat, ei liberalissimè exhibebat. Quare sanctus Bernardinus Senensis Tom. 3. Serm. de S. Joseph ait, illum virtutum operatione, Virgini ob tam arctam connubii conjunctionem, fuisse simillimum: *quomodò*, inquit ille, *cogitare potest mens discreta, quòd Spiritus sanctus tanta unione, conjugii videlicet, uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Unde credo Joseph fuisse mundissimum in Virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in charitate, altissimum in contemplatione Virginis illius Sponsæ, ut vi-*

videlicet esset adjutorium simile Virgini. Ubi alludit ad primum illud sanctissimum, quod in primis orbis incunabulis, in ipso Paradiso celebratum est inter Protoplastos matrimonium; in quo quemadmodùm Eva data est Adamo in adjutorium, ei in omnibus moribus persimilis, ita in hoc longè nobiliori, utpote DEI Matris connubio, datus est Joseph in adjutorium tam Virginis, quàm ipsius DEI Filii, ut ipsi in infantilibus præsertim necessitatibus, summáque rerum omnium paupertate labore manuum subveniret. Quare quod in illo primo connubio asseveravit universorum Dominus Gen. 2. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, vice versa de MARIA dici potest: Non est bonum hanc hominem, de qua natus est Christus, qui se filium hominis appellat, esse solam; faciamus ei adjutorium, morum integritate, virtutibus, ac sanctimoniâ, Josephum videlicet Sponsum, persimilem, in quo veluti speculo Virginea innocentia ac puritas, reliquáque Spiritûs sancti charismata resplendeant.

S. Joseph adjutorium simile Virgini Beatissimæ.

64. Unde Bernardinus Bustius 4. Par. Marial. Serm. 12. tam eximiâ puritate præditum fuisse Joseph, asserit, ut quidam ipsius devotus eum ab originali peccato præservatum fuisse (quod ego asserere non ausim) ut Sponsæ suæ similis foret, affirmârit. *Sicut enim DEUS voluit præservare*, inquiebat ille, *B. Virginem à peccato originali, ut esset digna DEI Mater, ita etiam voluit præservare S. Joseph, ut esset Matris ejus dignus Sponsus, ejúsque Idoneus Pater nutritius, ac Minister purissimus, & quantum possibile esset, conformaretur in puritate ipsi purissimæ Virgini.* Ad quod probandum Gersonis jam memoratô utitur argumentô: Laudem Josephi in MARIAM, ipsiúsque filium JESUM redundare.

65. Quòd si cuipiam nimis sublimis laus S. Joseph attributa ad ipsius puritatem, Virgini quàm simillimam, confirmandam esse videretur, sentiat cum eodem Parisiensi Cancellario, dicatque ad instar Joannis Baptistæ post originale contractum peccatum in utero fuisse sanctificatum, in eóque omnē libidinis fomitem exstinctum. Unde, inquit, sicut MARIA potuit ex sententia dicere illud Saræ, Uxoris Tobiæ junioris filiæ Raguelis: *Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundā servavi animam meam ab omni concupiscentia; virū autem cum timore tuo non autē cum libidine mea consensi suscipere:* sic ipse Joseph potuit apud DEUM gloriari (ita enim piè teneo) Tu scis Domine, quia nunquam concupivi fœminam, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia: Uxorem autem cum timore, non cum libidine mea consensi suscipere. Ex quibus omnibus sanctimoniam sanctissimi Josephi Marianæ quâm simillimam fuisse cognoscimus; ut proinde nemini mirùm videatur, si illum adjutorium conjugi purissimæ simile fuisse, piè sentiamus: licèt nil certi asseverare audeamus, cùm hæc sint præter generales scripturæ canones, non sine convincente ratione & magna auctoritate Ecclesiæ sanctorúmque Patrum approbatione, ut docet Suarez disp. 8. Sect. 2. ad finem asseveranda.

Josephum in utero Matris sanctificatum Gersonis est opinio.

66. Quare quod D. Nazianzenus orat. 11. in laudem mariti Sororis suæ Gorgoniæ usurpavit, potiori jure nos ad S. Joseph deprædicanda encomia transferemus: Dicamus igitur & nos: *Vultis, unô verbô Virum describam? Vir illius! nec enim suo, quid ampliùs dicere necesse sit!* sufficiat itaque & nos dicere inter tot támque eximia Josephi elogia, quòd fuerit Vir MARIÆ, MARIÆ in-

fuisse Virum MARIÆ S. Josephum summa laudum.

inquam, dignissimæ DEI Matris.

67. Eximiam hanc Josephi sanctimoniam, puritatémque conjugi castissimæ quàm simillimam, Virga illa ipsius prodigiosè florens, cui Spiritus sanctus columbæ specie insedit, eúmque Sponsum suæ sanctissimæ declaravit Sponsæ, toti orbi manifestum reddidit. Reigestæ seriem descripsit D. Hieron. in Hist. de ortu MARIÆ, ubi cùm dixisset Virginē in templo usq; ad años nubiles commoratam, advenisséque tempus, quo Viro cuipiam DEUM timenti desponderetur, præmissaque oratione, tota de re deliberatum, mox hæc attexuit: *Et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum DEUM de more accessit: Nec mora, audientibus de oraculo, & propitiatorij loco vox facta est, requirendum esse, Cui Virgo illa commendari, & desponsari deberet; cunctos de domo & familia David, nuptui habiles non conjugatos, Virgas suas allaturos ad altare prædixit, & cujuscunque Virgula florem tandem germinasset, & in ejus cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse, cui Virgo commendari & desponsari deberet. Erat autem inter cæteros Joseph homo de domo & familia David grandævus. Cunctis verò Virgas suas juxta ordinem deferentibus, solus ipse suam subtraxit: Unde cum nihil divinæ voci consonum apparuisset, Pontifex iteratò DEUm consulendum putavit; Proditus est itaque Joseph: Cùm enim Virgam suam attulisset, & in cacumine ejus columba de cœlo veniens consedisset, liquido omnibus patuit, ei Virginem desponsandam fore.* sic Hieron. similia habet Georgius Cedrenus in compendio Hist. ubi ait Virginem tunc. 14. annum attigisse, & Joseph Fabro, cujus Virga floruerat desponsatam fuisse. Idem testatur S. Eustachius; in Hexam. ubi ita de illo loquitur *Simul atque à Sacerdote virgam accepit' columba volans capiti Joseph insedit. Quare princeps Sacerdotum, Sacerdotésque omnes, qui convenerant, rem admirati, pari voto illi Mariam desponderunt.*

S. Josephi Sanctimoniam, virga illius prodigiosè florens, cui Spiritus S. columbæ specie insedit, eúmque Sponsum B. V. declaravit, mundo manifestam fecit. D. 6. n. 67.

68. Quô prodigiô Dominus declarare voluit, qualisnam esset sponsus Virginis. Quemadmodùm enim in electione Aaron summi Sacerdotis Num. 17. ipsius virgam miraculosè simul florere, ac fructum amygdalinum facere voluit, ut ostenderetur, qualisnam tandem summi sacerdotis vita esse deberet, nempe virtutibus florida, simúlque bonorum operum fructibus atquæ amygdalis, quæ vigilantiæ in sacris litteris symbola sunt, exuberans: ita floriata Virga Joseph, super quam columbæ specie Spiritus sanctus requievit, indicabat animum Joseph omnium virtutum flore ornatissimum, Spiritûs S. Donis ac charismatis instructissimum, ac denique Sponsæ Virgini quàm simillimum, de qua Isaias cap. 11. juncta Interpretatione Divi Hieronymi vaticinatus est: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectûs, Spiritus Consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Sicut Virga Aaronis, qualis nam vita summi sacerdotis esse deberet, denotavit, ita virga florida Josephi denotabat animum illius omnium virtutum genere ornatum.

69. Quemadmodùm igitur Jessæa hæc Virgula florida Spiritus sancti incubatione honorata; ejusdémque donis exornata, Virginem flore Virginitatis, reliquarúmque virtutum vernantem divinissimóque Spiritu in Filij conceptione obumbratam denotabat, ita Virga Joseph florida, cui insederat columbæ specie Spirtus sanctus, ipsum Virginitate potissimum è reliquis virtutibus florentem, simúlque ipsum Spiritum sanctum æmulantem, qui Virginis quoque castissimus Sponsus exstitit, designabat. Virga denique illa florida, quæ absque dubio exstiterit amygdalina, flo-

S. Josephus Virginitate præcipuè excellebat.

florentem Joseph Virginitatem vigilantiámque in tuenda tam sua, quám Sponsæ Virginitate; columba verò fœcunditatem, quam Sponsus Spiritus sanctus Virgini in Verbi incarnatione erat communicaturus, significavit, ostendens, quòd Josepho ob emissum Virginitatis votum sterili defuisset, se sua fœcunditatis virtute castissimè suppleturum. Nec tamen hanc ob causam Spiritus S. Pater Christi dici poterat, uti S. Hieronymus olim aliquos censuisse asserit; sed ipse sua præsentia, dum in columbæ specie in Virgam, & ex illa in caput Joseph advolat, elegit eum, ut Pater Christi esset, & diceretur, & Patris simul munera obiret, & infantem Christum, Virginémque custodiret, aliáque faceret, quæ Spiritus ipse per se præstare minimè posse videbatur. Quare ex hac columbæ super caput Joseph descensione jure augurari possumus Divinam humano generi propitiatam fuisse iracundiam, inque clementiam conversam, ut quondam in diebus Noë, cùm ei columba ramum olivæ virentibus foliis in arcam post Diluvium intulit, quemadmodùm Isidorus Isolanus infra citandus censuit: columba enim illa, quæ ad arcam advolavit, Spiritum sanctum, qui in capite Joseph residens ipsum cœli donis locupletavit, designabat, simúlque iratum Deum pacem cum homine initurum propediem prænunciabat, ubi nimirum Joseph incarnati Verbi parens fuerit denunciatus.

Sicut columba Noetica, ita Spiritus S. columbæ specie capiti S. Josephi insidens propediem Deum pacem cum homine initurum denotabat.

70. Altera dignitas, quam affert Suarez, sanctissimi Joseph, eáque eminentissima est, quòd nimirum Pater Dei filij fuerit habitus, ac vocatus, ut patet in Evangelio etiam ex verbis B. Virginis Luc. 2. ubi ipsa ita filium alloquitur: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Qua ex re idem Suarez colligit miram excellentiam Josephi, quòd Deus Pater summa sapientia ac providentia hoc nomen patris sibi proprium, cum Josepho voluerit communicare, cum nomine simul officium, paternámque curam ac sollicitudinem magna ex parte illi tribuendo. Quamobrem crediderim ideò ad illum Spiritum S. columbæ specie demissum cœlitus, ut illi amorem illum, quo Pater æternus fertur in Filium, quantùm humanæ naturæ capax esse potest imbecillitas, communicaret. Audiendus hìc Rupertus Abbas lib. 1. de gloria Filii hominis: ubi, cùm dixisset horum conjugum Mariæ videlicet ac Joseph vitam sine corruptione totam fuisse cœlestem; mox attexuit: *Et Spiritus sanctus fuit amborum conjugalis amor, quorum utique conversatio erat in cælis, in ambobus præsidens scilicet Spiritus S. eósque docens, quàm impenso amore sibi utique simillimo, in Christum suum naturalem filium ferri debeant.*

S. Josephi magna dignitas, quod Pater filii Dei habitus fuerit. Unde credibile est, ideo Spiritum S. insedisse ejus capiti, ut amorem illum, quo Pater æternus fertur in filium, eidem, quantum humana natura capax est, communicaret.

71. Ex hoc S. Joseph privilegio, quòd Pater Christi curâ ac providentiâ exstiterit, miris cœlestis gratiæ donis ac charismatis illum ornatum fuisse deprehendimus. Cùm enim parens illius fuerit, qui æterni Patris Filius est amantissimus, consequitur sanè, eum eodem pene amore à Filio Jesu in tempore dilectum, quò filius Patrem ex omni diligit æternitate, atque ita innumeris gratiis, ac privilegiis cœlitus fuisse cumulatum, cùm beneficiorum omnium à DEO hominibus collatorum radix, amor divinus esse consueverit. Hinc S. Bernardus Hom. 2. super missus, ex hac Patris, qua Joseph decoratus fuit appellatione, ut & proprii nominis ethymologia, mira cœli munera eum sortitum fuisse conjectatur: *Conjice*, inquiens, *ex hac appellatione, quâ licèt dispensatoriâ meruerit honorari adeò, ut Pater* DEI

Joseph Patriarcha figura fuit S. Josephi Sponsi B. V. & Nutritii filii Dei.

& dictus; & creditus sit. Conjice, & ex proprio vocabulo, quòd augmentum non dubitas interpretari, quis, & qualis homo fuerit iste Joseph, simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, & gratiam. Quibus ex verbis colligimus nomen Patris, quô sanctissimum hunc Patriarcham DEUS Pater vocitari voluit, causam alterius fuisse nominis, nempe Joseph ab augmento gratiarum deducti, quò intelligeremus ipsum tot charismatum cœlestium ideò sortitum fuisse incrementa, quòd Parens ipsius DEI filii olim futurus esse prænoscebatur.

Elogia Joseph Patriarchæ applicantur S. Josepho B. V. Sponso.

72. Unde Josephi Patriarchæ illius aptissimè illi conveniunt elogia Gen. 49. *Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum.* Quibus verbis geminam internam videlicet animi, & externam corporis ex virtutum incrementis ortam venustatem sanctissimi Josephi nostri depinxit, quæ adeò præstans exstitit, ut hominum filiæ formæ illius elegantiam conspicere desiderârint: unde & super murum discurrisse memorantur. Hinc Lyranus ita in locum illum commentus est: In Hebræo habetur: *Filiæ discurrerunt propter aspectum, quod in eandem redit sententiam; quia Dominæ Ægypti, quando audiebant adventum Joseph, currebant ad fenestras, & super muros, unde possent eum videre transeuntem propter ejus gratiositatem.* Eandem exterioris etiam venustatis gratiam, nostrum etiam S. Joseph facilè mihi persuaserim habuisse. Credibile enim est, ubi Joseph sorte divina tam inusitatis prodigiis in Sponsum Virginis Deiparæ, in Parentem Filii DEI fuit electus, omnium oculos in ipsum fuisse conjectos, ipsius pulchritudinem ab interna animi in corpus redundantem fuisse admiratos, utpote qui non senex, sed vir in ætatis 40. videlicet annorum flore constitutus, ad supportanda pauperculæ familiæ onera fuit delectus. Quare Rich. à S. Laur. antiquum illum Patriarcham umbram hujusce nostri exstitisse cognoscens ita loquitur: *Hic est ille Joseph, qui à Patre plús cæteris diligitur, qui novit non solùm cum crescentibus virtutibus crescere, cum proficientibus proficere, verùm etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere, & ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere,*

73. Quare meritò Joseph augmentum & filius accrescens à patre vocatur: & virtutum incrementum Joseph fuisse sortitum, quòd Pater appellatus sit Salvatoris, & Sponsus Virginis. Testatur B. Albertus Magnus Tract. super missus: *Proprietas*, inquiens, *Nominis ac significatio, quæ incrementum sonat, ipsi nihilominus optimè congruit, qui per hanc dispositionem, quantùm ad se ipsum, & quantùm ad proximum & quantùm ad DEUM sublimatus fuit, videlicet virtutum augmentatione, famæ celebritate, hominis reverentia, & devotione, & Matris DEI familiaritate.*

S. Joseph incrementa, atque ornamenta virtutum titulo Justi, ob quem cum Noë comparatur.

74. Hæc virtutum omnium S. Joseph incrementa, atque ornamenta comprehendit Evangelista, cùm eum Justum appellavit, siquidem justitia virtutum omnium collectio ab Aristotele, ac Theologis vocitatur. Audiamus hic Isidorum 1. par. c. 16. qui ob justitiam hanc planè singularem ipsum magno illi Patriarchæ Noë contulit, de quo Gen. 6. dicitur, gratiam invenisse coram Domino, & justum, atque perfectum fuisse in generationibus suis, & cum DEO ambulâsse. Idem ei attribuit elogium Siracides Eccl. 44. 17. *Noë inventus*

tus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Unde cit. Isolanus S Josephi studiosissimus, ac devotissimus: Justus Dei testimoniô, S. Joseph comprobatur. Justitia itidem S. Josephi in Noë Justo figurata fuit: hic, ut habetur Gen. 6. quoniam justus atque perfectus cum Deo ambulavit, Arcam divino gubernavit præcepto, in qua genus humanum salvum factum. Hic est Noë, qui columbam, virentis olivæ ramum deferentem, signum clementiæ Dei manibus accepit. Hic signum fœderis inter Deum & hominem vidit: Verùm mysteria quæ Noë gesta significabant sub umbra, sancto Joseph sub vero Sole contigerunt: Ipse enim sua promeruit justitia, ut Virgini beatæ, in Arca Noë præfiguratæ, Sponsus & caput esse meruerit. Ipse eandem, gremio Verbum Dei incarnatum gestantem, humanæ signum reconciliationis cum Deo, obsequio sancto manuum suarum prosecutus est. Ipse signum fœderis inter Deum & hominem oculis vidit, & exultavit, diluvium humanæ naturæ ampliùs minimè pertimescens. En quanta dona, ac privilegia S. Joseph paternitate sua à Deo ter Opt. Maximo consecutus est!

Christus Filius Legalis ipsius Joseph.

75. Paternitatem hanc Joannes Gerson, & Jacobus de Valentia Episc. Christopolit. in Cant. B. V. legalem appellant. *Dupliciter*, inquit hic, *Christus dicitur Filius legalis ipsius Joseph. Primo, quia in lege fuit per Judam & Thamar, & Phares præfiguratum, & in novo adimpletum illud mysterium. Secundo, quia Christus in legitimo conjugio & Sponsa, conjuge ipsius Joseph, absque injuria conjugali fuit conceptus & & natus.* Et ideò ad hunc intellectum Matthæus scribendo Christi Genealogiam, concludit in fine totius catalogi, quòd *Nathan genuit Joseph virum MARIÆ, de qua natus est JESUS &c.* Unde non dicit, Joseph genuit Christum; ad denotandum, quòd Christus non est filius naturalis, nec carnalis ipsius Joseph, sed legalis.

S. Joseph Patria in Christum autoritate & potestate pollebat.

76. Neque verò censendum, S. Josephum solo Patris nomine, non autem re, jure videlicet, patriâque in filium autoritate ac potestate, alijsque patris functionibus, si carnalem dumtaxat generationem excipias, gavisum esse, quæ tertia est sanctissimi hujusce viri dignitas; verè enim patriam potestatem in filium Jesum habuit, eámque, ubi opus fuit, maxima tamen cum reverentia, sciens illum etiam verum Deum esse, exercuit: Verè tanquam pater de omnibus ad vitam traducendam necessariis illi mira sedulitate providebat; quam S. Bernardus attentiùs considerans Hom. 2. super missus, Varia ipsius erga parvulum obsequia commemorat: *Non est dubium*, inquiens, *quin bonus & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater Desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadjutorem fidelissimum.* Huc accedit, quòd fuerit de domo David nobilis genere, mente nobilior. Prorsus filius David, non tantùm carne, sed fide & sanctitate, sed devotione; quem tanquam alterum David, Dominus invenit secundum cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum, cui tanquam alteri David incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo Principum hujus sæculi agnovit. Cui denique datum est, quod multi Reges & Prophetæ, cum vellent videre, non viderunt, audire, & non audiêrunt; non solum videre & audire, sed etiam

portare, deducere, amplecti, deosculari, ac nutrire & custodire, quæ omnia pene Patris ministeria erga filium esse consuevêre.

77. Quare Rupertus Abbas lib. 1. de gloria Filij hominis ponderans verba illa Evangelistæ: *Jacob genuit Joseph virum MARIÆ &c.* docet generationis lineam deductam ad Joseph, esse scalam illam, quam Jacob in somnis Cœlum attingentem contemplatus est, lateráque ejus scalæ asserit Abraham & Davidem esse gradus verò nominatos Reges, postremum denique gradum, cui Christus innitebatur, esse sanctissimum Joseph, cujus brachijs humerisque, homo factus inniti, ab eóque portari parvulus debuerat: *supremus scalæ gradus*, inquit ille, *cui Christus innixus est, est B. Joseph vir MARIÆ, de qua JESUS, qui vocatur Christus, natus est: Quomodò iste DEUS & Dominus huic innixus est? utique tanquam tutori pupillus; quippe qui non in hoc mundo sine Patre natus est, ita innixus est huic B. Joseph, ut esset infantulo iste Pater optimus, ut hujus solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur.*

Deducta ad Joseph generationis linea scalæ Jacob comparatur.

78. Unde ob hæc similiáque obsequia Josephi, incarnato Verbo in sua infantia exhibita, censuit Isidorus Isolanus Beniamini benedictionem illam, Deut. 33. 12. exaratam, ipsi convenire, quæ talis est: *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros ejus requiescet.* sic enim ille: *Procul dubio hæc benedictio convenit sanctissimo Josepho; præ cæteris enim viris fuit Joseph Domini amantissimus, ita ut ex ejus Virgine conjuge nasci voluerit, illúmque Patrem vocare dignatus fuerit. In sancti quoque Josephi thalamo habitavit infans, puer, adolescens, ac juvenis, in cujus humeris procul dubio idem Dominus JESUS infans resedit, atque in illius requievit brachijs.* Ubi

Bemiamini benedictio illa Deut. 33. convenit S. Joseph.

porrò legit vulgatus: *quasi in thalamo tota die morabitur*, legêre 70. Interp. *DEUS obumbrat super eum.* Et Oleaster: *Dominus tegens eum sua protectione.* Ex quibus lectionibus intelligimus, quod Christus Nutritium suum Joseph suâ divina protectione, ac Spiritûs sancti obumbratione contra exæstuantis libidinis ardorem ita texerit, ut omnem in illo concupiscentiæ fomitem exstingueret, vitámque Angelicam in carne ageret.

79. Audiamus & Joannem Gersonem, obsequia paterna infanti Christo, à S. Joseph exhibita recensentem, eúmque ita alloquentem Tract. 2. in Magnif. *Felix prorsus exstitisti Vir MARIÆ Juste Joseph, cui toties concessa sunt oscula blanda pueri JESU, quem gestare manibus, sinu resovere, brachijs amplecti, pectus DEI capax tuo pectori stringere, cum omnibus pueritiæ gratissimæ blandimentis toties meruisti. O quoties intuitus oculorum beatorum, tibi Sponsæq; tuæ letos afflabat honores! O quoties jucundissima vox divinos vobis aspirabat amores; sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat; tanquam verè cum filio hominis filius esset DEI.* Idem Tract. 4. Virginem alloquens exclamavit: *O verè felix Joseph, Sponsus tuus Virginalis, qui tui custos cum puero JESU fidelis, sedulus, prudens, atquo charissimus audire, videréque cum filio tanto tempore dignus fuit.*

Obsequia paterna infanti Jesui Joseph exhibita.

80. De eisdem paternis obsequijs teneræ infantiæ necessarijs à S. Josepho Christo exhibitis præclarè doctor Angelicus in illa Verba Angeli Matth. 1. *Joseph fili David noli timere accipere MARIAM conjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est; pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* Sic, inquam ille: *Quia posset Joseph dicere ita: Concepit ipsa de Spiritu sancto, & pariet filium, quid ergo ad me? In nullo sum ei necessarius: ideò subdit ipsius Je-*

S. Joseph Matri & Filio erat necessarius, Matri, ut eam defendat ab infamia, Filio ut eum nutriat.

Josephi obsequium: Vocabis nomen ejus JESUM, ostenditque, quòd, quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium, & tunc Matri, & Filio erit necessarius; Matri, ut ab infamia defendat, Filio, ut eum enutriat.

Sanctus Joseph magnus dies Sabbathi, in cujus sinu quievit Dominus.

81. Ob hæc Paterna humanato DEI Filio à S. Josepho delata obsequia, jam sæpius citatus Isidorus Isolanus 3. Par. cap. 1. eum Diem Sabbathi, in quo Dominus requievit, vocitare non dubitavit. *O quoties*, inquiens, *JESU maximè in gremio Joseph quievisti? Ejus collum tuis teneris brachijs illius hærens pectori ac humeris amplexus os? Quievit ergo DEUS in Joseph corporaliter, quievit spiritualiter per donum gratiæ gratum facientis; quievit fiduciâ desponsans illi Matrem, quievit curâ, vocans illum Patrem, quievit lætitiâ laboribus ejus vivens: verè Joseph magnus est dies ille Sabbathi, in quo quievit DEUS gloriosiùs ab omni opere, quod patrârat.*

Quas delicias ex Pueri Jesu ac Virginis conversatione perceperit S. Joseph.

82. Delicias hasce, quas ex pueri Jesu, ac Virginis conversatione percipiebat Joseph, præclarè descripsit Bernardinus Bustius 4. Par. Marial. Serm. 12. *quanta*, inquit, *erat teneritudo ipsius Joseph, quando audiebat benignum Dei filium appellare eum Patrem sibi in mensa servientem? O utinam ego vel unum de fragmentis convivij illius habere possem! Quantùm prætcrea gaudebat, quando videbat dulcissimum Dominum JESUM in labore & arte sua eum adjuvantem, sibique mirifica illius artis carpentariæ ostendentem? Quanta dulcedine replebatur, quando ipsum parvulum Jesulinum tenebat brachijs, osculabatur dulciter. stringebat suaviter, non semel tantùm, ut Simeon, sed quotidiè adjuvando conjugem suam Virginem benedictam ad infantulum quietissimum, & gratiosissimum fasciandum? O Benedicte Joseph quomodo tantam suavitatem sufferre poteras, quando dulcedo Paradisi, ipse DEI filius te suis brachijs amplectebatur, dulcitérque osculabatur? profectò crediderim, quod illi dulciter cantabas: JESU sole serenior, & balsamo suavior, omni dulcore dulcior, cæteris amabilior.* Hic ille.

Qualis fuerit Josephi cum Puero Jesu, ejusque Matre conversatio.

83. Qualis porrò B. Josephi fuerit cum Puero JESU ejúsque Matre sanctissima conversatio, idem par. 1. cap. 16. describit Isidorus: *fuit Josephi conversatio Angelica moribus, societate, intellectu, voluntate, officio, ac contemplatione. Mores ejus Angelici dicendi sunt, munditiam Virginitatis semper spirantes, sapientiam exprimentes divinam, dum prudentissimè consilia exprimeret Angelica, ac divina ardens charitate DEUM verum manibus pert. ctaret, cui per singulas horas Joseph adstabat.* Prosequitur deinde, ostenditque idem Auctor eum contemplativam simul, activámque ad sustentandam Familiam vitam egisse: *Putásne*, inquiens, *Joseph Christi præsentiam sive in infantili ætate, sive in puerili, sive in adolescentia, sive in juventute spontè aliquando deservisse? Eidem pariter Christo deserviebat magno cordis jubilo etiam propter eos, qui hæreditatem accepturi erant salutis. Quare consequitur ut vitam contemplationi Christi DEI addictam duceret, quia absens quoque pro varijs rerum Familiarium negotijs mente fruebatur, ut Angelica in eo luceret conversatio.* Item de eadem Josephi sanctissima cum puero Jesu ejusque Matre Virgine conversatione ita prosequitur: *fuit pia, & religiosa Josephi conversatio. qui Christo Deo vero dies & noctes serviebat; fuit denique divina officio, habitatione, atque conjugio: gessit enim personam DEI Patris omnium Conditoris per Verbum, dum ejusdem Verbi incarnati putabatur Pater. Ac tandem fuit Christi pueri contra insidias diaboli & astutias defensor, cui incognitas Josephi virtutes DEUS Omnipotens opposuit.* Sic ille.

84. Quam eximius porrò contemplator B. Joseph exstiterit, indicant illi, qui ejus intellectum subin-

Christus dicitur Fabri filius, tum quia Pater æternus est fabricator Orbis, tum quia Pater legalis Joseph faber lignarius.

subinde, hic dum adhuc viveret, ad divinam clarè contemplandam essentiam elevatum fuisse dixêre; inter quos est Pater noster Morales, & alii nonnulli, quorum in sanctissimum Virum hunc pietas laudabilis est. Inter ipsius activæ vitæ opera, quibus pauperem illam sustentabat familiam, à sanctis Patribus aliisque Asceticis ars fabrilis numeratur. Fertur enim faber lignarius exstitisse, manuúmque suarum labore sibi, totique domui victum comparâsse. Unde vulgò dicebatur per contemptum: Nonne iste est fabri filius? Ubi S. Ambrosius: *In hoc quoque adverte mysterium, Faber Pater dicitur Christi; & planè Pater faber DEUS, qui totius mundi opera fabricatus est, faber, qui in diluvio Noë arcam fabricare disposuit; Faber, inquam, est, qui ordinavit Moysi tabernaculum, Arcam testamenti instituit, Templum Salomonis erexit.* Hic autem faber circa arbores curvo utitur ferramento dicente Ioanne: *Jam securis ad radices arborum posita est.* Hoc enim agit totum, ut utiles cœlestis fabricæ arbores in futuro componat, infructuosas vero evulsas radicitus, flammeóque consumat incendio. Audiendus etiam hic Auctor Imperf. operis in Matth. *Sed ut per omnia filij paternæ nativitatis paternum imitaretur exemplum, ideò & MARIA Desponsata erat fabro lignario, quoniam & Christus Sponsus Ecclesiæ omnem salutem hominum & omne opus suum per lignum Crucis fuerat operaturus.* Fabrum lignarium fuisse S. Iosephum pius quidam Vir indicavit, qui ut scribit Theodoretus lib. 3. hist. Eccl. cap. 23. Iulianô Apostatâ contra Persas pugnante, à Libanio Sophista per contemptum quæsitus: quid faceret fabri filius? Sapienter, argutéque respondit, & quod mox futurum erat, prædixit: Fabricator hujus universitatis, quem tu per risum fabri filium nominâsti, sandapilam, sive arcam ligneam tuo Imperatori fabricat. Nec multis post diebus, inquit Theodoretus, nunciatum de morte furiosi Imperatoris, qui in sandapila allatus est, & jactantia ipsius minarum evanuit cum maxima DEI gloria.

MARIA fabro lignario Desponsata fuit, quia Christus Sponsus Ecclesiæ omnem salutem hominum, & omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus.

Quidam Libanio sophista interrogatus, quid facit fabri filius? Respondit: Sandapilam tuo Imperatori Juliano fabricat.

85. Sanctus denique Petrus Chrysologus non absque mysterio S. Iosephum fabrum ferrarium fuisse scripsit Serm. 48. *Dicebant, hic est fabri filius*, inquiens, *sed, cujus fabri filius, non dicebant. Dicebant; Fabri filius, ut arte vili ars lateret auctoris, & Deitatis nomen fabrile nomen absconderet. Christus erat fabri filius, sed illius, qui mundum fabricam fecit, non malleô, sed præceptô; qui elementorum membra, non ingenio, sed jussione compegit; qui massam sæculi auctoritate, non carbone conflavit; qui solem non terreno igne, sed supremo calore succendit; qui Lunam, tenebras, noctem firmavit, & tempora; qui stellas variata luce distinxit; qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit O homo tibi, ut Opificem operis æstimatione pensares.* Hæc Chrysologus præclarè quidem: Verùm in eo, quòd censuerit Josephum fabrum fuisse ferrarium, non facilè admittendus. Communior enim est Patrum sententia fabrum lignarium fuisse, censéntque eam artem magìs virum illum decuisse. Hac arte igitur in sudore vultûs sui comedit panem suum, & secundo Adamo de Cœlo cœlesti eundem comedendum una cum Matre sanctissima summa cum pietate exhibuit, adeò, ut quemadmodûm ait Isidorus Isolanus 3 Par. cap. 19. Joseph dicere potuerit: Ego ô DEUS immortalis non minimum solùm tuum esurientem pavi, sed ipsum, nudúmque operui; quicquid humanitatis exhibere convenit mortali homini, ego tibi homini facto exhibui. Unde

S. Joseph post B. V. efficacissimus & præstantissimus apud DEUM est noster Patronus.

de tandem hoc infert: *Quocirca mortalium inter Patronos apud DEUM arbitror sanctum Joseph esse efficaciorem, ac post B. Virginem Reginam præstantiorem.* Neque verò solùm ob hæc paterna Christo in sua infantia à S. Joseph delata obsequia pater ipsius appellari meruit, verùm etiam alijs nominibus: Cùm enim Joseph contracto cum Virgine matrimonio, in ejus corpus jus, potestatémque quodammodò sibi vendicaverit. (*Mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir,* ut ait Apostolus) consequens sanè fuit, ut Virginei illius corporis, uterique fructus benedictus ad Josephum pertinuerit. Jure siquidem Cæsareo sancitum est de rerum divis: §. cùm in suo solo: quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur, sub illius Dominium cadit, cujus est solum. Quare, si in horto cujuspiam fons Divina virtute scaturiret, ad illum pertineret, ad quem & ipse hortus. Quia igitur MARIA Virgo Desponsata legitima S. Josephi hortus conclusus & possessio exstitit, figurata terrâ illâ Virgineâ, quam Moyses ante mortem suam benedixit Deut. 33. jure meritissimo fontem illum vitæ, qui de ventre purissimo MARIÆ scaturivit, fructúmq; illum ejusdem ventris dulcissimum, quem toti mundo peperit, ad Josephum quoque pertinere tanquam ad legitimum terræ illius possessorem, pronunciamus.

S. Joseph titulo matrimonii possessor erat corporis Mariani tanquam terræ Virgineæ, unde fructus ventris jure ad ipsum tanquam possessorem spectabat.

86 Quales porrò benedictiones Terra hæc divinitus sibi communicatas habuerit, ut ex illis præstantiam tam sancti fructus ad Virgineum etiam Joseph pertinentis, agnoscamus, audite: *de benedictione Domini terra ejus* scilicet Josephi, sive ut ex Hebr. legunt alij *Benedicta à Domino erit terra Joseph de pomis Cœli, hoc est, in pomis & rore, atque abysso subiacente; de pomis fructum solis & Lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine ejus. Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super Joseph.* Quibus tam multiplicibus benedictionibus significatur, terram illam Virgineam omnis peccati originalis maledicto carentem, tam benignis divinæ bonitatis influxibus fructum suavissimum, omnes Cœli, terræque, qui unquam producti sunt, transscendisse fructus omniúmque saporem ac dulcedinem eminentiori longè ratione continuisse; innumeris denique gratiarum fontibus ex abysso divinæ misericordiæ emanantibus redundaturam. Quam misericordiæ abyssum, inexhaustúmque fontem, si Incarnatum DEI filium è purissimo Virginis utero, uti diximus, tanquam de terra benedicta egredientem esse pronunciaverimus, intelligemus sanè Christum sub potestate Joseph, quemadmodùm & terram ipsam, de qua processit, exstitisse, ac meritò Patrem ipsius fuisse appellatum. Quòd si abyssum subjacentem ipsam Virginem ob profundissimam humilitatem nuncupabimus, jure ex hac Abysso fontem illum patentem Domûs David in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, Christum videlicet emanâsse dicemus, ac proinde, quemadmodùm Virgo, quæ à S. Damasceno gratiarum abyssus dicitur, ita & ipse fons inde scaturiens sub Ioseph Dominio exstitisse dicetur. Quod intellexit & Gerson Serm. de Nat. B. V, ubi: *Propterea*, inquit, *Pater quidem Joseph non naturalis, sed legalis pueri JESU dici potest, cui Spiritus sanctus suscitavit semen carnale.* Natus est igitur IESUS in terra seu fundo ipsius Ioseph, de qua terra clamat Isaias: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Et Psal. *Veritas de terra orta est: quidni competat igitur ipsi* Jo-

Quales Benedictiones terra Virginea habuerit

Sicut terra Virginea sub Dominio Josephi fuit, ita & fons David, Christus, inde exortus.

Joseph jus aliquod legale ultra cæteros homines in benedicta Pueri JESU formatione, quando natus est in ea, & ex carne, cujus Dominium jure matrimoniali verè translatum erat in ipsum Joseph? Unde non confundebatur MARIA vocare Joseph Dominum suum, quemadmodum de Sara scribit Apostolus Petrus. Unde & præponit eum sibi: Ecce Pater tuus, & ego quærebamus: Nimirum quia major in MARIA, quàm in Sara humilitas & Joseph dignitas Abrahæ dignitatem superabat. Fuit autem hæc procreatio Pueri JESU in te O MARIA, per Spiritum sanctum de consensu vel interpretativo viri tui Joseph: volebat enim ut fieret voluntas Domini per omnia, cùm esset justus. Hæc Gerson.

S. Josephum sibi præposuit B. V.

S. Joseph vi matrimonii cum Deipara unum cor factus, unde bona communia, inter quæ præcipuum JESUS MARIÆ filius

87 Denique Christus sanctissimi hujus Patriarchæ Joseph filius eam ob causam dici potest, quòd matrimonij vinculo cum Virgine conjuge sua ipsius Matre unum, quid unũ cor, una voluntas per mutuum illum consensum evaserit: Unde evenit, ut bona utrinque communia facta sint, per consequens & ipse filius, uti sub potestate ac Dominio erat Matris, ita quoque ipsius fuit etiam Joseph, utpote à conjuge indivisi, ac proinde rationem Parentis absque carnali generatione participantis.

88. Quarta denique dignitas S. Joseph fuit ex priore illa dimanans, quod jus Dominiúmque tam in Virginem Sponsam, quam in ejus filium habere meritus fuerit. Habuit jus in Virginem tanquam ipsius caput, *Caput enim mulieris vir*, ut inquit Apostolus 1 Cor. 11. Atque ita B. Virgo in rebus ad familiæ gubernationem spectantibus tota à nutu, voluntatéque dependebat Sponsi; tanquam sui, totiúsque familiæ capitis. Habuit jus, dominiúmque Joseph in Filium quoque Virginis Sponsæ suæ, ob rationes supra commemoratas, quatenus erat homo, & quatenus se se illi Christus sponte, divinum quid in ipso agnoscens subdidit. Unde S. Lucas cap. 2. de hac subjectione Christi scripsit: *Erat subditus illis.* Quæ verba expendens Bernardus Hom. 1. super missus, stupore attonitus tam Virginis, quàm Joseph dignitatem eminentissimam suspiciens exclamat: *Quis? quibus? DEUS hominibus. DEUS inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt; subditus erat MARIÆ, non tantùm MARIÆ, sed & JOSEPH propter MARIAM. Mirare ergo utrum libet, & elige, quid amplius mireris, sive filij benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem: utrinque stupor, utrinque miraculum; & quòd DEUS fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, & quòd DEO fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quòd sequantur Agnum, quocunque ierit.* Apoc. 15. *quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?* Tum hominum execratus arrogantiam, hortatur omnes exemplô parvuli JESU magni DEI, se se hominibus, MARIÆ videlicet ac Joseph subdenti, ad humilitatem atque obedientiam: *Disce*, inquiens, *O homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista: erat*, inquit, *subditus illis, haud dubium quin MARIÆ & JOSEPH. Erubesce superbe cinis! DEUS se humiliat, & tu te exaltas, DEUS se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus tuo te præponis Auctori. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties DEUM meum præire contendo. Si hominis O homo imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, sequi auctorem tuum.* Sic Bernard.

S. Bernardus hortatur omnes ad humilitatem & obedientiam

89. Hanc Pueri JESU ejúsque Matris subjectionem, obedientiámque Josepho tanquam parenti, familiæque capiti præstitam obstupe-

pescens Joannes Gerson Serm. de Nat. B, V. ita loquitur: *Libet hic exclamare. O miranda prorsus Joseph sublimitas tua! O dignitas incomparabilis! ut Mater DEI Regina Cœli, Domina mundi appellare te Dominum non indignum putaverit. Nescio sanè Patres orthodoxi quid hic amplius habeat mirabilis vel humilitas in MARIA, vel in Joseph sublimitas: quamvis incomparabiliter exsuperet utrumque puer JESUS benedictus in sæcula, de quo scriptum est; quòd erat subditus illis.* Subditus fabro is, qui fabricavit auroram, & solem; subditus fœminæ textrinæ, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quæ subjectio sicut inæstimabilem notat humilitatem in Jesu: ita dignitatem incomparabilem in Joseph, & Maria. O hanc admirandam, eminentissimámque S. Josephi dignitatem meritò idem Gerson pronunciavit: *Non mirùm, si Christus voluit, ut omnes Creaturæ obedirent Josepho, cùm & ipse ei obediens exstiterit, & subjectus.*

Humilitas & obedientia Christi & B. V. admirabilis.

S. Josephi dignitas admiranda.

90. Subjectionem hanc Pueri Jesu, atque exactissimam obedientiam Josepho præstitam pulchrè describit Isidorus Isolanus Par. 4. cap. 9. dum parvulum Jesum ita loquentem introducit: *Ego conversatus cum Josepho in omnibus, sicut si essem filius ejus, & eram per omnia sicut ipse; obediebam ei in omnibus, nec unquam transgressus sum verbum illius, & eram subditus illi, sicut filij parentibus, & diligebam Joseph valde sicut pupillam oculi mei.* O te felicem, ac térque quatérque beatum, beatissime Joseph, antiquô illô Patriarchâ longè feliciorem, quem legimus â sole, luna, ac stellis adoratum; longè inquam te feliciorem prædicamus, cujus imperio solis, lunæ, stellarúmque Conditor, & stella maris subditur. O fortunatũ te Joseph sanctissime, Heroe illô Josue longè fortunatiorem; ad cujus imperium semel Sol in Cœlo suum cursum stitisse perhibetur; fortunatiorem, inquam, te dicimus, cui non semel, sed quoties tibi libuit, Solis hujus aspectabilis ipse Molitor parere non est dedignatus. Quàm præclarè quidam

S. Joseph antiquo illo Patriarchâ felicior, Josue fortunatior.

Cuncta DEO parent, Joseph tua gloria crescit;
Crescit honos, paret nam DEUS ipse tibi.

91. Quam ob causam Christophorus Archiep. à Capitefont. lib. de Virginit. Mariæ & Joseph: Sapienter tanto Patriarchæ orbis totius Monarchiam gubernandam tradi posse pronunciavit: Hic certè dignus erat, qui etiam totius mundi curam haberet, siquidem ei filius Dei subditus fuit, & eum Mater Dei tenerrimè dilexit, ut Sponsum agnoverit, & ut Dominum coluerit. Hinc Bernardinus Bustius 4. par. Marial. Serm 12. ex hoc principio deducit, eum Virum omnibus virtutum numeris absolutissimum exstitisse, quòd eum suæ familiæ gubernandæ Deus præposuerit, dignúmque planè orbis totius regimine: *Cùm ergo Joseph, inquit ille, deberet esse custos Beatissimæ Virginis & Pueri JESU, eorúmque socius & gubernator, & habere Reginam Cœli in conjugem, & esse maritus illius, quæ esset Sponsa DEI; credísne, quòd erraverit DEUS in electione ipsius, aut aliquid ei deesse permiserit ad omnimodam perfectionem? Profectò hoc esset valde erroneum, & stultissimum opinari. DEUS enim cùm aliquem ad aliquod opus assumit, dat ei omnem sufficientiam ad perficiendum. Unde de isto sanctissimo viro super familiam DEI constituto dici potest: quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Matth. 14. *Ego igitur teneo, quòd in toto mundo nunquam fuit vir ita sufficiens ad*

S. Josepho orbis totius Monarchia merito gubernanda tradi potuisset.

Ad tanta officia quæ gessit S. Joseph nullus æquè dignus ac Joseph fuit in mundo.

ad tam dignum opus sicut B. Joseph. Unde de ipso dicebat quidam devotus Prædicator populo: e ve lo so dire, che l'una testa salda; ita ut ad regimen totius mundi sufficiens esse posset. Qui enim à DEO fuit electus idoneus ad regimen filij sui: qui in infinitum est excellentior, & major mundo, & ad gubernationem Sponsæ Divinæ, quæ dignior est universo orbe, multò magis credendus est sufficiens ad regendum totum mundum. Et ideò quidam Prædicator dicebat, malè eos facere, qui eum decrepitum, melancholicum, ac vilem cum flascetto ad cingulum depingunt, utpote hominem tantâ prudentiâ, sapientiâq; repletum. Sic ille.

S. Joseph ex variis titulis à Jesu & Maria plurimum dilectus.

92. Ex omnibus his tam singularibus sanctissimi Joseph privilegijs satis perspicimus, eum à JESU ejúsque Matre sanctissima plurimùm fuisse dilectum. Tum ob dignitatem statúmque, ad quem à DEO erat provectus, ut sponsus DEI Matris, & parens DEI filij haberetur. Hi enim cùm in omnibus suis actionibus fuerint semper perfectissimi, perfectissimos quoque in hoc suo amore erga Josephum fuisse oportuit: Tum quia ratio gratitudinis amorem hunc per se requirebat; Cùm enim bonus JESUS ejusdémque Mater sanctissima cernerent, quantos labores Joseph in sustētanda familia toleraret, quam pia solicitudine, & charitate de omnibus ad vitam tolerandam necessarijs perviderет, non poterant tam amanti benefactori in hac vita amorem saltem, eúmque maximum, uti ipsorum personam addecebat, non communicare. Amabant denique JESUS & Maria optimum Joseph ob morum ipsorum egregiam in ipso relucentem similitudinem, quæ causa amoris esse consuevit, assiduam item familiaritatem, ac tot annorum consuetudinem.

93. Ob has aliásque considerationes sanctum Joseph P. Suarez præponendum censuit Apostolis Disp. 8. Sect. 1. *Quia ministeria inquit, quæ attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est, excellentiora sunt: & in hoc ordine intelligo constitutum esse ministerium sancti Joseph, & esse velut in infimo gradu illius, & ex hac parte excedere reliqua, tanquam in superiori ordine existens.* Et verè, cùm omnes actiones Joseph circa Christum fuerint exercitæ ex amore ardentissimo, quo eum prosequebatur, non est omnino dubitandum, ab ipso gratia singulari fuisse præventum, ut juxta sui nominis ethymon, majora in dies caperet omnis virtutis, sanctitatísque incrementa: Si enim Christus promisit ei, qui daret calicem aquæ frigidæ, non perditurum mercedem suam; quam mercedem gratiarum, divinorúmque charismatum etiam in hac vita eum dedisse putamus ei, qui 30. annis labore manuum suarum se tanta cum pietate, ac charitate enutrivit?

S. Joseph Apostolis præponendus.

In dies majora virtutum & gratiæ incrementa fecit S. Joseph.

94. Quòd si benignissimam Virginis ipsius Deiparæ consideremus indolem, credibile est, eam pro eo, quô velut castissimum suum Sponsum prosequebatur affectu, ipsi à Dilectissimo filio innumera impetrâsse virtutum ornamenta, quibus facilè reliquos Apostolos ob jam memoratam rationem antecessit. Unde præclarè Pater Suarez Sect. 2. pronunciavit; *Verisimile esse B. Virginem eximia gratiæ dona, & auxilia Sponso suo, quem singulariter diligebat, exoptasse, suisque orationibus impetrâsse.* Nam, si verum est, ut revera est, unum ex efficacissimis mediis ad obtinenda à DEO gratiæ dona esse devotionem erga Virginem, ejúsque intercessionem, quî credi potest sanctissimum Joseph Virgini dilectissimum, ac devotissimum per illam non obtinuisse eximiam sanctitatis perfectionem? Si enim

S. Gregorii Nazianzeni soror Gorgonia unicè desideravit ut maritus quoque perficeretur.

enim sanctissima illa D. Greg. Nazianzeni Soror Gorgonia, ut refert ipse orat 11. *Unum hoc ad omnia accedere cupivit; ut maritus quoque perficeretur, ut sic toto corpore consecraretur, non dimidiâ tantùm ex parte initiata decederet, ipsiúsque aliquid imperfectum relinqueret, atque hoc ab Universorum Domino, qui voluntatem timentium se facit, precibus impetravit:*

B. M. Amplissima Dei dona S. Josepho à Deo impetravit.

Quid Dei Mater summa Cœlorum Regina pro Sponso suo Dilectissimo, cum quo cor unum, animáque una post Deum per ordinatam charitatem exstiterat, non impetràrit? amplissima sanè Dei dona, virtutésque omnibus numeris absolutas, eam Sponso impetrâsse necesse est, imperfectionem enim ejus ob arctissimam illam affectûs cordisque cum ipso unionem, suam quodammodò arbitrabatur, unde ad eam tollendam toto annisu, precúmque solicita contentione adlaborâsse censendum est.

95. Quòd si Virginis voluntas adeò potens, atque efficax est apud filium, ut quidquid velit, impetret, ut testatur Anselmus, quid, tandem, Deus immortalis! tam dilecto Sponso eam cupiisse, quid impetrâsse arbitrabimur? quæ, quæso, hoc mens capere, quæ lingua effari poterit? Quid si, tandem Dei Filii in parentem, seu Nutritium suum, adeò benevolum, ac viscerosum, quemadmodùm illum tot annorum decursu intimè, utpote scrutans corda, & renes Deus, agnovit, atque expertus est, propensissimam consideremus voluntatem? ea sanè hujusmodi in illum fuit, ut nullo impellente promptissima ad ea omnia, quæ puro homini excepta Matre Virgine ab effusissima Dei manu communicari possunt, effundenda exstiterit. Jam verò sanctissimæ Matris accedente tam efficaci voluntate, quid tandem eam egisse speramus? quis Angelorum hoc comprehendat? quis edicat? Ego sanè profundissimâ ac prorsus Cherubicâ irradiatum fuisse sapientiâ, charitatéque accensum Seraphicâ ab ipso Dei filio, ob tot tantáque sibi, tam eximia cum sapientia, charitatéque tam ardenti exhibita ministeria facilè crediderim, ut de aliis planè singularibus ejus virtutibus interim sileamus.

S. Joseph Cherubicâ sapientiâ, & Seraphicâ charitate donatus.

96. Quare supra citatus jam sæpiùs Isolanus 3. par. cap. 22. S. Joseph Cherubino illi, flammeum gladium vibrante, ad custodiam terrestris Paradisi conferre non dubitavit. *Memento*, inquiens, *Sacræ seriem Geneseos asserentem DEUM posuisse Cherubim, qui Paradisi terrestris custos foret, atque servator. Reminiscere quoque Virginem Matrem Paradisi typo signatam, & Christum lignum esse vitæ, quod plantatum est secus decursus aquarum. Porrò si isthæc explorata creduntur veritatis, cur non Joseph Cherubim asseverandus est, qui & Virginis sanctissimæ, & Christi Custos à DEO immortali positus est?* Sic ille.

S. Joseph Cherubino Paradisi Custodi comparatur.

97. Hujus porrò Cherubini gladium, flammeamque rhomphæam ardentissimam ipsius, quâ non modò in Dei filium, ejusque Matrem castissimè, verùm etiam in Mortales omnes flagrabat, dixerim fuisse charitatem, quâ ita jugiter æstuabat, ut in Seraphicum quempiam transformatus esse videretur. Unde idem Isidorus Par. 1. cap. 16. *Joseph* inquit, *mores Angelici dicendi sunt, munditiam Virginitatis semper spirantes, sapientiam exprimentes divinam, dum prudentissimè consilia perficeret Angelica, ac divina ardens charitate DEUM verum manibus pertractaret. Nunquid coram magno perseverans igne diu quispiam frigescit? DEUS autem noster ignis ardens est, cui per singulas horas Joseph adstabat.* Hæc Isidorus.

Flammeus Cherubini gladius denotat seraphicam S. Josephi charitatem.

98. Quæ sanè eximiam sanctissimi Joseph dignitatem, excellentiam-

Joannes Gerson ut non modo S. Josephi dies festus, verum etiam castissimæ desponsationis solenni ritu in Ecclesia celebraretur instituit: sacrum officium missæ & horas canonicas pro ea die concinnavit.

tiámque nobis ob oculos proponunt; adeò, ut non mirer pientissimum in Virginem Deiparam ac doctissimum Joannem Gersonem Academiæ Parisiensis Cancellarium in Concilio Constantiensi pro celebranda ipsius die in primis Natali, tot tantisque ipsius deprædicatis elogijs fuisse solicitum, & deinde varijs ad varios datis epistolis, ut non modò ejus dies festus, verùm etiam ipse castissimæ Desponsationis ipsius dies solenni ritu in Ecclesia, saltem inter Ecclesiasticos celebraretur, instituisse. Quod, ut facilius Vir pijssimus consequeretur, ipse sacrum officium Missæ, ipse horas Canonicas pro ea die concinnavit, uti 4. parte operum ipsius videre est. In qua etiam videnda Epistola ad Cantorem Ecclesiæ Cathedralis Carnotensis, quâ suadet, ut & dies festus S. Joseph, & simul desponsationis celebretur.

Henricus Chiquoti Canonicus Carnotensis ut aliquando solennis de S. Joseph fieret commemoratio certos redditus legavit.

99. Non miror etiam Henricum Chiquot Canonicum Carnotensem motum affectu speciali ad virginale conjugium Joseph cum MARIA celebrandum, loquitur Gerson citatâ, post quam disertè ac sapienter de hac materia scripsisset, postquam mecum etiam contulisset, tandem in ultima, qua obijt ægritudine, quosdam redditus testamento legavit, ut aliquando solennis de S. Joseph fieret comemoratio: sciens, quòd laus ejus laus sit MARIÆ.

100. Idem Gerson aliam Epistolam Anno 1413. 17. Augusti Ecclesijs Universis præserrim Beatissimæ, & gloriosæ semper Virginis MARIÆ dedicatis perscripsit: hortatur omnes, ad diem festum jam memorati sanctissimi Joseph, ejusdemque sponsalitij celebrandum. Ad cujus tandem epistolæ calcem, quò omnes ad devotionem ardentiorem erga tam sanctum Patriarcham permoveat, aliquot ipsius attexit Elogia: *Addamus*. inquiens, *Confidenter quòd sicut æterna DEI sapientia totum Incarnationis mysterium prævidens Justum Joseph præordinavit custodem, & Matris suæ testem, ac præterea suum continuum Nutritium; sic dedit quoque ad hanc custodiam, & nutritionem omne illud, quod erat accomodum, decens, honestúmque. Hinc probabile est, quòd ipsum Joseph in utero Matris consecraret, quòd eum ab omni fomitis illecebrosi refrigerârit concupiscentiâ. Quod denique morientem, sicut communis Adæ lex urgebat, personaliter visitârit, ipsumque consolatus ejus animam in requiem justorum perduxerit. Quoúsque tandem resurgens ejus anima diceret: Hodie mecum eris in Paradiso. Dixerit hoc illi forsitan Christus, secum in anima & corpore conresurgenti: siquidem multa corpora sanctorum, quæ dormierant, eo moriente surrexerunt. Apparuit denique fortassis cum Christo dulcissimæ uxori suæ MARIÆ ipso resurrectionis die, & dicente Christo Matri: Salve sancta Parens, addidit Joseph: Salve charissima conjux.* Sic ille.

Speciales prærogativæ S. Joseph recensentur, ut omnes ad ardentiorem in eum devotionem inflamentur.

101. Ex quibus omnibus facilè intelligere possumus, quàm tenera pietate in hunc sanctissimum Patriarcham Gerson fuerit affectus, quámque in ejus promovenda toto terrarum orbe gloria ardens atque solicitus. Noverat nimirum Vir hic piissimus, quantùm valeat, hujus præsertim Justi assidua deprecatio apud Deum, cujus teneræ infantiæ in hac mortali vita tot, tantáque miro pietatis ardore detulit obsequia. Noverat tam amanti Sponso Virginem Deiparam apud se pro mortalibus intercedenti nihil unquam negaturam. Noverat denique preces nostras per Virginem filio oblatas repulsam nullam unquam pati posse, idcirco tantopere, ut Sponsalitium hoc Virgineum ab omnibus fidelibus in Ecclesia DEI devotè coleretur, pro virili sua adlaboravit.

S. Josephum colendi specialia motiva.

102. Un-

S. Josepho pro nobis intercedenti, neque Jesus in cœlis neque B. V. quidquam denegant.

102. Unde sanctissima illa Virgo Teresia Ordinis Carmelitani Reformatrix S. Joseph addictissima, hæc de illo memoriæ prodidit: *Significare vult DEUS omnibus patrocinium sanctissimi Joseph implorantibus, quòd sicut ipse in hoc mundo voluit subditus esse Josepho, & ejus obedire mandatis, ita etiam in Cælis ad dexteram Patris gloriosus existens nihil ei pro nobis interpellanti negat: quin imo libentissimè omnia concedit.* Idem dicere possumus dilectissimam ipsius facere Sponsam, cùm apud ipsam sanctus Joseph pro nobis intercedit. Eadem S. Mater Teresia ut in ejus vita scribit noster Ribera lib. 1. cap. 9. multos favores sancti Josephi fuit experta, quæ cùm vice quadam extra se posita in Spiritu esset, in schedula separata hæc exaravit: *Intellexi me in Deiparam Matrem ac Sponsum ejus Josephum singulari affectu atque obsequio ferri debere: Cùm enim in extremum interitum sæpiùs ipsa ruerem, illorum patrocinio factum, ut quâ penè excideram, salutem mihi DEUS clementissimus reddiderit.* Ob quæ, aliáque innumera ab illis accepta beneficia utriúsque Imagines ad valvas Monasterii tanquam familiæ suæ fidos custodes collocari voluit, ut idem scribit Ribera cap. 13.

Visio S. Theresiæ de S. Josepho.

103. Atque ut majori devotionis affectu S. Mater Theresia, erga sanctum Josephum inflammaretur, Virgo Deipara, ipso suo in cœlos Assumptionis die, dum illa de suis peccatis jam confessis cum dolore cogitaret, miro favore illam affecit; in Spiritu siquidem rapta vidit se candidissima, ac splendidissima veste circumdari: Initio quidem non videbat à quonam indueretur, post verò à dextra adstantem sibi Deiparam, à læva S. Josephum conspexit, & ab hisce vestiri. Hôc signô intellexit illa ab omni se delictorum inquinamento purgatam, & suâ à Deipara apprehensâ manu, pergratam sibi rem ex eadem audivit se facere, quòd S. Josepho Sponso suo peculiari famularetur affectu. Addidit præterea B. V. à se, & Josepho Sponso illam cum suis sororibus conservatum iri, Filium quoque suum cum illis futurum, & ambulaturum, ut & is antè apparens se facturum receperat. In quorum fidei signum ait hoc illi se tradere monile, cui par nullum terra ferebat, & pretiosissimam inde dependentem Crucem, quam cum monili suo collo à Deipara injectam animadvertit. Quo accepto munere, innumera cum Angelorum multitudine Deiparam, & S. Josephum in cœlum abire vidit.

Visio S. Theresiæ de B. V. & S. Josepho.

104. Audiamus hic denique insignem illum Theologum, Lutheri malleum Joannem Echium docentem, quantam habere fiduciam de tanto apud DEUM patrocinio debeamus: sic enim ille Hom. 2. de S. Joseph loquitur: *Usque adeò illa Josephi cum Domino JESU, & Virgine MARIA conversatio immensam ejus arguit castimoniam, ac dignitatem, unde sperare liceat, quòd quidquid filium Jesum Christum suum rogaverit Joseph, vel etiam conjugem dilectissimam MARIAM, ejus rei repulsam passurus sit nunquam. Vos itaque charissimi, nolite viri tam sancti oblivisci, quin eum sedulò invocate pro affectu, neque enim ille in necessitate vos deseret.*

Quanta fiducia in patrocinio S. Josephi apud DEUM habenda sit.

104. Quare Virgo Deipara Patri nostro Balthasari Alvario ejus honoris studiosissimo, dum in itinere Romano in Lauretana domo ardentiùs oraret, inter singularia, quæ accepit dona, mediáque ad consequendam perfectionem multùm, conferentia, in cæteris ei commendavit peculiarem ad S. Joseph Sponsum suum devotionem. Noverat enim Virgo ex hac velut dulcissima radice, & suaves virtutum flores, & uberrimos, dulcissimósque bonorum fructus germinaturos.

Patri nostro Balthasari Alvarez Deipara specialiter cultum S. Josephi commendavit.

ros. Præclarè enim asseveravit paulò ante memoratus Isolanus 4. parte cap. 7. *Cùm DEI filius in lumine gloriæ suæ intuetur quempiam sancto affici Joseph, illius studere honori, ejus implorare suffragia; gaudet profectò, ut suum nutritorem honoret, annuit votis, exaudit clementiùs, & pro paterna gloria abundantiùs munera invocantibus effundit cœlestia.*

106. Quæ cùm ita se habeant, studeamus omnes Virgineam hanc palmam Palmæ Josephinæ tam castè copulatam, intimis nostri cordis fibris inserere; totóque pectore adnitamur, ut hæ divinissimæ Plantæ in animis nostris altissimas pietatis radices agant figántque, copiosissimos mihi credite, vestræ devotionis fructus retuleritis. O si cor nostrum tam felix, fortunatúmque foret, ac B. Margarethæ cor exstitit, quæ postquam à vita migravit, tres gemmas in corde pretiosissimas habuisse memoriæ proditum est; quarum prima Virginem pulcherrimam DEI Matrem referebat: altera speciosum infantulum, quem oviculæ circumdabant, Christum nempe bonum pastorem: tertia denique honestum, ac venerabilem virum, cujus capiti columba insidebat, & hic S. Josephum repræsentabat, qui ei ut & Infans JESUS, ejusque Mater dulcissima tantis erat in amoribus, ut dum viveret, identidem in illas voces erumperet: *O si sciretis vos, quid ego in corde meo gesto, & retineo!* O utinam tanto nos quoque in beatam hanc Trinitatem, JESUM nempe, MARIAM, & JOSEPH amore feramur, ut intimis cordis nostri fibris insriberetur. O utinam & altera supersubstantialis atque increata Trinitas, Pater inquam, Filius, & Spiritus sanctus, uti S. Claræ de Monte Falco contigit, imis medullis expressa foret! quàm pretiosos in hac vita Thesauros, DEUS bone! possideremus?

In B. Margarethæ corde tres gemmæ repertæ, quarum prima B. V. altera JESUM infantulum, tertia S. Josephum repræsentabat.

In corde S. Claræ increata Trinitas expressa videbatur.

107. Et quoniam paucorum in hac vita hæ tam singulares sunt gratiæ, utramque hanc Trinitatem animitus, medullitúsque, dum spiramus, amemus; atque interim sub harum palmarum pulcherrimarum, nempe JESU, MARIÆ, JOSEPH umbra suaviter eorum præclaras virtutes velut frondes amœnissimas, velut fructus dulcissimos contemplando conquiescamus. Verè enim de quâlibet harum sanctissimarum personarum dici potest, quod de palma Sanctus Pronunciavit Ambrosius: *Est planè palma umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, nunquam marcescens.* Quæ verba expendens attentiùs Bernardinus Bustius par. 9. Serm. 1. Assim. 5. & ad Deiparam transferens: *Palma*, inquit, *est umbrosa ad requiem, quia ejus umbra ad requiescendum est grata: Similiter umbra B. V.* addiderim ego, & quidem principaliter JESU ac Joseph, & eorum vitæ consideratio refrigerium nobis præstat, malúmque cupiditatum ignem refrigerat. Consideratio enim eorum paupertatis præbet refrigerium contra æstum avaritiæ. Consideratio humilitatis refrigerium dat contra ambitionis æstum. Consideratio castitatis refrigerium contra æstum carnalis concupiscentiæ. Atque ita quisque harum pulcherrimarum palmarum refrigeratus ac recreatus umbrâ, dicere poterit cum Sponsa Cant 2. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus, fructus videlicet paupertatis, humilitatis sive obedientiæ, fructus demum castitatis, reliquarum JESU, MARIÆ, ac JOSEPH virtutum dulcis est gutturi meo.*

Umbra triplicis Palmæ Jesu, Mariæ & Josephi refrigerium nostrum.

108. Ut porrò fructus hos interea tantò sapidiùs degustemus, Consilium, exhortationémque Religio-

ligiosissimi, ac Doctissimi Aloysij Novarini Clerici Regularis Deiparæ, ejusque Sponso addictissimi amplectamur. Sic enim ille, in umbra Virgin. Excur. 29. *Moneo, ut sub Josephi umbra simus, hoc est, imitemur eum, quem non in tutelam duntaxat, sed & in exemplum cunctis Deus proposuit. Accelerat sanctorum imitatio sanctorum auxilium, & morum similitudo velut magnos sanctos ad nostri protectionem allicit. Hinc illud S. Leonis* Serm. 5. de Epiph. *Per bonam æmulationem sanctorum ambite suffragia, cum quibus enim vobis fuerit consortium devotionis, erit & communio dignitatis. Nulla re scilicet magis sancti trahuntur, quam eorum virtutum æmulatione, quod ut verum de sanctis omnibus sit, id præcipuè tamen locum habet in sanctissimo Christi Patre Josepho, quem omnium Exemplar DEUS constituit, quem omnes æmularentur. Nec casu accidit eum fabrilem artem exercuisse, nimirum ut ad ipsum velut spiritualem Fabrum respiceremus, securiq; sua nostra vitia resecaret, nos dedolaret, in cælúmque dedolati, exasciati, & perpoliti transmitteremur.* Hinc illud ex antiquo hymno.

S. Josephum Deus exemplar constituit ut omnes æmularentur. Fabrum lignarium, à quo omnes cœlo aptarentur.

In securi Faber sancte,
Excide in me vitium,
Ut sim lignum adoptivum,
Duc Cæli ad palatium.

Succidat intercessionis suæ securi sanctus iste Faber, quidquid in nobis reperitur, quod DEO displicet, & sic fiat, ut contra divini judicij securim, quam Deus infructuosos noxiósque fructus ferentibus arboribus admovet, nos muniamus, divinæque sententiæ ictum quô qui feriuntur, æternis flammis adjudicantur, ante vertentes S. Josephi patrociniô & ejus imitatione in Cœlum evehamur, æternâ cum illo gloriâ fruituri. O quando! claudo in hoc voto: & inclamo.

Securis ista Joseph nos reddet abira
Divina securos.

Hactenus Novarinus.

109. Quarè præclarè in Sanctissimi, atque ingeniosissimi Fabri hujus laudem exclamavit Christophorus Archiepiscopus à Capitefont. lib. de Virgin. Mariæ, ac Joseph. *O beatum virum hunc, cui contigit talis filij esse Nutritium, Patrem dici! O beatos eos, quos iste dilexerit, quos sub sua susceperit Sanctos iste protectione.* Ut porrò protectione hâc digni habeamur præclarissimas ejus virtutes, ut & sponsæ Virginis, ac in primis JESU ejus filij, qui omnium Christianarum virtutum exemplar est ac prototypon, æmulemur. Conemur denique maximô, quô possumus, studio animi puritatem, sanctitatémque consequi, ad ejusque culmen pervenire & mons quidam Cades, hoc est sanctitatis evadere, ut in nostro sanctificato corde, veluti in Cades Virginea hæc palma radices agat, in eósque laudum nostrarum præconio exaltata nos quoque vicissim in cœlesti gloria devictis vitiorum monstris, Tartareisque hostibus palmâ insignitos æviternùm exaltet.

Quas S. Josephus dilexerit, ter Beati sunt. Diliges autem virtutum suarum sedulos æmulatores.






DISCURSUS SEPTIMUS.

MARIA VIRGO OLIVA PARADISI.

Quasi Oliva speciosa in Campis. Eccl. 24.



1. CUm Virginem hanc Olivam, quam Siracides in campis super omnes arbores exaltatam perhibet, attentiùs considero, videtur mihi esse Oliva illa Byzantina admirabilis, quam Sostratus Byzantius lib. 2. apud Achillem Tatium in Luco Byzantino fuisse testatur; quæ stupendô prodigiô imbre igneo fœcundata fuit. Videtur mihi quoque illa Oliva Minervæ esse de, qua Pausanias in Atticis: quæ à Persis urbe succensa conflagravit, ac eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinavit. Virgo enim cùm cœlestem divinúmque illum ignem, qui quondam rubum succenderat, nec tamen exusserat, in Verbi Incarnatione sinu suo excepit, eundémque novem mensibus fovit, quid aliud quàm Oliva hæc Byzantina imbre igneo fœcundari visa est? cùm enim DEUS noster ignis consumens sit, ut loquitur Apostolus, & ignis ex se sit sterilis eo utero Virginis se se insinuante, Virgo, quæ naturâ quoque sterilis est, inauditô prodigiô fœcundata est, quando illibato Virginitatis flore fructum illum benedictum à tot Prophetis, Patriarchis, Regibusque tam anxijs desiderijs exspectatum, edidit.

B. V. Oliva speciosa in campis. Oliva Byzantina admirabilis, dum Verbum incarnaretur

2. Eadem Virgo nónne Oliva Attica visa est, cum in Filij passione ingenti afflictione animitus cruciata, ac plùs quàm Martyr effecta, vastissimo quodam doloris incendio conflagrâsse visa est? quæ tamen brevi resurgente à mortuis Filio in tantam proceritatem excrevit, ut Oliva speciosa in campis exaltata appelletur. Quare P. Caussinus noster lib. 10. Hierogl. 51 Atticam hanc Olivam, quæ ex ipso damno compendia quæsivit, Virginis invictam fortitudinem, quæ ex ipsis adversis ac tristibus suæ laudis, ac gloriæ capit augmentum, designari censuit: citátque Tertullianum ad Martyres *Negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris.* Hinc Rutilius.

B. Virgo Oliva Minervæ Attica prodigiosa in Passione & resurrectione Christi.

Adversis solenne tuis sperare secunda,
Exemplo Cæli; ditia damna subis.
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus,
Lunam finiri cernis, ut incipiat.

3. Virginea sanè Luna in morte Filij veri Justitiæ solis quodammodo ecclypsata doloris magnitudine vitam finjisse videbatur; cùm ecce redivivo filio cœpit clariori lætitiæ luce splendescere verificatúmque in illa est: *Erit Lux Lunæ sicut lux solis.*

Luna Virginea in morte filii ecclipsata, & eo redivivo clariùs splendescere.

4. Quare jure merito ipsam tam pretiosis ac venustis à filio post tot dolores atque angustias decoratam orna-

B. V. tot ornamentis, post tot dolores exornata, compa-

ratur Olivæ Pygmalionis pretiosæ. ornamentis Olivæ Pygmalionis apud Gaditanos ex auro artificiosissimè elaboratæ, fructus ex Smaragdo lapide pretiosissimo opulentissimos ferenti, ut scribit Philost. lib. 5. possumus comparare, uti idem Causinus lib. 11. Hieroglyph. 4. Deiparam contulit: Oliva aurea inquiens, Virgo est, Oliva verè fructifera in domo Dei, fructus smaragdini virtutes, quibus ipsa supra mortalitatem nostram enituit. Unde D. Hieron: *Præcellit cunctos, supereminet Universis MARIA, cunctis tanto venerabilior, quantò gloriosior, & quanto virtute Altissimi extollitur ad sublimia, tantò clarior resultat in gloria: Plena siquidem gratia, plena DEO, plena virtutibus non potest non possidere plenè gloriam charitatis æternæ, quam plenissimè accepit, ut Mater fieret Salvatoris.* Sic ille.

Aurea Oliva Pygmalionis fructibus Smaragdinis eornata, B. V. variarum virtutum gemmis decorem adumbrat.

5. Aurea porrò hæc Oliva fructibus onusta Smaragdinis variarum virtutum in Virgine nostra gloriosissima delitescentium est symbolum: Ac in primis effusissimæ ipsius pietatis, ac misericordiæ nobis repræsentat viscera, tum indifferentem in omnes absque personarum acceptione charitatem, denique omissis reliquis, peccatores cum Deo reconciliandi studium. Oliva sive oleum misericordiam Virginis repræsentat: quia ut ait D. Greg. lib. 4. cap. 1. in 1. Regum: *Oleum liquoribus alijsque supereminet, ignem fovet, vulnera curare consuevit;* quâ in re misericordiam Domini significat, cujus miserationes supèr omnia opera ejus, quæ prædicationis gratia electorum mentes illuminat, & peccatorum vulnera detergit. Itaque sicut oleum omnibus liquoribus supernatat, ita misericordia, reliquæque virtutes Deiparæ omnibus Sanctorum virtutibus, ac meritis supereminent, & sunt divinæ propemodùm. Hinc Bernardinus Bustius 9. Par. Ser. 1. docens *Virgini misericordiam esse connaturalem, quod notatur*, inquit, *dum dicitur: quasi Oliva; solus enim DEUS propriè est Oliva, id est, ipsa misericordia, quia ipsi naturale est, & proprium misereri semper, & parcere, ut canit Ecclesia, Beata autem Virgo est quasi Oliva, quia in tantùm misereri assueta, & ad misericordias ita prompta, ut quodammodò DEO sit simillima. Atque ita Virgo est Oliva speciosa, quia habet misericordiam in corde maternæ compassionis affectum exhibendo. Est speciosa in ore pro nobis advocando apud Patrem, & in opere suæ miserationis nobis auxilium exhibendo. Denique habet misericordiam universalem: sicut enim quidam sancti videntur habere misericordiam specialem, quia aliquibus subveniunt, & aliquibus non: alij verò particularem, quia aliquas infirmitates curandi videntur à DEO accepisse potestatem; quidam verò videntur habere misericordiam localem, quia majora beneficia exhibent ijs, apud quos sunt sepulti, vel qui eorum reliquias piè venerantur &c. Misericordia autem Virginis est Oliva speciosa in campis, quia omnibus est universalis, atque communis omnibus personis, in omnibus morbis curandis, in omnibus locis, ac temporibus.* Sic ille.

Inter reliquas virtutes B.V. chorum ducit misericordia, quam Oliva repræsentat.

Alii sancti particularem B.V. Universalem misericordiam habet.

6. Audiendus hìc Doctor Angelicus opusc. 8. in salut. Angelicam ubi Virgineæ gratiæ plenitudinem considerans, *ait ipsam plenam gratiâ exstitisse quoad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum, sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum hujus mundi, hoc esset maximum, & hoc est in Christo, & B. Virgine. Nam in omni periculo ab ipsa gloriosa Virgine potes salutem obtinere.* Unde Cant. 4. dicitur: *Mille Clypei pendent ex ea, remedia contra pericula, &c. In omni etiam opere virtutis potes eam habere in adjutorium. Et ideò ipsa ait: In me omnis spes vitæ, & virtutis.* Eccl. 24. *Sic* er-

MARIA gratiâ plena quia habet tantum quod sufficit ad salutem omnium.

ergo plena est gratiâ, & excedit Angelos in plenitudine gratiæ, & ideò convenienter vocatur MARIA, quæ interpretatur Illuminata in se. Unde Isa. 8. *illi dicitur: Implebit splendoribus animam tuam; & Illuminatrix in alios, quoad totum mundum & ideò assimilatur Soli, & Lunæ.* Hæc sanctus Thomas.

Oliva tanto pretiosior per misericordiam, quanto Excellentior per gratiam.

7. Universalem hanc pietatem, & misericordiam in omnes Mortales sese diffundentem præclarè explicuit Hugo de S Victore in Inst t. Monast. Serm. 47. cùm illam eidem Olivæ speciosæ in Campis contulit: *Oliva*, inquiens, *figurat misericordiam. Fuit ergo B. MARIA Oliva per misericordiam, & tantò pretiosior per misericordiam, quanto excellentior per gratiam. Et benè in Campis, quia in planitie sæculi præsentis, quia in latitudine sanctæ Ecclesiæ ubique terrarum diffusæ, ut omnes peccatores ad ipsam liberè, & absque impedimento respiciant, per ipsam DEO reconciliati, veniâ lætificati, gratiâ locupletati, fide illuminati, spe confortati, charitate justificati, alijs virtutibus excitati, bonis operibus adornati, & tandem gloria beatificati.*

Oliva exaltata in Campis quia in latitudine Ecclesiæ.

8. Eandem in omnes Virginis misericordiam, Divinæ quàm simillimam, quoscunque Mortales universaliter complectentem nobis ob oculos proposuit alter Hugo Card. de S. Charo in Eccl. *Quasi Oliva*, inquiens, *speciosa in Campis; exaltata sum, per misericordiam, & pietatem. Pietas enim trahebat eam, quando concepto Salvatore abiit in montana cum festinatione, ut serviret Elisabethæ in ejus partu.* Luc. 1. *Et pietas aperuit os ejus, quando dixit filio suo in nuptijs: Fili! vinum non habent.* Ut porrò Deiparæ pietatem etiam erga peccatores diffusam esse ostendat, paucis intercalatis hæc attexit: *Oliva Cantarides nutrit, id est, muscas fœtentes, & lucentes, & B. Virgo multos Canonicos nutrit lucentes scientiâ, sed fœtentes vitâ, lucentes vestibus, sed fœtentes moribus; cùm econtra doceat August. in eorum Regula: Non affectetis vestibus placere sed moribus.* Habes Exemplum in vitis Patrum de Juvene, propter quem Angelus obturavit nares in sepultura mortui Peregrini. Item Olivæ folia sanant cancrum oris, & verba B. Virginis detractionem, adulationem, & turpiloquium curant. De hac nascitur oleum ad infirmos, oleum gratiæ, oleum ad Catechumenos, oleum sapientiæ, oleum ad inungendos Reges, & Sacerdotes, oleum lætitiæ. Unde de oleo hujus Olivæ dicitur Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* De hac Oliva Hierem. 11. *Olivam pulchram, uberem, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.*

Oliva exaltata in Campis quia in omnes misericors.

Oliva Cantarides nutrit, MARIA fœtentes peccatores ad sanitatem.

De MARIA dicitur Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum.

9. Eandem Deiparæ misericordiam Divinæ censuit quàm simillimam Venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. de Dignit. B. V. art. 15. Quia excellentissimâ proximi charitate prædita fuit: *Quò Virgo celeberrima*, inquit ille, *proximorum charitate vehementiùs ardet (constat autem incomparabilem eam humanæ salutis zelo semper fuisse succensam, quò enim proprium Filium, sacrique ejus sanguinis pretium, & pretiosissimæ mortis meritum præcordatiùs dilexit) eò utique hominum quoque salutem, pro qua ille animam suam tradidit, vehementiùs concupivit.* Unde sequitur eam summa, & incredibili redundâsse clementiâ, penitùsque misericordissimam exstitisse. Accedit, quòd, quò quispiam majorem, copiosiorémque misericordiam assecutus est, eò ipsò magis misericordem esse par est; alioquin metuendum esset, ne horribilem illam exprobrationem Judicis audire contingat, quam audivit servus ille crudelis: serve nequam! omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me, nónne ergo oportuit

B. V. eo Deo similior, quo proximorum charitate vehementius ardet.

portuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Quis porrò dubitat, quin B. Virgo excellentissimam, prorsúsque inenarrabilem consecuta fuerit à DEO misericordiam? DEI enim misericordia non solùm in remissione culpæ, verùm etiam in gratiarum præventione, & à ruinæ præservatione consistit; quam sanè MARIA indicibiliter omnino sortita est; quippe quam DEUS in benedictionibus dulcedinis prævenit, priusquam conciperetur (dicere maluerim in instanti ejus conceptionis) sanctificavit, atque ab omni deinceps macula custodivit, quódque longè præstantiùs est in propriam quoque Matrem ab æterno elegit. Constat igitur misericordiam MARIÆ magnam valdè, imo largissimam, indeficientémque esse.

Quo majorem accepit B. V. misericordiam, eò magis misericors est.

10. Cujus amplitudinis nunquam deficientis aliam nobis ostendit causam atque originem, Divini Verbi videlicet in utero ejus purissimo, ope operáque Spiritûs sancti peractam Incarnationem, ex qua velut ex largifluo inexhaustóque Paradisi fonte infiniti miserationum Domini fontes in mundum, ad ejus miserrimam sterilitatem irrigandam emanârunt. *Nec mirum*, prosequitur Dionysius: *in ipsa siquidem incomprehensibilis illius misericordiæ opus salutiferum, quod est DEI Incarnatio, quæ mundi salus exstitit, à mundi Opifice facta est, & per eam primùm misericordiam de manu DEI Altissimi adepti sumus.* Ad hæc fœmineum sexum maximè, uti reor, decet clementia: Sed & Advocatam pauperum, Misericordem esse oportere, non est, qui dubitet. Advocatam porrò pauperum, imò totius mundi, in conceptione Verbi, præter alia innumera privilegia eo instanti accepta, constitutam fuisse S. Bernardinus Senensis asseverat. Ut denique vir piissimus Virginem in misericordia DEUM æmulatam fuisse, eique similem evasisse luculenter ostendat, hoc attexit: *Præterea, ut constat, nil Deo similiùs, nil viciniùs Deo unquam exstitit, quàm MARIA. DEO verò proprium est misereri semper & parcere. In hoc igitur DEUM vehementissimè, singularitérque imitatur MARIA. Implêsti enim O obedientissima DEI Ancilla, magìs autem, ac mirabiliùs Mater ejus benedicta atque Virginea, Creatoris tui voluntatem, qui ait: Misericordiam volui & non sacrificium. Denique Filii tui documentum perfecisti, qui dixit: Estote misericordes sicut Pater vester Cælestis misericors est. Enimverò instar liquidi elementi, vasisque fluidissimo liquore repleti, quod quacunque ex parte motum, mox se diffundit, atque communicat. Tu utique O MARIA, misericordiâ miserationibúsque exuberas! Nempe prece pulsata repente succurris, omnibus quoque te exaudibilem ac propitiabilem exhibes. Non illatas recordaris injurias: sed velut sol iste lucens omnibus indifferenter secundùm uniuscujusque capacitatem claritatis suæ radios influit, sic tu benignissima nimiùmque amplectenda MARIA, bonis & malis, gratis & ingratis, justis & injustis exorabilis es, atque compatiens. Multos demum prævenis, salvas, & ditas, universorum preces, ac necessitates amplissimo, Maternóque suscipis atque amplecteris sinu. O Prorsus piissima MARIA, quæ cùm summa mundissimáque sis, vilissimos tamen, miserrimos, atque omnino impurissimos non spernis, nec deseris, si ad te confugerint, peccatores. Denique quis O Regina tuarum misericordiarum plenitudinem eloqui valeat? Etenim longitudo earum à sæculo & in sæculum, & usque ad consummationem sæculi super omnes, qui ad ipsas confugiunt. Latitudo autem à mari usque ad mare, & à flumine usque ad orbem terrarum, ut tuis quoque O Domina miserationibus terra plena sit. Altitudo verò ipsarum urbis sa-*

Misericordia Mariana in omnes diffusa ex Incarnatione Verbi oritur.

sacræ Jerusalem ruinas reparat. Profunditas denique earum usque ad inferos descendit, dum existentibus in limbo diu desideratum lumen invenit. Sic ille.

Cur B.V. Regina & Mater misericordiæ à S. Ecclesia appelletur.

11. Ob hanc Virgineæ misericordiæ amplitudinem undequaque sese diffundentem, Regnum misericordiæ, noménque Reginæ ac Matris misericordiæ ipsi attribuitur, dum à S. Ecclesia Regina & Mater misericordiæ salutatur: cujus appellationis variæ, eæque luculentissimæ causæ à Rutilio Benzonio lib. 1. in Magnif. cap. 18. afferuntur; ex quibus aliquæ nunc delibandæ. Deipara eâ præcipuâ ratione, inquit ille, Regina misericordiæ appellatur, quòd cùm peculiare patrocinium Christi sit ipsa misericordia, ipsa tanquam ejus Mater jus, auctoritatem, & dispensationem in illam obtinet. *Constituit enim illam Dominus Dominam domûs suæ, & Principem omnis Possessionis suæ.* Psal. 104. Quid? quod cum ipse Christus Rex sit misericordiæ, cùm suo sanguine, & passione nobis misericordiam promeruerit, & judicium omne à Patre acceperit, ut, cujus velit misereatur, & quem velit induret. Joan. 5. Et ex ejus sacris vulneribus aquæ misericordiæ, & remissionis in omnes fideles, & in omnia Ecclesiæ Sacramenta dimanent, efficitur, ut Deipara, quæ fontem misericordiæ genuit, rectè Regina & Mater misericordiæ appelletur: Sic David passim in Psalmis Christum vocat misericordiam: *Suscepimus DEUS misericordiam tuam in medio Templi tui.* Psal. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Psal. 48.

12. Verùm si rem intimiùs intueamur, nonnullas peculiares rationes attingemus, ex quibus licebit cognóscere decentissimè, imò per quàm necessariò titulum Reginæ, & Matris Misericordiæ Deiparæ attribui. Et ipsa quidem est Regina non per naturam absolutè loquendo, sed per DEI misericordiam. Hanc enim DEUS sua benignitate in Matrem, & Reginam misericordiæ elegit; & hoc ipsum illa cognoscit, & profitetur, cùm dicit: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum Nomen ejus.* Præterea cùm Deipara maximam atque supremam super omnes alias Creaturas misericordiam à DEO sit consecuta, non immeritò Regina misericordiæ appellatur, hoc est Regina eorum, qui misericordiam sunt consecuti, accipiendo hic misericordiam pro effectu misericordiæ juxta illud Psal. 32. *Misericordiâ Domini plena est terra,* Hæc enim excellentiori modo à peccato originali liberata fuit, nempe per præservationem quod soli Virgini concessum est. Hæc excellentiori modò, quàm cæteri homines à Christo, & per Christi sanguinem redempta: ob ipsam præcipuè Christus carnem sumere, & mortem crucis subire voluit, ùt verè Bernardinus Senensis scripsit. Præterea dicitur Regina Misericordiæ, quoniam ex DEI gratia semper & in omni instanti temporis fuit filia misericordiæ, cùm in primo instanti temporis suæ conceptionis præclarissimum effectum divinæ misericordiæ obtinuerit, nempe præservationem à peccato originali, quod singulare illius privilegium fuit, nec ulli alij Creaturæ communicatum; ac deinde ab omni actuali immunis fuerit. Postremò dicitur Mater, & Regina Misericordiæ, quoniam illi ea præcipuè cura est cordi, ut à filio impetret nobis peccatoribus misericordiam. In hoc enim ferè tota ejus cogitatio versatur, ad hoc omnis ejus potentia, & fortitudo pene dirigitur, circa id planè solicita

Peculiares rationes ob quas Deiparæ Reginæ ac Matris Misericordiæ titulus attribuatur.

B. V. est Dei Tabernaculum, est Arca Noë, est Lecythus olei misericordiæ.

cita est, ut nobis misericordiam obtineat. Et cùm in Deo duo sint, Justitia, & Misericordia; atque illam satis superque nostra peccata provocent; ad hanc excitandam Regina hæc misericordiæ à Deo est constituta. Est igitur Deipara instrumentum *Tabernaculi DEI*, hoc est, Ecclesiæ, ad misericordiam eliciendam, comparandam, exhibendam, suscipiendam, provocandam. Exod. 38. *Arca Noë*, per quam universi homines liberantur à peccatis, calamitatibus, pœnis, flagellis, & ira Dei. Est *Lecythus olei misericordiæ* non deficiens, nec imminutus in Dei Ecclesia 3. Regum 17. *Est aquæ ductus Regis* 2. Esdr. 2. *à Paradiso exiens* Eccl. 24. *Est Canalis*, ubi diffunduntur cœlitus gratiæ divinarum miserationum ad nos refocillandos. *Est Divinum Cellarium*, in quo divina bonitas ordinavit in nobis charitatem Cant. 1. *Est Cella*, in qua aromata, unguenta, & odoramenta divinarum misericordiarum collocata sunt. Isa. 39. Est *Apotheca Supellectilis* Dei, in qua universa, quæ in thesauris Divinæ bonitatis existunt, reperiuntur. Isa. 39. *Est lenticula*, per quam effundit Deus oleum misericordiæ super caput Justorum 1. Reg. 20. Est *flumen divinæ misericordiæ*, *cujus impetus lætificat Civitatem DEI* tam militantem, quàm triumphantem. Psal. 45. Denique est *petra effundens rivos olei*. Job. 29. *In qua DEUS rivos miserationum excidit*. Job. 28.

Propter misericordiæ amplitudinem B. V. vas illud æneum 3. Regum 7. quod propter capacitatem vocatum est mare.

13. Atque ut amplitudinem hanc ingentem Virgineæ misericordiæ idem Benzonius nobis ob oculos proponeret, asseruit illam vas esse illud æneum, quod propter capacitatem vocatum est mare, plenum aquis misericordiæ, quod in templo propè altare ad victimas abluendas ante sacrificium divino jussu positum erat 3. Reg. 7. Nimirum nemo ad altare, scilicet Christum, accedit, nisi priùs perfusus, ac lotus aquis misericordiarum Mariæ. Erat hujusmodi vas seu concha à 12. bobus sustentanda, leonum & Cherubim figuris adornata: æs autem, ex quo conflata fuit, multò pretiosius aurô erat, ut scribit Joseph lib. 7. antiq. cap. 6. Sic beata Virgo ab Angelis & Apostolis celebrata atque honorata, omni creaturâ illustrior, basis de speculis mulierum, quæ in ostio tabernaculi excubabant, conflata erat, in quo sacerdotes, postquam in tabernaculum ingressi erant, antequam incensum adolerent, abluebantur. Exod. 83. Denique Maria est *ostium illud sanctuarij* de lignis olivarum, de quo 3. Regum 6. per quam velut per ostium in cœli sanctuarium, ejus nobis opitulante misericordiâ ligno olivarum donata, ingredimur, &c. Quam ob causam ad finem ejus capitis præclarè idem pientissimus Præsul, docet inter Deiparæ & aliorum sanctorum misericordiam intercedere differentiam; est enim illa excellentior, universalior, major, amplior, & efficacior. Quocirca rectè in sacris litteris auroræ, soli, lunæ, &c. comparatur: *Sicut enim aurora sua luce tenebras noctis fugat, sic Maria suâ misericordia & intercessione peccata pellit, & diem gratiæ clarissimum in anima benè disposita adducit: & quemadmodùm sol clariùs, copiosiùs & universaliùs proprium lumen communicat, cateráque astra lucentia splendore superat; ita Deiparæ misericordia ad plures se extendit. Nemo enim mortalis est, qui aliquo modo Mariam non invocet, ejusque juvamen non sentiat. Item sicut Luna præ cæteris planetis est terræ vicinior, sic præsidium & misericordia MARIÆ nobis proximior, & intimior est, quàm aliorum sanctorum.* Hæc Benzonius. Quæ ob eximiam ipsius in Virginem pientissimam pie-

Quare fuerit illum vas æneum.

Ostium sanctuarii de lignis olivarum symbolum B. V.

Ratione Misericordiæ suæ B. V. auroræ Soli, Lunæ comparatur.

pietatem, egregiámque doctrinam fusiùs recensere libuit.

Ob misericordiæ suæ Excellentiam & abundantiam B. V. Olivæ, ex qua semper oleum emanat, alii sancti prudentibus Virginibus quæ solum in lampadibus oleum habent comparantur.

14. Ex his alijsque Patrum sententijs intelligimus, misericordiam Virginis velut Oleum, Olivæ omnium sanctorum beneficæ, atque misericordiâ plenissimæ voluntati supereminere. Quare Pater Antonius Spinellns noster in Throno Deiparæ cap. 16. num. 5. *Virgo beatissima*, inquit, *assimilatnr Olivæ, reliqui enim sancti per quinque virgines prudentes significati oleum misericordiæ in vasis suis cũ lampadibus accipere studuerunt, ut venienti Sponso, & Sponsæ cum ardentibus lampadibus occurrerent; sed Virgo sanctissima misericordiæ oleo ita abundat, ut ipsi arbori Olivæ olei copiam virtualiter in se continenti comparetur; adeò, ut tota misericordiæ oleum ubertim ex ipsius corde dimanans esse videatur.*

B.V. ob indeficientem misericordiam lucernæ illi in capite aurei candelabri comparatur.

15. Unde lucernæ illi in capite aurei candelabri apud Zachariam cap. 4. 2. confertur, quod ipse ita describit: *Vide & ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus caput ipsius, & septem Lucernæ ejus super illud, & septem infusoria lucernis.* Ubi observandum 7. lucernas illas habuisse singulas suum infusorium; de illa verò, quæ erat in capite candelabri, non legitur ullum habuisse infusorium: Ipsa enim cùm tota fuerit Oliva ex se oleum etiam in alios profundens, infusorio, quo illi oleum affunderetur, non indigebat! septem verò lucernæ sanctorum universitatem denotantes, infusorium, quô oleum divinæ misericordiæ & gratiæ illis affunderetur, habebant, ut ita ignem divini amoris in se nutrirent. Quòd porrò sancti lucernarum nomine designentur testatur ipsa veritas quæ de S. Joanne Bapt. loquens ajebat: *ipse erat lucerna ardens, & lucens.*

B.V. Lampas appellatur.

16. Quòd verò Lampas Virgo appelletur Deipara, testatur Hesychius, qui eam lucernam oris expertem vocitat: & Bernardus, dum exclamat: *O Lampas luculentissima, quantos lætificâsti, quando splendore DEI illustrata desideratum illud lumen quo inventa est drachma decima, sedentibus in umbra mortis protulisti!* Lucerna itaque in capite candelabri septem lucernis exornati consistens, omnibúsque per infusoria, oleo pietatis ac misericordiæ, reliquarúmque gratiarum ex se plena, illúdque sanctis omnibus tanquam ipsorum Regina ubertim communicans.

B.V. non tantum hominibus sanctis, sed & Angelis oleum misericordiæ communicat

17. Neque verò hominibus sanctis dumtaxat, verùm etiam Angelis, utpote eorum Regina, pietatis oleum visceraque misericordiæ erga mortales communicat: Quid enim significabant aliud duo illi Cherubini in sancta sanctorum à Salomone constituti ex lignis olivæ fabrefacti, tectíque aurô; de quibus 3. Regum 6. 23. *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis*; quid inquam, significabant aliud, quàm viscera illa pietatis, in adjuvandis, protegendis, illuminandisque hominibus ab hac Oliva Virginea fuisse mutuatos? Quos sanè ego Cherubinos, quia in Oraculo, ubi arca fœderis est constituta, positos intelligo, jure dixerim nobis repræsentare S. Joseph ejus Sponsum & S. Joannem Evangelistam, qui custodes ac familiares intimi Virginis cùm fuerint, rectè pietatem ac misericordiam erga miseros ab ea didicerint, adeò, ut oleagina planè viscera habere viderentur.

Duo Cherubini ex ligno olivarum, constituti ad sancta Sanctorum repræsentant S. Josephum, & S. Joannem Evangelistam, custodes B. V.

18. Eosdem censuerim esse duas illas Olivas à dextris & sinistris aureæ illius lampadis, atque candelabri, quô alibi auctoritate sanctorum Patrum Deiparam adumbrari docuimus: De his idem Zacharias 4. *Et duæ Olivæ super juxta illud una à dextris lampadis, & una à sinistris*

Eosdem Sanctos dicere possumus duas illas Olivas á dextris & sinistris aurei candelabri.

stris ejus. Tum ad finem capitis ostendit clariùs, quidnam sint duæ illæ Olivæ: *Isti sunt duo filÿ olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Verè SS. Joseph & Joannes fuerunt filii olei, filii JESU, cujus nomen oleum est effusum, dum pientissima misericordiæ suæ viscera quodammodò in mortales omnes effudit, cupiens omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.

19. Ab hoc oleo sicut & ab ipsius morte Sancti isti misericordiæ illa viscera, quibus proximis ita compatiebantur, ut eorum cor, intimáque, ex ipsâ Olivâ illâ Cherubica compacta esse viderentur: nónne S. Joseph puero JESU, ejúsque Matri sanctissimæ suæ pietatis ostendit viscera, cùm 30. annorum decursu, sua fabrili arte atque industria, omnia necessaria ad vitam tolerandam illi pauperculæ familiæ eximia charitate (quam aurum, quô Cherubini illi tegebantur, indicabat) suppeditavit, atque ita omnia septem misericordiæ opera in illa familia excercendo, ostendit revera se oleagina quodammodò misericordiæ viscera auro charitatis divinæ contecta ad instar Cherubini habuisse?

Hi sancti Oleagina viscera, auro charitatis habuêre.

Quam misericors S. Josephus fuerit.

20. Nónne similiter S. Joannes, Cherubinus quidam, oleagina misericordiæ viscera, erga omne genus hominum aurô charitatis divinæ operta, habuisse visus est, cùm inprimis sanctissimam Domini Salvatoris Matrem in suam accepit, eámque omni honore, amoréque filiali in suum contubernium recipiendo post ejusdem Salvatoris in cœlum profectionem est prosecutus? Nónne oleagina pietatis in omnem ætatem viscera habere videbatur, cùm scribebat. 1. Joannis 2. *Charissimi! mandatum novum scribo vobis, quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet; nimirùm ut diligatis invicem; qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc; qui diligit Fratrem suum, in lumine manet: scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus; scribo vobis patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est; scribo vobis Adolescentes, quoniam vicistis malignum: scribo vobis infantes, quoniam cognovistis Patrem: scribo vobis Juvenes, quoniam fortes estis, & verbum DEI manet in vobis, & vicistis malignum. Nolite diligere mundum, neque, ea, quæ in mundo sunt* &c.

Quam misericors S. Joan. Evangel. fuerit.

21. Nónne oleagina pietatis viscera exhibebat omnibus, dum in singulis concionibus jam senex assiduè ingeminabat præceptum novum illud Domini teste Hieronymo: *Filioli diligite invicem;* cúmque jam Christiani tædiô affecti sciscitarentur, cur unam eandémque rem assiduè inculcaret? respondit dignam Joanne sententiam: *Quia præceptum Domini est, & si hoc fiat, sufficit.* Effusissimam igitur pietatem hanc hic S. Apostolus, ut & S. Joseph, ab Oliva hac speciosa, cui tanto cum affectu adhæsêre, ut duæ Olivæ juxta lampadem, ac candelabrum positæ viderentur, mutuati sunt.

22. Oliva verò pulcherrima est Virgo Deipara oleo pietatis ac misericordiæ plenissima. Audiendus hic Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. V. *Oliva est arbor insignis; & MARIA gloriosa est generis nobilitate, gloriosior morum honestate & gratiarum universitate, gloriosissima filÿ dignitate: ramos habet flexibiles; quia facillimè flecti potest oratione devotâ, ut fructus ejus, qui est Christus, habeatur. Virgo est Oliva quoque valde copiosa in fructu: Unde dicebat ipsa: Ego autem sicut Oliva fructifera in domo Domini; quia fructus est; omne bonum est, qui omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Ipse est nobis omnia in omnibus, id est, sufficientia omnium: Ipsa Virgo est nobis* quó-

Quam insignis & fructifera Oliva sit B. V.

quoque Oliva, id est fructus, quia plena est pinguedine divinæ gratiæ, & misericordiæ, luce sapientiæ, & hilaritate bonæ conscientiæ. Sic ille.

Oliva inter res humano generi utilissimas computata est.

23. Hanc ob causam Oliva inter res humano generi utilissimas computata est. Hinc in Athenarum arce cùm mirô prodigiô Oliva & fons aquæ enatus esset, Cecrops Rex Apollinem Pythium consuluit, quidnam sibi vellent hæc prodigia? cui oraculum respondisse fertur, bono esset animo, & nullum malum eventum metueret, ostentum illud duorum esse Deorum inter se certantium, uter eorum Athenis imponendi nominis Autor esse debeat. Per oleum enim Minervam, per fontem, undámve Neptunum significari. Tandem Deorum consiliô decretum fuit, ut is nomen urbi illi imponeret, qui rem hominibus utiliorem protulisset: Unde pronunciatum pro Pallade, quæ inventrix est Olivæ, pacem denotantis. Rem totam descripsit Ovid. 6. Metam. ubi Palladem acu Phrygia in telâ rei hujus eventum describentem introducit:

Quid Oliva & fons in Athenarum arce exortus indicaverit?

Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem.
Bis sex cælestes medio Jove sedibus altis
Augusta gravitate sedent, sua quaque Deorum
Inscribit facies; Jovis est Regalis Imago,
Stare DEUM pelagi, longóque ferire tridente
Aspera saxa facit, medióque è vulnere saxi
Exiluisse fretum, quo pignore vindicet urbem.
At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.
Percussámque suâ simulat de cuspide terram
Edere cum baccis fœtum canentis olivæ,
Mirarique DEOS: operis victoria finis.

24. Quod si Oliva arbor humano generi ultissima, quia, pacem potissimùm significaret, Deorúmque consilio definita fuit; quandò potiori jure Oliva hæc Virginea hominibus utilissima censenda est, quòd non modò pacem denotet, verum etiam illam inter iratum DEUM, hominésque conciliet? Hinc apud Veteres cùm pax à Victoribus expetebatur, Olivæ ramus lanarum vellere circum ligatus afferri consueverat. Unde Virgil.

Quia Oliva pacem denotat, vel maximè B. V. convenit.

Paciferæq; manu ramum prætendit Olivæ.

Et Statius:

Ramúmque precantis Olivæ.

Rursus alibi:

Vittatæ laurus, & supplicis arbor Olivæ.

25. Audiendus hìc Bernardus Bustius Par. 9. Marial. Serm. 1. Assim. 7. *B. Virgo nobis DEUM reconciliavit: Unde in hujus reconcilationis facta signum, Angeli in ejus parturitione cecinere: gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus. Hæc est illa mulier sapientissima, quæ Davidem filio suo Absoloni reconciliavit* 2. Regum 24. *& quæ DEUM reconciliavit generi humano: Hæc est illa columba innocentissima, quæ portavit ad Arcam Noë ramum Olivæ virentibus folijs, per hoc indicans DEUM hominibus reconciliatum.*

B. V. nobis DEUM reconciliavit.

26 Similia locô citatô apportat Richar. *Hæc Oliva,* inquiens, *est signum pacis: Per ipsam enim finita est guerra, sive bellum, quod Eva fecerat inter DEUM, & hominem, inter corpus & animam: Ipsa est illa columba, quæ cessante diluvio ramum Olivæ in ore suo detulit ad Noë in Arcam, DEUM hu-*

OlivaMariana signum pacis.

humano generi reconciliatum demonstrans: & sic ipsa Virgo designatur per Olivam, quæ est signum pacis, & per columbam, quæ est avis pacifica Sic ille.

Columba Mariana avis pacifica.

27. Agnovit pacificam Olivam, columbámque esse Deiparam Prosper Martinengus in sua Parthen: dum ita cecinit:

Ipsa lata pacis index, pacti & auspex fœderis
Patris inter Numen alti, & inter humanum genus
Ceu probat columba, in Arcam termitem quem detulit.
Termes ortus ille, Oliva, forma Christi Principis
Exstitit, pacis datoris, Arca Sanctæ Curiæ
Mysticis purgandæ in vadis; at columba Virginis
Quæ fuit Puella felle cassa amarulentiæ,
Cassa felle tristis iræ, cassa fastu turgido,
Gratia repleta tota, tota amore candido.

Peccatores, si Pacem cum Deo desiderant, ad Olivam Marianam confugiant.

28. Quapropter quivis peccator, qui Deum sceleribus suis iratum placare cupit, speciosam hanc Olivam inter supremum Judicem offensum, & se interponat, si cum illo pacificari, in gratiam redire, & misericordiam in tempore opportuno invenire desiderat. Interposuerat speciosam hanc Olivam inter iratum Judicem & peccatores S. Bernard. Serm. de Verbis Apoc. ubi docens, qua ratione peccatores in gratiam cum Deo redire debeant ita loquitur: *Denique DEUS noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodùm fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie DEI? Jam itaque ne ipsa Mulier Benedicta in mulieribus videbitur otiosa, invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim Mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quàm MARIA.*

Peccatores, si Deum formident, Mariam accedant.

29. Item serm. de aquæ ductu peccatorem alloquens, ad Christum Judicem accedere formidantem, ita loquitur: *An verò trepidas & ad JESUM accedere? Frater tuus est, & caro tua; tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem MARIA dedit: sed forsan in ipso Majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen DEUS. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad MARIAM recurre: Pura siquidem humanitas in MARIA non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ, nec dubium dixerim, exaudietur & ipsa pro sua reverentia.* Sic Bern. qui dum Mediatrice Virgine ad iratum DEUM placandum nos uti vult, eundem velut quoddam immensum, sæviénsque mare esse intellexit cum Jobo dicente: *quasi tumentes super me fluctus timui DEUM,* quos notissimum est facillimè affusô oleô tranquillari. Unde Joannes Monachus Synaita de quodam eleganter illud protulit: *velut uter oleo repletus fluctuū rabiem in serenitatis tranquillitatem commutabat.* Quod de Virgine respectu irati Dei accomodatissimè dici potest: Quare qui pacificam Deiparam inter Deum, & hominem symbolo aliquo peridoneo vellet exprimere, aptè Virginem ramum Olivæ gestantem introducet. Unde Pererius lib 53. cap. 3. in Severi Imperat: nummo, ait se vidisse togatum simulacrum Oleæ ramum prætendens cum Epigraphe: *Fundatori pacis*: & in Philippi nummo effigiem cum ramo Olivæ hac inscriptione decoratam: *Pax æterna.*

Fluctus irati maris oleo affuso tranquillantur.

Qui B. V. Deum inter & hominem Pacem procurantem repræsentare vult, Virginem cum Ramo Olivæ statuat.

30. Neque solùm Pacis Oliva signum est, sed & victoriæ: Hinc inter victorum coronas, etiam oleaginea numeratur.

E Lauro, quercu, ac oleâ, Duce digna Corona
Prudentem, fortem, pacificúmque decet.

Victoriæ signum Oliva apud veteres

Hinc Pierius Valerianus lib. 53. Hierogl. cap. 12. *Victoriæ*, inquit, *Hieroglyphicum per oleam indicari non nulli prodiderunt, quòd ex ea veteres trophæa constituere consueverint.* Hinc canit Pindarus, Herculem Oleastro lucum sepivisse, eúmque victoribus dedicasse; quam plantam ipse ex hyperboreis regionibus in Græciam detulisset, ut testatur Pausanias. Hinc cùm Magnus Alexander ad Oxum flumen appulisset, in Sogdianos exercitum movens & circa ipsius tabernaculum duo fontes prodigosè alter olei, alter aquæ emanâssent, Aristander ipsius Vates mox vaticinatus est, olei quidem fontem victoriam, sed laboriosam promittere: In Athleticis enim certaminibus Juvenes summo cum labore decertantes ungebantur oleo, & victores oleâ coronabantur. Unde in antiquorum memorijs legere est: oleum legatum: ad gymnica nimirum certamina, quæ in funeralibus celebrari consueverant. Illud quoque memoria dignissimum est, quod in ludis Panathenacis qui in Palladis honorem celebrabantur, Victori vas olei dono datum legamus.

Pallas Christianorum B. V. sub cujus auspiciis, qui carnem, mundum atque dæmonem vincunt vase olei, id est nomine Jesu merito donantur.

31. Quæ omnia, quàm aptè Virgini, quæ vera Christianorum Pallas est, quadrent, facilè perspicere est. Qui enim auspiciis Virginis carnem, mundum, atque cacodæmonem devicerunt, ji verò vase olei donari digni sunt, quod ego nomen Jesu esse dixerim, de quo Sponsa in Canticis Cap. 1. *Oleum effusum Nomen tuum.* Hoc est Nomen illud novum, quod Salvator Apoc. 2. præter alia pollicebatur horum teterrimorum hostium victori: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo Nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.*

32. Crediderim hanc oleagineam coronam esse illam, de qua Regius Propheta David animam suam ad laudandum Deum excitans, modulatus est: *Benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me sunt Nomini sancto ejus, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Verè Virgo Oliva est speciosa in hac vita, dum nos pietate sua circumdat, ac protegit, dum nos à peccatis, eorundémque occasionibus, ne in Orci barathrum proruamus, præservat; dum nobis vires ad sævissimos illos hostes debellandos suppeditat; corona misericordiæ, ac miserationum est in hac vita, donec tandem nos in beatam illam Patriam introducat; ubi nobis corona vitæ immortalis, æternitatísque nunquam terminandæ est futura. De qua fortassis Athletis suis Salvator locutus est: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 10. Quemadmodùm enim Virgo, dum in hac peregrinatione versamur, est nobis vita, dulcedo, & spes nostra post Deum; ita quoque in altera erit nobis gloriosæ corona vitæ. Præclarissimè enim S. Bonav. pronunciavit in Spec. cap. 6. *Gloriosum omnino gloriæ MARIÆ privilegium est, quod post DEUM major gloria nostra, majus nostrum gaudium in MARIA est.* Quare quicunque in hâc vita Virgineæ misericordiæ coronâ circumdari meruerit, certus sit quoque, æternæ beatitudinis se diademate in altera vita coronandum; longè feliciori omine, quàm magnus ille Xerxes, qui, ut scribit Pierius lib. 53. Hier. cap. 12. cùm somniâsset, coronam se oleaginam gestare ex arbore decerptam, cujus rami in totum orbem extenderentur, universámque terram occuparent, spe plenus cum ingenti classe trajecit in Græciam; sed victus fugatúsque somniatæ victoriæ spe frustratus est. At verò Marianus cliens Virgineæ misericor-

B. V. oleagina Corona misericordiæ ac miserationum, quæ Athletis Christi apponitur in signum victoriæ.

Cum Xerxes somniasset se Coronam Oleaginam gestare, promittebat sibi victorias, sed spe delusus est. Non sic deluditur Marianus Cliens Virginea corona redimitus.

cordiæ coronâ in hac vita circumseptus, spe habendæ illius æternæ vitæ coronæ frustrari omnino nequit; siquidem illa, dum nos tanquam ingens, immensaque quædam Oliva hic sua protectione obumbrat, simul nobis vires animósque ad capitalissimos illos hostes, qui animabus nostris dies noctésque insidiantur, debellandos profligandósque suppeditat, & gloriosæ victoriæ coronam prorsus immarcescibilem tandem capiti nostro imponit.

B.V. à primo suæ conceptionis Instanti gloriosissimam victoriam reportans docet nos quâ ratione hostis infernalis de triumphandus sit.

33. Ipsa denique, cùm gloriosissimam victoriam â primo suæ immaculatæ conceptionis instanti de antiquo serpente, cujus caput contrivit, reportaverit, docebit nos, quanam ratione cum eo simus depugnaturi, déque eo triumphaturi. Hanc ob causam Psalmista Seraphicus ei jucundè concinebat. Psal. 142. *Benedicta sis Domina nostra, quæ instruis servos tuos ad prælium, & eos roboras contra inimicum. Clarifica dè alto manum tuam, & cantent servi tui laudem & gloriam tuam.* Hinc Bernardinus Bustius par. 9. Mar. Ser. 1. postquam dixisset Olivam signum esse victoriæ: *In hoc ostenditur*, inquit, *qualiter B. Virgo se habuerit adversùs Dæmones, quos superavit, ac vicit. Ipsa quippe caput Diabolicæ suggestionis contrivit.* Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum. Ipsa astutiam ejus deceptionis confudit. Hæc est enim una illa mulier Hebræa, quæ fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Judith. 14. *Et ideò erit memoriale nominis ejus, cùm manus fœminæ dejecerint eum.* Jud. 9. Unde videmus Mariani nominis toto orbe à Solis ortu usque ad occasum celeberrimam memoriam, adeò, ut nulla ætas, nulla lingua de ipsius gloriosissimis laudibus conticescat. Unde celeberrimum illud Jerem. 11. Israëlis encomium ei longè meliùs quadrat: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum, cujus ubertate, fructúque misericordiæ orbis universus repletus est.*

B.V. in Judith adumbrata.

Encomium Israëlis Jer. 11. aptius B. V. quadrat.

34. Verè enim Virgo nostra Oliva quædam non modò speciosissima, sed & spatiosissima, atque amplissima est, cujus rami ab oriente in occidentem à meridie in septentrionem, in omnes denique terræ partes protenduntur, ut mortales omnes sub misericordiæ suæ umbra absque ullo personarum discrimine protegat, eisque pietatis suæ viscera exhibeat. Quam ob causam non appellatur Virgo Oliva speciosa in hortis, qui singularium esse consueverunt; sed in campis, communibus usibus expositis. Hinc Pater Cornelius, dum in Elogium hoc Deiparæ commentatur, *Rectè*, inquit, *Dicitur B. V. Oliva speciosa idque in campis, tum quia omni tempore & loco, ac pro omni morborum genere quasi mater misericordiæ eam invocare volentibus ad opitulandum est exposita; tum quia nobis tentationum æstu tanquam solis ardore afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, optatum suo umbraculo præbet refrigerium: Tum quia Deipara est veluti campus absque colono, quia sine viri operâ Christum genuit, eúmque omnibus accedentibus exposuit. Unde ipse ait* Cant. 2. *Ego flos campi: Tum denique, quia ipsa beata Virgo campus est virginitatis, omnibus ad eam necessitatum suarum causâ recurrentibus, patens & apertus, æquè frugifer, ac salutifer.*

Oliva Virginea non modo speciosissima, sed amplissima, non in hortis, sed campis latè patentibus.

Campus Virgineus omnibus patet, de quo Sponsus: Ego Flos Campi.

35. De hac Deiparæ nostræ longè latéque patente misericordia præclarè discurrit Anselmus de Persevia, elogium illud ipsius: *quasi Oliva speciosa*, dilucidans; ubi ita loquitur: *Virgo sanè MARIA est hæc Oliva Campi, quia gratia illius, & misericordia omnibus est communis; In campo posita florem campi protulit, de Oliva profluit pinguedo olei; Affundit gratiæ plenitudinem, & misericordiæ un-*

unctionem profert Mater. Quàm jucundum, quàm suave est illi cohærere, quàm salutiferum intra Puerperæ diversorium commorari? si infirmus es, de diversorio illi abundanter profluit oleum infirmorum: si sanus es, de testimonio conscientiæ arridet tibi justitiæ sanitas, oleum lætitiæ suscipis ex MARIA. Species morum, operum decor, meritorum gloria totum de gratia MARIÆ suscipitur; cùm amatrix nostra est Virgo, nostra sunt Virginis viscera, noster est Virginis partus, nostra, quæ penes illam de cælestibus actitantur. Periculosum est enim ad punctum ab illa discedere, ad quam nostræ suavitatis deliciæ reponuntur; divitiæ salutis, sapientia, & scientia penes Virginem nostris usibus reservantur. Hæc ille sanè pervenusta & alia multò plura de Virgineæ misericordiæ amplitudine.

Ob latè patentem misericordiam suam dicitur B.V. Oliva in Campis.

36. Ob eandem misericordiæ suæ cum omnibus mortalibus communicationem Prosper Martinengus in sua Parthenodia Virginem Olivam in campis vocitavit; sic enim ille.

Unde Olivæ sese, apertis ritè Campis comparat
Consita, suam patere semper indulgentiam
Innuens, opémque cunctis uberem poscentibus.
Est enim cunctis liquorem proprium profundere
Gratiæ parata, cunctis ferre misericordiam,
Nec queri quisquam invocatam defuisse debet sibi:
Nam velut latex Olivæ cæteris supernatat,
Nescit ulli subsidere; sic & hæc prænobilis
Obtinet virtus in alma principatum Virgine.

Cur Oliva speciosa in Campis potiùs B.V. quàm hortis, montibus, sylvis, vocitetur?

37. Similiter explicat locum illum Ecclesiastici de Oliva Richard. à S. Laurentio lib. 12. *Dicitur B. V. Oliva speciosa in campis*, inquit, *propter communitatem pietatis ejus, & misericordiæ, quam cunctis, quantùm in se est. exhibet sine personæ acceptione. Ideò dicitur speciosa in campis, non in montibus, non in hortis, non in sylvis, non in aquis, aut hujusmodi: Si enim dixisset in hortis, qui conclusi sunt, non videretur, quod omnibus aut semper pateret misericordia ejus. Per montes intellige superbos, qui à se misericordiam Matris, & Filij repellunt. In sylvis non crescunt arbores fructiferæ hominibus, sed porcis ac feris, Dæmonibus videlicet, ac vitijs; solis etiam claritas à sylvis excluditur ob densitatem arborum, ramorum ac frondium: Sic & peccatores Sylvestres moribus, caliginosi tenebrositate vitiorum, solem justitiæ à se excludunt, & spinas vitiorum, & vepres nutriunt, &c. Si vis ergo hujus Olivæ pinguedinem participare, necesse tibi est in te ipso præscindere proceras arbores. i. e. Fastum superbiæ, & fruteta vitiorum, ut campi facies vitijs resecatis in te appareat. Assigna totum ordinem spiritualis agriculturæ, & sic hujus Olivæ pinguedini participabis: Imo ipsa plantabitur in te, & ipsi poteris inseri, sicut Oleaster in Oliva, ut particeps fias radicis & pinguedinis ejus.* Sic Richardus.

Quid facto opus sit, ut Virgineæ Olivæ pinguedinem participemus.

Ut Olivam Virgineam cordis nostris implantemus, necesse est, ut pudicitiam & castitatem colamus.

38. Advertendum porrò, si speciosam hanc Olivam in campo cordis nostri plantare, vel nos tanquam Oleastri ipsi inseri desideramus, pudicitiam, castitatémque summo studio colamus, oportet. Quemadmodùm enim Olea, ipsiúsque inventrix Minerva virginitatem summopere diligit, ac puritatem; ita quoque & ipsa Virgo nostra Deipara. Qua de re audiendus jam memoratus Pierius Valer. lib. 53. Hierog. cap. 16. *Quod verò pertinet ad Minervam, quæ innupta, quæ Virgo perhibetur, meritò ea sibi oleam adscifcit, cùm puritate pudicitiáq; non minùs olea, quàm Minerva delectetur. Græci enim, ut Rutilius Taurus ait, jubent Olivam, cùm plantatur,*

&

Oliva dum plantatur, aut legitur quàm castis puerorum, aut Virginum manibus tractanda sit.

& legitur, à mundis pueris, ac virginibus operandam; credo, inquit, eos recordari, arbori huic esse præsidem castitatem. Florentinus quoque lib. de re rustica adeò puram esse Oleam tradit, ut collectores etiam non nisi pueros amet; qui, cùm ad Olivationem accedunt, jurant se non aliunde, quàm ab uxore sua venire; ita fieri, ut annô insequenti uberiorem proventum exhibeant. Præcipuè verò ajunt Anaxarbi (quæ Ciliciæ est Civitas) oleas esse fæcundissimas, quoniam à castis tantummodò pueris colantur. Hæc Pierius. Quod porrò Minerva, cui Oliva sacra est, fuerit castissima, patet inde, quòd cùm Vulcanus eam uxorem ducere vellet, nunquam assensa est. Unde Fulgentius lib. 2. Mythol. cap. de Vulcano: *Inspicite*, inquit, *quantùm valeat cum sapientia juncta castitas, cui neque flammarum DEUS prævaluit.*

Quemadmodum inter Olivam & glycyrizam, ita inter Virgineam pietatem, & carnalem dulcedinem antipathia intercedit.

39. Illud verò accuratè ad puritatem conservandam considerandum, quod Olivæ & glycyrizæ, sive ligno dulci, singularis antipathia intercedat, ut scribit Auctor Hist. plantarum. Si enim hæc circa ejus stipitem radices agat, eique adhærescat, olea sensim suffocatur, ac emoritur: Ita sanè Virginea pietas, in cujus corde radices extenderit, si carnalium illecebrarum dulcedo se se insinuaverit, prorsus exstinguatur necesse est.

Virgo purissima Virginum purorum amans, ubi cor purum nanciscitur, mox ibidem germinat.

40 Agnovit puritatis amantem, & voluptates aversantem Olivam esse Virginem S. Joannes Damasc. orat. 2. de dormit B. V. cùm dixit: *Ipsa Virgo est, & Virginum amans; pura est, & purorum amans; Dummodò illa cor purum, ab omnium illecebrarum carnalium cupiditate liberũ nanciscatur, mox ipsa ibidem germinat, ac virescit, mox suos ramos longè, latéque diffundit, suaq; protectionis umbrâ ab omni concupiscentiæ carnalis æstu defendit. Ea enim est morum similium proprietas, ut ad mutuum amorem reddendum accendant, & bonum alterius reputent esse suum.*

41. Quæ sanè Virginis indoles optima mirum solamen ejus clientulis debet adferre: Quis enim considerans, quòd licet B. V. verè sit Oliva illa, quæ exemplô filij super reliquas arbores Dominium, regiménque detrectavit; in cordibus tamen purorum suorum Clientum radices agere, eósque regere summa cum pietate non dedignatur; Verè enim Auctore Richardo lib. cit. Virginis humillimæ verba sunt illa, quæ ad ligna sibi dicentia: *Impera nobis* protulit, Jud. 9. 13. *Nunquid possum deserere pinguedinem meam, quâ utuntur dij & homines, & venire, ut inter ligna promovear? Hæc est*, inquit ille, *Oliva, quæ noluit relinquere pinguedinem suam, quâ Dij utuntur & homines, quia noluit in mundo exaltari, nec gratiam sibi datam de supernis relinquere, quâ velut oleo misericordiæ utuntur homines in peccatorum remissione, & gratiarum collatione, quâ etiam ruina restaurata est Angelorum.* Dii, & homines significant etiam Angelos & viros justos, in quos omnes oleum Virgineæ redundat misericordiæ, ut ipsius Regis justitia per Reginam misericordiæ temperetur.

Solamen mirum Beatissimæ Virginis Indoles suis clientibus adfert. d. 7. n. 41.

42. Quare felices, ac ter beati reputandi sunt illi, in quorum cordibus Virginea hæc Oliva pietatis radices egit, & suave super eos Dominium assumpsit; sine dubio divinæ misericordiæ, eóque ubérrimô mirificè affluent oleô, eorumdémque suave sui servitii, quod MARIA illis imposuit jugum, fiet leve, & â facie illius exuberantis olei computrescet. Isajæ cap. 10. & in eorum cordibus Dominii sui, Regníque sedem collocabit. Quam ob causam crediderim Olivam illam, cui Regni sceptrum ad dominandum in reliquas arbores erat de-

Felices ac ter beati illi, in quorum cordibus Virginea Oliva pietatis radices egit, & suave super eos Dominium assumpsit.

delatum, ideò recusâsse, quod præsagire videretur: Olivam aliam longè præstantiorem, uberiorémque germinaturam, quæ non uno in Campo, ut ipsa, sed in Campis mundi cœlestis, sublunaris, imo & infernalis suum dominium, regiménque tanquam Regina potentissima erat exercitatura. Si enim per agrum sive Campum, ipsa veritate interprete Matt. 13. Mundus intelligitur: *Ager autem est mundus;* cùm audimus Virginem exaltatam sicut Olivam speciosam in Campis, mox nobis occurrat ipsius benignissimam misericordiam in Campo mundi sublunaris, in Campo mundi cœlestis, ac denique in Campo mundi infernalis ad instar olei super reliquos liquores omnes, super omnium Sanctorum, qua feruntur in mortales pietatem fuisse exaltatam, & ad inferos usque vim energiámque ipsius penetrasse, ut veram Reginam cœlestium, terrestrium, ac infernorum agnosceremus, habentem cum filio claves, hoc est, potestatem mortis & inferni.

43. Quod dictum Apostoli Joannis Apoc. 1. quàm amplam in Virgine unâ cum filio nobis indicet jurisdictionem, ostendit Rutilius Benzonius Episc. Lauret. in Psal. 86. cap. 31. ubi de effusissima, ac longè latéque patentissima Deiparæ potestate, ac misericordia ita loquitur? *Ut certissimùm ponendum est, quòd aliquod genus misericordiæ in damnatis universaliter repræsentat; nimirum quòd quantitas pœnæ damnatorùm ex DEI misericordia, & intercessione B. Virginis citra condignum taxatur, ut definit S. Thom.* 1. Par. quæst. 21. art. 4. ad 1. *Ubi*, inquit, *quòd in damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleviens, dum punit DEUS citra condignum: semel autem taxata pœna in nullo damnato, quamvis Christianus decesserit & cum fide, à piis misericordiæ operibus unquam mitigabitur.* Sic ille.

Damnatorum pœnæ ad intercessionem B. M. ex misericordia Dei citra condignum taxantur.

44. Ob universalem hanc in omnia cœlestia & terrestria, imò & infera Virginis misericordiam, sapienter Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis Tract. 4. in Magnif. eam Reginæ Hesteri, cui Assuerus Rex dimidiam sui Regni partem est pollicitus, comparavit. Cùm enim DEI Regnum duas in partes juxta Psalmistam dividi videatur, in Judiciariam potestatem, & misericordiam (*semel*, inquit ille, *locutus est DEUS: duo hæc audivi, quia potestas DEI est, & tibi Domine misericordia*) reservatô sibi rigore justitiæ, alteram regni partem, quæ est misericordiæ, Matri administrandam dedit, ejúsque humillimo vertici coronam sempiternæ pietatis imposuit, ut æviternùm Regina misericordiæ & sit, & appelletur. *Potestate Domino remanente*, inquit Gerson, *cessit quodammodo misericordiæ pars Christi Matri, sponsæq; regnanti.* Hinc ab Ecclesia tota Regina misericordiæ salutatur.

Hesteri Reginæ, cui Rex dimidiam Regni sui partem pollicitus B. V. comparatur.

Potestate Domino remanente cessit quodammodo misericordiæ pars Christi Matri.

45. Partitionem hanc Regni inter Filium & Matrem Rutilius Benzonius lib. 1. in Magnif. cap. 18. ait fuisse in lege veteri figuratam, dum Moyses Exod. 24. dimidiam partem sanguinis victimarum, quas filij Israël immolaverant, accepit, & misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare: *Sic Deus*, inquit ille, *quasi dimidiam Regni, hoc est sanguinis Christi partem, illam nempe, ex qua misericordia emanat, in cratere & vase admirabili, MARIA videlicet posuit, & conclusit; residuam partem justitiæ nempe effusâ super altare i.e. Christum relinquens. Atque hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus cum universis hominibus, ut per MARIAM tanquam per vas quoddam copiosa ejus misericordia ad peccatores derivetur, & profluat. O verè Regnum Marianum*

Partitio Regni inter filium & Deiparam in lege veteri figurata fuit Exod. 24.

omni-

omnibus dulcissimum, amabilissimum, ac felicissimum. Quare idem Rutilius Præsul Virginis Studiosissimus lib. 2. in Magnif. cap. 8. ob dulce hoc Virginis misericordiæ Dominium ac Regimen, eam api, quæ apud Aegyptios in eorum Hieroglyphicis misericordiam denotat, quam Regis propriam esse aiunt: in ape enim, quæ aculeũ & mel habet Regẽ, qui justitiâ & misericordiâ præditus esse debet, repræsentabat.

Deum regnantem ac miserantem Baculo, cui lucidissimus insidebat oculus, Ægyptii indicabant. Quod etiam convenit B. V. quæ oculis misericordiæ nos respicit.

46. Iidem Aegyptij Deum regnantem ac miserantem pariter aliô Hieroglyphicô exprimebant, baculô videlicet sive sceptro, cui lucidissimus insidebat oculus, qui Deum regnantem, sustentantem, ac fulcientem, moderantémque omnia, quæ oculo suæ clementiæ assiduè contemplatur, ut eis benignè prospiciat, indicabant. Quod sanè Hieroglyphicum etiam Reginæ nostræ Olivæ, reliquorum arborum Principi, egregiè convenit: Ipsa enim misericordi oculo velut sole radiante universum orbem perlustrat, oritúrque super bonos & malos, ut omnium miserias videat, suorúmque bonorum communicatione easdem tollat. Illa miseros mortales varijs ærumnis, calamitatibúsque oppressos ceu baculus firmus fulcit, ac sustentat, dum illis peccatorum à filio veniam impetrat. Hæc enim illa intuendo quasi in pupilla oculi ea exarata Deo repræsentat, & quasi cogit eum peccatoribus misereri, facitque, quod olim fœmina quædam in vita S. Basilij fecisse memoratur, quæ cùm ingentia, atque horrenda sua peccata in chartâ descripta S. Præsuli tradidisset, eadem cum lacrymis ad Dominum orans ita proposuit: *Domine tu solus hoc præstare potes; qui enim totius mundi auffers peccata, etiam hujus unius animæ haud difficulter potes abolere peccata: omnes enim nostra iniquitates apud te numeratæ sunt; misericordia autem tua neque dinumerari, neque investigari potest.* Quòd si hac brevi oratione Vir sanctus fœminæ huic contritionem, ac veram pœnitentiam, omniúmque peccatorum remissionem à Deo impetravit, quantò magìs impetrabit ipsa Dei Mater, ipsa Sancta Sanctorum omnium Regina misericordissima, ubi peccata nostra respexerit, eáque Deo repræsentaverit?

S. Basilius fœminæ peccata sua in charta descripta tradenti S. Præsuli brevi oratione, contritionem, veram pœnitentiam, omniumque peccatorum remissionem impetravit.

Communa mundi propitiatorium Beatissima Virgo dicta est.

47. Ob effusissimam hanc pietatem Deipara benignissima commune mundi propitiatorium dicta est à S. Andrea Cretensi Episcopo, eò quòd omnibus tam viventibus quàm vita functis, purgatoriique ergastuli flammis detentis Deum propitium reddit, ac clementem; atque ita Regnum ejus misericordia hac stabiliatur, ac roboretur: verificatur in Virgine illud Prov. 20. *Misericordia & veritas custodit Regem, & roboratur clementia thronus ejus.* Quæ sanè clementia tunc potissimùm in Virgine nostra pientissima enitescit, cùm è corpore ad reddendam rationem ante actæ vitæ actionum coram districto superni Judicis tribunali evocamur; tunc enim Regina misericordiæ, si ad illum thronum gratiæ magna cum fiducia accurramus, consuetæ pietatis suæ nobis exhibet viscera, & à rhomphæa illa bis acuta de ore tremendi Judicis, æternæ videlicet damnationis sententia prodeunte liberat.

In Beatissima Virgine verificatur illum Prov. 20. Misericordia & veritas custodit Regem & roboratur clamentia thronus ejus.

48. Expertus est hoc Senator ille opulentus, de quo Spec. Exemp. dist. 9. Hic ad opum suarum, luxûsque ostentationem, sumptuosissimum sibi ædificari palatium curavit, à quo viles homines, gentémque rusticam exclusam esse voluit, & viros generosos ac fortes, Doctos ac sapientes, Virgines denique pulcherrimas Dianæ similes admitti: unde hosce versiculos in hú-

hujus palatii propylæo describi mandavit:

Decretum detur, ut ne dormiat, aut epuletur
Hic gens villana, sed Achilles, Plato, Diana.

Misericordiam B. V. singularem expertus est Senator ille de quo Spec. Exempl.

Hic vice quadam ante severissimi Judicis tribunal rapitur; cui mox Judex. Tu me cum meis à tuo excludis palatio, & ego jure meritissimo excludam te à meo hoc, quod est cœlum, & detrudam te in infernum. Tremefactus infelix homo cùm aliud effugium non videret, accurrit ad thronum misericordiæ Virginalis, ab eâque patrocinium, auxiliúmque tam extremis malis imploravit. Nec illum Virgo clementissima repulsam pati voluit; sed ei indulgentiam ipsius scelerum impetravit, simúlque jussit, ut sublato priori illo palatii lemmate, hoc incidi curarent:

Muta Decretum, Sanctorum suscipe cœtum,
Nudum Martinum, Lazarum & Jacobum peregrinum.

Volens triplicis generis suscipiendos hìc esse pauperes, eísque misericordiæ reseranda viscera, nempe voluntariam paupertatem profitentes, qualis fuit Martinus, qui veste sua se se spoliavit, ut pauperem contegeret; deinde infirmos ac ulcerosos, ac demùm peregrinos. Hos enim palatiô illô suô magna pietate charitatéque excipiendo, cœli palatijs excipi dignus habebitur, æternáque illa miserationum DEI corona redimiri. An non hìc Virgo nostra pientissima eminentissimâ suâ misericordiâ se sicut Olivam exaltatam ad Regnum pietatis ostendit, dùm hunc infernalibus incendijs mancipatum titionem ab æternis supplicijs ereptum opera misericordiæ, quibus æterna vita comparatur exercere docuit?

Qui misericordiæ opera proximis exhibeat, fiduciale refugium habent Matrem misericordiæ.

Quisquis igitur sese peccatorum miserijs oppressum invenit, ad Reginam hanc misericordiæ fiducialiter accurrat, opportunum tantis malis auxilium repererit, si præsertim se in operibus misericordiæ proximo impendendis in hac vita exercuerit.

49. Idem omnio faciendum ijs, qui Diabolicis technis, ac fraudibus in mentis anxietatem, conscientiæ perturbationem, ac scrupulos, extremámque desperationem adducuntur; adeò, ut jure-merito S. Ephræm. Syrus in lament. B. V. eandem sic compellârit: *O Sacro-Sanctissima desperantium atque reorum spes!* Et Hugo Card. de S. Charo illud effatum Virginis consolatione plenissimum Eccl. 24. *Qui operantur in me, non peccabunt*, pronunciârit in persona Virginis; qui colunt me, non peccabunt, id est, peccatô non peribunt, ut patet in Theophilo. In his enim miserijs homines constitutos ipsa Virgo suâ misericordiâ prævenit, eorúmque stygiâ caligine obtenebratæ menti, velut lucerna oleô plena pietatis ardens ac lucens affulget, actúsque Tartarei Tenebrionis in lucem proferre consuevit. Innumera sunt, quæ de hac effusissima Virginis pietate adduci possunt exempla. Illud unicum commemorâsse sufficiat, Quod Franciscus Bencius in Annuis Provinciæ Toletanæ Societatis nostræ de quodam adolescentulo, qui Pastoritiam vitam agebat, retulit. Hic B. Virginis semper fuit studiosissimus, quam ab ipsa infantia venerari instituit; Unde ut ei magìs esset in amoribus, castitatem toto pectore complexus est. Non tulit hoc hostis spurcissimus, sed invidens tanto optimi Juvenis bono, eum varijs turpibus cogitationibus, atque phantasmatis, conscientiæque stimulis insectatus est: Hac ille mentis perturbatione dubitationeque, an peccato consensisset, cùm se putaret esse miserrimum, ad

ad oppidum, si quando commearet, nixis in templo ad Virginem Deiparam genibus, obortis lacrymis eam rogabat i ut ne servulum abjiceret suum, néve ope destitutum humanâ perire pateretur: sed invalescebant indies solicitudines, dum miserè aliquando in solicitudine precibus esset intentior; videt hominem è densa sylva prodeuntem, seséque blanda ac subdolâ oratione compellantem, causámque tantæ mœstitiæ sciscitantem; cùm ille ei rem totam aperuisset, intulit mox Cacodæmon humanam speciem præseferens: Non esse quod se maceret, si cogitationum illecebræ adrepunt menti, etiamsi intrant, diutiùs in ea morentur per impressa delectationis vestigia; satis esse, si non erumpant: neque enim cogitando peccatum, tantùm perpetrando committi. Nil istæ stygii tenebrionis fraudes apud animum simplicis Juvenis momenti habuêre, quem purissimæ Virginis amor ab hujusmodi impuris cogitationibus nimiùm quantùm arcebant. Paucis post diebus cum vehementioribus admotis ab infernali hoste tentationum machinis vehementiùs oppugnaretur, parùm abfuit quin victas manus dedisset. Tum verò omni consolatione destitutus, quidnam ageret, quò se verteret, ignorabat. Dum hisce hæret in angustiis, rursus callidus veterator assumpto cujuspiam viri severi, ac tristis schemate, ore pallido, supercilio Catonianô, tantæ tristitiæ causam expiscatur? Auditâ ejus animi ægritudine adeò illius sceleris, quod cum omnino perpetrâsse asseverabat, culpam exaggeravit, eam vim dixit illius esse peccati, ut nulla ratione possit absolvi: Inferente Juvene: Quid est igitur, quod ajunt, omni culpæ impetrabilem esse veniam? subjecit mille artifex; Crede mihi intelligenti nimirum in his rebus, & scientiam peccatorum assidua voluminum variorum lectione percallenti, unicum esse adversùs hanc tentationem castitatis, quam tu tantopere diligis, remedium, nempe ipsum Martyrium. Cui simplex Adolescens, audiendi factus cupidior, obrogare cœpit: quod tandem Martyrium? Unum è tribus respondet coluber tortuosus, aut si te è præcelsa suspenderis arbore, aut si aridorum lignorum feceris struem, atque in eam magnô animô inscenderis multo igne succensam; aut denique si in lacum proximum (& digitô intentô ostendebat lacum) præcipiti lapsu te te immerseris, & sic animam exhalâris. Per ignem aut aquam transibis ad palmam Martyrii. Remansit infelix post pessimi Consiliarii dicta multò quàm antea dubius atque anxius inter peccati remorsum, qui occursabat animo, eúmque lancinabat, & mortis atrocitatem, quam natura abhorrebat. Tandem erroneâ vim faciente conscientiâ, & criminis eluendi desideriô detestabile ministerium cœcus occupat, aggerat in remotiore sylva ligna ad concipiendam flammam aptissima, quam, cùm subdidisset, in mediam moribundus irrumpit: sed nec accendi ignis, & si fortè illo iterum inflammante accensus est, spatio interposito relanguit: Quod sine dubio totum ope, operâque Matris misericordiæ factum est: Vidit siquidem Mulierem humanâ specie majorem candenti palla semel, iterum, ac tertiò se se omni ex igne, vi planè divina extrahentem. Cùm igitur sæpiùs rogô perire attentâsset, tandem fessus, perturbatâ mente, omnis consilii inops, re imperfecta residet. Mox auctor sceleris, qui fuit homicida ab initio, non impiger accurrit, quærit,

A Dæmonis Technis & fraudibus Adolescens quidam Pastoritius mirabiliter ope B. V. liberatus. d. 7. n. 49.

rit, ecquid placuerit remedium? Illo affirmante, ésne usus? inquit: etiam respondit adolescens; sed non successit: Cui nequam Spiritus: Alterâ hoc Martyrium aggreditor viâ, ille nimirum non placita erat hostia; jam te in lacum conjice, ut eluatur tui peccati deformitas? Nec difficile fuit persuadere hæc rusticello simplici, conscientiæ puritatem cupienti: It properè ad lacum: quærenti aditum, subit eo die non porsolutum pensum Virgini statutum precationum: Illico procumbit in genua, acceptóque Deiparæ Rosario, dat se orationi: quô percursô, cùm de corpore detraxisset lacernam, è pedibus calceos, desilit in lacum: sed rursus adest Regina misericordiæ, Materque piissima, candidissimâ amicta veste, & sæpiùs renitentem hominem, apertóque ore inhiantem aquis, & in ulteriorem gurgitem omni impetu progredientem, velut uter oleo plenus eum sublevat, ne mergatur; tandémque superiore apprehensum amiculo reponit in sicco: Ubi hoc non successit, abiit inde conturbatus, ignorans, quid factô opus esset. Tandem plenus curarum cùm ad urbem venisset, à Virgine misericordiæ visceribus plenissima sine dubio injecta est ei cogitatio, ut ad nostros Patres accederet, consilium ab aliquo petiturus. Proficiscitur illicò ad Collegium, Sacerdotem evocat, quô visô animadvertit, simúlque eum admonuit, se loqui non posse, inserente videlicet se Cacodæmone in ejus fauces, & vocem strangulante; sed tandem sacris contactô collô reliquiis Deô propitiô, ejúsque Matre factum, ut importunus ille Spiritus, & omnis desperatio abscesserit. Quo in exemplo multiplicem in primis Deiparæ misericordiam ad miseris, afflictis, animóque concidentibus, nec non Dæmonum fraudibus circumventis succurrendum perspicere licet. Deinde quanta sit Sacri Rosarii Deiparæ in hominibus ab æterna perditione liberandis vis, atque energia.

50. Quod ipse malignus Spiritus, mendacii alioquin parens, exorcisante eum in obsesso corpore S. Dominico Prædicatorum Patriarcha fateri compulsus est, ut testatur Bzovius ad Annum Christi 1213. n. 12. Cùm enim sanctus Pater malum illum hospitem ab illo energumeno exturbare vellet, interrogavit eundem priùs; Quisnam sanctorum post Christum Dominum esset in Cœlis, quem Dæmones magìs formidarent, & quem homines magìs diligere, & glorificare deberent? Hac petitione audita, inquit Bzovius, omnes simul Dæmones tam horribiliter irrugierunt, ut homines consternati in pavimentum corruerint: Cùm porro respondere detrectarent, vir Sanctus in terram prostratus etiam atque etiam Deiparam per virtutem Rosarii interpellabat sæpiùs, ut illos veritatem propalare compelleret. Finitâ oratione subitò plusquàm centum apparuêre Angeli armis aureis instructi, ínque eorum medio gloriosissima DEI Mater, quæ Virgâ aureâ, quam manibus ferebat, Dæmoniacum percussit, jussitque vera enunciare. Hìc Dæmones furere, hìc conclamare cœperunt: O inimica nostra! O Damnatio & confusio nostra! Cur de Cœlo descendisti, ut hìc nos torqueres? Heu jam nobis aperiendum illud, quô nosmetipsos confundemus: Audite igitur vos Christiani! Hæc Christi Mater potens est nimis in præservandis suis servis, quò minùs præcipites in barathrum inferni ruant: Illa est, quæ dissipat, ut Sol tenebras, omnes nostras fallacias: Illa enervat, & ad ni-

Misericordiam & potentiam B.V. malignus hostis, exorcisante eam in obsesso corpore S. Dominico, fateri compulsus est.

nihilum redigit omnia nostra machinamenta, fatemur coacti (erant enim quindecim millia, quindecim decadibus Rosarii, quas obsessus homo blasphemaverat, respondentes) coacti, inquam fatemur, neminem nobiscum damnari, qui in MARIÆ cultu, & obsequio devotus perseverat. Nam unicum suspirium ab ea, & per eam sanctissimæ Trinitati oblatum superat, & excedit omnium Sanctorum preces; & magis eam formidamus, quàm omnes Cives Paradisi, nec contra fideles ejus famulos quidquam possumus prævalere. Notum etiam sit vobis, plurimos Christianos in hora mortis ipsam invocantes salvari; & nisi Marietta ista obstitisset, nostrósque conatus repressisset, à longo jam tempore Ecclesiam exterminâssemus. Ampliùs necessitate compulsi dicimus: neminem in exercitio Rosarii ejus perseverantem æternos Inferni subire cruciatus: Ipsa enim devotis servis suis veram impetrat contritionem, qua fit, ut peccata sua confiteantur, & eorum indulgentiam à DEO consequantur. Ita illi quamvis DEI hostes, & nostri. Ex qua relatione sicut sinceri, ac pii Virginis cultores, qui se se morum honestate, ac puritate sanctissimæ ejus vitæ conformare student, mirificam consolationem, animúmque ad eam, velut piissimam Matrem colendam atque venerandam sortiuntur; ita contrà ji, qui se se vitiis, & maximè carnis ac sensûs demersêre, & de DEI, ipsiúsque misericordia præsumentes omnibus sceleribus habenas laxavêre, nullo modo in tremendâ illâ mortis horâ propitiam, misericordem, amantémque Matrem experientur: siquidem, ut notissimum est, morum similitudo amoris conciliatrix est: Quare homines hi impurissimi, qui nihil minùs, quàm ejus puritatem, morúmque incorruptionem, virtutésque consectantur, nullô modô benevolam in tanto discrimine reperturi sunt. Virgo enim, licet peccatores, qui ex fragilitate labuntur, & cæteroquin bona voluntate sunt prædIti, amet, quia propter illos Mater DEI effecta est; illos tamen, qui in peccatis dati in reprobum sensum occaluerunt, nec unquam resipiscunt, omnino aversatur, quantumvis ei Rosarij corollam ex frigida illa consuetudine assiduè pertexant. Verissimè enim Goffridus Vindocinensis Cardinalis Galliæ illustre decus, Serm. 8. pronunciavit: *Hæc verissimè apud Omnipotentem filium orando potest, quidquid desiderat; sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenùs orat; pro quibus nullus sanctorum supplicare præsumit.*

In Rosarii devotione perseverantes inferni cruciatus evadunt, attestante dæmone, in obsesso corpore, exorcisato

51. Quisquis igitur Deiparam Matrem misericordiæ experiri desiderat, filium ejus amantem, ac perquàm studiosum virtutum ipsius, ac præsertim animæ corporisque puritatis æmulatorem se se exhibeat; sentiet sanè hujusmodi à se miseriarum omnium tam effusæ ipsius bonitatis communicatione amolitionem, mirificúmque in omni sanctitate profectum.

52. Quare Ordo Prædicatorum, quia à primis suis incunabulis peculiari Virginis obsequijs, morum integritate, vitæ sanctioris perfectione, ac puritate se se totum singulari pietatis affectu, exemplo suo S. Patriarcha Domnico eis prælucente, mancipaverat, & in vita, & in morte Virgineæ misericordiæ viscera experiri meruit, quemadmodùm Pater Hyacinthus Choquetius ejusdē Ordinis integro, eóque pereleganti libro, quem MARIÆ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera materna nuncupavit, ostendit: Ordinis Prædicatorum homines mor-

S. Prædicatorum Ordo peculiari B. V. obsequio à primis suis incunabulis, S. Dominico exemplo suo prælucente, mancipatus est; unde speciales à Deipara favores obtinet, quos recenset Pater Hyacinthus Choquetius ejusdem Ord. integro libro.

tis horâ sui conspectu dignatur, & ad cœlos ducit Deipara, prætérque omnem Matrum carnalium consuetudinem, morbo aliquo in lectulum dejecto, ac moribundo filio non mœsta, aut lacrymans, sed tota hilaris atque jucunda assistit, eúmque ad æternam beatámque patriam deducit, efficítque, ut mors, quemadmodum loquitur S. Basilius in Psal. 115. *Corruptio non sit, sed vitæ occasio, & ipsum sepulchrum*, uti ait S. Chrysologus Ser. 73. *Sit resurrectionis uterus, & vitæ partus.* Unde docet ex hoc duo ingentia, prorsúsque exima sanctissimæ Virginis in fratres Prædicatores beneficia declarari: Unum est, quod, cùm in portu sæpenumero naufragij periculum sit, atque tunc quidem, cùm ex hac vita abitum paramus, dum truculentiores insurgunt ex Orco emissæ furiæ, ad has profligandas adsit nobis MARIA, verè maris stella, verè favens in procellis Cynosura, ut à tam præsenti discrimine liberet, aleámque illam, ex qua pendet æternitas, nobis benè vertat. Alterum est, quod Matrem quàm exactissimè referat, quæ ex prælio, vel longo ex itinere revertenti filio majori sedulitate, & promptitudine, quàm Anna Tobiæ junioris Mater, quæ sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo revertentem filium. Tobiæ 11. Moræ impatiens obvia fit, occurrítque ex pugna cum mundo, carne redeunti, eísque triumphales coronas offert.

S. Dominici vitam, ad mortem dispositionem, filiorum suorum commendationem, ipsa

53 Quibus præmissis, variorum recenset Patrum felicissimos ex hac vita, patrocinante ac favente Deipara, excessus, ac inprimis S. Patriarchæ Dominici, de quo nos alibi; uti & nonnullorum aliorum egimus. Libet tamen hic ipsius ad mortem dispositionem verbis ipsius Deiparæ cum sancta Birgitta loquentis lib. 3. Revel. c. 11. recensere, ex quibus ejus insignem vitæ sanctimoniam, & in Deiparam amorem, nec non ipsius denique Virginis in sacrum illum Ordinem perspicere licet effusissimam pietatem, ac misericordiam. Sic igitur illa: *Certè ipse Dominicus Filium meum habuit pro suo charissimo Domino, & me Matrem ejus dilexit plùs quàm cor suum; huic sancto inspiravit filius meus tria esse in mundo, quæ ipsi displicebant: superbiam, Cupiditatem, & concupiscentiam carnis. Ad horum trium diminutionem S. Dominicus impetravit maximis suspirijs auxilium & medicamentum, cujus DEUS compassus lacrymis, inspiravit ei legem & regulam vivendi, in qua ipse sanctus contra tria mala mundi, tria bona constituit: Nam contra vitium concupiscentiæ instituit nihil possidere nisi cum licentia Prioris: Contra superbiam instituit habere humilem habitum ac simplicem: contra carnis insatiabilem voraginem instituit abstinentiam &c. Deinde volens dare quoddam spirituale signum fratribus suis impressit quasi quandam spiritualem crucem ac rubeam juxta cor in sinistro eorum brachio, quando eos docuit, & monuit continuè Passionis Domini recordari, & ferventer verba DEI non propter mundum, sed DEI, animarúmque amorem prædicare.* His porrò alijsque præmissis ita ipsius ad felicissimum ex hac vita transitum describit dispositionem, suámque in illum, ordinémque universum misericordiam, ac protectionem: *Cùm instaret tempus ejus resolutionis, quod filius meus ei spiritu ostendit, ivit ad me Matrem suam cum lacrymis dicens: O MARIA Regina Cœli, quam ipse DEUS prælegit sibi in conjunctionem Deitatis & humanitatis. Tu es illa singularis Virgo, & singulariter dignissima Mater: Tu es potentissima, de qua ipsa potestas prodijt, audi me rogantem te; Quia enim scio te potentissimam, ideò præsumo de te, suscipe fratres meos, quos educavi, & educavi sub stricto scapulari*

Beatissima Virgo, cum S. Birgitta loquens, suæ descripsit.

pulari meo, & defende eos sublato mantello tuo: rege eos, & refove, ne hostis antiquus prævaleat eis, & ne dissipet vineam novellam, quam plantavit dextera Filij tui. Ego quidem solicitabar pro eis nocte & die, quomodo in rationabili & laudabili temperantia DEO deservirent: Orabam etiam pro eis, nequid de mundo concupiscerent, quod vel DEUM offenderet, aut famam humilitatis, & pietatis apud proximum denigraret. Nunc igitur quia tempus meæ remunerationis instat, assigno tibi membra mea, doce eos sicut filios, & porta eos sicut Mater. Cùm his verbis & alijs vocatus est Dominicus in gloriam DEI. Cui ego (verba sunt ejusdem DEI Matris) *respondi taliter: O Dominice amice dilecte! quia dilexisti me plùs quàm te, ego sub lato mantello meo defendam, & regam filios tuos, & omnes, qui in Regula tua perseverant, salvabuntur. Mantellus verò meus latus, misericordia mea est, quam nulli petenti filialiter, denego; sed omnes, qui quærunt, sub misericordia mea sinu proteguntur.* Hactenus Virgo.

54. Ex quibus facilè pijssimus ejus affectus non modò in sanctissimum virum Dominicum, sed & totam ejus Religionem enitescit, cujus precibus DEI Mater pro ingenita sibi pietate ejus fratres, & in vita & in morte miris divinæ dulcedinis prævenit benedictionibus. Quod Gerardus Lemovicensis ejusdem Ordinis par. 5. cap. 5. ex adversarijs B. Humberti etiam affirmat. Memorat enim Ferdinandum quendam Hispanum post varios diuturnæ ægritudinis acerbissimos dolores felicissimè vitam cum morte commutasse. Post ejus obitum exanime mox corpusculum in genti luce circumfulsit: anima verò ipsius jam beata cuidam ex patribus se se visendam exhibuit; ex qua, cùm non nulla sciscitatus esset, atque inter alia, quonam pactò cum sui ordinis fratribus ageretur? respondit illa: optimè, siquidem beatissima Virgo Mater omnibus, qui in Ordine moriuntur, in supremo agone pugnantibus semper adest, ac ne pereant, sua benignitate protegit.

[Margin: Ia S. Prædicatorum Ordine morientibus Beatissima Virgo in supremo agone pugnantibus semper adest ac ne pereant sua benignitate protegit. l. 7. n. 54.]

55. Eandem in morte sua Beatæ Virginis protectionem B. Petrus Fernandez ejus Ordinis & expertus est ipse in se, & in suos ex Christi revelatione cognovit. De quo ita supra memoratus Choquetius: *Petrus lethali morbo correptus cuidam visus est in editissimo, amœnissimóque monte juxta Tamoram Castiliæ Urbem duorum Angelorum medius, lucidissimo solis instar vultu magnificus consistere: morti verò proximus Deiparam & Apostolum Joannem ad se venientes aspexit, & singulas coronas ejus capiti imponentes, maximáque benignioris affectus ostensione ad melioris vitæ gaudia invitantes. Quæ quidem coronæ Virginei in primis ejus candoris, deinde doctrinæ ac indefessi illius concionandi studij præmia exstitêre. Adfuit illi quoque ipse Christus Dominus, eúmque sibi quædam arcana retegentem audivit, tempúsque jam beatam æternitatem adeundi adesse. Illorum arcanorum non nulla postea coram fratribus enunciavit: fratres!* inquiens, *non est ordo, quem DEUS tantùm diligat, tenete eum.* Addidit insuper? *Quidam magnus odit Syon. Sed nihil fratres timeatis, quia vobis nocere non poterit; utpote qui sub Matre misericordiæ protectionis pallio securi & in vita, & in morte commoramini.*

[Margin: B. Petrus Fernandez Ord. Præd. in morte sua B. V. singularem protectionem expertus, & Marianum in suos fratres favorem ex Christi revelatione cognovit.]

56. Consimili porrò affectu benignissimam Deiparam in omnes Religiosorum Ordines, qui Divinæ Majestati cum primigenio illo fervoris spiritu, accuratáque votorum, quibus se DEO astrinxerunt, aliarúmque Regularum observantia deserviunt, ferri indubitatum est. Cùm ipsa sit, uti jam sæpiùs diximus, Oliva speciosa misericordiæ ac pietatis, non in hortis, sed in cam-

[Margin: Religiosorum Ordinum specialis Patrona, & adsutrix, MARIA Quare ab omnibus Religiosis peculiariter honoranda & amanda juxta monitum S. Bonaventuræ.]

campis, omnibus communis ac pervia, nemini umbram suæ protectionis, nemini oleum suæ charitatis, quô ungantur, nutriantur, sanentur, ac illuminentur, negat, adeò, ut meritò S. Ephrem Syrus Ser. de Deipara illam ita compellârit: *Tu Monachorum, ac solitariorum stabilimentum, & spes, Tu Virginum gloria, Corona, & gaudium*: ac deinde ita salutârit: *Ave piorum hymnus, sive laus in solitudine degentium. Ave gloria & lætitia omnium Sacerdotum. Ave Virgo solitariorum solatium.* Hisce aliisque hujusmodi salutationibus, ac præsertim celeberrimâ illâ Angelicâ ipsi à sacrosanctâ Triade missâ, si frequenter eam venerati fuerimus, absque dubio misericordiæ ejus viscera, nostrarúmque miseriarum levamen præsentissimum, patrociniúmque ipsius fidelissimum experiemur. Quare monitum illud Psalmistæ Seraphici omnibus omnino Religiosis observandum? *Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est adjutrix vestra, & specialis Advocata.* Psal. 17.

Per Imagines suas innumera nobis B. V. confert beneficia, & patrat miracula.

57. Ut ostendat porrò Virgo nostra pientissima se verè Olivam esse, oleum pietatis ac misericordiæ omnibus absque ullo personarum discrimine largissimè profundentem, voluit nobis id ipsum præclarissimis etiam ac miraculosis suis Imaginibus, totis membris oleum aromaticum atque suavissimum copiosissimè distillantibus, declarare. Inter has omnino celeberrima fuit illa, cujus meminit Synodus Nicena II. Act. 4. de sacrarum imaginum cultu differens: ubi ita loquitur: *Summa rerum in hoc concludi potest, quod extra omnem controversiam est: sanctas Imagines mirifica designare miracula, ut & debilibus valetudo bona per eas concilietur, sæpéque in somnis apparentes optima quæque nobis consulant.*

58. Extra omnem controversiam est in Sozopoli Pisidiæ civitate imago Virginis Matris intemeratæ, quæ ex picta etiam manu sua unguentorum scaturiginem effundit: Cujus sanè miraculi plures testes sunt. De hac Imagine ejúsque miraculis scripsit Gregorius Presbyter illorum temporum nominatus hunc in modum: *Inveniebatur eo in loco nempe Ecclesia Sozopolitana longè antiquissima, & ab Apostolorum temporibus jam pridem summa veneratione cultu, Virginis Deiparæ Imago, quæ certis anni temporibus olei cujusdam odoratissimi liquorem exsudabat; quô peruncti, quocunque morbo afflictarentur, illico & sine omni alio medicamine convalescebant.*

Imago B. V. Sozopoli, Pisidiæ civitate, ex picta manu sua unguentorum scaturiginem effundit, & mira patrat prodigia.

59. Quid memorem Constantinopolitanam illam Virginis Deiparæ Imaginem, quam Adamannus Episcopus natione Scotus se vidisse testatus est eo ipso tempore, quô visitatâ Palæstinâ in Patriam redibat? *Hanc cùm sacrilegus nescio quis Judæus humanis sordibus, ausu instinctúque Diabolico per summum nefas fœdissimè conspurcâsset, & Christianus quidam vicissim à sordibus ablutam emundâsset, summa sedulitate abstersisset, ex omnibus ejus membris ac veluti poris olei sudor guttatim emanavit, quo delibuti varijs morbis affecti pristinam recuperabant sanitatem.*

Imago B. V. Constantinopolitana olei sudorem ex omnibus membris velut poris largè stillabat, quo delibuti infirmi recuperabant sanitatem.

60. Quid aliam denique Imaginem Divinæ Matris oleum odoris suavissimi profundentem Damasci commemorem? De hac Cæsar Card. Baron. To. 10. Annalium ad annum Christi 870. n. 62. ex Arnoldo Abbate Lubecensi: *à Damasco, inquit, ad tria millia est locus quidam in montibus situs, qui Saidaneiuda vocatur, & à Christianis inhabitatur. Et est ibi Ecclesia in rure sita, & in honorem gloriosæ Virginis dedicata, in qua Moniales Virgines 12. & Monachi assiduè DEO serviunt, & B. Virgini. In qua Ecclesia vidi tabulam ligneam ad mensuram unius*


Imago B. V. Damasco distans tribus milliaribus oleum odoris suavissimi profundit, quo non modo Christiani, sed & Saraceni ac Judæi frequenter sanantur.

ul-

ulnæ longam, & latam ad modum dimidiæ ulnæ retrò altare in muro sanctuarii in fenestra positam, & ferro laquealiter cancellatim firmatam: In qua Tabula Effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, sed quod nunc (quod mirabile est) pictura super lignum est incarnata, & Oleum odoriferum super odorem balsami incessanter ex ea manat. De quo oleo multi Christiani, Saraceni, & Judæi à diversis languoribus sæpè liberantur. Et nota quod oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunque inde accipiatur. Nec prædicta Tabula à quoquam tangi audetur: videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum verò illud à Christiano religiosè conservatur, augmentatur, & cùm pro quocunque cum devotione & fide sincera sumptum fuerit, pro honore S. Virginis, commissísque solennitatibus indubitanter impetrabitur. Ad hunc locum in Assumptione, & die gloriosæ Nativitatis suæ omnes Saraceni illius Provinciæ unà cum Christianis causâ orandi confluunt. Et Saraceni cæremonialia illic sua offerunt cum maxima devotione. Nota quod hæc Tabula primo Constantinopoli facta, & depicta fuit, & tunc temporis quædam Abbatissa supra dicti loci orandi causâ Hierusalem descenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Hierosol. eam secum ad Ecclesiam sibi commissam transportavit. Fuit autem hoc Incarnationis Anno 870. sed postea per multa tempora cæpit oleum sacrum ex ea manare. Hæc Arnoldus.

61. Ex cujus sicut & aliarum jam memoratarum Imaginum narratione luculenter intelligimus Divam Virginem Olivam esse uberrimam, eámque imis pietatis suæ visceribus oleum misericordiæ suavissimum ad omnium morborum tam animi quàm corporis curationem profundentem. Quod nobis illa vel ipso suo nomine mirificè repræsentat, de quo Salomon Cant. 1. *Oleum effusum est nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quod elogium expendens Rich. à S. Laurentio lib. 1. cap. 2. de Laud. B. Virginis præclarè de admirandis Virgineæ misericordiæ effectibus discurrit: *Audiamus*, inquiens, *quid de hujus excellentia Nominis, more Prophetico dixerit Salomon quasi loquens de MARIA: Oleum effusum Nomen tuum, &c. Rectè hoc Nomen MARIA oleo comparatur; quia super omnia Sanctorum nomina post Nomen Filii reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, putrefacit jugum Diaboli, supernatat omni Nomini sicut oleum omni liquori. Dedit enim ei tota Trinitas Nomen post Nomen filij sui, ut in Nomine ejus omne genuflectatur, uti manifestè patet, Cælestium, Terrestrium, & Infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi Nominis gratiam, gloriam, & virtutem. Non est enim in aliquo alio Nomine post Nomen filij tam potens adjutorium, nec est aliquod Nomen sub cælo datum hominibus post dulce Nomen JESU, ex quo tanta salus refundatur hominibus.* Hæc Richardus de vi ac virtute admiranda Virginei Nominis, quod velut oleum aut balsamum sive unguentum quodpiam aromaticum ad omnes omnino infirmitates hominum persanandas pollet. Unde dignum omnino est, quod omnes calamitosi, miseri, morbidique ad miserias, infirmitatésque suas præsertim animi sublevandas, sive tollendas magno pietatis affectu invocent, ad eámque multa cum fiducia accurrant, eíque dicant cum ipsius Psalmista Seraphico: *Domina in Nomine tuo salvum me fac, & ab injustitiis meis libera me.* Psal. 53.

Nomen MARIÆ, est, post Nomen Jesu, super omne Nomen. Non est enim in aliquo alio Nomine, post Nomen filii, tam potens Adjutorium.



DISCURSUS OCTAVUS.

MARIA VIRGO PLATANUS PARADISI.

Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas in Plateis. Eccl. 24.

Platanus umbræ gratia ex alieno orbe petita, in æstate solem arcet, in hyeme admittit. Clara est Platanus in Lycia quæ instar habitationis spatiosæ & speciosæ servit sub qua Licinius Mutianus cum viginti duobus convivatus. Est etiam Nobilis Platanus Caji Principis in Veliterno, quæ instar Triclinii 15. hospites admittit. Nutritur Platanus non modo aqua sed & vino.

1. Mira sanè sunt, quæ Plinius lib. 12. Natur. Hist. cap. 1. scribit de Natura Platani. Ac inprimis quis, inquit, non jure miretur arborem umbræ gratiâ tantùm, ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est per mare Jonium in Diomedis Insulam ejusdem tumuli gratiâ primùm invecta, & jam ad Morinos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal etiam pro umbra pendant. Hæ merô infusô enutriuntur, compertúmque est; id maximè prodesse radicibus. Nunc clara est Platanus in Lycia gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modô cava 80 atque unius pedum specu, numeroso vertice, & se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinens umbris: ac ne quid desit, speluncæ imagini, Saxea intus crepidinis Corona muscosos complexa pumices, tam digno miraculo, ut Licinius Mutianus, ter Consul, & nuper Provinciæ ejus Legatus, prodendum etiam posteris putârit, epulatum inter eam se, cum duodevicesimo Comite, largè ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem. Alterius quoque Platani, Caji Principis in Veliterno rure, idem meminit Plinius, cujus, inquit, mirati sunt tabulata, laxísque ramorum trabibus scamna patula; in ea, tanquam ministerij capace triclinio, epulati sunt convivæ 15. quam cœnam appellavit ille Nidum. Denique commendatio hujus arboris non alia major est, quam solem æstate arcere; hyeme admittere. Hæc ille. Alij quoque auctores perhibent, veteres sub Platani umbra convivijs, geniòque indulsisse. Unde Ovidius Met. lib. 10. Platanum genialem appellavit. Et Virg. 4. Georg.

Jamque ministrantem Platanum potantibus umbram.

Licèt genialis quoque dici possit, quòd & ipsa genio, dum vinum potat, radicibus indulgere videatur.

B. V. Platanus nostra ex alieno orbe nempe cœlesti umbræ gratia ad protegendos mortales ab Ardentissimo Sole Justitiæ petita.

2. Quæ omnia quàm aptè sacratissimæ Virgini nostræ, si ad spiritualia transferantur, congruant, facilè intelligimus. Verè enim Virgo nostra arbor est ex alieno petita orbe, nempe Cœlesti, umbræ gratiâ, ad protegendos nimirum mortales ab ardentissimis solis justitiæ spiculis. Hæc verè Virgineæ hujus Arboris commendatio vel maxima est, quòd solem æstate arceat, hyeme admittat; Ipsa enim precibus suis ceu latè patentibus foliis

Eadem Virginea Platanus cum Gelu peccatorum constringimur, divinæ gratiæ feruore nos calefacit.

liis, ab æstu Divinæ justitiæ nos abscondit: Ipsa rursus nos, cùm gelu peccatorum constringimur, caloréque charitatis destituimur, Divinæ gratiæ fervore calefacit, glaciémque cordium nostrorum resolvit, adeò, ut, quemadmodùm sapiens Idiota, nemo sit, qui se à calore ejus abscondat.

Eadem Mariana Platanus instar jucundissimæ habitationis nos recipit.

3. Ipsa nobis denique absque tributo ac vectigali gratìs omnino ad instar jucundissimæ habitationis, imò commodissimi convivantium triclinij in hac miseriarum valle deservit, ita ut illi verè dicere possimus: *Sicut lætantium omnium nostrûm habitatio est in te sancta DEI Genitrix.* Quisquis enim illus se fidelissimo commiserit patricino, tutissimè in hoc miserando exilio vitam transiget, verissimúmque illud sapientis esse dictum experietur: *Secura mens, quasi juge convivium.* Protectionem enim, umbráque Virginis adversùs omnes hostium mundi, carnis, atque Cacodæmonis insidias mirificam mortalibus præbet securitatem. Audiendus hic Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. V. *Platanus à latitudine græcè dicta, quia est arbor patula, quæ expansis ramis uberem facit umbram: sol Christus est, hujus solis fervor, ira justitiæ ejus, & vindictæ, quam MARIA suis temperat precibus, à peccatoribus devotè ac fideliter exorata. Hæc patulam se exhibet peccatoribus, omnes, quantùm in se est; parata recipere sub sua protectione, omnésque concupiscentiarum igne adustos refrigerare. Magna hujus Platani est umbra protectionis. Protegit enim contra carnalem concupiscentiam, quia Virgo est; contra ventum mundanæ vanitatis, quia humillima, contra divitiarum tentamenta, quia pauperrima; contra fervorem solis, quia Mater solis justitiæ. Diligas ergo MARIAM, & servias ei, ut non urat te sol per diem, neque luna per noctem. Et sanè non uret. Umbra enim hujus Platani est Incarnatio Verbi in ea peracta: cui Spiritus sanctus ad hoc obumbravit, ut ipsam in umbraculum Ecclesiæ præpararet. Umbra enim ex lumine est, & corpore opaco ad lumen opposito. Tunc porrò Platanus hæc copiosissimam reddidit umbram, quando incorporeæ Divinitatis lumen, corpus in ea nostræ humanitatis assumpsit.* Hæc Richardus.

4. Atque ut ostendat Virgo, quàm ipsius protectio cuique prompta, cuique obvia sit, nec longiori itinere ad eam inquirendam uti sit necesse, ait: se exaltatam esse, non in una alterave civitatis alicujus platea, sed in plateis, ut patrocinium suum omnibus quocunque tempore ad manum nobis esse intelligamus. Intelligebat Virginis hujus patrocinium, protectionémque in plateis semper nobis esse expeditam Salomon Sap. 6. Cùm de illius benignitate, facilitatéque ajebat: *Facilè videtur ab his, qui diligunt illam, & invenitur ab his, qui quærunt eam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat, qui de luce evigilaverit ad illam, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet. Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.*

Ut B. V. promptam ostendat & obviam cuique suam protectionem, ait se exaltatam ut Platanum juxta aquas in Plateis.

5. Agnovit Deiparam Platanum esse in plateis, mortalibus omnibus obumbrandis, absque personarum discrimine exaltatam, Richardus à S. Laurentio lib. 1. cap. 3. ubi ostendere volens, Virginem esse stellam maris luminis communione, ita loquitur: *Cæteris sanctis vicissim lumen præbentibus, hæc sine vicissitudine, semper æquali radio, quantum in se est, cunctis viventibus, charitatem effundit. Cæteri enim sancti jure patronatûs sibi commissis, plùs possunt prodesse, & sic mortalibus sua impendunt suffragia, sed modo differenti; ut Petrus Romanis: Dionysius Francigenis: Martinus Turonicis &c. Pro suo enim grege plùs potest*

MARIA sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona.

test quilibet sanctus in curia altissimi quàm pro alieno. MARIA verò sicut est omnium Regina, sic est & omnium Patrona, & æqualiter quantùm in se est, est ei cura de omnibus sine acceptione personarum, quæ super omnes accepit plenitudinem dignitatis. Longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ, sed propinquos per specialem devotionem consolationis suavitate; existentes secum in Patria excellentiâ gloriæ, & sic non est, qui se abscondat à calore ejus. sicut enim tam justi quàm peccatores assiduè exorant MARIAM, sic tam Angeli quàm Beati jugiter respiciunt in MARIAM Hæc Richardus.

Platani folia etiam vitis fœcundissimæ folia excedunt, imo in Hispaniola Insula tres pedes lata, 12. longa fuêre.

6. Atque ut intelligamus Virgineæ hujus Platani solidissimam simul, amœnissimámque umbram esse, ejus folia magnitudine excedere, ait Matth. lib. 5. in Dioscoridem cap. 91. Sed majora adhuc sunt, quæ refert vidisse se Ovetus lib. 8. Hist. cap. 1. in continenti Insula Hispaniolæ, tres enim pedes lata erant, & 12. longa.

Virginea Platanus clientulorum suorum adversus Justitiæ spicula & cupiditatum malarum æstus latissima & potentissima protectio

7. Intellexit Virgineam clientulorum suorum, adversùs solis justitiæ spicula, cupiditatúmque malarum æstum in plateis omnibus communem obumbrationem atque protectionem sanctus Germanus Archiep. Constant. orat. de Zona B. Virginis, dum illam ita compellat: *Tuam hæreditatem, tuum populum, O intemerata conserva! rectos fide, salvos vita, quæ est secundùm DEUM, & nullo damno, & injuria affectos. Habemus in te vires & auxilium, murum & propugnaculum, portum, & salutare refugium. O castissima es optima, ac summè misericors Domina, Christianorum solatium, eorum, qui affliguntur, potentissima recreatio, paratissimum refugium peccatorum, ne nos relinquas orbos tua defensione. Nam si tu nos deserueris, quonam confugiemus? Nos igitur protege alis tuæ bonitatis, custodias nos tuis ad Filium tuum, & DEUM nostrum intercessionibus, præbeas nobis vitam æternam ô Spes Christianorum, quæ pudore non afficeris! Potens namque ad salutem est tuum auxilium O Deipara, & non indiget aliquô aliô ad DEUM intercessore.* Tum protectionem hanc Deiparæ à propria comprobat experientia: *Hoc*, inquiens, *nos certò scientes, ut qui etiam, cùm sæpè petierimus, experientiâ didicimus, te esse vehementissimam nostram defensionem, affatim postulandi sumimus occasionem, & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui tui Filii appellatione exornatur, & gloriatur,* Ut denique ostendat, quàm latè patens sit hujus animatæ Platani protectio, ita concludit: *Non est reverà finis magnitudinis tuæ, non est ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum: Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus?* &c. Sic ille.

Protectionis scutum contra omnes incursiones spiritualium & corporalium inimicorum se profitetur B. V simulque insinuat, quid illi agendum, qui hac protectione potiri velit.

8. Ostendit reverà S. Birgittæ in Revelat. Extra. cap. 8. Platanum se esse Deipara, quando dubitabat, an sibi manendum esset Romæ ob inimicorum insidias ac persecutiones. Postquam enim Christus ei apparuit, eámque hisce verbis consolatus esset: *Quando me habes, nullum timere debes: ego brachio potentiæ meæ refrænabo malitiam eorum, ut tibi nocere non possint. Et quamvis ex permissione mea inimici mei crucifixerunt me, tibi tamen nocere, vel te occidere nullatenus prævalebunt.* Postquam, inquam, ita Salvator illam esset affatus, mox ejus Mater sanctissima hæc intulit: *Filius meus potens est super omnes homines, & Dæmones, & super omnem aliam Creaturam & invisibiliter omnem conatum eorum malitiæ restringit. Et ego ero scutum protectionis tuæ, ac tuorum contra omnes inimicorum spiritualium ac corporalium incursiones.* Indicat deinde, quid illi faciendum, ut jugem hanc protectionem sibi, familiæque suæ promereatur: *Propterea*

rea

ptereà volo ut tu, & familia tua conveniatis simul quolibet vespere ad cantandum hymnum Ave Maris Stella, & ego auxilium præbebo in omnibus necessitatibus vestris. Quapropter ubi Petrus Olavi, qui S. Birgittæ erat à confessionibus, cùm de voluntate Deiparæ certior esset factus mox Hymnum illum cum S. Birgitta, & filia eius Catharina diebus singulis 29. annorum spatiô, quô vixit, cantare aggressus est, quô ordo ille S. Salvatoris juxta promissionem Virginis speciali eius gratiâ protegeretur, & Spiritûs sancti benedictionibus confoveretur. Felix prorsus, qui scuto hoc bonæ voluntatis benevolentiæ Virgineæ protegitur: tutus sanè ab omnibus etiam Tartareis leonibus incedit. Erit, polliceor, hujusmodi magis inexpugnabilis, quàm si Agamemnonis clypeo protegeretur, cui formidabilis erat, teste Pausania, exsculptus leo cum hoc lemmate:

Agamemnonis clypeus formidabilis erat hominibus, sed Marianus clypeus etiam Tartareis hostibus.

Terror hic est hominum, quique hunc gerit, est Agamemnon.

9. Quam protectionem Deiparæ agnoscens S. Bonav. opus. 25. *MARIAM tutissimum* dixit *afflictorum omnium refugium.* Verè enim Virgo Heroina nostra terror est, non solùm sceleratissimorum hominum, verùm etiam omnium malignorum Spirituum, qui licèt rabidissimi sint leones leænam tamen hanc, quæ leonem illum fortissimum de tribu Juda peperit, licèt unica sit, ad instar tamen castrorum benè ordinatæ, instructæque aciei adeò illam formidant, & exhorrescunt, ut annihilari potiùs velle videantur, quàm in conspectu illius comparere. Unde Innocentius III. Summus Pontifex sapienter nos ad confugiendum sub patrocinium, protectionémque Virginis hortatur: *MARIA terribilis est ut castrorum acies ordinata: quicunque ergo sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo vel à carne vel à Dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur MARIAM, ut ipsa per Filium immittat auxilium de sancto, & de Sion tueatur.* Rursus in psalterio ita illi modulatus est: *In umbra alarum tuarum Domina requiescam, quia delectabile est mihi refrigerium tuum.* Idem vocat eandem *ipsius DEI placitum umbraculum.* Et psal. 51. vel solum ipsius Nomen dulcissimum umbram protectionémque sibi futuram agnoscens, ita illi modulabatur: *Domina in nomine tuo salvum me fac, & ab injustitijs meis libera me. Ut non noceat mihi calliditas inimici, sub umbra alarum tuarum protege me, O Domina mea adjuva me, gratiam tuam largire animæ meæ.* Unde pulchrè pius quidam vir pronunciavit: quam quæso fiduciam habere poterit Christianus in qualibet tribulatione, nisi sub pallio & amictu protectionis sanctissimæ Virginis?

Ut sub protectionem B. V. confugiamus mortales, adhortatur nos Innocentius III. Pontifex maximus.

10. Umbram Platani lassis Viatoribus in hujus peregrinationis curriculô, ad beatam illam patriam tendentibus, esse Deiparam agnovit Religiosissimus Martinengus in sua Parthenodia, dum de Platano loquens, ita cecinit de Virgine.

Platani umbram lassis viatoribus esse Deiparam agnovit Martinengus in sua Parthenodia.

Sed quid hic formosa signat Arbor isthæc mystici?
Quid monet? si quis viator emarcescit æstibus
Solis acris, si fatiscit longiori de via,
Hâc repertâ conquiescit umbrâ opacâ lassulus,
Artubúsque recreatis sub patenti tegmine
Damna defecti vigoris hic resarcit denuo.
Tale quid facit MARIÆ Virginis clementia,
Si retorrida laborat labe conscientiæ
Quispiam, vitæq; iniquis angitur molestijs,

Ad fidémque hujus Patronæ, gratiámque confugit,
Anxiæ præsens levamen sentit ægrimoniæ
Protinus, vigescit auctus duplici solatiô.
Quàm benè ergo Virgo sancta pingitur compluries
Pallij sub tegmen amplum confovere plurimos
Ceu solet Gallina pullos subter alas nudulos?
Ergo se se jure Platano comparavit cælibi,
In plateis juxta aquarum consitæ undas mobiles,
Quod solet propinqua semper turbæ adesse fluxili,
Inq; vitia defluenti pro sua clementia
Est parata subvenire, lubricósque sistere,
Nam prope est benigna cunctis, ritè se invocantibus.
Quippe ut hæc Arbor tenella folia fert, & mollia,
Sícque nostra in nequiores Domina gestat viscera
Hos juvat factis benignis, atque dictis erudit.

Hujus tandem Virgineæ Platani se contegi umbrâ amœnissimâ exoptans, vir hic in Deiparam piissimus ita concludit:

O nimis dilecta Planta, quam DEI felix manus
Omnibus perfugium, ut esses, panxit auspicatiùs,
Me quoque obtentu beato servulum tuum obtege.

11. Porrò ut majori cum fiducia ad umbram hanc Virgineam, protectionémque confugiamus, sciendum, illam non modò Platanum, verùm etiam Hortum amœnissimum, & Platanis, & variarum arborum generibus consitum, ad deliciandum cum hominibus, nominari: Ipsi enim dixit Cœlestis Sponsus Cant. 4. *Hortus conclusus*: Hinc supra memoratus Richardus lib. 12. versu 9. *Hortus conclusus: Virginem hortum umbrosum appellat, quòd homines à vitiorum, noxiarúmque cupiditatum æstu obumbret, ac protegat peccatores. In MARIA velut in horto condenso, & umbroso, invenitur umbra propitiationis, ac misericordiæ. Ad hoc enim obumbravit ei virtus Altissimi, in Filij conceptione, ut & ipsa precibus suis, meritis, & exemplis obumbraret peccatoribus contra fervorem divinæ iracundiæ, æstúmque cujus libet pravæ concupiscentiæ. Ipsa enim est arbor ramosa & frondosa, cujus pulchritudo delectabilis ad intuendum, umbra desiderabilis ad quiescendum, fructus appretiabilis ad edendum: tria enim sunt, quæ viatores præcipuè ad arborum protectionem fugere compellunt, æstus, turbo, & pluvia; & hæc designant tria alia, quæ tendentes ad patriam per viam hujus exilij principaliter nos infestant: Concupiscentia, quæ per æstum; superbia quæ per turbinem; assidua tentationum importunitas, quæ per pluviam designatur. Obumbrat autem nobis MARIA contra æstum concupiscentiæ exemplô castitatis, contra turbinem superbiæ exemplo humilitatis, contra importunitatem tentationis Diabolicæ virtute assiduæ orationis. Nec patitur summa ejus benignitas, suprà id quod possumus, nos tentari, sed cum ipsis tentationibus dat proventum. Ideò de ipsa.* Isa. 4. dicitur: *Erit tabernaculum in umbraculum diei ab æstu: Obumbrat autem præcipuè super capita bellatorum, qui ad imitationem ipsius pugnant contra illa tria vitia, scilicet contra superbiam, per humilitatem, contra avaritiam per largitatem, contra luxuriam per temperantiam, & castitatem, &c. ut verè dicere valeat qui sic pugnat: obumbrâsti super caput meum in die belli,*

MARIA Hortus umbrosus.

Tria sunt quæ viatores ad arborum protectionem confugere compellunt, æstus, turbo, & pluvia.

12. Idem denique Virginem Deiparam *Hortum latebrosum*, in quo ab ira sempiterni Judicis peccatores, emendationis cupidos latitare,

se-

Quod peccatores protegat, & abscondat B. V. adumbrâtur per Rhaab Hierichuntinam.

seséque abscondere valeant, appellavit, aitque: ideò per Estherem Reginam illam fuisse denotatam, quæ, abscondens, interpretatur. *Ratione hujus absconsionis*, inquit ille, *designata est per Rhaab Hierichuntinam. Nam sicut illa Judæos exploratores recepit, & abscondit.* Jos. 2. *Sic MARIA verè confitentes se filiúmque suum, veræq; illius terræ promissionis ad eam possidendam exploratores. Sicut enim pia Mater abscondit filium suum sub Pallio, quando Pater vult verberare, sic MARIA refugientes ad se, Christi justitiam formidantes. Ut porrò facilius possis abscondi sub pallio ipsius misericordiæ, cura, ut sis parvus in oculis tuis per humilitatem, non turgidus per elationem, ut sis mundus per castitatem, quia cum fœtore luxuriæ ad illam appropinquare impossibile est. Ut sis denique misericors, alioqui apud misericordiæ Matrem refugium non haberes.* Sic ille.

Ut faciliùs protectionem B. V. obtineamus humiles simus & casti, oportet.

13. Hanc protectionis umbram amœnissimam atque amabilissimam in Deipara agnoscens Religiosissimus simul, ac Eruditissimus Pater Aloysius Novarinus Clericus Regularis, opus perelegans de Virginis præconiis conscripsit, pro suo ardenti in illam affectu, quod ipse *Umbram Virgineam* appellavit, ubi non modò illam Dei sui umbram esse ostendit, verùm etiam Angelorum omniúmque hominum, etiam beatorum Dei, Ecclesiæ, Synagogæ, Religiosorum, Doctorum, Principum, ac Regum, Virorum, Mulierum, Virginum, Conjugatorum, viduarum, eorum denique, qui in Cœlo degunt, eorum qui in terris, eorum qui Purgatoriis addicti flammis, eorum tandem, qui æternis suppliciis adjudicati. Demonstrátque Sacrarum litterarum testimoniis, Patrum auctoritate, ex omni antiquitate petitis exemplis, unam Virginem aliô atque aliô modô pro cujusvis statûs diversitate omnes obumbrare atque protegere.

Umbra Virginea sub qua Deus, Angeli, homines quiescant.

14. Neque verò solùm nos protegit Virgo nostra in persecutionibus inimicorum, in adversitatibus, in tentationum, tribulationum, ac cupiditatum æstu, verùm etiam uberibus consolationis suæ nos nutrit, ac corroborat, imò & quodammodò inebriat, ut earum penitus obliviscamur. Atque ita Virgo non modò nobis umbram, verùm etiam jucundissimum ad reficiendum spiritualibus deliciis animum, ut Platanus illa Plinii, exhibet triclinium. Unde piè admodùm Seraphicus ejus Psalmista cecinit: *Quemadmodùm infans sine nutrice non potest vivere, ita & sine Domina nostra non potes habere salutem: Sitiat ergo anima tua ad ipsam, tene eam, nec dimitte, donec benedixerit tibi, repleatur os tuum laude ejus, decanta tota die magnificentiam ipsius.*

15. Ex quibus colligimus admirabilem Virginis Deiparæ benignitatem, quâ velut piissima Mater suos clientulos in prosperis, adversisque fovens ac nutriens, simul eosdem sub umbra alarum suarum protegit, atque defendit. Hinc Pater Cornelius in Ecclesiasticum, elogium illud æternæ sapientiæ de Platano, approprians Dei Matri: *Platanus*, inquit, *repræsentat B. Virginem. Nam Platanus patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum, & peltarum: Sic B. Virgo est quasi Platanus patulis diffusa ramis, quibus universos homines abscondit, & protegit. Perfugium est, protectio, scutum, & asylum omnium ad se confugientium. Nulla est tentatio nulla est calamitas, nullus labor, nullum periculum, nullus hostis, contra quem B. Virgo validissima scuta, peltásque, opem suam implorantibus, non suggerat, ac suppeditet.* Atque ita Virginea hæc Platanus non modò umbra nobis est, ac dulce in tribu-

Platanus habet folia instar scutorum & peltarum.

B. V. Perfugium est, protectio, scutum, & asylum omnium ad se confugientium.

B. V. Turris David ex qua mille clypei pendent. Clypei sunt virtutes Marianæ, has amplectamur, & securi erimus.

lationum, tentationúmque æstibus refrigerium, verùm etiam Turris illa David, quæ ædificata est cum propugnaculis, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. Atque ut intelligeremus totam Virginem, ejúsque membra penè omnia, peltatam esse Turrim, in protectionem nostram, idem Sponsus Cant. 7. 4. Nasum ejus Turri Libani comparat, quæ respicit contra Damascum. Quisquis igitur à Tartarei hostis insidiis tutus esse cupit, ad Virgineam hanc Platanum, ad hanc Turrim, de qua mille clypei pendent, accurrat, eísque se undique adversùs ignea illius nequissimi Tenebrionis tela communiat; Virginis virtutes, quæ tutissimi nostri sunt clypei, imitetur, eásque veluti specula ob oculos mentis ponat, certóque sibi persuadeat, se & ab invisibilibus, & à visibilibus hostibus tutum, illæsúmque fore.

Clypeum tutissimum B. V. expertus Rex Britaniæ Arcturus in conflictibus, gestans B. V. Iconem in sui scuti concavo.

16. Expertus est Magnus ille Britanniæ Rex Arturus, ut refert Holcot lect. 36. in Sapient. Virginem omnibus in se sperantibus clypeum esse tutissimum, cùm ad bellum proficiscens in sui scuti concavo Iconem Virginis Deiparæ depictam gestabat: Unde cùm in hostium conflictibus fatigatum se, suásque copias nutantes animadvertebat, illico, elevabat ille clypeum, ínque Virginem Misericordiæ Matrem sæpiùs suos defigebat obtutus, ardentibus desideriis ejus auxilium opémque implorando; unde novas vires robúrque ad persequendos, delendósque hostes, victoriámque consequendam sibi, suppeditari sentiebat. Quare hujus Virginei clypei nullo unquam tempore, nullo in discrimine, ac præsertim in postremo illo, cùm ex hac vita emigrandum erit, oblivisci convenit, quin potiùs faciendum, quod Epaminondas lethaliter saucius, ac mox emoriturus. Hic enim, ut scribit Xenophon, armigerum ad se accitum interrogavit, clypeúsne salvus esset? Quod cùm ille non solùm affirmaret, sed ipsum etiam clypeum ostenderet, respondit: jam tempus esse moriendi; sit nobis quoque tempus moriendi tum demum auspicatissimum, cùm visa Virgine, ejúsque patrocinio velut clypeo undique protectis, in ipsius Maternæ pietatis sinum animam exhalare licuerit, atque ita sub ejus protectionis veluti Platani suavissima umbra conquiescere.

Nunquam clypei Mariani oblivisci, præsertim vero in hora mortis convenit, sed agendum, quod Epaminondas memorabile reliquit.

Umbra cujusdam Arboris Indicæ inimica est draconi, à cujus insidiis tutatur columbas.

17. Id enim nobis eventurum certò persuadeamus, quod columbis sub Indica cujusdam fructiferæ Arboris (de qua Hugo Victorinus lib. 3. de Bestijs cap. 39.) umbra conquiescentibus accidere consuevit. Hæ enim dum ipsius amœnissima perfruuntur umbra, tutissimæ sunt à Dracone, quibus ille mirum quantùm insidiatur. Ejus enim arboris umbra adeò immani illi belluæ est inimica, ut si illa ad orientem se se extenderit, Draco fugiat mox ad occidentem: atque ita Columba, dum umbram illam sectatur, tuta ab ipsius redditur insidijs. Cupis anima Christi, dilecta columba, Tartarei illius Draconis saluti tuæ assiduè, maximè in illa tremenda mortis periodo insidiantis rictus evadere, hìc, dum vivis, sub umbra Virgineæ hujus Arboris ipsius assiduè virtutum pulchritudinem contemplando, eásque amando conquiesce, certò in animum inducas, velim, umbram te protectionis ipsius contra Infernalem Draconem, cùm ex hoc corporis ergastulo eris evolatura, magno animi tui solatio experturam. Ita nimirum sibi eventurum persuadebat S. Bonav. dum eam Psal. 51. orabat: *Exaudi Domina orationem meam, super firmam Petram stabilias men-*

mentem meam: Esto mihi turris fortitudinis, me tucaris à facie crudelis vastatoris, ut castrorum acies sis illis terribilis, ut vivus corruat in profundum inferni.

18. Eandem protectionem suorum clientulorum Virginea hæc Platanus nobis repræsentat in eo, quod, ut scribit Pierius, vespertiliones, ac noctuas à nidis ciconiarum arcet. Quid enim vespertiliones ac noctuæ sunt aliud, quàm Acherontæi illi lucifugæ, ac Tenebriones, Rectores tenebrarum harum, qui ciconiarum nidis, nempe vigilantissimorum Prælatorum religiosis Domicilijs; dies, noctésque insidias struunt, si qua ratione eorum teneriores præsertim alumnos, in fraudem inducere, ac devorare valeant? Verum eorum conatus Virginea hæc penitus infringit Platanus, eósque quàm longissimè ab hisce præsertim Novitiorum arcet domicilijs, pietate singulari in Deiparam teneriores illi in Spiritu pulli, veluti platani ramis muniri consueverunt.

Ut Platanus vespertiliones ac noctuas à nidis Ciconiarum, arcet, sic B.V. infernales Tenebriones à Vigilantissimorum Prælatorum Religiosis domiciliis.

19. Hinc B. Franciscus Borgias, dum Provincialis Præpositi munere fungeretur, cupiebat omnes, ac præsertim Novitios, ut B. Virginem in patronam adsciscerent. Unde ominabatur sinistri aliquid eventurum ijs, qui id non præstarent. Quare cum Tyrocinium societatis aliquandò adijsset, interrogassétque Tyrones quosdam, ecquosnam sibi delegissent in Patronos? intellexissétque nonnullos, eam Patronam non assumpsisse, admirans ad Magistrum eorum conversus: *Vide, ut invigiles eorum saluti, vereor enim, ne non perseverent in Religione*, quod & accidit, cùm omnes illi varijs temporibus eam postea deseruerint, prædaque Tartareorum Tenebrionum evaserint, ut scribit P. Balinghen in Cal. B. V. 30. Septemb. Nempe Virgineæ hujusce Platani umbrâ patrocin óque, infelices illi nidulum suum minimè munierant; Unde factum ut miserè vocationis suæ dispendium facientes, interierint.

S. Franciscus Borgia male ominabatur Novitiis, qui B.V. non elegerunt in Patronam.

20. Platanum Religiosis ordinibus se esse ostendit Virgo nostra, cùm B. Alberico Ordinis Cisterciensis se aliquando visendam exhibens, sic eum est allocuta: *Ego ordinem hunc usque in finem sæculi protegam & defendam. Ita refertur in eorum* Menologio 26. Ian. Similia etiam refert Joannes ejusdem ordinis Abbas. *Ultra* inquiens, *Spirituales revelationes, intimásque consolationes, sæpius fulgentissimo Cæli civium stipata comitatu, eósque gloriosissima Mater Domini visitabat, etiam visibiliter consolabatur, & docebat, adjuvabat, dirigebat. Ob id & ipsa sacri hujus ordinis Patrona, Domina, Protectrix, & Advocata nominatur.* Sic ille.

Alberico Ord. Cist. B. V. se visendam exhibens, sic eum allocuta est: Ego ordinem hunc usque in finem sæculi protegam, & defendam.

Platanum denique umbrâ suâ ordinem illum protegentem Virginem agnovit S. Bernardus Ser. de Ass. *Fructum*, inquiens *laboris vestri mercedem æternam apud Dominum, & eandem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse certissima fide tenere debetis.* Unde B. Henrico ejusdem Ordinis viro Religiosissimo Virgo apparuit, plurimos Religiosos pallio suo contegens. Simili pallio, eóque amplissimo eandem Deiparam totam hanc minimam Societatem Jesu protegentem contemplatus est P. Guttierez noster, ut alibi fusiùs dictum est.

B. Henrico ejusdem Ord. B.V. apparuit plurimos religiosos pallio suo contegens.

P. Guttierez sub pallio Deiparæ Societatem contemplatus.

21. Nidulum suæ Religiosæ quietis, Virgineâ hâc Platanô, contra stygios illos vespertiliones, fatalésque noctuas obvallaverat S. Bonavent. cùm Psal 183. illam deprecabatur: *Eripe me Domina ab omni malo, & ab hoste Inferni defende me. Contra me tetendit arcum suum, & in fraude sua insidiatur mihi. Confringe ejus vires malignas, & tu de potenter astutias ejus. converte iniquitatem*

B. Bonaventura invocam, B. V. præsidium & subsidium, hortatur, religiosos specialiter ut confugiant ad Deiparam

tatem ipsius in verticem illius, & in foveam, quam fecit, cadat festinanter. Nos autem exultemus in servitio tuo, & in tuis laudibus gloriemur. Idem Doctor Seraphicus Virgineam hanc Platanum omnium Religionum esse Protectricem, agnoscens ita rursus Psal. 17. animitus illi modulatus est: *Diligam te Domina cœli & terræ, & in gentibus nomen tuum invocabo. Confitemini illi tribulati corde, & roborabit vos contra inimicos vestros.* Ut porrò ostendat Maternam prorsus hanc in Religiosos omnes esse illius protectionem, ita prosequitur: *Stilla nobis Domina gratiam uberum tuorum, & manante lacte dulcedinis tuæ, refice viscera puerorum tuorum. Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est adjutrix, & vestra specialis Advocata. Esto refrigerium nostrum gloriosa Mater Christi, quia tu es totius Religionis mirabile firmamentum.* Sic ille.

S. Richardus à S. Laurentio confidenter B. V. Prædicatorum invocat.

22. Nidulum quoque suæ Religiosæ quietis munierat hâc Virgineâ Platanô contra avernales vespertiliones, ac noctuas venerabilis Richardus à S. Laurentio lib. 1. cap. 3. cùm plenus fiduciâ amanter clamabat ad Virginem: *Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Psal. 16. *in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Psal. 56. Ac denique.

S. Pauli primi Eremitæ Ordo specialem subjectionem erga B. V. profitetur.

23. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Job. 17. Virgineâ hâc Platanô suæ Religiosæ quietis nidulum præmunire visus est sacer Ordo sancti Pauli primi Eremitæ, dum votorum solennium emittendo professionem, ita unusquisque vovet: *Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam DEO Omnipotenti, & B. M. Virgini, ac omnibus sanctis.* Ubi notatu dignum Frater Gregorius Gengyesinus, ejusdem ordinis, Prior sancti Stephani rotundi in Cœlio Monte de Urbe, hoc attexit: *Sacer ordo noster profitetur DEO, & B. M. Virgini, & omnibus Sanctis. Nam sicuti alii ordines singulares eligunt Patronos, ac Patronas: sic nos B. Virgini MARIÆ nos specialiter submisimus. Hanc ob causam B. Virgini singulis diebus horas nocturnales & diurnales cum Missa peculiari, manè dici solita, persolvere consuevimus.* Cujus submissionis, ac subjectionis hic Ordo Religiosissimus sub tantæ Patronæ Dominio, ac protectione mirificum experitur emolumentum ac præsidium, dum ab hostibus tam visibilibus quam invisibilibus velut teterrimis noctuis, ac vespertilionibus defenditur.

S. Theresia electa [illegible] Iconi B. V. Monasterii claves universumque regimen tanquam veræ Dominæ ejus illa solum esset vicaria, obtulit.

24. Munierat hâc Platanô Religionis suæ nidum sancta Virgo Theresia, quæ cujusdam Cœnobii electa Priorissa, primò omnium in in ipso obediendi muneris ingressu, & se, & totum domicilium Deiparæ obtulit, ac consecravit. Unde Iconi ipsius Monasterii claves, universúmque regimen tanquam veræ Dominæ, cujus ipsa esset vicaria, obtulit. Exinde nullius se esse numeri apud suas ducens, sanctissimam Virginem, cujus tutelâ, familia hæc versabatur, veram ejusdem esse Antistitam, ac Præpositam, quæ ipsas gubernatura esset, pronunciavit. Quod quam gratum illi fuerit, Virgo ipsa non ita multò post declaravit. Pridie enim S. Sebastiani, visibili specie in locum imaginis suæ se diva Virgo collocavit, domúsque illius gubernationem se suscipere ostendit.

S. Theresia describit apparitionem B. V. sibi factam.

25. Hanc porrò Deiparæ apparitionem S. Theresia litteris in hæc verba mandavit. *In Sebastiani Martyris Vigiliâ primô mei in Incarnationis cœnobiò Prioratûs annô, cum Vespertinæ SS. DEI Matris laudes cantari jam inciperent, in Antistitæ exedram, in qua Deiparæ imago collocata erat, benedictam DEI Matrem vidi innumerâ Angelorum stipatam multitudine descen-*

scendere, ac prout mihi videbatur, eadem in sedili considere. Quam posueram, effigies tunc abesse inde videbatur, sed ejus locò sola, quam dixi, Domina apparebat, quæ facie aliquatenus similis illi videbatur Imagini, quam à comitissa acceperam, quanquam subitum id, ac repentinum visum fuit; unde discrimen id non adeò certò potui notare, quod illud me in momento suspensam admodùm teneret. Plurimos item videbam in summis sedilium coronidibus ac pulpitis videre considentes Angelos, etsi non in forma corporea, quòd intellectui duntaxat ac menti visio hæc objiceretur. Toto illo, quô laudes decantabantur, tempore, hunc beatissima Virgo locum occupavit, & mihi tandem ait: optimè id à te constitutum, & opportunè, quòd hôc me locô constitueris. Equidem quæ hic Filio meo laudes decantabuntur, præsens adero, eásque illi offeram. Ribera lib 3. cap. 1.

26. Denique Devotissimus B. V. Pelbartus de Temesvvar. Religiosæ suæ quietis Nidulum, nomine Deiparæ velut Platani frondibus munierat sine dubio, dum aliis hôc eôdem, sua domicilia adversùs tenebrarum Principes, ac Tenebriones, obarmanda suadet. Postquam enim suavissimi hujusce Nominis amore captus, multiplices ipsius utilitates exposuisset, exclamâssetque: *O quàm dignum, O quàm excellens & sublime est hoc Nomen gloriosissimum MARIA! O quàm utile omnibus invocantibus ipsum! Per hoc enim sanctissimum Nomen lapsus sublevatur, peccator liberatur, gratia infunditur, cor dulcoratur, Dæmon effugatur, tentatio refrænatur, pericula evitantur, pestes & infirmitates repelluntur, orationes exaudiuntur. O felicissimum Nomen, per quod homo in morte assecuratur, in Purgatorio refrigeratur, & in Cœlo ex præsentia tantæ Dominæ jucundatur.* Postquam, inquam, hæc præmisisset, mox attexuit: *O Anima fidelis, utinam saperes, ac intelligeres dulcedinem, ac fructum hujus nominis, & ipsum semper in corde, & in ore haberes! hoc te moneo, hoc exhortor; ut descriptum habeas in domo, vel in ostio tuo, quo frequentiùs viso, MARIÆ recorderis. Felix certè illa domus, ubi semper memoria retinetur MARIÆ. O Christiane! recognosce Nomen tuæ Matris Virginis benedictæ, quæ sola est spes, & dulcis consolatio cordis tui. Ipsum invoca, ipsum flexis genibus acclama, ipsum nomen exora, ut MARIA sit tibi MARIA, id est, Maris Stella in hujus sæculi procella, qua dirigaris ad cœlestia Regna.* Hæc ille.

Pelbartus B. V. devotissimus hortatur omnes fideles ut nomen MARIÆ in ostio descriptum habeant, quo sæpius illius recordentur.

27. Ex quibus inferre possumus Viro huic in Virginem pijssimo, sacratissimum MARIÆ Nomen visum fuisse quodammodò ad instar pretiosissimi illius Lapidis Ætitæ, quô Aquilæ nidos suos adversùs serpentum morsus ac venena præmunire consueverunt. Quare quis quis in Religionis suæ nidulo feliciter conquiescere, vivere, ac emori desiderat, Platano Virgineæ protectionis illum communiat; Id si faciat, dicere securè magna animi sui tranquillitate, ac gaudio poterit cum Jobo: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Ita enim gloriosissimam Victoriam de lucifugis illis Tenebrarum Principibus, saluti nostræ insidiantibus reportabit, & immortali Palmæ virore, in omni æternitate fælicissimos illos multiplicando dies, in Cœlesti Paradiso vernabit, florebitque: Imo ad instar novæ Phœnicis (sic enim legit Græcus: *Et sicut Phœnix multiplicabo dies*) in Religionis nidulo varijs virtutibus ceu aromaticis speciebus sibi pyram construens, divini amoris igne quasi concrematus, renovabitur, & ad sempiternum illum solem justitiæ, cujus, dum vita superstes exstitit, fuit æmulus, dies victurus æternitatis, evolabit.

Ætites lapis, quo aquilæ nidos suos adversus serpentum morsus ac venena præmunire consueverunt, symbolum Mariani Nominis.

28. Illud quoque hîc minimè

prætermittendum videtur, quod scribit Dioscorides lib. 1. c. 91. Platanum contra ictus serpentum plurimùm valere; quô docemur, ut, si aliquando lethalis peccati, quod instar colubri fugiendum suadet Siracides, morsu vulneremur, pro præsentissimo remedio ad Virginem confugiamus, ne ipsius malitiæ virus ad cor penetrans, vitam in nobis spiritualem penitus exstinguat, & ad æternæ mortis portas animam deducat. Virtutem hanc Virginis contra Tartareos illos serpentes agnoscens S. Bonav. Psal. 27. ita illi concinebat *Exaltabo te Domina quoniam suscepisti me, ab iniquo adversairo liberabis me. Convertere ad me, & vivifica me, de portis mortis reduc me; & de fluctibus tribulationum, quæ circumdederunt me. Propter imperium, & magnificentiam dexteræ tuæ contere & dissipa omnes Adversarios meos.* Et rursus Psal. 51. ostendere volens, quantæ sit energiæ contra Infernalem serpentem patrocinium Virginis, ita ipsi insultans concinebat. *Quid gloriaris in malitia O maligne serpens & Draco Infernalis? Submitte caput tuum mulieri, cujus fortitudine demersus es in profundum. Contere eum Domina pede virtutis tuæ, exsurge, & dissipa malitiam ejus. Exstingue potentiam ejus, & virtutem ejus redige in favillam, ut viventes exultemus in Nomine tuo, & læto animo dicamus tibi laudem.*

Platanus contra ictus serpentum plurimum valet, quo docemur, ut si aliquando lethalis peccati morsu vulneremur, pro præsentissimo remedio ad MARIAM confugiamus

29. Quid jam de aquis illis, ad quas Virginea hæc Platanus consita esse perhibetur, dicam? Aquas hasce dixerim ego esse perennis illius fluminis, cujus impetús lætificat civitatem DEI. Aquas hasce dixerim esse illas viventes, quæ fluunt impetu de illo altissimo, candidissimoque æternitatis Libano in animam Virginis, plenitudinem inquam, gratiarum, charismatum, ac donorum Spiritûs sancti, quæ rationalis hujus Platani æviternum virorem, pulchritudinémque immarcescibilem conservârunt. Unde Bernardin. Bustius Par. 9. Marial. Ser. 1.

Sicut Platanus rivô gaudet, sic Beatissima Virgo Divinâ gratiâ.

Quam Platanus rivo gaudet; quam populus unda.
Et quam limosa canna palustris humo.
Gratia sic sanctam fovit divina MARIAM

30. Hæc est, quæ lignum illud vitæ, quod vidit Joannes Apoc. 22. exutraque parte fluminis splendidi, tanquam crystallum procedentis de sede DEI & Agni, irrigabat: flumen, sive Spiritum Divinissimum, quò in Filij DEI conceptione potissimùm repleta, obumbrata fuit, sivè ipsius uberrimam, copiosissimámque gratiam, quam ejus animæ tam DEUS Pater, quàm Filius, immaculatus Agnus, ad instar inundantis fluvij infudit, intelligamus, colligere sanè poterimus, Platanum illam esse aquis divinarum gratiarum, charismatúmque spiritûs sancti gaudentem.

Lignum vitæ quod vidit Joannes Apoc. 22. ex utraque parte fluminis splendide symbolum est B. V. gratiarum divinarum aquis enutritæ.

31. Platanum hanc juxta aquas videre sibi visus est S. Hieronymus, cùm Ser. de Assumpt. in cœlum proficiscentem, choris Martyrum, Virginúmque velut rosis, liliisque stipatam, eorundémque virtutibus longè excellentiùs ornatam, contemplans dicebat ex canticis: *Vidi speciosam ascendentem quasi Columbam desuper rivos aquarum. Et verè speciosa quasi columba, quia illius speciem columbæ ac simplicitatem demonstrabat, quæ super Dominum venit. Et benè desuper rivos aquarum, quia super aquam refectionis educaverat eam Dominus, & nutriverat, ex qua multi deducti rivi, omnem irrigant terram deliciarum, & infundunt hortum voluptatis, ex quibus quotidie lota & perfusa DEI Genitrix, ascendit hodierna die speciosa valde & admirabilis, cujus odor inæstimabilis erat nimis, & ideò ineffabilis.*

Sicut Platanus juxta aquas fluminis illius procedentis de sede DEI, & agni consita, omnium virtutum pulchritudine vernat B. V.

bilis. Ad cujus profectò fragrantiam odoris omnis illa cœlestis Jerusalem læta decurrit, quam circumdabant flores rosarum, & Lilia convallium, eò quòd omnes animæ martyrio rubricatæ, eam æternæ dilectionis complectuntur amplexu, & Virginitatis splendore candidatæ, ac si lilia in valle humilitatis enutritæ, circumdant eam venerationis gratiâ obsequentes. Circumdant eam etiam flores rosarum, indesinenter ejus admirantes pulchritudinem inter filias Jerusalem, in quâ posuit Rex thronum suum, quia concupivit ejus speciem & decorem. Fuit etiam plena charitate, & dilectione, idcircò sequitur post eam purpuratorum exercitus, & candidatorum grex. Quam si diligentiùs aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæq́, quod ex ea non resplendeat. Et ideò benè circumdant eam flores rosarum, & lilia convallium, & virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur. Hæc Hier. Ex quibus vernantem omnium virtutum virorem, pulchritudinémque in Virgine, velut Platano, juxta aquas gratiarum Fluminis illius procedentis de sede DEI & Agni consita, licet intueri, ejusque amœnitate recreari.

Sicut Platanus juxta aquas fluminis consita, ita omnium virtutum pulchritudine vernat B. V.

32. Hinc Rihard. à S. Laurentio lib 12. ait: Virginem Deiparam esse illud *omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave* Gen 2. Verba illius sunt: *B. Virgo siquidem designatur per omne lignum pulchrum visu, & suave, olfactu & gustu; quorum scilicet lignorum multitudo innumerabilis, umbra sanabilis, fructus incomparabilis, diversitas inenarrabilis, sapor summè delectabilis. Ex quo vel ex quibus habemus fructum fructuum, in quo sapor omnium saporum, plenitudo omnium virtutum, universitásque gratiarum.* Item asserit Deiparam esse lignum illud, de quo canebat David Psal. 1. *Plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dedit in tempore suo: Isti decursus aquarum*, inquit ille, *dona sunt Spiritûs sancti: & benè decursus, quia fluunt cum impetu.* Unde de ea dicitur? *fluminis impetus lætificat Civitatem DEI.* Psal. 45. *dicitur Aquarum; ob multitudinem donorum.*

Per lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave Genes. 2. B. V. intelligitur.

Item per lignum de quo David Psalm. 1. Plantatum secus decursus aquarum, id est multitudinem donorum Spiritus sancti.

33. Hasce Aquas, idem interpretatur peccatores fluxibiles, quia Apostolo teste *Aquæ populi sunt* Apoc. 17. Penes hos Virgo firmiter radicata est affectu Compassionis, & misericordiæ. Unde veriùs quam Apostolus dicere potest illud: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor. 11. Cùm igitur Platanum Virgineam juxta aquas consitam audimus, intelligamus eam apud multas gentes & populos diversari, ut omnibus suæ protectionis, patrociniique umbram communicet, eósque nobilitet. Et verò, si, ut scribit Plin. lib. 36. cap. 5. Impuræ Veneris, à Praxitele singulari artificio miræ pulchritudinis efformatum simulachrum, Gnidum adeò celebrem reddidit, ut multi illuc ipsius videndi gratiâ navigarent; ipsique ejus incolæ signum illud tanti fecêre, ut licèt ingenti ære alieno essent obstricti, & Rex Nicomedes illud totum dissolvere promitteret, si ei simulachrum donaretur; *Omnia*, inquit Plinius, *perpeti maluerunt, nec immeritò: Illo enim signo Praxiteles nobilitavit Gnidum*: Quantò magis Deipara nostra, Virgo purissima eos populos, apud quos diversatur, & hospitatur quodammodò, longè præstantiùs nobilitabit, decorabítque, eosdémque patrocinii sui umbra, omníque favore dignabitur? Testatur hoc Lauretum oppidum, ut reliqua sexcenta loca missa faciam, quod licèt per se ignobile olim, obscurúmque fuerit, Virgineâ tamen hâc Platanô ad illorum populorum aquas radices extendente, domiciliúmque illud sacratissimum, in quo Verbum caro fa-

Dum audimus Platanum Virgineam juxta aquas consitam, intelligere possumus apud multas gentes & populos, quibus protectionis umbram communicat.

Vermis simulachrum à Praxitele elaboratum, tanti æstimabatur, ut extrema potius Incolæ Gnidi perpeti maluerint, quam illum amittere, illo enim Praxiteles nobilitavit Gnydum.

Virgo Lauretana quantum Lauretum oppidum prius ignobile nobilitavit?

ctum est, defigente, tot Principum, Regum, Pontificum, aliorúmque summorum, mediorum, infimorúmque hominum ex omnibus mundi partibus confluentium, nobilitatum est accursu, ut ipsius Nomen toto terrarum orbe ad ultimam usque Thulen, ad Antipodas denique, novúmque orbem evaserit celeberrimum.

Platanus naturâ sua sterilis, verùm si surculus quispiam, præsertim pomi, ei inseratur, fructum reddit suavissimum applicantur ad B. V.

34. Nec illa Platani proprietas in Virgine nostra desideratur. Fertur hæc naturâ sua esse sterilis, verùm si surculus quispiam præsertim pomi ei inseratur, fructum reddit suavissimum. Hinc Virgilius Georg. lib. 2.

Et steriles Platani malos gessère valentes.

Sterilis per Virginitatem Maria, fœcunda reddita est, dum Verbum divinum velut aureus surculus in eam insitus est.

35. Sterilis omnino videbatur Virgo nostra, dum à primo suæ immaculatæ conceptionis instanti, emisso virginitatis voto, in sua puritate se perseveraturam Divinæ Majestati adpromisit. Verùm sterilitas hæc Virginea intactâ, illibatáque ejus puritate fœcuuda reddita est, cum æternum illud Patris æterni Verbum de regalibus sedibus in purissimum ejus uterum adveniens, velut aureus divinitatis ramus, aut surculus in eam veluti Platanum insitus est: Ad quod suscipiendum nos quoque Jacobus Apostolus cap 3. hortabatur: *Suscipite insitum Verbum, quod potest salvare animas vestras.*

36. Porrò ad instar mali divinum illud Verbum Virgineæ huic Platano fuisse insertum, ipsa Virgo testari visa est, cùm dixit. Cant. 2. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Quàm verò dulcis fructus hic exstiterit, eadem ipsa Sponsa testatur: *Sub umbra illius*, inquiens, *quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant 2.

37. Quod denique fructus hic divinissimus Arbori huic præter omnem naturæ ordinem, totâ obstupescente Creaturâ Virginitatis florem minimè ademerit, testatur Tertullianus lib. de carne Christi cap. 21. ubi ponderans verba illa Isa. 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*, ita loquitur: *Ipse est flos de Virga profecta de radice Jesse. Radix autem Jesse genus David, Virga ex radice, MARIA ex David, flos ex Virga Filius MARIÆ, qui dicitur JESUS Christus ipse erit & fructus: flos enim fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus eruitur in fructum. Quid ergo? negant & fructui suum florem, & flori suam Virgam, & Virgæ suam radicem.* Sic ille. Ubi sat clarè ostendit Virgineæ huic Virgæ Christum & florem simul exstitisse, & fructum, cum fœcunditate Virginitatem admirabili prodigiô conservantem. Quod considerans Eusebius Emiss. Hom. 2. de Nat. totus attonitus pronunciavit: *Quid primùm mirer, quidve postremum? quod sine conceptu est collata fœcunditas, an quod per partum magìs est glorificata Virginitas?* Idem prodigium obstupescens S. Bernardus exclamavit Ser. 1. in Vigil. Nativ. *O Nativitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficij, investigabilis etiam Angelis sacri profunditate mysterij, & in his omnibus admirabilis singulari excellentiâ novitatis, utpote quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem! O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans sed consecrans Virginalis Uteri templum! O Nativitas supra naturam, sed pro natura; Miraculi excellentia superans, sed reparans virtute mysterij: Fratres generationem istam quis enarrabit?* Hæc Bernardus.

Fœcunditas B. V, Virginitatis florem minimè ademit, sed fœcunditas ita consociata Virginitati, ut una alteram ad summum gradum Excellentiæ perfecerit, attestantibus Patribus.

38. Testatur idem mellifluus Doctor Tract de Pass. Domini cap. 46. Christum Dominum fuisse Virgini Matri florem simul & fructum.

Num-

Numquid inquies, *idem sunt flores & fructus? An ita subito sine intervallo temporis fructus suum florem secutus est? non enim id videmus fieri in rerum naturis. Præcedunt enim flores, & intercedit multi temporis intervallum, ut fructus ad maturitatem perducatur, quod nos verum quidem esse fatemur. Verùm ea, quæ habemus præ manibus, non tantum humana, sed & Divina sunt, unde non sequuntur rerum naturas in omnibus, sed natura magis suum sequuntur Auctorem. Quod videlicet apertiùs intelliges, si diligentiùs volueris intueri in omni arborum genere, in ortu fructus, florem decidere, & perire, in hominibus quoque, & ferè cunctis animantibus fructus filiorum, florem Virginitatis abscindit. Non sic erat à Nativitate vitis nostra. Beatissima enim Mater illius fructum quidem protulit benedictum, non amisso Virginitatis flore, imò magis per partum mirabilem & mundissimum est decorata, ubi lex, ubi jura naturæ abscissa sunt.* Tandem ita concludit: *Protulit eum Mater pulcherrima flore virginali non perdito, protulit & ipse fructum redemptionis nostræ floribus virtutum non marcescentibus.* Hactenus Bern.

39. Testatur idem hoc Guilielmus Abbas, qui eandem Arboris florentis simul ac fructificantis afferens similitudinem, docénsque à Sponso bis pulchram ob virginitatem simul ac fœcunditatem appellari, ita pronunciavit: *Habet DEI Mater pulchritudinem virginitatis, habet & pulchritudinem fœcunditatis. Sola pulchra est: & flore simul & fructu. Sola florem Virginitatis habet inter Matres, sola fructum fœcunditatis inter Virgines. Deflorantur aliæ, ut fœcundentur, & eis necessariò flos virginitatis præmoritur ad fructum fœcunditatis: in sola verò MARIA flos propter fructum non est præmortuus, sed mirô, & excellenti modô factus est fructuosus, & sanctificatus est ex fructu ad perpetuitatem, & crevit ad venustatem. Et alijs quidem fœminis pulchrior est flos quàm fructus; at in Matre Redemptoris, quæ sola habet fructum cum flore, multò speciosior, laudabiliórque videtur esse fœcunditas quàm Virginitas; nisi fortè quis dicat, quòd pares sint, nec melior, pulchriórque esse possit in ea Virginalis fœcunditas, quàm fœcunda virginitas. Ecce Virgo, ecce Mater, ecce bis pulchra & amica, cui oculi sicut columbarum; quantò enim magna, tantò se humiliavit in omnibus, oculi ejus simplices, quia non alta sapiebat, sed quod in tanta excellentia excellentissimum humilibus consentiebat. Non habuit oculos sublimes in se, torvos ad alios, neque se magnificabat, neque alios aspernabatur. Et Notandum, quòd non addit columbæ, sed columbarum, multam scilicet simplicitatem, humilitatémque ejus significans, ut in ea multorum virtus videatur.* Sic ille de admirabili in Deipara Virginitatis cum fœcunditate consociatione.

40. Hanc eandem Virginitatis cum fœcunditate consociationem contemplans, & admirans S. Ildephonsus lib. de Virgin. Mariæ cap. 2. *Ecce*, inquit, *insolitô modô, insolito usu, insolito ordine, insolito jure in una persona, in uno corpore, in una conditione, in una ætate alternat honor Matris, & Virginis, alternat pudor Virginis & Matris, alternat in generante Virginitas, alternat in Virgine generandi facultas, & neutrum cedit ulli, & utrumqne in alterutrum derivatur, & neutrum impeditur ab invicem, & ambo propriant sibi, utrumque servatur in proprio, utrumque transit in alterutrum, quia ambo unum, quia duo idem, quia diversa id ipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens supervenium. Non Matrem Virginitatis deserit decus. Non Virginem Maternus impedit partus, & Virginem non*

violat fœtus: & Matrem nobilitat pudor Virgineus. De eadem quoque virginitate, ac fœcunditate simul indissolubili nexu in Deipara sociata cap. 10. hæc habet: *Virginitatem Dominæ meæ genita proles nec introiens, nec exiens læsit, nec concepta, nec nata violavit; nec eam, cùm hospitaretur in illa, tristavit, nec illam, cùm egrederetur, incorruptione privavit. Hanc ergo fœminam partus Virginem servat; hanc fœminam generatio Virginem habet; hanc fœminam Filius ita post exitum novit, sicut ante conceptum invenit. Ubi notandum illud occurrit, quòd filius Matrem non tristavit; indicans illabatum Virginitatis conservatum fuisse florem, qui cùm amittitur, dolorem causare consuevit.* Unde Jacob Gen. 49. v. 3. de Ruben primogenito loquens dixit: *Tu principium doloris mei,* Quæ verba Alphonsus Tostatus ponderans: *Primogenitus,* inquit, *dicitur dolor Patris, quòd in virginibus primus congressus non sine dolore, ac pœnitentia peragitur.* Quod etiam testatur Plinius lib. 10. cap. 63. *Homini tantùm primi coitûs pœnitentia, augurium scilicet vitæ à pœnitenda origine.* Cùm igitur filius purissimæ Matri Virginitatis florem non violârit, sed consecrârit, duplicâritque, nullum illi pœnitendi, aut dolendi occasionem, sed potiùs gaudendi attulit. Quòd Gabriel Angelus indicare visus est, cùm eam avere, & gaudere χαῖρε enim utrúmque significat, jussit.

41. Agnovit Virgineam hanc Platanum Verbô divinô, intacta puritate fœcundatam, Leo primus Orientis Imperator, qui *Hom. 6.* ita eam alloquitur: *O Virgo & Mater, quæ Virginitatem & partum tam valde inter se diversa, in te conjuncta monstras! O tegumentum, O perfugium, quæ totum mundum contines, & servas!*

42. Agnovit S. Chrysologus Serm. 142. Virgineam hanc Platanum auctam, roboratámque esse, dum cœlestem illum, divinissimúmque fructum protulit: *Qui ingreditur,* inquit ille, *& egreditur, & introitûs sui & exitûs nulla vestigia relinquit, Divinus habitator est, non humanus; & qui conceptu suo Virginem servat, de ortu suo relinquit Virginem, non est terrenus homo, sed cœlestis.* Tum conversus ad Virginem. *In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, & solidata Virginitas, omnes denique perseveravêre virtutes.*

43. Agnovit Virgineam hanc Platanum divinissimo illo fructu decoratam, atque coronatam S. Paschasius in Psal. 44. *Virginem Sponsus,* inquiens, *sanctæ Virginitatis fructus, decus, & munus, à quo sancta Virginitas fœcundatur, ut perseveret intacta, à quo decoratur, ut permaneat pulchra, à quo coronatur, ut regnet perenniter gloriosa.* Denique Virgineam hanc Platanum ita DEI filius divinè fœcundando, eam suo sigillo integritatis communire visus est, ut testatur B. Guerricus Abbas Serm. 2. de Annunc. quia nimirum illum incorruptis moribus imitari, ejúsque consilium conata est exequi, quo ei suadebat: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. JESUS quippe,* inquit pientissimus Abbas, *impressus in corde, expressus in opere, sigillum planè & munimentum inviolabile est castitatis Sponsæ suæ, & eô ipsô, quô se imprimit ut imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam.*

44. Adeò mirabilis, adeò stupenda est in hac pulcherrima Platano hæc sterilitatis seu Virginitatis cum fœcunditate consociatio, ut ipsis Angelicis mentibus videatur incomprehensibilis. Unde S. Epiphanius orat. de Laud. B. V. *O Virgo sanctissima, quæ Angelorum exercitus in stuporem deduxisti! stupendum enim*

mi-

miraculum est in cœlis, mulier amicta sole, illo videlicet justitiæ, quo velut igne divinissimo ad instar rubi circumdata illibatam Virginitatem conservavit.

Aaronis Virga, quæ nulla humanâ opera humectata simul fronduit, floruit, fructusque protulit, Deiparæ Virginitatem illibatam fœcunditati indissolubili dono sociatam adumbravit.

45. Admirationem hanc Angelicorum exercituum adumbrare nobis visi sunt duo illi Cherubini stantes juxta Propitiatorium, sive Arcam fœderis alis suis eam protegentes, & se se mutuò, & illud respicientes, ut legitur Exod. 37. 6. Crediderim enim, quòd inter reliqua, quæ Arcâ illâ continebantur, admirati sunt Virgam illam Aaronicam, quæ nullâ humanâ operâ humectata simul fronduit, floruit, fructúsque protulit; quæ sanè Deiparæ Virginitatem illibatam fœcunditati indissolubili nodo sociatam adumbravit. Quemadmodòm & illi iidem se se invicem intuentes Cherubini.

Duo Cherubim in propitiatorio sunt Virginitas & Maternitas Deiparæ.

46. Audiendus hìc Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laudibus B. V. ver. 9. Horti concl: pulchrè illorum Cherubinorum enodat mysteria: *Hæc duo Cherubim in Propitiatorio*, inquit ille, *sunt ipsa Virginitas, & Maternitas, quæ olim aversos quasi vultus habere consueverant. Nunc autem se se respiciunt, quia & Virgo est fœcunditas, & fœcunda est Virginitas, de quibus elegantissimè quidam:*

Partus & Integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Virginitas & Maternitas Mariana vocantur Cherubim. quod plenitudo scientiæ interpretatur.

47. *Et benè hæc duo vocantur Cherubim, quod plenitudo scientiæ interpretatur, quia solius DEI sapientia scivit, & potuit Virginitati fœcunditatem in MARIA sociare. Unde Exclamavit Apostolus.* Rom. 11. *O Altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI, &c.* Hæc Rich.

Platani fructus salubris, sed incomparabiliter magis fructus divinus Ventris MARIANI.

48. Quàm salubris porrò Platani fructus esse consueverit, testatur Dioscorides lib. 50. cap. 87. Ubi ait, hujus arboris fructum dum adhuc viridis est, si immixtus vino sumatur, serpentum, aliorúmque venenatorum animalium morsibus præsentissimum esse remedium. De hoc fructu Salutifero audiendus Absolon Abbas Serm. 20. Ubi ostendit Virginem virgam esse virtutis, de qua pullulavit flos fructu, odore, pulchritudine singularis, animas nostras explens ac satians, cujus fructu ubi famem depulisset Sponsa, gloriabatur: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*, fructum appellans dona cœlestia, quibus animæ cumulari consueverunt in hoc convivio. *O fructus*, exclamat vir piissimus, *dulcis, fructus suavis, quem appetit esuriens sine tormento, manducat sine fastidio, quo satiatur sine superfluo, sanatur sine recidivo; O fructus bone, fructus sapidissime, omne habens delectamentum, omnem saporem suavitatis; his tamen, qui gustaverunt, quàm suavis est Dominus. In alijs quippè est Manna propter dulcedinem, in alijs lignum vitæ propter æternitatem; in alijs Panis propter fortitudinem; in alijs Vinum propter compunctionem; in plerisque oleum propter Spiritûs consolationem. De odore autem istius floris scriptum est: Trahe me post te, curramus in odorem unguentorum tuorum,* Et alibi: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27. *odor super omnia necessarius, utpote infirmis purgativus, proficientibus confortativus, perfectis verò sanativus. Nónne vides agrum hujus mundi hoc odore plenum? cum videas alios justitiâ fortes, alios charitate ferventes alios promptos ad obediendum, & humilitatis obsequium, hos lachrymis iniquos, & ad eleemosynas profusos, plerósque in laudem prorumpere non solùm pro eo, quòd veniam consecuti sunt, sed etiam pro eo, quòd gratiam per gratiam receperunt.* Sic Absalon; qui sanè admirabiles animarum nostrarum fructus

ctus, quos salutaris hic fructus ventris generosi, Virgineæ nimirum Platani, in orbem produxit, pulcherrimè nobis ob oculos proposuit.

Fructus Virgineæ Platani, corpus videlicet Christi in Eucharistia est medicina contra omnia venena peccatorum.

49. Verè fructus hujusce Virgineæ Platani, corpus videlicet Christi Salvatoris, in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento sumptum, medicina est contra omnia venena peccatorum, maximè si ardenti cum amore, ac pietate sumatur; perinde atque si tunc Infans de Virginis utero velut arbore decerptus, ad instar viridis, sapidissimique fructûs prodijsset. Qui sanè fructus, ut majorem, efficaciorémque vim, ac energiam ad exstinguendum scelerum virus in animabus nostris habeat, immixtus Dominicæ passionis vinô, eam piè recolendo, sumendus est, sic enim veluti elephanti, viso sanguine uvæ ad prælium contra peccata ineundum exacuemur, considerantes illa demum fuisse causam, ob quam DEI Filius suum pretiosissimum sanguinem in eorundem profunderet ablutionem, ac remedium. Quare sapienter monebat Apostolus 1. Cor. 2. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Sive ùt legit Ambros. *repræsentabitis.* Repræsentata enim mentis nostræ oculis Salvatoris Passio, perinde atque ille serpens æneus ab Israëlitis devotè aspectus, vulnera ab ignitis illis serpentibus inflicta sanat, ardorem concupiscentiæ exstinguit, moderatur inordinatas passiones, carnalémque hominem in spiritualem convertit. Quare præclarè S. Cyrillus Alexandrinus Episc. lib. 4. in Joannem cap. 17. ad frequentem hujus diviníssimi hujus Virgineæ Platani fructûs participationem invitans, pronunciavit: *Pias quæso cogitationes suscipias, studiosè, sanctéque vivas, & benedictionem hanc participes, quæ, mihi crede, non mortem solùm verùm etiam morbos omnes depellit: sedat enim, cùm in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationem animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu.* Sic ille.

Passionis Christi recordatio est ille serpens æneus, qui ab Israelitis devotè aspectus vulnera ab ignitis serpentibus inflicta sanat.

S. Cyrillus Alexandrinus hortatur ad frequentem Eucharistiæ participationem.

50. Quapropter sancti Patres præsertim Ambrosius & Augustinus aliique suadent singulis octonis diebus de vitali illo Virgineæ hujus Platani fructu participandum, quô à virulentis peccatorum ceu serpentum morsibus mortales præserventur, & vitâ gratiæ perseverent. Hinc sacro sanctum Tridentinum concilium Sess. 13. cap. 2. Sacramentum hoc peccatorum antidotum, & Dominicæ mortis memoriale appellat, docetque in animæ nostræ Spiritualem, quô ad vitam æternam alatur, fuisse à Christo institutum. Ipsius verba sunt hæc: *Salvator discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suámque annunciare mortem, donec ipse veniat ad judicandum. Sumere autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem cibum animarum, quô alantur & confortentur viventes, vitâ illius, qui dixit: qui manducat me, vivet propter me; & tanquam antidotum, quô liberemur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservemur. Pignus etiam voluit esse futuræ felicitatis, adeóque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cujúsque nos tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis conjunctione adstrictos esse voluit;* quæ verba sanè benè expensa, mirificè animos nostros ad frequentandum sæpiùs hoc Sacramentum inflammant.

Eucharistiæ Sacramentum est peccatorum antidotum, Dominicæ mortis memoriale, pignus futuræ felicitatis.

51. Unde sanctus Bonaventura lib. de processu Rel. cap. 21 docet, quòd licet non possit una communicandi

S. Bonaventura censet omnibus fidelibus semel quot hebdomadis posse concedi sumptionem Eucharistiæ.

candi formula singulis hominum statibus, veluti diversi generis infirmis, una eadémque medicina præscribi, possit tamen semel quot hebdomadis omnibus fidelibus communio Eucharistiæ indulgeri, aliis quoque magis devotis sæpius. Sed ipsum S. Doctorem audiamus *Si verò desiderat aliquis experiri utrùm, meliùs sit sæpiùs, an rariùs Corporis Christi suscipere Sacramentum, videtur mihi quòd non possit omnibus super hæc dari regula uniformis. Varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia, & differentia desideria, multiplicésque S. Spiritûs operationes in singulis, & diversi etiam status in Religione. Et ideò sicut ægrotantibus non potest una forma observari in dandis medicinis corporis, sive propter diversitatem complexionum, aut virium, vel loci vel temporis, vel aliarum considerationum, pro quibus aut rariùs, aut sæpiùs, aut in majore; aut in minore quantitate eadem medicina datur. Ita & de medicina spirituali, quæ est Corpus Christi, intelligendum est. Mundialibus enim curis occupati, rariùs possunt se se ad illud recipiendum expedire, quàm qui tantùm spiritualibus curis & studijs sunt intenti. Et alij magis, alij minùs sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, & morum, conscientiæq; suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius cibi salutarem perceptionem. Alii verò quodammodo terrentur, cùm debent accedere, & nisi conscientia urgeret, & consuetudo Religionis induceret, vel timor majoris à DEO elongationis impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum Sacramentum, vix tamen aliquis ita Religiosus videtur esse, & sanctus, exceptis sacerdotibus, quin semel in hebdomada sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandóque, & raro plùs suadeat, ut infirmitas superveniens, vel singulariter solennis festivitas, vel insitatæ devotionis fervor, & intemperatus desiderij sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit ardorem animæ se amantis refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non nisi à Spiritu sancto infunditur, ideò legibus humanæ consuetudinis, & statutis Mortalium non arctatur: Sicut aliquos quandoque vidimus, licèt paucos, quibus vivere Christus erat, ita ut si non frequentiùs pane vitæ Sacramentaliter reficerentur, quasi vita corporis videretur eis velle jam deficere, pluribus indiciis prodentibus hunc defectum. Et qui ante tam debiles erant, ut nec incessum debitum habere possent, post illius Sacramenti receptionem in tantùm confortabantur, quasi nullam antea sensissent debilitatem, apparente manifestè sententiæ illius veritate: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Nullus enim cibus materialis vel potus posset sic celeriter, & efficaciter non solùm corpus sed etiam animam recreare.* Docet inde ad majorem ex hac Eucharistiæ frequentatione, uberiorémque percipiendum fructum, adhibendam præsertim viris Religiosis, quàm maximam humanæ vires patiuntur, præparationem: *Salubre, & utile est*, inquit, *quod homo se ad illius medicamenti susceptionem præpararet, & quanta devotione valet, illud percipere studeat, & post perceptionem in studio devotionis se conservet attentiùs, maximè Religiosi, & qui se DEO ad perpetuò ipsi serviendum obtulerunt. Sic enim erunt in majori custodia vitæ suæ, & conscientiæ, dum & ante & post Eucharistiæ perceptionem, ob reverentiam ipsius student magis innocenter vivere, & devotionis studio frequenter intendere. Et licèt aliquando tepidè, tamen confidens de misericordia DEI, fiducialiter accedat, quia si se indignum reputat, cogitet, quòd tantò magis æger necesse habet requirere Medicum, quantò magis sentit se ægrotum. Non enim opus est valentibus Medicus. Nec ideò quæris te jungere Christo, ut illum sanctifices, sed ut sanctificeris ab ipso. Nec ideò sacra communio præter-*

Quam maxima præparatio, præsertim à Religiosis viris præviè ad sumptionem Eucharistiæ adhibenda.

termittenda est, si quandóque homo specialem devotionis gratiam non sentit, cùm se ad illam præparare studet, vel cùm in ipsa præparatione, vel post fortè minùs devotum se sentit quàm vellet, quia fortè ex aliqua prædictarum causarum solet illis evenire. Sic Doctor Seraphicus.

Ut cum majori devotione Eucharistia sumatur, varii fines præscribuntur.

52. Ut porrò quispiam majori eum pietatis, devotionísque ardore ad Spirituale hoc animarum nostrarum pharmacum recipiendum accedat, varios cap. 22. fines, eósque optimos, quibus voluntas ad vitalem hunc fructum manducandum quàm sæpissimè moveatur, præscribit; qui sanè cùm ad communicandum vel celebrandum accingimur, ob oculos mentis proponendi sunt, ut in illos tanquam ad scopum tendentes speratum tanti Sacramenti fructum percipiamus: *Aliquos* inquit, *trahit amor DEI, ut dilectum ad se sæpiùs invitent, eúmque in semetipsis delectabiliter amplexentur. Aliquos propriæ infirmitatis intuitus, ut eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos delictorum suorum conscientia, ut per eum quasi per hostiam placationis ab omnibus peccatis expiati purgentur. Aliquos pressura alicujus tribulationis, ut per eum, qui omnia potest, ab omni adversitate citiùs liberentur, & tutiùs protegantur. Aliquos desiderium alicujus gratiæ, vel beneficij impetrandi per eum, cui Pater nihil negare potest pro se intercedentem. Aliquos gratiarum actio pro beneficijs divinis, cùm nihil gratiùs habeat reddere Domino pro omnibus, quæ nobis tribuit, quam calicem salutaris i.e. JESUM accipere. Aliquos laus & honor DEI, & sanctorum, cùm non habeamus majus, quo possimus Deum vel sanctos pro sua dignitate laudare, quàm Christum Deo Patri immolare. Aliquos charitas & compassio proximorum, cùm pro salute vivorum, & requie defunctorum nil efficaciùs interpellat, quam sanguis Christi pro nobis effusus. Hoc est summum auxilium nostrum, cùm oramus DEUM, & illum intercessorem invocamus, qui nos Patri reconciliavit, & semper interpellat pro nobis.* Tandem breviter concludit, quid inter Sacrificandum, aut communicandum postulare oporteat: *Posce, ut ignoscat DEUS malis tuis aut bona det, aut mala tollat, & pro concessis gratis tibi gratijs gratus, & vigil sis.* Hactenus Bonav.

Quam mirabiles effectus in devote sumentibus Eucharistia operetur exemplis comprobatur.

53. Quantoperè verò conferat vitalis hic hujusce Virgineæ Platani fructus, non modò adversus antiqui tartareíque serpentis venena, quæ peccata sunt, uti diximus, ab eis homines præservando, verùm etiam ad conservandam tam animi quàm Corporis vitam, varijs exemplis comprobatur. Certè S. Catharina Senensis hujus augustissimi mysterij frequētatione Virgo planè vitā Angelicam vivere visa est, adeò ut ejus participatione Coporeum cibum fastidiret, & per plures menses nullum omnino sumeret. Cor enim ejus, & caro ejus Angelicô illô cibô abundanter refecta exultabat in DEUM vivum, cœlíque delicijs pasta vitam utriusque hominis mirificè conservabat.

54. Quid de S. Catharina Genuensi dicam? Hæc omnino deficere atque emori quodammodò videbatur, si vel unum diem absque hoc Cœlesti ferculo transegisset.

55. Quid de S. Mechtilde Comitissa, vitæ sanctimoniâ illustrissima dicam? Hæc mira eáque viva illius fame afficiebatur, edoctáque fuit à Domino divinitus optimam ad Eucharistiam dispositionem esse, dum quis non sentit ardens illius desiderium, concipere tamen hujus desiderium desiderij, & optare ac petere à DEO, ut inspiret hujus cibi desiderium, spiritualémque appetitum planè inexplebilem.

56. Quid B. MARIAM Oegniacensem memorem? quàm sublimem hæc sanctitatis gradum Eucha-

charistiæ sacrosanctæ frequentatione acquisivit? Illius virtute Cœlestem verè vitam agebat in terris, imo sine alio cibo vitam corporalem per solum hoc Sacramentum multis diebus sustentabat.

57. Quid alteram MARIAM Ægyptiacam memorem? quæ à B. Virginis Imagine Edessæ illustrata, peccatorum suorum fœditatem detestata, spirituali hôc cibô sumptô abijt in solitudinem, illo quasi duce, illius luce deducta & virtute illus 42. annis viriliter restitit carni, mundo, diabolo, déque illis victoriam magnâ virtutum omnium conquisitâ reportavit.

Evcharistiæ Sacramentum non tantum est esca, sed rapina cordium quod exemplis demonstratur.

58. denique Sacramentum totum cor homini rapit, ac furatur quodammodò, dum eum sui juris esse non patitur, sed totum in se admirabili prorsus ratione transformat. Unde ubi Regius Propheta Psal. 110. de hoc Sacramento loquens cecinit: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se;* loco *escam* legit Hebr. *Tereph.* quod etiam *prædam, & rapinam* significat, unde Jacob de Christo loquens sub typo Judæ Gen. 49. *ad prædam fili mi ascendis, sive à præda,* locò *præda* est vox *Tereph,* quæ etiam uti diximus, *escam* significat. Quæ sanè sanctissimi Sacramenti esca meritò præda & rapina dicitur à suo effectu, quia rapit & prædatur corda eorum, qui eam cum puritate cordis sumunt, & à se sensibúsque omnibus interdum vehementia amoris alienat. Rem admirabilem ad hoc confirmandum narrat Pater Fernandez in cap. 49. Gen. se. 6. n. 17. *Certè,* inquit, *unus è societate nostra juvenis adhuc, cùm die Dominica inter suos fratres publicè, ut moris est, in Templo Sacram de manu Sacerdotis hostiam acciperet, subitò insolitum quoddam passus deliquium, soporatus, penéque amisso anhelitu à Templo sublatus, mortuo similis in lectum projicitur. Ergo Medicus nostra ætate celeberrimus, primarius in Academia Conimbriensi Professor, Thomas à Vega confestim accersitur: attrectat venam, pertentat diligenter: atque ut erat & peritissimus & perspicacissimus morborum indagator, hunc etiam apprimè collegit: O me,* inquiens, *beatum, si morbo hujusmodi correptus, & sensum & vitam corporis amitterem! Est equidem iste amoris languor. Ac certissimè quidem morbi causam attigit: quo morbi genere complures ubique post acceptam sacrosanctam Evcharistiam elanguisse passim, & historia memorat, & fama celebrat. Prædatur corda, prædatur sensus, utique velut pulcherrimum amuletum cordium, potentissimum amatorium animarum scilicet philtrum.* Sic ille.

59. Hæc cœlestis esca sanctam quoque Theresiam totam ad se rapuerat, ejúsque cordis affectum omnem, sensus item ac potentias omnes deprædata fuerat, tum sæpè aliàs totius pene vitæ decursu, cùm circa extremum ex hac vita exitum. Unde P. Franciscus Ribera noster lib. 4. ejus vitæ cap. 12. *Quotiescunque vivificantem illum panem acciperet, ut plurimùm mente extra se rapiebatur; sæpè quidem, ut à parva fenestrella, per quam sacra Synaxis illi administrabatur, avelli non posset, nisi ab aliis inde auferretur. Toleti etiam contigit, ut, cùm æditua nesciret, quid illi fieret, omni ipsam conatu in pedes quidem consistentem, sed in raptu parieti adhærentem aliqua in sella collocare voluerit, & dexterâ illius apprehensâ non aliter ipsam obriguisse immobilem viderit, quàm si saxum aliquod iners fuisset, donec tandem sensibus reddita est.* Circa postremam verò ipsius vitæ periodum, affectum ejus in sacram Evcharistiam, eam totam ad se rapientem ita describit idem Ribera lib. 3. cap. 15. *Ut primùm in conspectum prodiit, & cubiculi*

sui januam subire eum vidit Dominum, quem tam ardenter ipsa diligebat, etsi anteà adeò infirma ac prostrata esset valetudine, & ita morbi obsessa angustiis, ut locô se movere non posset, animosa lectô, nemine auxiliante se se violenter extulit, perinde atque si eodem exilire vellet, & ipsam contineri oportuerit. Facies autem ejus insolitam induere pulchritudinem, ac velut radios flammantes ejaculari, & alia longè, quàm aliàs apparere cœpit, simul etiam Majestatem quandam verendam, & non eam vitæ ætatem, quâ erat, sed longè minorem præferre, Tum illa velut candidissimus quidam Olor, manibus junctis, maximo cum Spiritu & gaudio interiori repleta, vitæ instante termino, majori quàm unquam hactenus vocis suavitate canere orsa est, & cum summo suo Bono, Dilectissimóque quem suos jam ante oculos habebat, colloquens, atque hæc inter cætera: Venit jam Domine mi, & Sponse optata illa quam toties expetivi hora. Jam tempus est, ut invicem conspiciamus. Jam eundi tempus est Domine, quod felix, faustúmque sit, fiat voluntas tua. Venit jam tandem hora, quâ hôc egrediar exiliô, & anima mea simul tecum fruatur eô, quod tantoperè concupivit. Ita sanctissima illa anima tota ex præsentia Divini Sponsi extra se posita, & illius Divini amoris præda facta, in eúmque absorpta. Ex quibus omnibus mirificos planè, ac divinos hujusce Sacramenti fructus licet colligere. Qui sanè attentè considerati, fideles omnes, cujuscunque tandem statûs sint, ad hoc sacratissimum mysterium magna animi puritate frequentandum, deberent inflammare, quô proculcatis mundi hujus illecebris, ac lenociniis toti à carne, sensibúsque alienati, & rapinâ, prædáque sui cordis divinitus factâ toti in Deum abripiantur.

60. Quapropter Christus Dominus Sponsæ suæ Gertrudi, ut refert Venerabilis Blosius cap. 6. Monilis Spirit. indicavit omnes tam Religiosos quàm Laicos culpæ mortalis minimè conscios, ab eóque abhorrentes, sæpiùs communicare posse, etiamsi variis culpis venialibus, sive infirmitatibus animi subjaceant; dummodò bonæ voluntatis nunquam Deum offendendi sint: *Sive in matrimonio*, inquit Dominus, *sive extra matrimonium sint, sive emant, sive vendant, seu quavis alia ratione sibi victum parent, si bona voluntate præditi, ex DEI Gratiâ à gravibus culpis se se continent, & secundùm præcepta DEI & Ecclesiæ vitam dirigere volunt, cum confidentia in solemnitatibus, vel frequentiùs secundùm confessarii consilium debent Eucharistiam sumere. Quia licèt in leviores culpas sæpiùs cadant, & rebus externis multipliciter occupentur, pro viribus tamen justitiam sectari optant, ob idque DEO placent.* Ita Dominus.

Christus S. Gertrudi indicavit omnes tam Religiosos quàm Laicos culpæ mortalis minimè conscios ab eáque abhorrentes sæpiùs communicare posse.

61. Eidem sanctæ Virgini alia vice pro quadam moniali oranti, quæ indiscretô pietatis zelô reliquas sorores à frequentiori communione deterrebat, idem Salvator ita locutus fuisse ibidem memoratur: *Cùm deliciæ meæ sint esse cum filiis hominum, & ego ex charitate in mei memoriam Sacramentum istud sumendum fidelibus reliquerim, & per illud cum illis in finem usque sæculi remanere velim, quicunque alios à mortali immunes, verbis vel suasionibus ab ejus perceptione retrahit, is quodammodò interrumpit delitias, quas cum illis habere possem*: estque similis severiori cuidam Pædagogo, qui repellit à Filio Regis ignobiles & pauperes ejus coætaneos, quorum consortiô delectatur, judicans magìs congruere Adolescentulo, ut Regali fruatur honore, quam ut cum illis ludat in plateis.

Qui fideles mortalis culpæ expertes retrahit à frequentiori comunione, is quodammodo interrumpit Christo suas delicias.

62. Frequentationis hujusce Sacramenti uberes fructus S. Elzearius Comes agnoscens, inter reliquas, quas familiæ suæ leges observandas san-

Elzearius Comes quàm Religiosas leges familiæ suæ præscripserit

sancivit, ea non fuit in postremis, ut scribit Surius 27. Septemb. *Ut inprimis omnes ex ea domo tam mares quam fœminæ quotidiè ut minimùm unum sacrum, in quo memoria hujusce Sacramenti peragitur, integrè ac devotè audiant.* Deinde vivant castè ac purè, qui secus facerent, eos sua domo expellebat. Nolebat enim ut quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccatô mortiferô implicatum, ne alios inficeret, & ne ipse ejus peccatum fovere videretur. Tertio ut nobiles ac milites, itémque Virgines ac Matronæ qualibet hebdomada semel confiteantur peccata sua, & singulis mensibus devotè percipiant Eucharistiæ Sacramentum. Ipse verò ut cæteris exemplô præluceret, omnibus Dominicis Quadragesimæ, & adventûs præter alios dies festos ac solennitates, piissimè ad hoc cœleste convivium accedebat. Unde factum, ut tanta sanctimoniæ, Virginitatis, aliarúmque plurimarum virtutum laude in conjugio floruerit, totique orbi fuerit admirationi.

63. Noverant nimirum hæ sanctæ animæ, Virgineam hanc Platanum bonorum operum fructibus abundare, de quibus sine dubio suis clientulis, qui sub ejus umbra delitescunt, si de benedicto ventris ejus fructu participarent, esset pro ingenita sibi pietate communicatura. Hinc Hugo de S. Victore in Inst. Monast. Serm. 47. *Platanus*, inquit, *à latitudine foliorum dicta est*, *vel quòd ipsa arbor patula sit & ampla.* Nam Græcis πλατὺ latus vocatur. Folia autem bona opera significant? Quemadmodùm enim vestitur & ornatur suis foliis arbor; sic justus operibus bonis. Benè ergo beata Dei Genitrix, velut Platanum juxta aquas se extitisse dicit, quia donis irrigata Divinis, in bonis operibus dilatata semper fuit: Hinc est, quòd postquam

Platanus Virgin. foliis bonorum operum abundabat.

nuncium Angelicum, quod Dei Mater esset, accepit, illico in montana Judææ ad Elisabeth perrexit, non ut verbum Angelicum mulieris attestatione probaret, sed ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet.

64. Quid demum de illa Platani proprietate dicam, quâ aliquando in oleam admirabili metamorphosi transmutatur? unde Plinius lib. 7. cap. 29. ait: *Laodicea, Xerxis adventu Platanus in oleam mutata*; addit Scaliger Exercit. 169. *quamquam occultam fortasse naturæ subesse proportionem putandum est*: Ex Platani enim baccis, aquâ maceratis, oleum fieri memoriæ proditum est. Ex qua Platani proprietate intelligimus protectionem Deiparæ, quâ velut Platanus umbrâ suâ mortales omnes tuetur, esse ipsam Virginis misericordiam, adeò, ut dicere possimus Platanum protectionis Virgineæ, in oleam pietatis esse commutatam. Neque enim protegeret, nisi misereretur, nec misericordiæ suæ viscera nobis reserare sufficienter videretur, nisi nos sub umbra defensionis suæ confoveret.

Platanus aliquando in oleam transmutatur.

Platanus Protectionis Virgineæ in oleam misericordiæ est commutata.

65. Quòd porrò Platanus etiam oleum, quòd nutrimentum est lucernarum, proferat, indicat Virginis protectionem mentium nostrarum lucernas accendere, & peccatorum nostrorum tenebras effugare. Hujus Platani Oleô lucernam intellectûs illustrari desiderabat S. Bonav. cùm Psal. 26. illi piè modulabatur: *Domina illuminatio mea! sit splendor faciei tuæ, & serenitas gratiæ tuæ refulgeat menti meæ: Ne avertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuum à juventute mea concupivi.* Eodem Platani oleô lucernam intellectûs sui repleri idem Pater Seraphicus exoptabat. Cùm rursus Psalm. 69. illi concinebat:

Sicut Platanus oleum quod nutrimentum est lucernarum profert, ita B. V. lucernam intellectus nostri illuminat.

Domina in adjutorium meum intende, & luce misericordiæ tuæ illustra mentem meam. Doce nos exquirere bonitatem tuam ut enarremus mirabilia tua. In Cantico denique Zachariæ hujus Virgineæ lucernæ lumen exoptans ita canit: *Per te dedit scientiam salutis plebi suæ, in remissionem peccatorum eorum. Per viscera multitudinis misericordiæ tuæ, visita nos stella matutina oriens ex alto. Illumina tenebras sedentium in umbra mortis, & eas luce dilectissimi Filij tui digneris illustrare.* Oleô quoque Virgineæ misericordiæ perungi exoptans, quo à peccatorum miseriis liberetur, ita concludit. *Miserere misericordiæ Mater nobis miseris peccatoribus, qui retrò acta peccata pœnitere negligimus, & multa quotidie pœnitenda committimus.*

Oleo Mariano, id est invocato Nomine MARIÆ S. Edmundus Episcopus Cantuar. illuminatus fuit.

66. Oleô lucernæ hujusce illuminari videbatur S. Edmundus Episcopus Cantuar: Cùm coram eburneo Deiparæ simulacro vitæ, passionisque Domini nostri mysterijs undique circumdato, literis operam dabat: Cui dum aliquando ita studijs invigilanti lucerna esset extincta, gemebundus Nomen dulcissimum sanctissimæ DEI Matris appellavit, atque mox, mirum dictu cernit sibi lumen cælitus esse restitutum. Nimirum Virginis Nomen lucerna est quædam, longè diviniori luce resplendens: Oleum est, quod lumen mirificum in mentibus nostris accendit, assiduèque nutrit. Unde Alanus ponderans illud Cant. 1. *Oleum effusum Nomen tuum* miros olei hujusce divinissimi nobis exponens effectus, ita loquitur: *Et eleganter fama & gloria Nominis ejus oleo effuso comparatur:*

Oleum Nominis MARIÆ comparatur cum Oleo materi aliquo ad effectus.

Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic & in laude Virginis reficimus, exemplô ejus ad virtutum medicamina invitamur, adversitatibus fessi ejus patientiâ recreamur, vita ejus formâ illustramur. Nominis fama diffunditur, & non solum oleo, sed & oleo effusum magis redolet, sic quantò magis Nomen Virginis dilatatur, tantò magis gloria augetur. Hæc Alanus.

67. De eodem Virginei Nominis oleo præclarè quoque Card. Holgrinus: *Ideò* inquit *ab Adolescentulis B. V. meritò diligitur, quia oleum effusum Nomen suum: Nam sicut oleum reliquum liquorem supernatat: Sic Nomen ejus, & invocatio Nominis ejus omnium Sanctorum Nomina ac invocationes superexcellit, superatque in efficacia subventionis, obtentu divinæ gratiæ, quæ verum animæ lumen est, dæmonúmque fuga.*

Quando Nautæ se immergunt Mari, oleum deferunt in ore, & illud emittunt, fitque pellucidus fundus aquæ: sic devota invocatio Nominis MARIÆ & doctrina, ac gratia ejus, rerum latentium intima faciunt manifesta.

68. Mirificam hanc Virginei olei lucem pulchrè describit Rich. à S. Laur. lib. 1. cap. 2. Nam ubi docuisset Deiparæ Nomen oleum esse mox addidit: *Oleum hoc illuminat intellectum nostrum: Quia MARIA illuminatrix & stella maris interpretatur.* Istius enim Nominis excellentiam ipso etiam prolationis modô notavit B. Lucas, cùm illum tam reverenter expressit cum pondere: *Et nomen Virginis MARIA.* Ostendens, hoc nomen multum habere eruditionis & gratiæ, & altiùs memoriæ commendandum, & diligentiùs investigandum. *Sicut enim*, dicit Hieron. *quando nautæ ob causam aliquam mari se immergunt, oleum deferunt in ore, & illud emittunt, fitque pellucidus fundus aquæ: Sic etiam devota invocatio Nominis MARIÆ, & doctrina ac gratia ejus, rerum labentium intima, faciunt manifesta.* Unde B. Bernardus: *Tristatur aliquis? continuò ad Nomen MARIÆ cadit nubilum, redit serenum.* Ecce quomodo illuminat oleum istud? Hugo denique de S. Victore apud eundem Rich. cap. 4. non modò Virginem fuisse oleum illuminans, verùm etiam vas oleô plenum in utero gessisse ait, cùm novem mensibus JESUM, cujus oleum quoque effusum Nomen est, in

Jesus in utero Virginis vas oleo plenum, ex quo B. V vas quoque oleo gratiæ ac misericordiæ redundans, & quidem indefectibiliter effecta.

in utero suo tanquam Virgo longè prudentissima gestavit, & hanc etiam ob causam fuisse gratiâ plenam dici posse: *Rectè dicta es gratia plena*, inquit ille, *& in tantùm plena, ut ex tuo redundante totus hauriat mundus. Si enim prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, tu prudentissima Virgo, & Virgo Virginum, non unum tantùm vas habuisti, oleô gratiæ repletum, quô lampadem tuam extinguibiliter ardentem nutrires, sed aliud gestasti vas redundans & indeficiens, ex quo effusô oleô misericordiæ omnium lampades illuminares. Prudens ergo fuisti, ut tibi provideres, nec timida ut aliis subvenires: Nec dixisti: ne fortè non sufficiat mihi & vobis, sed sciens quòd sufficeret & tibi & nobis, & sufficienter retinuisti, & sufficienter tribuisti. Lumen in Lampade fuit in carne Virginitas, oleum in vase in corde humilitas. Erat quoque aliud vas Verbi, Humanitas in utero tuo, O gratia plena, ex cujus plenitudine tu quoque accepisti, & postea partu intemerato nobis propinans, ipsum indeficiens vas tribuisti, ut ex illius plenitudine effunderetur, quo & lampades nostræ extinctæ illuminarentur, & vasa replerentur, sic gratiæ plenâ fuisti, cùm de terra carnis tuæ fons gratiæ erupit, ut manaret super omnem terram.* Hæc ille. Ex quibus colligere, possumus Deiparæ Filium ulnis gestantem, menti nostræ candelabrum quoddam esse, quod velut lucernam oleò plenam JESUM nobis præfert, quô ignorantiæ nostræ tenebras illuminet, divinaque luce perfundat.

Deipara filium ulnis gestans menti nostræ candelabrum est, quod velut lucernam Jesum nobis præfert.

69. Cùm igitur Sacratissima Deipara tam mirificè Platani naturam, omnesquè proprietates repræsentet, digna sanè est longè ampliori cultu, ornatûque majori ac veneratione, quàm illa à Xerxe tantis in delicijs habita, ut orbi universo non modicam pepererit admirationem. De quo Ælianus lib. 2. cap. 14. & Caussinus ilb. 10. Hierogl. 61. *Ridiculus profectò Xerxes ille*, inquit, *est, quod dum mari terrisque Jovis operibus posthabitis, nova itinera, & insolitam navigationem sibi parâsset, servivit Platano & arborem coluit.* In Cydia igitur, ut ajunt, cùm vidisset proceram Platanum, diem solidum ad eandem exegit, nulla postulante necessitate, & castra posuit in solitudine circa Platanum; sed & multiplicem, ac pretiosum ornatum ex ea suspendit, torquibus armillisque ramos veneratus, & curatorem ei reliquit, quasi custodem & propugnatorem amasiæ. O si hæc faceremus nos in honorem illius, quam arbor hæc repræsentavit! O si omnibus, quibus possumus illam decoraremus ornamentis, & divitias omnes ac gazas, nec non auri, argenti gemmarúmque omnium in ea ornanda exhauriremus thesauros, sapientiùs sanè quàm Xerxes ageremus, qui in insensibili, ac ratione carente ornanda creatura adeò profusus fuit. Icon verè, ut loquitur Caussinus noster, humanæ stultitiæ: Homines ad maxima nati & facti à DEO, vilissimarum rerum amore, cogitationes inquinant suas; ea enim amant, quæ redamare non possunt, & singularibus ornamentis afficiunt: quæ ab ornamento omni aliena sunt: Sapientiùs inquam ageremus; sic enim æviternam æmulari videremur sapientiam, quæ Virginis hujus Sacratissimæ ornandæ studium mirificum verbis illis præsetulit Cant. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Hæc enim verba ait Cardinalis Halgrinus esse sanctissimæ Trinitatis cupidæ, omnibus gratiæ, donorúmque cœlestium monilibus Virginem locupletare. Et verè mirificè locupletavit simul ac venustavit, adeò, ut cœlestis Sponsus admiratione suspensus in tanto ornatu dixerit: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis*

Xerxes Platenum ut deam coluit.

Nos sapientius Virgineam Platanum omni venerationis genere colamus.

SS. Trinitas qualiter exornaverit MARIAM.

Sponsus divinus laudes canit MARIÆ.

turis, collum tuum sicut monilia: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Cant. 1. Et rursus Cant. 7. *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis: Junctura femorum tuorum sicut monilia, qua fabricata sunt manu artificis.* Quæ verba expendens idem Cardin. Halgrin. *Hæc sunt,* inquit, *verba Filii, qui ad laudes Matris iterum assurgit, ostenditque, quòd meritò sit desiderabilis ad videndum, cùm sit cincta bysso, & calceata Hyacintho. Nam cogitationes ejus & opera decore spiritualis devotionis & intentionis, velut pedes in calceamentis Hyacinthinis resplendebant, & quia erat cincta bysso castitatis, & Virginitatis adstricta baltheo, ideò junctura femorum suorum non solùm dicitur casta vel pulchra, sed etiam castitatis monitoria, propter quod monilibus comparatur, quasi castitatem monentia. Nam ad continentiæ munditiam ipsa nos per exemplum commonet, & invitat. Hæc autem monilia dicuntur fabricata manu artificis, Spiritûs sancti videlicet.* Sic ille.

Monilia Sponsæ admonent nos Castitatis & Virginitatis sectandæ.

70. Atque ne exteriorem duntaxat Sponsæ ornatum describere & laudare Sponsus videatur, de interiori, quem ma gis longè suspicit, ita loquitur Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum, absque eò quòd intrinsecus latet,* sive ut legêre 70. Interp. *præter silentium tuum.* Quod elogium ponderans Psellus apud D. Theodoretum lib. 2. in Cant. 1. *Interiores,* inquit, *Sponsæ oculos laudat, cùm ait: præter silentium tuum. Q. D. oculos tuos exteriores commendavi, interiorum enim laudes nulla assequi potest oratio.* Interiorem porrò Sponsæ aspectum S. Theodoretus censet esse rerum divinarum contemplationem, omni creatæ menti incomprehensibilem: *Oculos,* inquit, *appellat columbæ spiritualem eorum commendans contemplationem, quò ad ea, quæ sensibus subjecta sunt, non aspirant, sed quæ sursum sunt quærant: ubi Christus est in dextera DEI sedens.*

Prosequitur laudes Marianas Sponsus divinus.

71. Eundem interiorem Sponsæ oculum, quo Divina contemplatur, ejusdémque animæ venustatem, Richar. de S. Victore cap. 15. in Cant. ita descripsit: *Illa, quæ cum Christo secretè in cubiculo cordis versas, quis foris describere queat? Illam confabulationem, mutuam, ausum loquendi ad eum, consolationem ab ipso acceptam, sive revelationem, unitatem animorum, concordiam voluptatum, amorem mutuum, zelum justitiæ & animarum, desiderium visionis, & fruitionis DEI, peregrinationis tædium, dissolvendi cupiditatem, quis foris intelligat, vel exprimat verbis? Nunc unitur DEO, ut unus Spiritus efficiatur cum eo, nunc ita absorbetur à Spiritu, ut in carne se commorari non recolat, nunc aliqua arcana divinæ aspirationis cognoscit, quæ priùs non agnoscebat. Nunc autem ita jungitur DEO, & junctum sibi DEUM sentit, & omnem voluntatem suam ita in DEUM transfert, ut DEI voluntatem vel intelligat, vel ad suam hanc inflectat. Ex ea enim puritate cordis, qua DEI voluntati in omnibus concordat, etiam hanc intelligit, eámque ad suum placitum flectere digna sit. Nunc ita DEUM per amorem sibi jungit & attrahit, ut quasi solum hunc habere se credat; nunc in eum ita dilatatur & transit, ut in eo per charitatem omnem hominem comprehendat, omnesque lumine, quô illustratur, videat, & omnibus (qui una & simili charitate) compatiatur & condescendat.* Hactenus Richardus. Quibus sanè mirificam Virgineæ animæ pulchritudinem, ac venustatem, ex intima cum cælesti Sponso familiaritate & conversatione, divinorum contemplatione aquisitam, nobis ob oculos posuit, ostenditque, quantis quámque speciosis monilibus, torquibus, armillis, aliisque or-

Pulchritudinem internam MARIÆ describit Richardus à S. Victore.

ornamentis longè fœliciùs; quàm illa Xerxis Platanus divinitus faceret decorata ac locupletata.

72. Vidit hujusce Virgineæ Platani pulcherrima ornamenta Joannes Gerson Cancell. Parif. Tract. 4. in Mag. cùm eam omnium creaturarum pulchritudine exornatam fuisse pronunciavit: *Primum Nomen, quô MARIA legitur in Canticis nominata per Sponsum, fuit: O pulcherrima mulierum! Verè pulcherrima, quæ pro superba mystica Vasthi Eva, superno Regi non Assuero, sed DEO meruit copulari, gratiam inveniens in oculis ejus, quam adamavit super omnes Mulieres. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Sed conabimur inaniter, si verbis æquiparare volumus pulchritudinem ejus, quâ sub DEO major nequit intelligi, colligens in se omnes pulchritudines sparsas in creaturis: Ita ut sit verè una speciosa unius Sponsi, una perfecta sua, una Matri suæ, electa Genitrici suæ, quæ Genitrix est gratuita DEI bonitas, quæ pulcherrima, pulcherrimam sibi fecit.* Tum nonnullis intercalatis, cùm Discipulus objecisset: *num pulchritudine, quæ reperitur in primo Angelo, in gemmis, herbis, verbis, industrijs quoque, aliam in donis hominum gratuitis MARIÆ formositatem ornabis vel coronabis?* Respondetur in persona Magistri: *Ornabo planè & coronabo. Circumdatur quippe omnibus ac singulis, quasi vestimentô decorô, multimodâ varietate depictô, quorum omnium virtutes insignes continet non quidem formaliter, sed eminenter. Unde si non habet naturalia, qualia gerit Angelus etiam damnatus, jam ideô tamen est admirabilior & eminentior MARIÆ pulchritudo per gratiam, quæ naturam tam inferiorem, quam sublimiorem copiosiùs ornat & perficit.* Sic Gerson.

Pulcherrima Virgo pro superba mystica Vasthi, Eva, superno Regi, non Assuero, sed Deo meruit copulari.

73. Vidit etiam Virgineæ hujusce Platani decora, armillas, torques, ac monilia, variúmque quasi mundum muliebrem Seraphicus ipsius Psalmista Psal. 23. Cùm illi ita modulatus est: *Gloriam & decorem induisti, omnis lapis pretiosus, amictus & operimentum tuum. Splendor solis super caput tuum, lunaris pulchritudo sub pedibus tuis. Sidera micantia ornant sedile tuum, astra te glorificant jugiter matutina.* Et rursus Psal. 58. ut ostendat Angelorum Primatis omnia illi collata ornamenta, gemmásque, quibus Ezechiel opertum illum à Creatore suo fuisse memoravit, ita cecinit: *Exurge in occursum meum Regina pietatis. Aurum Obrizum in ornamentis tuis, Sardius, & Tpoazius in diademate tuo. Jaspis & Amethystus in dextera tua, Berillus & Chrysolithus in sinistra tua. Hyacinthus & Achates in pectore tuo, Carbunculi scintillantes in monilibus tuis. Atque ut pretiosorum odorum ornamenta illi minimè defuisse videantur*, addit: *Myrrha, thus, & balsamum in manibus tuis, Saphyrus & Smaragdus in digitis tuis.*

Pulchritudo MARIÆ incomparabiliter excessit ornatum Luciferi ante lapsum.

74. Similia ornamenta in hac Virginea Platano vidit S. Amad. Hom 2. de Laude B. V. *Primo*, inquiens, *omnium virtutum decore meruit ornari. Unde Angeli mirantur Puellam castissimam Matrem Domini, cœlique Reginam mox futuram, & in his erumpunt vocibus admirationis & laudis: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? Quid est dealbata, nisi albis vestibus ornata? ornata scilicet ornatu decoris, & honestatis; justitiæ & sanctitatis. Hæc sunt vestimenta, quibus* Isajas 52. *hortatur Hierusalem, ut excussa de pulvere induatur vestimentis gloriæ suæ. Et per exprobrationem primo Angelo dicitur.* Ezech. 28. *Et tu signaculum similitudinis in Paradiso deliciarum DEI fuisti, omnis lapis speciosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, Jaspis, Chrysolithus, Onyx & Berillus, Saphyrus, Carbunculus & Smaragdus. Sciendum verò, quòd hæ vestes albæ sunt & odoriferæ, pre-*

Varia ornamenta B. V. recenset S. Amadæus.

tiosæ & variæ. Albæ propter innocentiam & puritatem, & lucis æternæ candorem: Odoriferæ propter fragrantiam opinionis & bonæ famæ: de pretiositate & varietate earum cùm Psalmista speciosô formâ præ filiis hominum, de laude Sponsæ loqueretur, cecinit. Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate. Non solùm autem vestitu deaurato, & fimbriis aureis decoratur, verùm etiam veste stragulata, quam fecit sibi, ut ait Salomon, & omni lapidi pretioso cooperitur, nulla enim gemma, nullus lapis pretiosus, nulla preciosa Margarita huic deest operimento, ut non jam simpliciter pretiosum, sed omni pretiositate pretiosum jure appellari queat. Nam sicut una pretiositas momento momenti, imò ultra omne momentum, & partem momenti discurrens, multas efficit pretiositates, sic multa in unam conveniunt, ut unius participatione in una sint unum. Et hæc pretiositas est charitas, vestis scilicet nuptialis, vestis non habens maculam aut rugam, vestis impartibilis, inconsutilis, desuper contexta per totum, qua, per quam & in qua sunt omnia chara quæcúnque chara sunt, omnia bona, quæcúnque bona sunt. Alia ornamenta illud caput altissimum, collúmque bene ornant & velant. Alia crines & aures, alia pectus & brachia, alia manus & digitos: Annuli ornant digitos, quia singula opera ejus fide & dilectione clarescunt: Annulus enim significat fidem & castam dilectionem. Manus ejus tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis; tornatiles propter perfectionem operis; aureæ ob fulgorem sapientiæ, plenæ hyacinthis ob puram & fervidam intentionem. Hyacinthus autem Cæruleus & rubeus lucidum & fervens opus demonstrat. Brachia ejus eo sunt impressa signaculo, de quo Sponsus in Cant. 8. *Pone me ut signaculum super brachium tuum, aut certè ejus dexteram operit ignea lux, & sinistra rutilat purpurâ Dominicæ Passionis; auribus dependent inaures. Crines ligat vitæ disciplina, pectus exornant monilia mundissimarum & lucidissimarum cogitationum. Torquis aureus additur collo ejus: Hoc soliti sunt secundi in Regnis coronari, & hæc est secunda corona. Prima námque præfulget in terribili capite Dominatoris universæ terræ: Secunda cecidit in sorte Matris ejus; Ipsa enim singularis regnat in Regno DEI & Christi, de hinc sub illa, & post illam sancti altissimi.* Sic ille.

75. En quàm varium, quàm speciosum Virgineæ huic Platano divinitus concessum est ornamentum? O si nos, qui sub ipsius protectionis umbra degimus, eisdem pro posse nostro eam decorare niteremur ornamentis, rem sane longè sapientissimam ac longè gratissimam eidem exhiberemus. Torques porrò armillas, monilia, gemmas, aliáque hujusmodi mundi muliebris decora, quæ fœminis vanissimis mundi hujus ludibriis grata esse consueverunt, censuerim Virgini nostræ Angelicas esse salutationes, ipsius laudum elogiorúmque elucidationes, operum misericordiæ aliorúmque virtuosorum actuum exercitationes, ipsius integerrimæ vitæ, virtutúmque heroicarum æmulationem, crebram in horas singulas ipsius Nominis auxiliíque per jaculatorias orationes invocationem. Hæc nimirum aliáque hujusmodi, sunt Virginis Beatissimæ torques, hæc armillæ, monilia, lapillíque pretiosissimi, quibus cùm se à clientulis suis exornatam undique circumspicit, mirificè lætatur, ac tota gestire quodammodò videtur, ita ut in novas, rursus DEI laudes prorumpere videatur, concinendo. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.*

Quænam ornamenta sint, quibus Beata Virgo desiderat à nobis exornari?

76. Hæ nimirum videntur coronæ,

næ, Angelicis salutationibus, seu rosulis gemmísque Pretiosissimis contentæ, quibus eam omnes gentes, nationes, generationésque coronant, dum juxta ipsius vaticinium eam beatam deprædicant. De quibus coronis, inter reliqua ipsius totius corporis ornamenta, quæ fusè Amadeus describit Hom. 2. Sic loquitur: *Caput ejus Virginitatis gloriâ obumbratur, & charitatis coccino velatur. Benedictio Domini super illud, & benedictione omnium gentium repletur. Coronatur etiam coronis omnium populorum, & exultatione cunctorum promovetur. Cerne in decore diadematis ejus sanctorum concentum, vibratum à repercusso lumine, cerne sculptos lapides, gemmas vernantes, stellas coruscantes, Patriarchas expectantes, Prophetas præmonstrantes, Apostolos comitantes, Martyres triumphantes, Confessores & Virgines exultantes.* Atque ut coronam illam Virginis Rosarium esse intelligamus, Angelicis salutationibus ceu rosis liliis, aliísque floribus contextum, mox hæc attexit: *Corona illa rubet rosis, lilijs albescit, pallescit violis, viret laureis, palmis densatur, oleis impinguatur, omni fructu repleta, omni suavitate referta.* Hæc Amad.

Coronæ, quibus B. V. coronamus, rosarium est angelicis salutationibus contextam aliaque pia opera.

77. Quàm porrò conveniens, decensque videbatur, ut Virgineam hanc Platanum nostris exornemus obsequijs, ac muneribus, eámque Angelicis salutationibus, quàm maximo possumus: affectu veneremur. Venerabilis Richar. à S. Laur. lib. 1. cap. 4. luculenter ostendit: *Si tam affectuosè*, inquit, *& sedulò salutamus, caput nudamus, inclinamus, assurgimus, genua flectimus, salutatione toties replicata familiares & cognatos, magnatúmque socios, quorum consilijs, & auxilijs in curijs indigemus, & ipsorum benevolentiam captamus xenijs, & muneribus & quibuscúnque valemus modis: quid potissimè faciendum Matri in curia unigeniti sui? cui non solùm efficaciter supplicare, sed etiam Materna auctoritate prævalet imperare?* Nam ut B. Card. Petrus Damiani Ser. 1. de Nat. B. V. Deiparam alloquens, ait: *Nil tibi impossibile, cui possibile desperatos in spem beatitudinis relevare, quomodò enim illa potestas tua potentia poterit obviare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans, sed imperans, Domina non Ancilla.*

Quàm convenïens, quàm decens sit ut tum rosario, tum alijs obsequiis B. V. veneremur.

78. Quàm verò grata, quàm accepta hæc corolla Angelicis salutationibus, ceu gemmis pretiosissimis, ceu rosulis, liliisque composita ac distincta, huic Virgineæ Platano sit, & quantoperè sibi in ea complaceat, quámque promptè nostra hæc in se remuneretur obsequia, ibidem vir pientissimus variis congruentiis declaravit: *Si Joculator*, inquiens, *esuriens ad plenam divitis mensam cantaverit, numquid ei cibus negabitur? Similiter, si quis temporalia contemnens, & gratiam esuriens, veniat ad mensam Matris Domini, toto corde & affectu concinens: Ave Maria: numquid ipsius largitas ei gratiam poterit denegare? saltem ex quo gratiæ plena est, vel aliqua gratiæ fragmenta largietur, Ipsa enim favus melleus est, cui dicitur* Cant. 4. *favus distillans labia tua, qui si benè compressus fuerit tactu labiorum devotè orantis, dulcedinem melleam facilè distillabit. Ipsa Vellus Gedeonis madefactum rore gratiarum* Judic. 6. *quod compressione levissima devota salutationis larga distillavit stillicidia super terram cordis humani. Ipsa Virga est gracillima per summam humilitatem, quæ flatu auræ tenuis vel humilis salutationis, vel orationis facilè poterit inclinari, inclinata verò secum afferet florem & fructum suum. Quod si quis assiduè Magnatem aliquem aut potentem salutaret, licèt indignabundum, ac superbum, non esset tam illiberalis, quin salutatorem*

Quàm grata, quàm accepta sit devota Rosarii recitatio Beatissimæ Virgini.

Quàm facilè impetremus illius beneficia & favores.

suum, aliquando saltem ejus victus importunitate resalutaret, juxta illud Eccl. 43. *Erubesce à salutantibus de silentio. Numquid magis indignantis natura erit Mater misericordiæ & mulierum humillima! Absit: Resalutat autem ipsa nos, beneficia nobis tribuendo. Satis enim probabile & credibile est, quod si quis sæpè B. Virgini salutationem Angelicam replicaret, & Benedictum fructum ventris ejus benediceret, ipsum benedictum fructum, à benedicta Matre quandóque in præmium reportaret.* Hæc ille.

Quare Mater Dei cum Infante Jesu in ulnis pingatur.

79. Unde P. Salmeron unus è primis decem S. Patriarchæ nostri Ignatii Sociis Tom. 3. tract. 4. *Pingitur*, inquit, *de more B. Virgo cum infante JESU in ulnis, & pectori admoto, tanquam reliquia quadam pretiosissima, & Agnus DEI vel monile pendens ex collo, & ut proponat nobis illum ad adorandum, ut fecit Magis, & ut se promptam indicet atque alacrem ad illum nobis ostendendum, atque oscula etiam amoris imprimenda donandum. Ad hæc quò demonstretur excellentia præstantiáque MARIÆ. Nam ut B. Catharina cum Rota, & B. Laurentius cum craticula, quæ cædis illorum sunt insignia, depinguntur, ita magnitudo & præstantia B. Virginis, quâ genuit Filium DEI illúmque toti mundo enutrivit atq; educavit (quod omnes omnium Sanctorum prærogativas, & excellentes animi dotes, quibus illi claruerunt, longè superat) meritò est à nobis meditanda & contemplanda. Denique, ut doceat eos, qui Matres Christi per Spiritum fiunt, nempe ut glorificent & portent JESUM Christum in corpore suo ut Paulus monet.* 1. Cor. 6. Hæc ille.

Ornamentum pretiosissimum Mariæ est ipse Dei filius, sicut Martyrum instrumenta Martyrii.

Ex quibus colligere possumus, inter reliqua pulcherrima hujus Virgineæ Platani ornamenta, torques, armillas, moniliáque, longè præstantissimum monile esse ac preciosissimum, ipsum Jesum Dei Filium, quo illa perinde gaudet & exultat, ac Catharinæ rotâ, Laurentii craticulâ, quæ instrumenta illis tantæ gloriæ ac Martyrii causa extitère. Quemadmodùm enim hæc summa gratiæ, divinæque charitatis decora animabus eorum peperêre, dum tam horribiles cruciatus amore cœlestis Sponsi exantlârunt: Sic Jesus ipse Matri in primis ejus utero Virgineo 9 mensibus delitescendo, de ipsa, illibata ejus Virginitate nascendo, tot annorum decursu cum ipsa conversando, ac denique morte sua acerbissima doloris gladio animam ejus transverberando, ipsi omnia gratiarum privilegia ac ornamenta, quæ ab exordio sæculorum vel in hominibus, vel in Angelicis Hierarchiis extitêre, manu liberalissima communicavit, adeò, ut plusquàm Martyr, & Regina Martyrum à sanctis Patribus vocitetur.

80. Siquidem igitur nostra hæc Virginea Platanus, & ab Augustissima Trinitate factis cusisque murenulis àureis vermiculatis argenô, varjisque monilibus, & ab ipso JESU dilectissimo ejus Filio, qui ei singularissimum quoddam, inæstimabilissimúmque monile extitit, tot gratiarum, charismatúmque omnium ornamentis decorata est; decet nos eamdem omnigenis saltem laudibus, ac mille benedictionibus ornare, quandoquidem sub protectionis ejus umbra, dum in hac vitæ hujus assidua malitia versamur, degimus. Caveamus per Deum immortalem, ne id in nobis verificetur, quod ajebat Themistocles apud Plutarchum in Apophtegmatis, dum se Platanis comparabat, ad quas ingruente pluvia aut tempestate confugiunt, mox serenitate reddita, viatores vellicant, & insectantur, & convitijs proscindunt, unde Cœlius Rhodiginus lib. 25. lec. antiquar. c. 1. *Is Platano assimilis, cujus operâ quamvis necessariò sæpè utamur, nihilominus insita qua-*

Cavendum ne Platanus Virginea pro beneficiis nobis exhibitis maleficia recipiat, & quod Themistocles apud Plutarchum, Beatissima Virgo quoque queratur.

quadam pravitate, *illam eumdem incommodis liberi, habemus derisui, convellimus.* Caveamus inquam ne ullo unquam tempore Deiparam, quæ velut amœnissima Platanus nos ab omnibus cœli injuriis, & ab ira superni Judicis, dum in hac mortalitate à Domino peregrinamur, defendit, offendamus; Absit, absit, ut liberati ab hostium tam visibilium, quàm invisibilium periculis Platanum hanc vellicemus, injuriísque lacessamus, tantorúmque in nos ab ipsa collatorum beneficiorum immemores ingratitudinem pro gratiarum actione rependamus.

81. Meminerimus DEUM gravissimam vindictam exercere consuevisse in eos, qui suæ tam dilectæ Matri aliquam injuriam irrogârunt. Rem planè admirandam legere est in Nicena. II. Synodo actione 4. quam retulit Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ, Cypri? *Vir quispiam Cyprius*, inquit, *in Constantia urbe Armentarius, in Sacellum Virginis Deiparæ orandi causâ concessit, & inter orandum suspiciens imaginem Virgineam ex coloribus in pariete expressam, animadvertit, aitque, quorsum hæc? & stimulô, quô boves agebat, sublatô, imagini dexterum oculum exculpsit. Egressus autem templum, cùm pecus pungeret, stimulus fractus est, pársque ea, cui ferrum infixum est, in hominem delapsa, in oculum illius dexterum infixa est. Hunc ego virum vidi, & unoculum esse etiamnum cognosco.*

Vindictam gravissimam Deus exercet in eos, qui injuriâ Deiparam afficiunt, quod exemplis comprobatur.

82. Non minùs mirandum est atque terribile, quòd Paulus Diaconus lib. 2. rerum Rom. scribit de quodã Iconomacho, qui in statuam Virginis Deiparæ lapides jecerat, eámque comminuerat: Hinc enim per quietem sequenti nocte, cum se se visendum exhibuisset, eique severo vultu dixisset: *in caput tuum hoc fecisti*: Paulò post & ipse lapide percussus & contritus, ut ipse Virgineam comminuerat statuam, miserabilis interijt.

83. Horrendus quoque est casus ille, quem refert Tilmannus lib. 3. cap. 21. qui anno 1232. cuidam militi violanti Iconem Deiparæ contigit apud Monasterium montis S. Ruperti, propè urbem Bingam. Extraxerat hic quatuor gemmas, quæ erant in pectore Virginis, & dum quintam tentat excipere, quæ sacratissimis uberibus inerat, ex loco dictæ gemmæ copiosissimè lac & sanguis manavit, quorum fluxum, cum sacrilegus Miles sistere nequiret, in proximum profluentem ultor ipse tanti facinoris, suíque carnifex effectus, semetipsum præcipitavit.

84. Sed missis hisce antiquioribus superiorum sæculorum Deiparæ ultionibus, quæ passim ab authoribus innumeræ recensentur, aliquas horum recentiorum, ad terrorem impiorum Virginem blasphemantium, ac proscindentium memoremus Narrat Spondanus Tom. 3. ad An. 1525. n. 28. quòd Erfordiæ, cùm quidam buccinator hæreticus digitum intendens in statuam B. V. intra Ecclesiam existentem, clamasset: non quieturum se, donec Idolum illud exturbâsset, subitò igne sacro digitum ejus invadente, eadem nocte extinctus fuerit. Eodêm annô recenset Aurifabrum quemdam, dum ferreô malleô aliam statuam Beatissimæ Virginis à Magistratu ad liquefaciendum, & monetam inde conficiendam, sibi traditam contundere vellet, & exclamaret: Sic coërcenda esse Papistarum Idola, subitò excæcatum esse, & miserum ac miserabilem mendicum permansisse usque ad mortem.

85. Potius in grati erga ipsam animi nostri contestationem, studeamus ipsius mores vitæque integritatem imitari. Faciamus, id, quod Jacobum Patriarcham fecisse Sacra Genesos memorat historia

Virgineam Platanum semper in mente, & ante oculos habeamus, ut ejus SS. mores imitemur.

cap. 30. v.37 *Tollens Jacob virgas populeas virides & amygdalinas, & ex Platanis, posuitque eas in canalibus ubi effundebatur aqua, ut cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent Virgas, & aspectu earum conciperent.* Ponamus & nos ob mentis nostræ oculos Virgineam hanc Virgam amygdalinam, ejúsque conspectu vigilantiam, celeritatem, progressúmque, quem ipsa fecit magnis passibus in virtutum tramite, æmulemur. Quos passus heroicos cælestis contemplans Sponsus Cant. 7. Admiratione suspensus exclamavit. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis!* Quid porrò pedes, quid calceamenta Virginis significent, explicuit præter alios S. Amadeus Hom. 2. *Pedes affectus MARIÆ sunt, quibus ingressa semitas æquitatis, præclara vestigia posteris dereliquit. Hi pedes calceantur exuviis mortuorum animalium, quia exemplis præcedentium Patrum muniuntur.* Pios ergo in DEUM affectus Virginis, conformatos antiquorum Patrum in Cœlo jam cum Christo regnantium eximiæ charitati, imitemur: Sic enim & animæ nostræ Filiæ Principis, & earum gressus pulchri in calceamentis evadent, adeò, ut toti cœlesti curiæ conciliaturæ sint admirationem. Ponamus etiam eandem sacratissimam Deiparam ob mentis nostræ oculos velut Virgam Platani, ut in ejus charitatis, animæque pietatis, quâ nos in periculis, in adversitatibus omnibus protegit, contemplatione, tanquam mundissimæ Christi ejus Filii oves, similes virtutum fœtus concipiamus, fæliciter, fæliciúsque eosdem in lucem edamus, ac tandem ipsius Patrocinii umbrâ in postrema illa horribilis mortis periodo, contra tartareorum hostium incursus protegamur. Dicamus interim illi, dum vivimus, dicamus animitus,

Pios in Deum B. V. affectus imitemur, sic animæ nostræ fient filiæ Principis & earum gressus pulchri in calceamentis.

deprecemur medullitus cum S. Ignatio Martyre citato à Pelbarto. *Nunc claude me in gremio materna pietatis, tu Mater superna Deitatis, vera Mater Salvatoris, Mater adoptata peccatoris.*

Invocatio affectuosâ, quâ S Ignatius Martyr B.V. invocavit.

86. Exemplo sit nobis Justus Lipsius, hujusce nostri sæculi illustre tam pietatis quam doctrinæ jubar; Hic cùm sæpiùs, dum viveret, cum Augusto Cæsare Euthanasiam facilémque sibi mortem exoptare consuevisset, tandē voti compos factus est auxilio Deiparæ, cui vixit semper addictissimus, ejusdémque maternam prorsus moriens expertus est protectionem. Quatuor enim illis, quibus decubuit diebus, solâ benè moriendi curam suscepit. Toto hoc tempore nec scriptorū à se, nec studiorum ullū omnino verbum fecit; Imo cum quispiam solatij à stoicis magnam illi materiam superesse, quòd secundùm rectam rationem vixisset, & quasi apathos vixisset, insusuraret, respondisse fertur; *Illa sunt vana, simúlque dicto* in Christi de cruce pendentis effigiem, ad lectulum positam, intento: *Hæc est* ait. *vera patientia: móxque magno Spiritu subjecit: Domine JESU da mihi patientiam Christianam.* Itáque Sacramentis omnibus velut panopliâ patrocinióque Deiparæ munitus ac protectus piorum etiam ardenter expetitis assiduè precibus, in altúmque oculis, manibúsque moribundis sublatis, in verbis illis pietate plenissimis: *O Mater DEI, adsis famulo tuo cum tota æternitate decertanti, & non me deseras in hac hora, à qua pendet anima mea salus æterna!* Spiritum DEO ejusque Matri reddidit: Anno 1606. 10. Cal. Aprilis, expertúsque verè est, quod illi Virginis, dum viveret pientissimum profuerit patrocinium atque adjutorium, quod ipse in dies singulos Psalmista Seraphicus Psalmo 90. *Qui habitat in adjutorio Matris*

Justi Lipsi affectuosa invocatio ad B. V. & pia mors.

tris DEI, in protectione ipsius commorabitur. Incursus hostis non nocebit ei, sagitta volans non tanget eum. Quoniam liberabit eum de laqueo insidiantis, & sub pennis suis proteget eum. En vobis in morte Virgineæ protectionis insigne exemplum, quô docemur à Beatissima Christi Matre Virgine quotidie ardentissimè efflagitare, ut nos velut Platanus umbrâ suâ adversus inimici Infernalis insidias protegat; dicamús igitur illi de die & nos sæpiùs: O Mater DEI, O Mater DEI, O Mater misericordiæ, adsis clientulo tuo cum tota æternitate luctaturo, & non me deseras in illa hora, à qua pendet æternitas, sempiternáque animæ meæ vel felicitas vel infelicitas.

Ludovici Comitis Vindocinensis in Gallia gratitudo erga Beatissimam Virginem.

87. Imitemur in Virgineam hanc Platanum gratitudinem magni illius Ludovici Comitis Vindocinensis in Gallia, qui in præsentissimis vitæ, honoris bonorúmque fortunæ periculis constitutus, cum imprimis à duro carcere, dominiorumque omnium, quæ possidebat, jacturâ, protectione, patrociniòque Deiparæ ipso sacro Annuntiationis die esset liberatus, anno 1413. voti soluendi causâ in templo Virginis Carnutensis nudum se se stitit, ubi ante ipsius venerandam Iconem genua humillimè flectens, cereũ circiter 30. librarũ manu gestans, supplex à Canonicorum Collegio, quod ei obviam processerat petit, ut suo nomine sanctissimæ Dei Matri pro tantis in se collatis beneficijs, tantorúmque discriminum per eandem ereptione gratias agant. *Profiteor, inquiens, pro ejusdem DEI Matris protectione æternùm me, humilémque servum ac clientulum tam ipsius, quàm Ecclesiæ Carnutensis futurum.* Quâ Comitis tam generosa protestatione auditâ, Canonici in laudes Virginis se se pro tantis protectionis erga Comitem exhibitis beneficijs effudêre, & in gratiarum actionem hymnum illum cecinerunt? *O quam glorifica luce coruscas, &c.* Comes autem finitis laudibus, cereum illum quem tulerat, suis manibus Deiparæ obtulit, cum centum alijs minoribus, quos gestârant nobiles, qui eum comitabantur. Nec hic Comitis erga suam protectricem stitit gratitudo: Instituit, ut postridie Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis, Purificationis, & Annuntiationis Deiparæ, solemne admodùm celebraretur quotannis perpetuum Missæ sacrificium, eâ pompâ externâ, quâ ipso die, cum supplicatione, &c. Et ut in sacro Oratio illa adderetur.: *DEUS qui justificas impium*: & in pium hoc æviternùm in posterum, in Templo illo Virginearum laudum frequentandum exercitium, certos perpetuósque redditus assignavit. Denique novum sacellum honori Virginis extruxit, in eóque auream Divæ Virginis imaginem, S. MARIAM Majorem repræsentantem, obtulit, & quotannis deinceps auri unciam. Cal. B. V. 1. Junij.

88. Hic Vir nimirùm Virgineæ Platani umbra in tantis temporum vicissitudinibus, mundíque injurijs protectus ac liberatus, eam minimè vellicavit, sed gratitudinis memor, uti par erat exornavit, æternæ gloriæ in cœlis ab ipsa pro hisce temporarijs amplissima recepturus ornamenta. Verissimè enim B. Andreas Cretensis Episcopus Orat 2. de Dormit. Deiparæ pronunciavit: *Solet sanctissima, utpote quæ est munificentissima, maxima reddere pro minimis. Voluntas enim illi, sicut & facultas bona sua communicandi cum miseris mortalibus, deesse nequit, non deest voluntas, quia sunt illi pietatis misericordiæq; viscera, ut quæ increatam illam misericordiam, quam in medio Templi sucepimus nobis peperit, meminítque se per ipsos peccatores ad sublimem Divinæ Maternitatis dignitatem eve-*

ctam fuisse. Non deest eidem Virgini facultas, est enim Mater Regis æterni, Mater summi illius boni, quod in se complectitur omne bonum, gestátque claves omnium thesaurorum DEI, quos illa pro innata sibi pietate ac benignitate, ábsque ulla personarum acceptione sive barbarus sit, sive Scytha, sive Græcus, sive Hebræus. Est enim Mater communis & Domina omnium, dives in omnes, qui invocant illam. Illa nimirum est, quæ loquitur apud Salomonem Prover. 8. 20. *In viis justitiæ ambulo. in medio semitarum judicij, ut ditem diligentes me & thesauros eorum repleam.* Quæ verba ponderans Rich. à S. Laurentio lib. 2. Partic. 1. proponénsque causas, ob quas Virgini servire tenemur, 22. am hanc attulit: *Quia cùm sit Thesaurus Domini, & Thesauraria gratiarum ejus donis spiritualibus ditat copiosissimè servientes sibi: Quod autem ipsa sit Thesaurus Domini, dicitur* Sap. 7. *Infinitus est Thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI.* Thesauros nostros Richar. lib. 4. ait *esse ternas animæ vires, quas precibus Matris replet Dominus;* rationabilem perfecta agnitione summæ veritatis, concupiscibilem perfecta summæ bonitatis dilectione, irascibilem perfecta gloria exultationis. Denique de largitate & misericordia MARIÆ, inquit idemRichar. *Congruè dici potest, quod sit summè dives summè etiam sit liberalis. Serviamus igitur potentissimæ huic cœlorũ Reginæ summè dediti eámque quibuscúnque valemus, prosequamur atque exornemus obsequiis, ut eam in nos quoque liberalem effusámque & in hac & altera beati vita, felicitatéque nunquam terminanda aliquando experiamur.*



DISCURSUS NONUS.

VIRGO DEIPARA CINNAMOMUM PARADISI.

Quasi Cinnamomum odorem dedi. Eccli. 24.

1. Aria de aromatica hac Arbuscula scripsit Plinius aliíqueAuctores, pleráque complexus est breviter Dionysius Charthusianus Commentarijs in hunc locum. Cinnamomum, vel cinnamomus est Aromatica Arbor, subtilem & acutum habens saporem dulcedini immixtum, subrufi & subnigri coloris, cujus cortex instar cannæ rotundæ & gracilis. Gignitur autem in India & Æthiopia frutice brevi, duorum circiter cubitorum; Tenacissimarum Virgarum est; nam quod crassum est, vilipenditur, gracilius vero est charius, confortativam habet virtutem, & valet contra stomachi debilitatem, & indigestionem, cui comparatur hæc sapientia cordium confortatrix occultissimè mentem reficiens, stomachum animæ corroborans ad ruminandum & digerendum spiritualia alimenta, quæ omnia fecit in plebe perfecta.

Cinnamomum, vel Cinnamomus, qualis sit arbor.

2. Ecce nobis pulcherrimum Virginis Deiparæ symbolum, quæ adeò bonus Christi odor in omni vita sua

sua extitit, adeóque aromatis virtutum omnium in sua sancta conversatione abundavit, ut in arbusculam hanc aromaticam transmutata fuisse videretur. Unde Cœlestis illius Sponsus eam quasi totam Cœlestibus aromatis compositam contemplans, admiratione suspensus dicebat Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij!* Audiendus hic D. Hier. Ser. de Assumpt. *Dicta sanè*, inquit, *quasi Virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendiô pij amoris, & desideriô charitatis, ut Virgula fumi ex aromatibus, nimirum quia repleta est multis virtutum odoribus, magnus ex ea fragabat suavissimus odor etiam Angelicis spiritibus.* Audiendus quoque Joannes Card. Halgrinus de eisdem Virginearum virtutum suavissimis odoribus: *Hac ardore Spiritûs accensa, sic ascendendo profecit in gratia, sic ascendit in gloria, ut velut disparens, omnem humanam cogitationem excedat.* Et quia ad laudem hujus virgulæ non videtur sufficere dicta commendatio de ipsius odore, subditur: *ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarij.* Beata Virgo námque omnium virtutum odore perfudit Ecclesiam, ipsa enim habuit aromata virtutum; quare de illa quoque dici potest, quod in Canticis c. 5. de ipsius dicitur filio. *Genæ illius sicut areolæ aromatum, quæ consita sunt à pigmentariis. Labia illius distillantia myrrham primam.* Adeò porrò eximiarum ipsius virtutum odor fragrabat undique, ut idem Sponsus Cant. 4. diceret: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Adeò hic sanctæ ipsius conversationis ubique fragrabat odor, ut tota varios, eósque pretiosissimos aromaticos frutices spirare videretur. Unde rursus ejus odores persentiscens Sponsus ajebat: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus: Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & Cinnamomum cum universis lignis Libani, Myrrha & Aloë, cum omnibus primis unguentis.*

Cinnamomum Symbolum B. V.

B. V. virgula fumi dicitur ob suavissimum odorem.

3. Hinc Hugo de S. Victore in Instit. Monast. Ser. 47. *Venditores*, inquit, *aromatum in nundinis sedentes, in plateis diversas aromatum species exponunt, & ipsa aromata odoris sui suavitatibus plateas respergunt: Sic spiritualium aromatum possessores, qualis B. V. extitit, virtutum & bonorum operum fragrantiis per lata vitiorum gradientes suaviter afficiunt, eósque odore suæ famæ ab itinere pravitatis reducunt.* Cinnamomum autem licèt bonum odorem habeat, & per hoc famam Sacræ Virginis figurare queat, ex eo tamen, quòd corticem suum in modum cannæ format, laudem & gratiarum actionem rectè designat quod B. Virgini congruè convenit, quæ cùm ab Elisabeth audivit, quod verba Angeli in ipsa complerentur, statim in laudem & gratiarum actionem prorupit dicens: Magnificat, &c.

B. V. comparatur vendentibus aromata.

4. Sed ipsam Virginem de suis odoribus aromaticis, operibúsque sanctæ ædificationis loquentem audiamus Cant. c. 5. *Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Illius quoque verba sunt illa apud Siracidem Eccli. 22. *Quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam.* Harum Virginearum virtutum adolescentulæ, sive animæ sanctæ persentiscentes fragrantiam, amore ipsius inflammatæ exclamarunt. *Meliora sunt ubera tua vinô, fragrantia, unguentis optimis. Oleum effusum Nomen tuum*, sive ut legunt alii; *unguentum effusum Nomen tuum, ideò Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Unde

Inducitur B. V. de suis odoribus loquens.

de his pretiosis ejus unguentis aromatísque anima quædam, ipsius virtutum imitandarum studiosa postulabat: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Quòd si, ut Galenus inquit, lib. de Antidotis; *Optimum Cinnamomum dignosces, si sit odoratissimum, & indicibilem quandam gratiam super alia aromata referat;* optimam sanè fuisse Deiparam, ut potè summi boni Mater, quæ ineffabilem planè omnium virtutum odorem mundo afflavit, eúmque ad currendum post se inflammavit, necesse est.

Cinnamomum ex odore dignoscitur.

5. Ob suavissimum hunc Virgineæ conversationis odorem, Deiparam S. Bonav. cap. 7. Spec. contulit agro illi pleno, de quo Genes. 27. loquebatur Patriarcha Isaac: *Ecce odor filii mei: sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; Ager iste,* inquiens, *est MARIA, in qua thesaurus Angelorum, imò totus DEI Patris absconditus est. Fælix qui vendit omnia, quæ habet, & emit agrum istum. Hujus agri pleni plenus odor, est plena MARIÆ fama, plenus honor. De hoc B. Hieron. ait: quia multis repleta erat virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor spiritibus Angelicis.* De isto odore ipsa sancta gloriando dicere potest illud: *Sicut Cannamomum & balsamum amœnitatis odorem dedi. Odor MARIÆ fuit sicut cinnamomum exteriùs in cortice conversationis, sicut balsamum interiùs in unctione devotionis, sicut myrrha in amaricatione castigationis. Fuit quoque odor MARIÆ sicut Cinnamomum in actione, sicut balsamum in contemplatione, sicut Myrrha in passione.* Tandem hac Virgineorum odorum copiâ delectatus exclamat: *O verè dives, & nimis dives, quæ propter alia aromata tam plena fuit odorifero Spiritûs sancti balsamô, ut benè de illo super illud: Spiritus sanctus superveniet in te, B. Bernardus dixerit: pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantâque plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquáque.* Hactenus Bonaventura.

B.V. confertur agro pleno de quo Gen. 27.

Item Agro Evangelico, in quo thesaurus absconditus.

6. Verè Cinnamomum est Virgo nostra, subtilem & acutum habens dulcedini admixtum saporem. Ipsa enim, inquit, Card. B. Petrus Damiani Ser. de Assumptione. *Subtilis est in Deitatis contemplatione, quia ipsa est, quæ conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Odorifera est in virtutum opinione, quia currimus in odorem unguentorum suorum.* De hac subtilitate seu gracilitate Virginis Card. Halgrinus. *Licèt B. Virgo vulnus peccati non haberet, se ipsam tamen multipliciter mortificavit, & velut Cinnamomum odorem dedit: Nam sicut Cinnamomum quantò gracilius est, tanto melius & odoratius est: Sic ipsa tenuis & gracilis facta per abstinentiam, DEO acceptior, & mundo odoratior fuit.* Hæc ille.

Cinnamomum quantò gracilius tanto melius & odoratius, sic B. V. gracilis facta per abstinentiam Deo acceptior, & mundo odoratior fuit.

7. De eadem subtilitate sive gracilitate audiendus Bernardinus Bustius part. Marial. Ser. 1. assimil. 9. qui subtilitatem ait esse ipsius humilitatem. *B. V. subtilissima fuit per maximam humilitatem; unde illi dixit DEUS,* Ezech. 16. *Indui te subtilibus enim eam vestivit, quando dedit ei humilitatem in corde, & mansuetudinem in conversatione. Est etiam Cinnamomum,* inquit, idem, *species sicca, calida, & aromatica secundùm Dioscoridem. Similiter Virgo fuit sicca, in carne per temperantiam & parcitatem, calida in anima per fervorem & charitatem, aromatica in utroque per munditiam & puritatem. Dulcem hunc ejus saporem degustavit Ecclesia, cùm exclamavit. O dulcis Virgo MARIA! Eundem degustâsse visus est Sponsus Cant. 4. Favus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingua tua, cujus innatæ sibi dulcedinis ipsa Virgo sibi probè conscia ajebat:* Eccli. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & Favum.* Quæ verba expendens Venerabilis Richar. à S. Lau-

Cinnamomum subtilem & acutum dulcedini admixtum habet saporem. B. V. humilitati & mortificationi admixtam habet benignitatis dulcedinem, quam à filio suo hausit.

Laurent. lib. 4. cum præmisisset: *MARIA dulcis est fructu, id est Filiô, à quo potissima dulcedo ipsius, qui ab ipso traxit omnem dulcorem. De hoc fructu dixit fidelis anima* Cant. 2. *fructus ejus id est MARIÆ, dulcis gutturi meo;* postquam inquam, hæc præmisisset, ita loquitur: *Si quidem mel conficitur ab apibus ex dulci & amaro, quia legitur, quòd Rex apum mittit apes ad mare, ut inde referant aquas maris salsas, & ponant cum dulcedine florum, & sic conficiant mel ex dulci & amaro. Spiritus vero MARIÆ nihil habet amaritudinis, sed quod in eo est, totum dulcoris est: Sicut enim pyxis aliqua contenti electuarii odorem saporémque retinet; Sic Spiritus B. Virginis Christi dulcedinem, qui ejus utero novem mensibus requievit; & licèt ex eodem illo exierit utero, nunquam tamen â Spiritu vel mente ipsius recessit. Vel ideò Spiritus ejus dulcis dicitur, quia specialis apotheca ipsius Spiritûs S. est, qui dulcedo Patris & Filii propriè nominatur. Dicitur etiam Spiritus ejus dulcis super mel: omnem enim mundanarum, carnaliúmque voluptatum dulcedinem transcendit. Ait denique Spiritus meus dulcis super mel, quia mea spiritualis dilectio, quâ diligor & diligo, super mel dulcis est, omnem temporalem excedit dulcedinem.*

Mel conficitur ab apibus ex dulci, & amaro.

B. Virgo habet dulcedinem sine amaritudine.

8. Ipsa nimirum est *vas* illud *aureum, dulcissimum cœli Manna continens*, ut ait S. Damascenus Orat. 2. de Dormit. B. V. S. Ephrem etiam Serm. de B. V. vocat illam unam pulcherrimam cœli manna gestantem. Hinc supra memoratus Richardus lib. 10. *MARIA*, inquit, *est arca ratione continentiæ, continet enim Manna, vel Manhu, admirabilem nimirum dulcedinem consolationis, quam suis specialibus amatoribus infundit, iisque, quos specialiter visitare dignatur: quam, qui gustat, dicere potest: Manhu, quid est hoc? præ admiratione. Ideò dicit ipsa: Spiritus meus super mel dulcis.* Totam verè melleam se esse ostendere voluit Deipara nostra, cum olim in medio annosæ quercûs cum melle & alveari reperiri suam Iconem voluit, quæ mirificum ex se splendorem evibrabat, quo in loco postea Alphonsus VI. Castellæ Rex Spiritûs sancti inspiratione motus, ut ipse in quodam suo fatetur diplomate, magnificum ædificavit templum simul ac monasterium. Hoc in loco, ut obiter hoc perstringamus, refert Antonius Jepe in Chronico: Mulieres, si ultra diem nonum inibi hæreant, mori. *Cal. B. V. 1. Julii.*

MARIA vas illud aureum dulcissimum cœli Manna continens.

Icon B. V. in medio quercus cum melle & Alveari reperta.

9. Est quoque Cinnamomum Virgo nostra subrufi & subnigri coloris, Rubeus color ille ipsius ardentissimam denotat charitatem. Unde S. Hieronymus Ser. de Assumpt. ait: *Puto, quod quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas non sufficiat, ut cogitare valeas, quantò indeficienter cremabatur ardore pii desiderii, quam totam repleverat Spiritus sancti gratia, ita ut in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas profusi amoris.* De ardentissimo hoc amore quô DEUM Virgo dilexit, præclarè Richardus lib. 4. *Dilexit*, inquit, *MARIA Dominum, sicut omnes scripturæ Canonicæ ipsum prædicant diligendum, & charitas ejus charitatis omnium Sanctorum forma est & exemplar. Et ideò tam de charitate ejus, quàm de de charitate Sanctorum quasi conjunctim annotavimus, ut ex forma charitatis ejus resplendeat: quomodò fideles animæ ipsam in charitate, saltem à longè imitari debeant. MARIA ex toto corde DEUM Dilexit, quia cor ipsius ad nullius rei dilectionem ampliùs inclinatum fuit, quàm in DEO, omne bonum sibi esse existimans in DEO, ut pro his omnibus diligeret solum DEUM. Dilexit ex tota mente, quia omnes sensus illius DEO vacabant, ejus intellectus DEO*

Cinnamomum est subrufi & subnigri coloris. Rufus color in Virgine denotat charitatem.

Qua charitate in DEUM ferebatur MARIA ostenditur.

 mi-

ministrabat, ejus Sapientia in Deum versabatur, ejus cogitatio, quæ DEI sunt, pertractabat, ejus memoria ea sola, quæ bona sunt, recordabatur; ut diceret cum Apostolo: Psallam Spiritu, Psallam & mente. Cor 14. *Dilexit ex tota anima id est ex tota voluntate. Dilexit DEUM Trinitatem ex toto corde*, id est, *ex toto eo, quod est scire quoad Filium: Ex tota anima*, id est, *ex toto eo, quod est velle quo ad Spiritum S. ex tota virtute, id est, ex toto eo, quod est posse quoad Patrem; ut hæc tria, quæ necessaria sunt in omni bono opere explendo, scilicet, scire, velle, & posse quasi Trinitati responderent.* Sic ille.

10. Alanus denique ponderans verba illa Sponsæ: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* postquam dixisset, his verbis exprimi amorem ineffabilem Matris ad filium, quæ illum in passionis articulo non reliquit, cum in Apostolis ardor charitatis jam defecerat, hæc attexuit: *Ipsa enim Christum toto corde dilexit, quæ carnem Christi sic nutrivit, & fovit, ut ob amorem carnis ejus, ab amore carnis suæ suspensa, necessitatibus nascentis, lactentis, vagientis, crescentis, omnes cordis affectiones effunderet. Tota etiam anima Christum dilexit, quia tantus vigor Spiritûs S. eam adjuvit, ut ad qualibet salubria, & sanctissima eam confortando, in amore Christi accenderet. Tota denique ex tanta virtute Christum dilexit, ut ad titulum suæ laudis sufficiat, quòd mentem ejus tanta vis amoris occupaverat, ut fugientibus Discipulis, oblita sensûs fragilis ipsa, cum lachrymis astans cruci, & condolens morienti, animam suam pro Filio suo, etsi maximè posuit patiendo, tamen exposuit compatiendo.*

Constantia sub cruce probat B. V. charitatem in Deum.

11. Neque verò rubenti, ardentissimáque duntaxat in Deum ferebatur charitate, verum etiam in proximum, eorum miserijs velut pientissima misericordiæ Mater compatiendo, easdémque suas faciendo, quodammodò, adeò ut de ipsa dixerit Martyr Ignatius Epla ad Joannem Apostolum: *Et quidam notificavêre eandem Matrem DEI omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis virtutis & gratiæ fæcundam, Miseris & afflictis condolet coafflicta, & subvenire non pigrescit, & apud fideles omnium operum pietatis est ministra.* S. Bonav. in Med. cap. 13. notabilem rem narrat circa Virginis in pauperes misericordiam: *De esca quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur, quam verò à Pontificibus Templi, pauperibus erogabat.* Hoc illa pauperum ministerium etiam alios edocuit, ut sanctissimam illam Virginem Lytwinam, quam ad opera misericordiæ exercenda modô quôdam admirabili animavit. ministerio Angeli & B. Virginis imperiô, in Paradisum rapta, vidit Beatorum innumerabiles phalanges, mediámque Deiparam, ac deinde ibidem mensas sterni, exornaríque sericô, eleemosynas, quas per id tempus ipsa Lydwina pauperibus fame laborantibus dederat, quàm aptissimè in illis mensis collocari; portiones quoque, quas in testaceis vasculis pro sua facultate ipsa egentibus exhibuerat, pariter aureis patinis apponi. Deinde clarissimorum Virorum cœtum ad mensas illis ornatas instructásque accumbere, sonitúmque audire, quasi jucundè, hilaritérque prandentium, quibus omnibus ipsa videbatur alacriter ministrare: Visô jucundissimô hôc Spectaculô - eóque beneficiô Virginis perfruita, charitatem suam erga pauperes imposterum multò ampliùs amplificavit, eísque longè majori cum hilaritate ac jucunditate ministravit. Verè igitur Cinnamomum est Virgo nostra rubentis coloris etiam in proximum, siquidem non contenta ipsa pietatis viscera exhibere proximo,

Quâ charitate in proximum ardebat, exhibetur.

ximo; etiam alios sibi devotos ad idem faciendum animavit.

12. Est quoque Cinnamomum hoc Virgineum subnigri coloris. Unde ipsa de se ajebat Deipara. *Nigra sum, sed formosa Filia Hierusalem* Et rursus. *Nolite me considerare, quòd fusca sum, quia decoloravit me sol*, Cant. 1. quæ verba ponderans Richardus à S. Laurent. lib. 5. de laud. B. V. transfert ad vulgi opinionem illam, quæ de Virgine habebatur quòd esset uxor Josephi, ex qua ipse communi hominum more suscepisset Filium: Ita enim denigrata hominibus insipientibus, ac cœleste mysterium ignorantibus videbatur. *Christus*, inquit ille, *Matrem suam decoloravit in hominum opinione, qui videntes eam habere Filium, ipsam corruptam reputabant. Unde ipsa dicit: nigra sum, judicio hominum, qui reputant me corruptam, sed formosa, quia Virgo purissima. Nigra sum, eò quòd Joseph inveniens me prægnantem, suspicatus adulterium, voluit occultè me dimittere, & ita sum sicut tabernaculum Cedar, id est, ejicienda à Viro meo Joseph, de domo sua, sicut Ismael Pater Cedar cum Matre sua Agar ejectus est de domo Abraha* Gen. 21. *Cedar porrò interpretatur tenebræ, mœror, vel mœrens aut tenebrosus, vel nigredo, quia in tabernaculis habitabat ejectus ab hominibus, cujus manus contra omnes, & manus omnium contra eum. Sic MARIA, & sancti abjecti ac viles ab hæreticis reputantur, sed non habentes hic manentem Civitatem, sed futuram inquirentes, in tabernaculo corporis pugnant contra Carnem, Mundum ac Diabolum, & talis pugna non debet exerceri, sine duplici mœrore, interiori per dolorem, & exteriori per lacbrymarum effusionem, quæ amburunt Diabolum. Sed licèt Nigra videar exteriùs, tamen formosa sum interiùs, quia carens omni macula, omníque virtute adornata, & hoc sicut pelles Salomonis, qui pulcher fuit exteriùs, cultúque Regio adornatus: Sic ego interiùs ornata sum omni decore virtutum. Atque ita Nigra quidem sum, sicut tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis, quæ molles erant, & fortes, ac more pellium excarnatæ, & extenuatæ, hyacinthinæ, & rubicatæ. Et talis erat MARIA Fortis patientiâ, mollis obedientiâ, distinctâ varietate virtutum, ab omni carnalitate, & carnali voluptate separata per Virginitatem, extenuata per paupertatem, & humilitatem, hyacinthina per contemplationem, ac desiderium supernorum, rubricata in Filii passione per animæ Martyrium.* Atque in his omnibus quævis fidelis anima debet pro posse suo MARIAM imitari.

Nigra dicitur MARIA, quia vilis in oculis hominum apparebat MARIA.

Nigra est MARIA exterius sicut tabernacula Cedar sed formosa interius sicut pelles Salomonis.

13. Nigredinem hanc admirabilem Maternitatis, cum forma pulchritudinéque Virginitatis Sociatam, in Deipara conspexisse visus est S. Ildephonsus Arch. Tolet. lib. de Virginitate MARIÆ cap. 11. dum ita variis Synonymis mysterium hoc explicat: *Extra hanc autem*, inquiens, *Matrem esse Virginem, visa non est: Ista verò post Matrem esse Virginem, visa est; post incorruptionem fieri Genitricem visa est; habere genitalium pudorem, habere prolem visa est. Quæ tantò à se æterna naturæ lege discordant, ut nunquam tunc Mater, quando Virgo, nunquam tunc Virgo, quando Mater: nunquam Virgo pariat, nunquam Mater Virginitate clarescat: unum tempus nunquam teneat Virginem simul esse, & Matrem. Una fœmina nunquam Virginitate simul & prole congaudeat. In hac autem Virgine sic istius Filii DEI inenarrabilis generatio copulavit utraque, ut Virginem se habeat Mater, Matrem se habeat Virgo: ut Virginem habeat proles, ut Virginem demiretur puerperam conjunx; Integritas quoque conceptioni adhæreat, pudor conceptionem sepiat: Virginitatis conceptum claudat. Sicque Virginitatem Nativitas non scindat, sic pudorem egressio non deturpet,*

Nigredo admirabilis Maternitatis cum forma pulchritudinéque Virginitatis Sociata est in MARIA.

sic generatio integritatem non adimat; sic veritas partûs, veritatem Virgineam non extinguat. Tam mirabiliter ergo concordantibus in una persona simul & tempore diversitatibus rerum, ut hæc eadem sit Mater, quæ & Virgo: ipsa Virgo quæ & Mater: Nunquam Mater, nisi quando & Virgo; & postquam Mater, Virgo & Nobilior. Sic ille.

B. V. stans sub cruce est Luna Eclipsata, decoloravit eam Sol Justitiæ quadam doloris nigredine.

14. Idem suprà citatus Richardus paucis intercalatis nigredinem hanc Virginis transfert ad dolores, quos in morte Filii passa fuit, quo tempore Virginea hæc Luna stando juxta crucem morientis Filii, quodammodò eclipsata est. *Decoloravit eam sol justitiæ etiam in passione quadam doloris nigredine, cùm ejus animam gladius, id est Filii passio pertransivit. Unde & ipsa dicit: Fusca sum, quia decoloravit me Sol, id est, Filius meus, Eclipsim & occasum patiens; propter hanc enim doloris nigredinem ait ipsa: Nigra sum, sed formosa. Nigra exteriùs pressuris tribulationum, formosa interiùs decore virtutum. Nigra tribulatione, formosa charitate. Nigra in terris, formosa in cœlis, nigra oculis insipientium, sed formosa intellectui sapientium.*

Nigredo Virginis ex acerbissima filii passione oriebatur.

15. Eandem nigrediné Virginis ex acerbissima Filii passione, quâ veluti nigra nube obfuscata fuit, ortum habuisse censuit piissimus Card. Halgrinus: *Nunc, inquiens, B. V. loquitur de dolore, quem habuit tempore passionis Filij. Q. D. nigra sum animi mœrore confecta, Nigra sum despecta & obfuscata, obscurata, & decolorata, quia decoloravit me Sol moriens. Decolorem me fecit Sol obscuratus & obfuscatus, de qua obscuratione* Isa. 53. *Non est ei species neque decor, & vidimus eum, & non erat ei aspectus. In passione enim Christi non apparuit species vel decor Majestatis, sed quasi leprosus ob similitudinem carnis peccati reputatus est. Absconditus enim fuit in eo vultus Divinæ potentiæ, & apparuit in doloribus infirmitas humanæ naturæ: Unde & habitus est despectus, nec reputatus DEI Filius. Ipsô igitur sic despectô, despecta est & Mater, nec DEI Genitrix reputata est. Dicit ergo, Nigra sum in apparentia & opinione hominum infidelium, sed in veritate formosa sum. Nigra sum sicut tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum Regis justitiæ, sed sicut cæteræ Matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum mœroris & tenebrarum, sic reputata sum inter tabernacula Cedar, quod interpretatur tenebræ, sive mæror. Verumtamen formosa sum sicut pelles Salomonis, sicut pelles dedicatæ vero Salomoni, Christo vero pacifico. Nam sicut pelles illæ Arcam Typicam continuerunt, sic ego intra mea viscera veram Arcam Christum continui, cujus caro per Arcam, cujus anima per urnam auream, cujus divinitas per manna designatur. Et sicut pelles protegebant totum tabernaculum, sic sub umbra mea defensionis protego totam Ecclesiam.* Hactenus Cardinalis.

Nigredo mœroris decuit Matrem tempore passioni s filii, quia oportebat patienti compati, & morienti commori.

16. Martinus etiam Delrio in Cantica cum eodem Cardinali, & Guilielmo Abbate nigredinem hanc Sponsæ transfert ad tempus passionis, quando morienti Filio adstitit Mater dolorosa, & obnubilato sole, obnubilatus fuit splendor & decor, quem hæc Luna pulchrior de sole suo hauriebat. Volunt hìc à Spiritu sancto exhiberi nobis personam Virginis Matris, quasi in veste pulla contemplantem acerbissimos filii cruciatus, & alloquentem non Reginas, aut adolescentulas, sed quasdam infælicium pignorum Matres infælices, quæ hic vocantur Filiæ Hierusalem, non cœlestis, sed terrestris, quæ Dominum inani miseratione, tanquam purum hominem lamentabantur, quas ipse Salvator gravissimè increpuerat Luc. 23. Sicut enim Filius non miserè sed misericorditer moriens, hunc indignum & indecorem sibi luctum dedignabatur

batur impendi, sic & Mater fælicissima pio affectu commoriens Filio, & quodammodò in ipso moriens, quia os ex ossibus ejus, & caro, de carne ipsius. *Quid*, ait, *fletis super me, quasi super miseram mulierem, & Matrem miseri hominis? Nigra nunc sum, quia oportet me cum Filio despecto, despici, & cum reputato leproso, leprosa reputari. Ille juxta Prophetam Sol meus, nunc factus quasi Saccus cilicinus in oculis nostris, & cui non est species, neque decor, me quoque illi decet conformari, & pullô atratóque reorum habitu assimilari.*

S. Bonfilius Servorum B. V. Institutor nigri coloris tunicam ac Scapulare in memoriam Dominicæ Passionis, & condolentis Matris præscripsit. Quam gratus hic color sit B. Virgini, ostendit B. Philippo, cum, ei talem vestem porrigendo, vocavit ad hunc S. Ordinem.

17. Unde hoc eodem habitu Virgo sibi assimilari exoptavit S. Bonfilium, servorum ipsius Institutorem, cùm ei nigri coloris tunicam ac Scapulare in memoriam Dominicæ Passionis gestandum præscripsit, voluítque Religiosissimum illum Ordinem, suis ac Filii acerbissimis cruciatibus ejusdémque morte med tanda assiduè se se impendere; qui color mœrores Virgineos de Passione Filii referens, quam illi gratus sit, ostendit ipsa cùm B. Philippo ejusdem Ordinis adhuc Adolescenti. Cùm enim hic ædem Sacram Servorum Deiparæ Florentiæ aliquando visitaret, dum illa ad alium Philippum in Missa verba leguntur: *Philippe, accede & adjunge te ad currum istum*, videt cœli Dominam aureo in curru ab Angelis stipari, ab ove, & Leone trahi, videt denique cœleste donum atri coloris vestem sibi porrigentem, ac sequenti nocte audit vocem, quâ ut in Sacrum illum Ordinem suorum Servorum ingrederetur, suadentem. Quod & fecit. Quantam porrò consolationem animíque paçem ac tranquillitatem in Virgine hac reperiret, declaravit, cùm ex solicitudine redux ingressus ejus templum, ante ipsius aram in genua abjectus exclamavit. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, &c.* quibus verbis vatem se esse ostendit, cùm ipso in cœlos assumptæ Virginis die morbo correptus est, & octavo die mortuus, requiem in Deipara exoptatam invenit; quam illa vicissim in ipso reperisse visa est.

18. Audiamus denique hìc Honorium Augustodunensem, qui in sigillo B. V. etiam explicationem illius effert nigredinis Virgineæ. *Nigra sum*, id est, *nata de pauperibus, ut Tabernacula Cedar, ut aliqua de peccatricibus; Formosa sicut pelles Salomonis*, id est, *ego sum pellis veri pacifici qua texit Arcam, id est Christum, nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol*, id est: *quamvis ab humilibus orta sim, tamen sol justitiæ elegit me humilem sibi Matrem.* Quòd ad Regionem porrò attinet, in quibus Cinnamomum crescere Dionysius affirmat, Indiam videlicet atque Æthiopiam, præclarè jam sæpè memoratus Richardus lib. 12. *Signatur*, inquit, *quòd usque ad remotissimas regiones habetur veneratio Virginis gloriosæ, sicut ipsa dicit: Beatam me dicent omnes generationes. MARIA enim etiam ab illis, qui fuerunt flagitiosi peccatores, honoratur, & per misericordiam vult ab ipsis honorari.* Sic ille.

Cinnamomum crescit in India & Æthiopia, quo signatur cultum B. V. ad remotissimas regiones pervenisse.

Peccatores in hoc similes Æthiopibus, quod naturali medio è sua nigredine peccatorum liberari nequeant, in hoc dissimiles, quòd Christi sanguine super nivem dealbentur.

Hi porrò peccatores per Æthiopas designantur, qui licet nigredine peccatorum adeò fusci atratique sint, ut nulla humanâ industria eorum pellis immutari possit, Virginis tamen potentissimis precibus, dilectissimíque ipsius Filij sanguine aspersi, lavantur, ac super nivem dealbantur. Quod in novo orbe ac specialiter in India atque Æthiopia singulariter elucescit: In illis enim partibus Virgineum hoc Cinnamomum, sive Virginis cultus, minima hujusce nostræ societatis operâ plantata adeò solidas egit radices, adeò excrevit, ut undequaque in Europam in totum hunc nostrum orbem jucundissimum afflârit

Gentilitas Drachma deperdita, quam B. V. quæsivit, & invenit.

flârit odorem. Sanè gentilitas videtur Drachma illa decima deperdita, quam Virgo nostra accenso fidei & charitatis, in cordibus suorum specialium amatorum veluti lucernis lumine, quæsivit sedulò, ac tandem magna totius orbis Christiani lætitia & congratulatione invenit. Unde Richardus, lib. 2. partic. 5. *Per hanc Mulierem, quæ drachmam invenerat, & convocat amicas, potest designari MARIA.* Quòd porrò drachma animam significet, testatur B. Petrus Damiani Card. 1. epis. 2. *Anima pretiosissima DEO pecunia.*

Humilitas B. V. tum externa per brevitatem Cinnamomi adumbratur.

19. Quid de Cinnamomi brevitate dicam, dicitur planta hæc duorum esse cubitorum. Quod Bernardinus de Bustis par. 9. Marial. Ser. 1. transtulit ad humilitatem Virginis, quæ non modò in exteriori habitu relucebat corporis, in vultus oculorum totiúsque oris modestia, & colli capitísque moderata inclinatione, verùm etiam in intimo cordis, ubi se omnium creaturarum vilissimam, abjectissimámque reputans, inter omnia despiciebat. De utraque hac tam interna animi, quàm externa corporis humilitate præclarè S. Bruno Carthus. Familiæ Patriarcha cap. 5. de ornatu Ecclesiæ, ubi, quàm grata DEO hæc ipsius virtus foret ostendit. *Docet,* inquiens, *nos Beatissima V. MARIA, humilitatis Mater & Filia, quanta sit virtus humilitatis, dum ait: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Non dixit: Respexit patientiam meam, misericordiam meam, innocentiam, Virginitatem, cæterásque virtutes, quibus abundabat, quibus quasi Regalibus ornamentis induta erat, sed hoc solummodò dixit: quia respexit humilitatem: ad quem enim respicit DEUS, nisi ad humilem & quietum, & trementem verba ejus? multis ornamentis induta erat Virgo nostra, convenientiùs dicere potuit Domina nostra, & Regina nostra, sed hoc unum præ cæteris rutilabat, quòd DEUM & Dominum respexisse dixit: ad hoc allusit fortassis in Canticis Dominus dum ait: Vulnerâsti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum, in uno crine colli tui, & in uno oculorum tuorum. Nusquam enim humilitas tam facilè deprehendi potest, sicut in collo, ac oculis: hoc enim Humilium proprium est, ut inclinato collo & oculis ad terram deflexis incedant. Sicut contra superbi erecta cervice, & superciliis elevatis gradiuntur. Unde & Moyses præcipit de turture & columba, quæ immolantur, ut caput ad collum retorqueatur,* Sic ille.

Per unum crinem cor Sponsi sauciantem designatur Humilitas B. V.

20. Venerabilis quoque Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 3. in Cant. per unum illum crinem, cor Sponsi sauciantem, intellexit profundissimam Deiparæ humilitatem, quâ de ipso DEO triumphare visa est, tantáque animi demissione eminentissimam Divinæ Maternitatis Dignitatem consecuta est: Unde sic cœlestem Sponsum eam alloquentem introducit. *Néque solùm in uno oculorum tuorum vulnerâsti cor meum, sed & in uno crine colli tui, id est in ima humilitate cordis tui; quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem, & indeficientem semper esse conspexi. Quid uno crine gracilius? quid humilitate subtilius? quid crine flexibilius? quid humilitate confractius? Crinis hujus vix comparet, humilitas tua vix consentit, quòd computari possit inter homines. Iste est crinis colli humilis cogitatus, mulieris caput non habentis! Nam caput mulieris Vir. Attamen Sponso Desponsari viro non renuisti, & inter hæc unum oculorum tuorum, & illum crinem jam dictum colli tui magìs ac magìs in me fixisti, fide fortis, spe stabilis, charitate immobilis. Itáque semper ubique unitatem habens oculorum, id est vultum in diversa non mutatum, vulnerâsti cor meum. Alij quondam fortes & validi modum non tenue-*

runt

runt, & dicentem: dimittite me, non dimiserunt, & luctando fortiter contra DEUM fortes fuerunt. Tu autem etiam vulnerâsti cor meum, & illi quidem luctando atque vincendo æternam sibimet benedictionem, & necessariam peccato populi sui indulgentiam obtinuerunt, tu autem quid invenisti? quid accepisti vulnerando cor meum? Hoc nimirum quòd Virgo & Mater es, & hunc esse fructum unius oculorum tuorum, & unius crinis colli tui. Quòd cùm reputares te indignam viro, facta es digna DEO, cùm te judicares indignam facere semen in Israel, facta es digna facere salutem in Israel, cùm indignam te reputares lactare Filium hominem, digna habita es mammis pulchris, uberibus pulcherrimis Virgineis atque intactis lactare Filium DEI & hominem. Hæc Rupertus de humilitate Deiparæ, fœcunditati Virginitatique admirabili nexu sociata, quam duos esse cubitos mystici hujusce Cinnamomi possumus asseverare.

Virginaeum Cinnamomum duobus cubitis mensuratur, videlicet Virginitate & fœcunditate.

21. Qua de re rursus citatus Richardus: inquit, *Hæc proprietas æque convenit Matri ac Filio: Sicut enim ipse semper fuit Filius DEI, & cœpit homo esse, ut verè posset dicere; sum, quod eram, scilicet DEUS, nec eram, quod sum, scilicet homo, nunc dicor utrumque, scilicet DEUS & homo. Sic potest dicere MARIA: post partum sum, quod eram scilicet Virgo, nec eram, quod sum, scilicet Mater, modò dicor utrumque, id est Mater & Virgo. Et hi sunt duo cubiti, quibus MARIÆ dignitas mensuratur, scilicet Virginitas & fœcunditas. Ideo dicitur* Eccl. 26. *Gratia super gratiam Mulier sancta & pudorata. Gratia nimirum fœcunditatis, super gratiam Virginitatis. Sed quod facta est DEI Mater, super omnem gratiam est, quare bene dicitur: Super, &c.*

Cinnamomum medicam vim continet, confortat,

22. Quid de Cinnamomi medicinali dicam virtute atque energia? *Medicinale est*, inquit Richardus jam citatus, *& multùm valet contra syncopen, id est defectum cordis. Vulnera consolidat, solidatio spiritualium vulnerum, spei securitas, & venia peccatorum est, quæ Theophilo præstitit. Fluxum sedat, illius inundationis videlicet variorum peccatorum, de quâ* Ose 4. *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit. Degustantem confortat. Confortavit Virgo S. Basilium contra Juliani Apostatæ persecutionem in Christianos, quando ministerio S. Mercurij Martyris usa, lanceâ ipsius in bello contra Persas confodi voluit, supplicavitque, ut faber ille, quem scelestissimus irridebat Apostata, ei sandapilam fabricaret, qua mortuus ex bello efferretur. Atque ita Christiani omnes, virtute tam insigni, potestatéque Virginis in Filii ejus fide confortati sunt. Confectiones, quibus admiscetur Cinnamomum, reddit sapidas, non est enim sermo, qui non sit dulcior, si in ipso de Virgine fiat mentio. Quare dici potest de ea* Eccli. 49. *in omni ore quasi mel indulcabitur memoria ejus. Ideo etiam Virgo est Cinnamomum aromatizans, quia ubique odorem pietatis, misericordiæ, omniúmque virtutum suarum odorem diffundit. Cinnamomum item os comedentis & masticantis reddit odoriferum. Testatur hoc Joscio Monachus S. Bertini apud S. Audomarum, in cujus ore, oculis, auribúsque quinque rosæ eximij odoris & maximè illa, quæ ore, aureo MARIÆ Nomine, insignita pullulavit, repertæ sunt post mortem: quam illi gratiam ideo contulisse fertur, quòd quinque Psalmos in ipsius sacratissimi Nominis honorem solitus fuerit decantare. Denique medicinale Cinnamomum est MARIA, quia ex ipsa sumpta est caro Christi, quâ genus humanum curatum est. Hæc est enim terra illa, de qua altissimus creavit medicinam* Eccli. 38. *unde illud ad* Hebr. 7. *ubi dicitur Levi decimatus per Abraham, ait Glossa: quòd Christus non traxit ex Matre fervorem vulneris*

consolidat, &c. quantam virtutem medendi B. V. contineat, Exemplis ostenditur.

Veniam peccatorum Theophilo præstitit.

S. Basilium contra Julianum Apostatam B. V. confortavit.

Cinnamomum os comedentis reddit odoriferum. Testatur hoc Joscio ex cujus ore, oculis, auribus quinque rosæ crevêre.

neris, sed materiam medicaminis. Hæc Richardus.

S. Coleta ex Ordine S. Claræ experta est admirabilem Virginei Cinnamomi vim medendi.

23. Experta fuit Virginei hujusce Cinnamomi admirabilem vim, energiámque medendi hoc nostro sæculo Anno 1605. Virgo ex Ordine S. Claræ reformationis S. Coleta Hesdinij. Laborabat hæc varijs morbis, febre lenta, integro biennio, cordis item oppressione; unde maximus virium omnium oriebatur defectus, non sine gravissimis cruciatibus, qui vix eam respirare permittebant. Tantis viscerum doloribus torquebatur, ut horrendis clamoribus compleret omnia, vixque à quatuor aut quinque personis cohiberi ac teneri posset. Quare cùm ad portas mortis sæpissimè accedere visa esset, omnibus Sacramentis munita fuit, seséque patrocinio Divæ Virginis commendavit. Sanitatem demum perfectam ei Deipara Montis acuti detulit, vovente piô Religiosô quôdam peregrinationem ad eum locum. Unde abscedens secum cruculam ex ligno arboris, in qua sacratissima ipsius quieverat Imago, detulit, quam Crucem Abbatissa spe, pietatéque in Virginem Beatissimam plena, cum in aquam immitti, eaque lavari pedes ac tibias ægrotæ, quæ tunc mirè cruciabatur, jussisset, mirum dictu, die sequenti manè meliùs valere deprehensa est. Itaque nullius adminiculô è lecto surgit, ambulat, licèt difficulter, & ad Templum stupentibus Sororibus Religiosis universis, non minùs, quam si mortuam ad vitam revocatam fuissent intuitæ, se se confert. Hic gaudiô plenæ in gratiarum actionem pro tanto beneficio DEUM ejúsque Matrem glorificantes, Te DEUM Laudamus solenniter modulatæ sunt. Tandem deinceps eâdem aquâ non modò pedes & tibias verùm etiam reliquas corporis juncturas abluentes, omni malo liberam & absque ullius adminiculo ambulantem, salvam incoluméмque omni ex parte reddidêre. Cal. B. V. 10 sept. En quam medicinale sit Cinnamomum hoc Virgineum.

Cinnamomum subtiles, ac sursum tendentes habet virgulas: his designatur paupertas, & erectio à terrenis in B. V.

24. Quid jam de proprietate illa Cinnamomi, quà tenuissimas & subtiles ac sursum tendentes Virgulas habere dicitur de hac proprietate rursus Richardus: *Ostendit*, inquit, *quòd B. V. perfectè mundum contempsit, & perfecti contemptûs mundi nobis reliquerit exemplum; in Gracilitate enim notatur tenuitas paupertatis, & erectio à terrenis, quia Virga hæc Cinnamomi erecta est; in colore cinereo amor ipsius paupertatis, quæ non vult lucere in mundo, sicut nec cinis lucet, sed magìs vilescere, sicut cinis vilis est. Ideò ergo se dicit: quasi Cinnamomum, quia dedit perfectum exemplum contemnendi omne mundanum.* Unde Plinius lib. 12. nat. Hist. cap. 19. de Cinnamomo loquens: *Nascitur in planis quidem*, inquit, *sed & densissimis vepribus*, quô indicatur, Virginem ad instar purissimi lilii in hoc mundo inter spinas, animas videlicet filiorum hominum peccatrices quidem fuisse versatam, nullis tamen peccatorum oculis fuisse vulneratam. Unde Cant. 2. Sponsus, *sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias*: Sive ut legêre 70. Interpretes, *sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum.* Quod elogium transfert Guilielmus Abbas ad illibatam puritatem ac Virginitatem Deiparæ, qua inter Evæ filias purissimum lilium inter spinas, spinas alias producentes exiit, cùm ipsa lilium existens, aliud candidissimum lilium JESUM, qui de se ait: *ego flos campi, & lilium convallium*, germinârit. *Filias*, inquit ille, *vult vocari omnes alias ex Eva genitas, quæ spinæ sunt, quia concipiunt in libidine, & pariunt in dolore. Quod enim dictum*

Cinnamomum crescit inter vepres: quo indicatur illibata B.V. puritas, quæ inter filios Evæ, peccatrices animas veluti spinas semper mansit illæsa.

Evæ Matri: in dolore paries, dictum & filiabus. Unde Veritas: mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Sed Virgo lilium, quia pariens, gaudium & lætitiam habebat, & erat ei parienti in voce exultationis & confessionis quasi sonus epulantis, quia nihil in eam de maledictione Matris Evæ transierat, peperit ut cæteræ, sed non in dolore ut cæteræ, quia non in libidine concepit ut cæteræ. Numerabatur Virgo Mater inter Matres, hoc est, lilium inter spinas, quando quotannis cum cæteris Hierosolymam ascendebat, sed tunc singulæ illæ, quas pepererant spinas secum ducebant, sed hoc lilium inter illas spinans suum secum lilium adducebat. Quid parerent spinæ nisi spinas, corruptæ Matres, nisi puros homines & peccatores? At Virgo MARIA Mater peperit Redemptorem, Lilium peperit lilium convallium, lilium Virginitatis, lilium Majestatis, cujus candore tenebræ fugantur, cujus odore mortui suscitantur, cujus tactu leprosi mundantur, & omnes infirmi curantur; lilium, quod Filij, spinarum spinæ, pupugerunt, quando sacrato ejus vertici coronam spineam imposuerunt; videbunt suo tempore inquem pupugerunt, & experientur æquissimum judicem, quem iniquissimo judicio addixerunt. Hæc Guilielmus. Ex quibus colligimus, quòd quemadmodùm Deipara ob eminentissimam tam mentis, quàm corporis puritatem ita versata est inter hujusmodi filias; velut inter vepres spinásque, ut ab illis non suffocaretur, nec vernantem suum illum candorem amitteret, ita quoque inter reliquos peccatores terrenis deditos, in hoc exilio commorata est, ut ad instar Cinnamomi virgulæ inter vepres mens ejus in altum per terrenorum omnium despicientiam erigeretur, ita, ut diceret cum Apostolo: *Nostra conversatio in Cælis est.*

Lilium B. V. peperit lilium convallium spinis redimitum.

25. Illud denique de Cinnamomo notatu dignum est, quòd olim veteres illud secum, vel mortui, sepeliri voluerunt. Unde Andreas Laguna, Dioscoridis Commentator lib. 1. cap. 21. Tempore Pauli III. Summi Pontificis, quodam in sepulchro magnum Cinnamomi frustum repertum fuisse scribit, quod 1400. jam annis defossum retentâ pristinâ odoris suavitate fuerat. Felices ac ter beati, qui Virgineum hoc Cinnamomum & in vita & in morte secum habere desiderant, in eóque tanquam Phœnix moriturus sibi nidum quietis construunt; renovabitur sine dubio in suprema illa corporum Anastasi, ut Phœnicis aut aquilæ ad æternitatem immortalitatémque juventus eorum.

Cinnamomum veteres secum consepeliri voluerunt. Felices qui Virgineum Cinnamomum & in vita, & in morte secum habere desiderant.

26. Sepeliri voluit cum Virgineo hoc Cinnamomo sanctissimus Adolescens Casimirus Poloniæ Princeps, quando hymnum illum castissimis ardentissimisque in Virginem amoris affectibus plenissimum, in honorem Deiparæ à se compositum, supra pectus suum collocari, secúmque humari cupijt, uti anno 1604. patuit, cùm ipsius reserato sepulchro idem hymnus velut cordis ipsius purissimi signaculum in pectore quiescens repertus fuit.

S. Casimirus cum hymno Virgineo supra pectus suum collocato sepeliri voluit.

27. Cum eodem hoc Virginali Cinnamomo S. Hedwigis Ducissa Poloniæ sepulta fuit, quando Iconem Deiparæ manu gestans humari voluit. Manûs porrò illius digiti, qui Iconem continebant, post plures annos incorrupti reperti sunt, ut pote qui incorruptionis Matrem, ipsúmque corruptionis interitum, uti Virginem Sergius Hieropolitanus appellat, continuere.

S. Hedwigis cum Icone B. V. humari desiderabat.

28. Cum eodem hoc Cinnamomo sepeliri voluisse visus est Pater noster Ignatius Azebedius, qui, cùm in Brasiliam cum aliis multis è Societate nostra ad fidem Christi in barbaris illis regionibus amplificandam proficisceretur, in Calvinistas Piratas incidit. Hìc potissi-

Ignatius Azebedius S. J. in odium fidei occisus, cum Imagine Deiparæ fluctibus maris quam diutissimè supernatare visus est.

mùm virtus Ignatii eximiàque in Deiparam pietas enituit: Iconem enim S. MARIÆ majoris, manibus elatam, strenui Ducis Officiô functus, socios omnes ad fortiter vitam sanguinémque profundendum amore Christi, inflammavit. Cum eadem Imagine tanquam Ajacis munitus clypeô hostibus se se generosè opposuit, protestans se pro Christi Salvatoris sui fide Religionéque cervices lubentem volentémque daturum. Cum eadem Deiparæ Imagine, quam scelerati illi, immanissimique Calvini asseclæ de manu ejus irrito conatu extorquere conati sunt, tribus in pectore sauciatus vulneribus, & uno in capite, præceps in mare per summum nefas deturbatus est. Et licèt aliorum octo & triginta sociorum corpora in mare demersa, ampliùs visa minimè fuerint, corpus tamen Ignatii ope Virginis, quæ ei navis instar extitisse visa est, non subdidit, sed brachiis in formam crucis ad cœlum quasi amplectendum expansis, quam longè se se oculorum vis extendere potuit, super mare ferri magno spectantium stupore visum est. Quod sanè sacrosanctæ illi Virginis Iconi, quam manu simúlque corde medullitus moriens, ut ei in extremo illo agone foret propitia velut Cinnamomum, sacrámque quandam Anchoram strinxerat, jure merito adscribendum est. Virgo nimirum illa fluctibus hauriendum erexit, & ad horribile illud cum morte certamen animavit, ac corroboravit; illa forte certamen dedit illi, ut crudelissimos Christiani Nominis hostes vinceret, & ad capessendam æviternæ gloriæ immarcessibilem coronam inflammavit, adeò ut dicere possimus Virgineô hoc Cinnamomô, immortalitatis sempiternæque illius beatitudinis coronam fuisse exornatam. Hujusmodi enim coronas ex Cinnamomo interrasibili, ut loquitur Plinius lib. 12. cap. 19. Aurô inclusas, primus omnium in Templis Capitolij atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus.

Coronas ex Cinnamomo confectas auroque inclusas, primus omnium in templis capitolii, atque pacis dicavit Imperator Vespasianus.

29. Exornare sane videbitur Virgo nostra benignissima auream beatitudinis nostræ coronam, dum illam cum dilectissimò suo regnantem intuebimur, ejúsque suavissimo aspectu perfruemur. Quod Beatissimæ illæ ob omni materiæ concretione segregatæ mentes agnoscentes, ad cœlos illam instantissimè, ut quantocyús proficisceretur, iteratis illis invitationibus rogitabant: revertere, *revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Ubi Alanus Angelos ita Deiparam alloquentes introducit. *Revertere à dignitate Angelorum ad super excellentiam jam beatificatorũ Spirituum: Quia sicut in faciem Filij tui desideramus prospicere, sic in specie, & pulchritudine tua, vultus defigere volumus, & luce vultus tui illustrari.* Sic ille. Quasi vultus DEI Matris ipsius divinæ essentiæ (si ita loqui fas est) similitudinem quamdam præseferret, ejúsque luce irradiati cœlites, gloriam tantam speculantes, in imaginem ejus transformarentur *de claritate in claritatem* ita loquitur Apost. 2. Corinth. 2. 18. Hoc agnoscens B. Cardinalis Petrus Damianus Ser. 1. de Nativ. B. V. eadem illa expendens verba: *Revertere,* inquit, *Ad quid? ut intueamur te: Summa Gloria est, post DEUM te videre, adhærere tibi & in tuæ protectionis munimine demorari.* Hinc denique S. Bonav. *Summa nostra gloria est post DEUM de MARIA.*

Auream beatitudinis nostræ coronam multum exornabit B. V. dum illam cum filio suo dilectissimo regnantem intuebimur, ejúsque suavissimo aspectu perfruemur.

30. Fælix ille, ac dextro Sydere natus sanè credendus est, qui & dum in hoc exilio degit, ac moratur, & cùm ex hac vita decessurus, Virgineô hôc Cinnamomô, Deiparæ nempe Patrociniô se se commu-

Cinnamomo Virgineo & in vita & in morte mirum quantum corroborata fuit Dorothea Vidua Prutena.

munit ac corroborat, præsentissimum sanè ipsius auxilium experietur. Experta est B. Dorothea vidua Prutena, quæ circa annum 1399. vixit. Hæc ab ineunte ætate variis, iisque piissimis Deiparam prosecuta est obsequiis. Cùm adhuc esset septennis, quovis Sabbatho pane & aqua cœpit jejunare in ejus honorem, quod illa jejunium ad extremam usque senectam fideliter observavit. Vilissimo peregrinæ habitu Aquisgranum, Deiparæ Imagine celebre, nullis tam longi ac permolesti itineris difficultatibus territa, magna cum pietate Virginem veneratura adiit. Tanto Dei, ejúsque Matris amore flagrabat, ut aspera hyeme, qualis in partibus illis borealibus, nasis subinde decidentibus, esse consuevit, sola tenui tunicâ & brevi palliô uteretur. Et nihilominus tamen ardentiori intus charitatis accensa igne, membra ejus quasi in æstate copioso sudore diffluebant. Æstivis verò caloribus idem mentis ardor effecit, ut cùm is externum calorem longè superaret, sine molestia solis ardorem toleraret. His pietatis exercitiis occupatæ, subinde Dei Mater Angelorum numerosis stipata choris sanctorúmque variorum cætibus comitata, se se visendam exhibuit, eámque materno prorsus affectu suavissimis verbis consolata est. Alia quadam vice, die S. Agathæ Virgini Sacro, Sanctissimæ Eucharistiæ refecta deliciis, altissima contemplatione defixa, dum maximum cordis dolorem pateretur: ei adfuit Christus Dominus cum Matre sua sanctissima, plurimísque cælitibus, cordíque ejus quinque omnino sagittas, quas ego quinorum ejus vulnerum dolores fuisse crediderim, leniter infigens: *Dorothea*, inquit, *Filia mea, ut ego pro te, sic tu pro me dolorem patiare.* Dicere verè poterat, sancta hæc anima cælicis hisce telis sauciata, cum Christi Sponsa: *Charitate vulnerata ego sum.* Nec hìc hi cœli favores substitêre. Christus cum Matre sua dilectissima, cùm ad mortem in Cœlum abitura properaret Dorothea, ipsi mira luce circum septus apparuit, eámque suo sacratissimo corpore Eucharisticis speciebus contecto, manibus propriis refecit, & ad tantum conficiendum iter tam pretiosö viaticô corroboravit. Cal. B. V. 11. Sept. Ex quo Cinnamomo, Virginis nimirum Beatissimæ patrociniô, ejúsque dilectissimo Filio hæc Dei famula sepulchrum suum, ejus odore æviternum se se oblectatura communivit.

Cultui B. V. addictus quidam, mirabiliter ab æternæ mortis periculo servatur.

31. Eodem hoc Cinnamomo adversùs æternæ mortis impetum se se, dum viveret, communierat vir ille cultui Deiparæ addictissimus, cujus meminit Pelbartus, qui relatum sibi à viro fide digno asserit, quòd, ubi cum duobus sociis in Danubio fecisset naufragium, & ipse cum altero eorum enatâsset, tertius verò natandi imperitus fundum petiisset, & tertio jam die sub aquis jacuisset, advenisse cœlitus vocem, quæ eum ob tot peccata damnandum fuisse significabat, nisi preces meritáque B. Virginis, cui sedulò in vita servierat, intercessissent. Quare ubi ope Deiparæ ex aquis emersit, gratiis Dei Matri pro tantis beneficiis persolutis, magno animi dolore, peccata, Sacrâ exomologesi expiavit, totúmque se Patronæ suæ obsequiis, animi cordísque studens puritati, mancipavit. Atque hæc de Cinnamomo dixisse sat est.

DISCURSUS X.

VIRGO DEIPARA ASPALATHUS PARADISI.

Aspalathus arbor aromatica suavissimi odoris de qua Aristoteles, & Plinius, symbolum B. V.

1. Uia ubi legit editio vulgata: *Sicut Cinnamomum, & balsamum artomatizans odorem dedi.* Tigurinus Interpres vertit. *In modum Cinnamomi, & aspalathi odorem spiravi aromaticum.* Libet huic Interpretationi aliquantis per immorari, ac ostendere Aspalathum quoque Divæ Virginis Deiparæ clarissimum esse symbolum. De Aspalatho porrò Aristoteles Sect. 12. num. 3. Problematum hæc habet: *Arbores reddi odoratas ajunt, ut Aspalathum & Rhamnum, in quas Cœlestis Arcus decubuit. Provenit autem odoris ille effectus, non qualitercúnque se materies habeat; néque enim in viridi, néque in arida, sed in usta, posteaquàm, arcus supervenerit, certam reddi suavitatem Odoris Pastores referunt.* De eadem Arbuscula sic scribit Plin. lib. 12. Nat. Hist. cap. 24. *In eodem, Ægypti videlicet, tractu ad ripas Nili Aspalathos nascitur, spinâ candidâ, magnitudine Arboris modica, flore rosæ, radix unguentis expetitur.* Tradunt, in quocunque frutice curvetur Arcus cœlestis, eandem, quæ sit aspalatho, suavitatem odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quandam. Quidam eam Elisæi sceptrum vocant, alii sceptrum, Probatio ejus in rufo colore, vel igneo, tactúque spisso, & odore Castoreo. Quæ aspalathi proprietates, quàm aptè Deiparæ conveniant, facile est prospicere. Arbor verè est modica, magnitudine, Virgo nostra, ob profundissimam, quâ pollebat, humilitatem; spinis, sed candidis, circumsepta; quia licèt humanis miserijs ac pœnalitatibus, quæ candidæ quædam spine sunt, esset obnoxia, nulli tamen peccato sive originali sive actuali vel minimo, que atræ spinæ, culpæq; illius veteris Adæ Protoplasti nostri pænæ sunt, vel in anima, vel in corpore suo nunquam subjacuit. Unde Card. B. Petrus Damiani Serm. de assumpt. *Caro Virginis* inquit, *ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est.* Roseus Virgineæ hujus Aspalathi flos est, ob eximiam ipsius charitatē, quæ ad instar Rosæ Florum Reginæ ubique terrarum jucundissimum aspiravit odorem, uti postea speciali de Rosa Discursu dicemus, Eandem Charitatem Virginis color ille rufus igneúsqne Aspalathi significat.

Aspalathus ab aliquibus sceptrum appellatur, quo Nomine Regalis Virginis dignitas denotatur.

2. Illud quoque notatu sanè dignum est, quòd ab aliquibus sceptrum appelletur, quo Nomine Regalis Virginis dignitas denotatur: Unde Virga Jesse florida, Virga Assueri aurea, Virga Aaronis germinans & fructifera, à sancto Cyrillo Alexandrino, sceptrum orthodoxæ fidei nuncupata est. Richardus etiam à S. Laurentio lib. 12. vocat illam Virgam virtutis, per quam multis modis manifestata est virtus DEI. *Per eam enim notum fecit Dominus in populis virtutem suam: Dicitur quoque Virga virtutis, quòd Deus homo, Verbum caro, Mater Virgo fieret & Propterea dictum fuit illi: Vir-*

B. V. Virga Jesse florida, Virga Assueri aurea, Virga Aaronis germinans, & fructifera, Virga virtutis, Virga directionis appellatur.

Virtus altissimi obumbrabit tibi. Hæc denique est Virga directionis, Virga Regni Domini, quia dirigit meritis, orationibus & exemplis, quotquot ingrediuntur in Regnum Filij sui, & ab ipsa quærenda est per orationem directio & conductus: ut ei dicatur sicut Filio: Dirige me O Domina in veritate tua, & doce me, quoniam tu es Salus, & Salvatrix mea. Sic ille.

Aspalathus, Elisæi, sceptrum, seu baculus ille prodigiosus, quo mortui suscitati sunt appellatur. Quo designatur B. V. Jesu Christi sceptrum, quo peccatores ad vitam gratiæ, & clientes ad vitam sempiternam evocantur.

3. Nec vacat mysterio, quòd aspalathus Elisæi sceptrum appelletur, crediderim enim, eo Nomine prodigiosum baculum illum sanctissimi Prophetæ designari, quô ipse suscitabat mortuos, aliàque Miracula quàm plurima perpetrabat. Nisi enim baculus vim suscitandi mortuos habuisset, non utique illum per Giezi ad mortuum puerum Sunamitidis portari, eúmque super ejus faciem collocari præcepisset 4. Reg. 4. 29. Hujusmodi veri Elisæi Jesu Christi prodigiosum sceptrum, sive baculus ipsos ad vitam revocans mortuos est Virgo Maria nostra, quæ non modò vitam Spiritualem, Dum nos liberat à peccatis, suis precibus ac patrocinijs, verùm etiam vitam corporalem impertitur, uti innumeris comprobari potest exemplis. Addo per Virginem meliori vitæ nempe sempiternæ, gloriosóque Martyrum choro ad numerari nonnunquam pios ejus servulos ac clientes. Testes sunt Patres Ordinis S. Dominici Sandomirienses in Polonia, qui dum die quadam Reginam misericordiæ, vitam, dulcedinem, ac spem nostram magno pietatis affectu, uti consueverant, consalutarent, à sævissimis Scythis in Templo Hostiæ Deo Virginíque gratissimæ ceciderunt, eorúmque nomina in librum vitæ, ab eadem misericordiæ Matre transcribi visa sunt; siquidem nocte eam barbarorum cladem antecedente, dum Novitius Martyrologium ad diem sequentem legere incipit, mox aureis literis novos & planè admirabiles exaratos cernit characteres, qui ita sonabant: Sandomiriæ passio 49. Martyrum. Mox sequebantur eorundem Nomina, quæ legeret, an taceret? dubitabat. Timore tamen abjecto, aureum illud edictum, voce cygnea cantator funeris ipse sui recitavit. Quod dum cernunt Fratres & ipse Prior, aureæ illæ literæ cum notis inter manus legentium, ac obstupentium Fratrum evanuernnt. Hôc ostentô certiores redditi, se precibus meritisque Virginis cœlo adscriptos, Martyrij laureis mox decorandos mirificè læti, Deo ejúsque Matri pro tam singulari beneficio gratijs actis, tanquam generosi Christi milites se se ad certamen præparârunt. Cal. B. V. 4. Augusti.

Patres S. Dominici Sandomirienses in Polonia, dum Salve Regina cantarent, à scythis occisi, ad Martyrum choros evocati, & libro vitæ inscripti sunt.

Humilitas Mariæ Aspalathi radix medicinalis.

4. Radix quoque Aspalathi nostræ, quæ mirifica ipsius est Humilitas, unguentis, medicamentis, ac malagmatis omnium peccatorum nostrorum jure expetitur: Cùm enim omnium malorum, morborúmque nostrorum, maximè spiritualium radix, Evæ superbia extiterit, merito humilitas Mariæ velut Aspalathi radix, ad animæ potissimùm nostræ curandos morbos adhibenda est.

5. Neque veró mirum nobis videri debet, quòd Aspalathus Deiparam adumbret, cùm Rabanus doceat, Aspalathum nobis viros Spiritu humiles & passionis Christi amantes repræsentare; quantò igitur magìs humillimam Domini ancillam, Spiritu humilitatis plenissimam, & Passionis Dominicæ meditandi studio addictissimam? *Aspalathus rectè ipsa sua brevitate humiles spiritu, quorum est regnum Cælorum, significat, qui quasi purpureo vestiti colore, semper Dominicæ Passionis sunt memores, semper ipsi ad id patiendum pro Domino parati, qualis erat, qui ait: Quo-*

Aspalathi Brevitas, humilitatem: Flos roseus, memoriam Passionis, & studium imitandi significat.

Quoniam propter te morte afficimur tota die: Æstimati sumus ut oves Occisionis. Nam & hæc est virtus, quæ maximè inter nos, amicorum motus ac lascivias, quasi viscerum dolores castigare ac tollere consuevit: Cùm recogitantes, quid pro nobis passus est DEUS, minùs nos pati, quàm debemus, agnoscamus. Benè ergo junguntur Cinnamomum & Aspalathum; Quia Dominicæ passionis Sacramento nostræ conversationis confermari debet status, ut juxta Joannis sententiam: Sicut ille pro nobis animam suam posuit ita & nos discamus pro fratribus animas ponere. Quod enim Aspalathum spinæ candidæ similitudinen habet, flore roseo, significat quòd dolorem Passionis Dominicæ in nostræ conversationis angustia quotidie debemus imitari, juxta illud, qui vult venire post me abneget semet ipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. Quòd autem radix ejus unguentis expetitur, significat humilitatem Christi, omnium virtutum odorem commendare, & ad suavitiatem æternæ dulcedinis electis DEI redundare. Hæc Rabanus, quæ si ad Virgineam humilitatem, reliquásque ipsius Deiparæ virtutes transferantur, mirificè eas nobis mentis oculis proponunt.

Aspalathus suam odoris suavitatem ab arcu cœlesti, B.V. ab incarnatione, & pietate, Divina suam virtutum omnium fragrantiam accipit.

6. Harum porrò sicut & aliarum virtutum omnium, in Virgine nostra origo & causa, Misericordia DEI est, & mirabilis divini Verbi in utero ejus incarnatio, quam sicut & Divinam pietatem, Arcus Cœlestis, qui super Aspalathum decumbere dicitur; eúmque inenarrabili suavitatis odore replere, designat. Cœlesti siquidem amoris igne Virgo usta, post aquam illam divinæ gratiæ, quâ plena priùs in Annuntiatione Angeli, & post in superventione Spiritus S. Superplena fuit, mirâ tantarum gratiarum, virtutum, charismatúmque odoris suavitate fragravit, adeò, ut Adolescentulæ vel de solo ipsius Nomine, quod Dominam totius universi sonat, cecinerint: *Unguentum effusum Nomen tuum.* Et ipse Denique Sponsus Cant. 4. *odor Vestimentorum tuorum variarum virtutum*, videlicet, quibus velut vestitu deaurato circumdata fuit varietate sicut odor thuris.

Arcus cœlestis divinæ misericordiæ symbolum est.

7. Arcum Cœlestem porrò Divinæ illius misercordiæ, quæ Virgini potentiæ infinitæ conjuncta, magna fecit, extendítque se à progenie in progenies timentibus se, symbolum esse clarè ostendit Moyses Gen. 9. 11. ubi introducit universorum Creatorem, post diluvium pietatem, misericordiamque in genus humanum contestantem, dum prolixè pollicetur: ampliùs se nunquam cataclysmô orbem terrarum deleturum, sed perpetuum se fœdus pacémque cum homine initurum: *Statuam*, inquiens, *pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvij, néque erit deinceps diluvium, dissipàns terram. Hoc signum fœderis quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus & erit signum fœderis inter me & inter terram. Cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum &c.* Arcum hunc Cœlestem ait. D. Ambr. lib. de arca Noë cap. 27. DEI misericordiam denotare, veréque misericordiam illius esse Arcum illum, de quo cum Noë loquebatur, non autem Iridem hanc, quam subinde in aëre cum admiratione contemplamur. *Consideremus*, inquit S. Doctor, *quid sit quod ait: Arcum meum ponam in nube &c. Non enim sicut plerique arbitrantur, arcum istum dicit, quem ajunt homines esse, quô pluviarum aliqua signa declarantur, in quo colores diversi, tanquam radiorum solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore figurantur, unde pluvia futura*

futura significatur, eò quòd inconstantia quædam serenitatis, versicolore specie demonstretur. Arcum hunc Irim quidam appellant, sed absit, ut hunc Arcum DEI dicamus. Hic enim arcus qui Iris dicitur, per diem videri solet, per noctem non apparet. Etiam per ipsum Diem, si obductus aër tetris nubibus fuerit ne sic quidem videtur, nisi fortè, cùm graviores nubes se cœperint relevare. Ergo videamus, ut quia arcus, quo sagittæ jaciuntur, nunc tenditur, nunc resolvitur, quandam extensionem ac remissionem videatur scriptura significare, per quam néque penitus per nimiam extensionem universa rumpantur, sed sit quædam mensura, & quoddam divinæ virtutis examen. Est ergo virtus invisibilis Dei, qua & specie istius arcûs extendendi & remittendi moderatur pro divina voluntate, misericordia, potestate, quæ néque omnia confundi nimia solutione, néque dirumpi nimia irruptione patiatur. Quam ideò in nubibus dicit poni, quia tunc maximè opus est divinæ auxiliô providentiæ, quando agmina nubium in procellas, tempestatésque coguntur. Ideóque dicit: Arcum meum ponam in nube, non sagittam ponam. Arcus enim instrumentum jaculandæ sagittæ est. Itáque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta. Et ideò Dominus in nubibus arcum magìs quàm sagittam ponit, id est, non illud, quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non solet. Sic ille.

Arcum ponit Dominus in nube, ut terroris indicium sit, non verò sagittam, quæ vulnerat.

8. Hinc Joannes Apostolus Apoc. 4. in visione illa superni judicis admirabili ac terribili, thronum ejus Arcu hoc cœlesti circumdatum, contemplatus est, ad ostendendum, quòd licèt Divinissimus ille Judex foret justissimus, & ad instar lapidis in æquitatis & justitiæ rigore obduruerit, nihilominus tamen effusissimâ misericordiâ omnis ille rigor temperetur. Unde cùm severitatem Judicis Verbis illis descripsisset: *Ecce sedes posita erat in Cœlo, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectui Jaspidis & Sardinis* mox misericordiam ejus adumbravit: *Et iris erat in circuitu sedis similis visioni Smaragdinæ.* Hinc Blasius Viegas in cit. Apoc. cap. n. 5. *Maximè omnium,* inquit, *literalis expositio ea nobis videtur, significari per Iridem Divinam misericordiam, cùm iris fœderis & clementiæ symbolum sit, quâ undique Dei thronus ambitur, quia ubíque & omnibus eam præstat.* Ratio hujus similitudinis duplex est, una, quia sicut iris variorum colorum, eorúmque pulcherrimorum speciem refert, ita DEI misericordia multiplex est, eáque pulcherrima. Cæruleum colorem licet agnoscere in fide, quæ tota Cœlestis est, in spe viridem, in charitate rubicundum, intermedios in reliquis donis gratiarum, quæ Deus Justis liberaliter impertit: altera, quia sicut Iris gerit speciem arcûs adversùs cœlum intenti, ita arcus noster, & arma ad DEUM promerendum, & quodammodò vincendum, cœlúmque ipsum expugnandum una DEI misericordia continentur. Sic enim appellavit Jacob Gen. 48. cùm dixit ad Joseph Filium: Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Ubi per gladium & arcum Chaldæus Paraphrastes Divinam misericordiam intellexit, cùm legit: quam tuli de manu Amorrhæi Oratione mea & deprecatione mea, per illam enim DEUS Orationem Jacob exaudivit, cùm enim deprecationes nostræ misericordia DEI innitantur, rectè gladiô & arcu, quibus imminentes nobis miseriæ velut hostiles copiæ expugnantur, designari consueverunt.

Arcu circumdatur Thronus, id est misericordiâ, severi Judicis, quem Joannes vidit. Apoc. 4.

9. Arcum hunc Divinæ misericordiæ intendisse visus est Regius Psaltes, dum canendo ingemiscebat: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* In Iridem hanc coloris Smaragdini, miseri-

cordiam nempe, cujus Smaragdus ob viriditatem Symbolum est, oculum fixisse idem videbatur, dum canebat: *Ego autem in misericordia tua speravi.* Psal. 12. ob hanc spem semper virenti olivæ se se comparat Psal. 41. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo DEI speravi in misericordia DEI in æternum.* Jure denique Iridi, viridique colori Smaragdino misericordia Dei comparatur, quia sicut Iris prænuntiat nobis pluvias, ita misericordia divina copiosos gratiarum cœlestium imbres, in mortalium pectoribus infundit. Et quemadmodùm viridis color mirum in modum aspectum recreat & roborat, ut loquitur Glossa; ita nihil est, quod mortalium animos magìs consoletur, quàm DEI misericordia. Hinc Plin. lib. 37. cap 5. *Smaragdus est lapis admodùm pretiosus, átque oculis intuentium gratissimi viroris, cujus viriditas tantæ est potentiæ, ut cui rei proximè adhibeas, inficiat colore, átque omnem circa se aërem viridem reddat. Viror inest*, inquit, Cœlius Pannonius in c. 4. Apoc: *Misericordiæ DEI, qui imbuit omnia. Nam misericordiâ diviniâ plena est terra, & hæc gratissima omnibus, omnes afficiens, ac mirè delectans.* Quòd Iris porrò varij sit coloris, hoc exprimi arbitror, quia varia sunt dona gratiarum, per misericordiam Deíque propitiationem humano generi collata, quæ enumerat. Apostolus 1. Cor. 12. *Alij quidem per Spiritum datur Sermo sapientiæ, alij autem Sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatis, alij operatio virtutum, alij interpretatio sermonum.* Quæ dona omnia in Summa excellentia Deiparæ, ab effusissima DEI misericordia collata sunt, ut fusè declarat S. Antonius & B. Albertus Magnus Tract. super Misus.

Arcui cœlesti, seu Iridi viror inest, Misericordiæ DEI motivum spei, cujus symbolum est viror.

Arcus cœlestis est varii coloris, quia varia dona gratiarum per DEI misericordiam accipimus.

10. Idem *Cælius Pannonius* Cælestem Arcum divinæ misericordiæ, sive propitiationis signum esse ibidem testatur. *Hic, inquiens, qui judicandi potestatem in virtute sua tenet, sedem suam propitiationis signo ambit, eo quòd Ecclesia tota propitiatione sit posita: Nam & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi;* Joan. 2. *Ecce Iris,* Item: *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus, ùt nihil sit usquam in Ecclesia DEI, quod non Iride permixtum sit, id est DEI propitiatione, ubi toties fit remissio, quoties remittendum sit, Respondit ei: Non septies tantùm sed septuagies septies: id est toties quoties* Matth. 18. *Ecce Iterum Iris, DEI videlicet miserentis magna propitiatio, magna in nos gratia. Petrus juxta humanam existimationem magnum quid reputabat septies remitti noxam proximo peccanti: Sed Christus uberiore indulgentia compressit eam illiberalem reputationem, à quo quidquid in nobis est, non nisi mera propitiatio est, ut tutò dixeris, rectissimè in revelatione tantæ gratiæ, tanto in nos favoris Iride, ejus sedem ambiri, quia in circuitu Regni Christi ubique propitiatio est.* Hæc ille.

Arcus cœlestis Misericordis DEI propitiatio.

11. Quid mirum igitur, Virgineam hanc Aspalathum tantam gratiarū fragrantiam toti mundò inhalâsse cum in illā divina misericordia se se totam effuderit, eámque omnibus Cœlestium charismatum odoribus repleverit, halitúque quôdam divinô virtutum omnium circumdederit: Nimirum Virgo nostra est terra illa, quæ, ut loquitur Plin. lib. 17. cap. 5. cùm à siccitate continua (suæ perpetuæ Virginitatis) immaduit imbre illô, & in quam arcus Cœlestis dejecit capita sua, tunc emittit suum illum halitum divinum, ex sole videlicet justitiæ conceptum cui comparari suavitas nulla potest.

B.V. est terra illa sicca, quæ postquam immaduit imbre, & arcus cœlestis virturem recepit, suavissimum expirat halitum.

12. Quòd si per Arcum Cœlestem, divini Verbi in sacratissimo Vir-

Verbum incarnatum meritò Iridi comparatur.

Virginis utero peractam incarnationem intelligamus, adhuc longè luculentiùs tam miram illam, qua orbem universum virtutum suarum odore recreavit, perspiciemus fragrantiam. Et jure sanè incarnatum Verbum Iridi comparatur. *Quemadmodùm enim*, inquit Ansbertus, *Arcus Cœlestis divini fœderis pignus tunc apparet, cùm solis radijs umbrifera fuerit nubes illustrata, ita cùm Patris Verbum quod candor est lucis æternæ & sol justitiæ, humanam suscipiendo naturam irradiavit, ipsa humilitatis suscepta reconciliatio facta est mundi, ut cecinit* Isajas 19. cap. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem*, quo loco per nubem humanitatem nostram intellexit, S. Augustinus Tract. 34. in Joannem & alij.

Iridis proprietates applicantur Christo Domino.

13. Hic est Arcus ille, ad quem attentè contemplandum nos hortabatur Siracides Eccli. 43. 22. *Vide Arcum & benedic eum, qui fecit illum: Valde speciosus est in splendore suo, giravit sive cinxit cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illam.* Ubi monemur, ut aspiciamus irretortis oculis Salvatorem, ad eúmque imitandum laudandúmque Cœlestem Patrem, qui ope Spiritûs sancti illum efformavit, excitemur. Arcus verè Cœlestis est Christus, tum quia sicut sol nubi roscidæ immixtus, facit Iridem, ita Verbum carnem irradians, eáque se se contegens facit Christum: tum quia sicut Iris fuit pacis symbolum, pacisque prognosticum, ita & incarnatio Verbi fuit vera mundi cum Patre æterno reconciliatio: tum quia sicut Arcus habet duo cornua, ita Christus duas complectitur naturas, divinam videlicet & humanam, unionis hypostaticæ invisibilis & arcana chorda seu vinculô sociatas: tum quia sicut in Iride triplex color visitur, cæruleus viridis, & rubens, Ita Christus cæruleus fuit, quia Cœlestis. Unde Apostolus 1. Cor. 15. Secundus de cœlo Cœlestis, Viridis virtutum vernantium seu florum amænissimarum virore, Rubicundus in passione tolerantia, sanguinisque in cruce effusione; unde ei dicebant Angeli. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Isa 63. Eandem ob causam ajebat Sponsa *Dilectus meus mihi candidus & rubicundus.* Cant. 5.

Divinæ Iridis sagittæ sunt amoris tela.

14. Sagittæ denique hujus arcûs sunt invisibiles humanis oculis, sicut & chorda, quis enim amorem Christi valeat comprehendere, qui æterni Patris pectus velut telo, ut humano generi misereretur, sauciavit? His amoris sagittis confixa quoque Sponsa clamabat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, sive ut legêre 70. Interp. *Quia vulnerata charitate ego sum*, O verè speciosum hunc Arcum in splendore pulchritudinis suæ, siquidem eum oculis mentis nostræ repræsentat, de quo canebat Propheta Regius Psal. 44. *Speciosus formâ præ Filijs hominum.*

15. Verè non modò cœlum, verùm etiam terram gloriâ suâ gyravit ac circumcinxit, pleni siquidem sunt cœli & terra Majestatis gloriæ ipsius: si enim gloria nil aliud est, quàm clara notitia cum laude, quis unquam ita tanta cum claritate tam à Cœlestibus, quàm terrigenis, perennibus associati laudum præconijs, in tota hac universitate est agnitus àtque filius DEI ac Virginis, quem ut ait Job, *Laudant simul astra matutina, eique jubilant omnes Filij DEI?* Verè denique manus Exelsi aperuerunt arcum hunc; siquidē Spiritus sanctus in Virginem superveniens, & virtus altissimi eam obumbrans, Arcum hunc animatum ambabus quodammodò bonitatis ac Omnipotentiæ manibus, efformavit, quem Virgo enitens àtque in lucem partu suo Virgineo educens, quodammodò aperuit,

Arcus cœlestis Christus benedictus pulcherrimum Spiritus sancti opus.

eóque cœlum terrámque simul exornavit. Quare præclarè Rupertus lib. 1. de Spiritûs S. operibus cap. 2. *DEI & hominum mediator JESUS Christus est primum & præcipuum Spritûs S. opus, quô pulchrius aut, preciosius nihil unquam fecit DEUS, aut iste DEI Spiritus.* Idem piissimus Abbas cap. 16. explicans encomium illud ejusdem Arcus: *Speciosus formâ est, &c. pulcherrimum hoc atque piissimum,* inquit, *hujus Spiritûs S. opus est, quô pulchrius aut pretiosius nihil unquam fecit DEUS, aut iste DEI Spiritus.* Idem piissimus Abbas cap. 16. explicans encomium illud ejusdem Arcus? *Speciosus formâ est &c. Pulcherrimum hoc atque pyssimum*, inquit, *hujus Spiritus S. opus est, quod interventu amoris æterni, qui ipse est forma Domini, formato conjunxit homini, conjunctione sempiterna, conjunctione indissolubili, ita ut forma & formatus unus sit formosus, unius personæ speciosus DEus & homo JESUS Christus.* Sic Rup.

Ex iride seu Arcu Cœlesti Christo omnia dona Spiritus sancti in Virgineam Aspalathum redundarunt.

16. Cùm igitur hæc Iris pulcherrima Incarnatum ipsum Verbum super Aspalathum hanc Virpineam incuberit, carnem in ipsius purissimo utero assumendo, quid miramur eam de virtutum Heroicarum ipsius fragrantia participasse? quid miramur tam suavem odorem orbi universo aspirasse? siquidem omnes gratiæ, omnia charismata, omnia Spiritûs sancti dona, quæ in incarnatum Verbum velut florem de radice Jesse oriundum requievisse cecinit Isaias c. 11. in Virgineam hanc Virgulam, velut Aspalathum redundârunt.

17. Virgæ hujus, sive Aspalathi suavissimum odorem sensêre beatissimæ illæ mentes, cùm dicebant Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarij?*

18. Arcûs hujus Cœlestis animatíque gratiarum omnium fragrantia planè divina adeò in Virginem redundavit, ut & ipsa in Iridem quodammodò transmutata fuisse visa sit. Unde S. S. Patres ideò fortasse & ipsam Arcum Cœlestem appellare non dubitârunt. Audiendus hìc S. Bernardinus Sen. Tom. 3. Ser. 1. de Nom. B. V. Ar. 1. c. 3. *Ipsa est Arcus fœderis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit utráque unum, faciens pacem, ut reconcilie t ambos in uno corpore.* Eph. 2. Audiamus & S. Antoninum Archiepis. Florent: qui 4. Par. Tit. 15. cap. 44. Introducens Angelos ad se Virginem, ut illorum choro conquiescat, invitantes, illam ita loquentem adducit: *decet me in glorificatione esse juxta filium meum per intercessionem continuam pro humano genere, ut cùm DEUS peccatis hominum diluviô flagellorum minatus fuerit subvertere, ego ut Arcus appaream in conspectu ejus, indéque recordatus fœderis sui repropitietur eisdem, ne dissipet mundum.* Sic ille. Hanc sine dubio crediderim ob causam S. Ephrem Ser. de Laud. B. V. eam ita salutavit. *Ave Domina nostra, fœdus pacémque fidelibus tuis impetrans.* Arcum fœderis intelligens quoque esse Deiparam B. Andreas Cretensis Orat. de Anunc. *Salve*, inquit, *Divina cum hominibus reconciliatio.* Et alibi eandem commune mundi Propitiatorium appellavit.

Iris Virginea gemino colore, viro re fœcunditatis, & igneo rubore Virginitatis resplendet.

19. Arcum Cœlestem, divinis odoribus fragrantem, miráque venustate decoratum agnovit, esse Deiparam Joannes Card. Halgrinus, qui elogium illud expendens Sponsi: *Quàm pulchra es, & quam decora charissima in delicijs!* ita loquitur: Quasi dicat: *Quàm pulchra es in Maternitate, quam decora in Virginitate, & admirabilis in utróque. Illa enim est Arcus, de quo dicit Ecclesiasticus: Vide Arcum & benedic eum, qui fecit illum; valde enim speciosus est in splendore suo.*

Re-

Resplendet enim duobus coloribus, quorum uterque est alteri ad decorem: Habet enim virorem aquæ, quæ Mater est multorum animalium, habet & ruborem ignis, qui Virgo est, quia animal nullum parit. His duobus coloribus B. V. velut arcus cæli speciosa refulget. De hoc dicitur ad Noë: ponam arcum meum in nubibus Cœli, & recordabor fœderis mei, &c. Ipsa enim in Cælestibus assumpta est, ut recordetur Dominus misericordiæ, quam humano generi repromisit. Sic ille.

20. Eandem Cœlestem Arcum esse agnovit Joannes Geometra. Hym. 2.

Salve versicolor cœlum Iridis instar, amœnas
Virtutum formas, florigerásque ferens.

Ostenditur qua ratione in incarnatione facta sit iris cœlestis.

Similiter & Richard. à S. Laurent. lib. 5. de laude B. V. *est gloriosa Virgo Arcus, quantùm ad incarnationem Verbi. Arcus enim est ex radiis Solis & humida nube, quod factum est in incarnatione, quando Sol justitiæ, qui est splendor Patris, ingressurus Ægyptum mundi, ascendit super nubem levem, id est sibi mundissimam carnem, sine pondere peccati univit, quod in utero Virginali factum est. Et sic factus est velut quidam Arcus, qui fit in die pluviæ: Sol quantùm ad generationem Filii; quia sicut sol sine sui corruptione gignit radium, sic & Virgo filium.* Idem lib. 6. cùm Virginem apud Eccli. 24. ita loquentem introduxisset: *In me omnis spes vitæ & virtutis* hæc attexit: *In ipsa enim est spes nostra, spes inquam vitæ & virtutis, per fiduciam impetrandi, quia ipsa est arcus in nubibus, in signum justificationis, quia justificati per eam ascendunt.*

21. Quid Pelbartum de Temesvvar commemorem, qui cum lib. 11. stell. par. 2. cap. 2. præmisisset ex Fulgentio: *Cælum & terra jam dudum ruissent, si MARIA suis precibus non sustentâsset:* hæc addit: *propter quod ipsa B. Virgo figuratur per Arcum cœli, de quo Gen. 9. ponam arcum meum in nubibus, &c.* Nimirùm sicut arcus est ad nos inclinatus, ita DEUS nobis est misericorditer propitiatus, adeò, ut quemadmodùm arcus cœli, cùm per æthera distenditur, nulla cœli intemperies, nulla tonitrua eam comitantia formidanda sunt: Sic B. V. coram DEO pro nobis interventrix apparens, tanquam Mediatrix inter DEUM & terram, sive homines mitigat DEI iram, ne deleat universam terram, recordatur fœderis sui facti cum genere humano, quando naturam humanam suo filio ex Virgine copulavit, ut DEUS fieret homo. Hinc Bern. *Nemo,* inquit, *O Domina, tam idoneus, qui gladio se objiciat pro nobis, ut tu amantissima Mater DEI, per quam primam suscepimus misericordiam de manu DEI nostri.*

B. V. mediatrix & signum fœderis.

22. Denique Bernardinus Bustius Par. 9. Mar. Ser. 2. assi. 10. *Ipsa profectò B. V.* inquit, *est Arcus fœderis sempiterni, positus in nubibus cœli, ne interficiatur omnis caro, Nam ipsa illum nobis genuit, qui fecit utraque unum; & quemadmodùm arcus ille est sine chorda & sagitta: Sic B. V. est sine chorda indignationis, quia est tota mitissima, est quoque sine sagitta comminationis, quia est tota dulcissima. Unde S. Bernard. quid humana fragilitas trepidat accedere ad MARIAM? nihil austerum in illa, nil terribile, tota suavis est. Habet autem duo cornua, gratiam scilicet & misericordiam, & ista tenet versus nos, quia justis dat gratiam, & peccatoribus indulgentiam ac misericordiam. Ideo appellatur Mater gratiæ & misericordiæ. Dum ergo arcus hic sine chorda, & sagitta inclinat ad nos cornua, significatur, quòd B. V. minimè nos ferire velit, sed potiùs misereri ac parcere, & quòd propter immensam pietatem suam semper Filium suum inducit ad parcendum, non autem ad feriendum, clamans identidem: Parce domine, parce populo tuo.* Quare de hac Virgine dicere possumus: *Quasi Arcus refulgens inter nebulas gloriæ,* Eccl. 50.

Arcus Virgineus cum nihil habeat terroris, cur non peccator accedat confidenter?

23. Dum igitur in hac Virginea Aspalatho, Arcus ille Cœlestis, incarnatum videlicet Verbum incubuit eámque totam suarum virtutum charismatúmque divinorum fragrantiâ replevit, innumerísque bonis, ut pote summum æternúmque bonum cumulavit, eam in se adeò transformavit, novus Arcus æterno illi simillimus, Virgo nostra videretur, átque ita duplici, eáque pulcherrima Iride, quod subinde fieri videmus, Cœlum hoc magna totius orbis admiratione decorari visum est. Dicat igitur Deipara, ac in Domino glorietur: *Quasi Cinnamomum & Aspalathum Aromatizans odorem dedi.*

Qui desiderat odore gratiarum & virtutum repleri, humilitatem B. V. imitetur.

24. Quæ cùm ita se habeant, cupit aliquis Virginearum Virtutum odore ad instar Aspalathi fragrare? Deiparæ humilitatem imitetur, quâ se ita demisit, ac si rubus, quidam peccatorum Spinis obsitus foret, cùm tamen eâ mentis corporísque, puritate refulserit, qua sub Deo major reperiri non potuit, tantâ támque excellenti munditiâ adeò divinis oculis placuit, ut æternum illud Verbum, velut Ignis eam totam ad instar Mosaici rubi occupaverit, nec tamen Virgineam ipsius integritatem læserit. Tantam fragrantiam singularis illa ipsius demissio animæ exhalavit, ut usque ad Thronum Dei Filij, ejúsque accubitum, qui sinus est Patris, ascenderit. Unde ipsa de eximia hac humilitate gloriari non dubitavit: *Cùm esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum.* Tantus denique hic ejus mentis candor extitit, ut idem Verbum in eam ad instar Iridis descendere, eámque misericordiæ suæ rore replere, omniúmque charismatum suorum odore cumulare non fuerit dedignatum.

25. Hanc igitur Aspalathi parvitatem, ut & reliquas virtutes, in Virgine semper suspiciamus, ac veneremur, eásque ob oculos ad imitandum nobis proponamus, si bonus odor Christi, in omni nostra conversatione esse desideramus. Hæc enim tanquam virtutum omnium exemplar ad imitandum nobis data est, adeò, ut unicuique nostrûm Deus Pater, intentô in Virginem digitô, dicere videatur. *Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. Hinc S. Greg. Thavmat. Ser. 2. de Annunc. B. V. *Hæc credentium*, inquit, *est firmamentum, & piorum perfectum exemplar.* Sapientissimus quoque Idiota eandem virtutum exemplar vocitavit: quod non solùm ob oculos habere, verùm etiam ad virtuosè laudabilitérque operandum, manum admovere fideles omnes addecet: sic enim divinum illud consilium adimplebimus. *Inspice & fac:* Quod sanè luculenter Absolon Abbas Ser. 28. qui est de Nativ. B. V. dilucidavit, *omnibus*, inquiens, *animi votis, amplectenda sunt gaudia, quæ MARIÆ Nativitatem festivam faciunt, ut non solùm portemus ea in corpore, sed & mentis affectu interiùs ac foris, attestatione bonorum operum prosequamur, nec similes illis inveniamur, qui ludus & gestus theatrales libenter aspiciunt, quos tamen judicio rationis improbantes, eò quòd meritò in reprehensionem veniunt, minimè cupiunt imitari*

B. V. Exemplar omnium virtutum nobis datum ad imitationem

26. Quare unusquisque nostrûm suavissimam Virginearum virtutum persentiscens fragrantiam, quam ei incarnatum Verbum, ejus in utero novem mensibus conquiescens contulit, desideriô tanta virtutum decora imitandi succensus, roget illam identidem: *Trahe me post te: curremus in unguentorum tuorum odorem.* Cant. 1. Quemadmodùm enim illa trahi se ad currendum in virtutum stadio magnis passibus post Sponsum postulavit, suóque exem-

Roganda est Beatissima Virgo, ut trahat nos post se in odorem virtutum suarum.

xemplô adolescentulas ad cursum animavit; sic & nos intuendo tantæ virtutis pulcherrimam in ipsa expressam ideam, odore unguentorum ipsius attracti, concitato gressu ita virtutis iter alacriter ingredimur, ut & alios nostrô exemplô ad idem capessendum exstimulaturi simus. Audiendns hìc mellifluus Doctor qui Ser. 20. in Cant. Orationem illam Virginis expendens. *Quid mirum*, inquit, *si indiget trahi, quæ post gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum, qui salit in montibus, transilit colles? velociter ait, currit sermo ejus, non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exultat ut Gigas ad currendum viam; non potest suis viribus, ac propterea rogat se trahi. Trahe igitur me post te. Trahe quodammodò invitam, ut facias voluntariam. Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim, current adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meô excitatæ exemplô atq; hortatu, ac ita omnes in odorē unguentorum tuorum curremus. Habet Sponsa imitatores, sicut & ipsa est Christi: & ideò non ait singulariter curram, sed curremus.*

27. Audiendus hìc quoque Venerabilis Philippus Abbas bonæ spei, qui lib. 1. cap. 13. in Cant. *Tractam*, ait, *fuisse ad Sponsum Beatissimam Virginem, cùm Verbum velut iris in eam, tanquam in Aspalathum descendit, eámque ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evexit, nósque ad currendum post se exemplô ipsius animavit. Ideò fortè Virgo*, inquit ille, *trahi se singulariter postulavit, cursuram verò non solam, sed unà cum cæteris affirmavit, quia ipsam specialiter eligendo in Matrem Dei, Filius ad se traxit, sed ipsa sibi sola fructum hujus operis non contraxit. Ex eo enim, quòd ad prærogativam Matris est singulariter sublimata, sequentibus adolescentulis, non parva utilitas est collata, dum eandem imitari dignè Virginem studuerunt, & ad diligendum Sponsum pro suo quæque modulo concurrerunt. Curramus & nos post Sponsum & Virginem, illarúmque virtutum cœlestem fragrantiam; curramus tanquam Filii post Matrem, & purissimæ ipsius vitæ nos conformemus exemplô. Caveamus, ne inane Nomen Filii absque virtutum ipsius æmulatione nobis usurpemus, alioquin metuendum, ne contingat nobis, quod illi, qui Deiparæ supplicans clamabat: Monstra te esse Matrem. Audivit ab illa vicissim, monstra te esse filium. Quare vocem illam æternæ veritatis auribus nostris intonantem audiamus* Joan. 8. *si Filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Quæ verba considerans Richar. à S. Laur. lib. 7. par. 4. *Filij Mariæ*, inquit, *sive imitatores, in tribus maximè sunt, castitate, largitate, humilitate. Filius ejus enim es, cujus opera facis.* Hinc Petrus Ravennas: *Qui Genitoris non facit opera, negat genus, secundùm quod Dominus dixit illis: si filij Abrahæ estis, &c.* Filii ergo Mariæ imitatores ejus in benignitate, mansuetudine & misericordia, & hujusmodi, quod est currere in odore unguentorum ejus. Hæres autem hujus erit in futuro, qui filius ejus sic fuerit in præsenti, *quia si filii & hæredes.* Rom. 8. de hujusmodi porrò progenie Filius Matri suæ promittit: *Effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Isa. 44.

Adhortamur ad currendum post filium & Matrem.

28. Benedictionem hanc à Virgine consecuta est Beata Eustochium Ord. S. Claræ, quæ cùm suprà cæteros sanctos Reginam sanctorum omnium sibi ad imitandum ac venerandum præcipuè delegisset, varios favores à DEI Matre accipere meruit. Cùm enim ad strictiùs ex S. Claræ præscripto uivendum, monasterium de Summi pontificis auctoritate extruxisset, insignem persecutionem, tum à Clarissis, quas deserebat, tum à Minoribus observantibus, qui Monasterii illius novi curam suscipere detrectabant, passa esset, à San-

B. Eustochium Ord. S. Claræ consecuta est benedictionem à B. V.

Sanctissima Virgine afflictorum consolatrice benignè visitari, & de variis arcanis edoceri meruit. In honorem Deiparæ inter cætera pietatis exercitia, præter quotidianam flagellationem, cilicio ex pelle suilla spinis acutis infarto, corpus domabat, miraculisque variis & in vita, & in morte patrociniô Virginis decorari promerita est. Inter reliqua illud omnino videtur palmarium, quod 25. ab obitu ejus die, diem integrum, totum corpus sudorem odoratissimum, & posteà etiam, maximè diebus Festis & Veneris multo tempore sudavit, sanandis morbis salutarem. Nimirum Virginea hæc Aspalathus, quam tanta pietate, ac religione venerata est Eustochium, odorem suum illum ab Iride incarnati Verbi participatum illi communicavit. Cal. B. V. 20. Jan.

B. Catharina Bononiensis Cœlestem fragrantiam animi, & corporis à B. V. accipit.

29. Ab eadem Virgine Deipara tanquam ab odoratissima Aspalatho, cœlestem illam fragrantiam integerrimi sui corporis, ob eximium cultum illi delatum, dum viveret, hausit B. Catharina Bononiensis, Clarissa, quæ circa Annum 1463. floruit. Corpus siquidem ipsius à morte suavi odore & sudore è vultu manante fragravit. Idem adhuc Bononiæ integrum visitur & tractabile, ita ut Sorores illius Ordinis illud vestiant, in Cathedra collocent, mollitie ac flexibilitate membrorum tanta, ut non mortua, sed quasi dormiens videatur. Quàm porrò hæc sancta anima grata extiterit Deiparæ, inde liquet, quòd Virgo benignissima nocte illa, quæ felicem ejus partum præcessit, Patri ejus Patavii existenti monstrare, eamque futuram mundi lucem prædicere, non sit dedignata. Eidem DEI Mater nocte, quæ Natalem Christi antecessit, in templo devotè oranti Infantem JESUM ulnis gestans se se visendam exhibuit; eique dulcissimum filium suum amplectendum diffuandúmque benignè tradidit. Neque hìc cœlestium favorum finis. Cùm aliquando gravi ægritudine conflictaretur. Vidit Regem universi Christum in sublimi throno sedentem, simúlque Deiparam sanctis Laurentio & Vincentio, innumerísque Angelorum legionibus stipatam, & quendam in conspectum Regis Regum Fidibus verba illa modulantem. *Et gloria ejus in te videbitur.* Vidit etiam JEsum dexterâ suâ ipsam apprehendentem, eique dicentem: *Audi Filia diligenter concentum, & percipe quid sit hoc: & gloria ejus in te videbitur:* quasi sibi mirificè amantissimus JEsus complacuisset, quòd ipsius gloria in ipsius innocentissima anima, purissimóque corpore veluti speculo repræsentaretur, dum eam tot cœlestibus donis, tanta cum plenitudine atque abundantia cumulavit. Antonius Flaminius in ejus vita.

Simili cœlestis odoris gloriâ dignatus est B. Brinolphus Episcopus Vastonius. Cùm enim S. Birgitta ad ipsius sepulchrum oraret, suavissimum odorem ex ipso emanantem sensit, quô & mirificè recreata est. Cui mox ectasim patienti Deipara, ut videre est in Revelat. Extrav. cap. 108. *Scito*, inquit, *Filia, quòd hic Episcopus dum viveret, insigniter me honoravit, honorémque opere confirmavit. Cujus vita, quàm Filio meo placuit, demonstravit odor, quem sensisti.* Tum ad filium conversa *Hic*, ait, *servus tuus, O Fili! tibi fuit fidelis, ah corpus ejus hic sine honore jacet.* Cui Christus mox promisit: olim honorandum & condigno in tumulo collocandum, quod & post 80. annos factum est.

30. Eandem denique, innumeris aliis sanctis prætermissis, cœlestis odoris fragrantiam à Virginea hac Aspalatho participavit in vita & morte S. Teresa de JEsu, ob eximium illum, ardentissimúmque amorem, quô Deiparam prosequebatur,

S. Theresia in vita & morte cœlestis odoris fragrantiam à B. V. participavit.

tur, quam defuncta carnali Matre in dilectissimam sibi Matrem elegit, eique suorum Monasteriorum Dominium ac gubernationem, collocata in Priorissæ Cathedra ejus Imagine, positisque ad pedes ejus Monasterii clavibus, tradidit, sensit ejus viventis suavissimum odorem, ut scribit Pater noster Ribera, lib. 3. vitæ ipsius c. 16. Matrona quædam Palentina, apud quam S. Teresa semel diversata est. Hujusmodi enim illa odorem sentiebat, quoties ad ipsam accederet. Filiolus item ejusdem illi factus benedictionis recipiendæ causâ vicinior, cùm hanc fragrantiam percepisset, posteà hoc de illa dedit testimonium: Quàm O Mater sanctæ illius manus redolent! Ipsa etiam Anna à S. Bartholomæo, quoties in supremo illam morbô, aut locô moveret, aut vestiret, hanc ipsam, de qua loquimur, sentiebat fragrantiam. Senserunt & alii eamdem odoris suavitatem, quam corpus illud sacrum jam exanimatum exhalabat: ut enim de illo idem Ribera: Totum quoque corpus, quantum quantum erat, suavissimum exhalabat odorem, qui, qualem aromatum nidorem referret, dicere nemo poterat: cujus dein etiam ex intervallo suavitas crescebat, & tanta tandem existebat vehementia, ut quia caput præsentium feriebat forinsecus, aperta fenestra admisso fuerit aëre temperandus. Hoc in inferiori Monasterii cubiculo fiebat, multa tamen ad usque superius cubiculum etiam fragrantia dimanabat, imò verò per universam domum nocte illa ac sequenti die diffusa est; nec non ad vestes B. Matris & stragula, omniaque, quæ illi ægrienti usui fuerant: & ita quidem odoratè, ut etiam multis inde diebus soror quædam hanc in culina olfaciens fragrantiam, & undenam dimanaret? curiosiùs inquirens, tandem sub arca parvum quoddam reperit salinum, salem etiam tum continens, in quo digitorum B. Matris, dum ad ipsam ægrotantem is delatus est, aliqua extabant vestigia, atque ab eodem illa proficisci comperta est. Adhæsit hic etiam odor iis, quibus usa fuerat lancibus, & aquæ, qua demortuæ corpus ablutum est: etsi quo in angulo, aut inter exutas vestes aliquid lateret, quod ipsam tetigisset, eundem id exhalabat odorem; atque inde conjicere odorantes poterant, latere hic quidpiam, quod ejus aliquando cessisset usui. Illa ipsa, quæ sacrum illius corpus terræ mandavit, cùm mox à pio illo officio persoluto manus nihil minùs cogitans abluisset, tanta ab iisdem erumpere cœpit suaveolentia, ut non nisi cœlestis ea videretur, quòd similem hactenus in terra non percepisset. Cùm igitur S. Teresa Virgini Deiparæ tanquam Matri semper fuerit addictissima atque conjunctissima, & ipsa Dei Parens suavissimum odorem exhalans, sit Aspalathus ob incarnatum Verbum, quod cœlestis arcus est, & in utero ejus novem mensibus reclinatum est, jure merito hanc divini odoris fragrantiam illam à Deiparæ singulari veneratione, amorísque conjunctione participâsse censendum est.

31. Quæ cùm ita se habeant, optet aliquis & in vita, & in morte suavissimo Virginearum virtutum, velut aspalathi odore recreari, eámque sibi in morte præsentem, spémque fruitionis cœlestium deliciarum concipere, diligat eam medullitus velut Matrem, uti fuit, dum vixit S. Teresa, de quo ipsius in Virginem Beatissimam affectu, ita idem Pater Ribera lib. 1. cap. 4. *Cùm Matris illa decessum peracerbè ferret, mœrore prostrata ante quandam Deiparæ Imaginem se se abjecit, multisque cum lachrymis illi supplicavit, ut cùm Matre jam orbata viveret, sui ipsa deinceps ut Mater curam gereret, seséque in filiam haud gra-* Continuatio narrationis de S. Theresia.

vatè admitteret. Tam opportuno fuit hæc Oratio tempore, & tam sincero ardentíque fusa pectore, ut ejus reipsa effectum senserit à Clementissima illa Matre ex eo tempore in filiam suscepta, uti post tum ipsa in omnibus necessitatibus, tum & mundus universus in mirabilibus, quas ejus operâ Deus, sanctissimæ Matris suæ interventione operari dignatus est rebus, quàm clarissimè perspexit. Perspexit, inquam, & in omni vita sua, & in morte vel maximè sacratissimæ Deiparæ verè Maternum in se affectum, effusissimæq; pietatis viscera, cui & ipsa pro virili correspondere conata est, adeò, ut verè dicere possimus, eum ætate jam inde à primis annis pientissimum hunc in Virginem Beatissimam affectum succrevisse, & majora in dies illi tribuisse virtutum incrementa. Unde idem Ribera colligit, non modò Christum Jesum, verùm etiam ejus Matrem Virginum, sanctorum ac præsertim decem millium Martyrum choris sociatam Teresæ morienti adfuisse, animámque ejus è corpore, specie candidæ columbæ emigrantem. Refert enim quandam Virginem Religiosam, quæ valetudinario præerat, & adstabat morienti sanctæ Matri, audivisse confusum quendam velut exultantis plaudentisque cujusdam multitudinis strepitum; inde mox illi apparuisse per cœnobium transeuntes plurimos, miro fulgore coruscantes, & amictos stolis albis, qui idem Teresæ ingressi cubiculum cum plausu ita sua ipsum multitudine complebant, ut licèt universæ in eodem præsentes adessent Monachæ, non apparerent. His deinde ad lectulum in quo Teresa decumbebat, accedentibus, ex templò ea ipsa animam suo Creatori reddidit. Unde non obscurè animadvertere licet, hos, ut animæ emigranti comitatum præstarent, ultimo illo momento ingressos esse. Unde verisimile est adstitisse tum illi Sponsum, cum velut columbula anima ejus ore egressa est, ac dixisse: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Hæc omnia verosimilia admodùm putat Ribera, quod variis comprobat exemplis, ac imprimis S. Gertrudis. Huic enim morienti adfuisse legit Redemptorem Jesum Christum, à Dextris dilectissima Genitrice sua Maria, à sinistris verò Joanne Apostolô & Evangelistâ stipatum: hos secutos esse innumeros alios utriusque sexûs divos, ac nominatim ingentem Virginum exercitum, quæ toto eo die albis vestitæ inter Monachas comparuêre. Unde & mihi facilè persuaderem, inquit idem Ribera, multitudinem illam albatam, copiosum fortè fuisse Virginum agmen, quæ Virginem hanc adeò puram ac tot Virginum parentem, ad cœlestem deducturæ gloriam descenderint. De decem millibus porrò Martyribus, quos morienti astitisse credit, ita prosequitur: Cùm quodam anno, Natalem Decem millium Martyrum diem, magno pietatis sensu ac apparatu solenni, Teresa celebraret, ingens illa Athletarum Christi multitudo illi se in gratiarum signum spectandam dedit, & in mortis à se hora ad cœlestia ipsam gaudia stipandam, & ad eumdem secum gloriæ gradum evehendam promisit. Et sanè vero mihi fit simile, hos ipsos Martyres illi præsentes fuisse: est námque certissimum, hanc B. Matri Visionem obtigisse; quod autem hoc capite de mira corporis fragrantia commemoravi, indubitata res est, átque ut talem eam ipsam ego literis mando, quòd id & oculis perspici, & tangi etiam manibus licuit.

32. Quòd porrò odorem illum suavissimum Deipara suâ sanctissimâ ac venerabili præsentiâ sparserit, admodùm evadit probabile ex his, quæ Pater Religiosissimus Societatis nostræ Jacobus Gusmanus scripsit: *Cùm in nostra professorum domo ver-*

Cubiculum P. Mironii miro suavitatis odore à B. V. repletum, scribit P. Jacobus Gusmanus Societatis Jesu.

versarer, inquit ille, *ego eo tempore, quo P. Jacobus Miro è vivis excessit, adfui. Cùm porrò ille per dies aliquot infirmitate oppressus, priùs decubuisset, & in cubiculo, in quo extremum Spiritum duxit, tam ratione senectutis quàm incuria munditiei malè olendi, quàm redolendi potiùs esset occasio, adeò suavem ex se odorem per dies plures expiravit, ut omnes, qui illic adessent, in maximam admirationem raperentur. Quæ horum causa, fuit notissima omnibus: Hanc scilicet odoris suavitatem ex B. V. congressu fuisse relictam, cujus cultui adeò erat deditus, ut nullô vel maximô negotiô occurrente B. Virginis Horarias preces, quas singulis diebus recitabat, intermitteret. Hoc secundum retulit Frater Coadjutor, cui Nomen Didacus Arellanus, qui, cùm Patri Mironi animam agenti adesset, illum oculis in altum defixis vidit: Consternatus timore, quid istud rei, avidè semel ac iterum rogat? Tum ille roganti*: B. Virginem video. *Pro comperto igitur haberi potest odoris suavitatem illam à B. Virginis congressu profluxisse.* Hæc Gusmanus. Adhæreamus ergo, ut sæpiùs diximus, & nos huic Virgineæ Aspalatho, ardentissimo cordis totius ac mentis affectu, Horarias illi preces quotidie persolventes, sertísque ex salutationibus Angelicis, velut fragrantibus rosulis contentis, eandem coronantes, in amore ac cultu ad mortem usque perseveremus, si cœlestis Paradisi deliciis, illiúsque florum, aromatúmque odore suavissimo in extrema illa amarissimáque mortis angustia ac lucta recreari desideramus.

DISCURSUS XI.

VIRGO DEIPARA BALSAMUM AROMATIZANS PARADISI.

Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. Eccli. 24.

1. PLinius lib. 12. Natur. Hist. c. 25. ita fruticem hunc celebrat: *Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terrarum Judeæ concessum, quondam in duobus tantùm hortis, utroque regiô, alterô jugerum 20. non ampliùs, alterô pauciorum. Ostendêre Arbusculam hanc Urbi Imperatores Vespasiani: clarúmque dictum à Pompeio Magno: in triumpho Arbores quoque duximus. Viti similior est quàm Myrto, folium proximum rutæ, perpetua coma. Proceritas intra bina cubita subsistit Inciditur vitro, lapide, osseísque cultellis. Ferrô lædi vitalia odit, emoritur protinus, eadem amputari supervacua patiens. Incidentis manus, artifici temperamento libratur, ne quid ultra corticem violet. Succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant suavitatis eximiæ, sed tenui guttâ.* Vide ibidem plura.

2. Audiendus præ cæteris de hac Arbuscula tam pretiosa ac rara Adricomius in descriptione terræ sanctæ tit. Engaddi: ubi fruticem hunc ita describit: *Sunt balsama Arbusculæ*, uni omnium terrarum Judeæ quondam concessæ, quas vineas Engaddi Salomon in Canticis nominat: Hunc Hortum seu vineas balsami, tempore Herodis magni, Cleopatra Ægypti Regina concedente Antonio, invidens tantam fælicitatem Herodi, transtulit in Ægyptum, ubi irrigatur à fonte parvo, uberrimè tamen fluente; in quo, fama est, sæpè lotum à B. V. puerum Jesum, adeóque ex eo potum sibi, &

Sponsæ suæ sanctum Joseph paravisse, cùm in Ægypto esset, atque ideò ab incolis in Veneratione & cultu haberi maximo. Sunt tamen adhuc surculi quidam balsamorum in monte Engaddi, sed nullius cultus, nullius proventus; videlicet hoc est justitiæ DEI justissimum judicium, qui se se ulciscitur de peccatoribus, & persequentibus nomen suum; ut quoniam Herodes, olim balsami possessor, puerum JESUM persequebatur, JESUS fugiens in Ægyptum, post se traxit balsami hortum. Messis porrò balsami talis est. Decerpitur folium ex stipite contra solem, móxque gutta lucida, & mirè fragrans scaturit ex ruptura, & hic balsami pretiosissimus liquor vitreis vasis colligitur, minimè fluxurus, nisi ad ortum solis fiat ruptura. Fonticulus autem JESU, parvulus est, non sufficiens irrigationi totius Horti. Quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis JESU aquam fore salubrem. At longè aliter res evenit, donec missis canalibus aquam putei ducerent in fontem JESU, quô factô largiter & salubriter ex aquis mixtis rigatur balsami Hortus. Mirum dictu! à meridie Sabbathi usque ad auroram diei Lunæ, boves nullo verbere impelli possunt, ut in portrahenda aqua laborent. Sic ille de balsami natura, déque ejus proprietatibus, quarum nonnullæ, quam aptè Deiparæ congruant, videamus.

Balsamum est Virgo Deipara ob ferventissimam charitatem.

3. Verè balsamum est Virgo Deipara omnibus aromaticis arboribus odore virtutum præferenda. Quam odoris præstantiam jure calentissimæ ipsius in DEUM proximúmque charitatis, quâ totum mundum complexa, eundem charismatum suorum fragrantiâ mirificè recreavit, attribuerimus. Unde Philos. Sect. 12. Probl. n. 3. odorum causam in calorem retulit: *Terra*, inquit, *cùm fervet, atque nutritur, quod ediderit in principio, benè olet.* Enim verò, quæ parcè humida quemdam in modum recaluerint, odorata redduntur; humor enim concoqui calore potest. Qua de causa totius quoque orbis terrarum, quæ ad solem orientem spectant, odoratiora exurgunt, quàm quæ ad Aquilonem, & eorum ipsorum, quæ ad ortum plùs vergunt, quàm quæ ad meridiem; eò quòd loca Syriæ & Arabiæ pleniora sunt atque terrænosiora, Africæ verò arenosa, siticulosaque; nec enim humorem nimium inesse oportet (concoqui enim nimius non potest) nec nullum: Sic enim nullus vapor inde exstringi potest. Rursus n. 4. cùm quæsiisset: Cur flores & suffimenta suaviùs è longinquo oleant? Respondit. *An quia calor quidam natura odoris est, odoratáque omnia calida sunt, calidum autem quodque leve est? Itáque cùm longiùs permeant, odorem deferunt suum secretiorem.* Cùm igitur Virgo Deipara tanquam animata quædam terra magno divinæ gratiæ rore madverit, & Solis justitiæ radiis nimiùm quantùm caluerit, singulari, eóque ardentissimo amore in unicum suum exardescendo Filium, considerandum vobis relinquo, quantùm hæc ipsius charitas orbi universo aspiraverit fragrantiæ, bonúsque Christi Odor toti Ecclesiæ fuerit, & intelliget, quàm eximii odoris omnia vincens aromata balsamum, Virgo nostra exstiterit.

Causa odoris juxta Philosoph. quæ sit?

B. V. cum terra sit divinæ gratiæ rore humectata, & ardentissimâ charitate fervens suavissimum expirat odorem.

Balsamum est B. V. ob odorem bonæ famæ.

4. Hinc Hugo de S. Vict. in instit. Monast. Ser. 47. *Balsamum* ad bonam famam opinionémque, quam Virgo de se toto terrarum orbe diffudit; transtulit: *Balsamum*, inquiens, *per suum odorem B. MARIÆ bonam famam exprimit, unde & de ipsa canimus: quòd ejus odor inæstimabilis erat in vestimentis ejus, & sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia con-*

vallium. Hoc enim B.V. MARIÆ maximè convenit, quæ mundum universum opinionis optimæ redolentiâ inæstimabiliter adimplevit. Sic ille.

5. Beatæ sanæ mentes odorem hujusce balsami, cùm in DEUM mens Virginis, virtute orationis elevabatur, à longe haurientes, admiratione stupefactæ dicebant: Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi?* quod elogium librans S. Hildephonsus Ser. 6. de Assumpt. *de deserto*, inquit, *præsentis sæculi hæc Virgo ascendit, atque ideò mirabantur animæ electorum, quænam hæc esset, quæ virtutibus meritorum etiam dignitatem supervinceret Angelorum. Quasi virgula autem fumi ex aromatibus ascendit, quia delicata & divinis extenuata disciplinis, multis virtutum repleta erat odoribus, per quas quotidie se in holocaustum Domino concremabat incendiô pii amoris, & desideriô charitatis.*

6. Vehementiam porrò amorosi hujusce caloris tam Matris in Filium, quàm Filij in Matrem, quô accensa Virgo ad instar Balsami suavissimum odorem exhalavit, pulchrè descripsit S. Anselmus lib. de Excell. B. V. cap. 4. *Quàm mirabilis natura*, inquit, *& ineffabilis affectus amoris considerari queat, inter hunc talem tantæ Matris Filium, & hanc talem tanti Filij Matrem, perpendant hi saltem quoquó modô, qui unico dilectionis fervore se se altrinsecus amant, Mater scilicet Filium, & Filius Matrem: Perpendat inquam aliqua bona Mater, quô affectu teneatur circa unicum & bonum Filium suum & bonus Filius simili modo perpendat, quâ pietate moveatur erga bonam & dilectissimam ac dulcissimam suam Matrem, & aliquatenus tentet, si quô modô in se conjectare valeant amorem hujus bonæ Matris erga verè bonum & unicum Filium suum, & istius boni Filij erga verè bonam & dulcissimam Matrem suam.* Tum ubi ostendisset, tam Filij quàm Virginis Matris amorem fuisse indivisum, quòd Virginitatis conservato flore eundem peperisset, ac proinde vehementissimum fuisse, quia Matris & Patris simul affectu eum prosequebatur, Filius vicissim, amorem, quem in Patrem transferre debuerat, eum universum in solam Matrem dilectissimam referebat. Ubi inquam his similia præmisisset, ita conclúsit: *Excedit itáque omnes amores Parentum in Filios, aut filiorum in parentes amor istius Matris in Filium suum, & istius Filij in Matrem suam.* Sic Anselmus de vehementissimo amoris calore, quô Virgo in Filium ferebatur, & econtra. quid mirum igitur in ea tantam virtutum omnium abundâsse super omnia aromata balsamáque fragrantiam, cum calor, odoris causa, esse consueverit?

Ob reciprocam vehementissimam charitatem filii in Matrem, & Matris in filium suavissimum expirat odorem Beatissima Virgo.

7. Varias hujus Virginei caloris sive charitatis in Filium adfert causas Dionysius Richelius lib. 3. de præconio & dignitate B. V. Ar. 7. Quæ sanè mirificam vim ad divini amoris in corde Virginis accendendam flammam habuisse, meritò nobis persuadere debemus. Ac inprimis quòd amore Sponsæ tenerrimo illum castissimè prosequeretur, utpotè, qui ejus intactam, pudicitiam cum virtutum omnium insigni incremento conservavit. *Itaque mens ejus*, inquit, *DEI formis, Deóque concupiscibilis, ab omni penitus à DEO elongante motu, atque affectu segregata, immunisque extitit, & ob id divinâ dilectione stabilis erat & integra. Præterea quemadmodùm naturalium operationum ac motuum causa principium extitit natura: Sic meritoriorum quoque actuum, ac præsertim dilectionis causa atque origo gratia censetur. Rursus, ut Natura non impedita, sic gratia quoque perfecta, de facili agit. Quò igitur in prælecta, incomparabilique Virgine gratiæ erat sublimior plenitudo, eó utique divinis uberiùs erat intenta, in charitate stabilior, atque in omni actu*

Ardentissimæ charitatis Deiparæ in filium causæ adferuntur.

 meri-

meritorio incessabilior. Ergo cùm fuerit in Matris sanctificata utero, ante Verbi incarnationem gratiâ plena, plenior in incarnatione, ac deinceps repletior, & quotidie in ea summè proficiens, constat, quòd quantum hæc vita peregrinatio patitur, divino semper actualiter amore ardebat. Denique divinæ dilectionis ignis in rationali mente accensus, incessanter ac vehementius semper fervet, si fomentum habeat, néque per culpam negligentiámque minuatur; Siquidem omnis virtuosa actio gratiæ plenioris mentem capacem efficit. Cùm igitur neque per omissionem boni: néque per commissionem mali MARIA unquam peccaverit, néque otiosa unquam vixerit, constat in ea divinæ charitatis flammam fortiùs semper incaluisse, ut nec in manducante, nec operante, nec dormiente quieverit. Hinc in Cant. 5. Virgo Mater & Sponsa ait: Ego dormio, & cor meum vigilat. Idem Dionysius cap. 8. post mortem Filij, ejusdémque in cœlos ascensionem, hunc amoris calorem, flammámque dilectionis docet magìs magísque visitatione sacrorum locorum excrevisse; postquam enim præmisisset monitum illud Sponsi ad singularem Sponsam Virginem fœcundissimam, ut ipse loquitur, pronunciatum: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, Cant. 7: mox subtexuit: *Intendite quæso omnia intima mea, quâ amoris flamma hæc Virgo æstuabat, dum jam à carnis vinculis sublatô Christô Filiô suô unicô, ea ipsius potissimè loca indesinenter visitabat, prospiciendo, in quibus nostræ salutis negotia, ipsiúsque acta singularia consummata atque transacta sunt: Illa nempe visitans atque contemplans, præteritorum renovabatur memoria, & in ipsis velut præsentem cernebat Filium, reminiscens, quæ & quanta sustinuit, quomodò eum pati, cruci affigi in ea pendere, ac demum mori conspexit: quemadmodum sanguinis sacri vidit rivos roseos ac salvificos ex Filij lacerata transfixáque carne profluere, eúmque de cruce affantem audivit.* Legimus devotos aliquos quandoque, dum beatissima divinæ Passionis loca inviserent, tanta Christi dilectione, compassionísque pietate affectos, ut aut à semetipsis omnino deficerent, aut certè se prorsus continere nequirent: quantò magis affectuosissima Christiferáque Virgo in talibus concaluit, liquefacta est, defecítque. Unde quid mirum ex tanto divinæ in Filium dilectissimum charitatis calore, velut balsamum aromatizans toti Ecclesiæ suavissimum bonæ famæ átque ædificationis odorem inhalasse?

8. Ob hanc eandem calentissimam Virginis in Filium charitatem, venerabilis Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. B. V. Aromatizanti balsamo confere non dubitavit, ut intelligeremus, quòd, sicut ejus calentissima átque viscerosa charitas pietásque in DEUM, ínque genus humanum universum, toto terrarum orbe, sic quoque ejus sanctæ conversationis fragrantia diffusa sit. *Per balsamum*, inquit ille, *Aromatizans charitas Virginis intelligitur: Nam sicut odor balsami omnes excedit odores, sic ejus charitas omnium sanctorum universas virtutes, & more balsami suæ charitatis odorem longè extendit ad superna, per perfectum æternorum desiderium; ad inferiora per perfectam misericordiam & compassionem ad peccatores. Et propter hoc dicitur ipsa virgula fumi, & ejus charitas est ignis, quem Christus venit mittere in terram.* Luc. 12. *hoc est in B. V. quod per ignem rubi notatur.* Exo. 3. *Ignis in rubo, charitas in fragili carne. Propter hoc cùm B. V. Apotheca singularum universarúmque virtutum sit. Habeátque ignem ferventissimæ charitatis, necesse habet odorem suum procul diffundere; & ideò charitatis ipsius balsamum aromatizans appellatur. Verè cha-*

Charitas B. V. comparatur igni in rubo; virgulæ fumi; Balsamo aromatizanti.

charitas balsamum est, quia Maria in cæteris virtutibus operatur, quæ sunt quasi ejus materia. Benè denique dixit odorem dedi, non vendidi, volens, ut omnes gratis odoribus ipsius fruantur, & currant in odorem unguentorum suorum. Ideò invitat omnes cum sapientia. Prov. 9. *Si quis est parvulus, declinet ad me. Hinc ait cum filio.* Isa. 55. *Venite, emite absque argento, & absque ulla comutatione. Sicut balsamum denique odores omnium excedit aromatum, sic B. V. odores excedit omnium Angelorum ac sanctorum.* Hæc ille.

9. Balsamum, idque virtutis cujusdam planè admirabilis ad morbos præsertim animi persanandos agnovit esse B. V. Bernardinus de Busto Par. 9. Marial. Ser. 1. assim. 20. ubi postquam ex Glossa in cap. 24. Eccles. recitâsset. Omnia, quæ in balsamo sunt virtuosa, scilicet lignum, fructus & liquor, de cujus virtutibus Plinius, mox attexuit: *Sufficiat in generali dicere, balsamum esse Arborem totam medicinalem; Lignum quidem est virtuosum & odoriferum, fructus virtuosior, liquor autem est virtuosissimus & suavissimus. Et ideò benè per balsamum Virgo benedicta significatur, quia omnia, quæ in ipsa fuerunt, virtuosa & odorifera extiterunt. Lignum Balsami fuit ejus corpus Virgineum, cortex fuit exterior ejus conversatio, semen balsami hujus fuit ipsius anima benedicta: Fructus denique balsami est pretiosissimus, in colore rubicundus, in odore aromaticus, & interiùs videtur mellifluus: Hic fructus Dominum JESUM ipsius Filium significat.* Sic Bernard.

Balsamum admirabilis virtutis ad morbos præsertim animi persanandos.

10. Nec illud omnino carere videtur mysteriô, quod scripsit Plinius & Adricomius, uni terræ Judeæ fuisse olim concessum Balsamum, & inde delatum ac celebratum per totum orbem. Tale Balsamum fuisse omnino videtur Virgo Deipara; fuit enim nata, educata, ac post exactos suæ vitæ dies defuncta in Judæa, suique odorem, famámque toto terrarum orbe diffudit. Quod Pater Spinellus noster in throno Deiparæ c. 21. n. 33. pulchrè declaravit: *Circa Christi adventum*-inquiens, *videtur balsami frutex multis in locis propagatus;* nam Dioscorides, qui circa tempora Christi claruit, & Avicenna eum in Ægypto nasci testantur; quibus consentit Brochardus in descrip. terræ sanctæ. P. 2. c. 4. *ubi inter Heliopolim & Babyloniam mediô ferè locô, à se visum refert hortum Balsami, qui nisi irrigetur aquâ ex fonte, in quo Deipara, dum in Ægypto maneret, Filium lavit, fructum minimè edit. Solinus verò ait, Balsami lucus devictâ Judæâ ita propagatur, ut jam latissimè colles sudent balsama. Strabo in maritimis Sabæorum Sylvestre Balsamum oriri tradit. Et Pausanias in Bœoticis lib. 9. in Arabia arbores balsami ponit. Ex India verò Occidentali nostrô sæculô magnam balsami copiam advehi, nemo ignorat. Hoc autem in Deiparam optimè quadrat, quæ priùs uni nota Judææ, coruscante per totum orbem Evangeliô, magno Fidelium proventu in universum orbem prædicata, cunctas pariter illustrat, suôque odore omnes reficit Ecclesias.* Sic ille.

Balsamum olim solum in Judæa, modo in toto terrarum orbe. Sic B. V. in Judæa nata, educata, ac mortua, fama tamen ipsius toto orbe diffusa.

Hortus Balsami in Ægypto nisi irrigetur aquâ ex fonte, in quo Deipara, dum in Ægypto maneret, Filium suum lavit, fructum minimè edit.

11. Quô sanè virtutum ejus suavissimô, toto terrarum orbe se se diffundente odore, dum passim Apostoli dignitatem ejus, Virgineámque Maternitatem, aliáque peculiaria ipsius Privilegia deprædicant, factum est, ut Hierosolymam ad eam videndam, odore virtutum ipsius exciti quàm plurimi, peregrinationes instituerent: Inter quos præcipuus extitit Areopagita Dionysius, ut ex ipsius Epistola ad Paulum ejus Magistrum data colligere licet. Certè P. Melchior Inchoffer noster, vir pietate & doctrina Illustris, in defensione Epistolæ B. V. ad Messanenses cap. 11. censet probabile, Petro Hierosolymam proficiscente, ibidémque moras trahente, Dionysium haud semel, néque fortuitò in ipsum incidisse, sed de industria cum eodem Virgini Deiparæ studuis-

S. Dionysius Areopagita tractus odore Marianarum virtutum, & viventi & morienti adfuit Beatissimæ Virgini.

duisse, unàque ex Augusto illo ore pendentes responsa tulisse, rerum arcana didicisse, & nihilo secius evolutis annis excedenti ex humanis adfuisse, cum Apostolorum choro parentâsse, imò & designatorem fuisse. Rursus cap. 13. ait: Alterum Dionysium, Carthusianum videlicet, non minùs sanctum quàm Doctum, & Areopagitæ cultorem eximium, in 1. Sent. Dist. 16. quæstione 2. idem asserere. Ibi enim, cùm quæsiisset, utrum spectata Majestas illa gloriæ, quà Deipara, cùm adhuc inter mortales degeret, Dionysium extra se positum luce affudit, missio visibilis Spiritûs sancti queat appellari? satis ostendit, non dumtaxat demorienti Deiparæ adfuisse Dionysium, sed longè ante viventem adhuc, & agentem vidisse, & videndo, quemadmodùm ipse epistolâ illâ ad Paulum narrat, corde ac Spiritu, tantæ gloriæ Majestate oppressum defecisse, &c.

Deiparam Dei filius post suam in cœlos profectionem in terris manere permisit in solatium totius Ecclesiæ.

12. De Virginei hujusce balsami fragrantia toto terrarum orbe diffusa, mortalésque ad se alliciente, præclarè S. Amadeus Hom. 7. de laude B. V. ubi assignans rationem, cur DEI Filius Matrem, post suam in Cœlos profectionem, in terris manere permiserit, ait illam ad solatium totius Ecclesiæ relictam; ut nimirum fideles odore virtutum ejus, omni Balsamô suaviori recrearentur. *Mira pietate*, inquit ille, *primitivæ Ecclesiæ provisum est, ut quæ DEUM in carne hac præsentem jam minimè cerneret, Matrem ejus visu jucundissimo recreata videret. Quid enim tam jucundum, quid tam decorum ac delectabile, quàm Matrem Plasmatoris, & Redemptoris omnium videre? nam si sepulchrum Redemptoris, quod extat usque hodie, ita visui desiderabile est, si lapis, in quo requievit stirpe sancta Jesse, tanta expetibilis est celebritate, ut affectus & animos rapiat, &c.* quæ & qualis erit lætitia, DEI Genitricem cernere, quamdiu eam Divina pietas communi sorte degentem nobiscum concessit in terra?

Plures ex Gentilitate conversi Deiparæ videndæ gratiâ peregrinationes instituêre.

13. Ex quibus facilè colligere possumus, admodùm probabile esse, quod noster P. Paulus Scherlogus Tom. 2. in Cant. vest. 2. Sect. 1. n. 55. scripsit, animas aliquas singulari pietate illustres, ex Gentilitate conversas, peregrinationes instituisse visendæ Deiparæ causâ, tum, ut infinitam magnificentiæ pulchritudinem conspicarentur, tum singulariter, ut absentem filium in Genitrice delineatum, ac mirificè repræsentatum, velut in lucidissimo speculo contemplarentur. Quod fortassis prædixit David ejus Parens, cùm Psal. 44. ita modulatus est. *Et Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Per Filias siquidem Tyri S. August. in Psal. illum intelligit pias animas, quæ Ethnicismum abjurârunt; hæ enim pietate, justitiâ, charitate, aliisque Christianis virtutibus divites, in primo illo religionis fervore relictâ Patriâ propriisque laribus, Hierosolymam ad invisendam Virginem, prædicatione Apostoli Pauli, Joannis Evangelistæ, Ignatii Martyris, aliorúmque miris virtutum variarum coloribus ad vivum depictam anhelabant. De his S. Athanasius Ser. de Deip. *Ideóque*, inquit, *vultum tuum deprecabuntur divites plebis, ditati scilicet istius modi bonis & spiritualibus contemplationibus.*

Messanenses auditâ Apostoli Pauli prædicatione, legationem ad B. V. instituêre, eamque in Dominam suscepêre, quæ illis propria manu hebraicè rescripsit.

14. Hinc suprà memoratus P. Inchoffer c. 1. Scribit: Messanenses auditâ Apostoli Pauli, de B. V. integritate Virginali, alijsque sacro sanctæ fidei nostræ mysterijs, prædicatione, legationem ad Virgineam sacratissimam, lectis ex præcipuo gradu viris, adornâsse; quod ex manu scriptô quôdam perantiquô vetustate pene corrosô, sibi à Jacobo Leontino Messanensi Patricio traditô, comprobat, in quo ita legitur: *Cùm B. Paulus Apostolus esset in Calabria, Regii ser-*

ferventer Evangelizans, fuit à populo Meſſanenſi mirabili devotione vocatus: Unde venit, & prædicavit primâ die de Chriſti Salvatoris Paſſione, ſecundâ verò de B. Mariæ Virginitate, & incarnati Verbi myſterio, quibus auditis ipſa Univerſitas Meſſanæ, ubi hæc Deifera Virgo reſideret, inſtanter interrogavit: Cùm B. Paulus reſpondens, dixit, Hieroſolymis morari, & adhuc vivere. Repleti igitur gaudiô magnô Meſſanenſes, inſtituerunt legatos, qui unà cum Chriſti Apoſtolo Hieroſolymam tandem navigio ſe contulerunt: Ubi factâ prius oratione B. Virginem in Dominam ſuſceperunt; Quæ ſanctiſſimis manibus proprijs hebraicis literis reſcripſit in quodam chirographo.

15. En, qua ratione Balſamum piiſſimæ converſationis, virtutùmque cæterarum ſacratiſſimæ Deiparæ noſtræ ſe ſe diffuderit odor, & Meſſanam usque pervenerit, eóſque populos ad devotionem amorémque ſui inflammaverit, attraxerítque. O quàm præclarè S. Bonav. cap. 7. Specul. de hac bona ſuavíque Virginis pronuntiavit fama! *Conſideremus, quomodo plena ſit MARIA reſperſione odoriferæ famæ: Sicut enim ager plenus odoriferarum ſpecierum odoribus, ſic MARIA plena eſt odoriferis famæ ſuæ aſperſionibus. De hac plenitudine accipiamus illud.* Gen. 27. *Ecce odor Filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Ager iſte eſt MARIA, in quo Angelorum, imo totus DEI Patris abſconditus eſt theſaurus. Fælix qui vendit omnia, quæ habet & emit agrum iſtum. Hujus agri pleni, plenus odor eſt, plena MARIÆ fama, plenus honor. De hoc B. Hieron. quia multis erat repleta virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat ſuaviſſimus odor ſpiritibus Angelicis. De iſto odore ipſa ſancta gloriando dicebat: Sicut Cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi. Odor Mariæ fuit ſicut Cinnamomum exteriùs in cortice converſationis, ſicut balſamum interiùs in unctione devotionis, ſicut Myrrha in amaricatione caſtigationis. Fuit quoque odor Mariæ ſicut Cinnamomum in actione, ſicut balſamum in contemplatione, ſicut myrrha in paſſione.* Tandem concludit in piam hanc exclamationem erumpendo: *O verè Dives, & nimis dives, quæ præter alia aromata, tam plena fuit odorifero Spiritûs ſancti balſamo, ut benè de eo ſuper illud: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, beatus dixerit Bernardus, Pretioſum illud balſamum tantâ tibi copiâ, tantâque plenitudine influet, ut copioſiſſimè effluat circumquaque.*

Ob plenitudinem odoriferæ famæ B.V. comparatur agro Geneſ. 27. & Balſamo aromatizanti.

16. Nimirum Spiritus Diviniſſimus, qui velut odoratiſſimum Balſamum, Virginem tantâ ſuorum chariſmatum donorúmque repleverat copiâ, eam undequaque fragrantem, totóque terrarum orbe Balſami odorem ſuaviſſimum diffundentem reddidit. Quod ſanè Privilegium ipſius profundiſſima promerita fuit humilitas, quæ velut bicubitalis Balſami arbuſcula, inter omnes aromaticos frutices pene minima, ſuaviorem præ cæteris odorem longè latéque ad omnes nationes generationésque univerſas exhalavit. Unde ipſa, quod olim futurum erat, prævidens tota Cœleſtibus exuberans gaudijs modulata eſt: Hodie magna animi noſtri conſolatione adimpletum videmus: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatâ me dicent omnes generationes.* Quæ verba expendens Jacobus de Valent. Epiſcopus Chriſtopolit. in Cant. B. V. ait: *per omnes generationes populum gentilem potiſſimùm intelligi, qui ſicut nunc laudat nomen Domini, & Verbum incarnatum, ita pariter laudat Virginem Matrem ejus, & dicit eam beatam. Quæ quidem generationes, licet non ſimul venerunt ad fidem, ſed ſicut ſucceſſivè venerunt per omnes partes mundi, ita ſucceſſivè laudaverunt Nomen Domini, & beatam dixerunt Matrem ejus, quia non fuit aliquando Regnum, nec provincia, quæ non venerit ſucceſſivè ad fidem Chriſti, ſicut dictum eſt,* Pſal. 71. & 109 *Et ſic Judæis blaſphemantibus Chri-*

Humilitate meruit B. V. ut beatam eam dicant omnes generationes.

stum ejusque Matrem, reprobatis, omnes generationes populi gentis venerunt ad fidem, & laudârunt Christum, & Beatam dixerunt Matrem ejus: Sed quia nostris demeritis exigentibus Arabia, quæ multis hæresibus laborabat, recessit à verâ fide Christi, fraude Mahometi, & in eam sectam incidit, quæ postea majorem mundi partem decepit, & usurpavit, ideò magna ex parte fuit turbata à vera laude Christi, & Virginis Matris ejus, eò quòd neget Christum esse DEUM. Sed non tamen fuit perturbata, quoniam dicunt Christum sanctum super omnes homines, & Filium Spiritûs DEI, & Virginem Mariam beatam super omnes Mulieres, & super omnes generationes & alia quàm plurima, quæ ex Alcorano apud memoratum Præsulem ibidem videre licet. Inter reliqua autem periucundum est illud, quod ex eodem Alcorano citat, nimirum, cùm milites Herodis quærerent Puerum JEsum, ut eum interficerent, incidisse in Virginem Matrem, Infantulum bajulantem, & cæcitate mox fuisse percussos, ne eum viderent, atque ita illæsam Virginem ex finibus Judææ infantem Divinum in Ægyptum transtulisse. Nec ita multò post incidisse in latrones, cùm penes quamdam annosam ficulneam, Virgo moraretur, quæ mox latronibus advenientibus, aperta est, & Virginem simul & Infantem grandi miraculo complexa occuluit. Ubi tandem ad locum quemdam juxta Cayrum Ægypti Civitatem pervenisset, ibidémque reperisset fontem, cujus aquâ vinea illa balsami rigabatur, hæsisse, quo in fonte Maria quotidie pannos Infantuli JEsu lavabat, & se ipsam antequàm faceret zala, id est orationem. Et ideò inquit Jacobus firmiter credunt omnes Saraceni, quòd ideò sola aqua illius fontis est utilis, & habet virtutem ad rigandam illam vineam, eò quòd Virgo MARIA lavabat se, & pannos JEsu in illo fonte; & ideò nulla alia aqua habet illam virtutem præter illam. Et hinc est quod nullus Saracenus in illo fonte se lavare audet ante orationem. Dicunt præterea iidem Saraceni, quòd dum Virgo in eo loco Ægypti habitavit, nulla mulier in partu periclitari potuit, si Virgo MARIA manum ei imposuisset; ideò omnes parturientes eam ad se evocabant. Quòd si mulieris cujuspiam infans infirmaretur, deferebatur ad Virginem, quæ manu infantis JEsu, infirmum contingendo mox pristinæ restituebat sanitati: Addit his omnibus idem præsul Virgini devotissimus, se à fide dignis, qui loca sancta visitârunt, audiisse, Saracenis longè in majori veneratione esse sepulchrum Deiparæ, quod in valle Jòsaphat constitutum est, quam ipsius Salvatoris. Unde scribit Christianum quendam decies venerandi Virginei sepulchri gratiâ eum locum adiisse, nec tamen unquam ingredi potuisse, Saracenis aditum, assidua inibi oratione præcludentibus, nec ingredi permittentibus, tanquam indignum, qui tantæ Virginis sepulchrum attingeret. Concludit tandem: *Ex quibus patet, quòd non solùm omnes generationes populi gentilis, quæ successivè per omnes partes mundi ad fidem Christi venerunt, dixerint beatam Virginem MARIAM, sed etiam modò tam Saraceni quàm Christiani omnes descendentes de generatione, & natione populi gentilis dicunt & prædicant Virginem MARIAM beatam & fælicem.* Sic ille. Quod sanè novi orbis superiori sæculo reperti, ut Indorum, Japoniorum, Sinarum aliarum nationum ac generationum barbararum evidentissimô comprobatur exemplô, quæ omnes Deiparam Virginem Beatam ac Beatissimam, ipsius suavissimo virtutum odore velut balsamo recreatæ, unanimi consensu, plenísque vocibus magna animi pietate, insigníque in eam charitatis ardore, uti ex annuis Socie-

Sepulchrum B.V. quod est in valle Josaphat summa in veneratione est apud Saracenos.

cie-

pietatis nostræ liquet, prædicare consueverunt.

17. Quare jure merito eam laudatæ illi in sacris literis fœminæ Ruth conferre possumus, ut eam S. Bonaventura contulit in Speculo c.8. ubi ita Deiparam alloquitur: *Tu bene signata es per illam Ruth, de qua sic legitur: sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre Nomen in Bethlehem*, id est, *in Ecclesia*. Tum virtutum ipsius odorem longè latéque toto terrarum orbe diffusum, quasi odoratu persentiscens exclamat: *O celeberrimi Nominis MARIA! quomodò posset Nomen tuum non esse celebre, quæ etiam devotè nominari non potes sine nominantis utilitate. Testatur hoc tuus Bernardus dicens: O magna, O pia, O laudabilis MARIA! tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. MARIA ergo optimè signata est, per illam famosissimi nominis fœminam Judith, de qua scriptum est: Hæc erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui de illa loqueretur verbum malum. Famosa quidem est MARIA propter virtutes & exempla sua tam laudabilia, famosior autem propter misericordias & beneficia sua tam inenarrabilia, famosissima verò propter gratias & privilegia sua tam mirabilia. Quid mirabilius, quàm esse Matrem & Virginem, & esse DEI Matrem? Quid autem mirum, si MARIA de tantis millibus misericordiæ suæ beneficiis famosa est in mundo, quæ tam famosa est de unico beneficio circa Theophilum exhibito, ait Bernardus? Famosum summæ suæ benignitatis testimonium est, per te restauratus Theophilus, O MARIA!* Sic ille.

Nominis Mariani Fama celebris per orbem facta, unde merito B. V. comparatur fœminæ Ruth, & Judith.

18 Quòd si arbusculam balsami urbi Romanæ Imperatores Vespasiani ostenderunt, eámque in triumpho duxerunt, ut diximus; balsami sanè quædam Arbor Virgo esse comprobatur, siquidem non modò per Urbem Romanam, verùm per totum terrarum orbem in Labaris & Vexilis ipsius Imago venerabilis in Ecclesiasticis processionibus, quæ Christi Salvatoris summíque Regis ac Imperatoris pompæ quædam triumphales sunt, summa veneratione totius populi Christiani circumferuntur.

Arbusculam Balsami Imperatores Vespasiani in Triumpho duxerunt, Imago Venerabilis MARIA laboris

& vexilis imprimis toto orbe terrarum in processionibus circumfertur

19. Hanc balsami Arbusculam Virgineam in triumpho circumtulisse visus est, pijssimus ille Orientis Imperator Joannes Zemisces, qui Victoria de Scythis, Bulgaris, alijsq; gentibus Barbaris, Imperium Constantinopolitanum invadentibus, Deiparæ ope non semel reportatâ, Ipsius Iconem splendidè, uti par erat exornatam, gloriosissimè in triumpho deportandam, solenni pompa curavit. De hac ita Curopalates: *Imperator se moderatum cupiens ostendere, equô albô vectus triumphavit: In curru verò quadrijugo admodum decoro ipsi parato, impositis Bulgarorum vestibus, & super ipsis DEI Genitricis imagine, ut Civitatis Patronæ, ipsum præire jussit: Cúmque ad locum, quod forum dicitur, pervenisset, satis celebratus, DEO Patri & ejus Filio Spirituique sancto actis gratijs ob Victoriam consecutam, inde ad magnum templum profectus, ibique Bulgaricâ coronâ pro munere DEO dedicatâ in Regiam se recepit.* Hæc ille.

Ob victoriam reportatam de Scythis Imago B. V. in triumpho ducta.

20. Simili ratione Joannes Comnenus Constantinopoleos Imperator, Virgineam hanc Balsami arbusculam in triumpho detulisse visus est, cùm anno 1123. Scythis, trans Istrum habitantibus, barbaricè efferatissimis, perdomitis ac debellatis, Dei Matris auspicijs fœlicissimis victor evasit: *Cùm enim*, ut inquit Nicetas Choniates in suis annalibus: *Romanæ phalanges hostibus urgentibus, & audacius se inferentibus laborarent, imaginem Dei Genitricis cum gemitu, & miserabilibus gestibus Imperator intuens, lacrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat. Neque id frustra; Statim enim Cœlesti robore armatus, Scythicam aciē profligat,* quem-

Pariter Joannes Comnenus Constantinopoleos Imperator Iconem B. V. ob reportatâ victoriam solennissimè in triumpho duxit.

quemadmodùm olim Moyses extensione manuū Amalecitarum turmas dissipavit. Concludit tandem ostenditque, qua animi gratitudine ob tam illustrem reportatam Victoriam Deiparam honoraverit. *Joannes verò*, inquiens, *in rei gestæ monimentum festum instituit, quod Pazinicarum dicitur, quasi dicas universarum Victoriarum, & ad triumphi pompam præparari jussit currum argentò interpunctum, & gemmis pretiosissimis ornatum, qui à quatuor equis nivè candidioribus trahebatur, in quo Dei Genitricis imaginem collocavit, cui Victorias, ut collegæ imperij invictæ acceptas ferebat; habenas viris potentissimis moderandas, & cognatis suis currum curandum dedit: Ipse Crucem manu gestans, pedes antecessit, & Dei Sapientiæ templum ingressus, gratijs Deo palàm ob successus actis, in palatium abijt.* Hæc ille.

21. Quòd porrò Virgo Victorias de visibilibus etiam, jisque atrocissimis hostibus, suis clientulis ad ipsius patrocinium confidenter accurrentibus, à Filio impetrare consueverit, testis est Narses dux invictissimus, qui Italiam, Gothorum Arianorum durissimo jugo 60. & amplius annis oppressam, sua in Virginem pietate liberavit; *Cùm enim*, loquitur Paulus Diaconus lib. 2. de gestis Longobard. cap. 13. *esset vir pijssimus, vigilijs & orationibus in tantùm studens, ut plus supplicationibus, quàm armis bellicis Victoriam obtineret. Itáque in tantis periculis constitutus, ad Dei ejusque Genitricis opem implorandam accurrit, nec spe sua fortissimus Christi miles frustratus est.* Qua de re audiendus Evagrius lib. 4. cap. 26. *Commemoratum est*, inquit ille, *ab his, qui unacum Narsete fuerunt, dùm precibus & alijs pietatis officijs Divinum Numen placaret, debitúmque cultum ei tribueret, sanctam Virginem Deiparam ei apparuisse, planéque tempus præscripsisse, quò bellum cum hostibus gereret, atque ut non priùs ad prælium committendum se accingeret, quàm Cælitus signum acciperet.* Multæ aliæ quoque res à Narsete valde memorabiles gestæ sunt.

Piissimo Duci Narseti Victoriam contra Gothos & Arianos Beatissima Virgo impetravit.

22. Cum igitur Virgo sacratissima, tam illustres de hostibus victorias, suis cultoribus tam crebrò elargita sit, quid mirum, quòd ejus effigiem triumphali pompa, velut suavissimum balsami fruticem, viri principes, prisca illa pietate conspicui, circumferre voluerint? Nec hôc nostrô sæculô hujusmodi pietas ac religio desiderata est. Certè Paulus V. Pontifex Max. pro insigni, qua in DEI Matrem ferebatur religione, iconem ejus, quam S. Lucas Evangelista penicillo penè Divino depinxit, Anno 1613. ad diem 27. Januarij solenni ritu in sacellum illud, quod ipse imensis penè sumptibus, prodiga quadam liberalitate à fundamentis extruxit, inferendam curavit, triumphalem quandam pompam illi instituere visus est: Voluit enim ipsum sacrum Cardinalium collegium, universúmque clerum Romanum, omnes Religiosorum, quæ in urbe reperiuntur, familias, ex quolibet denique hominum ordine summos, medios, infimósque longa serie procedentes, huic interesse solennitati, collatâ eam in rem indulgentiâ plenariâ omnibus jis, qui expiatâ ritè conscientiâ, mensæ Evchalistiæ accubuissent, ac demum triumphali huic processioni interfuissent. Atque ut suum in Divam Virginem pientissimus hic Pontifex magìs magísque contestaretur affectum, Iconem hanc, quæ tanta cum gloria ac Majestate circumferebatur, laminis aureis, argenteísque facie tenus undique contexit, torquibúsque ac monilibus, pretiosissimarum gemmarum varietate distinctis exornavit, ipsam ædiculam super altare inauratis laminis miro decore circumsepsit, ipsámque aram, in qua effigies Virginea collocanda erat, quatuor altissimis columnis, ex Jaspide circumdato, Topazio, Granata, Rubino, Smaragdo, Chrysolito, Onyche, Amethysto cæruleo Por-

Paulus V. Pontifex maximus triumphali pompa circumduci fecit B. V. Iconem à S. Luca pictam.

Persico, aliisque incomparabilibus gemmis decoratam, ipso, Reginæ Angelorum triumphali pompa in cœlos proficiscenti, consecrato die construxit: Ipsum porrò sacellum, extrinsecus Tiburtino expolito lapide, intrinsecus verò Numidico, Chio, Phrygio, Alabastrite mellei coloris maculoso, & Carrariensi, qui inter reliquos videtur vilissimus, ædificavit, miráque operis elegantiâ, sumptuúmque opulentiâ ac magnificentiâ convestivit. Missa facio alia Virginei hujus domicilii locupletissima ornamenta, quæ apud Bzovium To. 17. Annalium ad calcem videre licet.

Veneta Respublica pari solennitate B.V. Iconem, ejúsque sacrata pignora circumduci imperavit.

23. Pari religione, & triumphali planè pompâ Serenissima Respublica Veneta Deiparam gloriosissimam, ejúsque sacrata pignora Año 1617. venerata est: Cùm enim in quodam Concavo sacrarii Templi S. Marci pariete, una ampulla lactis B. Virginis, & altera sanguinis miraculosi Salvatoris nostri, cum aliis B. Virginis aliorúmque sanctorum Lypsanis reperta esset, placuit omnia illa sacra monimenta solenni supplicatione, qua quidem ante hàc nulla, aut ad plausum festivior, aut ad splendorem illustrior, aut augustior ad pompam in celeberrima illa urbe conspecta est, per vicos urbis 28. Maji, quæ in diem Dominicam incidebat, educere, & populo spectanda circumferre. Atque ut vehiculorum variorum regios planè apparatus, quibus & Christi Domini Sanguis, & aliorum sanctorum reliquiæ gestabantur, sileam: pegmate inprimis in formam pyramidis erecto, quod Attalici panni amictu splendidissimè collucebat, quatuor circumquáque gradibus industriè assurgentibus compositis, super aureis argenteísque loculamentis, in quibus B.V. lac, togæ itē ipsius, ac pallii particula, cum velo, cingulo, palma, quæ ante ipsius funus ab Angelo prælata est, uti & frustillum sepulchri ipsius, locísque, in quo annuntiationis mysterium completum est, tum denique stabuli, quod Salvator ex Virgineo egressus utero, suo beavit aspectu, visebatur. Pegma hoc quatuor Sacerdotum, ad pompam splendidissimè amictorum humeris deportabatur. Ad latera duo Clerici tunicis ex panno raso, Tyrio murice persuso, gemmísque & aureo intertextu, Phrygio opere incrustato vestiti, argenteísque thuribulis instructi, thurea dona assiduè depromentes incedebant. Ex utráque parte sequebantur longa serie varii, collucentibus facibus pompam illustrantes. Ponè sequebantur sex Sacerdotes, in niveis pluvialibus auro intertextis, pretii non vulgaris. His succedebat proximus Venetiarum Patriarcha, pluviali pariter decoratus, sed quô néque materiæ pretio, néque artis nobilitate præstantius ullum sub oculos cadere posse crediderim; conflatum nimirum erat ex pallio quodam, Regis alicujus Persarum munere, huic Reipublicæ consecrato: gradiebatur autem Conopeô ingentis precii protectus, quod Sacerdotes quatuor, aureis Paludamentis Ecclesiasticis amicti, argenteis hastilibus manu prehensis gestabant. Horum vestigiis insistebat Serenissimus Venetiarum Dux, & Amplissimus Senatorum, Patriciorúmque ordo, quorum singuli manu ardentes faces præferendo, pompam reddebant augustiorem, illustriorémque. Claudebat agmen tanta tum indigenarum, tum externorum caterva, imò unda, confluxúsque, ut néque S. Marci Ædes, licèt amplissima, néque fori æquor patentissimum multitudini innumeræ sufficere posse videretur. Longùm foret commemorare alia varia, eáque sumptuosissima pegmata, pyramides, inauratósque currus, quibus variæ variorum templorum Sancto-

rum reliquiæ, insigni celebritate, mirô æstuantium gaudiô deferebantur. Quæ omnia accuratè Pater noster Antonius Balinghen in Cal. B. V. Deip. ad 28. Maji descripsit.

Ex quibus omnibus licet inferre, Sacratissimam Deiparam Plantulam quandam esse Balsami, quæ non modò à Romanis, verùm etiam ab aliis gentibus ac nationibus in triumpho circumgestata est.

Sub Balsami arboribus plures viperæ latitant, & Balsami pastu venenum amittunt.

24. Quid jam de variis Balsami virtutibus dicam? inter reliquas illa non vulgaris est, quòd viperis tollit venenum. Certè Pausanias in Bæoticis lib. 9. scribit: in Arabia plurimas viperas sub Balsami arboribus latitare, easque sub illis commorantes, Balsami pastu venenum amittere, ipsarúmque morsus eandem ob causam esse innoxios. Quod quàm aptè quadret Sanctissimæ Deiparæ, nemo non videt: Verè enim DEO ingrati, invisíque peccatores, velut viperæ sub umbra patrocinii Virginei commorantes, venenum, peccandíque consuetudinem amittere videntur, dum ejús gratiâ quasi Balsamô nutriuntur, ac sustentantur.

Sub Patrocinio B. V. commorantes peccatores peccandi consuetudinem videntur amittere.

Quod Virgo promptissima illis, effusissimáque exhibet charitate, memor se illorum beneficiô ad eminentissimam Divinæ Maternitatis provectam esse dignitatem. Unde S. Anton. lib. de Excel. B. V. c. 12. pro peccatoribus salvandis Deiparam exorans, hanc ipsi ingerit cogitationem: *Cogita: quæso, & recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatores, Conditor noster ex te factus est homo: Cur igitur non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es levata, ut te Dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura? An ideò, utrum pereamus, ampliùs non curabis? quia quidquid de nobis miseris ultra eveniat, gloriæ tua jactura nulla inde proveniet. Et hoc quidem bona Domina, fortassis aliquomodo dici posset, si pro tui solius exaltatione & utilitate Mater DEI facta fuisses, sed utique DEUS, qui hominem assumpsit ex tua castissima carne hoc fecit pro tua, & nostrî omnium salute, &c.*

Balsamum antidotum contra serpentum venenum.

25. Quòd si per serpentes Cacodæmones intelligamus, facilè perspicimus, ad Virginis hujus præsentiam eos omnem nocendi vim, amittere, siquidem illa est, quæ serpentis antiqui, mundíque hujus Principis caput contrivit, déque illo gloriosissimè triumphavit. Quam ob causam Rich. à S. Laur. de laud. B. V. vocat eam Principem, quòd mundi hujus Principem, imo Tyrannum debellârit. *MARIA est Princeps*, inquit *designata per Saram, quæ interpretatur Princeps: & rectè Princeps, quia & Filia Principis, DEI Patris videlicet, appellatur.* Cant. 7. *& Mater Principis Christi, qui dicitur Princeps Regum terræ*: Apoc. 1. *Hæc autem Princeps à tota Trinitate data est Ecclesiæ: ut per eam Princeps mundi Diabolus, captivitatis nostræ principium, ejiceretur foras è cordibus electorum. Hic enim Princeps primam mulierem captivavit; sed ab ista Principe captivatus est. Unde* Gen. 3. *eidem dictum est; ipsa conteret caput tuum; quod non solùm semel, sed quotidie fit, cùm à viris justis adjutorio ipsius Diabolus expugnatur.* Sic ille.

MARIA contra dæmonis nocendi potestatem.

26. Adeò Virgineum hoc Balsamum Tartareis hostibus est execrabile, ut ipsius odorem nulla ratione persentiscere valeant. Hinc B. Amadeus Episc. Lausanensis Hom. 2. de laude B. V. de odore vestimentorum Deiparæ verba faciens ita loquitur: *jam de odore vestium Verba Sponsi Sponsam laudantis in Epithalamio audiamus.* Cant. 4. *odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris; asserunt odore thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, DEUM lacrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim, odore virtutum S. MARIÆ Angelos tenebrarum effugari, & valido quodam turbine huc illúcque raptari, ut in eis repleatur, quod dictum est.* Psal. 34. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* Atque ut Virginei

Balsamum Virgineum Tartareis hostibus est execrabile, ut ipsius odorem nullâ ratione persentiscere valeant.

nei hujus Balsami admirabilem vim ac energiam undique se se ad mortales omnes diffundentem, cœlos, Tartaráque penetrantem, magis perciperemus, ita concludit: *Odor iste mortuos in peccatis, excitat, mente debiles roborat, bonos invitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo per Virginem provocavit, ut ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias lege immobili, & pace sempiterna. Sic itáque fragrantia vestimentorum S. MARIÆ Hostes fugat, bonos invitat, DEUM placat.* Hæc Amad.

27. Ex quibus sanè colligere possumus, Deiparam Balsamum quoddam perfectissimum esse, suavissimum gratissimúmque tam superis, quàm terrigenis omnibus odorem exhalans. Unde hujusce perfectionis ipsa sibi probè conscia dicebat: *Et quasi Balsamum non mixtum odor meus;* quibus verbis miram suam perfectionem Virgo nobis indicat.

28. De Balsami perfectione audiendus Dioscorides lib. 1. c. 18. *Succi Balsami probatio, ut sit recens, validi odoris, sincerus non ad acorem vergens, dilui facilis, levis, adstringens, ac modicè mordens gustu. Sed variè vitiatur, mistô ab aliquibus terebynthi, cypri, lentisci, balani, unguentô: Item susinô, metopiô, melle aut cypriâ cerâ liquidâ. Quod maleficium facilè deprehenditur. Námque merus in laneam vestem fusus, néque maculam facit, néque, si elevatur, notam relinquit, vitiatus autem inhæret, & lac instillatus coagulat, quod adulteratus non facit. Quin etiam sincerus in aqua aut lacte celerrimè liquatur, coloréque lactescit; vitiatus verò olei modo innatat, se convolvens, aut in stellæ modum diffundens.* Tandem sinceri Balsami virtutes, contra varias infirmitates hominúmque morbos recensens, hæc annectit: *Horrores illitus discutit, ulcera sordida expurgat, & cruda concoquit, ægrè spirantibus prodest, datur in lacte contra aconitum haustum, aut serpentium ictus. Miscetur acopis, malagmatis & antidotis. In summa, præcipua autoritas succo, secunda semini, minima ligno. Semen commodè potui datur, doloribus lateris, pulmonum vitiis, tussi, ischadicis, comitialibus, vertiginosis, orthopnoicis torminibus, ac serpentium morsibus, ad muliebres suffitus perquàm utile est, vulvam aperit.* Quæ omnia quàm aptè Virgini nostræ, utpote peccatorum nostrorum, quæ animæ nostræ morbi exitiales sunt, medicinæ conveniant, sæpiùs ostensum est.

Probatio Balsami utrum recens & sincerum, vel vitiatum.

Virtutes Balsami contra varias infirmitates.

29. Hos sanè morbos, qui vitam nostram universam mirum quantùm exagitant, Virgo pientissima vel ob naturæ humanæ communionem, ut alia motiva taceam, ipsa animitus persentiscens, angi nimirùm quantùm, átque excruciari videtur; unde promptissima est ad exhibendum nobis, velut Balsamum non mixtum, saluberrimam suô patrociniô atque interpellatione medicinam. Hinc Philosophus in Problematis Sect. 7. n. 3. cùm quæsiisset: quam ob rem, cùm secari quempiam, aut uri, aut torqueri, aut aliqua re tetra affici videmus, animô vicem ejus doleamus? Respondit in hunc modum: *An quod omnium communis natura humana est? ignoscimus ergo, cùm tale quidpiam inspeximus, propter naturæ consortium, & familiaritatem. An quomodò nares, & aures delibationes quasdam rerum obductarum pro sua facultate concipiunt, sic etiam affectus afficitur tam à re delectabili, quàm tristi?* Cùm igitur Virgo peccatorum nostrorum morbos, lethaliáque vulnera, omnésque nostras miserias ac ærumnas in divina essentia, velut speculô voluntariô, ut eam Concilium Senonense appellat, assiduè intueatur; non potest, utpote Mater pientissima, intimis sensibus, visceribúsque non commoveri, ut tantis malis nobis expeditam medicinam exhibeat.

B.V. comparatur nostris infirmitatibus, & promptissima ad adhibendam medelam.

30. Teneritudinem hanc affectûs, naturæque communionem,

Tenerrimo affectu movetur MARIA ad succurrendum nobis in nostris infirmitatibus.

quâm ad succurrendum nobis in ærumnis infirmitatibúsque nostris movetur Deipara, agnovit B. Petrus Damianus Card. Ser. I. de Nat. B. V. dum eam ita compellat: *Subveni Domina clamantibus ad te jugiter: Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Tu benedicta, & super benedicta revertere, primò per naturam; Numquid quia ita Deificata, ideò nostræ humanitatis oblita es? nequaquam Domina; scis, in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantùm delinquant servi tui; non enim convenit tantæ misericordiæ tantam miseriam oblivisci, quia etsi subtrahit gloria, revocat natura, non enim ita memoraris justitiæ DEI solius, ut misericordiam non habeas; néque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis: Naturam nostram habes, non aliam; & justum est, ut de tore tantæ pietatis diffusiùs infundamur.* Sic ille.

Balsamum sincerum vestibus laneis immissum nullam maculam post se relinquit.

31. Longùm foret, omnes effectus hujusce Balsami Virginei non mixti, in humanis curandis infirmitatibus, aliásque ipsius proprietates commemorare. Aliqua dumtaxat attigisse sufficiat, inter quas illa planè est memorabilis, quòd vestibus nullam prorsus maculam aspergat. Talis nimirum est Deipara, quæ licèt foret pulcherrima, omnem Angelicam transcendens venustatem, visa tamen nullam impuritatis maculam ulli mortalium aspergere, quin potiùs ad amorem puritatis Virginitatísque inflammabat, ut fusiùs ex professo in Disc. 4. comprobatum est. Audiamus hìc Bernard. Bustium Par. 9. Marial. Serm. I. Assimil. 10. ubi postquàm dixisset: Balsamum verum à Balsamo mixto ac Sophisticato quatuor signis dignosci, per quæ etiam Virgo beatissima esse Balsamum verum, & non mixtum comprobatur, subjunxit: *Primum signum est: quia Balsamum purum, si ponatur in veste, vel in panno lineo, ipsum nec maculat, nec inficit; si autem mixtum est, statim per maculas se diffundit. Pulchritudo mulieris sæpè aspicientem commaculat quasi Balsamum mixtum, juxta* Eccli. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt: Pulchritudo autem B. V. quasi Balsamum purum, nullum aspicientem unquam maculabat, sed potiùs suæ sanctitatis odore corda penetrans, maculas detergebat, motúsque illicitos extinguebat.* Sic ille.

Pulchritudo B. V. aspicientem non maculat, sed potius abstergit.

32. Néque verò solùm aspectus Virginis, nullam maculam humanis mentibus, corporibúsque inurebat, sed homines gratiâ illâ Spiritûs sancti, tanquam Balsamô purissimô ab omni corruptione præservabat. De hac gratia audiamus Doctorem Seraphicum in Spec. B. V. cap. 5. ubi etiam docet modum, quô gratiam hanc, Virginis ipsius exemplô obtinere possimus, quô perfectam illam incorruptionem, quæ nos proximos DEO reddit, obtinere valeamus: *Balsamum MARIÆ*, inquit ille, *est unctio gratiæ, quâ MARIA copiosissimà infusa est.* Unde Bern. *pretiosum illud Balsamum sancti Spiritûs tantâ tibi copiâ, tantáque plenitudine influet, ut copiosissimè effluat circumquáque. Balsamum misceri & vitiari solet melle & oleo, sed certè Balsamum Spiritûs sancti in MARIA non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis & mundanæ consolationis, nec oleô veræ laudis & adulationis fuit vitiatum. Et quia tam vera, & tam pura MARIÆ gratia fuit, ideò benè Hieron. de ipsa dixit: Quidquid in MARIA gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum gratia & veritas, totum misericordia & justitia fuit, quæ de cœlo prospexit. Quicunque ergo cum MARIA veram gratiam invenire desiderant, ipsi cum MARIA omni desiderio, omni studio ad eam, apud quem invenitur, accedant, sicut hortatur Apostolus ad* Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur in tempore opportuno; & nota, quòd quicunque vult invenire, debet quærere, & quicunque vult quærere, debet se inclinare: Inclinet ergo se cum MARIA per humilitatem veram, quicun-*

Aspectus Virginis non tantum maculam non aspergit, sed homines Spiritus S. gratia ab omni corruptione præservat.

que

que cum MARIA invenire cupit gratiam veram. Dicitur enim Eccli.3. *Quantò major es, humilia te in omnibus, & apud DEUM invenies gratiam. MARIA certè quia per humilitatem se verissimè inclinavit, verissimè gratiam invenit, ut verè dicere possit: Respexit humilitatem meam.* Quibus verbis docet S. Doctor, ad Balsamum Virgineæ gratiæ, quâ homo ab omni corruptione præservatur, quærendum & inveniendum, opus esse profundissima humilitate, Virgineæ illi quàm simillima.

33. Quòd porrò Balsamum Virgineæ gratiæ à tetra animum & corpus hominis præservare tabe consueverit, testatur Richar. à S. Laur. lib.2. *Ideò odorem suum MARIA comparat Balsamo, quia, sicut Balsamum facit corpus mortuum, si eò perungatur, videri quasi vivum, nulláque putredine illud corrumpi permittit: sic odor misericordiæ virtutum & exemplorum MARIÆ, facit per peccatum mortuos in spe veniæ respirare. Cùm ergo ipsa dicit: quasi Balsamum non mixtum odor meus, perinde est, ac si diceret: quamcumque virtutem habet purum Balsamum ac merum, ad conservandum corpus, habet quóque odor meus ad animam vivificandam, conservandámque à vitiorum Putredine. Perducit denique eadem Virgo Amatores suos, sibi servientes, suos clientulos ad gloriam Resurrectionis, quæ incorruptibilitatem veram tribuit corporibus mortuis.* Sic ille.

Balsamum corpora mortuorum præservat à putredine.

B.V. animum per peccatum mortuum in spe veniæ respirare facit.

34. Hôc Virgineo gratiæ Balsamô perunctus videbatur, Simon Garzia, Ordinis Minimorum, insignis Virginis cultor, ac amator; siquidem postquàm piis in precibus ad DEUM & Deiparam, ínque amplexu Christi de cruce pendentis flagellum suum ac rosarium manu tenens, quietissimè Anno 1606. in Domino obdormiisset, corpus ejus à morte mox gratissimum spiravit odorem, concurrentibus universis ad ejus venerationem, ungues, capillos, vestésque, velut sacrata lipsana devotionis ergò asservanda diripientibus: Hic cum lacte planè nutricis, pietatem in Deiparam hausisse visus est: Vix enim tres natus erat annos, exemplô Virginis divino obsequio se totum mancipare visus est; Nam quocúnque ibat, solitus erat voce demissa intrà dentes Angelicam salutationem, additis nonnullis orationibus jaculatoriis recitare. Paulò grandior factus, diebus singulis Coronam Virgini, salutationibus Angelicis, veluti pulcherrimis rosulis magna cum pietate contexebat, aliósque ad idem devotionis exercitium inflammabat: Unde posteà, cùm ad virilem ætatem pervenisset, multi eo suadente magnum erga DEI Matrem religionis affectum præsetulerunt, eúmque certissimis argumentis comprobârunt. Solitus erat optare, se in ætate virili eô esse in Virginem animô sensúque pietatis, quô fuerat puer. Et sanè ostendit signis minimè obscuris, quô in illam ferretur amoris affectu, quando in Provincia Aragoniæ, Superior Monasterii cujusdam creatus, inter alia singulis Fratrum suorum cellis pientissimam hanc Divinæ Virginis salutationem inscripsit:

Corpus Simonis Garzia Ord. Minimorum Eximii cultoris B.V. à morte mox gratissimum spirabat odorem.

Ave Filia DEI Patris
Ave Mater DEI Filij
Ave Sponsa Spiritûs sancti,
Ave Templum totius Trinitatis.

Hunc salutandi ritum docebat omnes, quotquot poterat, eúmque ipse frequentissimè usurpabat, illóque precationes omnes quasi aurea coronide claudebat, adeò, ut cùm ex floribus corollas Virgini contexeret, offerrétque, eadem salutatione eas decorabat, quò Divæ Matri evaderent gratiores. Hujus tam insignis pietatis condignam sanè accepit remunerationem, egregiam videlicet animi corporísque puritatem vix non Angelicam: de illo námque contestatus est ipsius, qui illi à confessionibus erat, Pater spiritua-

tualis, nunquam illum totius suæ vitæ decursu lethaliter peccâsse. Quæ profectò incorruptio minimè mira nobis debet accidere; cùm illum tam copiosô Virgineæ pietatis Balsamô infusum fuisse perspexerimus. Ex Cal. B. V. 27. Februarii.

B. Peregrinus Ord. Servorum B. V. mortuus manum è feretro elevavit, cæcóque admovit, atque visum restituit.

35. An non Balsamô hôc delibutus fuisse visus est B. Peregrinus Ordinis Servorum B. V. qui postquàm Forolivii, ubi natus fuit, in Cathedrali Ecclesia ante Virginis Iconem, cui totum se se devoverat, orâsset, ut vias suas dirigeret, audissétque illam præcipientem, ut ad servos suos se conferret, ibidémque sibi deserviret, paruit ille Virgini, brevíque ad tantam sanctimoniæ perfectionem, egregia sua in illam pietate, carnísque assidua maceratione pervenit, ut mortuus ex feretro manum, qua sine dubio Virgini salutationes numerabat Angelicas, quasi viveret, cæco admoverit, qui illicò visum recepit. Nec immeritò Virgineæ hujus pietatis Balsamô corpus ejus perunctum fuisse suspicamur, quod ipse ejus amore tantopere castigavit, inque servitutem redegit: Siquidem per 30. annos illum nunquam sedisse, fama est; quòd si somnô aut lassitudine victus, stare non posset, saxô pro cubili utebatur. Cal. B. V. 1. Maji.

Sitæ Virginis corpus incorruptum medicum liquorem effundens repertum.

36. An non Virgineæ pietatis Balsamô peruncta fuit Sita Virgo Lucensis? de qua scribit Cæsar Franciot: de sanctis Lucæ; quòd ipsius corpus post 326. annos, nempe superioris sæculi anno 1581. repertum est incorruptum, medicúmque quendam liquorem, morbis omnibus persanandis aptissimum, effundens. Quam incorruptionem Sita sine dubio eximiâ suâ in beatam Dei Matrem pietate consecuta est, siquidem totius vitæ decursu præcipuô studiô eam coluerat, cum eáque familiarissimè fuerat conversata. Unde contigit aliquando, cùm Sita pia quædam loca visitâsset, fessaque cuidam fonti jam sole occumbente assedisset, ut B. V. specie matronæ cujuspiam honestioris ipsi mox adfuerit, eámque rogârit: Num Lucam venire velit? cui cùm annuisset, matronámque usque ad portam Civitatis comitata esset, eámque clausam reperisset, ea nihilominus ingredientibus, nullo reserante, sponte grandi miraculô patuit. Tandem clientulam suam Virgo benignissima cùm domum suam reduxisset, momentô disparuit.

B. Helenæ Ord. S. Francisci corpus movetur magno cum strepitu, quando civitati aliqua clades imminet.

37. Anon denique Virgineo pietatis Balsamô corpus B. Helenæ Ordinis D. Francisci perunctum fuisse videtur? quod exanime ab anno 1230. cum Patavij quiescat, movetur tamen in hodiernam usque diem magno cum strepitu, quando Civitati aliqua clades imminet, uti belli, pestis malive alicujus similis. Quô porrò affectu Virgo hæc ferretur in Deiparam, ut alia missa faciam, illud unicum comemorâsse sufficiat, quòd, cùm totos 15. menses febri ardentissima ac pleuritide laboraret, tantis in doloribus hymnos assiduè Deiparæ decantârit, unde ab eadem visitari ac benignissimè consolari meruit. Cal. B. V. Nov. Illum porrò motum, quem ejus corpori vita carenti concessit Dei Mater, ut gratiam planè singularem esse intelligamus, veniat in mentem quod, P. Balinghen in jam sæpè memorato suo Calendario die 14. Julij commemorat, de Imagine Deiparæ, quæ visitur Valentiæ, & Domina nostra derelictorum appellatur. De hac illud refertur planè prodigiosum: cùm quis submergitur, vel cùm quis circa Civitatem trucidatur, audiuntur in armario, quo illa sacrata imago clauditur, certi ictus. Eadem miraculosè prodere consuevit locum homicidii, & quô locô sit cadaver. Stupendum illud, quod hoc nostro sæculo contigit Anno 1608.

Imago Deiparæ, quæ visitur Valentiæ, & appellatur Domina nostra derelictorũ, quam mira prodigia edat, recensetur.

28. Ju-

28. Junii. Cùm quidam ob perpetratum homicidium duceretur ad supplicium, in itinere prostravit se in genua coram Sacello, in quo Imago illa asservabatur, enixè rogans Deiparam, ne se in tanto discrimine constitutum, desereret: Vix verba finierat, cùm Imago conclusa, ex armario responsum clementiæ, quínque ictibus, qui ab universo populo auditi sunt, reddidit. Pro tanto beneficio mox miser ille plenus lætitiâ, gratias acturus DEI Matri, genua dum flectit, iteratò quínque alii ictus, uti anteà, in signum confirmatæ clementiæ exauditi sunt. Ex quo liquet, Deiparam proprias sibi cælitus impertitas gratias, clientulis suis, qui suæ pietatis Balsamô imbuuntur, communicare consuevisse.

Deipara Balsamum non mixtum, quia oleum laudis humanæ nec mel terrenæ dulcedinis in vita sua admisit.

38. Dici etiam potest eo nomine Deipara Balsamum non mixtum, quòd oleo laudis humanæ, vel melle terrenæ dulcedinis sive oblectationis nihil in vita sua admiscuerit. Qua de re audiendus Richardus à S. Laurent. lib. 12. *Odor Mariæ*, inquit, *id est, delectabilis & jucunda opinio sanctitatis ejus, comparatur Balsamo, non mixto, sed purissimo. Miscetur Balsamum, & corrumpitur, átque adulteratur oleô cyprinô, vel melle. Sic vita sanctitas corrumpitur, cùm geritur pro oleo laudis humanæ; At Maria dicebat cum Davide: Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Psal, 140. *vel pro acquirendo melle delectationis carnalis, aut mundanæ, quæ est illa meretrix, de qua,* Prov. 5. *Favus distillans labia meretricis sed Maria omnes carnales, mundanásque contemnens delicias, Spiritualibus tantùm adhæsit.* Audiendus in hanc sententiam quoque Bern. Bustius: *Sciendum, quòd Balsamo aliquando admisceatur oleum, aliquando mel, & sic sophisticatur, falsificatur, ac corrumpitur, Sunt enim quidam admixti melli carnalis delectationis, & aliqui habent solùm oleum exterioris nitoris, & ideò sunt Balsamum sophisticatum. Beata autem Virgo fuit Balsamum non mixtum, quia nunquam dilexit mel carnalis delectationis, sed semper integerrimam Virginitatem servavit: Nec habuit tantùm oleum exterioris nitoris, sed interiorem sanctitatem dilexit. Fuit enim Filia illius Regis æterni, cujus omnis gloria ab intus est.* Psal. 44.

Deipara Balsamum non mixtum, quia nullum ullius peccati, sive originalis, sive actualis admixtionem admisit.

39. Idem Bernardinus ait Deiparam Balsamum non mixtum appellari, quòd nullum ullius peccati sive Originalis sive actualis admixtionem in se admiserit? *Non fuit in Benedicta Virgine*, inquit ille, *comixtio vitiosa per aliquod peccatum, aliter non posset in veritate dicere quasi Balsamum non mixtum; si cum ea, admixtum fuisset originale peccatum: Erubescant ergo, suísque cavillationibus finem imponant, qui hactenus ostendere conati sunt, impermixtissimum, purissimúmque Balsamum putredine átque fœtore originalis peccati fuisse contaminatum.* Sic ille.

Balsamum sincerum aquæ infusum mox fundum petit.

40. Balsamum porrò sincerum, varijs ex signis esse deprehenditur; inter quæ illud planè insigne est, quòd, si aquæ infundatur, mox fundum petit. Talis prorsus fuit Deipara, quæ licèt Cœlestium gratiarum aquis in incarnatione Verbi nimiúm quantùm circumflueret, utpote vellus Gedeonis, in quod æternum illud Verbum descendit ut pluvia, & sicut stillicidia stillantia super terram; fundum tamen humilitatis petivit, cùm summa animi demissione dixit: *Ecce Ancilla Domini.*

B. V. licet aquis gratiarum circumflueret, fundum humilitatis petiit.

41. Aliter hoc interpretatur jam citatus Bust. *Aqua* inquiens, *est mundanarum, divitiarum honorúmque fluxus: In hac aqua, cùm aliqui ponuntur, mox supernatant, & extolluntur tanquam Balsamum mixtum. Beatissima autem Virgo in maximo honore posita, se non extulit, sed mox fundum humilitatis petiit, dicens: Ecce Ancilla Domini.*

Balsamum non mixtum cum manu gestatur, radióque solis tangitur, adeo incalescere dicitur,

42. Balsamum denique non mixtum Virgo nostra extitit, hoc enim, cùm manu gestatur, radióque solis tangitur, adeò incalescere dicitur, ut manum gestantis adurat. *Tantam*

ut manum gestantis adurat.

B.V Solem Justitiæ circumdans, adeò divini amoris flammis exarsit, ut mortales penè omnes eodem calore inflammet: d. 11. n. 42.

vim habet, inquit, *Isidorus, ut si sole incaluerit, manu sustineri non possit.* Talis omnino fuit Deipara, quæ licèt semper divina incaluerit charitate ita, ut, quemadmodùm ait Idiota Sapientissimus, nemo foret, qui se ab ejus absconderet calore: at verò tum vel maximè Divinis amoris flammis ipsius benedicta exarsit anima, cùm solem justitiæ uterô circumdans, illô vicissim amicta fuit. Item cùm ceu Rubus ille Mosaicus Exod. 3. Divinum concepit ignem absque ulla combustione, sive integerrimæ suæ Virginitatis læsione, & tamen mortales pene omnes amore Divini Numinis, semetipsum hominis gratiâ exinanientis, formámque servi accipientis, vehementissimè inflammavit.

Balsamum admirabili vi ad fœtus, etiam in utero Matris jam mortuos in lucem prodendos pollet.

43. Quòd si inter reliquas Balsami virtutes aliqui apud Laurentium Cardosum Ordinis Minorum observantium, in Villa Regia lect. 24. referunt: illud admirabili vi ad fœtus, etiam in utero Matris jam mortuos, in lucem producendos pollere, quod etiam insinuare visus est Dioscorides suprà, dum inter reliquas Balsami virtutes ait: illud vulvam aperire. Balsamum sanè purissimum agnoscamus esse Deiparam oportet, quæ puerperis, in partûs angustiis constitutis, mirè patrocinari consuevit, ut fusè Tom. 2. discursu de Luna, variis exemplis comprobatum est. Hanc Virginei hujus Balsami virtutem, puerperis admodùm opportunam, agnoscens Serenissima Margarita Hispaniarum Regina, Philippi III. Conjux lectissima, instante puerperio novem omnino sacra, præter alia pietatis opera, in honorem præcipuorum mysteriorum vitæ sacratissimæ Deiparæ, quibus ipsa interesse etiam consueverat, celebrari curabat. Post editum in lucem partum feliciter, se, fœtúmque suum Deo, Virginíque, in aliquo ejus templo persolutis impensè gratiis pro collato beneficio, offerebat: Unde factum, ut semper auspiciis suæ Virgineæ, Divinissimæque Lucinæ, partus suos prosperè in lucem ederet, dum eam variis pietatis exercitationibus, totius vitæ decursu à primis annis sibi propitiam reddere studuit. Cùm enim adhuc esset Puella, præter officiũ S. Spiritûs, S. Josephi Virginis Deiparæ Sponsi, S. Crucis, præter septem Psalmos, qui Pœnitentiales dicuntur, præter Litanias Lauretanas, variásque alias, præter multiplices etiam piorum libellorum preces, solita fuerat officium Divæ Virginis diebus singulis magna cum devotione persolvere. Virginis Annunciatione sacro die, in more ei fuit, totius vitæ decursu egenis mulieribus, manibus suis, magna humilitate simul & charitate, in honorem novem dierum festorum, eidem Deiparæ sacrorum, cibum ministraræ. ut denique affectum suum in Dei Matrem palàm omnibus contestaretur, ubi primúm cognoscebat, alicubi B. Virginis Templum aliquod miraculis illustre, mox eò commeabat, preces & dona sua illi oblatura; patuit hoc toto itinere ex Styria Madritum usque, cùm nova nupta in Hispaniam tenderet. Cal. B. V. 3. Octob.

B.V. puerperis in partûs angustiis mirè patrocinatur. Testis hujus gratiæ Margarita Hisp. Regina, Philippi III. Conjux.

Balsamum Virgineum etiam ad fœtus peccatorum mortalium profundendos mirificè juvat.

44. Neque verò Virgineum hocce Balsamum ad fœtus etiam mortuos puerperarum in lucem producendos conducit, verùm etiam ad fœtus peccatorum mortalium longè infeliciores proferendos mirificè juvat, dum suis precibus, pijsque ad Filium patrocinijs, ad Pœnitentiam, scelerúmque expiationem peccatores incitat. Testata hoc est nostrô sæculô, Anno 1627. Fœmina illa, de qua noster Pater Balinghen in Cal. 8. v. 1. Febr. Hæc Neapoli, cùm infame scortum esset, ad balnea Anagniensia sanitatis recuperandæ gratia tendebat, sed invalescente morbo, in itinere est mortua: Inde ad Templum

plum ibi proximum cadaver est delatum; Sed illud terræ mandari in loco sacro Parochus vetuit, quòd cognovisset eam turpissimè vixisse, & absque Sacramentis vitâ excessisse. Mansit interim nocte illa in Templo depositum cadaver, quod sub mediam noctem prodigiosè reviviscit, & magna voce Confessarium inclamat? Adest mox Parochus, tantô prodigio totus attonitus; Mulier stupentem de mortis suæ certitudine docet, animámque restitutam patrocinio Deiparæ, quam, dum viveret, singulari studio amoréque proseeuta esset: Ideò ut peccata sua per Confessionis Sacramentū expiaret, & viaticum Evcharisticum inde capesseret, tandémque his peractis iterum è vita decederet, quod & factum est. En ut infælicem peccatorum lethalium fœtum, tam diu intimis peccatricis hujus visceribus occultatum, Balsamum hoc Virgineum in lucem produxit, animámque illam tartareis tenebris damnatam æviternæ luci restituit?

45. Cùm igitur Virgineum hocce Balsamum, tanta támque divina vi virtutéque polleat, ut mortuos suscitet, mortalium peccatorum fœtus depellat, aliáque innumera sua aromatzanti odore edat miracula, totúmque mortalium commodis lubens volénsque, nullius pretii intuitu, se se impendat, ac super impendat, dum dicit: *Quasi Balsamum aromatizans odorem dedi*, dedi, inquam, non vendidi, ut inquit suprà Richardus: volens, ut omnes gratìs gustent odores ipsius, & currant in odorem unguentorum suorum: Cùm inquam Virgo tanquam Balsamum spontè gratísque, & virtutum suarum suavissimum odorem, & omnia sua, effusissimâ liberalitate omnibus ad eam recurrentibus largiatur, & tota penitus sit contraria primæ illi Matri nostræ Evæ, quæ nobis nîl boni dedit, sed accepit: *Tulit enim de fructu & comedit.* Gen. 3. ea hac in parte nobis imitanda est, curandúmque, ut ob ejus amorem & nos nostráque omnia hilares volentésque devoveamus, consecremus. Quare quemadmodùm D. Bernardus Ser. de Verbis Apoc. Suos exhortans ad Virgineam humilitatem imitandam invitabat: *Obsecro*, inquiens, *vos Filioli, æmulamini hanc virtutem, si MARIAM diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus*; ita quóque mihi dicendum videtur; obsecro vos, imitemini hanc benignissimam Virginis nostræ liberalitatem & munificentiam, quâ ultrò sua omnia nobis, pro innata sibi bonitate effusissima charitate elargitur, átque communicat. Et quia obsecrare, est ob res sacras postulare, obsecro vos per augustissimum tantæ Virginis Nomen, per pientissima ipsius misericordiæ viscera, per immaculatam denique ipsius Conceptionem, ut vos totos ejus obsequio mancipetis.

Exhortatio ad fideles, ut se totos MARIÆ consecrent.

46. Imitemini, per DEUM immortalem, sanctissimum illum, Episcopum Canadiensem, ac Martyrem Gerardum, totius Pañoniæ, Ordinisque Carmelitani sidus illustrissimum, de quo Laurentius Surius 24. Sept. Si quis reus ab ipso veniam peteret per Nomen Matris Christi, mox eô auditô lacrymis perfundebatur, reúmque in gratiam humanissimè recipiebat. Ponite vobis ob oculos Magnum Doctorem illum Theologum Alexandrum Alensem, de quo S. Antoninus 3. Par. Hist. tit. 24. cap. 8. qui pro egregia illa, qua in Virginem DEI Matrem ferebatur, voluntate, voto se spontè obstrinxit, nîl se negaturum, quod ejus amore peteretur. Unde cùm quidam Ordinis Seraphici vir pius de tam insigni hujus celeberrimi Doctoris in Virginem affectu audiisset, ipsum adire, ac in Nomine MARIÆ eundem obsecrare magna cum fiducia, ut ipsorum Religiosam familiam ingrederetur,

S. Gerardus quidquid petebatur nomine Dei Matris, id præstitit.

Alexander Alensis voto se obstrinxit nil se negaturum quod Deiparæ amore peteretur.

non dubitavit, nec spe sua frustratus est: Licèt enim ad hujusmodi postulationem prima fronte hæserit attonitus, nihilominus interiori Spiritûs divini instinctu, & Mariani Nominis reverentiâ permotus, sæculo ejúsque vanitatibus, honoribus, divitiis, ac voluptatibus animo planè heroico valedixit; ita, ut dicere posset cum Apostolo 2. Cor. 12. 15. *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse*, pro te Virgo MARIA Domina mea clementissima. Idem & nos sæpiùs, dum in hac vita degimus, ingeminemus, uberrimum tam propensæ in Deiparam voluntatis nostræ fructum experiemur: ea enim nobilissima planè est Virginis nostræ indoles, ut à nullo mortalium liberalitate se vinci patiatur, sed maxima pro minimis, Divinam Naturam æmulata, restituit, sciens pro ea, quâ pollet cœlesti sapientiâ, beatiùs esse dare, quàm accipere: Cùm ipse DEUS à dando, ut nonnulli voluêre, Nomen suum sortiatur.


47. Excitemus igitur nos mutuò ad ipsius servitium ac obsequium, verbis illis Venerabilis Bedæ Presbyteri: *Serviamus semper tali Reginæ MARIÆ, quæ non derelinquit sperantes in se: Cùm diligat Sanctorum Orationes Christus, & exaudiat, multo magis Matrem suam exaudit pro peccatoribus orantem.*



DISCURSUS XII.
VIRGO DEIPARA MYRRHA PARADISI.

Quasi Myrrha electa dedi suavitatem odoris. Eccli. 24.

Myrrhæ naturam & proprietates Plinius describit.

1. Aturæ Indagator Plinius lib. 12. cap. 15. Arbusculam hanc ita descripsit: *Myrrha in multis locis Arabiæ gignitur. Arbori huic altitudo ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro, & intorto, crassiore, quàm thuris: corticem levem, similémque unedoni, scabrum alij, spinosumque dixêre. Folium olivæ, verùm crispius & aculeatum, aliqui similem junipero, scabriorem tantùm, spinisque horridam, folio rotundiore, sed sapore juniperi: Inciditur bis, sudat autem sponte, priusquàm incidatur, stactem, cui nulla præfertur.* Hæc Plinius.

Pariter S. Fulgentius.

2. S. Fulgentius lib. 3. de Myrrha loquens: *hæc*, inquit, *dum grandioris fuerit arboris, solis ardoribus crepans, rhagades efficit, per quas succus sudat, qui Myrrha dicitur, & redolentibus lacrymosa guttulis, fletus suaves, scissuris hiantibus jaculatur, unde odorem genuisse fertur: Adon enim græcè suavitas dicitur; & quia hæc species suavis est, odorem dicitur genuisse. Unde ipsa Arbor lacrymas fundere dicitur, dum Myrrham sudat.* Hinc Ovid. lib. 1 Fastorum.

Nondum protulerat lacrymatas cortice Myrrhas.

Applicatur proprietates Myrrhæ mortificationi carnis.

3. Glossa denique Ordinaria: *Myrrha est in Arabia, arbor quinque cubitis alta, spinæ similis, quam ἄκανθον vocant Græci, cujus gutta viridis & amara, unde & nomen accepit; quæ omnia conveniunt mortificationi carnis, quæ amara ad tempus sentitur, sed in spem semper virentis Patriæ libenter suscipitur. Unde regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis, &c. spinæ autem comparatur, quia ut mentem sanet, corpus affligit. Gutta spontè manans pretiosior est, elicita corticis vulnere, vilior, quia majoris est virtutis corpus sanum, cui arridet copia rorum, mortificare, quàm ægrotum aut paupertate afflictum.* Ita Glossa. Eadem pene habet Hugo Card. de S. Charo.

4. Ber-

4. Bernardinus Bustius Ord. Seraphici denique par. 9. Ser. 1. Assim. ex Dioscoride, & ex Auctore de propriet. rerum ita Myrrhæ proprietates describit, ut eas pene omnes attribuat Virgini Deiparæ: *Inter alias autem virtutes Myrrhæ est, rheumata & fluxus inordinatos restringere, à putrefactione præservare, fœtorem emundare, labiorum ulcera curare, cerebrum confortare, vermes necare, carnem superfluam corrodere, & bonam, sanámque conservare. Beata autem Virgo nos à fluxu illicito restringit, ad benè incepta dirigenda & perficienda confortat, malas à nobis affectiones auferendo, cor nostrum purgat, à peccati putrefactione nos præservat, fœtorem mali exempli à nobis elongat, à delicto labiorum sanat, intellectum nostrum confortat, vermes carnalitatum occidit, curas à nobis superfluas tollit, nósque in bono proposito confirmat, & perseverare facit. Quia igitur in se Domina nostra habet omnes proprietates ac virtutes myrrhæ aliorúmque aromatum ac unguentorum, ideò de ipsa inquit Sponsus ejus* Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum, myrrha & aloës cum omnibus primis unguentis. Et propterea, cùm de ea humanitatem nostram accepit, dicebat* Cant. 5. *Messui Myrrham meam cum aromatibus meis, unde rectè Filius Virginis appellatur* Cant. 1. *Myrrhæ fasciculus.* Et cap. 5. *de ipsius loquens labijs, labia ejus inquit, lilia distillantia myrrham primam.* Hæc Bernardinus.

Virtutes Myrrhæ applicantur B. V.

5. Quæ sanè omnia singuláque variis, iisque luculentissimis comprobari possent exemplis; pauca quædam brevitatis amore commemorâsse sufficiat, ac inprimis quânam ratione homines à fluxu libidinis inordinato restringat, à putrefactione ac fœtore luxuriæ, aliisque vitiis præservet.

Ostenditur exemplis Myrrham Virgineam à fluxu libidinis, & putrefactione luxuriæ præservare.

6. Mirum hoc in genere recenset exemplum Pelbartus de Themesvar lib. 12. Stell. Par. ult. cap. 4. cui titulus: quod B. MARIA suis castitatem conservet. Scribit igitur: fuisse quendam profligatæ, effrænatæque libidinis militem, non minùs audaciâ, quàm divitiis pollentē, qui ad hastiludia, cùm aliquando Veronam proficisceretur, conspicatus perelegantem puellam, Nomine MARIAM, eam insano amore concupivit, & largâ ipsius Parentibus exhibitâ pecuniâ illam ad se traduxit: Verùm cùm hæc inconsolabiliter ploraret, séque totam Deiparæ patrocinio commendaret, scitatus est miles, quòd ei nomen foret, & illa respondisset MARIA; milésque eam plorare vetuisset; adiecit Virgo pudica uberioribus perfusa lacrymis: melius est mihi mori quàm turpiter vivere: Nam Virginitatem meam DEO & B. MARIÆ vovi. Quod ubi miles intellexit, ac rore Virgineo Auroræ nostræ, vel myrrhæ incorruptibili illo liquore fuisset perfusus, sensus omnis in eo libidinis extinctus est: móxque ita illam affatus fuit: Quia hodie Sabbatum est, dies videlicet MARIÆ deputatus, & Nomen tuum est illi conforme, ideò nunc te integrè illi offero, teste DEO, promittóque dotem in monasterio proximo sanctimonialium; quo & illam ipse inviolatam perduxit, & Abbatissæ sedulò commendavit, promittens se Veronâ reducem largam dotem suppeditaturum. Verùm cùm contigisset militem illum è vita decedere, & Abbatissa promissâ dote esset frustrata, multis Virgo illa molestiis, calumniisque est exagitata, in quibus cùm nullum solatium reperiret, ad Misericordiæ Matrem tanquam ad asylum sacrámque anchoram confugit, cum lacrymis gemitibúsque ipsius auxilium patrociniúmque implorando: Cui mox se visendam exhibuit. Deipara Virgo mœrentium, afflictorúmque consolatrix, dulcissimis hisce verbis eam compellans: Noli flere dilecta filia, nam miles il-

Exemplo militis effrænatæ libidinis.

le, qui tantam tibi exhibuit gratiam, in fine vitæ compunctus, salvatus est, sed corpus ejus in loco profano tumulatum est. Vade igitur, & dic Abbatissæ nomine meo, ut ejus cadaver ad templum vestri Monasterii deferri, ibique terræ mandari curet. In signum porrò, quòd tibi ego sim locuta, licèt modò tempus hyemale sit, rosa pulcherrima de tumulo ipsius pullulans visetur, cujus radix de corde illo, quod amore mei, tuæ pepercit Virginitati, habet originem. Hæc ubi Virgo ad Abbatissam retulisset, & illa permaneret incredula, tandem sanctimonialis mandato Deiparæ occultum quoddam crimen ab Abbatissa perpetratum, ut illud confiteretur, aperuit; quod illa deplorans, & exomologesi expians, Fidem Virgini adhibuit, militémque magno cum honore in loco sacro sepelivit. Concludit tandem Pelbartus, ostenditque myrrham electam esse Deiparam, dum à fœtore, putredinéque luxuriæ, suorum devotorum corda, corporáque conservat: Sícque patet, inquit ille, quemadmodùm ipsa gloriosa Virgo Mater ad se confugientibus castitatem illibatam conservet, & ad ipsam sectandam inducat, eísque, qui puritatem honorant, finem bonum largiatur.

7. Myrrham quoque electam à corruptione carnis, humana præservans corpora, se ostendit esse Deipara in Adolescente illo, de quo ibidem Pelbartus refert, eum, cùm perditè à lasciva quapiam puella amaretur, ab eadem annulum in amoris pignus accepisse: quem posteà, cùm vice quadam in Templo, pulcherrimam DEI Matris Imaginem esset conspicatus, digito ejusdem inseruit, eámque in Sponsam elegit, maximè ubi animadvertit, Virginis Iconem constrictâ manu prodigiosè annulum retinuisse: Tunc enim in animum induxit suum, etiam alio-

Exemplo Adolescentis à lasciva quadam puella perditè amati.

rum consiliô Religiosam vitam amplecti; verùm abblandientibus mundi illecebris ac cupiditatibus, cùm id facere distulisset, paulatim salutaris oblitus propositi, sibi quandam terræ filiam, Cœli Reginâ posthabitâ despondit: Quod indignè ferens DEI Mater, primâ nuptiarum nocte ei se visendam exhibens, ejúsque infidelitatem arguens, annulum sponsalitii sui indicem ei ostendit: Verùm cùm illa omnia somnia esse duceret, increpationem illam pro nihilo habuit: sed rursus sui minimè oblita clientuli ei se ostendit Virgo benignissima, & severa comminatione, neç non durioribus verberibus malè mulctavit, nuptiásque illas detestari, nuntium mundi vanitatibus remittere, ínque eremum se abdere compulit: átque ita suæ castissimæ Amatrici, extinctis impuri amoris, libidinísque flammis, deinceps fidelissimis obsequiis deservivit, ostenditque in se, Virginem purissimam myrrham esse, hominum corpora à putredine præservantem. O quam aptè pronunciavit Pomerius lib. 5. Part. 2. art. 2. c. 3. Sicut myrrha interficit vermes, sic MARIA serpentes, motus scilicet & vermes pravæ concupiscentiæ, in aliis ad solum intuitum extinxit.

8. Libet hìc priorem Historiolæ partem, elegantibus Patris nostri Jacobi Bidermanni versiculis redditam, in laudem Virginis attexère lib. 2. Epigr. 8.

Lusus erat Juvenum, quo pondus inane pilarum
Poscitur alterna, rejicitúrque manu.
Horum uni pretiosa manu radiabat Jaspis,
Aureáque inclusas palla tegebat opes.
Hic (ne sparsa pilæ deformi gemmula nævo,
Aut humili fieret sordida palla luto)

Exuit

Exuit Hesperium digitis ludentibus aurum,
Securò cupiens dona reposta locò.
Exigui juxta suberant sacraria Templi.
Magnaq; effigies Virginis intus erat.
Hic aspecta puer miratur Imaginis ora,
Certè, ait, hæc aurô est digna Puella meô.
Exemptámque suo depromens pollice gemmam,
Inserit arrectum Virginis in digitum.
Nec renuit donum porrectus Virginis index,
Sed citò contractis excipit articulis,
Quod puer ût sentit; serva aurum ait, optima custos,
Pulchrior in digito sit mea gemma tuo.
Nunc inter pueros dum me puto ludere, mecum
Non pueros video ludere, sed superos.

HæcBidermannus. Ex quibus facilè intelligimus, Virgineam illam manum Juvenis annulum constringentem, Myrrham quandam extitisse, quæ illum imposterum à carnis corruptione præservavit.

Sicut Myrrha corpora à corruptione conservat, sic MARIA Clientes suos à luxuriæ putrefactione.

9. Hinc pulchrè Richardus à S. Laur. lib. 12. MARIA comparatur Myrrhæ; quia sicut Myrrha corpora inde peruncta à corruptione conservat, sic MARIA per gratiam meritorum, exemplorum, & orationum suarum servat familiares suos à luxuriæ corruptione, quam illa præservationem, manu illâ largissimâ atque liberalissimâ dare consuevit; cujus *digiti*, ut ipsa loquitur, *pleni sunt myrrha probatissima*, quia de Virginitate semper in nobis conservanda cogitat, & ideò dedit non solùm odorem per Exemplum Virginitatis, sed odoris suavitatem, ut multos alliciat ad propositum Virginitatis: non enim tam odor, quàm suavitas odoris allicere consuevit. Unde Psal. 44. dicitur: *Adducentur Regi Virgines post eam.*

10. Ob hanc Virginis à luxuriæ corruptione præservationem, quam suis clientibus impertiri consuevit, Religiosissimus simul ac Eruditissimus Aloysius Novarinus, Clericus Regularis, eam pellibus Salomonis contulit: Expendens enim verba illa Sponsæ Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa, sicut pelles Salomonis, cur se,* inquit, *pellibus Salomonis comparat, non Salomoni? an quia Salomonis pulchritudo noxia extitit, ab impuris mulieribus amatus, quibus impurus adhæsit? Non placet hac puræ Sponsæ pulchritudo, quæ sibi & alijs ruinæ causa.* Addit Rupertus hic: *quare autem non dixit, ut Salomon, sed ut pelles Salomonis? Videlicet, quia quidem formosa pellis Salomonis, sed non ipse Salomon valde formosus fuit; intus enim quandam deformitatem habuit: Pulchrior proinde pellis, quàm Salomon ipse, qui intus peccatorum maculis sordibúsque fædus erat. Jure pellibus pulchritudinem suam pariat Sponsa, quæ cùm sint mortui animantis exuviæ, mortis memoriam ingenerant, ac proinde & à peccato abstrahere visa possunt: Sic & Sponsæ pulchritudo carnis motu carens, carnis motus comprimebat, cùm videretur, & ad sanitatem, puritatémque tacitis quibusdam vocibus spectatores adhortabatur. Idem dicere possumus, & potiori jure de Virgine nostra beatissima, cujus Sponsa illa, nuda umbra extitit, quatenus myrrhæ se comparat, quæ corpora à corruptione, fætoréque præservans plusquàm Angelicæ suæ puritatis odorem spectantibus afflare, vermésque concupiscentiæ carnalis enecare consueverat.* Quare sapienter Virginis Seraphicus S. Bonaventura cum sapiente dicente Sap 8. 21. *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum;* cum sapiente, inquam, hoc consentiens

pronunciavit: *Cognovi quod nemo possit esse pudicus, nisi dante DEO & MARIA interveniente.*

11. Porrò quemadmodùm arbor hæc præcipuam virtutem suam habet in stacte seu gutta, quam spontè absque ulla incisione distillat, sic Virgo nostra omnem morbos peccatorum nostrorum curandi vim ac energiam à suo dilectissimo accipit Filio, quem ipsa ad instar stactis, redolentisque suavissimè guttæ, Salva Virginali integritate, absque ulla operatione peccatorum perseverandos edidit: Unde quemadmodùm gutta caloris vi adhærescit, & quodammodò inviscatur circa suam arborem, ita Christus virtute dilectionis eximiæ adhæsit suæ Matri dilectissimæ ipsum educanti.

Virtus præcipua Myrrha in stacte seu gutta. Virtus præcipua B. V. à Filio suo.

12. Videre cupitis Virgineam hanc Arborem Stactis suæ effusione medicinam peccatoribus, incorruptionémque afferentem? Memineritis Benedicti illius Goëz militis, hominísque perditissimi, qui cùm Oram Travancoridis in India Orientali attigisset, & Templum ingressus coram Divæ Virginis DEI Matris Icone preces funderet, seséque, vitámque suam flagitiosissimam licentiâ planè militari exactam detestans, amarè deplorâsset, tantum dolorem concepit, ut propemodùm de DEI bonitate misericordiáque desperaret: Nihilominus tamen in DEI, misericordiæque Matrem intentos habens oculos, venit in mentem, eam esse Civitatem refugii. Sacram naufragantium anchoram, spem desperantium securissimam, unde opem ejus vehementiùs ardentiúsque implorare aggressus, misericordiam invenit in tempore opportuno, dum Virgineæ hujus arboris stacte perfundi, & à turpissima illa morum corruptione vindicari meruit. Vidit enim JESUM infantem, quem gremio suo adhærentem ceu guttam fovebat Deipara, flentem, atque ex oculis quosdam quasi lactis, aut alterius liquoris rivos emittentem: Quô visô vehementer exterritus, Socios, ut idem contemplarentur, advocavit; qui simul omnes, ubi tantum videre prodigium, sacrum illum liquorem ceu sacra pretiosaque lipsana sudariis suis excepe- runt: Ille verò incorruptionem illam morum, quam lacrymarum JESU ceu stactis profusione sortiri visus fuerat, ut in posterum illibatam conservaret, Societati JESU ultrò se se mancipavit, in eáque sanctè ac incorruptè vixit. Cal. B. V. 11. Apr.

Demonstratur in milite perditissimo, quantam vim peccatores curandi Virginea Myrrha in effusione stactis suæ habeat.

En ut Myrrhæ gutta, ipsaque myrrha Virginea in se speranti militi tetram peccatorum luem abstersit, mirificámque vitæ, incorruptionem contulit.

13. Hanc Virgineæ hujusce Myrrhæ virtutem agnoscens Prosper Martinengus in sua Parthenodia ita modulatus est.

Myrrham item corruptioni novimus contrariam,
Nec sinentem tabe olenti confici cadavera,
Sed suo incorrupta succo membra servare oblita.
Sic genus mortale, noxis jam diu lethalibus
Suscitat Virgo sepultum, putidúmque denuò
Efficit vigere; fulcit, ne labascat, gratiâ.
Haud enim solùm ipsa sancta est, sed suorum pectora
Manibus polluta purgat, impietáque expiat
Deprecando oratione Regem Olympi sedulâ.

14. Illud quoque de arbore Myrrhæ, quod scribit S. Isidorus, est memorabile, simul & admirabile, plurimùm ad gloriam Virginis nostræ gloriosissimæ confert: Sarmenta ejus, inquit ille, Arabes ignibus fovent, quorum fumó satis noxiô, nisi per odorem storacis occurrant, plerúm-

Sarmenta arboris Myrrhæ noxia sunt, liquor autem summè medicinalis.

rúmque insanabiles morbos contrahant. Notabile sanè secretum Naturæ est hoc, ait Andreas Laguna, quòd arbor alterius sit proprietatis ac virtutis, quàm liquor ab ipsa distillans, quòd illa infirmitates lethales causet, & ipsius liquor sanitatem præstet, sitque variorum morborum medicina, tandémque humana corpora à corruptione præservet. Sarmenta hæc, sive ramos myrrhæ nostræ dixerim ego 24. illos Reges, 14. Patriarchas, 14. Duces populi Israelitici, qui in generatione Christi & Mariæ à S. Matthæo cap. 1. memorantur; quorum plerique tanquam myrrhæ hujus Sarmenta sive rami, tetrum lethalémque peccatorum fumum exhalârunt, uti Rex Salomon, Achaz, Manasses, Ochozias, aliique, quem nisi Storax Virgineus suavissimâ suâ fragrantiâ temperâsset, insanabiles morbos Mundus contraxisset, & ipse populus Israeliticus ob enormia Regum, Ducúmque suorum scelera funditus radicitúsque fuisset excisus, æternáque morte mulctatus. Porrò Storacem esse Virginem dicemus infrà.

Quid per sarmenta Myrrhæ Virgineæ intelligatur.

Quamdiu Thesseradecades Regum Patriarcharum, ducumque ac Principum in Arbore Genethliaca visebantur mundus erat in periculoso Paroxismo.

15. Verè tunc mundus lethali morbô laborans videbatur, quando illæ Tesseradecades Regum, Patriarcharum, Ducúmque ac Principum in hac myrrhæ Virgineæ arbore visebantur, post quos tandem ceu vitalis fructus memoratur Maria, de qua natus est JEsus, qui vocatur Christus. Medici sanè inter Paroxysmos ajunt alios alijs esse periculosiores, quales sunt septimus & 14.tus, átque ita per illas Tessaradecades indicatum nobis est: Mundum periculosissimô morbô laborâsse, adeò ut ad 14. paroxismū devenerit, quem, ubi exorta fuit Virgo nostra, mitigavit, tandémque temporis successu mundum pristinæ quodammodò sanitati restituit. *Atque ita*, ut ait S. Augustinus Ser. 18. de sanctis. *Genitrix Domini nostri salutem intulit mundo.* Et Damasc. orat. de Nat. B. V. *Hodie salus Mundi inchoavit.* Eandem dixit Rupertus Abbas *Mundo tanquam Auroram, sanitatem infirmis afferentem, fuisse exortam.* Ponderans enim Verba illa Cant. 6. *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens?* ita l. 6. in Cant: loquitur: *Quando nata es O Virgo beata, tunc verè nobis Aurora surrexit, Aurora prænuncia diei sempiterni. Quia sicut Aurora quotidiana, finis præterita noctis & initium diei sequentis, sic Nativitas tua finis dolorum fuit, & consolationis initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.*

Quando nata MARIA, mundus respiravit.

Nativitas B. V. gaudium attulit universis.

16. De hac nostra salute lætitiâque per Virginis Nativitatem nobis allata præclarè quoque S. Ildephonsus Ser. de Nat. B. V. *Hoc est*, inquit, *gaudium nostrum, hæc est festivitas nostra, quia quando voluit, fecit, nos per magnam misericordiam suam, per Virginem (quæ præsentissima nostra futura erat Medicina) visitaret. Exultemus, & lætemur omnes in Celebrationem hodiernæ festivitatis B. DEI Genitricis, & semper V. MARIÆ, quia præclara & sancta est, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem (ut pote Cælestis medicus) & nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est.* Sic ille. Itaque licet truncus & rami, sarmentáque hujus myrrhæ tristissimam & lethi feram multiplicium peccatorum mephitim mundo afflârint, cúmque ad interitum propemodùm deduxerint, Virgo tamen suo felicissimo exortu, ab æterna morte, corruptionéque vindicavit.

Sicut propter Deiparam Filiumque suum cuncta creata, ita per Matrem & Filium collapsa reparanda.

17. Quare præclarè Pelbartus lib. 11. Stell. par. 2 cap. 2. inter Stellas illas duodecim, Virgineum Verticem coronantes, quas totidem ejus vocat excellentias, secundam dicit esse; Præservationem; nam Beatissima Virgo totum mundum à principio creationis humani generis, usque ad finem durationis suæ, in esse suo præservavit hactenus, & præservat inposterum: Imò dico, quòd to-

tius esse mundi, causa est B.V. & ejus Filius, & præcipuè propter ipsam Virginem benedictam, ac ejus Natum, DEUS mundum creavit, & suum esse rebus tribuit: Cùm enim supremus mundi Opifex æternâ suæ divinissimæ mentis intuitu prævidisset, Protoplastos in teterrimum inobedientiæ scelus prolapsuros, secúmque totum humanum genus, universitatémque creaturarum ipso contentarum in ruinam perditionémque tracturos, prævidendo nihilominus per Virginem hanc gloriosissimam, & illos, & universum orbem humillimo illo in Incarnationem Verbi consensu, suóque illo omnipotenti quodammodò: fiat: reparaturam, novúmque toti mundo ornamentum allaturam, à tam pia orbem hunc condendi cogitatione non destitit, sed intentô in Virginem mentis suæ oculô, in ejus potissimùm gratiam mundum condendum decrevit. Et hoc sibi volebat Virgo, cùm dicebat Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio*, me videlicet prævidendo. Ideò prosequitur: *Ab æterno ordinata sui, & ex antiquis, antequàm terra fieret; necdum erant abyssi, & ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, &c. cum eo eram cuncta componens, &c.* quibus verbis insinuat Virgo, quòd sicut omnia præcipuè propter se creanda erant, ita quoque per se, ubi fuissent collapsa, reparanda; Quare jure merito creaturæ omnes B. Virgini deservire tenentur, quia nîl creatum fuisset, nisi mundum per Deiparam ejúsque Filium Divina potentia ac clementia instaurandum decrevisset.

18. Accedit, quòd post Protoplastorum infælicissimum illum lapsum, ob infinitatem sceleris, summam infinitámque Majestatem offendentis, non qualemcunque pœnam, sed omnino annihilationem Adam, uti & universus mundus merebatur, à qua tam severa animadversione, intuitu potissimum Virginis liberatus est; Siquidem ex ea cogitabat Humanitatem nostram assumere, in eáque pro tanto humani generis debito Patri æterno de condigno satisfacere. *Propter hanc igitur nobilissimam creaturam, Deiparam videlicet*, ait Pelbartus: *DEUS primos parentes de prima prævaricatione salvavit: Ob eandem Virginem Patriarcham Noë cum tota sua familia à communi Cataclysmo liberavit, átque ita Arcam illam contemplando, quæ eum, ne communi illô diluviô involveretur, præservabat, sine dubio cogitabat simul MARIAM suam benignissimam liberatricem: Ob hanc eandem præservavit DEUS Optimus Maximus Abrahamum de manibus potentissimorum illorum Regum cum ipso pugnantium.* Gen. 14. *Ob illam Isaac ab Ismaele, Jacob ab Esau, totus populus Israeliticus de manu Pharaonis & servitute Ægyptiaca, ut & de captivitate Babylonis, aliorum impiissimorum Regum Sanguinem Israeliticum sitientium tyranide.* Concludit tandem idem Pater Religiosissimus, *& ut brevi sermone comprehendam, omnes liberationes in veteri testamento factas, non ambigo DEUM fecisse ob Solam benedictam Virginis reverentiam atque amorem, quibus eam DEUS præhonorandam in cunctis suis operibus ab æterno præordinavit.*

In antiquo testamento omnes liberationes populi sui à servitute & interitu ingratiam Deiparæ factæ.

19. Quòd si hisce nostris temporibus ingentem peccatorum colluviem, infandáque scelera, quibus divinum Numen passim offenditur, attentè consideremus, & contra ad DEI longanimitatem tam indigna, quæ superioribus sæculis, antequàm Virgo hæc in lucem ederetur, gravissimis pœnis ac suppliciis, licèt leviora longè, mulctata fuerunt, ut passim in veteri lege videre est, intelligemus profectò id totum fieri intuitu Virginis hujusce, Divinis oculis gratiosissimæ ac gratissimæ: Unde licèt totus mundus in maligno

De facto sua intercessione mundum servat ab interitu B. V.

gnio positus sit, & senescens quotidie, dierum malorum magìs magísque impleatur, suísque sceleribus jampridem commeritus sit, ut pessumdetur, Divina tamen justitia, meritis atque intercessione Virginis assiduè pro illo supplicantis, ne corruat, mitigatur, atque ita manifestum evadit, qua ratione Myrrhæ hujus Virgineæ rami sive Sarmenta, Reges nimirum ac Principes, à quibus erat oriunda, licèt tetrum lethiferúmque peccatorum fœtorem exhalârint nonnulli, Deúmque ad indignationem suis sceleribus provocàrint, ipsa tamen tanquam electa Myrrha dans suavitatem odoris, & tanquam stacte suavissima mephitim illam bonâ virtutum suarum exemplorúmque fragrantiâ temperavit, nec divinam justitiam in illos desævire permisit.

20. Quare virtutum hujus suavissimum odorem dicere verè possumus illi fuisse similem, quem Noë Sanctissimô Patriarchâ post diluvium magna cum sanctitate ac puritate sacrificante odoratus est universorum Dominus, dicente de illo scriptura: *Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.* Odor enim Virginearum virtutum atque exemplorum in cœlum terrámque diffusus, omnes mundi partes ipsósque inferos penetravit. Unde Bernardinus Ordinis Seraphici, Noë viri Sanctissimi Holocaustum illud considerans, de quo Gen. 8. ait: illud figurâsse cor Virginis. *Cor beatissimæ Virginis*, inquiens, *DEO fuit odoriferum holocaustum, quòd totum accensum fuit igne doloris, igne desiderij cœlestis, ac denique igne divini amoris.* De quo triplici igne S. Hieron. Ser. de Ass. *Quantis putas eadem Virgo Filij doloribus afficiebatur, quo amore cruciabatur, & quô desideriô æstuabat, dum animô revolvebat cuncta, quæ viderat & audierat? Puto, quòd quidquid humanæ virtutis est, cogitare non sufficiat: Nam & diligebat ex toto corde Christum, novis tamen inflammabatur quotidie præsentiæ ejus ac sensitis affectibus desideriorum, quam nimirum totam Spiritus S. repleverat gratiâ & totam incanduerat Divinus amor.* Ex tanta igitur istius ignis concrematione, magnum de corde suo holocaustum faciebat, quod DEO magnum odorem reddebat; Odor enim ipsius humilitatis ac Virginitatis in cœlum ascendit, & DEUM, Angelósque lætificavit. Unde inquit ipsa 1. Cant. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.* Odor ipsius sanctitatis Infernum penetravit, & SS. Patres in Limbo recreavit, Dæmones terruit, ac conturbavit. Odor ipsius fœcunditatis totum mundum suavitate replevit, & ideò odori unguentorum assimilatur; Tantùm enim omnes homines ipsius fœcunditatis odore sunt attracti, ut post illam trahi & currere semper exoptent dicentes: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum:*

Noë holocaustum Cor B.V. suavissimos fundens odores, & castissimis accensum flammis præfigurabat

21. Ob Divinam hanc virtutum Virginearum, exemplorúmque toto orbo dilatatam fragrantiam, suprà citatus Prosper Martineng. in Parthenodia, agens de myrrha, ita loquentem Deiparam, & odore suo ad se mortales allicientem introducit:

Myrrhæ ego in morem probatæ, lacrymæ vel stactea
Spiro odorem passim amœnum, recreari quô queat
Omnis æger, déque bustis mortui resurgere.
Hic odor vitalis ipsa, quem canit se emittere,
Fert eam spirare in orbem vim latentis gratiæ,
Qua subit mentes profanas, sanctitatéque imbuit.

22. Quare potiori jure & sincera cum veritate dicere possemus ea de gloriosissima Deiparæ, déque ipsius virtutum fragrantia, quæ de Dea Sy-

ria commentus est impius Apostata Lucianus, quam & Deam multiformem appellat: Intus ipsa adest, inquit ille, aurô multô resplendet, & tectum totum aurum est. Odorem autem effragrat divinum quendam, qualis est terræ Arabiæ ac tibi à longè ascendenti, auram aspirat admodùm suavem; & si inde rursus abeas, haud quaquam cessat, sed & vestes tuæ in longum usque tempus eandem auram retinent, & tu in perpetuum quasi quandam memoriam ejus tecum retines. O si suavitas odoris quam Virginea hæc nostra Myrrha vera si ita loqui licet, nostra Dea Syria virtutibus exemplísq; suis longè lateque exhalat, ita non tam nostris vestibus in longum tempus, quàm intimis animi nostri fibris ac medullis memoriâ sæculorum adhærescat, animum nostrum ita recreet ut ipsius jugis suavísque recordatio sit nobis in compositionem odoris, facta opus pigmentarij, & in omnium ore indulcetur memoria ejus, & sicut musica in convivio Vini.

Quæ de Dea Syria commentus est Lucianus, vera sunt de Deipara.

23. Et quoniam hoc non opus est nostræ virtutis, roganda omnino est etiam átque etiam Virgo hæc benignissima, ut quemadmodùm ipsa à primo imaculatæ conceptionis momento Divinissimorum aromatum átque charismatum, ope operáque Spiritûs sancti effecta est receptaculum, aureúmque quoddam myrrhothecium, eorúmque semper vernantem odorem totius vitæ decursu conservavit, verissimè enim cecinit ille.

Quod nova testa capit, inveterata sapit.

Et Horatius in Epistolis.

Quô semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Ita quoque christianam Juventutem à primis ætatis suæ unguiculis, suæ pietatis in honorem, non autem in contumeliam retineant, átque conservent, bonúsque odor Virginis sint in omni loco, omníque sua conversatione, suóque virtutum odore omnibus sint ædificationi.

Ut Christianum Juventutem à prima ætate virtutum aromatis imbuat B.V. roganda est.

24. Et quoniam Myrrhæ Arbor, cujus hactenus nonnullas proprietates explicuimus, aculeis amaritudinéque apprimè est instructa, ut vidimus, jure eam SS. PP. Symbolum mortificationis esse, unanimi consensu pronunciarunt. Hinc Hugo de S. Victor. in institut. Monast. Ser. 47. *Myrrha*, inquit, *propter suam amaritudinem significat mortificationem carnis, quæ virtus in B. MARIA singulariter enituit, eò quòd singulariter casta fuit.* Unde convenienter non odorem, sed odoris se dedisse suavitatem pronuntiavit. Et quia Virgo Deipara virtute hac apprimè floruit, adeóque ea instructa fuit, ut in Arborem hanc, quemadmodùm Puella illa apud Ovidium Metam. lib. 10. doloris vehementiâ quodamodò, admirabili quadam metamorphosi transformata fuisse visa sit, ideò ipsam Myrrham esse quodammodò asseverârunt. Cui sanè Myrrhæ pulcherrimum illud Ænigma appropriari posset:

De Lacrymis & pro lacrymis mea cæpit origo,
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor
Lætus honor Frondis, tristis sed imago doloris.

25. Hinc ipse DEI Filius de assumenda in ipsius purissimo utero Humanitate nostra cogitans, insignem ipsius mortificationem exploratam habens, non tam myrrham, quàm montem Myrrhæ vocitandam censuit, dum dixit Cant. 4. *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris.* Quam resolutionem adeò amabilem Sponsi accuratiùs considerans more suo B. Guerricus Abbas Ser. 1. de Annunc. ita loquitur: *Videtur iste sermo Prophetiæ hujus esse Dies, per Salomonem olim prædicta,* per

Mons Myrrhæ & collis thuris MARIA.

per JESUM hodie impleta: Hodie námque venit in illum montem altissimum montium, montem non modò Myrrhæ & thuris, sed & omnium aromatum, Dico autem Virginem Virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipuè, nisi fallor, redolebat Sponso myrrha castitis, & thus pietatis. Odor iste fratres mei, super omnia aromata. odor iste Dominum Majestatis de excelsis attrahit, & invitat, ut inclinet cælos & descendat, sicut probat dies hæc, cùm altissimus, Angelô missô, de cælis ipse quoque descendit in uterum Matris, qui semper manet in sinu Patris. Audiendus hìc quoque Bernardinus Bustius Par. 9. Marial. Serm. 1. Assimil. 11. ubi postquam dixisset: *O Domine da mihi hanc gratiam, ut vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, mox attexuit: *Iste enim mons myrrhæ odorisferæ est Virgo Beatissima Mater tua, quæ semper fuit tota odorifera*: Et quid mirum, cùm ipsa fuerit vas plenum balsamô sapientiæ tuæ. Ipsa etiam fuit Apotheca plena virtutum aromatibus: Unde ei dicit Sponsus. *Genæ tuæ sicut Areolæ aromatum, consitæ à pigmentariis.* Unde Bernardinus: *Si vas pigmentarij diu servat aromatum fragrantiam, quantò magis Apotheca omnium gratiarum, in qua cælestis pigmentarius cum omnibus suis unguentis se collocavit, & cum omnibus suis delicijs accubuit?*

26. Ob hanc sanctæ mortificationis eminentissimam perfectionem, Montem quoque Myrrhæ agnovit esse idem Martinengus, dum ibidem cecinit:

Montem Myrrhæ MARIAM canit Martinengus in sua Parthenodia.

Montem adire velle dixit Myrrheum
Rex Cælitum,
Nempe Matrem, myrrhæ habentem qualitates stacteæ,
Et molestiarum acervum cum caduco corpore.
Hanc adivit Rex supernus, quando consensum dedit
Virgo sancta Gabrieli, & se induit velamine
Languidæ mortalitatis, qui poli extendit domum;
Haud secus, tentoriorum quàm solet pellem artifex.
Sed quid est, suam Parentem, quòd vocat verruculam,
Sive collem thuris idem, Nomine hocce dedicat?
Hanc DEI devotioni dedicandam, & cultui
Fervidásque orationes, ceu vaporem thureum
Castáque emissuram ad astra vota, & ad Sedem Dei.

27. Hancce Myrrham, quando in orbem veste Servili obtegi Rex Olympi venit almus messuisse se asserit: *Messui Myrrham meam*, inquit, *cum meis aromatis.*

28. Quibus porrò gradibus Virgo ad tantam sublimitatem mortificationis ascenderit, ut evaserit, describit S. Bonav. in Med. Vitæ Christi c. 3. ubi agens de vita Deiparæ, quam tremula ad 14. usque annum in Templo Hierosolymitano transegit, quibúsque spiritualibus exercitiis animum excoluerit suum, ita loquitur: *Quid autem ibi fecerit, scire possumus ex revelationibus suis, factis cuidam suæ devotæ, & creditur, quòd fuit S. Elisabeth. In quibus hæc inter alia continentur: Cùm inquit: Pater meus & Mater mea me dimiserunt in Templo, statui in corde meo habere Deum in Patrem, & devotè ac frequenter cogitabam, quid possem facere DEO gratum, ut dignaretur mihi dare gratiam suam, & feci me doceri legem DEI mei. Ex omnibus tamen præceptis divinæ legis, tria præcipua servavi in corde meo, videlicet: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, &c. Item diliges proximum sicut te ipsum. Item. Odio habebis inimicum tuum, ista, inquit, servavi in animo meo, & statim omnes virtutes comprehendi, quæ in ipsis continentur, & ita de volo facere. Anima enim nullam virtutem habere potest, si DEUM toto corde non diligat. Ab isto enim amore descendit omnis gratiæ plenitudo, sine qua nulla virtus in aliquam descendit, nec perseverat in anima, sed*

Quibus gradibus B. V. ad tantam sublimitatem mortificationis ascenderit.

fluit ut aqua, nisi suos inimicos, id est vitia & peccata odio habuerit. Qui vult ergo suam gratiam habere, oportet eum cor suum ad amorem & odium ordinare. Volo ergo te facere, ut faciebam ego. Surgebam enim semper in noctis medio, & petebam ante Altare Templi tanto desiderio, tanta voluntate, & tanta affectione, quantâ poteram & sciebam: petebam gratiam à DEO observandi illa tria praecepta, & omnia alia legis mandata, &c. Atque ne in templo absque labore assiduáque ac pervigili oratione eam acquisivisse tanta virtutum gratiarúmque ornamenta suspicaremur, pergit suas exercitationes Spiritûs punctualiter, ac distinctè sanctæ illi animæ, quoad earum imitationem excitetur, enumerare: *Sic stando*, inquiens, *ante Altare, septem petitiones Domino faciebam, & sunt hæ. Primo petebam gratiam, quâ possem implere dilectionis præceptum, scilicet ipsum diligere ex toto corde. Secundo. Petebam gratiam, quâ possem diligere proximum secundùm voluntatem, & beneplacitum suum, & ut faceret amare me omnia, quæ ipse amat & diligit. Tertio. Ut faceret me odisse & fugere omnia, quæ odit. Quarto. Petebam Humilitatem, patientiam, benignitatem, mansuetudinem, & omnes virtutes, per quas efficerer gratiosa ante conspectum suum. Quinto Ut faciat me videre tempus, in quo esset nata illa Beatissima Virgo, quæ debebat Filium DEI parere, & ut conservaret oculos meos, ut possem eam videre, linguam, ut eam laudare, manus, ut ei servire, pedes, ut ire ad ejus servitium, genua, ut Filium in gremio adorare, Sexto. Gratiam obediendi mandatis & ordinationibus Pontificis Templi. Septimo. Ut templum & universum populum ad suum servitium conservaret.* His auditis dixit Ancilla Christi: O Dulcissima Domina, non eratis vos gratia & virtutibus plena? Respondit Beata Virgo: Pro firmo scias, quòd ita me reputabam ream & vilissimam, & gratiâ DEI indignam sicut tu: propterea petebam sic gratias & virtutes: Filia tu credis, quòd omnem gratiam, quam habui, habuerim sine labore? sed non est ita; imô dico tibi, quòd nullam gratiam, donum vel virtutem habui à DEO sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, profunda devotione, multis lacrymis, & multa afflictione dicendo, cogitando semper DEO placita, sicut sciebam & poteram, exceptâ sanctificationis gratiâ, quâ sanctificatâ fui in utero Matris: His addidit: *pro certo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem & corporis afflictionem.* Ex his clarè perspicimus, jure meritissimo Deiparam ob assiduam sui mortificationem, sanctæque orationis exercitationem, non modò Myrrham, verùm etiam Montem quendam excelsissimum myrrhæ, & collem thuris effectam fuisse.

29. Quam ob rem Guilielmus Abbas ponderans verba illa Sponsæ: *Manus meæ distillaverunt Myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Cant. 5. Sensit apud Delrium in Cant. c. 5. Sect. 3. in mixta Interpret. neminem putare debere, B. Virginem ad singularem Matris DEI prærogativam suaviter & deliciosè vivendo pervenisse: quia Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium, sed virtutes animæ, quæ illi pro manibus erant ad benè agendum, non mel sed myrrham distillaverunt, quia cunctis salubris continentiæ exempla præbuit, quæ continentia per myrrham significatur, quia hominem interiorem amaricat, ne à pessimis vermibus, id est vitiis & concupiscentiis corrumpatur; & quam suaviter redolet, tam amarè sapit: ideò multi eam laudant, pauci gustant. Hanc sua sit exemplô suo plurimis Deipara, non operando tantùm, sed & discretione summa, cuncta opera sua moderando, ideò & digiti pleni dicuntur myrrhâ, non ut aliorum, probatâ tan-

B. V. plena est myrrhâ probatissâ qualis non invenitur in aliis hominibus.

tantùm, sed probatissimâ, hoc est Deo commendatissimâ. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Cujus autem, addit Delrio, continentiam Deus per Ecclesiam tot hymnis, tot festivitatibus, tot miraculis, tot prædicatorum vocibus, tot piorum scriptis, tot sodalitiis magìs ac sæpiùs quàm piæ Matris commendavit?

Corporis sensuúmque omnium eximia mortificatio in Maria.

30. Eandem corporis sensuúmque omnium in Virgine eximiam mortificationem, myrrhâ probatissimâ significatam, mirificè commendavit Angelus in suo Serm. cap. 15. *Hic etiam Virginis sensus & intellectus*, inquiens, *corpus suum ad obsequendum DEO ita subjecit animæ, ut ex tunc corpus cum omni humilitate obedivit ei. O quàm celeriter sensus, & intellectus Virginis Dei charitatem comprehendit! O quàm prudenter illam sibi thesaurizavit.* Tum particulariter idem Angelus laudat Virginis temperantiam, quâ corpus sensúsque suos mortificabat, ut anima totaliter ac perfectè subjecta esset Deo: virtutem hanc porrò lilio vel flori cuipiam comparat, qui tribus fortissimis radicibus terræ inhærescit, quas ille radices ait corporis fortitudines quasdam esse: *Prima*, inquit, *ipsius corporis fortitudo discretæ abstinentiæ ita cibum & potum in ipsa temperabat, quòd propter aliquam superfluitatem à DEI servitio nequaquam ipsam retraxit ulla segnities, nec propter immoderatam parsimoniam ad agenda sua unquam fiebat imbecillis. Secunda verò fortitudo temperantiæ vigiliarum ita corpus suum moderabatur, quòd propter somni brevitatem nullo tempore, quô ipsam vigilare oportuit, aliqua torpebat gravedine; nec propter soporis nimietatem statuta vigiliæ tempora in minimo puncto breviabat. Tertia quoque fortitudo fortis complexionis corporis Virginis, ipsam Virginem tam constantem effecit, ut laborem, & corporalem adversitatem, transitoriámque corporis fælicitatem æquanimiter ferebat, de corporis adversitate non dolens & de ejus fælicitate nequaquam exultans.* Hæc Angelus.

Ejusdem mortificationis actus enucleatius describuntur

31. Idem c. 14. ejusdem mortificationis actus prosequens, ait: ita partis sensitivæ motus à Virgine fuisse rectos mortificationis gubernaculô, perinde átque à Navarcho navim, ne inter mundi hujus turbines átque adversitates satisceret: *Profectò*, inquiens, *voluntas Virginis corpus suum in mundi procellis, sicut prudens nauclerus suam navim, cœpit solicitè gubernare: Nam sicut nauclerus pertimescit navim ex undarum jactibus posse periclitari, charybdes quoque, quibus naves, sæpiùs dissolvuntur, vix ab ejus discedunt memoria, funes & armamenta navis firmiter adaptat, cujus etiam oculi portum, in quo post laborem quiescere desiderat, jugiter contemplantur. idem etiam summè satagit, ut bona suæ navi imposita vero possessori, quem maximè diligeret, ad commodum perveniant: Sic utique hæc prudentissima Virgo, postquàm præceptorum DEI notitiam habuit, confestim juxta ipsorum statum, cœpit ejus voluntas corpus suum cum omni solicitudine gubernare: frequenter quidem timebat propinquorum cohabitationem, ne ipsorum prosperitas vel adversitas, quæ mundi procellis similantur, per verba vel opera ipsam ad obsequendum DEO efficerent graviorem. Omnia quoque per legem divinam vetita, jugi commendabat memoriæ, cum omni attentione ea devitans, ne sicut dira charybdis ipsius animam spiritualiter perderent: Hæc denique laudabilis voluntas ipsam Virginem suósque sensus sic refrænando edomuit, ut ipsius lingua nunquam moveretur ad locutiones inutiles, ejúsque honestissimi oculi ad respiciendum aliquid non necessarium, nequaquam fuerint elevati. Aures quoque ejus ad ea solummodò erant intentæ, quæ ad DEI gloriam pertinebant, manus etiam & digitos non nisi ad propriam sui vel proximi utilitatem extendebat; pedésque suos ne ad unum passum quidem moveri sinebat, nisi priùs discussisset, quæ utilitas*

inde proveniret; Desiderabat insuper voluntas Virginis omnes mundi tribulationes gaudenter sustinere, ut in portum securitatis, in sinum scilicet DEI Patris ipsa perveniret, hoc incessanter desiderans, ut DEO, qui sibi erat charissimus, ab ipsius anima honor & gaudium pro sui creatione redderetur. Tandem de hujus sanctæ mortificationis omnium sensuum, quam Virgo assiduè exercebat, uberrimo fructu, hæc attexit: *Et quia voluntas Virginis in nulla bonitate unquam defecit, idcirco DEUS, à quo bona cuncta procedunt, in omnium virtutum culmine ipsam sublimissimè exaltavit (en Montem Myrrheum) omniúmque gratiarum nitore ipsam fecit splendidissimè rutilare. Quis igitur miretur, quod DEUS hanc Virginem super omnes maximè dilexerit, cùm, ipsâ solâ exceptâ, neminem à viro ac muliere generari prænoverit, cujus animus ad mortale vel veniale peccatum interdum non fuerit inclinabilis? O quantùm appropinquavit hæc navis, corpus scilicet Virginis, desideratissimo portui. 1. DEI Patris mansione, quando Gabriel eam salutavit. Ave Gratia plena, & illa respondit: Ecce Ancilla Domini, fiat, &c. Confestim enim in ejus utero humanitati fuit unita Divinitas, Factúsque est homo & Filius Virginis, verus DEI Patris Filius.* Hactenus Angelus. Ex quibus sanè intelligimus, continuæ mortificationis beneficiô omnium sensuum ad eminentissimam perfectionem ac sanctitatem, myrrheo cuidam monti, in quo inhabitare dignatus est universorum Dominus, quàm simillimam evectam esse Deiparam, ac proinde jure meritissimo myrrham electam appellari.

32. Porrò illud mirabile est, quòd etsi corpus ejus sacrosanctum in Templum DEI electum fuerit, illud tamen abstinentiâ ac jejuniô mortificare etiam ab ineunte ætate non destiterit.

Audiendus hìc Nicephorus lib. 1. Hist. Eccl. c. 7. ubi loquens de Virgine: *Infans, inquit, à lacte Materno jam abhorruit, & mammam attingere noluit.* Julibertus in cap. 2 Matt. revelationem fælicis Anachoretæ recenset, quâ ei ostensum, MARIAM Virginem diebus aliquot tantùm per hebdomadam materna ubera suxisse. Nimirum contraria erat omnibus primæ Matris nostræ actionibus, quæ gulâ intemperantiâque sua universum genus humanum pessumdedit. Hac virtute temperantiæ Virgo nostra adeò decorata fuit, ut ea undique velut aureô quôdam palliô videretur circumamicta, & ipsi quodammodò temperantiæ esset aureum quoddam ornatissimúmque tegumentum. Unde Proclus Orat. 5. de ea dicere non dubitavit: *Ipsa indumentum temperantiæ, quasi ipsi Virgo extremum addiderit ac omni ex parte perfectissimum ornamentum.* Quare in Revel. Extrav. cap. 13. ita Christus S. Birgittæ loquens perfectissimam ipsius vocat abstinentiam: *Licèt Mater mea perfectissimam habuit abstinentiam, sic tamen discretè gubernavit corpus suum, ut non frangeretur aliqua superfluitate & violentia.* Abstinentia & jejunium B. V.

33. Sanè Virginem nostram adeò constat abstinentiam servâsse, ut S. Gregorius Turonensis in manu scriptis relatis à Francisco Ximenio lib. 2. de Vita Christi c. 47. pronunciare ausus sit, eam quotidie jejunâsse, illius verba sunt: *Nullo unquam tempore non jejunavit, famem cælitus allato pane fugabat; quæ verò à ministris templi in alimentum accipiebat, ea quotidie pauperibus erogabat:* Implebat nimirum Virgo consilium illud Leonis Papæ: Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis; atque ita jejuniô duas quasi alas charitatis, ac liberalitatis, quibus in cœlum faciliùs subveheretur, addere videbatur. Abstinentia B. V.

34. Illud porrò admirandum, quòd in dandis eleemosynis, ex summa, quâ pollebat humilitate, non in merito suo, sed in prece pauperis Humilitas B. V. in dandis eleemosynis.

peris

peris spem reposuerit, ut loquitur Ambrosius. quis ad hoc dictum non obstupescat, & extra se rapiatur? Mater Dei in prece Pauperis, non in sua eminentissima dignitate Divinæ Maternitatis, qua Deo imperare consuevit Domina non Ancilla, inquit Card. Damianus, suôque nutu tanquam Filium quamlibet in partem pro arbitratu suo inclinare.

Abstinentia est jejunium B. V.

35. Hinc S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus ait à Deipara congeminatos jejuniis dies: *quid exequar*, inquiens, *ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum super naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminati jejunio dies, & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret; dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit.* Hinc S. Amadeus postquam dixisset, accepisse Virginem præceptum à Deo Patre lactandi ac sustentandi suum Filium, mox subjunxit, quâ diligentiâ, quâ piâ solicitudine, ardentique charitate in eum tota transformata, à suisque commodis abstracta id præstiterit: *Sæpè*, inquiens, *credimus, oblita esûs ac potûs, spretâque carnali necessitate noctis in omnes agebat, ut Christum carne videret; cujus ardebat desideriô, cujus flagrabat obsequiô; sæpe etiam agebat, quod in Canticis scriptum est: Ego dormio & cor meum vigilat.* Cant. 5. *Carne quippe dormiens, animô vigilabat, nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans se in eisdem inveniebat, & artus sopori concedens, in pace in idipsum dormiens quiescebat. Ibi erat thesaurus ejus, ibi & cor.* Hæc Amadeus.

Temperantia & sobrietas B. V.

36. Audiendus hìc S. Bonav. in Specul. B. V. cap. 4. *Vide charissime, quòd MARIA tantam gratiam invenisset, nisi gratia MARIAM in cibo & potu temperantissimam invenisset; non enim se compatiuntur gratia & gula, quia impossibile est, ut homo simul sit per gratiam DEO gratus, & per gulam ingratus. Bonum est ergo quærere gratiam & fugere gulam. Dicit enim Paulus: Bonum est gratiâ stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis* ad Hebr. 13. *Nunquam MARIA DEUM in utero concepisset, si idem uterus contra DEUM crapulosus fuisset.* Sic ille.

Cilicio Virgineum suum corpus B. V. affligebat.

37. Neque verò abstinentiâ, jejuniô vigiliisque carnem suam innocentissimam Virgo nostra affligebat, verùm etiam Virgineum illud corpus à primis etiam annis, corpus inquam illud, quod Deum novem mensibus, uterô suô gestare ac claudere debuerat, ciliciô, O rem obstupescendam! atterere non dubitavit. Nimirum ostendit se Virgo esse Arcam fœderis, totam contectam aurô, illud cœli Manna, Verbum videlicet Incarnatum continentem, ostendit quoque se esse tabernaculum testimonij, quod licèt aurô, argentô, purpurâ, hyacinthô, byssô, coccóq; bis tinctô, pellibus janthinis, aliisque pulcherrimis ornamentis esset instructum, sagis tamen cilicinis ad omnia illa decora à cœli circũstantisque aëris injurijs avertendis operiebatur. Exo. 26. 7. Quod divinitus se didicisse memorat idem S. Gregorius Turonensis in M.S. quæ videri possunt apud Patriarcham Hierosolymitanum Franciscum Ximenium lib. 2. de vita Christi cap. 47. ubi ita scribit: *Sanctus Gregorius in libello de Salutatione Angelica scripsit, se divinô oraculô monitum cognovisse, Deiparam, ex quo Templum ingressa est, sine cilicio, beatam illam carnem pungente, vixisse nunquam.* Illius vestes è vilissima lana, nullo infecta colore, somno ipsa super humo nuda, vel duris tabulis adhærebat, nullo instructis lecto.

Quam viles vestes Virginis fuerint.

38 Quales porrò, quàm viles, quàm exiguæ fuerint Virginis vestes, audite S. Vincentium Ferrerium Ser. de Nat. Domini, ubi sic loquitur: *Cogitate, si Virgo MARIA habebat frigus, quia*

quia non legitur, quod portaret vestes fœderatas vel pellibus suffultas. Propter hoc posuit Filium suum in præsepio, ut animalia ipsum anhelitu calefacerent.

Paupertas Deiparæ.

39. Auctor imperfecti operis in Matth. cap. 2. vestium Deiparæ paupertatem expressit, de Magis cùm loquens *invenerunt*, inquit, *Matrem ejus vix unam tunicam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat amor Carpentarij*

Paupertas vestium in B. V. quam grata Deo fuerit

40. Quæ vestium simplicitas, tenuitas ac paupertas, quam grata Deo fuerit ostendit Cœlestis Sponsus Cant. 4. 11. cùm admirans pronunciavit: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*: Quia nil profanum in ijs relucet, nil, quod Virginem Deo sacram dedeceat, sed id solum quod Deo gratum, placens, acceptúm que est, quale thus esse consuevit. Audite S. Gregorium Nissen. Hom. 9. in Cant. *Talis est odor vestimentorum tuorum, ut sit similis thuri, quod DEI honori est dicatum.*

Cum Arca & Tabernaculum Domini tam pertiosis ornamentis instructũ extiterit, obstupescenda est B. V. paupertas, & corporis maceratio.

41. Cùm igitur Virgo Arca & tabernaculum Domini, tam pretiosis ornamentis instructum exstiterit, in eóque suprema illa Majestas habitaverit, quis macerationem corporis ejus in gestando cilicio, vilique amictu non admiretur, ac obstupescatt Dignum sanè fuerat, divinissimum Altissimi tabernaculum, vestitu aureo, gemmísque pretiosissimis, imò omnibus terræ cœlíque ornamentis, omnigenis floribus suavissimis, omnibus stellis radiantibus, Lunâ, Soléque ipso contegi, quod horum omniumCreatorem contegere ac contingere dignum fuit: ex hoc enim contactu Virgo nostra infinitam quandam dignitatem indepta est.

42. Et verè, si Mater pientissimorum illorum adolescentum Eusebii, & Chromatii à S. Hieronymo adeò celebrata est Epist. 43. ut alloquens hosce SS. Fratres, dicere potuerit: *Verè venter aureus potest dici, qui tales vos genuit;* Quanto potiori jure uterum, corpúsque Virginis, omni aurô, omni cœli terræque pulchritudine decorari dignum est, quod divinam prolem, Verbum æternum complecti meruit? Rem hanc expendens Dionysius Carth. Ser. 1. de concep. B. V. ita loquitur: *Ecce quanta dignitas istâ? etenim Philosophi causalem fæcunditatem dicunt esse præcipuam in creaturis perfectionem: Quàm inæstimabilis ergo est dignitas ejus, quæ tam infinitæ dignitatis peperit prolem?* Certè non irrationabiliter asserunt quidam magni Theologi, quòd ratione hujusmodi Maternæ fœcunditatis, Maternitatisque Dei, Beatissima V. Maria sit dignitatis quodammodò infinitæ. Cum omni ergo reverentia honoranda, nominanda, & cogitanda est nobis, átque post Deum ferventissimè diligenda. Addiderim ego cum omni devotione mortificatio, quâ tam sacrosanctum corpus nulli vel minimo peccato, subditum, nulli fomiti cupiditatíque obnoxium, jejunijs abstinentijs, vigilijs chamenijs, sive humi cubationibus, cilicijsque gestandis attrivit, imitanda est, si divinæ sapientiæ, & ipsius etiam domicilium esse desideramus. Præclarè enim dixit Richar. à S. Laurentio lib. 4. de laudibus B. V. *Non invenitur sapientia*, sive Maria *in terra suaviter*, id est voluptuosè & delicatè, sed potiùs in terra laboriosè *viventium.* His illa favet, his pietatis ostendit viscera. Hos sua fidelissima protectione communit.

Quanto major dignitas Mariæ tanto magis obstupescenda tanta corporis Virginis Afflictatio, paupertas.

43 Testis est Religiosus ille ex sacra Carthusianorum familia, de quo Vincent Belluacens. lib. 7. Spec. Hist. cap. 117. Hic Christi, Virginísque ejus Matris amore flagrans, eorundem virtutum imitatione ita in illos transformatus videbatur, ut nîl nisi Jesum crucifixũ, ejusdémque Genitricem scire judicaretur. Nec hic ejus amor imitandíque studium fru-

cta

ctu caruit: Nocte quadam, dum jaceret in Cella, ecce Cacodæmonum phalanx specie aprorum hominem circumdat. Non ita multò post videt quemdã Giganteo schemate, enormis planè magnitudinis conclave ingredientẽ, qui ubi gruñiones illos ignaviæ arguisset, uncum ferreum lecto pij illius Religiosi furore incredibili ad illũ lecto extrahendum diripiendúmque injecit: sed mox Virgo benignissima, Virgâ, quam manu gestabat, protensâ, quomodo, inquit, huic detestandi accedere ausi estis? Non est jam vester, nec adversùs eum prævalere poteritis; vix hæc fata Deipara, cùm ecce Tartareorum geniorum tota illa turba ad instar fumi evanuit. Tum Virgo ad suum clientulum conversa, benignissimè sic eum est affata: Placet, quod agis, tuíque animi devotionem Filio meo, mihiq; gratã noveris; ergo, age quod agis, operare, quod operaris, & de his ad meliora, de virtute in virtutem perseveranter proficere stude. Ut verò aliquid peculiare tibi committam; stude Fili vilibus escis, operi manuum devotus insiste, amplectere abjectas vestes. Quibus sanctæ mortificationis saluberrimis datis documentis in cœlos rediit.

44. Non modò hac innocentissimæ carnis, sensuúmque suorum sacratissimorum maceratione, Montem Myrrhæ sublimissimum se ostendit esse Deipara, verùm etiam in tolerandis injurijs, contumelijs, ac persecutionibus, quæ illi ex insidijs malevolentiáque Judæorum accidêre. De qua ipsius animi æquitate, ac patientia, aliisque virtutibus ex aliorum relatione S. Ignatius Martyr ita ad Joannem Evang. Epist. I. Scripsit: *Quidam notificavêre, eandem Matrem DEI omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis Virtutis & gratiæ fœcundam, quæ, ut dicunt, in persecutionibus & afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, injuriantibus grata, & modesta in re læsa: Miseris & afflictis condolet coafflicta, subvenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus, in pugna fidei disceptans enitescit. Nostræ novæ Religionis & pœnitentiæ est Magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra, Humilibus quidem est devota, & devotis devotiùs humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur, cùm à scribis & Pharisæis ei detrahitur.* His illa detractionibus ac oblocutionibus ceu aculeis, puncta, ad instar arboris myrrhæ, quæ folia habet aculeata, atque Spinosa, compuncta suavissimi odoris stacten emittebat, adeò ut illud Emblema Camerarij, illi bellissimè quadret. Pinxit hic arborem hanc à ventorum flabris agitatam, cum hac epigraphe: *concussa uberior.* Alij versiculum hunc subtexunt: *Uberior ventis Myrrha fluit.* Verè Virgo nostra tanquam Myrrha electa, ventis persecutionum Judaicarum exagitata, dolorúmque aculeis, quos totâ vitâ, prævidendo passionem Filii sustinuit, pietatis lacrymas, quæ ad instar stactei, suavissimique liquoris extitêre, ex teneritudine sui piissimi cordis profudit.

Injuriarum tolerantia probat Deiparam montem Myrrhæ.

Symbolum tolerantiæ in adversis: arbor à ventis agitata, cum Epigraphe: concussa uberior.

45. Has scribarum & Pharisæorum detractiones, oblocutiones ac persecutiones Virgo nobis in persona Sponsæ Cant. I. repræsentavit: *Filij,* inquiens, *Matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Audiendus hìc Rupertus Abbas, qui querelam hanc Virginis, pulchra paraphrasi ad Judæos maledicos transfert: *Pugnaverunt,* inquiens, *pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemantium; Prædicarunt illis Apostoli, & Filium meum esse DEUM, & me DEI Matrem, illum de Spiritu sancto conceptum, me intactam Virginem ante partum, in partu, & post partum permansisse. Mihi peculiaris cura erat populi mei sed ejus improbitas coëgit me hanc curam alio transferre, & sic illi quidem posuerunt me custodem*

Injuriarum tolerantiam B. V. in persona Sponsæ ostendit.

 stodem

ſtodem in alijs vineis unà cum Apoſtolis, quorum unus apertè hoc Judæis denunciavit: Vobis oportebat primùm loqui verbum DEI, ſed quoniam repellitis illud, & indignos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes: Sic enim præcepit nobis Dominus, Poſui te in lucem gentium ut ſis in ſalutem usque ad extremum terræ. Act. 13. *Hoc Iſaias de filio meo dixerat, & per me atque Apoſtolos Filius adimplevit: ſic me fugantes, poſuerunt illi me cuſtodem in vineis, id eſt curam gentilium mihi quaſi imperârunt. Non ego illos odiò ullò deſerui, ſed illi me ſua incredulitate repulerunt; Ideò vineam illam maternam non cuſtodivi, quia noluit cuſtodiri. At illi boni Fratres, quaſi novâ à me injuriâ acceptâ, acrioribus odijs contra me exarſerunt, & porrò acriùs contra me pugnare perrexerunt: Putabant, ſi me repuliſſent, nullibi mihi locum aut receptum fore; Sed ſicut Agar à Sara ejectam, in ſolitudine aberraturam: Verùm DEUS pro una vinea, plurimas mihi colendas & cuſtodiendas fuit largitus, quæ omnes cuſtodiam meam habent, & habere deſiderant, de meritis meis præſumentes, de interceſſionibus meis confidentes, & pro hujusmodi cuſtodia ad me jugiter clamantes.* Hactenus Rupertus.

Easdem perſecutiones & injurias deſcribit Deipara verbis illis: nolite me conſiderare, quòd fuſca ſum.

46. Eandem perſecutionem à Judæis ſibi ac novellæ Eccleſiæ illatam queritur verbis illis. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſum, quia decoloravit me Sol.* Ubi per ſolem Cœlius Pannonius ſacri Ordinis ſancti Pauli primi Eremitæ Comment. M. S. in Cant. intelligi cenſet, perſecutionem; *Quaſi dicat: Ardens perſecutio nigrorem mihi induxit, fuſcus enim color ſubniger eſt, id eſt, non planè niger, qualis eſt Indorum, ut notant docti: Nam Filij Matris meæ. id eſt, ipſi Judæi pugnaverunt contra me. Ubi illud mihi adverte, velim, ſolem etſi quandoque in bonam partem accipi in literis ſacris*, Malach. 4. *Orietur nobis ſol juſtitiæ, ubi ſine dubio ſol Chriſtus eſt; qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Hìc autem non poteſt in bonam partem accipi, perſecutionem enim deſignat, & eam fervore vehementi. Eſt enim in ſole & lux & ardor: In luce Chriſtus, in ardore perſecutio deſignatur. Poteſt enim aliqua dictio à propria ſignificatione, ad tot ſignificationes aliarum rerum accommodari, quot proprietates cæteris rebus accommodabiles in ea reperiuntur. Ut Leo, & Chriſtum & Diabolum aliquando ſignificat &c. Sol igitur, qui urit patientem, perſecutionem ſignificat. Flagrabat in primitiva Eccleſia, ſæva Judæorum perſecutio, ſub qua torquebantur Principes Orbis, magnifici Apoſtoli, & omnes, qui cum his ſentiebant, maximè verò Deipara Virgo, addiderim & ego & ideò fuſca erat ſimul & Eccleſia. id eſt contemptibilis & abjecta, contra quam Synagoga Filij ardentiſſimis odij facibus incenſi, continuò pugnabant, non conquieſcentes, donec eam è medio eorum exturbarent, ejiceréntque. Hoc igitur eſt, quod ſacra hæc prophetia in ore Sponſæ dicit. Filij Matris meæ, &c. Ac ſi diceret: Quòd vineam meam non cuſtodivi, inde eſt, quia Filij Matris meæ pugnaverunt contra me & ejecerunt me, & coëgerunt me, ut eſſem cuſtos vinearum alienarum, & non meæ. i.e. relinquerem Synagogam Judæorum, & concederem ad diſperſionem gentium. Quàm prudentiſſimè itáque Sponſa prætendit cauſam nigredinis ſuæ, vehementem ardorem perſecutionis in eo quòd dicat, à ſole ſe denique exuſtam, in pugna filiorum Matris ſuæ contra eam, citra omne omne ſuum demeritum Ubi & ſuam innocentiam profitetur, & Judæorum malitiam taxat. Unde effectum eſt, ut Sponſa nequaquam perſeveraret in eis, ſed ut transmigraret ad gentes.* Hæc Cœlius.

47. Injurias item ac perſecutiones impijſſimorum Judæorum à Virgine patienter exantlatas, indicant illa ipſius verba Cant. 5. v. 7. *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum.* Nimirum obſervabat Virgo ſanctitatis illam pucherrimam Regulam, de qua Pelbartus lib. 7. Stell. p. 1. cap. ita loquitur:

Injurias & perſecutiones Judæorum à Virgine exantlatas indicant illa verba Cant. 5. Invenerunt me cuſtodes, &c.

Ter-

Tertia Regula sanitatis est, in adversorum patienti toleratione: Ideò inquit David: *Inquire pacem, Nimirum patientia opus perfectum habet* Isa. 1. Unde Gregor. *Sanctorum,* ait, *vita in adversis tolerandis agnoscitur, dicente Salvatore, in patientia vestra possidebitis animas vestras. Istam Regulam B. V. in summo servavit, quia patientia ipsius invincibilis fuit ab omni malo. Et quis cogitare sufficiat, quantum dolorem patientissimè sustinuit, cùm Filium suum patientem vidit, cujus doloris gladius animam ejus pertransivit? Nullum vel minimum verbum impatientiæ in illa reperitur, quæ tamen unica oratione Crucifixores sui nati, si libuisset, ut occiderentur à DEO Patre impetrare potuisset: si enim Elias unicô verbô meruit, ut descerderet ignis de cœlo & consumeret quinquagenarium Principem, & 50. Qui cum eo erant, multò faciliùs id efficere potuisset DEI Mater. Sed quid obstitit! Perlege Evanglicam Historiam & certè non invenies eam, de passione sui Unici reclamantem, non vindictam exorantem, non vel minimo verbo contradicentem. O felicissima patientia MARIÆ! peccator stude imitari hanc ejus patientiam & mansuetudinem.* Sic ille.

48. Ex quibus omnibus inferre licet, ob gravissimas hasce Judæorum injurias, persecutiones aliásque calumnias, amaritudinésq; æquanimiter à Virgine toleratas, jure Myrrham fuisse appellatam, ijsque ad tam sublime perfectionis sanctimoniæque culmen, quasi quibusdam gradibus conscendisse, ut mons myrrhæ vocitari à Sponso digna haberetur. Quare quicunque ad perfectionis apicem optat pervenire, Virginem in tolerandis adversitatibus ac persecutionibus imitetur: His enim tanquam viâ Regiâ ad illam tenditur, his homo in sanctitate conservatur. Unde cum S. Birgitta de miserijs hujus vitæ coram Deipara confidenter quereretur, saluberrimum ipsi prudentissimúmque dedit documentum lib. 1. Rev. cap. 22.

Injuriæ tolerandæ sunt, ut B. V. imitemur eique placeamus.

Considera, quòd mali vivere permittuntur ad bonorum probationem, ut ex eorum moribus exasperati, patientiæ fructu remunerentur. Rosa enim suaviter redolet, pulchra est visu, lenis tactu, & tamen non crescit, nisi inter spinas, quæ sunt asperæ tactu, deformes visu, nil boni redolentes: Sic etiam boni & justi homines, licèt lenes sint patientâ, pulchri moribus, suaves bonô exemplô, non tamen possunt proficere vel probari, nisi inter malos. Quandoque etiam spina defendit rosam, ne carpatur ante maturitatem, sic mali occasio sunt bonis, ne excedant in peccatis; quandoque etiam per eorum malitiam refrænantur, ne immoderatâ lætitiâ, vel aliô peccatô dissolvantur. Nunquam enim vinum benè servatur in sua bonitate nisi in fæce; nec boni & justi in virtutibus stare, & proficere possunt, nisi probentur tribulationibus, & iniquorum persecutionibus. Ideò libenter supporta inimicos Filij mei, & cogita, quod ipse Judex eorum est. Ergo tolera tu quamdiù ipse tolerat eos. Hæc Deipara Mater ipsius sapientiæ sapientissimè.

49. Hanc ob causam docuêre sancti, injuriarum æquanimem tolerantiam præferendam longè prodigiorum & miraculorum perpetrationi. Hinc B. Laurent. Justinianus Venetorum Patriarcha lib. de patient cap. 2. & in fascic. amoris c. 5. *Signis,* inquit, *& miraculis majorem esse patientiam non dubitemus. Ista enim minimè efficiunt hominem sanctum, nec Deo charum, & electis ac reprobis esse possunt communia.*

Injuriarum æquanimis tolerantia prodigiis præferenda.

50. Hinc etiam S. Joannes Chrys. in cap. 1. ad Philip. *quando,* inquit, *DEUS dat alicui, ut mortuos suscitet, minùs dat, quàm cùm dat donum patiendi: pro miraculis enim debitor sum DEO, & pro patientia debitorem habeo Christum: O rem admirandam! & donat mihi, & super hoc debet mihi ipse.* Hinc denique B. Baptista Verona Ordinis Seraphici, magna sanctitate & familiaritate cum DEO celebris, hæc considerans, exclamare solebat: *O DEUS*

meus, si tu mihi revelares omnia secreta tui sacratissimi cordis, & si mihi quotidie ostenderes omnes Hierarchias Angelicas, & si quotidie mortuos suscitarem, propter hoc non crederem me à te amari amore infallibili, sed quando sentiam me ex corde benefacere mihi malefacientibus, dicere benè de eo, qui de me malè loquitur, qui injustissimè condemnat; tunc Pater æterne credam per hoc signum infallibile, quòd tibi sim Filia. Quarta Parte to. 2. lib. 7. c. 26. Simile quid DEUS Pater S. Catharinæ Senensi cap. 10. & 95. Dialogorum revelavit. *Arboris medulla*, inquiens, *affectus videlicet veræ charitatis, existentis in anima, est invicta patientia, quæ signum est evidens, atque apertissimè demonstrans, animam in me consistere, pariter & in ea me per gratiam esse.* Ex quo sanè gravissimo sanctorum sensu facilè colligere possumus, cum omni loquendo modestia ac submissione, quantopere minima hæc nostra inter omnes sacros Ordines Societas grata & accepta divinæ sit Majestati, quòd tot injuriis, persecutionibus, maledictis eam passim exagitari, tam hilari cum patientia, átque adversariorum amore, prompta, etiam illis serviendi ac benefaciendi voluntate, omnem injuriarum memoriam, excludente, permittat. Quocirca Henricus Spondanus Episc.) Ecclesiæ Gallicanæ jubar, in suis Annalibus ad annum 1565. ut & Tom. 1 dis. 22. n. 148. me retulisse memini, recensens persecutionem quandam Parisijs adversùs societatis nostræ scholas excitatam & paulo post sedatam; ita tandem pro suo in nos affectu ad ruborẽ nostrum conclusit: *Nullus fuit unquam ordo inter sanctas Religiosorum sodalitates, qui plures passus sit per universum orbem controversias, & oppugnationes, nec, qui gloriosiùs eas ubique superaverit? A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: Veréque possumus de eo, ac confidenter dicere, nullum esse in Ecclesia utiliorem, dum contineantur, privati socij, ut sapiant ad sobrietatem.* Quod sanè tanti Præsulis nimium quantùm honorificum dictum, sicut verecundiæ ruborem nobis incutit, sic nos ad toleranda in hoc mundo magno, exaggeratóque animo adversa quæque pro Christo, pro Ecclesia, velut admotum calcar excitare debet; Hæc enim tribulationum perpessio maximam nobis æviterna spectantibus, Spiritûs adfert utilitatem: Nam præterquam, quòd summa nostra dignitas est, & gloria, immortalem nobis æviternæ fælicitatis miro splendore radiantem contexit Coronã. Unde DEUS Pater S. Catharinæ Senensi c. 144. Dialogorum ita loquitur: ut fructus vester quotidie crescat, ego providè vos purgo varijs tribulationibus, injurijs, derisionibus, infamijs, contumelijs & improperijs, in dictis & factis, sicut meæ bonitati concedere placet unicuique, prout video portare posse: Quia tribulatio signum est apertè demonstrativum, quòd in anima charitas est omninò perfecta, si cum dulci patientia tribulatio toleretur. In charitate autem, quis nesciat perfectionem, sanctitatémque sitam esse, ùt communiter Theologi â sacris literis edocti cum Angelico Doctore asseverant? 22. q. 184. ar. 1 2. 3. & alibi. Sed ad montem myrrhæ, unde digressi sumus, revertamur.

Societas JESU felix quia persecutionibus & injuriis agitatur.

51. Myrrha fuit denique Virgo nostra ob amaritudinem illam animi, quam ex dilectissimi Filij sui cruciatuum prepessione toleravit. Verè enim tunc magna fuit, velut immensum quoddam mare, si latitudinem pene infinitam dolorum ejus consideremus, contritio ejus. Quodsi Sublimitatem eorundem dolorum spectemus, jure meritissimo illam montem quendem myrrhæ, cœlos vertice suo attingentem pronuntiabimus: sive enim illam stantem juxta Crucem, de qua diris, qua-

Myrrha fuit Deipara ob amaritudinem animi ex Christi morte toleratam.

quadratísque clavis affixus pendebat Filius, sive eundem eam jam mortuum, sinu suo lacrymabundam amarissimè confoventem contemplemur, inveniemus eam myrrheum quoddam mare, juxta nominis sui etymon, inveniemus eandem myrrheum quendam montem, eundémque excelsissimum.

Mare amaritudinis B. V.

52. Mare amaritudinis esse Virginem, vidisse sibi visus est B. Arnoldus Abbas Tract. de 7. Verb. *Suspirat intrinsecus, & erumpentes revocat Lacrymas, & eò ampliùs anxietas intumescit, quò prohibetur egredi, & per luctus lamentáque dissolvi: Emergebant quidem aliqui gemitus, sed increpati, & reprimebantur, revertebanturque in sinum mentis, de qua prodibant, & collidebant se adinvicem introrsum, erátque in anima illa tempestas valida occurrentibus sibi procellis, & quasi in sartagine frixis medullis ebulliebant amaritudines, quas excoquebat, & coagulabat exacerbatio perseverans; & quod difficillimum erat, moriebatur, & mori non poterat, & clauso tânti doloris tormento intrinsecus, alium vultum palam exhibebat.*

MARIANI Montis Myrrhæ altitudo & perfectio.

53. Videre quis desiderat Myrrhei hujus montis altitudinem? Consideret elogium illud, quod beatæ illæ mentes, admiratione attonitæ, conspecta Virgine in mundi hujus deserto conversante, & virtutum suarum, maximè verò charitatis patientiæ, ac mortificationis odore universum terrarum orbem ipsosque cælites recreante, in voces illas eruperant Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarij?* Universitas pulveris hæc pigmentarij, mihi miram quandam quantitatem, multitudinémque variorum aromatum, myrrhæ, thuris, storacis, onychis, galbani, stactis, aliarúmque aromaticarum specierum, quibus thymiama suavissimi odoris Domino componebatur, oculos proponit, ex quibus quodammodò ipsa Virgo, ob plenitudinem illam gratiæ, in instanti immaculatæ suæ conceptionis sibi communicatæ, conflata igne Divinæ charitatis, instar aromaticæ cujuspiam virgulæ esse videbatur: sic enim odorifera, suavissimáque sua exhalatione, ex tanta aromatum copia redundante, & totum hoc universum, mortalésque omnes, & ipsos cœlos, cœlicolásque universos complevit, ut supernum Regem in Patris æterni accubitu, sinúque quiescentem recrearit, ejúsque virtutum illectus suavitate, in ejus uterum descendere, tabernaculúmque cum hominibus in ea sibi præparare non fuerit dedignatus.

Virgula Mariana fumi, ex aromatibus Myrrhæ & thuris, conflata nunquam suaviorem odorem dedit: nec Myrrhæ mons tam altè verticem extulit, quam quando Christus de Cruce depositus in B. V. sinu conquievit velut Myrrhæ fasciculus.

54. Quòd si Virgo nostra, eò quòd Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, universóque pulvere pigmentario conflata, tam altè verticem suum extulit, ut myrrhæ mons altissimus, sinum Patris æterni attingens, esse videretur, quantò magìs suavissimam suarum virtutum exhalationem in altum extulit, cùm depositus de Cruce DEI Filius, velut pretiosissimus myrrhæ fasciculus ejus in sinu requievit? Notissimum est, DEUM nostrum ignem consumentem esse, accendit hic ignis sine dubio viscera córque Matris, efficitque, ut, quæ erat electa myrrha, mónsque myrrhæ ex universo pulvere Cœlestis pigmentarii Spiritûs sancti, & ipsô illô myrrhæ fasciculô, quasi cœlitus, copiosissimum daret suavitatis odorem, qui eò suavior extitit, quò virtutes ejus in passione Filii magìs tritæ ac probatæ extitêre. Qua de re audiendus Card. Petrus Damiani, qui elogium illud expendens Sponsæ, ait: *In myrrha continentiam, in thure devotionem intellige. Hæc sunt duo, quæ Virginalem*

Mmmm

lem substantiam tota circumdedere virtute, continentia scilicet & devotio, quorum alterum carnem, alterum mentem ita possedit, ut caro mundissima, mens purissima Genitricem Domini singularius consecrarent. Sed ne putares duabus solis virtutibus insignitam Dominam orbis, & Reginam cælorum, subsequitur: etiam universi pulveris pigmentarij. Hic expressum est, quidquid exprimi potuit. Species quidem integræ odorem reddunt, sed non tantum, quantum confractæ: Crebris enim tunsionibus supertritæ, remotiorem etiam locum (qualis Cælorum est) odorifera conspersione refundunt: sic & virtutes in pace quidem fortiter redolent, sed fortiùs in tribulatione; Quia virtus in pace acquiritur, in persecutione probatur, approbatur in victoria. Universus ergo pulvis pigmentarius in Virgine conjectus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit, & si alijs per partes Spiritus affluit, MARIÆ tamen tota plenitudo gratiæ supervenit. Nec integræ fuerunt in ea species, sed in subtilissimum comminutæ, quia ipsa est, quæ fortioribus tribulationum malleis suppressa, vidit suum, & DEI Filium affigi cruci, militari lanceâ vulnerari, & inter duos latrones positum exspirare. Sic Damianus Ser. 2. de Nat. B. V.

Christus benedictus Myrrhæ fasciculus in sinu Virginis receptus, in Purificatione.

55. Hic nimirum dilectus, huic electæ myrrhæ, myrrhæ fasciculus & ignis suaviter ardens extitit, & inter cordis ejus ubera commorans, sacris incendiis, uti diximus, eam holocaustum in odorem suavitatis dulciter concremans, virgulam aromaticam, imo myrrheum, aromaticúmque montem divinam fragrantiam undequaque exhalantem, & divos terrigenásque omnes exhilarantem reddidit. De hoc amoris divini igne, quô Virgo velut virgula aromatica, velut myrrhæ mons succensa ardebat, dicere possumus id, quod Guerricus Abbas Ser. 1. de Purif. B. V. de Igne pueri JESU, quem sinu senex ille Simeon gestabat, effatus est: *Plena est omnis terra gloriâ luminis illius; quod occultum in sinu fovebas, imo quô sensus tuos refovebas, O fomes amoris! ipse amor suavis, & dulcis, etiam cum crucias animam, prorsus suavis, & dulcis, etiam cum crucias & affligis: crucias fæliciter delectans, sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit, imò illum ignem extinguit, qui in sinu celatus non modò vestimentum adurit, sed &, quod vestitum est, depascit, id est, corpus & animam pariter consumit. DEUS enim noster ignis consumens est.* Et Ser. 2. de Purif. ait: JESUM fuisse in senis illius, sinu, igne hôc divinô calefactô, unguentum pretiosissimorum aromatum corde ejus bullientium, omnia interiora gelidi senis ponens, quasi cùm unguenta bulliunt. Motus bullientium unguentorum, æstus desideriorum, sonus eorum, jubilus affectuum pariter dicentium: DEUS meus es tu. Quæ omnia multò aptiùs transtuleris ad Virginem, quæ deposito de cruce Filio, cùm ipsa jam acervus dolorum esset, imò mons myrrhæ omnis amaritudinis, receptô in sinu dilectô suô, verè myrrhæ Fasciculô, unguentô pretiosissimô, ignéque consumente, majori amaritudine repleta fuit. Unde corde ipsius exardescente, virtutū omnium unguenta, átque aromata ita bullierunt, ut diceret: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus non locutus, sed infusus est mihi*: ita inquam bullierunt, ut suavissimam altissimámque super omnia aromata Martyrum, qui & ipsi ob amaritudinem cruciatuum, quos exantlârunt, myrrhæ colles quidam sunt, reddiderint exhalationem.

56. De hoc Virgineæ myrrhæ monte, montes omnes Myrrheos Martyrum amaritudine transcenden-

Virgineæ Myrrhæ mons, omnes Myrrheos Martyrum Montes amaritudine transcendit.

dente, locutus est Isajas cap. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domûs Domini in vertice montium, elevabitur super colles.* Hunc Myrrhæ montem super verticem montium omnium Martyrum collocatum, elevatúmque super colles, vidit S. Bernardus Ser. de Verbis Apoc. dum vulnus illud lateris jam mortui boni Jesu, Matrémque in illo per amoris affectum commorantem, sauciatámque contemplans: *Verè*, ait, *tuam O beata Mater animam gladius pertransivit! alioquin non nisi illam pertransiens, carnem Filij tui penetraret, & quidem postea quàm emisit Spiritum tuus ille JESUS, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quia ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquàm Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excessit compassionis affectus, &c.*

Vidit Myrrheum Virgineum montem super omnes alios elevatum S. Ildephonsus.

57. Myrrheum hunc montem Virgineum, super montes collésque Martyrum elevatum, vidit S. Ildephonsus Tolet. Archiep. Ser. 2. de Assumpt. cùm dixit: *Etsi corpora Martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino comprobatur. Ait enim Simeon: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quod si gladius usque ad animam pervenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cùm videret Dominum pendentem, etiam plùs quàm Martyr fuit, quia in animo non minùs amoris, quàm mæroris est intus gladiò vulnerata.*

Vidit & Guerricus Abbas.

58. Vidit Myrrheum hunc montem, super omnes montes collésque Martyrum elevatum, Guerricus Abbas Ser. 1. de Annunc. ubi, cùm corpus Virgineum ebori antiquo, quod rubicundum esse consuevit, contulisset, adjecit: *MARIA & ipsa candidior nive, rubicundior ebore antiquô, cui scilicet incomparabilem & castitas candorem, & charitas seu Martyrium rutilantem præ antiquis electis. i. e. Martyribus, noscitur contulisse ruborem. Nam & suam ipsius animam pertransivit gladius, ut Mater summi Virginis & Martyris esset, & Virgo ipsa & Martyr, candida & rubicunda, quemadmodùm dilectus ejus candidus & rubicundus.*

Vidit quoque Richardus à S. Laur.

59. Vidit Myrrheum hunc montem, super montes collésque omnium Martyrum elevatum, Richardus à S. Laurent. lib. 3. de laud. B. V. ubi de 12 agens privilegiis, quibus veluti stellis coronata est Deipara, decimam esse ait Martyrium animæ excellentissimum. *Decima stella*, inquit *est, quòd ipsa fuit Martyr in anima, & gladius doloris, qui pertransivit animam ejus in Unigeniti passione, pro amarissimo ejus Martyrio computatur. Voluit siquidem Filius, ut omni sanctorum speciositati participaret Mater sua, imò universam sanctorum pulchritudinem excederet. Et sicut appellatur Virgo Virginum, ita & Martyr Martyrum debet appellari, quia quidquid in Virgine operabatur, novum erat. Placuit ergo Filio, ut gloriosior Martyr existeret, & mirabiliter appareret, ut novô & inauditô Martyrij genere decoraretur. Et verè novum & inauditum Martyrium, quod Mater passa est in Unigeniti passione, in ea parte, quæ est impassibilis. Alii enim Martyres, etsi tormenta sentiebant in corpore, interiori tamen consolatione refrigerabantur in mente; etsi eorum corpora pertransibant gladii tormentorum pro Christo tamen animæ eorum recreabantur in Christo: Filius etiam simul fruebatur, & patiebatur, quia fuit in via comprehensor. Unde dicit,* Psal. 25. *Providebam Dominum in conspectu meo semper. Sed anima Matris torquebatur in Christo, & totam ejus animam vehementia doloris possidebat.*

bat, Fuit etiam plùsquàm Martyr, quia duplex pertulit Martyrium, dum & mortem Filii vidit, & ejus exemplo membra super terram mortificavit, quod genus Martyrii, illô minimorum, quô membra cæduntur fero, horrore quidam mitius, sed diuturnitate molestius. Denique plùsquàm Martyr fuit: sicut enim non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transivit corpus & membra Filii, ipso dicente: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Thr. 1. *Sic non fuit dolor, sicut dolor ille, qui Matris viscera per passionem pertransivit: Unde & in* Psal. 44. *dicitur: circumdata varietate, videlicet tot dolorum, quot Filium suum videbat patientem. Hinc enim videbat caput spinis coronari, hinc genas velli, hinc vultum conspui, pedes & manus configi, os felle potari, hinc caput exspirantis super humerum inclinari, latus mortui lanceâ aperiri. Verè igitur circumdata varietate dolorum, ut verè dicere posset cum Susanna: Angustiæ mihi sunt undique,* Dan. 13. & Davide 1. Paral. 12. *Undique me angustiæ premunt. Et tunc, ut canit Ecclesia, circumdabant eam flores rosarum,* id est, *infinita Martyriorum genera, quæ in rosis figurantur. Propter hoc appellatur ipsa, Rosa plantata in Jericho.* Eccl. 24. Sic ille.

Quo major in filium suum charitas Deiparæ, eò major amaritudo ex ejus passione.

60. Excessisse etiam doloris magnitudine & amaritudine omnes Martyres, docet Richard. ex ingenti ejus in Filium charitate. *Non fuit talis Filius, non fuit talis Mater, non fuit tanta charitas, sicut inter hanc Matrem & Filium, non fuit tam indigna mors, non fuit dolor tantus. Sciebat nàmque Mater, qualis erat Filius, unde conceptus, & quomodo, &c. Et ideò quantò dilexit teneriùs tantò vulnerata est profundiùs, nihil habens omnino consolationis, sicut cæteri Martyres. Nam absorpta erant ejus viscera maternis doloribus, ultra quàm homo vel Angelus perpendere possit.* Hæc Rich.

61. Vidit denique hunc montem Myrrheum, sublimitate sua omnium Martyrum colles montésque superantem Pelbartus de Temesvar. lib. 3. Stell. Par. 2. ar. 1. cui titulum hunc præfixit: quod dolor, qui transivit cor B. M. in Filii sui passione, superavit omnium Martyrum dolores in acerbitate; Hujus pronunciati postmodùm affert causas, inter quas illa sanè luculentissima est: *Quia*, inquit ille, *tantò magìs pertransit animam dolor in amittendo aliquid, quantò magìs diligebatur illud: sed B. V. summè dilexit Christum, ejúsque vitam improportionabiliter quoque magìs, quàm alÿ Martyres dilexerint vitam propriam: Imò Martyres non diligebant, sed oderant propriam vitam propter Christum. Ergo B. M. plùs doluit amittendo vitam Christi, quàm Martyres amittendo vitam propriam.* Denique Martyres in amaritudine passionis excessit Virgo nostra, quia gladius doloris summi consurgit ex gladio amoris summi, quia, ut ait Albertus, omnis dolor ex amore, quod enim cum amore possidetur, cum dolore amittitur; & ideò ubi summus & improportionabilis amor, ibi summus & improportionabilis dolor de amati passione Et quia dolor B. V. non solùm causabatur à natura, sed etiam gratia, naturali scilicet amore & gratuito erga Filium, ideò incomparabiliter major erat aliorum Martyrum dolore.

Quod summo cum amore possidetur summo cum dolore amittitur.

62. Quæ sanè omnia nobis luculentissimè ostendunt, Deiparam montem Myrrheum quendam esse, dolorum amaritudine super omnes colles, montésque Martyrum longè elevatissimum átque eminentissimum, tum ob intensissimum dolorem, quem in morte Filii pertulit, tum ob persecutiones injuriásque à Judæis, dum in hac vita degeret, sibi illatas, tum denique ob mortificationem Jesu, quam

Summus ergo mons Myrrhæ Deipara. tum ob mortificationem corporis, tum ob tolerantiam injuriarum, tum denique ob intensissimi doloris amaritudinem.

quam jugiter in suo corpore portavit, jejuniis, abstinentiis, vigiliisque, ac chaumeniis, ciliciorum denique gestatione, innocentissimam illam, purissimámque carnem assiduè macerando.

63. Quare, quicunque Virginis hujus imitationem profitemur, ejusdémque veri germaníque clientes ac Filii esse cupimus, nos invicem eisdem Isaiæ verbis inflammemus; *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus.* Venite itaque omnes, qui diligitis Virginem, & Myrrheum hunc montem, magnis passibus mortificationem ejus æmulando ascendamus, animatámque hanc domum Jacob, in qua verus ille mundi, carnis, dæmonísque supplantator, novem mensibus habitavit, incolamus, ut & nos mortificationis hujus Virgineæ æmulatione, eosdem acerbissimos animarum nostrarum hostes supplantare, átque debellare possimus: ascendamus inquam, magnô animô hunc montem myrrhæ, mortificationi corporis, sensuúmque, operam dando, & in se ciliciis, flagellis, aliísque hujusmodi carnis atterendæ instrumentis, piè laudabiliter serviendo; certò nobis persuadentes, exercitationes hujusmodi Virgini esse gratissimas. Quod illa factis ipsis comprobavit, cùm Magnum illum Anglicæ Ecclesiæ Præsulem Thomam, in resarciendo cilicio, propriis suis, & benedictis illis, ac omni acceptione dignissimis manibus adjuvare, pro ingenita sibi facilitate non est dedignata. Quô perfectô sacrô ciliciô, ferreô velut thorace ac loricâ obarmatum crediderim Virum Sanctissimum, se se ultrò hostibus in mortem obtulisse, utpote qui tot in vita mortibus assuetus, jam pridem se totum Deo in Sacrificium & holocaustum obtulisset.

[Margin: ...d montem Myrrhæ no...is ascenden...dum est, tum ...er mortificationem ...orporis: ...um per In...uriarum to...lerantiam, ...um per ...ompassio...em.]

[Margin: ...Thomam ...ntuarien... ...n juvit B. ...cilicium ...arcire.]

64. Dicamus igitur Deiparæ identidem animitus, dicamus medullitus: *Eja Mater Fons amoris me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam. Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo validè.* O si nos eâ gratiâ Virgo dignetur, quâ S. Claram de Monte Falco, suam amantissimam ab ineunte ætate clientulam, cujus cor post mortem divisum, expressa mysteria Dominicæ passionis, dilectum nimirum myrrhæ fasciculum repræsentabat! Hæc tandem sub mortis articulum Angelo sibi assistenti dixisse fertur: *Angele DEI, nuncia sanctissimæ Virgini, ut me in Cœlestes Sedes recipiat.* Nec irrita ejus recidere vota ac desideria, mox enim vidit cœlum apertum, & B. Virginem eam cum summo gaudio expectantem, ut testatur Isidorus Moscovius in ejus vita.

[Margin: S. Claræ de Monte Falco cor repræsentabat Dominicæ Passionis mysteria.]

65. Parem fælicitatem nacta est B. Juliana Falconeria Ord. Servorum B. Virgins uti scribit P. noster Balinghen in Cal. 19. Junii. Hæc, cùm ab ipsis incunabilis Dei Matris cultui fuisset addictissima, & quolibet Sabbato cerere & lympha dumtaxat in ejus honorem jejunare, ejúsque & Filii dolores insigni cum pietate, ardoréque animi meditari esset solita, Christi dulcissimi sui Sponsi de cruce pendentis imaginem, ceu fasciculum myrrheum carni suæ juxta cor impressam, tanquam ardentissimi sui in Christum amoris præmium habere meruit, ut constitit ex fideli relatione eorum, qui defunctæ corpus curaverunt: Cùm enim hæc Dei serva, ut refert P. Dominicus Ferreri, Provincialis ejusdem Ordinis Galliæ Cisalpinæ, in compendio Hist. Titulô: *Sapphirus*, assiduis mortificationibus ita corpusculum debilitâsset, ut stomachus cibum omnem rejiceret, & jam vicina morti, Sponsi sui castissimi corpus in viaticum sumere non valeret,

[Margin: B. Juliana Falconeria Ord. Servorum B. V. carni impressam Christi crucifixi Imaginem habuisse post mortem visa est.]

petiit amore, qui ingeniosus est, edocta, sibi pectus ablui, tum ad partem cordis mundissimum linteolum cum corporali expandi, obsecrando Patrem, qui ei erat à confessionibus, ut sibi liceret Sponsum suum dilectissimum, antequàm è vita decederet, videre, ut dicere posset cum sancto illo sene: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Obsecutus est piissimo ejus affectui Pater; ubi in cubiculum sacratissimum illud viaticum intulit, non contenta virgo oculis vidisse Sponsum, eum corpori suo sociare expetiit, voluítque, ut ad cor suum, velut amoris sigillum apponeretur. Ubi voti compos facta fuit, cùm ejus facies Angelicô quôdam decore resplenduisset, anima ejus amanti suo Jesu Sociata, ex corporis ergastulo evolavit: Siquidem cum omnium stupore sacra illa hostia disparuit, relinquendo circulum in carne Virginis exiguæ illius suæ magnitudinis, & in Circulo Christi Jesu Crucifixi effigiem, quam circumstantes Virgines admiratione attonitæ, piis osculis veneratæ sunt.

B. Bonajuncta Ord. Servorum quantum Passioni Christi contemplandæ addictus fuerit.

66. Non minori fælicitate cælitus dignatus fuit B. Bonajuncta ejusdem Ordinis, unus ex septem viris, qui Religionem illam auspiciis B. V. fundârunt. Huic enim, cùm altâ Dominicæ Passionis memoria, totius vitæ curriculô menti esset reposta, eámque quotidianô missæ Sacrificiô foveret, hora sui ad Cœlum transitûs omnibus Fratribus adstantibus ac collacrymantibus idem sacrificium iterare voluit, déque eo, cum omnibus, manu propria distributo, cœlesti pane communicare: Tandem ubi adstantibus Christi patientis, ejusdémque Matris dolorum jugem memoriam, in dies singulos magna cum pietate recolendam inculcasset, ut præiret exemplô, ipse sacris vestibus amictus, peractô sacrificiô singula passionis Christi mysteria, ferventi meditatione enarrans, cùm ad illa verba pervenisset: *Et crucifixerunt eum*, quasi lacrymarum fontem oculis emisit; hinc hominum scelera in Deum perpetrata, inde immensam Dei Filii pro nobis patientis misericordiam expendens: Unde expansis brachiis manibúsque, ac si mox cruci configendus esset cum Christo, cunctis, qui aderant, orbitatem suam deplorantibus; cùm demum postrema illa Salvatoris verba: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, miro cum pietatis affectu contemplaretur, in Domini sui complexu immaculatum Deo Spiritum, ipso Die, quô patientis Domini memoria recolitur, reddidit. Unde in antiquo quodam Numismate ob assiduam hanc Passionis Christi memoriam, quæ altissimè cordi ejus insederat, manibus Jesum cruci affixum gestans, ac piè contemplans repræsentatur, uti ex Cant. 1. Annal. Ord. Servorum B. V. lib. 2. cap. 21. constat. Huic nimirum fidelissimo suo servo Deipara dolorum suorum communionem, sensúmque acerbissimum Filii vulnerum impertiri, quod in summis Dei gratiis, cœlique favoribus numerandum, visa est.

67. Et licèt hujusmodi planè singularibus cœli gratiis, ac favoribus sanctorum quàmplurimi, passim ab Historicis dignati memorantur, crediderim tamen sanctos Viros æquè ac Mulieres sacri prædicatorum Ordinis, intercessione sanctissimæ Deiparæ potissimùm fuisse insignitos. Quod P. Hyacinthus Choquetius ejusdem Ordinis, in aureo illo libello, quem Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera Materna; indigitavit. cap. 18. cui epigraphen hanc apposuit: *Beatissima Virgo Ordinis*

Beatissima Virgo Ordinis Prædicatorum homines sacris stigmatibus insigniri à Filio impetrat.

dinis Prædicatorum homines, sacris stigmatibus insigniri, à Filio impetrat; variis tam virorum, quàm mulierum comprobat exemplis; ostenditque nullum beneficii genus esse, ut ipse loquitur, quod in lectissimum suum Prædicatorum Ordinem, largâ manu, effusísque visceribus, augustissima cœli terræque Domina MARIA sanctissima à Filio suo conferri non obtineat; quod docent ea, quæ dicturi sumus. Quemadmodùm enim amantium unica cura est, studiúmque, quibus possunt donis, eos, quos depereunt, cumulandi, in eámque rem sollicitè intendunt, atque pervigilant, ut nova semper xenia, sempérque gratiora munera, ampliores honores, magisque exquisita cimelia illis offerant: ita immensus Deiparæ in nostros amor eam sanè impellit, ut quidquid in penitiore gratiarum scrinio Christus reconditum habet, illis impertiatur. Ita scilicet benignissima ac potentissima Mater, quos lectissimos habet, speciali adoptionis titulô filios, naturali suo Unigenito per omnia simillimos efficit, similibúsque, quantùm res patitur, ornamentis decorat. Cùm igitur nostris pro suo instituto unicus scopus sit, splendidum átque Augustum Christi Nomen, gloriam, laudibus ubique extollere, ad ejus amorem, venerationem, imitationémque omnes submissis cœlo ignibus inflammare, illúmque imprimis nudum, egenum, ad flagra, spinas, crucem, mortémque ipsam sequi, voluit amantissima Mater eorum nonnullos externis quoque corporis insignibus patientem Christum referre, cùm omnium ferè eadem sit cum gentium Magistro vox ad Gal. 2, *Christo confixus sum cruci.* Quocirca quinque præcipua illa è cruce pendentis vulnera, eximia scilicet Divini amoris, favorísque pignora, ab illo ipso, nostrorum quibusdam imprimi obtinuit.

S. Dominicum quinque Christi vulneribus insignitum fuisse credibiliter recensetur.

68. Inter hos porrò hisce cœli dignatos viros, primô locô gloriosissimum Patriarcham totius Ordinis, velut antesignanum, cruce Christi, ejusdémque vulneribus insignitum Dominicum, jure meritissimo reponit, docétque ea inprimis illum accepisse Segoviæ in specu illius Cœnobii, quæ etiamnum piis plurimorum hominum peregrinationibus est celeberrima, in qua hæc carmina tantæ rei perpetuum monimentum videre est.

Præterea Domino pendenti in stipite vivo
Compatiens, lacrymis pallida & ora rigans;
Hac sub rupe Crucis, totus liquefactus amore,
Stipite per totam sensit acerba crucem.

Sacris stigmatibus insignitum, & insuper spinea corona redimitum vidit S. Dominicum, dum Florentiæ Missam celebraret.

69. Sacris hisce stigmatibus insignitum, vidit pia quædam devotáque fœmina Benedicta, & insuper spineâ coronâ redimitum, dum Florentiæ Anno 1224. Missæ sacrificium DEO offerret; quod tum P. Thomas à Templo, ejus Socius, tum B. Alanus à Rupe testatur, qui hoc sibi à B. V. revelatum fuisse jurejurando asserit Exemplo 11. de Rosario. Quæ stigmata obtinuit à Domino suo Dominicus, pro egregia sua humilitate, ut non omnibus essent conspicua.

P. Gualterus Germanus Prædicatorum Ordinis expertus est dolorem quinque stigmatum Christi.

70. Eisdem Christi stigmatibus circa Annum 1264. insigniri voluit Deipara P. Gualterum Germanum, Virum Theologiæ scientiâ pietatéque, ac orationis donô, mentísque in DEUM excessibus clarissimum. Hic aliquando in Minoritarum quodam Cœnobio Hospes, cùm acerbissimos Christi patientis dolores mente revolveret, ipsi commoriens, ac totus amore lan-

guens, adeò vehementes in manibus, pedibus, laterèque cruciatus expertus est, ut præ doloris magnitudine maximos rugitus cordis, Domino illi sua imprimente stigmata, cum audientium non parva admiratione ederet: atque ita experiri meruit Vir hic pientissimus, quod in vita tantopere scire desiderabat, quis nimirum qualísque doloris gladius beatissimæ DEI Matris cruci astantis animam, moriente Christo transfixerit; dolores enim illi manuum, pedum, ac lateris adeò excessivi, quos persensit; fuêre totidem Virginei doloris cor penetrantes gladii. Unde quia sine dubio, præ ardentissimo hosce Virginis dolores experiendi desiderio, identidem orabat: *Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo validè:* pro sua insigni tam in passionem Domini, quàm in Virginem pietate, exaudiri promeritus est.

71. Eisdem sacris stigmatibus sanctimoniales ejusdem familiæ Virgines non paucas cœlestis Sponsus, Matre suâ patrocinante, decorare voluit: Inter quas jure agmen ducit S. Catharina Senensis. Quod cœleste donum, decus ac gloriam, licèt nonnulli nescio, quo Spiritu ducti, tantæ Virgini, tamque Christo dilectæ Sponsæ invidentes, eam obfuscare attentârint, dum ejus Icones, stigmata hæc repræsentantes, tollendas esse clamitarent, Urbanus tamen VIII. pontifex Max. in Breviario Romano inter secundi Nocturni lectiones, hæc æternæ memoriæ mandanda censuit: Cùm Pisis immoraretur, die Dominico refecta cibô cœlesti, & in ectasin rapta, vidit Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex ejus vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca sui corporis descendentes, ideóque mysterium advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, continuò radii colorem sanguineum mutârunt in splendidum, & in formam puræ lucis pervenerunt ad manus, pedes, & cor ejus, ac tantus erat dolor, quem sensibiliter patiebatur, ut nisi DEUS imminuisset, brevi se crederet morituram. Hanc igitur gratiam amantissimus Dominus novâ gratiâ cumulavit, ut sentiret dolorem illapsâ vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse; cùm DEI famula confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repræsentaretur, radios in B. Catharinam ad dicta quinque loca pertingentes, piâ fidelium curâ pictis coloribus expressit.

S. Catharina Senensis Ord. Præd. SS. Christi stigmatibus condecorata.

72 Eândem Sacrorum stigmatum gloriâ B. Helena Hungara, Magistra in Spiritu S. Margaretæ Hungariæ Regis Filiæ, circa annum 1270. decorata fuit, Uti Vincentius Justinianus, Leander Bononiensis, & Castelfrancus cum Abrahamo Bzovio attestantur. Postremus hic in suis Annalibus Anno 1270. B. hujus Virginis præclariora facinora ita descripsit: *B. Helena Hungara à vehementissima Dominicæ Passionis contemplatione, stigmata in manibus, & latere dextro, quæ videri poterant, Christo imprimente accepit. Quo tempore, cùm die Festo S. Francisci, Vulnus dextræ ejus manus, paulò antequàm moreretur, cicatrice obduceretur, circulus in vola lilium candidum inclusum continens, apparuit; quod, cùm illa aspexisset, vociferata est: Ne fiat quæso istud mi JESU! nec appareat oro istud, mi Redemptor! Frequentiùs cùm oraret, corpore in aëra elevabatur, Cœlestes quoque Angelorum melodiæ circùm illam personantes, nec non sanctorum plurium illi colloquentes audiebantur, lumina Cœlitius accensa coram illa apparebant. Aliquando nocte concubiâ, illâ orante, ante Christi Cruci affixi I-*

B. Helena Ord. Præd.

mag-

mago, se à stipite explicavit, inque amplexus B. Helenæ delapsa, nulla vi accurrentium Sororum avelli ab ejus brachijs potuit. Ingenti devotionis ardore erga sacram hostiam flagrabat, quam, cùm à confessario habere nequiret, Salvator ipse visibilis eam Virgini porrigebat. Moritura se Salvator præsentem exhibuit, eámque ad immortalis vitæ palmam evocatam, multis miraculis illustravit. Ob quæ, cùm post Annum 17. Corpus ejus in alium locum transferretur, sepulchrô effossô, terra inprimis aliquot palmis aëre suspensa, suprà ejus cadaver visa est, ne scilicet illud obrueret; deinde ex illius corpore, cùm quidam aliquid recidere tentâsset, vivus sanguis emanavit. Ex vulnere quoque lateris tunc sua sponte aperto, odorati liquoris vena, instar purissimi balsami scaturivit, totámque viciniam recreavit.

Birgitta Ord. Præd.

73. Quid Birgittam, Virginem illam Batavam commemorem? quæ cùm in dies singulos acerbissimos Christi Domini cruciatus, ejúsque Matris sanctissimæ dolores, mente miro charitatis ardore revolveret, & inter eorum meditationem exardesceret, ac pene colliquesceret, dolores hi & maximè sacratissimorum Salvatoris vulnerum in corpus etiam redundârunt: Unde factum, ut manibus, ac pedibus ac ipso latere eadem referret, ut refert Antonius Senensis decade 1390. & Martyrologium Prædicatorum, in quo ita legitur: Soror Birgitta Virgo in Hollandia præstantissimæ sanctitatis, cui Christus Dominus apparens, sacra sua quinque vulnerum stigmata impressisse proditur.

Osanna Ord. Præd.

74. Quid Osannam, Virginem Mantuanam, generis nobilitate æquè ac vitæ sanctimoniâ illustrem? hæc cùm Passionis Dominicæ contemplandæ mirô studiô teneretur, & ipsos annos 12. à Christo sua sibi quinque vulnera infligi postularet, tandem amantissimus Sponsus eam voti compotem effecit; Quintô siquidem Calendas Martij, cùm illa mirâ divini amoris flammâ æstuaret, adfuit illi conspicuus è Cruce pendens Dominus, eiq; manuum ac pedum affixis clavis capitique à spinarum aculeis cruciatus probandos concessit, quos illa adeò graves ac vehementes experta est, ut triduum omnino omnis Sensûs expers jacuerit, dubitaréntque, qui eam vidêre, num viveret. Post annos aliquot rursus Christus Osannæ se se spectandum exhibuit, eique communia confossi sui lateris tormenta fecit, quæ illa Confessario suo omnino acerbissima esse fatebatur, quibus tolerandis naturæ solis viribus par esset nemo. Cùm vice quadam solitô graviores hos lateris dolores experiretur, advertit se se prodere hiulcum vulnus, quod ne patesceret, carnémque aperiri sineret, multis cum lacrymis rogabat Sponsum, unde intra hoc, cum Christo tam amorosi certaminis tempus insolitô quôdam pallore vultus ejus obductus visebatur.

B. Lucia Narniensis, Ordinis Prædicatorum.

75. Quid denique B. Luciam Narniensem comemorem? hæc Viterbij die quadam ad Crucifixi pedes ferventiùs orans, pro ingenti, quô totos jam decem annos arserat desideriô, uberrimísque lacrymis expetierat, à Christo recepit manibus, pedibus, laterisque insculpta sacrorum illius vulnerum stigmata. Ac primò quidem à postrema Februarij die ad Dominicam usque passionis conspecta ea sunt livida planè, carne nonnihil prominente, in formam Carolini nummi Italici, postmodùm verò hiulca, cruenta, & suaveolentia. Horum patentium vulnerum, cùm passim percrebuisset fama, & ad aures Alexandri VI. Pont. Max. pervenisset jussit de eorum veritate accuratissimè inquiri, reique veritate compertâ tanti facti sunt nobiliorum præsertim virorum ac fœminarum

ad prodigium horum vulnerum visendorum concursus, è remotis etiam Europæ regionibus, ut ei vix vivere liceret; Unde ipsa Virgo pristinæ solitudinis, secretíque amantissima, rogavit obnixè Sponsum, ut vulnerum cruciatus augeat, sed quæ orbis miratur patentia stigmata, pro suo in illam amore tollat, eáque intimis præcordijs infigat. Audijt autem Amantissimæ suæ Sponsæ preces Christus, & cùm jam Lucia septem ipsis annis vulnera illa gestâsset conspicua, hiantia ac cruenta, exteriores illorum in manibus, pedibusque notas elanguere, sensímque extingui permisit hiante tamen semper, sempérque cruento lateris vulnere. Ex quo postmodùm, cùm aliquando copiosus cruor profluerent, Virgo sanguine pene exhausto, exanimis jacuit: Cui mox benignissima DEI Parens adfuit, Puerum speciosissimum JESUM ulnis gestans, qui Luciæ latus dexterâ illâ, quâ cælos universámque molitus est Creaturam, ubi contigit, mox cruorem profluentem repressit, vulnus persanavit, exigua dumtaxat cicatrice relicta, átque ita Luciam pristinæ integræque valetudini restituit.

76. Néque hoc nostro sæculo, Cœlestis Sponsus sacratissimis illis nostræ redemptionis signis Virgines aliquas decorare, earúmque manibus pedibus laterique sua vulnera, velut summi sui in illas amoris pignora imprimere prætermisit. Inter has fuit MARIA à S. Dominico, de qua Vincentius Justinianus Antistius Disp. de S. Catharinæ Imag. §. 8. *Pene oblitus fueram*, inquit ille, *optimæ illius Virginis MARIÆ à S. Dominico, quæ 33. ætatis annô exactô, cùm adhuc nostri Ordinis Tyrocinia ageret, in eum locum migravit, ubi perenni fælicitati sedes est constituta. Ab infantia enim, parentum, quos haud ignobiles habuit, Christianâ educatione ac disciplinâ, divinis officijs mancipata, átque in Adolescentia tum à Jesuitis, tum à nostris piissimè instituta, exiguô vitæ curriculô in eam sanctitatis magnitudinem progressa est, ut in tota ferè Bætica, tanquam DEO charissima haberetur, & erat: & postquàm animam egit, ejus corporis venerandi causâ, ex vicinis populis incredibilis gentium concursus factus fuerit. Hæc præter rerum omnium Conditoris beneficia, Christi doloribus in capite, in corde, in manibus átque pedibus cruciabatur, ad eum modum, quo B. Catharina Senensis.*

MARIA à S. Dominico Ord. Præd.

77. Claudat harum Virginum, pretiosissimô Agni immaculati Sanguine rubricatarum Agmen Columba Virgo Trocasani, quæ biennio post MARIAM jam memoratam in Cœlos evolavit. Hæc cùm adhuc in tenera ætate se se clientelæ B. V. dedidisset, eíque officii pensum consuetum quotidie persolveret, & ab ea per plures dies cibum cœlitus acciperet, tandem cùm ante Christi de Cruce pendentis simulacrum ardentiùs oraret, dolorésque vulnerum ejus recoleret, eam demum consecuta est gratiam, ut Salvator quinos ex manibus, pedibus, ac latere radios in illam ejacularetur, eadémque ipsius membra feriret; qui tamen illi nec dolorem ullum, nec stigmata, inusserunt sed ingentem potiùs in Virginis corde pietatis, amorísque flammam accenderunt, adeò, ut quoties cruci affixum Dominum cerneret, toties illi cor colliquescere, viscera disrumpi quodammodò viderentur. Ex hoc amoris incendio, accensum in illa fuit vehemens desiderium, ipsorum vulnerum dolores sentiendi, quos cùm sæpiùs ardentiùs expeteret, voti compos facta est, adeóque illos atroces experta est, ut pedibus insistere nequiret. Qui quidem tam acerbus doloris sensus nec tunc, cùm Priorissæ officiô fungeretur,

Columba Ord. Præd.

retur, eam deseruit: Unde rogandus ipsi Dominus fuit, ut quô munia sua obire posset, aliquantulum temperarentur, quod & impetravit; licèt feriis sextis recrudescere fuerint soliti. Cùm aliquando cruciatus illos, quos Christus ab atrocibus illis lanistis ac carnificibus ad columnam alligatus, flagrísque horribilibus cæsus patiebatur, profundiùs ardentiúsque meditaretur, sensit sibi brachia cruráque adeò stringi, ut in terram præ doloris acrimonia corruerit, unde à sanctimonialibus lecto imposita, totum illum diem extra se posita, abysso Christi cruciatuum quodammodò immersa transegit. Cæterùm in brachiis ac cruribus ad mortem usque patentia tanti cruciatûs retinuit vestigia.

Aliæ plures Sanctimoniales Ord. Præd. sacris Christi vulneribus insignitæ.

78. Missam facio Catharinam Ricciam Florentinam, Stephanam Soncinatem, Hieronymam Carvallo, MARIAM Raggij, Blancham, Gusmanicam, alteram Catharinam Raconisiam, Ursulam denique Aguiriam, Valentinam, admirandæ sanctitatis, & in Christi ejúsque Matris doloribus meditandis eximiæ ardentissimæque charitatis Virgines, quæ omnes, dum Christi Vulneribus divinitus fuerunt insignitæ, átque decoratæ, quid aliud egisse apud Sponsum, ejúsque Virginem Matrem ardentissimis suis desiderijs visæ sunt, quam ut amoris suavissimi vinculis, funiculisque charitatis ad montem myrrhæ traherentur; & Crucifixo Domino, Matrique afflictissimæ in passione, doloréque conformes, atque quàm simillimæ evaderent? Has igitur Virgines, cum ipsarum Regina Deipara nobis ob oculos proponamus, cúmque illis ardentissimis patiendi pro Christo, anhelantes ad montem myrrhæ, cruciatus Christi identidem magna cum pietate revolventes conscendamus: Sic enim fiet, ut, si non stigmata Salvatoris, at saltem pro ipso adversitates, tribulationésque in hoc mundo occurrentes, patiendi amor cordi nostro imprimatur, ardénsque illud mortificationis membrorum corporis nostri studium in nobis accendatur: ad quod nos tantopere hortatur Apostolus ad Colossenses cap. 3. 5. Scribens: *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam &c.* Quod, si præstiterimus nos quoque pro modulo nostro dicere poterimus cum eodem Apostolo: *Christo confixus sum cruci, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et rursus Gal. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

79. Denique: *Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini JESU in corpore meo porto.* Quæ utique credenda non sunt fuisse vulnera, ad imitationem Salvatoris ejus corpori inflicta, sed verberum potiùs cicatrices, carnísque mortificationes, amore Domini Salvatoris exantlatas, quibus verus esse servus Christi dignoscebatur. Ubi Audiendus S. Anselmus, qui sic Paulum loquentem introducit. *Ego quasi servus ex fuga retractus, & per serviles notas cauteriatus, in toto corpore meo Cicatrices vulnerum, quæ pro Christo passus sum, porto, & variis injuriis affligor:* Stigmata enim propriè vocantur serviles notæ, quibus inurebantur servi, vel fugæ, vel alicujus culpæ convicti. Ex eisdem verbis Apostoli alium sensum elicit Anselmus, qui afflictis in hoc mundo miram afferre potest consolationem. *Ego sum ex familia Christi: ego sum annumeratus in militiam Regis æterni, quod multiplices plagæ in corpore meo per*

Ad Pass. Christi & dolorum V. meditationem adhortatio.

iccatrices ostensæ designant: Stigmata enim vocabantur signa quædam, quæ in manibus militum fiebant, per quæ recognoscebantur esse de militia Romani Imperatoris: Sic & Paulus non unâ tantùm corporis, sed multis & varijs partibus gerebat notas, & signa plagarum pro Christo perpessarum, per quas miles fortissimus summi Regis esse declarabatur. Sic Anselmus. O si nos quoque saltem hujusmodi stigmatibus iniuriarum, tribulationum, persecutionum, flagellorum & plagarum, amore Salvatoris toleratarum, aliquando inuramur! Fælices nos sanè ac ter beatos omnes æqui rerum æstimatores censebunt: Quia hac ratione Christo ejúsque Matri nos hìc conformantes, eisdem quoque in æterna illa beatitudine cœli gaudiis, deliciísque delibuti conformabimur. Gloriosissimam igitur Virginem Deiparam, cujus cor totius Christi passionis animatum quoddam speculum extitit, nobis ob oculos proponamus, eámque non modò in sanctæ mortificationis virtute, verùm etiam in omnibus aliis, quas plantæ illæ, de quibus hactenus tractavimus, repræsentant, imitemur, út cum Virgine his virtutibus in hac vita exornati, tandem in Cœlis exaltari, ac vivificari digni habeamur. Ad quod faciendum Venerabilis Hugo de S. Victore Ser. de Assumpt. nos adhortatur: *His Dilectissimi*, inquiens, *Virtutibus Beata DEI Genitrix exaltata fuit in mundo per meritum, & nunc exaltata est in cœlo per præmium. Solennitatem ergo Sacratissimæ Virginis celebremus devotissimè, & eam pro viribus imitemur, ut & nos qualicunque modulo simus quasi Cedrus per incorruptionem, quasi Cypressus per fortitudinem, quasi palma per victoriam, quasi plantatio Rosæ per compassionem fraternam, quasi Oliva per Misericordiam, quasi Platanus per operationem bonam, quasi Cinnamomum per laudem & gratiarum actionem, quasi Balsamum per bonam opinionem, quasi Myrrha per carnis nostræ mortificationem. Imitemur eam in bona conversatione, ut ejus meritis, & precibus cum ea Sociari mereamur in beatitudine. Amen.*



DISCURSUS XIII.
VIRGO DEIPARA STORAX PARADISI.

Quasi Storax vaporavi habitationem meam. Eccl. 24.

1. Dioscorides lib. 1. cap. 68. *Storax*, inquit, *est lacryma sive arbor, malo cotoneo similis, præfertur pinguis, flavus, resinosus, albicantibus grumis, quàm plurimùm in sui odoris gratia permanens, qui, dum mollitur, melleum liquorem reddit. Ex Storace fit unguentum styrocinum, quod capillos non modò bono odore, sed etiam flavô colore imbuit, & infucat.*

2. Dionysius Carthusianus: *Storax vocatur*, inquit, *& est species resinæ, & arbor Arabiæ, & bona eligitur, quæ manibus potest mollefieri. Hæc confortat matricem, & crescit in locis aquosis, átque immensùm jucundum reddit odorem, éstque similis arbori mali*

mali Citonij, cujus virgula lacrymas fundit, & quasi melleum emittit liquorem.

3. Hugo Cardinalis: *Storax utilis contra pulmonis ulcera, sic sapientia contra locutionis peccata. Est autem storax arbor Arabiæ, de cujus Virgis fluit lacryma munda & albida, quæ solis calore exsiccata, fit unguentum, quod etiam dicitur Storax.*

4. Plinius denique lib. 12. cap. 17. scribit: Sabæos merces suas in Syriam importare, & exportare inde Storacem, quô domos suas suffumigent, cujus odore molliora quæque odoramenta, quibus abundant, abigant. Storax enim suavem quidem reddit odorem, sed planè masculum. Eundem ad serpentes fugandos urunt in odoriferis Sylvis frequentissimos. Et lib. 24. cap. 6. *Medetur tussi, faucibus, pectoris vitiis: Invenio, potu modicô tristitiam animi resolvi, largiore contrahi.* Hæc Plinius.

5. Storacem porrò, sive pro arbore, sive pro ejus resina accipiamus, Symbolum esse Beatæ Virginis Deiparæ testatur Richardus à S. Laurent. lib. 12. *Est arbor Arabiæ*, inquit, *quæ interpretatur campestris, quia campus fructifer & latus ac studiosè excultus: Similiter & B. Virgo studiô Spiritûs sancti agricolata est, & exculta, nobísque attulit preciosum illud frumentum, quô in Sacramento pascuntur homines & Angeli. Lata etiam est per multitudinem, & viscera pietatis. Hujus arboris gutta primò candida est, posteà calore solis fusca efficitur. Hæc gutta Christus Dominus candidus per innocentiam & animæ puritatem, quia peccata non fecit, calore solis, id est, fervore passionis quasi flavus factus est, vel quasi subrufus. Unde dicit Sponsa: dilectus meus candidus & rubicundus: similiter & B. V. candida per Virginitatem sed in Filij passione flava facta est, & quasi subrufa per compassionem. Hinc ait* Cant. 1. *fusca sum, quia decoloravit me sol, Christus videlicet, cui mente compassa sum. Pinguis est hæc arbor Virginea ob devotionem, quam suis famulis subministrat. Illius & Filij verba sunt illa, quibus promittit hanc pinguedinem obedientibus sibi* Isa 55. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Est mellei liquoris Arbor hæc. Ipsius ut & Filij verba sunt illa* Eccl. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & Favum. Est item iucundi odoris. Tam Mater siquidem, quàm Filius in his, qui Salvi fiunt, sunt odor vitæ in vitam* 2. Cor. 2. *Arbor hæc, ipsiúsque resina, quæ sunt infrigidata, calefacit. Hinc MARIA per Abisag Sunamitidem signatur, quæ David frigidum calefecit.* 3. Reg. 1. *Dura emollit: Hinc dicit cum Filio auferam à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum* Ezech. 26. *Curat oculorum lippitudinem, dum tribuit virtutem discretionis. Curat denique tussim, id est, cogitationes & curas superfluas.* Sic Richardus.

6. Audiendus hìc Hugo de S. Victore, qui in Instit. Monast. Ser. 55. de festo B. Virginis, in Storace, velut in Imagine Deiparam agnoscit: *Storax, inquiens, ut Physicorum libri narrant, in potu sumptus, raucitatem aufert, vocem clarificat, unde congruè gratiam divinæ laudationis figurat, quam gratiam B. Virgo luculenter habuit: quia per Elisabeth de sua credulitate beatificata, laudes DEO decantans ait: Magnificat anima mea Dominum. Quasi Storax itaque fuit, quia voce à peccati raucitate per supernam gratiam clarificata, laudem DEI dignissimè decantavit.* Sic Hugo.

Storax gratiam divinæ laudationis figurat.

7. Verè tunc gratiam clarè absque ulla raucedine canendi habuit Virgo Deipara, cùm uteri sui pudicissimi, simúlque purissimi hospitiô, exceptô Dei Filiô, mirificis incedens lætitiis, cœlestibus perfusa gaudiis, divinis delibuta

deliciis, canticum illud canticorum omnium suavissimum, quô tantô cum amoris affectu gloriam illius summæ infinitæque Majestatis extulit, ac magnificavit, modulata est. Verè charitate suavitatéque vocis, absque ulla raucedine in supremo laudando Numine claruit Virgo nostra: Si enim Origene teste, uti paulò post dicemus, raucedo hominis peccatum est, raucedine hâc Virginem caruisse necessum fuit, quæ ab omni omnino peccato, ab ipso primo immaculatæ conceptionis momento libera fuit, utpote cui dicitur à Sponso Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Addit Idiota: nec Originalis, nec mortalis, nec Venialis.

Sine raucedine DEO canebat B. V. quia peccato caruit quæ per raucedinem significatur.

8. Canentem adeò clarè Suavitérque Deiparam, præfiguravit Debbora bellatrix àtque Heroina invictissima, quæ ita canticum illud Suû reportatâ de crudelissimo illo hoste Sisarâ illustri Victoriâ, auspicata fuisse memoratur: Judi. cap. 5. *Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam DEO Israël*, quæ verba argutè, uti consuevit ponderans Adamantius Origenes Homil. 6. in lib. Judic. ita loquitur: *Quis putas, ita canoræ vocis est, & ita Spiritus puræ mentis, qui syncerè canet, ut cantilena ejus divinum delectare possit auditum? ille profectò est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in Spiritu gerit, ille potest rectè dicere. Ego Domino cantabo, Psallam DEO Israël.* Quòd si vir hic doctissimus Debboram, umbram duntaxat Virginis nostræ, raucedine peccati, ad dulce illud melos defæcata voce immunem censuit, quid de ipsa Deipara, sancta sanctorum omnium ac purissima, quæ ea puritate, ut loquitur S. Anselmus, enituit, quâ major sub DEO nequit intelligi, existimandum est?

Suaviter canentem Deiparam Debbora figuravit.

9. Et verè decebat Incarnationis divinæ tempore, novum Canticum Domino Virginem nostram clarissima voce modulari. Tempus enim illud, fuit tempus musices, dies novorum Canticorum ac melodiarum. Hoc, ut faceret, eam docuerunt Angelorum Chori: *Gloria in Altissimis DEO, & in terra pax hominibus &c.* Concinentes. Imò Clemens Alexandrinus in Exhort. ad gentes, *Ipsam Verbi Incarnationem, musicam quandam divinam, canticum novum, & Cœleste quoddam carmen, è cœlis in terras eructatum affirmavit.* Idem docet lib. 2. Pœdagogi cap. 4. *Nomen JESU dulcissimum, factum esse hominum psalterium decachordum, quod Nomen hoc à litera I. Quæ apud Græcos denarium significat, desumat initium: & hoc voluisse Davidem, cùm ad laudes DEO persolvendas nos adhortabatur* Psal 23. *Confitemini Domino in Cithara, in Psalterio decem chordarum psallite illi.* Senserat mortalis ille Seraphinus S. Pater Franciscus Incarnatum Verbum, ejusque nomen, Psalterium esse decachordum, idque suavissimum, cùm, ut scribit S. Bonav. c.20. vitæ ipsius. *Nomen JESU exprimeret, vel audiret, jubilô quôdam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutâsset auditum: Unde in Psalmis recitandis, cùm Nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur.* Hinc Arnobius, & S. Chrysosto. in Psal. 97. S. Basilius & S. Augustinus in Psal. 32. ac denique Hilarius in Psal 143. Sensêre: cantare canticum novum nihil esse aliud, quàm DEI Filij Incarnationem annunciare, laudibúsque eandem, toto terrarum orbe celebrare.

Incarnationis tempore Deipara Clarissima voce modulata est Laudes Dei.

Incarnatio musica Nomen Jesu Psalterium decachordum.

S. Franciscus Seraphicus senserat Nomen Jesu Psalterium esse decachordum.

Quod sanè sacratissima Virgo nostra præclarissimè præstitit, dum ab omni raucedine peccati libera, voce, exultanti jubilantique Spiritu

car-

carmen illud Domino decantavit.

Deipara gratiam divinas laudes modulandi etiam aliis impertita est primùm MARIÆ Ogniacensi.

10. Ut porrò eadem Virgo sanctissima Storacem, raucedinem, tussim, & faucium pectorísque angustias tollentem, claritatémque vocis communicantem se esse ostendat, gratiam hanc divinas laudes modulandi etiam alijs impertita. Talis fuit MARIA Oegniacensis, quæ floruit circa Annum 1213. Hujus vita, perpetuus quidam laudum Deiparæ, ísque suavissimus fuerit concentus (Siquidem intra 44. horas quandoque millies centies flectens genua, illam salutabat) digna fuit, quæ paulò ante mortem placidissimè præsente Christo, ejúsque Matre & Apostolis omnibus, ex hac vita decedens, canticum Magnificat, decantaret; quod in præmium Virginitatis, quam cum Viro suo castissimô matrimoniô juncta semper illibatam servavit, ut scribit Cardinalis de Vitriaco, illi à Deipara concessum fuisse existimârim. Virginum enim proprium hujusmodi nova cantica concinere, esse consuevit. Unde S. Joannes Apoc. 14. scribit, se vidisse *Agnum stantem supra Montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes Nomen ejus, & Nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis: & audivi,* inquit, *vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audivi, sicut Citharœdorum citharizantium in citharis suis: & cantabant quasi canticum novum, & nemo poterat dicere Canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra; hi sunt, qui cum Mulieribus non sunt coinquinati Virgines enim sunt; Hi sequuntur Agnum, quòcunque ierit.*

Item Joanni Berchmans S. J.

11. Eandem hanc canendi gratiam Angelico illi nostræ societatis Juveni Joanni Berchmans concessam à Deipara, in postremo suæ mortis articulo, Hymnum: Ave Maris stella: figuratè modulandi, cum artis Musicæ omninò esset ignarus, fuisse collatam ut ex multis aljis, Ordinis præsertim Cistercienfis Tom. 1. D. 18. n. 100. & sequentibus fusè ostendimus.

Qui canendi sine peccati raucedine laudes divinas gratiam desiderat, ad Deiparam confugiat optimam cantatricem.

12. Quare quisquis gratiam & in vita, & in morte, divinas laudes absque peccati raucedine concinendi consequi desiderat, ad Virginem tanquàm optimam Cantatricem, Tympanistriam nostram, ut eam appellat Augustinus, accurramus, ejus devotionem, veluti Storacis suavissimum liquorem imbibamus, nanciscemur, totâque vitâ nostrâ quoddam Poëma, quo Heroica summæ ilius Majestatis facinora celebrabuntur, existet. Quod nobis insinuare visus est voluisse Apostolus Eph. 2. 20. Cùm dixit: *Ipsius sumus factura, creati, id est, redempti in Christo JESU in operibus bonis,* Ubi ex græco legitur αὐτοῦ ἐσμὲν ποίημα, hoc est: *ipsius sumus Poëma:* Quemadmodùm enim Poëma ad Heroum laudes celebrandas compositum est, ita homo ad beneficium Incarnationis ac Redemptionis præcipuè decantandum, à supremo illo Factore ac Fictore DEO conditus est. Hinc Clemens Alexandrinus in Exhortatione ad Gentes scitè pronunciavit: *Pulcher Hymnus DEI, est homo qui justitiâ ædificatur*: ac si diceret: Homo, qui per justitiam Christi redemptus est, & nova quædam creatura factus, aliud non est, quàm Hymnus, in quo divinæ ejus laudes, à quo redemptus est, velut elegantissimô quôpiam Poëmate comprehenduntur. Quare mundus hic, licèt alium Laudatorem non haberet, homo ipse sufficientissimus, & ipsius DEI, & Mundi hujus formosissimi laudator existeret. Quod sanè, si Propheta ille considerâsset, sciscitanti Deo post absolutam venustissimam hanc mundi fabricam, ut refert Philo Alexandrinus de

Tota vita hominis Poëma sit, & Hymnus de divinis laudibus.

Plantat: Noë; num aliquid creandum desideraret, maximè respondisset: Unum laudatorem: cùm homo, si suô officiô, ad quod tenetur, fungi velit, ipse unus vice creaturarum omnium, quas in se veluti parvus mundus compendiô admirabili complectitur, sufficientissimus sit laudator, Hymnus DEO dignissimus, canticum suavissimum, Carmen denique Heroicum ad DEI magnalia ac mirabilia toto terrarum orbe deprædicanda aptissimum.

Creaturæ omnes laudent DEUM, unde mundus præco, tuba, carmen DEI esse dicitur.

13. Néque enim homo, mutis, inanimísque, Sensûs omnis expertibus creaturis, deterior esse debet, quæ mirô tacitè ac silentiô DEUM laudant. Unde Regius Psaltes Psal. 148. Primò Angelos, postremò homines Reges terræ, & omnes populos, demum inter utrosquè cæteras creaturas ad DEI extollenda præconia invitat, ut, quem ordinem in creatione tenuerunt, eundum in laudatione retinerent. Vocem hanc creaturam cæterarum audierat idem Propheta Regius, sentiénsque sibi dulcissimâ harmoniâ aures demulceri, atonito similis exclamavit Psal. 28. *Vox Domini super aquas, vox Domini confringentis Cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, vox Domini præparantis cervos.* Quæ verba considerans S. Basilius in illum Psal. *Inanimata*, inquit, *elementa vocem habent à Domino, quia universa creatura conclamans Creatorem suum deprædicat.* Audiendus in hanc sententiam D. Ambrosius 2. Hexam. c. 4. *Mundi opus, cùm videtur, suum laudat Auctorem.* Audiendus & S. Gregorius Nazianzenus Orat. 43. in 9. Dominicam: *Omnia*, inquit, *DEUM laudant, & vocibus multis illum concelebrant: Totus enim hic mundus semetipsum oculis mortalium subjiciendo, atque objiciendo magnus quidam supremæ illius Majestatis Præco esse videtur.* Hinc S. Chrysostomus in Psal. 137. præclarè enuntiavit. *Nulla est pars creaturæ, & supernæ & infernæ, quæ non emittat vocem quâvis tubâ clariorem, prædicantem Nominis tui magnificentiam.* Hanc crediderim ob caussam à Divo Augustino lib. 11. de. Civitate cap. 18. *Mundum seu Ordinem sæculorum, carmen pulcherrimum fuisse appellatum.*

Omnes creaturæ DEUM laudant, dum homo eas considerat.

14. Carmen hoc Creaturarum omnium DEUM collaudantium in in silentio Regius Vates Psal. 148. *Confessionem DEI in Cælo & in terra* vocitavit. Quam confessionem trutinans jam memoratus S. Doctor: *Quid est*, inquit, *Confessio ejus in cælo, & in terra? quia ipse confitetur? Non, sed quia illum omnia confitentur, omnia clamant, omnium pulchritudo quodammodò vox eorum est confitentium Dominum. Clamat Cælum DEO, Tu me fecisti, non ego, Clamat Terra, me condidisti, non ego, quomodò ergo clamant ista? quando ea consideras, & hoc in eis invenis, ex tua consideratione clamant: Confessio ejus in cælo & in terra. Attendo cælum, pulchrum est; attendo terram, pulchra est; utrumque simul valde pulchrum est. Ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu gubernantur, ipse traijcit tempora, momenta ipse instaurat, se ipsum instaurat: omnia ergo ista laudant illum, sive in statu, sive in motu, sive de terra deorsum sive de cælo sursum &c.*

Homo ad hoc creatur, ut totum se divinis tradat laudibus.

15. Cùm igitur creaturæ omnes etiam mutæ atque insensibiles DEUM confiteantur & laudent, cur homo, cui supremus ille sapientissimúsque Artifex intellectum contulit, quô eum cognosceret, voluntatem, quâ diligeret, os & linguam, ut laudes ejus enarráret non fiat totus ejus Carmen ac Poëma, & primitias suarum cogitationum, verborum, actionúmque omnium, velut terra fertilis uberrimos illi fructus non proferat, Deiparámque Vir-

Virginem æmuletur, & absque raucedine peccati, voce purâ ac clarâ, Creatoris sui gloriam ad cælos usque non extollat? Hic nobis rursus loquatur S. Chrysostomus Tom 5. Homilia, quam habuit, cùm novus Presbyter est designatus, ubi Verborum primitias nos DEO consecrare debere asserit, perinde atque agrorum fructus Agricolæ consueverunt. *Cupiebam*, inquit ille, *primum in Ecclesia dicturus proœmium, primitias illi dicare, qui linguam hanc nobis dedit, nimirum DEO: át que ita, sanè fieri oportuit: Néque enim areæ tantum ac vinarij lacus, verùm etiam verborum primitias oportet, DEO persolvere, multóque magis verborum, quàm actionum; quin etiam ùt ad nos fructus hic magis pertinet, ita ipsi DEO, qui honoratur, acceptior est. Botrum enim & aristam suô terra emittit gremiô, alit plurimum irrigatio, colit agricolarum manus: Sacrum Hymnum parturit animi pietas, alit bona conscientia, Deus in Cælestia recipit horrea. Porrò quantò præstantior est animus terrâ, tantò hæc illâ melior est oblatio. Quapropter* Oseas 14. *eos, qui DEUM offenderant, parabántque illum sibi propitium reddere, hortatur: Afferte vobiscum néque simila mensuras tot, aut tot, néque turturem, néque columbam, vel his similia: sed quid? Ferte vobiscum verba: & quale Sacrificium dixerit aliquis sunt verba? Maximum quidem ac splendidissimum, cæteris omnibus præstantius: & quis ita dicit? Is, qui hæc omnia novit, maximè magnus ille David; Is enim cùm aliquando DEO gratiarum actiones immolaret pro victoria, quam ex hoste retulerat, ita loquitur: laudabo nomen DEI mei cum Cantico, & magnificabo eum in laude. Mox hujus Sacrificii præstantiam nobis aperit? Et placebit DEO super vitulum novellum cornua producentem & ungulas.* Ut ostendat porrò DEO laudes, absque raucedine peccati, voce ab omni labe purissima, esse persolvendas, ita prosequitur: *Cupiebam igitur & ipse hodie has mactare victimas; Sed quid faciam? Vir quidam sapiens obturat mihi os, deterrétque: non est, inquiens, speciosa laus in ore peccatoris* Eccli. 15. *Quemadmodùm enim in coronis non sat est, flores esse puros, nisi pura sit & manus eas contexens, sic & in sacris hymnis oportet, non verba tantùm esse pia, verùm etiam animum hymnos concinentem. At is mihi impurus & fiduciæ vacuus, utpote multorum plenus scelerum.* Hæc Chrysostomus. Quibus sanè luculenter ostendit, Hominem totum se se divinis laudibus debere impendere, à quo os, linguam, cæteráque membra omnia, & quidquid habet, mutuatus est, conandúmque illi, ut à peccati raucedine immunis, si gratum DEO canticum ac Poëma esse desiderat, inveniatur. Quod sanè facillimô negotiô consequetur, si ad Virginem pro auxilio impetrando accurrerit: Cùm enim illa Storax sit, resinâ suæ benignissimæ gratiæ vocis charitatem illi tribuet, efficiétque, ut vitæ suæ puritate choros illos centum quadraginta quatuor millium Virginum, sequentium Agnum, quocúnque ierit, æmuletur, concinátque novum illud Canticum, quod Virgines illæ nivei illius agni insistentes vestigiis, dulcissimis vocibus modulatæ sunt.

16. Néque verò solùm Storacis liquor, vocis, gutturisque tollit raucedinem, sed & capillis suavem odorem, aureúmque quendam splendorem confert: Capillos humanas cogitationes esse dixerim, ut communiter Patres interpretantur, quas ubi Virgo nostra ceu Storax, gratiæ suæ liquore perfundit, non modò suavissimum odorem Divinæ Majestati exhalant, verùm etiam aureæ charitatis lucem eisdem affundit, ut nil aliud cogitare ipsius clien-

Storacis liquor capillis suavem odorem, aureúmq; quendam splendorem confert. Capilli humanas cogitationes denotant quos B. V. suæ gratiæ liquore perfundit.

clientuli posse videantur, quàm quod gratum acceptúmque supremo Numini esse intelligunt.

Deiparæ cogitationes odoriferæ & charitate aureæ ut Sponsus testatur Cant. 4.

17. Hujusmodi porrò cogitationes, nempe odoriferas, fragrantiâ suâ suavissimâ divinam illam Majestatem recreantes, nec non planè aureas, divinum scilicet amorem in Incarnatum Verbum habere Sponsam indicat illud ipsi à Sponso attributum elogium Cant. 4. v. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Ubi caput Virginis monti Galaad arboribus resiniferis, conferentibus colorem pulcherrimum capris se se illis adfricantibus, suavissimúmque odorem exhalantibus, capillos verò caprarum gregibus comparat. Cogitationes capillis designari, inter alios auctor est Guilielmus Abbas apud Delrium: Capilli, inquiens, de capite nati caput ipsum ornant, & muniunt, sine iis deforme est caput, & injuriis obnoxium. Caput animæ mens est, hæc emittit multiplicium capillos cogitationum, si bonæ sunt, muniunt, & ornant mentem. Tunc animæ cavendum, ne novacula ascendat super caput, & crines, in quibus sita est fortitudo, præscindat. Memoranda Sampsonis calamitas, & timenda fraus Dalilæ (hæc est caro nostra) cùm igitur capilli sive cogitationes Sponsæ similes fuerint odoratis ac flavis caprarum gregibus montis Galaad, odoratis resiniferísque arboribus plenissimi, quid mirum, si similes etiam suis clientulis cogitationes veluti Storax indiderit.

Similes cogitationes suis clientibus confert, quibus cavendum ne Dalila præscindat.

18. Easdem cogitationes capillis adumbrari docuit Richar. à S. Laurentio, qui libro 5. de laud. B. V. id fusè probat: Inter reliqua hæc habet: *Hujusmodi capillis, id est meditationibus, & Virginis cogitationibus sanctis, ornabatur coram DEO mens ipsius B. V. & erat magna pars internæ illius pulchritudinis, quam Rex Regum Christus Dominus concupivit, ac dilexit. Horum gratiâ ipsi DEO, Trinitati & sanctis Angelis amabilis & appetibilis habebatur, unde & dicebat ei: Revertere, revertere Sulamitis, ut intueamur te.* Cant. 6. *de his capillis dicitur Virgini* Cant. 4. *Capilli tui sicut greges caprarum. Greges caprarum, sunt greges omnium contemplativorum, qui acie contemplationis acutè vident, ut capreæ, & ad visionem cælestium ascendunt, de illo & per illum, qui est mons montium, qui est mons Galaad, in se coacervans omnia testimonia scripturarum: Galaad enim acervus testimonii interpretatur. His autem gregibus comparantur capilli Virginis,* id est, *Spirituales ejus cogitationes subtiles, & capiti suo Christo adhærentes.* Hæc Richardus. Idem sensit denique S. Amadeus Hom. 2. caput ejus, scil. Deiparæ mens dicitur, crines capitis sunt cogitationes cordis.

Per capillos meditationes divinorum Mysteriorum, quibus B. V. excelluit, intelliguntur.

19 Quàm porrò odoratæ, quàm aureæ, ut pote de divinitate, ejusdémque Incarnatione, cujus caput est aurum optimum, hæ Deiparæ cogitationes fuerint, ostendit Guilielmus, qui simul ait: his purissimis cogitationibus omnes sanctos, per capras significatos, in monte Galaad id est in Christo habitantes, se séque Spiritualibus pascuis oblectantes, multis parasangis, divinissimis hisce cogitationibus superâsse, *Capras*, inquit ille, *significare viros sanctos, eò quod capræ munda animalia sunt, & sancti quoque viri ab omni peccato mundati sunt per Christum, qui mons Galaad dicitur. Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde. Hi ascendunt in montem Galaad, sed & descendunt de illo. Quò autem ascendunt de illo, nisi in montem Galaad? Similes sunt Angelis ascendentibus, & descendentibus super Filium hominis.* Tum ad cogitationes sanctorum virorum in particulari de æterna Filij

Deipara omnes sanctos per capras significatos in monte Galaad, hoc est Christo habitantes longe superavit purissimis cogitationibus suis.

DEI

DEI generatione, ac temporaria descendens, ita prosequitur. *Cogitas Christum de Virgine Natum secundùm præcedentes Prophetias? Ecce jam tenes montem testimonij, montem Galaad. Cogitas Christum ex Patre natum ante omnia sæcula? ecce jam ascendisti de monte Galaad in montem Galaad, ascendisti de Christo ad Christum, de Christo homine, ad Christum DEUM. Multùm ascendisti, non potes ibi moras trahere, ne opprimaris à Gloria: Descende; cogitasti, quod dicitur? In principio erat Verbum, &c. Fideli cogitatione arduum verticem ascendisti, ascende ad hoc, quod dicitur. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Descende cœlipeta anima in gremium MARIÆ, ascende de monte Galaad in montem Galaad.. alternatim descende, & ascende, ut non tantùm videas cœlum apertum, & angelos illos ascendentes & descendentes super Filium hominis, sed & tu cum illis ascendere merearis.* Deinde ad odoratissimas ac planè aureas Virginis cogitationes, circa suum dilectissimum Filium, & quà DEUS, & quà homo erat, gradum faciens, ita loquitur: *Quis devotiùs ascendit, vel humiliùs unquam descendit hunc montem, quàm MARIA? ascendebat super Filiùm hominis, certissimè credendo, Filium esse DEI; descendebat super eundem, ei Maternæ pietatis solicitudinem humanissimè impendendo: levabat oculos contemplationis à gremio suo, úsque ad Summum Cœlum, & de cœlis cœlorum reflectebat eos usque in gremium suum demittens: Illic erat, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent: Hìc erat nihilominus idem, quem Evangelistæ contestantur i.e. hìc & illic acervus testimonii; sic alternabat pia Mater, cogitando à sinu suo usque in sinum Patris, ubi Verbum erat DEUS, & à sinu Patris in sinum suum, ubi Verbum caro factum: sic fide de Galaad monte ascenderant Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes justi, sed quis ut Deipara? illi tantùm ascendebant, quia crediderunt: hæc credidit, & contrectavit; & fides ejus longè excellentior, utpote singularis Ministræ Mysterij nulli à sæculis ante ipsam plenè revelati; Quia tamen non fides Virginis ad ejus majores, sed majorum fides ad ipsam pervenit, idcirco non dicitur; greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad, sicut capilli tui, sed dicitur: Capilli tu sicut greges caprarum, quæ ascenderunt, &c.*

Per montem Galaad Verbum incarnatum intelligitur in cujus consideratione sancti descendunt & ascendunt sicut Angeli in Scala Jacob.

Nec etiam dicitur: Capræ; sed greges caprarum, ut intelligamus fideles cujusque ante Christum ætatis, quia servaverunt inter se unitatem Spiritûs in vinculo pacis Ephes 3. 4. *Quasi gregem unum sub cura veri Pastoris fuisse: Singulæ ergo ætates suum gregem habuere usque ad plenitudinem temporis, in quo misit DEUS Filium suum in mundum.* Ostendit denique habere nos debere cogitationes, Virgineis quàm simillimas, masculas videlicet ac fortes, quò Tartareis hostibus assiduè insidiantibus generosè resistere, barbâ carnibúsque quasi caprinis instructi, valeamus. Undi idem Abbas pijssimus ita concludit: *Præterea hoc genus animalis conspicuum est barbâ & cornibus, etiam in sexu fœmineo: Cornua fortitudinem, barba virilem gravitatem ac industriam significat; B. Petrus nos docet habere cornua, cùm dixit.* 1. Pet. 5. *Adversarius vester Diabolus, tanquàm leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide: at Paulus barbatos nos esse voluit, cùm dixit.* 1. Cor. 14. *Nolite pueri effici sensibus. Denique si fortiter agas contra Diabolum & carnem, cornibus insignis eris, si formidolosè te subducas, & fugias à facie subsequentis, inermis, & sine cornibus eris. Item si cogites, ut Parvulus, sapias ut Parvulus, loquaris ut Parvulus.* 1. Cor. 13. *juvenis & imberbis: Si verò factus es vir, & evacuâsti, quæ erant parvuli, barbatus es: agendo fortiter, cornua te habere ostendis, agendo industriè barbam: utroque te capris*

Capræ cornua habent quæ denotant fortitudinem, habent & Barbam, quæ significat virilem gravitatem.

Galaad assimilabis: Spiritualia hæc ornamenta utrique sexui communia sunt, quia in DEO non est discrimen masculi & fœminæ, quia neutri sexui fortitudinem animæ, nec prudentiæ industriam denegavit; Sed utrâque laude Deipara, pro utroque sexu excelluit. Sic ille.

Ut capitis Christi capilli esse mereamur omne studium adhibendum est.

20. Cùm igitur Virgo nostra gloriosissima tam odoratis, aureisq; capillis sanctissimarum cogitationum, mentis suæ capacissimæ caput instructum habuerit, nos quoque hujusmodi cogitationibus, qui ipsius sumus clientuli, mentem nostram exornemus, oportet: Quod, ut fiat, Storacis hujusce Virginei liquore, gratiâ nempe ipsius utamur, eámque obsecremus, ut suis illis cogitationibus sanctissimis, animum nostrum imbuat, mentémq; nostram suum promptuariũ, quod tantopere sanctus exoptat Damascenus, efficiat. Audiamus S. Paulinum Epist. 4. ad Severum, nos ad horum capillorum Spiritualium cultum seriò exhortantem: *Studeamus*, inquit ille, *illis adornari capillis, quos DEUS numerabiles habet, sicut ipse dicit, sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt: Cujus verò ille capillos magis numerare dignatur quàm ejus, cujus ipse verticis caput est? (quales sunt præcipuè omnes MARIÆ Matris ejus clientuli) de quo dicitur: Caput ejus aurum Pax. Quo nomine probabilius aliquod, & purius aurum significari puto, sicut de terra Evilath: Hoc enim aurum forma sanctorum est, qui in capite corporis, ut lumina micant, & sunt aurum ignitum DEO. Summa igitur ope enitamur ita nos comparare, ut divini Capitis, quod nobis per gratiam DEI Christus est, crines, & aurum esse mereamur: ex ipso enim capite pullulat illa Cæsaries, de qua scriptum est: Capillatura ejus ut greges caprarum.* Sic Paulinus.

21. Si igitur cogitationes nostræ velut capilli sunt in capite nostro Christo, & circa ipsum velut objectum versentur assiduè, erunt sine dubio Virgineis simillimæ, & tam ab illo, cujus est caput, aurum optimum, & nomen unguentum effusum, quàm à Matre ejus sanctissima veluti Storace odorem suavissimum, aureúmque colorem sortientur.

22. Quocirca quisquis à fœdis impurisque cogitationibus mentem liberam habere, castásque ac sanctas sinu cordis confovere desiderat, Virgineô hôc Storace utatur, oportet: Divinas planè polliceor, imbibet cogitationes. Quod agnoscens pientissimus ille Vir, superioris sæculi illustre sidus, Joannes Avila, suadebat illis, qui impudicis cogitationibus divexabantur, ut Storace hoc uterentur, & ad patrocinium accurrerent Deiparæ, medullitus, animitúsque eam obsecrantes: *Per immaculatam Conceptionem tuam, ab impudicis inhonestisque cogitationibus libera me Virgo gloriosa.* Quam sanè precatiunculam, qui piè & generosa cum fiducia illi recitaverint, facilè cordis puritatem consequentur: Cùm enim illa, ut pote increatæ illius Puritatis Mater, fornicationibus vitiis, ut loquitur S. Damascenus orat 2. de Dormit: B. V. infesta sit, ejusdémque impuras & scelestas cogitationes, non secus ac viperarum fœtus abhorreat, consequens sanè est, ut, quod illa tantopere detestatur, à nobis tollat, cùm præsertim assiduis, humillimísque precibus ad id faciendum fatigatur.

Quisquis à fœdis cogitationibus mentem liberam habere desiderat Virgineo Storace utatur oportet.

23. Quid de illa Storacis dicemus proprietate, quòd ejus liquor, modicè potus, tristitiam animi resolvat, ut ait Plinius? Quod quàm aptè sanctissimæ nostræ Deiparæ congruat, luce meridianâ clarius elucescit: Ipsa siquidem, cùm Sara nostra amantissima, charitatéque adinstar carbonis in nos accensa fuerit, nobisque verum Isaac, hoc est, risum, cor-

Storax modicè potus tristitiam resolvit, quod B. V. præstat suis clientibus, cum Mater sit divini Isaac, qui idem significat quod risus, signum lætitiæ.

cordiúmque nostrorum sinceram lætitiam Christum JESUM pepererit, quî fieri poterit, ut quicunque mæsti ac tristes ad illam, cœli gaudium sinu gestantem accurrerint, animi tristitiam, quâ laborant, non resolvant, præsentissimámque afflictissimis suis rebus in hac lacrymarum valle inveniant consolationem? Unde D. Ambrosius lib. de Isaac & anima cap. 1. *Isaac ipso nomine figuram & gratiam significat: Etenim Risus latinè significatur; Risus autem insigne lætitiæ est: quis autem ignorat, quòd is universorum lætitia sit, qui mortis formidolosæ vel pavore compressô, vel mœrore sublatô, factus omnibus est remissio peccatorum? Itáque ille nominabatur, & iste designabatur, exprimebatur & annunciabatur,* Hæc Ambr. Quam ob causam S. Basilius Seleuciæ Archiep. orat. 39. ita Deiparam salutavit: *Ave gratiâ plena, lætos sume vultus, ex te enim omnium gaudium nascetur, qui solutô mortis imperiô, datâque omnibus resurrectionis spe, quietem afferet, inveterata execratione.*

Hoc agnoscens S. Damascenus in suis Hymnis sic illam affatur:

Misericordiæ fontem concepisti,
Hinc nobis compateris, bona DEI Genitrix.
Tu enim fideles Sola protegis,
Tu mœrentium es consolatio.
Quare tibi nunc omnes
In fide procidimus,
Ut malis solvamur,
Solô divites auxiliô tuô.

Et rursus in eisdem Hymnis:

Salve fons perennis Fluenti, salve Paradisi deliciæ,
Salve Turris fidelium,
Salve intemerata
Omnium lætitia.

24. Omnium voce communem lætitiam Virginem esse ostenderunt Angeli, cùm fœlicissima illa ipsius, in qua nata est luce, quæ fuit octava septembris, ipsa dies sabbati, exoriente Aurora, quotannis dulcissima cantica modulati sunt. Hanc Harmoniam, cùm in cœlo nocte Natalis Virginis quidam insignis ipsius amicus, vitam solitariam degens audiret, plurimúmque miraretur, àlio tempore minimè audiri; rogavit DEUM, ut sibi rei hujus causam patefacere non dedignaretur: Cui Angelus humana specie se visendum exhibens, eum ita allocutus fuisse memoratur: Virgo perpetua, quæ DEUM genuit, hac nocte nata fuit, quod, licèt ab hominibus ignoretur, ab Angelis celebre habetur. Quâ revelatione inquit Vincentius Belluacensis lib. 6. Spec. Hist. cap. 65. evulgatâ, ejus Nativitatis festum est institutum. Et quidem in Gallia, Fulbertum Carnotensem Episcopum, Deiparæ Studiosissimum, hunc diem festum celebrémque esse jussisse, sub annum 1017. Democharez auctor est: quam deinde consuetudinem tota Ecclesia magnâ universi orbis lætitiâ amplexa est, utpote in qua Virgo hæc velut pulcherrima Aurora, pulsis deterrimis peccarorum tenebris, quibus Protoplastorum scelere Mundus obvolutus, tot myriadibus annorum miserabiliter jacebat, nobis illuxit, & tanquam dies clarissima solem nobis justitiæ postliminiò revexit: Hæc enim est venustissima illa Jobi Filia, Dies appellata, quâ in universa terra nulla speciosior inter Filias hominum inventa est: Unde quid mirum, si hanc Reginam suam, quam laudant astra matutina, & jubilant omnes filii DEI, videntes mundum hunc ingredientem, Angeli velut aviculæ suavissimè concinunt, signáque lætitiæ planè singularis edunt?

Deiparam esse omnium communem lætitiam testantur Angeli dulcissima Cantica modulantes in anniversario Nativitatis B. V.

25. Ostendit quoque communem orbis esse lætitiam gloriosissimam Deiparam S. Elisabeth, & ipse san-

Idem testatur S. Elisabeth, & Joannes Baptista in utero Matris.

sanctissimus uterô ipsius adhuc delitescens Præcursor Domini, qui, ut loquitur ipsa ejus Mater: ut facta est vox salutationis Virginis in auribus Elisabethæ, exultavit infans in utero ejus; Sentiebat enim præsentiam illam augustissimam ipsius totius orbis lætitiæ Parentis, quam jure merito S. Andreas Cretensis, Episcopus Hierosolymitanus lætitiæ Organum nuncupavit, sentiebat præsentiam veri Isaac, veri risûs, veri miserorum peccatorum verissimi gaudij; quid igitur mirum, si Virgineæ illius Vocis auditô dulcissimô organô, risúque illô divinissimô, quô cœlum omne mirificis delicijs recreatur, exultet, plaudat, ac tripudiet, festásque tantis in angustijs agat choreas séque tantis támque mirificis incedens lætitijs capere nequeat?

Qualis lætitia Præcursoris Domini de præsentia B. V. fuerit, explicat D. Bernardus.

26. Hanc porrò præcursoris de præsentia Virginis tantam támque exuberantem lætitiam fuisse S. Bernardus ait, ut eam cœlitum gaudijs, aspectu pulcherrimo ejusdem Deiparæ perfruentium, simillimam fuisse asserere non dubitaverit; sic enim ille Ser. 1. de Assump. *Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis: Hæc est enim, cujus salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt.* Quòd si Parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut MARIA locuta est, quid putamus, quænam illic fuerit cœlestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & Beatâ frui ejus præsentiâ meruerint?

Ostendit ipsa Virgo nostra communem se esse omnium lætitiam cum in cœlos jam assumpta tantis perfunditur gaudiis ut ea etiam in alios transfundat.

27. Ostendit & ipsa Virgo nostra communem omnium se esse lætitiam, cùm in Cœlos jam assumpta, tantis perfunditur gaudiis, ut ea etiam in alios transfundat: Hoc enim sibi volunt verba illa Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Ostenderunt & Adolescentulæ, animæ videlicet peculiari studiô amoréque addictæ Deiparæ, cùm mox intulêre: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum.* Per cellaria superni Regis Ægidius Romanus Bituric. Archiep. intellexit spiritualem lætitiam, ejusdémque ubertatem per vinum, lætificans cor hominis, designatam. Sed audiamus hìc Guilielmum Abbatem pereleganti paraphrasi hæc dilucidantem, & ita loquentem, ac Deiparam introducentem: *Rex, cui vos, O Filiæ! nubere volo, ut Sitis Reginæ nobiles, adstantes à dextris ejus in vestitu deaurato, circumdatæ varietate, gratiam mihi pro gratia reddidit. Ego prompta fide hilarique desideriô eum olim introduxi in cubiculum uteri mei, ut humanæ ibi substantiæ uniretur, eúmque jam incarnatum & natum pijs brachijs sæpe suspendi ad ubera mea, imbuendum lacte meo: Porrò ipse reversus in Regnum, non fit meorum immemor officiorum, sed assumptam de terris introduxit me in Cælestia cellaria sua, inebriandam vino jucunditatis suæ, quod lætificat & inebriat Angelos, officiosissimam olim Nutricem carnis suæ, fælici nunc vicissitudine remunerat in delicijs Divinitatis.* Quibus verbis indicatur Virginem ideò vel maximè nunc in cœlis, velut in Regiis Cellariis, spiritualibus redundare deliciis ac gaudiis, quò eundem cœli Regem suô purissimô lacte paverit, ac summa cum charitate parvulum in hac vita recreârit: Hinc Alanus: *Eleganter*, inquit, *nomine cellæ vel cellarij significatur proprietas cœli; quia sicut in cellario reponuntur vina, quæ hominem satiant, & inebriant, & à curis sæcularibus separant: sic Cælestis beatitudo beatos ita inebriat, ut solitarios reddat, & omnino ab amore terrenorum secludat.* Unde Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; ut sicut aliquis existens in cella, ut solitarius*

Cur nomine cellæ vel cellarii significetur cœli proprietas?

rius Eremita, seclusus est à strepitu seculi; ita aliquis existens in cœlo à tumultu mundi. Vel per cellaria intelligitur repositio thesaurorum sapientiæ & scientiæ DEI: Sicut enim in cellario reponuntur servanda, sic apud gloriosam Virginem, tanquam spirituale cellarium sunt Secreta sapientiæ & scientiæ.

In Deipara solidissima gaudia ad animarum nostrarum solatium sunt recondita.

28. Porrò in gloriosissima Virgine mirificas reconditas fuisse delicias, solidissimásque gaudia ad animarum nostrarum solatium, testatur Rupertus Abbas, dum eandem Virginem ita loquentem facit: *Ista cellaria pretiosa sunt, meliora cellis aromatum, & argenti & auri, & odoramentorum, & unguenti optimi, & omnibus apothecis Regiæ supellectilis, thesaurorúmque universorum, quales habere potuerunt Reges terrarum, & ille præcipuè temporalis Rex Salomon. In cellaria sua, inquit, non qualiscunque Rex, sed Rex cæli, &c. cæli & terræ me introduxit, nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriavit: Qui enim verbum suum, quod erat, & est in corde suo, mihi totum infudit, quomodò non etiam cum illo mihi omnia donavit?* Donavit illi sine dubio lætitiam illam salutaris sui, Salvatoris sui, quem novem mensibus in utero ac toties deinde ulnis suis sinúque circumgestavit ac fovit, uberibúsque suis purissimis lactavit. Unde quid mirum, ipsius Amatrices Adolescentulas tantâ ex jucundissimo ejus conspectu, suavissimáque ipsius uberum, quæ lactaverunt Christum Dominum, recordatione perfundi lætitiâ, ut tripudiare videantur, nec se continere valeant, quin medullitus gaudiô exilientes exclament: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum,* illud nimirum terrenæ consolationis? Nulla enim hujusmodi mundi consolatio cum hac nostra, quam ex contemplatione Serenissimi tui vultûs sole splendidioris, castissimorúmque tùorum uberum, quæ communem orbis Risum ac lætitiam lactaverunt, percipitur, comparanda est. Tu igitur Reverendissima ac Sincerissima nostra exultatio es, tu solidum nostrum gaudium, ac voluptas liquidissima.

Omnes beatorum Ordines singularia quædam gaudia, conspecta in cœlis Virgine, hauserunt.

29. Quare S. Joannes Damasc. Orat. 1. de Dormit: Deiparæ, omnes beatorum Ordines singularia quædam gaudia, átque oblectamenta, ineffabilésque delicias, conspectâ in cœlis Virgine, deliciis omnibus affluente, hausisse deprædicat, dum illam iu cœlis regnantẽ triumphantem, ab ubertate domûs DEI inebriatam, suáque munera etiam miseris mortalibus in hac vita distribuentem contemplans, ita alloquitur. *Ad Regium Filij tui thronum pervenisti, clarè eum ac latè conspiciens, & cum magna ac inenarrabili quadam libertate adstans, Angelis átque omnibus mundo sublimioribus virtutibus, arcana quadam omníque dicendi facultate Superior es lætitia, Patriarchis sempiterna oblectatio, Prophetis perennis exultatio, Mundo benedictio, rebus omnibus sanctificatio, laborantibus requies, mæstis consolatio, ægrotantibus medicina, tempestate jactatis portus, peccantibus venia: iis, qui in mærore versantur, blandum solatium, omnibus poscentibus promptum subsidium.* Quare Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. meritò ad has Virginis, & quibus ipsa fruitur, & aliis impertitur, delicias ac gaudia, exclamavit: *O Beata MARIA! inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis.* S. Ephræm verò orat. de laud. B. V. vocat eam *Fontem totius consolationis, ægrotantium exultationem, Virginum coronam & gaudium, mundique lætitiam ac consolationem sanctissimam.* Unde gaudiis hisce Virgineis delibutus, ac se se vix præ lætitia capiens, idem Vir sanctus tanquam cœli ac terræ, totiúsque universi

 læti-

lætitiam ita illam salutare non dubitavit: *Ave Canticum Cherubim, & Hymnus Angelorum! Ave generis humani lætitia! Ave piorum gloria, & in solitudine degentium Hymnus! Ave lignum vitæ, gaudium & voluptas! Ave flos & gratia & consolationis! Ave gloria & lætitia omnium sacerdotū! Ave quæ lenisti oppressorum molestiam.* sic ille.

Virgo Deipara, suos clientes, tam in vita, quàm in morte recreare consuevit.

30. His porrò, quibus Virgo Deipara tota plena est gaudijs, clientulos suos sibi peculiariter devotos, eáq; magno cum pietatis affectu recolentes, magnis donis afficere, & mirificè tam in vita, quàm in morte recreare consuevit. Testatur sanè Pelbartus lib. 2. Stell. par. 2. art. 2. cap. 3. S. Bernardinum de Senis dicere solitum: Se omnem gratiam, quam haberet, etiam concionandi, per devotam ac quotidianam gaudiorum B. Virginis meditationem fuisse consecutum. Addit: fuisse Religiosum quendam sui Ordinis, qui cùm certo salutationum Angelicarum numero quotidie gaudia Deiparæ veneraretur, ingenuè sibi fassum esse, miras devotionis flammas, suavissimámque cordis dulcedinem fuisse expertum. Sed id, quod mox attexit, maximi faciendum est, quòd gaudiorum Virgineorum meditatio in morte protectionem, lætitiámque afferre consueverit; dátque hujus rei causam: *Congruum enim*, inquiens, *ac dignum, ut qui in præsenti, gaudia nunciat Virgini in tempore illo angustiæ ac mortis, & in futura vita particeps ipsius gaudiorum effectus, lætificetur.*

31. Expertus est lætitiam hanc Clericus quidam, ut refert S. Anselmus, qui cùm Deiparam ob dolorem quinque vulnerum perceptum, totidem annunciatis gaudiis solaretur, in extrema illa vitæ catastrophe à Virgine mirificè exhilarari meruit. Oratio porrò illa fideli memoriâ insigenda cuilibet Mariano clientulo, quæ suo tempore frequentabatur in scholis, ait Pelbartus, hæc fuit: *Gaude DEI Genitrix Virgo immaculata. Gaude, quæ ab Angelo gaudium suscepisti. Gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem. Gaude Mater, gaude sancta DEI Genitrix Virgo, tu sola Mater innupta, te laudat omnis factura, Genitrix lucis, sis pro nobis quæsumus, perpetua interventrix ad Dominum JESUM Christum.* Cùm igitur jam devotus Clericus è vita excessurus esset, variisque molestiis ac timoribus angeretur, adfuit illi mox cœlesti luce perfusa Virgo Deipara, vera afflictorum consolatrix; *Cur*, inquiens, *tanto timore trepidas, qui toties mihi gaudium annunciasti? ne paveas, quoniam nil mali patieris, sed gaudiorum meorum, quæ sæpiùs præcinebas, particeps efficieris.* His mellifluis exhilaratus verbis, tantâ perfusum se sensit lætitiâ, ut pristinæ se restitutum sanitati arbitraretur; unde cùm de lectulo assurgere tentaret, anima ipsius ad perennem beatorum nunquam terminandam lætitiam suaviter soluta mox è corpore evolavit. Concludit denique vir pijssimus: in Regno Hungariæ communem esse ac receptam opinionem, quòd quisquis in memoriam gaudiorum Virginis, ac præsertim eorum, quæ in Filii DEI conceptione sensit, mille salutationes Angelicas recitârit, quidquid petierit ad animæ suæ salutem conducens, humiliter ac fideliter in oratione perseverando, impetrabit. Quibus omnibus saluberrimam hanc annectit altamente reponendam exhortationem. *Hoc solum ad præsens admoneo, hoc exhortor, ut omnes ad B. V. & ejus gaudiorum recordationem habeamus devotionem, omnes ad eam confugiamus, eique pio affectu deservire studeamus, pro certo scientes, quia ipsa Mater misericordiæ, ipsa Mater pietatis adest & præstò est, parata auxilium impendere omni-*

Clericus quidam expertus est singulare gaudium in hora mortis sibi à B. V. communicatum, cui immortuus est.

Piâ recordatione celebremus gaudia B. V. ut ob illa copiosum solatium obtineamus.

omnibus invocantibus eam in veritate. Hæc de gaudiis, quibus Virgo suos filiolos etiam in hac vita solari consuevit.

32. Ob hasce delicias ac cupedias, divináque, quibus Virgo plena in se, ac redundans, etiam in alios mortalium mœrores ac molestias lenit, & abstergit, ipsius etiam Virgineum suavissimúmque Canticum *Psalterium decachordum* à Bernardino Senensi, ejúsq; angelica salutatio *cithara* à Bernardino Bustio vocitata est; insinuare volentibus, quòd, quemadmodùm Parens ejus David, *quandocunque*, ut loquitur sacer Textus, 1. Reg. 16. 23. *Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, refocillabatur Saul, & lenius habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus!* ita Virgo ipsa Cælestibus referta delicijs, ipsiúsque canticum, atque Angelicæ salutationis, sive Psalterium, sive cithara, non modò mœrorem, animíque tristitiam, quâ dæmones plurimùm oblectantur, verùm etiam ipsorum incursus, gravissimásque tentationes depellere solet: Notissimum siquidem est, Saulem tristitiâ mœroréque, invidendo felices Davidis successus quodammodò consumptum, sedem habitationémque maligno Spiritui præparâsse, nullo enim æquè humore, ac melancholico Dæmones delectantur; Imò Hebræi cum Josepho, Cajetanus, Genebrard. in Chron. Anno Mundi 3066. Delrio lib. 3. Disquisit. Magicar. cap. 4. censent fuisse atram bilem, sive melancholiam & maniam, quæ Sauli tristes creabat imagines, suspiciones, invidentias, mœrores, anxietates, furores, deliria: Hæc enim concepit ex eo, quòd vidit se á Domino abjectum, Regnóque privatum. Hinc morbus hic Saulis ex humore melancholico trahens originem, levabatur per musicam, Davide citharam Psalteriúmque pulsante. Ea enim Musices natura est, ut exhilaret, tristitiámque depellat. Unde de mirificis Musices effectibus lib. 2. Variorum cap. 40. *Musica*, inquit, *tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantémque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper adversum.* Hinc Seneca Philosophus lib. 3. de ira cap. 9. *Pythagoras*, inquit, *perturbationes animi lyrâ componebat.* Quis autem ignorat lituos ac tubas concitamenta esse, sicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens resolvatur? Hinc Asclepiades Medicus passiones, morbósque animi harmonicis concentibus lenire, sedare, ac curare, consueverat. Hinc, Martianus Capella auctor est, Græcorum Civitates sanxisse, ut animorum corporúmque morbi ad lyræ modulos curarentur. Unde qui ægris remedia præstabant, olim dicebantur præcinere, inquit, Macrobius. Et Xenocrates lymphatos carminum modulis à dementia liberavit. Paracelsus ait: Ischiaticorum dolores lenibus tibiarum Phrygiæ modulis sedari, tibicinémque modulatè canentem viperarum morsibus mederi.

Canticum B. V. Psalterium decachordum, & Angelica salutatio Cithara dicitur quia fugat Dæmones & recreat animos non minus quam Psalterium, & Cithara Davidica.

Morbus Saulis ex humore melancholico trahens originem levabatur per musicam Davide Citharam Psalteriúmque pulsante.

Varii morbi musica curantur.

33. Audiamus denique P. Cornelium à lapide, qui grande quoddam miraculum Musicæ, quod perpetrat in sanando lethargo, quem tarantulæ morsus inducit, recenset: experientia continua & quotidiana, inquit, Italos præsertim in Apulia docuit, & docet, eos, quos momordit tarantula, & stupefecit, ut lethargo correpti somnum lethalem dormiant, nî vigilent, nulla medicorum arte excitari posse, nisi carmine modulato, quod in varios numeros & harmoniam flectunt,

Musica letargum, quem tarautulæ morsus inducit, curat.

 donec

donec illam inveniant, quæ morbo & stupori huic quasi medela respondeat: Illi deinde canendo insistunt; excitatur æger in Vigiliam & tripudium, saltu sudorem elicit, itáque venenum omne dispellit, ac sibi mentíque, & tandem sanitati restituitur.

34. Quare cùm Musicus concentus tantâ támque eximiâ adversùs melancholicum humorem, tristitiámque, aliósque humani corporis morbos virtute polleat, jure merito Davidis cithara mœror ille Saulis, quem ex invidia prosperorum successuum Davidis sibi concitârat, temperabatur, átque ideò dæmonis ipsius, atra bile gaudentis impetus frangebatur. Præclarè enim Valesius lib. de sacra Philosoph. cap. 28. Dæmones inquit, melancholicus succus maximè omnium paratus est hominem in insaniam, & desperationem adigere, quod maximè nequam Spiritus illi exoptant: Humor enim melancholicus cor deprimit, gravat, contristat, ac cerebrum atra fuligine quasi caligine obnubilat, ut per eam omnia atra, tristia, noxia, inimica, horrida, videantur.

Melancholicis maxime Dæmon insidiatur.

35. Quocircà qui tentationes Diaboli ejúsque insidias evadere cupit, à tristitia ac melancholia sibi summopere caveat, & ad Virginem hanc æterni illius Risûs gaudijque parentem accurrat, ipsius Canticum, David Psalterium decachordum, ejusdem quoque Angelicam salutationem, veluti citharam assumat, refocillabitur, mihi credite, ac meliùs habebit, universámque tristitiam mœrorémque simul atque sathanicas omnes tentationes, vexationésque ad instar muscarum abiget. Hinc D. Antonius S. Athanasio teste, dicere consueverat; *nihil efficacius esse, ad vincendos Dæmones, quàm spiritualem lætitiam.*

Qui tentationes Diaboli effugere cupit, tristitiam caveat, & ad Virginem confugiat.

36. Et verò si David ad Saulem ab enormi illa tristitia, importunáque Dæmonis vexatione liberandum, partim naturali illa Psalterij sui, citharæque melodiâ, partim supernaturali vi átque energiâ, quæ in divinarum laudum Psalmis contentarum, concentu reperitur, usus est, Regíque illi tantarum miseriarum, calamitatúmque præsentissimum levamen afferebat, quantò magìs nobis in hac lacrymarum valle, ubi undique ex continuis rerum adversarum casibus circumvallamur, & ipsa Virgo Deipara Spiritualis Israëlis verissima lætitia, & ipsius Canticum dulcissimum, tot, támque innumerabiles DEI laudes complectens (quod reverà sonorum animæ nostræ Psalterium, uti & ipsius Angelica salutatio Cithara Cordium nostrorum suavissima dici potest) quantò inquam, magìs mæstissimis, afflictissimísque rebus nostris levamen nobis allatura est?

Ad tristitiam & tentationes Dæmonis pellendas validior est MARIA quam Davidis Cithara seu Psalterium.

37. Quàm mira porrò Psalmorum, quos Psalterij citharæque concentibus sociabat Jessæus ille Adolescens, ad Saulem à tantis mœroribus sathanæque cruciatibus levandum erat virtus. Consulendus S. Basilius in Proëmia Psalmorum: *Psalmus est profligandis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, consistentium in ætatis flore decus & ornamentum, senum solamen, mundus est exornandis mulieribus appositissimus: Psalmus est animarum tranquillitas arbiter ineundæ pacis, quô exundantes ac tumultuantes cogitationes se contrahunt & conquiescunt: Psalmus est denique opus Angelorum, Spirituale thymiama.*

Psalmorum Davidi corum maxima virtus ad pellendas tentationes Dæmonis.

38. De eorundem Psalmorum laudibus audiamus etiam Ambrosium Præfat. in Psalmos, ubi sic loquitur: *Psalmus benedictio populi est, DEI laus, plausus omnium, sermo universalis*

Elogia Psalmorum.

ver-

versorum, fidei canora Confessio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio, iracundiam mitigat, sollicitudinem abdicat, mærorem allevat, scutum in timore, festum in sanctitate, Imago tranquillitatis pignus pacis átque concordia, Cithara ex diversis & disparibus vocibus unam exprimens cantilenam, diei ortus Psalmum resultat, Psalmum resonat occasus.

39. Tandem Psalmorum cum S. Augustino Prol. in Psal. claudamus elogia: *Psalmus communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus aptè singulis necessaria subministrans: Veteribus námque animarum vulneribus novit mederi, sed & recentibus velocissimum solet adhibere remedium, & universis passionibus novit subvenire, quæ dominationibus varijs humanas animas angunt: & hoc fit modulatione quadam, ac delectabili canore humanum animum ad pudicitiam provocante: Quandoquidem videns Spiritus S. obluctantem ac resistentem ad virtutis viam humani generis animum, & ad delectationes vitæ hujus magìs inclinari, quàm ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim suæ doctrinæ permiscuit, ut, dum suavitate carminis mulcetur auditus, divini Sermonis pariter utilitas inferatur, secundùm sapientes Medicos, qui, si aliquando usus poposcerit, austeriora medicamenta ægris offerunt mortalibus, ut si æger utilitatem præ austeritate refugiat, ora ac summitates poculi, quò remedium porrigunt, melle circumlinunt. Propterea ergo Psalmorum nobis per modulos aptata sunt carmina, ut vel ætate puerili, vel qui Adolescentes sunt moribus, quasi cantilenâ quâdam delectari videantur.* Tum paucis intercalatis vim psalmi admirabilem exponere aggrediens: *Sicubi quis*, inquit, *quamvìs ferô, ac rabidissimô furore raptetur, si fortè fuerit Psalmi, ut ita dixerim, carminibus cantatus, continuò omnis rabies ferocitatis ejus abscedit. Psalmus tranquillitas animorum est, signifer pacis, perturbationes vel fluctus cogitationum cohibens, iracundiam reprimens. Charitatem Psalmus instaurat, conjunctionem quandam per consonantiam vocis efficiens, & diversum populum unius chori per concordiam, consona modulatione consocians. Psalmus dæmones fugat, Angelos ad adjutorium invitat, scutum enim in nocturnis terroribus, diurnorúmque requies est laborum, tutela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor. Incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum, Psalmus tristitiam, quæ propter DEUM est, mollit, Psalmus ex corde etiam lapideo lacrymas movet, Psalmus Angelorum opus est, exercituum cælestium spirituale thymiama.* Hæc Augustinus.

Elogia Psalmorum.

40. Ex quibus facilè colligere possumus, quàm mirifica sit Psalmorum ad solandos sanandósque mortalium morbos, atque à Dæmonum vexationibus liberandos energia: Sed longè major mihi credite, est non solùm ipsius gloriosissimæ Virginis, quæ consolatrix afflictorum, & causa nostræ lætitiæ ab Ecclesia nuncupatur, verùm etiam ipsius Cantici suavissimi, quod Psalterium nostrum est nec non ipsius salutationis Angelicæ, quæ ut suprà memoravi, cithara nostra est. Undè Virgini nostræ Amabilissimæ jure merito in angustijs, in animi perturbationibus ac tristitijs, quibus assiduè obruimur, dum in hac mortalitate versamur, concinere possumus, quod Parens ejus David concinebat Filio. Psal. 36. *Exurge gloria mea, exurge Psalterium, & cithara;* Quocirca cùm nos vel inordinatâ tristitiâ, vel Cacodæmonum importunis tentationibus exagitari animadvertimus, mox ejus Canticum, velut Psalterium, & salutationem Angelicam, ceu citharam assumamus, & DEO

Elogia Psalmorum potiori jure B. V. conveniunt.

Virginíque laudes medullitus, animitúsque modulemur, mirificam sanè omnis mœroris obliterationem sentiemus, experiemúrque simul Virginem Storacem esse, cujus liquor, ut ait Plinius, animi tristitiam resolvit.

Cithara Mariana seu Angelica salutatio frequenter & devotè corde ore & opere exercenda.

41. Quod intelligens Bernardinus Bustius, ad citharam hanc salutationis Angelicæ complectendam verbis illis Isaiæ c. 23. nos hortatur; *Sume citharam, circumi civitatem, benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Verè enim salutatio Angelica Cithara quædam est, uti ante diximus, quia cùm illa recitatur, Virgini suavissimam quandam reddit melodiam. Hæc porrò dum à nobis dicitur, circumeunda est hæc animata Virgineáque Civitas Summi illius Regis, in qua 9. mensibus factus homo habitavit, simúlque tota, & in circuitu omni ex parte laudanda est. Benè item hâc citharâ canendum; benè canit, qui corde, ore, & opere eam laudat; ille frequentat canticum, qui ab ejus laudibus nunquam cessat, & talium Virgo beata recentissimam habet memoriam, quia eos copiosè remunerat, dum vitam æternam eis impertitur. Unde ajebat ipsa Eccli 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

In salutatione Angelica voces penè omnes & apices lætitiam sonant, eamque non modo Virgini, sed & nobis tanquam ejus filiis annunciant.

42. Et verò, quî fieri potest, ut Virginea hæc cithara tristitiam, mœrorémque de cordibus mortalium non expellat, in qua voces penè omnes ac apices lætitiam sonant, eámque non modò Virgini, sed & nobis tanquam ejus Filiis in illa annunciant. Cùm enim Angelus dicit illi Ave, eam ab omni væ peccati liberam pronunciat, nósque in spem vocat, ejus patrociniis ac meritis ab æternæ damnationis væ liberandos. Cùm eandem gratiâ plenam appellat, insinuat nos de ipsius gratiæ plenitudine participaturos. Cùm Dominum cum Virgine esse fatetur, nobis quoque ejus filiis sub umbra protectionis ejus commorantibus ejusdem Domini præsentiam pollicetur: cùm eam benedictam in mulieribus esse dicit, de eadem benedictione ipsius, maximè verò fortitudinis, quâ inter Heroinas illas Judith, Jahel, ac Debboram, Caput antiqui serpentis conterendo excelluit, nos participaturos insinuat. Cùm ait: benedictus fructus ventris tui Jesus, fiducia nobis ingeritur benedicti hujus fructûs dulcedine Virginis beneficiô, & in hac mortali, & illâ beatâ vitâ perfruituros. Quid porrò lætitiæ, quid gaudii, quid cœlestium deliciarum, ac cupediarum, vel illud solum Nomen JESU nobis ingerat, nulla mens capere, nulla lingua effari sufficiat. Audite Bernardum Ser. 15. in Cant. qui, cùm audiisset dicentem Sponsum dilecto suo: *Oleum effusum nomen tuum*, vix se præ lætitia capiens exclamavit, nósque omnes ad novum gaudium exultationémque invitavit. *Currite gentes*, inquiens, *ad manum est salus, effusum est Nomen, quod, quicunque invocaverit, salvus erit; Angelorum DEUS, etiam hominum se nominat. O Nomen benedictum! O Nomen usquequaque effusum!* Quantum porrò gaudium lætitiámque, imò & omnibus animi nostri morbis præsentissimam medicinam, longè meliùs, quàm Davidica Cithara, Nomen hoc suavissimum apportet, idem Bernardus ita prosequitur: *JESUS est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed & medicina: Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor JESUS, & inde saliet in os, & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonne is invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?*

Nominis Jesu Elogia à S. Bernardo dicta vis mirabilis curandi morbos, pellendi dæmones, atque tristitiam.

cui

cui aliquando stetit ante faciem salutaris Nominis duritia, ut assolet, cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? cui fons fortè siccatus lacrymarum invocato JESU non continuò erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti, trepidanti, invocatum virtutis Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui quæso in dubijs æstuanti & fluctuanti, non subitò ad invocationem clari Nominis emicuit certitudo? cui in adversis diffidenti, jam jámque deficienti, si nomen adjutorij sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animi isti sunt, illud medicina. Denique invoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Tandem aliis brevitatis causâ omissis, ita concludit, hortatúrque, ut tam divinâ ad omnes animæ nostræ morbos curandos utamur medicinâ: *Hoc tibi electuarium habes O anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est JESUS, salutiferum certè, quódque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax: Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in JESUM & sensus dirigantur, & actus. Denique & invitaris: Pone me ut signaculum super cor tuum, signaculum super brachium tuum. En habes unde & brachio medearis & cordi. Habes inquam, in Nomine JESU, unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas, itémque unde tuos sensus aut serves, ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes.* Hæc Bernardus, quibus luculenter sanè ostendit JESU Nomen veluti Davidis citharam & lætitiam menti parere, & morbos animi, quæ vitia ac peccata sunt, ac præsertim tristitiam melancholiámque, quâ maximè, utì diximus, delectatur Cacodæmon, depellere.

43. Quòd si clausulam illam postremam salutationis Angelicæ ab Ecclesia adjunctam consideremus, eadem profectò ipsa lætitiam non vulgarem nobis afferet, eximiámque consolationem. Sanctæ MARIÆ siquidem Nomen, quibus cæli delicijs, DEUS immortalis! quibus gaudijs non est refertum? pharmaca contra omnes animi nostri infirmitates, quæ electuaria in se non continet? De hoc quóque Nomine audi eundem mellifluum Bernardum Hom. 7. Super Missus pari eloquentia disserentem: *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicij horrore perterritus, barathrô incipis absorberi tristitiæ, desperationis abyssô, cogita MARIAM, in periculis, in angustijs, in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum &c.* Audiamus S. Bernardinum Senensem, quid propriâ doctus experientiâ in Nomine hoc Virgineo lætitiæ, cœlestisque dulcedinis ipse repererit. Ser. 3. de Nomine B. V. indicavit. *Testis*, inquiens, *conscientiæ est mihi Dominus, quòd si quando Cœlesti gratiâ largiente exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus vel per horam occupari, tanta mentis lætitiâ, tantâ interiùs suavitate perfundor, ut cunctis mundi vanitatibus, & concupiscentijs conculcatis nil malim, aut appetam, quàm cum ipso lætitiæ Spiritu, si daretur statim exilire ad Dominum, antequàm illud gaudij spiritualis, curis iterum redeuntibus auferatur, & stimulante memoria delictorum cithara convertatur in luctum, & jubilus, prò dolor, in lamentum! Vide igitur quantæ sit fælicitatis & gloriæ illa patria, DEI Genitricem Virginem Benedictam, stipatam ordinibus Angelorum, Choris Virnum comitatam, vultu plenissimo gratia-*

Angelicæ salutationis clausula non vulgarem nobis adfert lætitiam & consolationem.

rum, in suo dignitatis solio præsidentem, revelata jam facie contemplari, quandoquidem in sordibus carnis adhuc, & mundi lutô degentibus tam læta contingit in ejus Nominis contemplatione sentire. Ad ipsũ igitur Mariæ Nomen iterũ contemplandũ, iterũ atque iterũ descendere libet. Quibus Verbis Vir sanctissimus, nescio quid Divinitatis homines beantis, nescio quid æternæ fælicitatis ac gloriæ huic sacratissimo Nomini inesse præsetulit, dum tantis gaudijs se perfusum, tot delicijs ejus contemplatione delibutum se fuisse in hac vita, quæ tota mæstitiæ, dolorúmque tenebris circum septa videtur, confessus est. Quare devotissimus Pelbartus de Themesuar. lib. 6. Stell. Par. 1. ar. 3. ostendere cupiens, quàm utilis sit invocatio Nominis Mariani in omni nostra necessitate, Nomen gloriosissimum MARIÆ, tanquam solem mundi hujus lucidissimum, 12. utilitatibus ceu stellis, Virgineum Verticem coronantibus, illud circum dedit: Inter has, ait, unam esse, quam ille cordis dulcorationem appellat, mæret quispiam, anxius est, tristitiâ contabescit, cor ejus amaritudine repletur? Invocet MARIÆ Nomen, consolabitur, cor ejus omni dulcedine Cœlesti replebitur, odore recreabitur. Memoria enim MARIÆ in Compositionem odoris facta opus pigmentarij, *in omni ore quasi mel indulcorabitur memoria ejus* Eccli. 49. Sicut enim Moyses Virgâ dulcoravit aquas Exod. 15. Sic memoria MARIÆ, & ipsius Nominis invocatio dulces producit consolationis in corde lacrymas. Hinc illi dicitur Cant. 1. *Meliora sunt ubera tua vinô* lætificando cor, *fragrantia unguentis optimis* devotionis videlicet internæ. Addit exemplum cujusdam solitarij, qui cùm Nomen Virginis nominabat, mel sibi in ore habere videbatur. Unde patet, inquit, quòd sicut teste Bern. Nomen JESU, ita & MARIÆ mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Atque ut lætitiam hanc, quam ex Virginei Nominis invocatione percipimus, veram solidámque esse intelligamus, mox aliam utilitatem, Dæmonum videlicet tentationúmque expulsionem attexit. Sicut enim, uti suprà memoravimus, Dœmones melancholiâ, & atra bile, tristitiáque vel maximè oblectantur, ita spiritualem lætitiam nimiùm quantùm detestantur. Quod S. Bernardi auctoritate confirmat Pelbartus: Ubicunque Nomen MARIÆ nominatur, ibi Dæmonum nocumentum effugatur, reis venia, & ægris medela, ac peregrinantibus adjutorium datur: Idcirco in Cant. 6. describitur: *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Horrent enim Principes tenebrarum MARIÆ devotam invocationem, quia in circuitu ejus acies valida innumerabilium spirituum beatorum sibi devotos defendentium. Unde in omni tentatione ad invocationem MARIÆ DEUS fidelis faciet proventum auxilii, sive ea tentatio sit à Carne, sive à Mundo, sive à Diabolo. Hinc ipsa Eccli. 24. ait: *Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas*, id est populos baptizatos, quia ut scribitur Apoc. 17. *Aquæ multæ, populus multus.* Quòd porrò Platano se confert, innuere voluit protectionem, quam in tentatione præstat. Arboris enim hujusce folia ad instar scuti sunt, defensionem significantis. Ipsa quoque ideò Cedrus & Myrrha electa dans suavitatem odoris appellatur: Sicut enim Cedrus odore suô fugat serpentes, & Myrrha vermes in carne occidit, ita B. V. Dæmonis tentationes, & carnis concupiscentias refrænat, eásque penitus extinguit, hominémque magnanimum, velut alterum David, qui hâc

Invocatione Nominis MARIÆ cor dulcoratur,

Dæmon & ejus tentationes fugantur.

hâc Virgâ sive baculô ac fundâ armatus superbissimum Goliam, infernalem illum Gigantem designantem, triumphavit.

44. Atque ut Virginis lætitiam omni ex parte absolutissimam, nec temporaneam solùm, sed æternam idem Pelbartus ostendat, duodecimam Coronæ stellam, quâ Nomen Virginis redimitur, ait esse ipsius præsentiæ in Cœlo delectationem. *Omnes enim sancti, ac præcipuè ipsius devotiores famuli, qui sedulè eam in hac vita invocârunt, illi in cœlis dicent: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Jsräel, tu honorificentia populi nostri*, Judith. 15. Tandémque tanti Nominis dignitatem ac gloriam obstupescens, ínque compendium ejus opera omnia redigens, exclamat: *Quam dignum, O quàm excellens & sublime est hoc Nomen gloriosissimum MARIA! O quàm utile omnibus invocantibus ipsum! Quoniam per Nomen hoc sanctissimum lapsus sublevatur, peccator liberatur, gratia infunditur, cor dulcoratur, pestes & infirmitates repelluntur, orationes exaudiuntur. O fælicissimum Nomen, per quod homo in morte assecuratur, in purgatorio refrigeratur, & in cœlo ex præsentia tantæ Dominæ jucundatur! O fidelis anima, utinam saperes, ac intelligeres dulcedines ac fructum ejus Nominis, & ipsum semper in corde & ore haberes! Hoc moneo, hoc exhortor, ut descriptum habeas in domo vel ostio tuo, quò frequentiùs eô visô, Virginis recorderis. Fælix certè illa domus, ubi semper memoria retinetur MARIÆ. O Christiane! recognosce tuæ Matris Nomen Virginis benedictæ, quæ sola est spes & refugium animæ tuæ, vita & consolatio cordis tui, ipsum invoca, ipsum genibus flexis inclama, ipsum Nomen exora, ut MARIA sit tibi MARIA. i. e. Maris Stella, in hujus sæculi procella, qua dirigaris ad cælestia Regna.* Hæc Pelbartus.

Nominis Mariani dignitas, gloria, virtus, & ideo meritò est invocandum.

45. Quid tandem de postremis illis verbis: Mater DEI ora pro nobis dicemus? quantùm hæc lætitiæ, quantùm fiduciæ nobis ingerant, quis non videt? Si enim Mater DEI est pro nobis, quis contra nos, ait Richardus à S. Laurentio? si illa pro nobis orat, pro nobis intercedit, nobis patrocinatur, quem adversariorum timebimus, quantumvìs litigiosissimum, atque vaferrimum in causa nostra periculosissima atque desperatissima? Hinc Bernardinus Bustius Par. 3. Mar. Ser. 1. in quo literas, ex quibus Nomen Virginis coälescit, earúmque mysteria expendens, in A reperit Advocatam: *ipsa*, inquiens, *est advocata nostra, quia verò homo habens aliquam causam, habere solet sapientem & bonum advocatum, atque ita sperare potest de sua causa victoriam se reportaturum, suúmque jus citò obtenturum: Cùm ergo dignissimam hanc Advocatam æternæ sapientiæ Parentem habeamus, lætari debemus & exultare, quia ipsa causas nostras coram DEO assumens, eas sapienter excipit, inceptas multis allegationibus defendit, & defensas ad prosperum finem deducit, &c.* Quare Ægidius Romanus, Ord. Augustiniani illustre Sydus, & Archiep. Bituricensis, verba illa exponens, ita Virginem ipsius fretus patrociniis deprecatur: *benedictum est, quòd sis sancta, hoc est à terrenis elevata, & ab omni labe peccati munda; & benedicta es MARIA; Stella illuminata, illuminatrix & Domina nostra, quia es Mater DEI, Mater omnium bonorum, & nullius egens; quam, cùm talem agnoscamus, & nos simus multis peccatis & miseriis pleni, ad te recurrimus tanquam Advocatam & Mediatricem nostram, dicentes: Ora DEUM Patrem, DEUM Filium, & DEUM Spiritum sanctum pro nobis, non nos ipsos justificantibus, aut dignitatem nostram præferentibus, sed pro nobis peccatoribus, peccata nostra*

Angelicæ salutationis Clausulæ ultima verba miram lætitiam, fiduciam & consolationem continent.

Mater DEI Advocata nostra est.

confitentibus, & tuam intercessionem, & DEI misericordiam implorantibus. Atque ut hoc nobis patrocinium Virginis atque intercessio, apud DEUM majorem afferat lætitiam ac consolationem, hìc dum vivimus, idem devotissimus Præsul ita prosequitur: *Notandum autem ad majorem dictorum intelligentiam, quòd animæ sanctorum agnoscunt particularia in mundo existentia, & audiunt nostras orationes, nósque de nostra multiplici miseria liberare cupientes, orant Deum pro nobis. Cùm ergo sancti nos audiant, & cognoscant, orent pro nobis* (*ut dicitur de Jeremia Propheta jam mortuo* 2. Mach. ultimo: *Hic est, qui multùm orat pro populo & universa S. Civitate, Jeremias Propheta DEI*) *& à nobis in nostris necessitatibus sint invocandi, cùm indigni simus accedere ante Dominum, sine tutela charorum amicorum suorum, ipsi pro nobis intercedere dignentur. Unde* Job. 3. *dicitur. Voca ergo, si quis est, qui respondeat, & ad aliquem Sanctorum converte. Quia igitur benedicta Virgo inter omnes sanctos & Angelos, majorem charitatem habet, & majorem gloriam, elevata est super choros Angelorum ad Cælestia Regna, ideo rationabiliter ad eam recurrimus, ut oret pro nobis* Sciendum porrò, quod inter alia, duo nobis necessaria sunt, ad hoc ut Virgo MARIA, & alij sancti pro nobis intercedere dignentur. Primum: ut cum humilitate, nostram agnoscentes indigentiam, ipsius auxilium imploremus. *Oratio enim humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat* Eccli. 35. Hæc Humilitas innuitur, cùm dicimus. *ora pro nobis* non justis sed *peccatoribus.* De hac autem humilitate aliísque virtutibus, quarum est fundamentum, ita loquitur Augustinus. *Inter hæc igitur cum toto mentis affectu Beatissimæ Virginis, nos intercessionibus committamus, omnes ejus patrocinia omni nisu imploremus, ut, dum nos supplici eam obsequiô frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in Cœlis. Néque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre nuncium, posse plùs omnibus liberatis rependere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare vocibus, nisi etiam humilitatis ejus exempla teneamus?* Secundum est imitatio illorum, secundùm illud Apostoli 4. Cor. 4. *Imitatores mei estote sicut ego Christi.* Unde Augustinus: *Si ad consortium sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid suæ virtutis recognoscere, ut pro nobis Domino dignentur supplicare.* Ultimò dicit: *Nunc & semper.* Manifestat, quo tempore, & quanto tempore cupiat exaudiri Q. D. Tria sunt, quæ nos gravant, & in benè agendo impediunt, à quibus omnibus cupimus liberari. Primum, sunt mala præterita, & perpetrata peccata: Secundum, sunt præsentes necessitates nos gravantes, sive spirituales sive corporales: Ora igitur pro nobis peccatoribus nunc, ut scilicet liberemur à malis omnibus præteritis, & nobis subveniatur in præsentibus necessitatibus: Tertium verò malum nobis præsens, sunt futura pericula, in quibus involvi possumus, ratione rigorosæ tentationis & multiplicis nostræ imperfectionis; ideò ora pro nobis peccatoribus semper, quàm diu sumus in hoc mundo, ne quandoque à tentatione superemur. Alij dicunt; *nunc & in hora mortis*, quod ita potest intelligi: quòd, cùm per omne tempus vitæ nostræ indigeamus divinô auxiliô, & Sanctorum intercessione, hoc vel maximè egemus in fine vitæ, quando nobis imminet periculum mortis: Quia cùm adversarius noster Diabolus semper circumeat, quærens, quem devoret,

Humilitate, ac Imitatione virtutum B. V. interpellanda.

Tria sunt quæ nos gravant, & à quibus omnibus cupimus liberari.

voret, hoc maximè facere dicitur in fine vitæ, ut in damnationem nos ducat. Hæc ille. quæ quantam lætitiam, gaudiúmque spirituale suapte natura fidelium animis ingenerare idonea sint, vobis considerandum reliquo. Cithara igitur suavissimè resonans in auribus peccatoris est Ave Maria, de qua longè aptiùs concinere possumus illud Claudiani.

Et quis non, sitiens Sermonis mella politi,
Deserat Orphaos blanda testudine cantus?

Et illud Papinii Statii.

Hyblæis vox mixta favis, cui sibila serpens
Poneret, & sava vellent servire noverca.

Canticum Magnificat summè confert ad depellendam tristitiam.

46. Jam verò Canticum illud, quô Deipara divinam illam, altissimámque magnificavit Majestatem, quantopere ad depellendam tristitiam pariendúmque in animis nostris gaudium, idoneum sit, exploratum est. *Ideo enim Psalterium decachordum* Gersone teste Tract. 1. super Magnif. *Appellatur, quòd habeat decem versiculos, quasi totidem chordas sonorissimas, conformiter ad illud universale decachordum totius rationalis creaturæ, quod ex novem Angelorum Ordinibus, quasi novem fidibus argutis, juncta ex hominibus decima, quam inprimis parentibus per peccatum ruptam summus noster citharista reparavit, ut concordaret Psalterium jucundum cum cithara.* Sic ille.

Canticum Magnificat significat Canticum vitæ æternæ, de quo Apoc. 14.

47. Quòd si novem illi Angelorum chori, humanúmque genus in prima sui conditione suavissimam toti mundo edebat harmoniam, mirificè non modò Deum Creatorem, verùm etiam universas exhilarabat creaturas, quidni & Canticum Virgineum hoc Psalterium decachordum, quô Deipara sacratissima, voce illa plusquàm Angelica divinas laudes modulata est? Ob hanc melodiæ suavitatem Mariani hujus Carminis, jam sæpiùs memoratus Bernardinus Bustius Par. 6. Marial. Ser. 2. par. 1. præclarè dixit: canticum hoc in se canticum illud vitæ æternæ, sive significationem ejus comprehenderè, de quo Apoc. 14. dicitur, *quod sancti cantabant canticum novum ante Sedem DEI & Agni.* Primus porrò ac Summus Beatitudinis gradus, est visio Divinitatis, in qua summa nostra Beatitudo consistit ac fælicitas, qua visione super se anima elevata, mox Deum magnificat, ac glorificat. Et quia tanti boni visio sine impenso gaudio esse non potest, statim exultat Spiritus in Deo salutari suo. In hoc autem lumine gloriæ, gaudióque beatifico, quia anima se ipsam suámque vilitatem agnoscit, censétque illâ tantâ gloria se indignam, fateri ingenuè se humilem ancillam esse compellitur. Hinc præmia cum meritis, & præmiatum cum præmiante conferens addit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* Mihi, inquam indignæ, magna præmia tribuendo supremus ille præmians Deus tantæ potentiæ. Reliquam hujusce cantici ibidem vide expositionem, & intelliges manifestè, Virgineum hoc carmen melos esse jucundissimum, & canticum novum omnibus Paradisi deliciis refertissimum, cantum denique vitæ æternæ, omnium Angelorum, civiúmque Beatæ Patriæ cantica veluti compendiô complectentem, quàm plurimísque parasangis superantem; animósque non modò cœlitum omnium, verùm etiam miserorum, afflictissimorúmque mortalium, mira suavitate demulcentem. Quæ sanè omnia hacte-

nus dicta luculenter ostendunt, non modò Deiparam ipsam, verùm etiam ejus verba sacratissima, atque dulcissima, lætitiam esse mortalium, & commune omnium Solatium, & universale gaudium, quod mundo pro amplissima sua pietate largissimè communicare consuevit.

In ditione Laudunensi in Gallia ædificata est Ecclesia B.V. quæ vocatur Dominæ nostræ de lætitia.

48. Unde ob hæc gaudiorum, ac consolationum à Virgine passim toto pene terrarum orbe terrigenis impensa beneficia, variis in locis, templa, aræ, statuæque illi sunt erectæ. Certè in ditione Laudunensi circa Annum 1134. in Gallia, Ecclesia ædificata est, magnificis planè sumptibus, quæ communiter Dominæ nostræ de lætitia nuncupatur; Quæ ideò Nomen sortita fertur, quòd eò loci collocata sit Statua, sive Angelicâ sive ipsius Virginis cœlesti manu elaborata, atque exsculpta, & ab ipsa Deipara Angelicis choris stipata, lucéque cœlica circumamicta, tribus Equitibus S. Joan. Hierosolymitani è primaria Galliarum nobilitate oriundis, à Sultano Cairi horrendô ergastulô detentis, ac in summa afflictione constitutis deportata; ad cujus mox præsentiam carceres, cùm essent divina virtute effracti, ac patefacti, in libertatem vindicati, in Patriam ope Angelica per immensa pene terrarum mariúmque spatia, mirâ animi sui lætitiâ per aëra vecti appulerunt. Fusiùs hæc omnia Tom. 2. descripta videri possunt.

Aram Veronæ sub titulo Virginis in utero habentis Aloysius Novarinus erexit, & ingeniosam inscriptionem addidit

49. In Italia quoque Religiosissimus simul ac eruditissimus Aloysius Novarinus, Clericus Regularis, ut ipse in umbra sua Virginea ad calcem contestatur, sculpi curavit Virginis in utero habentis effigiem, miram omnino spirantem pietatem afflantémque spectantibus ardentissimi castissimíque amoris affectus, eámque totâ Italiâ magno pietatis fructu distribuit, illam *La Madonna dell' Allegrezza, Dominam de lætitia* indigitando. Nec hìc viri piissimi stetit in Deiparam affectus, eidem enim Aram Veronæ sub titulo Virginis in utero habentis erexit, indulgentiisque, ac gratiis à S. Apostolica Sede impetratis exornavit, quibus omnibus varia arguti ingenii sui monimenta, tanquam auream coronidem apposuit: Unicum hìc brevitatis gratiâ memorâsse sufficiat:

D. O. M.
MARIÆ.

Ubique pia, ubique misericors,
Verbô rem claudam, quæ claudi non potest verbis,
MARIA, ubique MARIA est.
Pleniùs verò, cùm illô plena fuit, qui omnia implet.
Facta est se ipsa major, DEO in illa homine facto.
Eóque altiùs est erecta, quò se demiserat profundiùs.
Parvulum se DEUS in Virgine fecit,
Ut magnam Virginem maximam faceret,
Sibique supparem parientem se, parentem sui.
In MARIA se DEUS clausit, ne thesauros suos
Clauderet MARIÆ,
Quos per MARIAM cæteris reclusit.

Habe-

Habemus omnia in Virgine,
dum Virginem
Habemus DEUM haben-
tem.
Non in vacuum est DEO plena,
quæ tam plene se vacua fuit.
Omnibus omnia facta est,
in qua se fecit hominem,
qui fecit omnia.
Nostrum est, & nostra re-
fert,
Singulari cultu in eam ferri,
quæ singulari
Modo DEUM fert.
Ad MARIAM DEO gravi-
dam,
Pietate ac Religione gravi-
dus
Vocaris.
Huc
Spectant, quæ hic exhibentur
spectanda
Hoc
Loquuntur & illa, quæ non lo-
quuntur.

Hæc verè, piè, atque ingeniosè P. Novarinus in Virginem de lætitia, ut nos ad ejus pietatem, venerationémque accenderet.

Ut in tribulationibus solatium capiamus, recurramus ad causam nostræ lætitiæ.

50. Cupit igitur quispiam cœlesti lætitiâ in suis tribulationibus atque angustiis, quæ mortales undique, dum vivimus, circumvallant, perfundi? Spiritualibus deliciis recreari? Virginem in utero habentem Dominam de lætitia, causam nostræ lætitiæ, verum Isaac, Risum illum cœli & terræ Jesum in utero gestantem, sibi ob oculos constituat, ac deprecetur, experietur sanè illam Storacem esse omnem tristitiam animi resolventem, serenitatémque mentibus humanis inducentem.

Storacis odor serpentes, B. V. fugat peccata.

51. Ad ultimam illam Storacis proprietatem, quâ serpentes odor ipsius fugare dicitur, veniamus. Serpentes Cacodæmones & peccata denotant: Hæc fugat Virgo nostra, quia his omnibus est inimica. Qua ratione infesta sit larvis illis Tartareis, passim multa diximus. Quàm infesta sit peccatorum colubris, breviter videamus. Hoc ex eo facilè colligitur, quòd ipsa etiam occultissima, quæ in cæcis animi cavernis delitescunt, ut agnoscantur, & in lucem producantur, facem tanquam vera illuminatrix præfert, adeò ut verè dicere quoque possimus de Virgine, quod de Sponso ejus Spiritu sancto locutus est Job 26. 13. *Spiritus ejus ornavit cælos, & obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus*, ille nimirum, de quo ajebat Eccl. *tanquam à facie colubri fuge peccatum.* Memorabile sanè est, quod in Annuis Collegii Monacensis Anno 1588. legimus. Fuit Studiosus Adolescens, Virginis cultor eximius, qui cùm adhibitâ diligentiâ in conscientiam suam inquisivisset, & cogitata, dicta, factáque in lucernis quodammodò esset scrutatus, & Illuminatricem Virginem Patronam suam deprecarerur, ut menti suæ lucem porrigere dignaretur, quô omnia peccata sua agnoscere, ea deflere, ac integrè tandem coram Confessario, tanquàm tortuosos serpentes in lucem producere valeret; Dum ita studiosè orat, ecce tibi de cœlo ante faciem orantis schedula decidit candidissima, quæ minutis quidem literulis sed elaboratis, quoddam illius peccatum exprimebat, hôc additô, si illud aperiret, piéque corollam Angelicis salutationibus velut rosulis Deiparæ contexeret, pacem serenitatémque animi consecuturum. Schedulam hanc posteà, cùm quidam ejus Sodalis,

Peccatum Adolescenti conscientiam suam perscrutanti B. V. mirificè manifestavit per schedam.

Parens, Parochus, aliique nonnulli legere conarentur, nunquam scriptionem illam cœlestem capere aut intelligere valuerunt.

Adolescens quidam è somno evigilans in manu schedam reperit, in qua graviora sua peccata descripta fuerant.

52. Eosdem tetros peccatorum colubros eduxit pectoris latebris Adolescentis illius, de quo scribit Bzovius ad Annum 1260. qui, cùm in somnis ad supremi Judicis tribunal esset adductus, tanto horrore concussus est, ut totus sudore diffluerct, cùm ei peccata objicerentur, & ad Torturam à Dæmonibus abriperetur. In tantis angustiis constitutus, dum nescit, quò se vertat, conspexit Deiparam, & ad illam recurrit, omníque mox anxietate liberatus est. Vanum porrò somnium illud minimè fuisse inde patuit: siquidem ubi evigilavit, reperit in manu chartam, quæ graviora vitæ suæ crimina continebat. Quare proxima luce ea mox, terribili illô jam tribunali satis consternatus, ad tribunal placidum pœnitentiæ aperuit; & posteà ita austerè vixit, ut omnibus esset admirationi.

Ut à peccatis nos liberemus, ad B. V. confugiamus.

53. Quisquis igitur intimas animi sui latebras scrutari, & à lethiferis peccatorum colubris eas expurgare, confessione præsertim generali satagit, Virginis patrociniô velut odore Storacis utatur, oret illam obsecrétque, ut ipsa luce sua splendidissima mentem animúmque ejus tanquam superni Mater luminis irradiet, pestes illas in lucem educat, virésque ad eas detestandas suggerat, opem mihi credite præsentissimam experietur. Quocirca oret cum Seraphico ipsius Psalmista: *Domina illuminatio mea! sit splendor faciei tuæ, & serenitas tuæ gratiæ affulgeat menti meæ. Ne avertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem Reginæ cælorum; misericordiam tuam & gratiam tuam ne subtrahas à servo tuo.* Psal. 26.



DI-



DISCURSUS XIV.

VIRGO DEIPARA GALBANUM PARADISI.

Quasi Galbanum vaporavi habitationem meam. Eccli. 24.

1. PLinius lib. 12. Nat. Hist. cap. 25. de Galbano ita scribit: *Dat Galbanum Syria in eodem monte Amano è ferula, quam ejusdem nominis resinæ modo stagoniten appellant; quod maximè laudant, cartilaginosum purum, ad similitudinem Hammonaici, miniméque lignosum. Sic etiam adulteratur fabâ, aut sagapenô. Sincerum si uratur, fugat nidore serpentes, permutatur in libras 5. medicinæ hoc tantùm.* Idem lib. 24. cap 5. de virtute Galbani sic loquitur: *adversatur venenis, maximè toxicis, cum myrrha & vino.*

Natura & proprietates Galbani à diversis describuntur.

2. De ejusdem Galbani in curandis morbis vi átque energia ita Dioscorides lib. 3. cap. 81. *Neque valde humidum, neque nimis aridum, excalfacit, urit, extrahit, discutit. Devoratur ad tussim veterem, difficultalem spirandi, suspiria, rupta, convulsa. Adversatur toxicis, potum cum vino & myrrha. Vertiginosos olfactu suscitat; si uratur, fugat nidore serpentes; perunctos feriri non patitur.*

3. De eodem Galbano Hugo Card. *Galbanus arbor est Syriæ aromatica, cujus succus Galbanum dicitur, est utile contra morbum caducum: Sic sapientia præstat contra cupiditatem, per quam cadit homo in terram.* De eodem Dionysius Carthusianus, *Galbanum in Syria invenitur, est lacryma cujusdam herbæ, similis ferulæ, & inter pretiosissima censetur pigmenta, ta, valet etiam contra morbum caducum.*

4. Audiendus denique Richardus à S. Laurent. lib 12. de laud. B. V. *Galbanum est succus ferulæ, quæ nascitur in Syria. Est autem ferula herba, quæ propter semina in folliculis contexta strepitum magnum facit, quando movetur, sed parùm lædit, si quid eâ percutitur.* Unde Poëta:

Pando Silenus asello
Quadrupedem ferula, dum malus urget eques.

5. Concludit tandem, docétque, Galbanum symbolum esse temperantiæ B. Virginis Deiparæ; *alÿ dicunt,* inquit ille, *quòd Galbanum gutta est cujusdam fruticis, à quo erumpit liquor, qui condensatur circa fruticem, & fit Galbanum, in quo signatur temperantia B. Virginis. Frutex est corpus humanum, à quo in æstate, id est, in charitatis fervore liquor puritatis erumpit, id est amor temperantiæ, quia charitate existente in anima, temperantia fit in carne, & condensatur gutta hæc circa stipitem, id est carnem, quô notatur perseverantia in hac virtute.* Hæc Richardus.

Galbanum B.V. Deiparæ Symbolum quoad temperantiam.

6. Ex quibus omnibus varias virtutes hujusce fruticis aromatici ad vivum ipsam Deiparam, ejusque in humani corporis morbis persanandis energiam, repræsentantes colligimus. Et primò quidem

Virtutes medicæ Galbani ad vim medendi B. V. accommodantur.

odore suô fugat serpentes. Secundò liquore ejusdem perunctus aliquis ab eisdem lædi non potest. Tertiò venenis & toxicis adversatur. Quartò valet contra tussim, ac respirandi difficultatem. Quintò valet contra vertiginem. Sextò contra morbum caducum. Septimò ejus lignum seu ferula sustinendo corpori est idoneum. Addit denique Bernardinus Bustius, quòd Galbanum vulnera sanet, frigidas passionis curet &c. Unde Galbanus lib. 8. simpl. Medicamentorum apud Matthiolum *Galbanum*, inquit, *est succus plantæ ferulaceæ, molliendi vi, fueritque sanè ex tertio ex calefacientium ordine incipiente, aut secundo completo.*

B. V. sanat peccatorum nosttorum vulnera.

7. De non nullis hisce proprietatibus dicendum breviter, siquidem in antecedentibus discursibus plerisque tractatum uberiùs. Atque ut ab hac postrema incipiamus proprietate. Sanat, inquit idem Pater devotissimus, B. V. peccatorum nostrorum vulneta, & superbiam quidem, quæ est caput & origo peccatorum omnium, sanat consideratione suæ profundissimæ humilitatis; luxuriam consideratione suæ paupertatis. Et sic de singulis: & ideò cuilibet peccatori ad eam recurrenti potest dicere ipsa Virgo pijssima illud Hier. 30. *à vulneribus tuis salvabo te.*

8. Salutem hanc à suis vulneribus etiam corporalibus, iisque mortiferis, expertus est beneficiô Virginis Montis serrati Marcus quidam de Mas, qui, cùm à prædone quodam graviter vulneratus esset ictu sclopeti, tribus glandibus onusti, iisque tres corporis ejus partes essent transverberatæ planè lethalither, & ad Misericordiæ Matrem fiduciâ planè filiali fretus recurrisset, subitò absque ullius chirurgi ope pietate Virginis, ceu liquore quodam Galbani esset perunctus, pristinæ sanitati, viriúmque integritati restitutus est. Cal. B. V. 13. Janu.

Antonius Pisanus pluribus vulneribus ab hostibus suis penè confectus ope B. V. prodigiose sanatur.

9. Innumeris hujusmodi missis vulnerum, per Virginem, Deiparam factis curationibus, unicum, quod erit instar omnium, recensuisse sufficiat, ex eodem Virginis Calendario ad diem 15 Februarij. Cùm anno 1554. Antonius Pisanus Valentinus Castellam versùs iter faceret, septem capitalissimi ejus hostes ipsi obviàm sunt facti: Duos à longè prospiciens, cùm certò sciret, se eorum furorem evadere minimè posse, se se curvatis genibus ad opem Deiparæ implorandam in terrâ abijcit, eam obsecrans, ne se absque consuetis Ecclesiæ Sacramentis, præsidiisque ex hac vita decedere sineret: Vix preces finierat, cùm ter in animo suo intimam quandam vocem sibi audire visus est, quæ securum illum reddebat, ea vice eum minimè occubiturum. Itáque propiores facti ejus hostes, varijs eum vulneribus, per summum nefas, impijssimè crudelissiméque, punctim cæsimque sauciant, ac pene conficiunt. Eorum unus gladiô caput in duas partes dividit, alius ense in ventrem adactô, eum aperit, visceráque in terram fundit; Denique ut paucis multa complectar, à planta pedis usque ad verticem capitis nihil erat cernere nisi vulnera, quæ centenarium numerum excedebant. His nihilominus tot tantisqne támque atrocibus confectus ac pene exanimatus, ob nimiam sanguinis profusi copiam vulneribus, intermisit nunquam in his omnibus animi sui angustijs Nomen MARIÆ, ejúsque patrocinium invocare. Nec sua spe vir pijssimus frustratus est. Ipsa enim tanquam vera omnium vi-

ven-

ventium Mater ipsum in vita conservavit, dum ita omni auxiliô destitutus, palpitans, treménsque prostratus jaceret, ecce tibi videt ad se adventantem equitem quendam, equô candidô invectum, albáque stolâ vestitum, se séque perhumaniter salutantem. Hic mox ægrum in proprium suum equum imponit, atque ad oppidum vicinum deducit in ædes consanguinei cujusdam ipsius vulnerati, qui posteà hospiti illi suo sanguine juncto ad se excito mandat, ut nobili, insigníque equiti nihil de esse patiatur: Sed conquisitus ille summa cum diligentia tam domi, quàm foris & etiam extra civitatem, nusquam eum reperire licuit. Fuit ille sine dubio aliquis ex Cœlestis militiæ exercitu beatior spiritus, ab Angelorum Regina in auxilium homini illi sibi devoto ac confidenti submissus. Mox itáque acciti sunt chirugi, qui tot támque lethalibus consideratis vulneribus actum esse de ægri salute conclamârunt, asseverantes, si ei mederi aggrederentur, ægrum sine dubio inter manus suas expiraturum. Quibus tam severis denunciationibus territus, accitô æger Parochô, spirituali medico, ad moriendum se se comparat. Verùm misericordiæ Mater afflictissimo homini in tanto discrimine minimè deesse voluit; sub medium enim mortis visa est ab jis, qui illi adstabant, gravis Matronæ specie ad ægri lectulum advenire, quæ apprehensô ejus brachiô, cujus summo dolore vehementiùs cruciabatur, pretiosô illud perunxit unguentô, eandémque cæteris ipsius vulneribus adhibuit medicinam. Ejus porrò unguenti tanta vis ac energia extitit, ut eadem hora tam integrè convaluerit, ut ne quidem ullum vulnerum vestigium in ejus corpore superesset.

10. Neque verò vulneribus à nefariis hominibus, verum etiam ab ipsis Cacodæmonibus, quæ graviora aliquando esse consueverunt, inflictis, medícinam Virgo nostra tanquam Galbanum afferre consuevit præsentissimam, quam experiri meruit Petrus Briete Minorita, ut habetur in illorum Chronico Tom. 3. lib. 6. Cùm enim hic aliquando coram B. V. altari preces funderet, tribus consequenter noctibus à larvis illis Tartareis crudelissimè cæsus est; quem ubi semianimem, ac vix spirantem reliquissent, apparuit illi Virgo benignissima, ejúsque vulnera sanavit, mirificáque lætitia gaudióque eundem perfudit, eum collaudans, quòd tam generosè de hoste tam atroci victoriam retulisset. Tandem ad cumulum gratiarum omnium, cùm postea post aliquot annorum decursum ei è vita migrandum esset, ad eum solandum Angelicis comitata choris advenit Deipara, eíque ad ultimum halitum usque adfuit, quò absque discrimine ad superos transiret. De Guilielmo Aquitaniæ Duce à Dæmonibus etiam graviter cæso & vulnerato & à Deipara pretiosissimo unguento delibuto pristinæque sanitati reddito, dictum alibi.

11. Quid, quòd non modò vulnera, sed & patentia apostemata suâ potenti dexterâ sanet Virgo Deipara? Hâc enim virtute Galbanum pollere testatur Hugo Cardinalis de S. Caro in Eccl. cap. 24. hæc apostemata ego dixerim esse longa consuetudine inveterata peccata, quæ hominis conscientiam purulentam ac putidam, atque adeò abominabilem Divinæ reddunt Majestati. Unde S. P. Ignatius ante actæ vitæ in sæculo perpetrata delicta considerans, eáque amarissimis lacrymis ac singultibus deplorans,

Galbani liquor Apostemata, B. V. inveteratam peccatorum consuetudinem sanat,

rans, ajebat se esse apostema, quod tam horridam noxarum saniem profuderit. Post hæc, inquit ille, attendendum est, quid rei sit tandem, quidquid est creatum præ ipso DEO Creatore? Jam quid homuncio ego unus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, ac corporis fœditatem, ac me tanquam ulcus sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantáque vitiorum lues defluxerunt. Cogitatio hæc sanè à Deipara sine dubio suggesta, aliíque profundissimæ humilitatis sensus illi saluti fuerunt. Atque ita Virgo Galbanum quoddam Ignatio fuisse videtur, dum illi sæpius criminum suorum ulcera deploranti, déque illis pœnitentiam magno cùm dolore agenti, se se unà cum dilectissimo suo Filio visendam exhibens, tanta támque divina eum luce irradiavit, ut & peccatorum gravitatem agnosceret, & ea tanquam infinitum malum, summum illud immensúmque bonum offendentia, cane peius & angue detestaretur. Galbanum illi Virgo fuit, quando valedicturus sæculo, tota nocte in monte Serrato ante ejus aram in oratione pervigilans, militare illam in sæculo actæ vitæ licentiam execrans, de ipsius tholo arma sua suspendit, tacitè insinuans, se non aliis inposterum usurum armis contra hostes omnes, ac præsertim Tartareos, quàm spiritualibus, quàm ipsius Virginis Heroinæ fortissimæ, quæ est turris Davidica, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium; hìc simul spondens se inposterum Christi supremi omnium Imperatoris militiæ nomen daturum, ac sub crucis vexillo fideliter militaturum. Galbanum Ignatio Virgo nostra clementissima fuit, quando emissô coram ipsa castitatis votô, omni carnis titillatione, obscœnorúmque phantasmatum immissione, beneficiô tantæ Matris liber evasit, & Angelica puritate, totius suæ vitæ decursu gaudere meritus est.

12 Frigidas quoque Virgineum hoc Galbanum sanat passiones, dum calorem charitatis, & proximi, omni prorsus servilis timoris depulso frigore, in clientulorum suorum fovet affectibus: Unde suprà memoratus Bustius, inflamat, inquit, frigidos B. V. ad amorem cælestium; unde de ipsa dicitur Prov. 13. *Non timebit domui suæ à frigoribus nivis, omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Ipsa enim habet duplicia vestimenta, vestimentum, scilicet deauratum, & vestimentum varijs coloribus contextum. De hisce Virgineis ac planè Regalibus vestimentis præclarè Regius Vates Psal. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hisce porrò duplicibus vestimentis induit ipsa domesticos suos, sibi devotos clientulos, dans illis vestimentum deauratum aureæ charitatis, & diversis virtutum coloribus contextum ac variegatum. Et ideò illi, qui sic à Virgine hac velut providentissima Matrefamilias induti sunt, non timent frigus peccatorum, quia semper amore cœlestium incalescunt. Hæc ferè Bernardinus.

Galbanum frigidas Passiones curat. B. V. frigore servilis timoris, & tepiditatis depulso, corda charitatis affectibus inflammat.

13. Expertus est hanc frigoris, Servilis videlicet timoris, depulsionem Frater Moricus Ordinis Seraphici, ut in eorum habetur Chronicis To. 4. lib. 10. Hic enim, cùm Anno 1296. sub vitæ suæ finem sibi damnatus esse videretur, licèt sanctè vixisset, imò & se jam damnatum clamaret, ejus clamore exciti fratres, ei mox magno charitatis affectu de more adfue-

Expulit B. V. servilem timorem à fratre Morico Ord. Seraph.

fuêre, cohortantes, ut in consideratione divinæ misericordiæ, meritorum passionis Christi & Deiparæ Virginis respiraret, inque illam, velut misericordiæ Parentem optimam omnes spes suas post Christum collocaret. Hac tam pia cohortatione tranquillior factus, Nomen Jesu fiduciâ plenus canendo inclamat. Audito hoc clamore pii illi circumstantes Religiosi, qui cum eo remanserant, sciscitati sunt ab eo, cur ita exclamâsset, & post clamorem cecinisset? quibus ille: cùm inquit, clamarem, videbar mihi esse coram divino tribunali, & quamvìs non essem ullius peccati conscius, tamen quia ibi omnia tam exactè discutiuntur, videbar mihi damnandus: Quæ dum fierent, apparuit mihi B. V. Maria, monens me, ut in satisfactionem delictorum centies Nomen Jesu pronunciarem, hôc modô me salvandum. Et hoc erat, quod modò ex præscripto Dei Matris concinebam. Quô sanè saluberrimô consiliô, ostendit planè Virgo sanctissima se Galbanum esse, quod frigidam illam servilis timoris passionem ex hominum animis repellit.

Expulit eundem servilem timorem ab usurario.

14. Expertus denique servilis hujus timoris ceu frigidæ passionis depulsionem usurarius quidam nomine Jacobus, de quo Bzovius To. 13. An. 1213. Hic, cùm quæstu illicito quàm plurimas opes persasque nefasque corrasisset, dum quadam die remotis arbitris rosarium percurrendo B. V. quod assiduè volvebat, recitaret, ejus aures severa quædam vox admonitionis perstrinxit adeò, ut timore consternatus, antè actæ sceleratæ illius vitæ rationem omnino fuerit detestatus. Illud porrò tam severæ admonitionis tonitru fuit vox Virginis, utpote Sedis cœlestis Agni, de qua, ut scribit Joan. Apoc. 5. procedebant voces & tonitrua, an non tonitru horrisonum vox illa extitit, cùm illi dixit: Jacobe redde rationem, Filio meo. Hoc tonitru tremefactus, frigidóque sudore perfusus, cùm antiquam peccandi consuetudinem deseruisset, B. V. velut Galbanum calorem suæ divinæque charitatis benignè confovens, spirituali sanitati, salutíque eum restituit. Moriturus enim cùm Divum Michaelem Archangelum esset intuitus, bona ac mala sua opera bilance appendentem, & mala alteram lancem plurimùm prægravarent, mox in tanto discrimine constituto adfuit Virgo clementissima, rosariúmque prægrave in alteram lancem ingessit, quod pondere suo mala omnia miserandi hominis superavit: Sicque servilis timoris frigore depulso, & charitate Virginea piè fotus, didicit Deiparam verum esse Galbanum, frigidas passiones innata sibi divinitus energia propulsans.

15. Eandem denique frigidam timoris passionem Virgo ex animo sanctissimi illius Trajectensis Præsulis Radbodi depulit, cùm eam comitantibus sanctis Virginibus Thecla & Agnete, ipsi ægrotanti apparuit. Cùm enim ille vehementer trepidaret, B. V. ei omnem mox metum verbis illis charitatis ardore plenissimis excussit: Ne, inquiens, timeas, certus te eam intueri, cui crebrò preces offers, non ego te dedignor præsentia mea, cujus in tuis ad Deum precibus frequenter memoriam usurpas. Neque hâc plenissimâ visitatione consolationis Virgo contenta, eum protinus pristinæ restituit sanctitati, recedénsque odorem gratissimum post se reliquit, qui & diu in ejus cubiculo permansit. Episcopus igitur excussô omni morbô surrexit è le-

Frigidam timoris Passionem ex animo S. Radbodi depulit.

è lecto, & quibusdam amicissimis, impositâ, quòad vixit necessitate silendi, non solùm hujus visionis seriem, sed & Divinæ Parentis formam ac speciem, quomodò potuit, explicavit. Negabat Virginis Benignissimæ Virginum omnium Reginæ pulchritudinem animô comprehendi, nedum linguâ verbísque posse monstrari, sanctas verò pedissequas Theclam & Agnetem & ex vultu & ex vestitu aliquantò faciliùs valuisse dignosci. Ex Chronico Trajectensi.

Galbanum serpentes & noxia reptilia fugat, suoque liquore perunctos ab eorundem morsibus præservat. quod ad B.V. accommodatur.

16. Quid jam de illa Galbani proprietate dicemus, quâ serpentes sive reptilia, odore suo fugare, & liquore suo perunctos ab eorundem ictibus, morsibúsque præservare perhibetur? Hugo sanè de S. Victor. Ser. 55. de festo B.V. clarè proprietatem hanc Galbani appropriat Virgini Deiparæ: *Galbani fumigatio*, inquit, *sicut Physicorum libri attestantur, reptilia fugat. Reptilia verò turpium cogitationum in humanis cordibus irreptionem aptè significant. Quasi Galbanus ergò B. DEI Genitrix veraciter extitit, quia de cordis sui aditu omnis immundæ cogitationis irreptionem propulsavit.* Ita Hugo.

P. Ripam Minoritam B.V. ob obscœnis cogitationibus visibiliter liberavit.

17. Præsentissimam Virginei hujusce Galbani contra obscœnarum cogitationum irreptionem vim expertus est P. Ripa Transonis Minorita, qui assiduè Christi Domini, Matrísque ejus cruciatus recolebat. Vice quadam dum eos attentiùs meditaretur, & Virginem per acerbissimos illos ejus dolores obsecraret, ut sibi puritatem cordis obtineret apud Filium, mox Virgo benignissima se se ei visendam exhibuit, manúque suâ super pectus extentâ: En tibi, inquit, quam tantopere flagitas, puritatem cordis.

18. Quòd si per serpentes peccata quæcunque lethifera, animæ DEO desponsæ venustatem desædantia, eámque miserrimè enecantia intelligamus, agnoscemus sanè Virginem Galbanum esse, siquidem puritatis omnis, ac sanctimoniæ Mater, illa tanquam suo Filio odibilia, velut venenatos serpentes horret, & detestatur. Peccata porrò esse serpentes quosdam abominabilissimos, docuit. Siracides cùm Eccl. 21. monebat: *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te.* Utque majorem peccati horrorem nobis ingeneret, idem peccatum ferocissimo Leoni, animas devoranti, & gladio ancipiti, easdem interimenti, comparavit. *Dentes Leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* Quam sententiam pulchrè carmine expressit S. Paulinus in Natali S. Fælicis.

Deipara SS. Horrorem peccatorum ingenerat, quod S. Paulinus expressit.

Ut faciem colubri Salomon peccata timeri
Horrerique monet, dicens: armata leonis
Dentibus; & verè, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

19. Quòd si per faciem Denique colubri intelligamus cum Rabano Diabolum, agnoscemus Virgineum Galbanum hunc à cordibus fidelium cum omnibus ejus spurcissimis peccatorum maculis profligare. Et verè meritò Cacodæmon colubro comparatur. *Coluber enim ille antiquus*, inquit Rabanus, *qui semper colit umbras peccatorum & regnat Filijs tenebrarum, interitum nostrum sine cessatione desiderat, ideóque nobis suggerit opera facinorosa, quibus videlicet animarum nostra-*

Virgo Deipara profligat dæmonem cum omnibus suis suggestionibus.

nostrarum puritas maculatur, Deóque detestabiles reddantur.

20. Quòd si in serpentibus Hæreticos agnoscamus: intelligemus sanè Virginem Galbanum illos fugantem, imò interimentem esse, siquidem in ejus laudem ipsi concinit acclamátque Ecclesia: *Gaude MARIA Virgo cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.* Quòd porrò Hæretici, Tartarei quidam sint colubri, mortali ictu hominum corda ferientes, luculentè S. attestatur Ambrosius, qui lib. 2. in cap. 2. Lucæ contra Arium differens, divinitatémque Filij Patri coæqualem, licèt Parentibus subditus fuisse perhibeatur, adstruens: *Non utique*, inquit, *infirmitatis, sed pietatis ista subjectio esto: attollat licèt sævis emissus latebris coluber perfidiæ caput, & serpentinis evomat venena pectoribus. Cùm dicit se Filius missum, majorem Hæreticus appellet Patrem, ut imperfectum Filium dicat, qui potest habere majorem, ut alienis auxilijs asserat, eum, qui mittitur indigere.* Sic ille.

VirgoDeipara interimit Hæreses.

21. Hinc S. Bernardus Ser. de verb. Apoc. de Virgine Tartareos hosce Serpentes triumphante loquens: *Nimirum*, inquit, *ipsa est quondam à DEO promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cujus planè calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa, sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat, alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat, alius DEI Matrem, audire non sustinens, magnum illud nomen Theotócos impijssimè sugillabat, sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes. Denique & continuò per Herodem Draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens Filium devoraret, quod inimicitiæ essent inter semen Mulieris & Draconis.* Hæc Bern. Quibus Hæreticos venenatis serpentibus calcaneo Virginis insidiantes comparat.

D.Bernardus varios hæreticos enumerat, & serpentibus calcaneo insidiantibus comparat.

22. Iidem conferuntur virulentissimis scorpionibus: Unde locustæ illæ apud D. Joan. Apoc. 9. Hæreticos figurantes, ut clarè diffuséque ostendit Viegas Comment. 2. Se. 12. habere dicuntur caudas similes scorpionum, in quarum etiam caudis aculei visebantur. Quemadmodùm enim scorpiones caudarum aculeis feriunt: ita Hæretici, quamvis ore blandiantur, morum licentiam carnísque voluptates permittentes, fines tamen exitúsque habent aculeis plenissimos, & non modò duplicem aculeum, ut habere dicuntur scorpiones, verùm innumeros, eósque sævissimos, siquidem quos venenô sui erroris inficiunt, multis, hìc implicant involvúntque pungentibus planè anxietatibus ac miserijs, ac tandem sempiternis æternæ mortis aculeis in inferno addicunt. Quam bellè congruit illud, quod vidisse se testatus est amicus ille Jobi cap. 4. *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante DEO perijsse* Quæ verba Divus expendens Gregorius lib. 5. Mor. cap. 15. *Dolores seminant, qui perversa agunt, dolores metunt, cùm de eadem perversitate puniuntur, fructus autem doloris est retributio damnationis.* Hæc Greg.

Hæretici Scorpionibus comparantur.

23. Serpentes igitur hosce, ac scorpiones Hæreticorum, Virgo nostra ceu Galbanum fugat & occidit, dum per fidos suos clientulos eorum fraudes technásque aperit, dum judicibus pravitatísque Hæreticæ Inquisitoribus assistit, eísque vires robúrque ad rectè absque ulla

formidine judicandos hujusmodi farinæ homines subministrat. Quare de his quoque Ecclesiæ Rectoribus, potestatibus ac Judicibus dicere potest Virgo sanctissima Prov. 8. *Per me Reges regnant & legum conditores justa decernunt, per me Principes imperant & potentes decernunt justitiam.*

Ex Prædicatorum Ordine P. Elsa Hæreticos Abyssinos prodigiose ope B. V. convicit & convertit.

24. Fugavit Virgo nostra velut Galbanum serpentes hosce, imò etiam perdidit, sui fidelissimi clientuli Elsæ Indi, è Dominicana familia Religiosi, qui cùm ad Regem Abyssinorum ab eo vocatus proficisceretur, ad convincendum Hæreticum, qui Virginem sanctissimam per summum nefas Matrem Dei esse pernegabat: Ipsius enim precibus suffultus, visus est in oratione, quam fundebat ad divinam Deiparæ defendendam maternitatem elevatus, cum equo aliquot cubitis à terra. Itàque Hæreticum illum convicit! Sed cùm ille nihilominus in errore persisteret, Regis jussu quatuor leonibus famelicis traditur, à quibus momento temporis devoratus est. Verùm cùm id ægerrimè ferrent nonnulli, qui in eadem persistebant hæresi, petière à Rege instantissimè, ut & ipse P. Elsa leonibus devorandus objiceretur, ac tunc demum omnibus palàm futurum, an Virgo Dei Mater habenda sit: Iniquâ hâc postulatione auditâ Rex non mediocriter turbatus est, verùm animadvertens rem ad seditionem tendere, rogavit virum sanctum, ut Deiparæ fretus patrociniô ad tumultuantem populum sedandum, veritatisque confirmationem se leonibus objici pateretur. Cui postulationi ille non gravatè assensus est; Quare ubi se priùs signô Crucis, patrociniòque munijsset Virginis sacratissimæ, in mediam leonum rugientium turbam fiduciâ in Deum ejusque Matrem plenus se se conjecit. Qui suæ naturalis feritatis obliti, ei manus pedésque adblandiendo linxère. Quô visô portentô Rex immortales Deo gratias egit, quòd tam insigniter divinam Maternitatem beatissimæ Virginis confirmare non fuerit dedignatus. Ex lib. de Viris Illustribus Dominicanis.

25. Expertus est hanc Virginei Galbani contra hujusmodi serpentes vim prædicans Lutheranus, magnæ inter illos auctoritatis, qui postquàm in quadam concione funebri vehementissimè contra Sanctorum, eorumdémque Reginæ sanctissimæ Imagines esset debacchatus, ac præsertim illius toto orbe celeberrimæ atque charissimæ Claramontanæ, multis in illam per summum nefas evomendo blasphemias; cùm post suam, illam blaterationem è templo egressus, ac medius inter alios, securúsque incederet, O rem planè prodigiosam! Sex equi curules cujusdam viri Catholici, qui tunc currui juncti, aurigis etiam insidentibus, non longè a templo stabant, maximo cum impetu ac ferocia cucurrerunt, cúmque summo cum fremitu miserrimè contriverunt nequicquam obsistentibus aurigis, aliisque hominibus circumstantibus, qui nunquam eorum rabiem, donec eum mortuum dimiserunt, frænare valêre. Cal. B. V. 24. Nov.

Hæreticum contra Imagines B. V. debachantem sex equi curules prodigiosè incitati, miserrime contriverunt.

26. Experti sunt denique superiori anno 1645. Sueci Duce Dorstensonio Lutherano, in obsidione Brunensi Virginem nostram Galbanum esse, serpentes Hæreticorum effugantem, dum quatuor mensium spatiô Urbem illam acerrimé oppugnantes, quà horrenda machinarum bellicarum eáque assidua displosione, mœniúmque conquassa-

Sueci Duce Dorstensonio, maximâ suorum jacturâ, prodigiosè ab obsidione Brunensi, succurrente civibus Beatissima Virgine, recedere coacti sunt.

quassatione, quâ subterraneis etiam Ducis Transylvaniæ Rakocij Calvinistæ, qui in subsidium venerant, assultibus pudore affecti, rabidi ac furibundi, multis millibus suorum amissis, recedere sunt coacti. Hujus ipsorum confusionis, communi omnium existimatione, causa ipsa Virgo Deipara, cujus tutelæ se se Civitas illa commiserat, fuisse, perhibetur. In hac enim tam diuturna obsidione frequentes, eæque planè horribiles in Divam Virginem sub mænibus jactatæ à militibus Lutheranis sunt blasphemiæ, quæ nimiùm quantùm piorum Civium aures vulnerabant. Ac ut reliquas sileamus, illæ planè fuêre execrabiles, dum laudes litanijs lauretanis contentæ à Studiosis nostrarum scholarum, qui simul musicos & milites agebant, singulis diebus ad vesperum modulatis vocibus, musicisque associatis instrumentis, in ipsis mœnibus piè decantarentur, auditæ fuerunt, quibus DEI Matrem (hìc mens horret attonita, vox hæret faucibus, horror artus mihi omnes occupat) Meretricem prô nefas appellare ausi sunt per ludibrium cum risu: Concinite, concinite vestræ meretriculæ, clamitantes. Quibus tartareis planè clamoribus id consecuti sunt, ut ab illa obsidione, è qua summam sibi gloriæ messem comparare persuaserant, ignominiosè inglorij, sibilisque Præsidiariorum militum Brunensiúmque Civium excepti, recedere coacti sint.

S. Justina ope B. V. omnibus magicis artibus devictis, ipsum Cyprianum Magum convertit.

27. Et quoniam Magos ob pactum tacitum vel expressum cum humani generis hoste, deteriores hæreticis esse duco, quicunque devotione ac pietate peculiari Virgini sunt adstricti, ij veluti Galbaneo quodam liquore peruncti, nullos hujusmodi serpentum scorpionúmque ictus pertimescunt. Experta est hoc Justina Virgo, quæ, ut scribit S. Greg. Nazianz. in orat. de S. Just. & Cypr. libidinis ardentissimis facibus à Cacodæmone (quem magicis artibus Cyprianus ad oppugnandum Virginis animum, quam juvenis quidam perditus perditè deperibat, miserat) ad DEUM confugit, simúlque ipsius Virginem Matrem, supplex obsecrans, ut sibi periclitanti opem in tantis cupiditatum ardoribus ferre velit: Interea corpus jejunijs, humi cubatione cruciabat, ac in servitutem redigebat. Quibus pietatis exercitijs armísque spiritualibus instructa, id consecuta est, ut non modò de humani generis hoste, illibatô pudicitiæ conservatô flore triumphârit, Verùm etiam ipsum Cyprianum ad Christi fidem converterit, Martyriíque tam gloriosi socium habuerit; Cùm enim Cyprianus incantationibus ac veneficijs cum dæmone suo familiari ageret, ut Virginem ad vota Juvenis illius pertraheret intellexisséque ex ipso, nullam illi artem processuram adversùs eos, qui verè Christum ejúsque Matrem colerent, vehementer dolere cæpit vitæ superioris institutum, relictisque mox magicis artibus, Christianorum sacris initiatus est. En ut Justina Virgo pietate singulari in Deiparam, veluti Galbani liquore perfusa, nec Tartareorm hostium nec Magorum insidias velut lethiferorum serpentum ictus ferire potuit.

DEI Mater est illa Virga mosaica, quæ ægyptiacorum sepentes devoravit.

28. Nimirum DEI Mater est Virga illa Mosaica, quæ in serpentem divinæ sapientiæ versa, Ægyptiacorum serpentes Diabolicis præstigijs ab inferis excitos devoravit, omnémque Tartaream eorum astutiam ac fraudem perdidit, ut videre est Exo. 7. Qua de re audiendus Richar-

Richardus à S. Laurent. lib. 12. *MARIA est Virga Moysis, quæ versa in colubrum, Dracones Ægyptiorum devoravit: Quia cùm MARIA Christum induit carne, quæ similis erat peccatrici, hæreses, quibus impij Ægypto,* id est, *Mundo illudebant, cum virtute suæ prolis, cum exemplo suæ sanctitatis delevit.*

Deipara devorat serpentes, dum facit cum tentatione proventum.

29 Quod impletum est, quando ipsa cum Filio ingrediente Ægyptum, omnia Idola corruerunt, uti prædixerat Isa. 19. dicere etiam possumus quod B. V ore aperto ad Filium exorandum devorat, & annihilat serpentes, id est, astutias Dæmonum & tentationum animas venenantes. Unde dictum est serpenti Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Tunc etiam devorat serpentes, hoc est Dæmonum tentantium astutias, quando facit cum tentatione proventum, juxta illud Psal. 106. *omnis sapiuntia eorum devorata est.* Hæc Richardus.

Galbanum tussi, respirandi, loquendique difficultati medetur. Beatissima Virgo non tantum spiritualiter gutturis pectorisque medetur angustiis, sed etiam corporaliter. D. 14. n. 30. n. 31.

30. Quid de altera illa Galbani dicemus proprietate, quâ tussi, ac respirandi loquendique medetur difficultati? Hanc loquendi difficultatem illam potissimùm esse dixerim, quam quis peccata sua in Sacramentali confessione explicandi experitur, cui difficultati medetur Virgo nostra; siquidem nonnullos etiam ab inferis revocare non dubitavit, ut scelera sua benè, distinctè ac legitimè ad pedes confessarii eloquerentur, ut alibi aliis exemplis comprobatum est. Hinc eadem DEI Mater S. Birgittæ revelans lib. 4. Revel. cap. 126. quibus mediis quidam Episcopus reduci posset, ut vitam sanctam transigeret; Inter alia hæc habet: Tria sunt, quibus vitatur peccatum, scilicet pœnitere fideliter de omnibus, quæ remordent conscientiam; nolle ea iterum voluntariè committere; & commissa ac confessa stabiles emendare, juxta consilia eorum, qui mundum contempserunt. Eadem Virgo tanquam Cantatrix egregia, & Tympanistria excellentissima, MARIÂ illâ Sorore Moysis longè eminentior, ad laudandum DEUM, suum illud mellifluum concinendo Canticum, ora Mortalium, mira facilitate resolvit, ut ea ita præcinente nullam respirandi invenirent difficultatem, uti supra de Storace memoravimus.

Magdalena quædam ab oculi & gutturis tumore ope B. V. liberatur.

31. Neque verò Virgo sanctissima spiritualiter dumtaxat gutturis pectorisque medetur angustiis, verùm etiam corporaliter, uti experta est fœmina quædam Nomine Magdalena, quæ Lyræ Civitate Brabantina cum anno 1615. ei facies ita contumuisset, ut vix videre posset, eóque tumore alter oculorum planè occlusus esset, guttúrque à foramine in eo enato adeò malè haberet, ut nîl loqui, nîl cibi, nîl potionis deglutire posset: cùm humana ope se destitutam cerneret, ad Deiparam confugit, conceptô votô, visitandi triduô ejus Imaginem, quæ ea in Civitate variis clarescit miraculis, quod piæ visitationis officium, dum frequentat, & gutturis & totius corporis valetudini optimæ restitui à benignissima Virgine promerita est. Cal. B. V. 19 Jan.

Sampson impiorum in circuitu ambulantium figura.

32. Sed nec illa Galbani proprietas prætereunda, quæ vertiginem curat. Deipara certò, etiam impios, qui terrenorum bonorum amore excæcati, in circuitu ambulant, modò devotè invocetur, à periculosa mentis vertigine liberare consuevit. Horum impiorum in circuitu ambulantium figura fuit Sampson, quem cùm apprehendissent Philisthiim, ut vide-

re

tæ est Judic. c. 16. Statim eruerunt oculos ejus, vinctúmque catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Quod factum S. Paulinus Epist. 4. ad Severum expendens, ita loquitur: *Qui peccatum operatur, de mola vitæ suæ hostile triticum molit, ut Zabulum id est, Diabolum pascat, cui panis sit anima, quæ sibi fames est.* Audiendus hìc Gregorius Magnus lib. 7. Moral. cap. 13. qui de hac mola, cæcitatéque Sampsonis præclarè disserit: *Plerùmque*, inquiens, *priùs oculus contemplationis amittitur, & post per carnis desideria hujusmodi laboribus animus subjugatur, prout testatur Sampson ab Allophilis captus, qui postquàm oculos perdidit, ad molam deputatus est, quia nimirum maligni Spiritus, postquàm tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittuntur.*

33. Quare cum Dei Mater negligentem quendam muneris sui Episcopum, Sampsonis miserabili hac vertigine laborantem emendare vellet, variáque media S. Birgittæ lib. 4. Revel. cap. 126. aperuisset, inter reliqua docuit: à tribus hostibus in via divini obsequii occurrentibus ipsi cavendum esse: Primus quippe hostis inquit, sibilat in aures ejus. Secundus stat ante eum paratus pungere oculos ejus. Tertius jacet ante pedes ejus, altè clamans, & habens laqueum, ut illaqueet pedes ejus, si ad clamorem ejus in altum eleventur. Quod porrò pungit oculos, est pulchritudo mundi, & possessiones terræ, apparatus rerum & vestium, favores hominum, & honores. Cùm enim omnia ista appetuntur, & offeruntur, sic excæcant oculos animæ & rationis, ut dulciùs videatur, stare cum Sampsone ad molam curæ mundialis, quàm cum Sponsa Ecclesia ad dispensationem curæ Pastoralis. En! ut Virgo benignissima tanquam Galbanum quoddam Episcopum illum vertigine curarum, cupiditatúmque mundi laborantem, & in circuitu ad instar Sampsonis miserrimè ambulantem, sanavit. Dignum sanè est, ut à quocunque Prælato caput illud totum attentè perlegatur, documentáque ibi præscripta altè in animum demittantur; quibus si quis sedulò utatur, facilè ad summum perfectionis, quæ ab Episcopis exigitur, culmen ascendet, speculúmque lucidissimum absolutissimæ sanctitatis evadet, simúlque clarè perspiciet, quanta cum charitate ac benignitate Virgo nostra, velut Mater amantissima, Ecclesiæ Pastoribus, ac custodibus ipsa Pastrix ac Vinearum Ecclesiasticarum Custos assistat. Inter quæ profectò documentum illud est omnino memorabile, quô Episcopis aspirationem ad altiores dignitates interdicit, Cùm enim animus, inquit, talibus suggestionibus illuditur, mox incautè extenditur pes ad cupiditatem, & inquiritur modus ascensionis ad sublimiorem statum, & tunc animus sic innectitur laqueis cupiditatis, & solicitudinis temporalis, ut vix consurgat. Nec mirum: Scriptura enim dicit, quod qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Quid est illud bonum? Certè laborare pro animà, pro honore Dei, laborare pro æternalibus, & non casuris. Nunc autem omnes desiderant honorem, sed non laborem, qui tamen non est honor, sed afflictio. Ubi enim non est onus laboris Divini, ibi non subsequitur honor animæ apud Deum. Propterea Episcopus non appetat altiorem gradum, vel alium, quàm habet, quia laqueus absconditus est in terra, & Decipula super semitam

Deipara præscribit media curandi Sampsonis miserabili vertigine laborantes.

ambulantis. Et ideò utile est ei stare in statu, quem habet, donec DEO placuerit ei aliter providere, aut superior Ecclesiæ Prælatus aliud præcipiat ad honorem DEI. Hactenus Deipara.

Galbanum Virgineum morbum caducum sanat, dum ab avaritia, inordinataque divitiarum cupiditate mortalium animos avocat.

34. Morbum etiam caducum, Virgineum hocce Galbanum sanat, dum ab avaritia, inordinatáque divitiarum cupiditate mortalium animos avocat. *Avaritia* enim inquit Bernardinus Bustius, *est morbus caducus: Sicut enim hôc morbô laborantes, cadunt in terram, sic avari semper terrenis inhærent. Beata autem Virgo morbum hunc exemplô suæ paupertatis sanat, quia omnia terrena despexit.* Unde Bernardus: *quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuit omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaciat.* Quilibet ergo qui hôc morbô caducô infirmus est, rogare debet Virginem glorisam, eique cum Siracide Eccli. 23. dicere: *Ne sinas me cadere in illa exprobratione, & omne malum desiderium averte à me.* Quamobrem cuilibet cum sapiente supplicandum Virgini quàm humillimè, eique dicendum cum fiducia: Duo rogo te, ne deneges mihi antequam moriar: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem Nomen DEI mei.* Prov. 30. 7.

Per Lunam quam B. V. calcavit, mutabilia bona intelliguntur.

35. Quare quoties rerum terrenarum cupiditate, inexplebilique divitiarum auri, argentique, quæ terra alba & rubra sunt, vexemur siti, ponamus nobis ob mentis oculos Deiparam, eo schemate, quô illam S. Evangelista Joannes in Cœlis stellis coronatam, sole vestitam, lunâ calceatam, & sublunaria omnia, résque mutabiles ac varias per lunam denotatas pedibus proterentem vidit. Habet enim Luna mutabilitatem, inquit Bernardinus Bustius Par. 12. Ser. 1. causat frigiditatem ac lucem. Per mutabilitatem significantur bona temporalia, quæ mutabilia ac defectibilia sunt ut Luna; Beata enim Virgo omnia terrena contempsit, ne aliquo modo impedirent aut retardarent ejus ad Christum dilectionem. Unde meritò ipsa de se ajebat Eccli. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Amor enim comutabilis boni semper aliquo modo derogat amori incommutabilis boni. Proinde Augustinus lib. 10. Confess. cum DEO loquens: *minùs*, inquit, *te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Frigiditas autem significat mundanam prudentiam frigidam, ac ad instar noctis tenebrosam: Et hanc sub pedibus habens Virgo nostra, partim sprevit., atque conculcavit, partim suo subjecit famulatui, quia illâ tantùm ad DEI laudem usa fuit. Lux verò lunaris creaturarum intelligentiam denotat, quam etiam Virgo sub pedibus habuit: Omnium enim Creaturarum cognitionem in comparatione ad supereminentem Christi scientiam parvi pendit; Si enim Apostolus dixit: *Quæ mihi fuerunt lucra arbitratus sum propter Christum detrimenta: existimo enim omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi:* quantò magis ipsa benedicta Virgo hoc egit, quæ Mater extitit Salvatoris?

Lunæ frigiditas Mundanam prudentiam, lux illius creaturarum intelligentiam indicat, utrámque B. V. sub pedibus habuit.

Vitiorum morbis laborantes, quanam ratione confugere debeant ad Deiparam medelam petentes.

36. Quare pulchrè docet Richardus à S. Laur. homines varijs vitiorum morbis terrenarúmque rerum cupiditatibus laborantes, quanam ratione confugere debeant ad Deiparam, eámque pro medicina deprecari. *Dicat*, inquit, *Beatæ Virgini superbus! Tolle à me inflationem, & superbiæ nubem; inexorabi-*

rabiliter enim odit superbiam qua inæstimabiliter humilitatem dilexit. Similiter avaritiam, cùm sit Mater pietatis, & luxuriam, cùm prima emiserit Virginitatis votum. Dicat igitur ei avarus, siquidem verè est Mater pietatis. Tolle à me duritiam avaritiæ, & da teneritudinem misericordiæ: Dicat ei luxuriosus, siquidem verè est Virgo Virginum extinque in me concupiscentias carnis, & fac mundum ac pudicum: Dic: Nos culpis solutos mites fac & castos.

37. Denique ad morbum hunc caducum, quô quis rerum caducarum terrenarúmque cupiditate agitatur, terræque allidi tur, persanandum remedium præsentissimum, est frequens oratio ad DEI Matrem, firmáque in illam fiducia, quòd nobis de omnibus ad vitam tolerandam necessarijs provisura sit. Unde Venerabilis Richardus à S. Laur. lib. 2. par. 1. causas recensens, cur ipsi servire tenemur, 26. affert: quia Pastum subministrat famelicis, & potum sitientibus. Unde de illa dici potest sicut de Filio: Jacta cogitatum tuum in Dominam, & ipsa te enutriet. Ipsa enim esurientes replet bonis, & dat escam esurientibus: dicat cùm Jeremia 31. cap. *Inebriavi animam lassam, & omnem animam esurientem salvavi.* Ipsi etiam dicere possumus sicut Filio: omnia expectant, ut des illis escam in tempore; Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Quare argutè de hac Virginis providentia conclusit Novarinus: *Non facilè jactatur, qui cogitatum in DEI Matrem jactat.*

Caducarum rerum cupiditate velut morbo caduco agitati, confugiamus ad Deiparam pro præsentissimo remedio.

38. Quòd si Galbanum accipiatur pro ipso ligno sive ferula, quâ tum ad feriendum, tum ad corpus vice baculi sustentandum utimur, pulchrè etiam hoc schemate ipsa nostra benignissima atque fortissima adumbratur, quæ ferula dicitur; *Quia*, inquit Bustius, *Diabolum ferit: Habebat enim ille magnam potentiam, magnam astutiam, magnámque malitiam; at verò Virgo contrivit hanc ejus potentiam, Domino dicente* Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Eadem confudit ejus astutiam: Hæc est enim mulier illa, de qua dictum est ab Assyrijs Judit 14. *Una Mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Eadem denique dejecit ejus malitiam. Quam ob causam Judit. 19. ei dicitur: *Erit memoriale Nominis tui, cùm manus fæminæ dejecerit eum.* Hæc enim est Judith illa Generosissima Heroina, de qua potiori jure dici potest: *Tradidit eum Dominus in manus fæminæ & confudit eum.* Ipsa enim habet Dæmonem in sua potestate, eúmque, quando vult, potest expellere ac fugare. Hactenus Bernardinus.

Galbanum si pro ligno sive ferula accipitur, valet ad feriendum, & sustentandum

corpus. B. V. ferula dicitur quia Diabolum ferit.

39. Hanc ob causam Richard. appellat Virginem Deiparam Virgam defensionis, quâ se debent fideles defendere à canibus, id est à morsibus tentationum Diaboli, invocando scilicet Nomen ejus, quia ipsa est Virga Virtutis: Sed si tantum modò habeatur in ore, sicut illi habent, qui eam tantummodò laudant, vel salutant, nihil ad honorem ejus operantes, non benè se per eam defendunt; accipiatur ergo in corde per meditationem, & amorem, in ore per eandem & salutationem, in manu per operationem operúmque conformitatem, atque ita ad omnimodam defensionem erit utilissima. Propter hoc dicitur Marci 6. *Nihil tuleritis in via, nisi Virgam tantùm*, MARIAM videlicet per jugem meditationem ad defensionem vestram. Sic ille.

Virga virtutis, virga defensionis Maria, quam qui in ore, corde & opere gestat, securus est ab hostibus.

40. Neque verò ipsa Virgo formidabilis est Dæmonibus ad instar

Angelica salutatio Tonitru in rota, Gladius Judith, Clavus & Malleus Jahel, quo infernales hostes perimuntur.

ferulæ percutientis, [verùm etiam ipsa ejus Angelica salutatio, de qua perven ustè Jacobus de Voragine Archiepiscopus Januensis, Ordinis Prædicatorum decus, qui Serm. 5. de Annunc. ita loquitur: *Cùm illam salutationem audit Diabolus, timet, ac si tonitruum audiret, quô rotetur, ac terreatur: Hæc enim est tonitruum illud, de quo Psalmista: Vox tonitrui in rota. Terretur, inquam, ad salutationem hanc, ac si videret clavam, quà percutiatur: Hæc est enim Virga illa: Consurget Virga de Israël, & percutiet Duces Moab.* Num. 24. *ac si videret gladium, quô juguletur. Hic est enim gladius ille, de quo* Judit. 13. *Amputavit Judith pugione caput Holofernis.* Ac si denique videret clavum & malleum, quo excerebraretur, uti fecit Jahel Sisaræ tempora perforans. Hæc ille.

Confirmatur exemplo desperati Dæmones evocantis.

41. Quæ sanè veritas variis conformari potest exemplis, quæ luculenter ostendunt humani generis hostem, armis salutationis Angelicæ sæpissimè prostratum jacuisse. Refert Bernardinus Bustius Par. 12. Marial. Serm. 2. fuisse quendam super Nursiam ad lacum Pilati, qui ob sua enormia flagitia in desperationis barathrum corruerat, eóque dementiæ devenerat, ut sæpiùs horrisoné ingeminaret: O Dæmones! Venite: ad cujus vocem mox cùm pleni furore advolâssent, quæsière ingeminando: quid vis? quibus ille cùm dixisset: Portate me vobiscum, quia tædet ampliùs vivere, illico intulêre: Non possumus propter coronam illam, quam hodie recitâsti.

Nimirum salutatio Angelica, quâ Corolla Beatæ Virginis contexitur, Galbani quædam ferula, ac baculus est, quem Tartarei canes illi, ac cerberi nimiùm quantùm perhorrescunt.

42. Idem Bernardinus refert Adolescentem quemdam, Perusii literis operam dantem, insanis amoris ignibus puellæ cujusdam exarsisse; quâ ut potiretur, Necromantem quendam adjit, à quo cùm superstitiosô quôdam Circulô esset conclusus, & Cacodæmones ab inferis voce horrifica excivisset, respondere coacti sunt, se malo ejus nullum auxilium afferre posse propter coronam, quam eo die persolvisset.

Confirmatur exemplo Adolescentis Necromantem accedentis.

43. Unde vim eximiam atque energiam salutationis hujus Angelicæ piissimus vir adversùs Tartareos hostes obstupescens, sic exclamat: *O pretiosa, & gloriosa Virgini gratissima corona, quæ tanta es virtutis, ut Dæmonum superes potestatem!* Nec immeritò: Nam per ipsam coronam benedicimus illam, per cujus benedictionem confractæ sunt Diabolicæ potestates. Quando autem in Corona ipsi benedictæ Virgini dicimus: benedicta tu in mulieribus, perinde est, ac si diceremus: Benedictus sit dies, in quo nata es, benedicta hora, quando orabas, benedicta, quando fuisti Desponsata, benedicta, quando fuisti annunciata: atque ita renovamus ei coronam ab Angelo illi de Paradiso allatam. Ipsa verò unicuique nostrûm respondet: Benedicta sit vita tua, & benedicti anni tui, menses ac dies tui, &c. omnia. Hæc Bernard.

Dum benedicimus MARIAM, benedicimur ab ea.

44. Quod si ferulam consideremus, ut illâ vice baculi ad sustentaculum utimur corporis, dicere poterimus, hanc Virgineæ pietatis ac Misericordiæ in proximos esse Symbolum; baculus sustentet illum, qui ex se pedibus consistere aut non potest, aut ambulare nequit, & si illô destitueretur, in teram prolabi eum esset necesse. Hinc Mater Tobiæ, sciens Filium senectutis ipsorum sustentaculum,

Misericordiæ Marianæ Symbolum Galbani ferula, & baculus Tobiæ.

con-

consolationem, auxiliúmque in miserijs præsentissimum, orbitatem suam deplorans, ajebat Tob. 10. *Heu, heu, me! Fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?* Hinc Job de sua misericordia in pauperes loquens. *Pes fui claudo, oculus cæco.* Observandum porrò, quòd ferula hæc stillet lacrymam quandam odoriferam, quæ componebat cum reliquis tribus aromatis preciosissimis gratissimum illud, quod Divinæ Majestati manè ac vesperi adoleri consueverat, Thymiama, quâ significantur pietatis opera quæ Virgo tam dilectissimo suo Filio in carne commoranti, quàm reliquis ejus membris exhibuit, ex intimis misericordiæ visceribus corde amantissimo ac tenerrimo, quod in lacrymas totum quodammodò solvebatur, processisse. Hinc Oliverius noster in Ecclesiasticum: Quidam ajunt, Galbanum Symbolum esse eleemosynæ. Est enim Galbanum ferulæ odoratæ succus. Ferula ad baculum est nata; significantur autem baculi nomine beneficia, quibus inopes sustentantur & sublevantur: éstque vir liberalis baculus, vel pes claudo, affectus verò beneficentiæ, est ipse succus ferulæ odoratus, qui ex animo exsudat, estquè lacryma commiseratio de proximi malo. Similia habet Pater noster Ludovicus Alchazar in Apoc. Quam ob causam Franciscus de Betza Ord. D. Dominici illustre jubar, Tom. 1. M. S. super Salve Regina, (quem videre licuit in Monasterio Viennensi) ait B. V. esse lapidem illum, quem vidit Zach. 3. 9. habentem oculos septem, ob septem misericordiæ opera tam corporalia, quam spiritualia, quæ Virgo exercere consuevit, aítque hos oculos discurrere in universam terram. Zach. 4. 10. ut omnium necessitatibus ac miseriis prospiciat. *Sciendum*, inquit ille, *quod Beatissima Virgo oculos misericordes, & misericordiam habuit in Summo, ei præ cunctis à fonte misericordiæ Christo communicatam: & hoc vidit Propheta, eâ nondum mundo exortâ & natâ, cùm dixit: Isti sunt septem oculi discurrentes per universam terram. Ubi notatur, quòd oculi MARIÆ habent providentiæ charitatem, quia oculi sunt diligentiæ; bonitatem, qui discurrunt, ut pluribus sua bona communicent, & influentiæ largitatem, quia per universam terram. Primò enim debilia considerant, ut succurrant; Oculi omnia inquirunt, & perlustrant, quia discurrunt, & singulorum necessitates relevant; & non solùm discurrunt per universam terram morientium, quæ est in hoc mundo, sed etiam per terram viventium in cælo, dans omnibus affluenter de misericordiæ suæ affluxu largissimo.* Super quo sic stupendo exclamat Bernardus: *O Benedicta, quis misericordiæ tuæ longitudinem, latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam longitudo misericordiæ tuæ usque in novissimum diem invocantibus subvenit universis: latitudo ejus replet orbem terrarum, ut misericordiâ ejus plena sit omnis terra: Sublimitas tua Civitatis supernæ invenit instaurationem, & profundum sedentibus in tenebris, & in umbra mortis, invenit redemptionem.* Ecce quomodo oculi isti piissimi per omnem necessitatem relevandam diffusi ac intenti, & præsertim super Filios Ecclesiæ, quæ est domus ejus. *Sunt aures ejus intentæ, & oculi aperti die ac nocte?* 2. Paral. 8. Tandem fusè probat, quânam ratione Virgo benignissima septem misericordiæ opera, præsertim verò Filio in hac vita ministrando, exhibuerit: Unde ait, illam misericordiæ suæ oculos primò convertere ad Christum ejus Filium benedictum

Galbanum Symbolum Eleemosynæ, quia Galbanum ferulæ odoratæ succus.

Lapis Zachariæ tertio habens oculos septem, id est, septem opera Misericordiæ, B. V. Symbolum est.

dictum specialiter, & secundò ad Cœtum pauperum indigentium generaliter, &c.

45. Ob hanc largissimæ atque diffusissimæ pietatis viscera omnibus patentia, Venerabilis Richar. lib. 12. de laud. B. V. Deiparam Virgam sustentationis vocitavit, ostenditque in primis antiquum illum dierum, humana cùm carne genus humanum invisentem, mirabiliter planè sustentâsse? *Hæc est Virga*, inquit, *sustentationis, sicut dicit Petrus Manducator, quam senes deferunt ad se sustentandos, qui quod non possunt propria virtute, faciant adminiculo virgæ. Sic antiquus dierum*, Dan, 7. *Cujus egressus ab initio à diebus æternitatis* Mich. 5. *non poterat per se stare, ambulare, discurrere, esurire, sitire, & hujusmodi, quæ non competunt Deitati: Ideò innixus est huic virgæ, & in ea incarnatus, & ipsa portatus, ut in carne, quam de ipsa acceperat, crucifigi posset, ac mori, & sic mundum redimere.*

Virga sustentationis Deipara, cui innixus antiquus dierum in incarnatione.

46. Verè Virgo Deipara antiquo illi dierum humanato Dei Filio Virga sustentationis, & ferula ac baculus, opera misericordiæ ipsi in infantia potissimùm exhibendo, extitit. Unde & per Martham illam solicitam Sororem MARIÆ, quæ hospitiô excepit Salvatorem, eique tam sedulò ministravit, adumbrata est, ut docet S. Anselmus in Hom. *Introivit JESUS in quoddam Castellum*, ubi ita loquitur: *Duæ istæ Sorores, sicut Patres exposuêre, duas in S. Ecclesia vitas designant, Martha activam: MARIA contemplativam: illa laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia, ista vacat & videt, quoniam DEUS est. illa circa exteriora occupatur, ista interiora contemplatur. Sicut enim Mater DEI est singularis, ita & istarum vitarum effectus, quarum istæ Sorores typum tenent, in ea extitit singularis. Nunquam in aliqua persona, imò in omnibus sic Martha operata est, nunquam illa vel hæc alijs, quod suum est, sic exhibuit. Cùm Martham vel MARIAM dico, eorum significata intelligo: Sed jam videamus actionem hujus Marthæ, deinde conjiciamus contemplationem hujus MARIÆ. Et ut planiùs id faciamus, quid alij per Martham operantur, & quid est ista operata, conferamus. Alij hospitem quemlibet in domo sua suscipiunt, ista non quemlibet, sed proprium DEI Filium, qui non habet, ubi caput reclinet, non in domo sed in utero suscepit. Alij nudum quemlibet veste mutabili, atque corruptibili undelibet compositâ operiunt, illa Verbum DEI, in illa Virginea carne in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incommutabilis permanet. Alij quemlibet esurientem, & sitientem cibô vel potu exteriori reficiunt, ista DEUM & hominem humanitatis indigentem, non solùm exterioribus cibis, vel potibus pavit, verùm etiam interiori suo lacte aluit. Et ut breviter illa sex misericordiæ opera percurramus, quæ cùm uni ex minimis suis facta fecerint, DEUS sibi facta confitetur: Ista non quemlibet ex minimis, sed summum DEI Filium hospitem suscepit, nudum vel etiam pannis operuit, esurientem pavit, sitientem lacte potavit, infirmum per infantiam, & jacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, leniendo, gestando frequentavit, ut meritò de ea dicatur: Martha satagebat circa frequens ministerium. Comprehenso & Crucifixo, quasi in carcere posito adfuit. Stabat enim juxta Crucem JESU Mater ejus. Inter hæc autem turbatur, & solicita erat, cùm fugeret in Ægyptum à facie Herodis, qui suum talem Filium adeò persequebatur, ut multos suspectæ ætatis pueros occideret. Turbabatur, cùm Judæos insidiantes, & mortem ei inferre molientes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, & juxta Simeonis vocem suam ipsius animam pertransivit gladius, cùm videret suum talem Filium comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari*

Per Martham & Mariam Magdalenam vita activa & contemplativa Deiparæ adumbratur.

nari, derideri colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Unde ei congruit: Martha, Martha solicita es, turbaris erga plurima. Nemo verò dubitat, quòd B. M. Filium suum vellet liberari de omni tribulatione, & se ipsam in perturbatione adjuvari à Divinitate, quam eidem suo Filio inesse sciebat, per theoriam, quæ est pars MARIÆ, hoc est, quod Martha conqueritur, quòd eam Soror reliquerit solam ministrare, unde & ejus auxilium in ministerio flagitat. Hæc Anselmus.

47. Ex quibus colligimus quâ ratione Galbaneæ instar ferulæ sive baculi, humanam antiqui dierum infirmitatem, miseriásque carnis sustentantis, fuerit Deipara. Quare jure merito de officijs ministerijsque dilectissimo suo Filio adhuc infanti, in domicilio illo perexiguo sed sanctissimo, quod Laureti visitur, exhibitis, ipsa gloriabatur: *In habitatione sancta coram ipso ministravi* Eccl. 24. Quæ verba expendens supra memoratus Richar. à S. Laur. lib 4. ubi agens, quibus in rebus MARIA excellens fuerit, præmissis varijs ejus excellentijs, hæc tandem addidit: in singulari ministratione coram Filio DEI: multi enim alij & multæ aliæ susceperunt Christum in suis Domibus uno die vel duobus aut tribus: ipsa verò in propria domo uteri Virginalis, non tantùm uno die, vel duobus, sed mensibus novem. Item alij paverunt eum cibis communibus, & fortè dederunt ei aliquod indumentum, ipsa verò de carne propria ipsi nudo, id est, puro DEO carnis contulit vestimentum, & de lacte propria ministravit alimentum: & sic de cæteris operibus misericordiæ poteris meditari. Et propter hoc dicit ipsa antonomasticè: coram ipso ministravi, id est, ad beneplacitum ejus. Singularis quoque fuit B. V. in singulari actione sive bona operatione, quâ Filio DEI, qui fuit in unum dives & pauper, sex opera misericordiæ exhibuit excellenter. Unde in Judicio poterit ei Filius DEI dicere excellenter. *Hospes eram & collegisti me* Matth. 25. Scilicet in Tabernaculo tui uteri Virginalis Unde Job. 31. quasi in persona MARIÆ ajebat: *Foris non mansit peregrinus*, scilicet Filius DEI *ostium meum viatori patuit*: De quo viatore Jere. 14. *Quare colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* qui viator, cùm non haberet, ubi caput suum reclinaret, susceptus est, & hospitatus in utero, & in domo Virginali. Dicere etiam tunc Filius poterit: *Nudus fui, & cooperuisti me*, vestimentô videlicet tuæ Virgineæ carnis, & pannis me involvisti, & in præsepio reclinâsti, dans simul vestem ac hospitium. Propter hoc comparatur Velleri Gedeonis, quia carnis suæ quasi lanâ vestivit Agnum DEI. Unde Filius ei dicere potest: *Pelle & carnibus vestivisti me.* Job. 10. Dicit rursus: *Esurivi & dedisti mihi manducare.* Unde Hieron. ait: quod acu & colô acquirebat, unde se & Filium pasceret. Hic dicitur pasci inter lilia, manus scilicet B. V. interprete Bernardo: Manus MARIÆ quædam lilia candidissima sunt, nec causabitur liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid inter MARIÆ manus invenerit. Dicet item: *Sitivi, & dedisti mihi potum*, lactis tui Virginei, quod ego solus bibi. *Infirmus eram & visitasti me*, cum crucifigebatur, & tu stabas juxta crucem. Tunc enim DEUS Pater percutiebat Filium pro scelere populi sui. *Tunc vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus.* Isa. 53. *In carcere eram, & venisti ad me.* Tunc vel maximè incarceratus fuit, quando positus in sepulchro. Unde ajebat: *In tene-*

Qua ratione Deipara opera Misericordiæ Christo filio suo exhibuerit.

 bro-

brosis collocavit me quasi mortuos sempiternos, lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Thr. 3. Tunc autem, licèt non legatur in Evangelio, non dubitatur tamen ad sepulchrum venisse Filii Mater piissima. Hinc Idem Hieron. *Quàm miserum erit, & impium, sentire de Matre, ut quando cæteræ sanctæ mulieres tantam curam habuerunt de Dominica sepultura, ipsa se absentaverit? Absit.* Hæc. Richar.

48. Quòd si verò modum, quô Deipara hæc misericordiæ opera perpetravit, consideremus, intelligemus sanè in jis exercendis mortales omnes perfectione superâsse. Audiendus hìc Ord. Seraphici Pelbartus lib. 7. Stell. Par. 2. ar. I. *Hæc misericordiæ opera exercuit B. V. in Summo super omnes viatores, quia operum misericordiæ alterum altero est majus & excellentius quinque modis. Primo, si fit ex majori charitate. Secundo, si fit magìs indigenti. Tertio, si magìs digno indigenti. Quarto, si fit cum majori affectu. Quinto, si fit ex magìs necessario & minùs superfluo. Hæc omnia fuerunt in B. V. in Summo: Charitas enim ejus omnium creaturarum præcellit charitatem, ex qua summa Charitate misericordiæ opera Christo exhibuit. Illa quoque maximè indigenti tribuit, quia nemo inter Viatores JESU pauperior fuit. Vulpes enim*, inquit ipse, *foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput. Eadem opera dignissimo pauperi impendit, quia nemo dignior mendicus fuit, quàm mendicus DEUS. Magnum quippe esset opus misericordiæ, quod fieret pauperi rustico, majus quod fieret pauperi Clerico vel Religioso, adhuc majus quod fieret pauperi Episcopo, & summum, quod fieret Papæ mendico: ergo improportionabiliter summum opus misericordiæ fuit, quod fiebat à Virgine gloriosa pauperrimo DEO. Maximum item misericordiæ affectum impendit, cùm se totam pauperrimo Christo in servitutem tradidit, & cùm nobis miseris & captivis mendicis ipsum DEUM, Filium suum dedit in redemptionem, cúmque ipso nobis dedit Regnum Cælorum ac omne bonum. Denique de non superfluo, sed omnino necessario opus misericordiæ exercuit circa pauperrimum DEUM, quia de proprio sanguine purissimáque sua carne in incarnatione ei tunicam ministravit, inque suo utero de purissimo suo sanguine eum alvit, ac mox natum proprio lacte cibavit ac lactavit.* Sic Pelbartus. Eadem pene habet Albertus Magnus Tractatu super Missus.

In modo exhibendi opera misericordiæ Deipara mortales omnes perfectione superavit.

49. Neque verò Virgo Deipara Filio Dei, dumtaxat baculus seu Galbanea ferula sustentationis extitit, dum illi tanta cum sedulitate ad instar felicitæ Marthæ ministravit, operáque pietatis corporalia exhibuit; verùm etiam reliquis mortalibus, ac præsertim jis, qui peculiariter se se ejus obsequiis addixerunt. Audiendus hìc rursus idem Rich. qui lib. 6. de Virgineis hisce pietatis ministeriis agens, ita loquitur: *Ministravit primo Elisabethæ parienti, deinde Filio DEI ex se nato; & ideò se nominavit ancillam, cujus est ministrare. Nec solis illis, sed & nobis ministrare non cessat, exemplô Filij, qui non ministrari venit sed ministrare. Ministrat etiam impugnatis à tentationibus Dæmonum, & maximè servis suis adstat, & consistit adjutrix fidelissima, quibus mundus, caro, Dæmonia diversa movent prælia: Ipsa enim amatoribus suis murus est inexpugnabilis & turris fortitudinis, Terribilis malignis spiritibus, ut castrorum acies ordinata, id est, sicut universitas sanctorum.*

Non tantum filio suo, sed reliquis mortalibus, præsertim sibi devotis, misericordiæ opera B. V. exhibuit.

50. Atque ut effusissima pietatis ejus viscera in mortales omnes videamus, libet singula tam corporalia quàm spiritualia misericordiæ opera breviter percurrere, in quibus Virgo nostra magna se se nobis

cum

Sapientiæ Mater MARIA cibabit nos pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ, potabit nos, si devotè ad eandem accesserimus.

cum charitate impendit, ac superimpendit. In primis misericordiæ Mater pavit esurientes, potavit sitientes: De illa enim pronunciavit sapiens. *Cibavit illum pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ potavit illum.* Eccli. 15. audiendus hìc jam memoratus Richard. lib. 2. ubi ita loquitur: *quia B. V. prima bibit de fonte æternæ sapientiæ, revelare potest, cui vult arcana secretorum DEI: Ipsa enim est Rebecca, quæ de hydria sua potavit Eliezer, & Camelos* Gen. 24. *Servies ergo devotè Matri sapientiæ, & cibabit te pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potabit te.* Et rursus lib. 12. *ad famem sitimque spiritualem verba eadem transferens: De ea,* inquit, *dicitur* Eccl. 15. *Cibavit illum, id est, amatorem suum pane vitæ & intellectûs, id est, Doctrinâ verbi DEI, quæ dat intellectum credentibus, & hoc in præsenti, & futuro pane Angelorum, id est, DEI fruitione, de quo pane dicitur* Luc. 14. *Beatus, qui manducabit panem in Regno DEI. Cibabit etiam B. V. amatorem suum pane vitæ, id est, Filij Sacramentô, qui est panis vivus, qui de cælo descendit,* Joan. 6. *conferens hìc vitam gratiæ, & in futuro vitam gloriæ.* De hujus panis mirifico effectu mox subditur: *Et firmabitur in illo pane, scilicet dignè communicans, quia hic est panis cor hominis confirmans* Psal. 103. in gratia & virtute, & non flectetur cedendo tentationi vel tribulationi, vel hæreticæ pravitati, &c.

Elzearius Comes B. V. devotissimus vacua priori die horrea, altera prodigiosè plena reperit.

51. Experti sunt misericordiam Deiparæ Religiosi illi, qui fame oppressi ac vexati, cùm monuisset Abbas, ut se se orationi impenderent, & auxilium à DEI Matre flagitarent, quod cùm fecissent, horrea Monasterij plena reperta sunt. Sanctissimus quoque Comes ille Elzearius, Virgini addictissimus, cùm omnem annonam etiam pro victu suo reservatam pauperibus magna fame laborantibus elargitus esset, die sequenti ita horrea sua referta reperit, ut portæ aperiri vix possent. Consecutus sanè videtur gratiam hanc meritis Virginis benignissimæ, cujus curæ ab ineunte ætate, ut revelatum sanctæ cuidam Matronæ fuit, traditus erat.

B. Columba Ord. Prædicatorum Matre ad extremam egestatem redacta esset, recurrit ad aram B. V. & dum adhuc oraret, præ foribus adfuit, qui largam Eleemosynam ferret.

52. Experta fuit B. Columba Reatina Ordinis Prædicatorum, pientissima Matris misericordiæ viscera dum adhuc in domo Materna degeret. Hæc enim posteà ad extremam pene redacta inopiam cùm esset, cum Matre sua labore manuum sibi victum comparabat nendo, suendo, texendo. Cùm aliquando à Matre cum lacrymis ei diceretur; ne frustum quidem panis domi esse, sed ne pecuniam, quæ ad eum emendum sufficeret, ingemuit Columba, & ad Christi, ejusque Matris aram, quam in domo ipsa sibi adornârat, genibus flexis, corde oculisque in DEUM defixis, misericordiæ Matrem MARIAM, quam colebat unicè, ut tantæ parentum, suæque egestati opem ferat, obsecrat. Nec irriti Columbæ hujus cecidêre gemitus precésque: nam adhuc ea orante pro foribus quidam adfuit, qui à Matrona nobili panes ac nummos attulit ad inopiam pauperculæ illius familiæ sublevandam opportunos, ut refert Hyacinthus Choquetius ejusdem Ordinis lib. de visceribus B. V. Prædicatoribus exhibitis cap. 15. ubi plura ejusdem generis affert exempla.

Cappucini duo in Sylva prodigiosè ab ipsa B. V & Michaële Archangelo Hospitio recepti sunt.

53. Experti sunt eadem pietatis benignissima viscera Deiparæ Ordinis Seraphici duo Cappucini, qui Lorino Triventum proficiscentes, densiorem subintrârunt sylvam, ut à densissimo imbre, se se tuerentur; Interea, dum ibi morantur, nox ingruit, crebrísque coruscationibus, tonitruis, terrificisque fulminibus à B. V. & S. Michaël Ar-

changelo opem efflagitant, ex coruscatione crebriori vident proximum parietem, cui appropinquantes, vident domum prægrandem, & decoram Matronam è fenestra jubentem per quendam Venerabilem senem eis reserari fores. Ingressi mirantur Illustrissimam fæminam, aliorum egregiâ turbâ stipatam; mox excitatur focus, sternitur mensa, accumbitur, viresque fame, laboréque tam periculosi itineris fractæ refocillantur. Dum ab Hera de sui itineris ratione quæruntur, inter alia exploratam opem Deiparæ & S. Archangeli commemorant; quibus illa: fuerit vobis semper consultum his patronis. Manè verò à somno accincti reliquo itineri deducuntur à sene in rectam viam: ex quo ubi intellexissent se ea nocte fuisse Reginæ Cœlorum, & sancti Michaëlis Archangeli, aliorúmque Sanctorum Angelorum hospites, ac contubernales, séque esse Petrum Apostolum, nihil omnium vident præter horridum incultumquè nemus, in quo beneficio Matris missericordiæ esurientes satiati, egregiéque recreati sunt. Ita refert P. Valerianus Magnus ex Ordinis Annalibus 1580. n. 46. lib. 8 judicij Cathol. c. 13.

Aili 4. Capucini à Deipara puero Jesu, & S. Josepho in Sylva iter agentes hospitio excipiuntur.

54. Idem refert aliud providentiæ ac misericodiæ Virginalis luculentissimum exemplum, de quatuor ejusdem Ordinis Fratribus Hieronymo Pistoriensi, Anselmo à Petra Molaria, Josepho à S. Agatha & Ludovico Belga, qui iter agentes, cùm aliquantulum deviâssent, constiterunt in sylva quadam nocte præpediti: Dum tenebris progredi vetantur, meditari cæpêre humilem illam Bethleemi casam, seu stabulum, in quo Virgo Mater cum Puero Jesu & Sponso Josepho pauperes degebant, Hos confidenter deprecando, ut quandoquidem ipsis ea in sylva non esset diversorium, nec inde evadere permitterentur, opem ferre ne dedignarentur. Dum ita orant, mox cernunt vicinum lumen, tum tuguriolum, in quo vident S. Joseph & Matrem cum Puerulo, à quibus humanissimè excepti, cibô & somnô refocillantur. Manè ubi evigilârunt, ecce tibi se in amœnissimo vident prato collocatos, citra ullius tugurij vestigium.

55. Neque verò domesticæ misericordiæ hujus Virgineæ cibo familiares suos recreandi desunt exempla. P. Jacobus Fulligatti de Magno illo Bernardino Realino rem planè memorabilem ejus vitæ c. 14. narrat. Cùm enim de suavitate simul atque fortitudine in nostris gubernandis ageret, rem hanc hujusmodi exemplo comprobavit. Petierat quidam, inquiens, cum tribus è socijs hortum quendam adire remittendi animi causâ, non ita procul ab urbe dissitum: difficilem se non nihil præbebat Pater, varia ab eo sciscitatus, ac demum facultatem concessit, eâ tamen conditione expressè additâ, ne inibi quidpiam esculenti gustaret, ac ne aquam quidem biberet, sed jejunus prorsus domum, ut abierat, reverteretur. At derepente hæc severitas in lenitatem versa: Vix enim locum attigerant, cum ecce tibi adest; qui à P. Rectore nunciet, ibidem illis prandendum esse, duabúsque elapsis horis à quinque juvenibus opipara illis mensa instructa est, exquisitissimis, optiméque conditis ferculis adornata. Geminatus quoque favor, cùm ex altero â P. Rectore misso, inibi cœnandum quoque sibi esse inaudière. Fratri hujus recreationis auctori pensiculatiùs & ministros, & ciborum, condimentorúmque excellentiam examinanti, nescio quid subesse miraculi visum est: Itáque post varias

B. Bernardinus Realinus Societatis Jesu duobus sui Religiosis prandium & cœnam à Beatissima Virgine adornatam ad hortum submisit.

rias interrogationes Patri Bernardino factas, ut undenam hæc omnia adfuissent, ediceret, in genua tandem provolutus, per amorem, quo erga Dei Matrem ferebatur, obsecravit, obtestatúsque Patrem est, sibi id ut aperiret; arcanum omnino sibi fore ad promittens; Ita obstrictô illô, dum viveret silentiô, candidè illi fassus est: Cœnam hanc prandiúmque illis à Beatissima Virgine fuisse adornatum.

B. Susoni Ord Præd. sitienti B. V. potum præbuit.

56. Potum sitientibus suis amicis subministravit effusissimà suà misericordià Virgo nostra, ac inter reliquos familiarissimo suo Beato Henrico Susoni Ordinis Prædicatorum clarissimo syderi. Cùm enim hic Dei servus ardentissima siti cruciaretur aliquando, & impatientiam hanc tolerandæ sitis coram Deipara in suo oratorio vehementer accusaret, ac deploraret, Virgo benignissima suo fideli Clientulo Jesum in ulnis gestans mox adfuit: Tenebat Filius manu quoddam vasculum Cœlesti quodam liquore plenum, quòd cùm Virgo Susoni propinâsset, molestissima illa sitis mox extincta est. Ferdin. Castelli in Chron. Domin. Par. 2. lib. 2. c. 9.

Viduæ adeò pauperi, ut filias nec sustentare, nec vestire posset, largam Eleemosynam Deipara per Angelum submisit.

57. Qua porrò ratione B. V. nudos operuerit, varijs comprobari potest exemplis. Ferunt aliqui, dum Virgo ex hac vita migratura esset, binas suas vestes devotis quibusdam mulieribus donâsse. Notissima historia est illius piæ viduæ, quæ, cùm duas filias haberet, nec illas aut sustentare aut vestire posset, cùm illas Deiparæ commendâsset, inque ejus manus tradidisset, non ita multò post Angelus specie pulcherrimi adolescentis, dum cum filiabus exit è Templo, ei marsupium pecuniâ plenum ad vestes filiabus suis comparandas porrigit.

B. Hermannus nudipes & pauper, justus à B. V. certum lapidem sub quo tantum invenit, quantum Adolescenti Studioso sufficeret.

58. Expertus est hæc pietatis Virginea viscera B. Hermannus cognomento Joseph, qui cùm asperiori hyeme nudipes incederet, Dei Mater pietate commota, indicavit illi lapidem quendam jussitque revolvere, reperturum ibi, tanquam in thesauro repositam pecuniam ad calceos, chartam, pennas, aliáque studioso Adolescenti necessaria inposterum, prout opus fuerit, coëmenda &c.

Episcopis sacras vestes, manu cœlesti adornatas, B. V. ipsamet donavit.

59. Neque verò, quibus nuditatem corporis operire possent ejus clientes, Virgo nostra impertita est, verùm etiam vestes spirituales, ut patet in sancto Ildephonso, S. Bonito Episcopis ejus cultui addictissimis quos illa in tam egregiæ in se pietatis compensationem, vestibus ad Sacrificandum idoneis, manu planè Cœlesti contextis donavit, exornavitque, ut alibi fusiùs commemoratum.

B. Simoni Stock Ordinis Carmelitani B. V. Scapulare Ordinis sui dare dignata est, cum specialibus privilegiis.

60. Similes spirituales vestes elargita est Religiosissimo Ordini suo Carmelitano eadem Virgo Deipara (ut communis in sacra illa familia fert traditio) cùm eam B. Simon Stock ita dictus à trunco excavatæ arboris, in quo, antequàm sacrum hunc Ordinem ingrederetur, habitabat) humi prostratus humillimè deprecaretur, ut suum hunc Ordinem in Europa amplificaret, & novo aliquo suo favore ad sui Nominis Virginei propagandam gloriam prosequeretur: O flos Carmeli, ajebat ille, Vitis florifera, splendor Cœli, Virgo puerpera, singularis Mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da privilegia, stella maris! Nec irritæ viri pientissimi in Deiparam, cecidêre preces, dum enim sæpiùs laudes illas Virgini ingeminat, Angelicis comitata choris adfuit illi, ùt fertur, misericordiæ Mater mirificâ luce circumamicta, jacentémque benignè erexit, móxque parvulum quendam habitum suis sanctissimis manibus porrigens, qui vulgato nomine scapulare dicitur, hisce ver-

bis illum affari non est dedignata: *Dilectissime Fili, recipe tui Ordinis scapulare, meæ confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens, æternum non patietur incendium*: Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis & pacti sempiterni. Ex Cypriano Carmelita in thesauro Carmelitarum cap. 4.

Arnoldus Tolosæ in Gallia per Calumniam accusatus, in carcere detentus invocatæ Deiparæ Montis Serrati ope prodigiose liberatus.

61 Jam quid de Redemptione & liberatione captivorum, quâ innumeros ærumnis, miseriisque in carceribus vinculisque confectos, in libertatem restituit, commemorem? Plurima hujus generis prodigia maximè in Virginis Montis Serrati monimentis est reperire ex quibus aliqua deprompsisse sufficiat. Anno. 1538. quidam Arnoldus nomine Tolosæ in Gallia captivus, licèt innocens & per calumniam accusatus, teterrimo carcere detinebatur: Cùm nulla spes tantas ergastuli ærumnas miseriásque evadendi superesset, ad Deiparam Montis-Serrati tanquam ad asylum confugit. Nec sua spe bonus vir frustratus est: Nam cùm die quadam oraret calentiùs, sensit sibi ferreas numellas & ex ijs appensam collo catenam, nulla prorsus ope industriáve humana sponte decidisse: & quamvìs ei constaret, non potuisse id nisi Dei potentiâ fieri, nihilominus, ne carceris custos suspicaretur, sibi circulum illum detraxisse, fugámque meditari, eumdem iterum collo inseruit. At renovatum est à Virgine post aliquot dies prodigium: Cùm enim è Carcere educeretur, detrudendus ad triremes, quôvis ergastulô deteriores, ad quas erat damnatus; in omnium oculis atque adeò lictorum administratorúmque justitiæ repente & circulus ille, in quem collum insertum erat cum appensa ad eum catena, tum etiam ferreæ manicæ, tangente nullo cecidêre: Ipse verò divina ope támque illustri miraculô se liberatum videns, per mediam turbam nullo repugnante pertransit novô miraculô, quasi invisibilis fuisset, stupore attonitis omnibus, quòd nemo omnium, qui aderant, ei se se auderet opponere: mox incredibili gaudiô ad liberatricem suam in Montem-Serratum se se contulit, ibíque ad laudem misericordiæ Parentis Optimæ liberationem hanc ejus patrociniô sibi contigisse jurejurandô confirmavit. Cal. B. V. 8. Augusti.

Sacerdos quidam cum 33. captivis de manibus Turcarum ope B.V. prodigiose liberantur.

62. Ex eodem Calendario 8. Martij An. 1574. de manibus Turcarum refertur liberatio Sacerdotis cujusdam, cũ 33. captivis ex vinculis carceribúsque Algerij. Hi omnes, cùm se Deiparæ clientelæ commisissent, fæliciſsimè è tam dura captivitate ac Tyrannide evaserunt. Ibidem Anno 1583. refertur: quosdam captivos ab eadem Tyrannide ope Virginis fuisse liberatos: ex his fuit unus, qui annis 33. apud Turcas acerbissimam servivit servitutem, alter 27. qui simul eum alijs quinque Christianis etiam captivis, cùm noctu navi se se commisissent, varijs exagitati sunt periculis, ac in primis, cum tota nocte validè remigando laborâssent, tempestate acti sunt ad littus, ubi in maximo vitæ discrimine constituti, supplices Virgini se commendant: Auditæ preces; Nam illico se à littore, in quo insederant, liberos, & in mari rursus positos vident. At non ita multò post eisdem novum creatur discrimen: Offendunt ingentem navim, quæ eos velis remísque summa cum celeritate insequebatur, ita ut omnino se dedere decernerent; At iterum memores, quantæ Deipara sit potentiæ, vovent se ad eam in Montem Serratum adventuros, eíque grates persoluturos. Audiit misericordiæ Mater

Mater afflictorum preces, nam statim navis illa mutatô consiliô, aliò vela convertit, & insequi desiit. Nec hìc discriminum finis; cùm enim eisdem per medium duorum propugnaculorum, quæ propè Constantinopolim mari dominantur, esset transeundum, mirum in modum trepidare cœperunt, accedente præsertim lunæ lucentis incommodô, quô hostium patebant aspectibus: Sed tertiùm ad patrocinium Virginis fiduciâ pleni recurrunt, & ecce tibi subitò opaca nubes se inter illos & Lunam interposuit, ita, ut ab hoste videri non possent: Quia tamen remorum impulsu strepitum excitabant, eô exciti Turcæ in eos majora tormenta septies exonerârunt absque ullius læsione. Vix hoc discrimine erant perfuncti, cùm gravissimâ exortâ tempestate in rupem quandam projiciuntur, unde cùm se se liberare nullô modô possent, ad Deiparam velut ad sacram Anchoram ubi confugissent, tandem post tot discrimina suos à se redemptos liberatósque captivos in optatum tranquillúmque Christianorum portum salvos, hilarésque perduxit.

63. Hanc gratiã liberandorũ redimendorúmq; captivorũ, viri pietate illustres in Virgine agnoscentes, ejus Nomini & Religiones, & pios aliquot cœtus consecrârunt. In Hispania sanè celebris est Religio, titulo S. Mariæ à Mercede Redemptionis captivorum, cruce rubeâ insignita, quæ totam se se in hoc impendit, ut eleemosynas ad Christianos sub dura Turcarum Tyrannide gementes redimendos corroget. Neapoli quoque, ut P. Antonius Spinellus testatur in Thron. Deiparæ c. 29. domus in captivorum redemptionem est excitata, cui Nomen: S. Maria à Jesu redemptionis captivorum: Hæc annuos habet reditus ducatorum quinque millia, & quingentos, & tertiò quôque annô virum aliquem fidelem eligit eúmque in Africam, ablegat ut Christianos è Regno Neapolitano oriundos à dira Turcarum servitute persolutô lytro eripiat. In Aragonia quoque Jacobus Rex cognomento Victor, seu expugnator, postquàm tria nobilissima Regna è Saracenorum manibus eripuisset, & duo millia templorum in honorem Deiparæ ædificâsset, sub ejusdem Virginis Nomine Sacrum Ordinem Redemptionis captivorum de mercede instituit, postquàm è captivitate B. Virginis patrociniô ereptus fuit. Dum enim in illa captivitate fuisset, expertus varias ærumnas ac miserias, ex jis quæ passus est, didicit compassionem, ac proinde Virgini votô factô promisit, se ad consolationem captivorum hujusmodi Religionem fundaturum.

In Hispania celebris Religio sub titulo S. Mariæ à Mercede captivorum.

Jacobus Rex in Aragonia sacrum Ordinem Redemptionis captivorum de Mercede instituit.

64. Claudat benignitatem, pietatémque Virginis in visitandis carceribus, captivis liberandis B. Hieronymus Æmilianus Fundator Religiosissimæ Congregationis Somaschæ, qui falsè de nonnullis criminibus apud Judices accusatus, ad infames carceres, manicis compedibúsque vinctus atque onustus detruditur. Hìc in tantis constitutus angustiis, cùm, quò se verteret, ignoraret, tandem venit in mentem Mater misericordiæ clementissima; ad illam mox tanquam ad asylum confugit, ipsius opem auxiliúmque manantibus ubertim lacrymis coram illa in genua provolutus implorat: Nec frustra; Adfuit mox illi Virgo cœlesti circumfusa luce, & manicis & compedibus, tetrô denique exsolutum carcere in libertatem asseruit; ut verè concinere posset cum eadem Virgine pijssima cœlestibus gaudijs delibutus: *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum Nomen*

B. Hieronymus Æmilianus Fundator Religiosissimæ congregationis Somaschæ falsò delatus, & incarceratus prodigiose liberatur ope B. V.

men ejus. Fecit potentiam in brachio suo.

65. In eximiam hanc Deiparæ benignitatem eleganter lusit Constantinus de Rubeis, ejusdem Ordinis illustre sydus: & nunc Episc. Vigiensis in Dalmatia.

Carceris in latebra, manicis & compede vinctus
Obrutus & noxis Æmiliane jaces.
Ast animô precibúsque DEAM genibúsque fatigans
Ingemis, illacrymas, noxia facta doles.
Cúmque dolor petit astra, celer DEA labitur astris
Materna, & soluit vinclâ precantis ope.
I modò, liber abi, noxâ, nexúsque solutus,
Sic tibi libertas redditur ecce duplex.

66. Nec hìc stetit eximia Virginis charitas, non hìc cœlestium favorum finis; eundem suum clientulum ignominiosa captivitate solutum, illæsum, tutúmque medios per hostes tanquam Ajacis clypeô communitum summa omnium admiratione deducit Nimirum Virgo Platanus est, ut ipsa gloriatur Eccl. 24. Mille scuta in protectionem suorum devotorum porrigens. Hìc audiendus Dionys. Carthusianus Art. 25. in Cant: *Per Platanum folia mollia & lata habentem, exprimitur benedictissima Virgo totaliter mansueta, cujus Verba & opera erat latitudine charitatis amplissima, quæ & sub alarum suarum latitudine, id est pietatis & potestatis subventione suscipit, ac tuetur cunctos ad ipsam confugientes, & instar Platani sublimatur & colitur à Christi fidelibus.* Hæc Carthusianus. De hac Virginis protectione rursus idem Religiosissimus audiendus est Antistes.

Deipara cunctos protegit ad se confugientes

Matre DEI monstrante viam, per tela, per hostes
Erutus è vinclis Æmilianus abit.
Quid Germana phalanx illum non illico sistit?
Obvia nec prohibet prætereuntis iter?
Majestas sed enim Dominæ comitantis euntem,
Obcæcat radijs castra inimica suis.
Exorata tu utinam maturiùs illa fuisset,
Iam tunc Æmilius victor ab hoste foret.

67. Jam quid de visitatione ægrotorum dicam? Mira sanè sunt, quæ passim in hoc genere à varijs autoribus perscribuntur exempla, adeò, ut vix aliquis Virginis cliens, qui ei ferventiùs deservire studuit, reperiatur, qui ab illa benignissimè visitatus atque exhilaratus non fuerit. Quare jure merito B. Albertus Magnus illam umbraculum infirmorum vocitavit. Rem profectò spirituali dulcedine plenissimam scribit Jacobus de Vitriaco Card. lib. 2. c. 3. in vita S. MARIÆ Oegniacensis, quòd nimirum Religiosa quædam vidua, cum suis filiabus Virginibus sanctè in DEI servitio diu vixerit, quæ cùm infirmata fuisset, febribúsque æstuaret, vidit MARIA Oegniacensis Deiparam sanctæ illius viduæ lectulo assistentem, & quasi flabellô quôdam caloris æstum, quô torquebatur, humanissimè temperantem. Sic B. Lyduinam in tot annorum tam diuturna infirmitate sæpiùs Virgo nostra benignissimè invisit, sic B. Stanislaum Kostkam; domestica exempla non desunt, aliósque innumeros, quos recensere longum est.

Plures Beatissima Virgo morbo laborantes visibiliter solari dignata est suâ præsentiâ.

68. Nec hospitalitatis virtus Virgini nostræ defuit. Unde S. Chrysologus Ser. 146. docet, virtutem hanc ipso Nomine Mariæ præseferri: *Nomen hoc Prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virtutis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc hospitalitatis Virtus.*

MA-

Sara, quæ hospitalitatis virtute enituit, Deiparæ Typus extitit.

MARIÆ siquidem typus Sara extitit, quæ tanta hospitalitatis virtute enituit, ut etiam Angelos cum conjuge suo Abrahamo hospitiô excipere, eísque cibos manu propriâ coctos atque apparatos proponere, promissionémque de prole, ex qua Reges oriundi erant, consequi digna habita fuerit Gen. 18. Unde S. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 5. ait *Abrahamum hospitalitatis sociam habere voluisse uxorem, ut & ipsa benedictionem consequeretur. Bonus maritus*, inquit ille, *exortem Religiosi muneris esse, non patitur uxorem; nec avarè sibi totum munus usurpat. Rectè igitur & pietatis & verecundiæ causa servatur; Quod pietatis est, vult esse commune, quod pudoris est, integrum manet Saræ. Ante Tabernaculum Vir hospitum observat aduentus, intra Tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus invitat, intus Sara convivium adornat. Nec solùm ipse festinat Abraham, sed etiam festinandum dicit uxori, sociam devotionis ostendens, nec fide disparem. Ubi in fœmina pijssima pervenustè Virginis nostræ plusquàm materna ad nobis benefaciendum adumbratur promptitudo ac celeritas, & à Sponso tam eleganter laudata Verecundia, ob quam ei dicebat. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Denique ut Saram Virginis hospitalissimæ, hospitiô in primis Dei Filium excipientis Risúmque nobis parientis, ac præ lætitia canticum illud jucundissimum modulantis, typum fuisse intelligamus, verba illa sacri textus: *Risit autem Sara.* Ubi citâsset, ita demum conclusit. *Quod indicium magìs futuri, quam incredulitatis arbitror: Risit enim, licèt adhuc nesciens, quid rideret, quod publicam esset in Isaac paritura lætitiam: Ideò denique risit, quia prophetavit.* Sic Ambros.

Deiparæ instinctu hospitalia, Orphanotrophia varijs in locis erecta sunt.

69. Quare, ut orbis universus agnosceret, Deiparam veram esse Matrem pietatis, ac misericordiæ, censuerim divino prorsus ipsiúsque instinctu, passim honori Virginis varia constructa fuisse domicilia, in quibus non modò hospites, verùm etiam varijs morbis, iisque insanabilibus divexati, reciperentur infirmi, orphani similiter, pueri, ac puellæ, de pudicitia sua præsertim periclitantes, eísque omnia ad victum, vestitúmque necessaria suppeditarentur, & ad omnem inprimis pietatem erudirentur. Unde præclarè memoratus P. Spinellus locô citatô n. 6. Neque solùm Deipara, inquit, quæ vel ad corporum incolumitatem vel animarum salutem conducunt, benignitate erga nos planè maternâ apud Deum procurat in cœlis, verùm etiam in terris, nosocomijs, Orphanotrophijs, alijsque hujusmodi domicilijs in ejus honorem, per singulas ferè Urbes excitatis, quibus amplissimi redditus ex piorum hominum eleemosynis, Dei Deiparæque intuitu sunt attributi, ægrotos propemodùm innumerabiles, infantes plurimos, à tenuibus egenísque parentibus expositos, Orphanorum, Virginum aliarúmque fœminarum cœtus alit, & nutrit; Virgines item nubiles, dote ejs assignatâ in matrimonium collocat, pauperibúsque subinde erogata stipe succurrit, quam etiam ijsdem, dum quæ corpori sunt necessaria, suppeditat; plerumque ea quoque procurantur, quæ animis sunt salutaria. Extant ejus rei in singulis ferè Urbibus monimenta: Talis est Romæ domus S. MARIÆ in Aquiro Orphanorum: Tale ibidem Nosocomium S. MARIÆ à consolatione. Tale est Venetijs Xenodochium antiquissimum, dictum S. MARIÆ à charitate: Tale est illud Florentiæ nobilissimum, quod vocant S. MARIÆ Novæ.

Romæ, Venetiis, Florentiæ similes Domus erectæ.

70. Transit deinde ad alia, Deiparæ pietati consecrata Domicilia, quæ in florentissima illa Neapoleos

Neapoli novemdecim similes Domus erectæ.

Urbe novendecim omnino visuntur, profusissimis planè sumptibus erecta, redditibúsque amplissimis dotata: Inter quæ domum B. Virginis Annunciatæ nnmerat, tam multis confertam familijs, tantóque convictorum numerò repletam, ut ingentis instar Oppidi esse videatur. Redditus hujusce domicilij in bonis stabilibus & censibus habet añuos ducatorũ octo circiter & octoginta milliũ, ut alias eleemosynas incertas, quæ singulis añis à fidelibus tribuuntur, missas faciamus, quæ facilè comprehendentur, si ingentes ejus sumptus consideremus. Templũ certè hujusce Virginei Domicilij in sexaginta sacerdotes,& 30 Clericos juniores, aliósque ministros singulis annis decem ducatorum impendit millia; Nutricibus quatuor millibus, quas ad exposititios infantes sustentandos alit, solvit annuatim ducatorum 16. millia Visitur quoque peramplum Hospitium, inter hæc domus hujusce septa, in quod omnes ægroti, qui vel febri laborant, vel vulneribus sunt saucij, licèt Turcæ sint, aut infideles, admittuntur, ij ut plurimùm ducenti numerantur, aliquando visi sunt omnino mille ducenti. Pro hujusce hospitij sumptibus, atque eleemosynis, quæ pauperibus peregrinis distribuuntur, in singulos annos ducatorum quinquaginta septẽ millia impendit.

Præ reliquis celebris domus B. V. Annunciatæ.

Hospitalis Domus S. Mariæ à populo longè clarissima.

71. Quid de alia Hospitali Domo S. Mariæ de populo, quæ in eadem Urbe reperitur, dicam? in hac ægroti incurabiles virilis sexus quadringenti, ac totidem ferè muliebris, ut de amentibus sileam, sustentantur. Denique ut alia hujusmodi domicilia prætermittamus, videre est quoque Neapoli domum, quæ Mons misericordiæ, à septem misericordiæ operibus ibidem exercer. solitis, ita nuncupata. Erecta porrò est domus hæc à personis illustribus, cui addidêre templum, quod B. Virgini à monte misericordiæ consecrârunt. Ab hujus montis Sodalibus nullum in proximos misericordiæ genus prætermittitur: Inter reliqua sanè illud videtur palmarium, quòd in Ænaria Insula diversarum aquarum calidarum ac mineralium, variis quoque depellendis morbis opportunarum copiâ maximè celebri ædes comparârunt rebus omnibus necessariis instructas; in quibus Religiosos Viros pauperes, mendicantes, redditibus destitutos, aliósque egenos piè ac benignè hospitiô excipiunt, iisque victum aliaque necessaria verno tempore, quo ejusmodi aquarum balneis remedium suis infirmitatibus perquirunt, largè suppeditant. nec satis est hujusce montis sodalibus corporalia misericordiæ opera exercère, exercent etiam spiritualia, & per se ipsos quoad possunt, & per alios. Pro fidelium enim animabus, quæ purgatoriis Ignibus amburuntur, quàm plurima Missarum Sacrificia in suo præsertim templo fieri curant. Ut denique opera hæc misericordiæ omnibus perfectionis numeris absoluta, & spiritualibus quòad potest, commixta forent, domui Professæ Societatis nostræ 12. aureorum millia ad templum ædificandum decreverant. Intellexêre nimirum viri hi Christianâ sapientiâ charitatéque conspicui, tum demum eorum misericordiæ corporalis opera suum habitura complementum, si spiritualibus, qualia sunt: ignorantes verbô in concionibus, piis consiliis in confessionibus, in quibus Professa Societas adeò indefessa laborat, admiscerentur. Ex hac tam prolixa liberalitate id demum viri hi piissimi consequuntur, ut ingentem vim pecuniæ à fidelibus compluribus, qui eorum adeò larga pietatis contemplantur viscera, quotannis acquirant.

Non tantum corporalia, sed & spiritualia, opera misericordiæ exhibentur.

72. Ho-

72. Horum exemplô fortassis, hæc dum scribo Zagabriæ, quæ Metropolis est Croatiæ, Magistratus hujusce Civitatis sacellum B. V. immaculatè conceptæ, in Hospitali domo, ad solatium pauperum peregrinorum, infirmorúmque erexit, agnoscens misericordiæ Matrem pauperum hospitum, ægrotantiúmque hospitium esse, eósque ipsius pietatis potissimùm sinu fovendos, illiúsque liberalitatis thesauris sustentandos. Quare præclarè conclusit Spinellus. Hæc satis apertè declarant, Sanctissimam Deiparam in omnium se se, quibus miseros, & imbecilles mortales juvare possit, beneficiorum genus effundere, nihilque non excogitare, atque ad invenisse, quòad animi morbos, & corporis incommoda sublevaret.

S. Alexius Edessæ expertus est B. V. in hospites & peregrinos pietatis & misericordiæ viscera.

73. Expertus est hæc in hospites ac peregrinos B. Virginis pietatis viscera S. Alexius Romanorum Nobilissimus, qui postpositis paternæ domûs illustrissimæ pompis ac deliciis, & novæ nuptæ tenerrimis amoribus, cum Edessam ad templi ejus vestibulum habitu peregrini ignotus omnibus advenisset, ibidémque septemdecim annis magnâ patientiæ longanimitate excubâsset, tandem Imago Deiparæ benignissimæ hospitatricis ei de competenti hospitio providere cupiens, & ne Vir tantus tam diu jaceret inglorius, nomen ejus per ædis custodem, quò hospitium meritis suis par consequeretur, evulgavit; Cui ita fuisse locuta perhibetur: Introducito huc virum illum DEI, qui dignus est Regno Cœlorum: nam oratio ejus sicut incensum ascendit in conspectu DEI, & Spiritus sanctus super eum requiescit. En ut benignissimè Virgo nostra Templi sui hospitiô peregrinum adeò sanctum excipere desideravit, licèt ipse, ut omnino lateret inglorius, paulò post se inde subduxerit.

74. Nec in mortuis sepeliendis benignissimæ hujus Matris desiderari visa est pietas ac industria. Singulare sanè est, quod P. noster Burghesius & P. Antonius Balinghen in Calend B. V. 21. Febru. de P. nostro Martino Guttierez, singulari pietate Virginis cultui addictissimo referunt: Scribunt enim, Deiparam aut per se, aut aliam quandam honestam Matronam detulisse linteum funebre ad illum sepeliendum, eundémque proprijs manibus sepelisse: Cùm enim hinc Pater per Galliam Romam tendens, captus esset ab hæreticis Anno 1573. atque in horridum detrusus ergastulum, ibíque multa amore Christi perpessus esset, tandem ex hac vita specie quadam Martyrij, quod ardentissimè expetere solitus fuerat, emigravit; Cùm autem deessent socijs ejus, necessaria ad sepulturam, octo circiter horis ab ejus obitu comparuit honesta mulier Gallico habitu induta, quæ absque ullo obstaculo per medios militum hæreticorum cuneos transierat, petiitque perbenignè à socio ejus P. Joanne Suarez, num ibi non jaceret corpus alicujus exanime? num linteis funebribus esset obvolutum? Hæc dum loquitur, exponit linteum candidissimum, quod axilla gestabat, illóque corpus defuncti Patris involvit, ei benedictionem suam impertiendo. P. Suarez post ei actas gratias, pecuniam ei offert, quam recusavit, inquiens: Neque enim ipsa huc veni ideò. Ab omnibus autem creditum est, inquit Balinghen, sacram hanc Libitinam fuisse B. V. MARIAM, cujus revelatione didicerat paulò ante Guttierez, se intra octiduum vitam cum morte commutaturum. Nec mirum, illum tam singulares gratias ac beneficia à Virgine accipere meruisse, siquidem singulari etiam eamdem affectu semper coluit, atque vene-

ratus est. Hanc ob causam egit cum P. Francisco Suarez, ut veritatem illam ad gloriam Virginis dilucidaret, quâ ostenditur, Deiparam omnium Angelorum justorúmque, qui à mundi exordio extiterunt, & ad finem usque sæculi futuri sunt, gratiâ longè in eminentiori gradu fuisse decoratam: quod & fæliciſſimè præstitit, variisque & scripturæ, & sanctorum Patrum testimonijs comprobavit, uti videre est Tom. 2. in 3. Par. Tantam denique sanctitatem meritis patrocinóque Virginis Deiparæ hic P. Guttierez consecutus est, ut postquam ex ærumnis in carcere toleratis pro fide, corpore resolutus est. ejus animam S. Teresia Laureola Martyrij insignem in cœlum deferri triumphantem viderit, ut videre est in Vita P. Suarez, impressa Lugduni, An. 1620. initiô Tom. 1. de Gratia. Nec Virgo liberalitate P. Guttierez Se vinci passa est: Ipsius enim mentis oculos ita irradiavit, ut sub pallio suo in magnâ latitudinẽ expanso Universam Societatem JESU commorantem contemplaretur, quam illa materno prorsus, sub alis suis confovere videbatur affectu

Opera misericordiæ spiritualia mira sedulitete exercet Deipara.

75. Jam quid de operibus misericordiæ spiritualibus, à Deipara mira sedulitate exercitis dicam? fuit & in hoc genere Galbaneus baculus sive sustentaculum miseris Virgo nostra benigniſſima, Ipsa enim peccantes corrigebat, & tantò majori cum Zelô, quantò magìs noverat quodlibet mortale peccatum infinitæ esse malitiæ, summam illam infinitámque Majestatem offendentis. Unde tam Severum DEI judicium, disperdens superbos mente cordis sui, miseriámque hominum peccantium Virgo considerans, intimis sensibus ob ipsorum perditionem cruciabatur, cùm peccata eorum corrigere non valeret. Qua de re audiendus Joan. Gerson Tract. 6. in Magnificat. *Nunquam pertractare potuit secum MARIA totam vim tantæ severitatis in DEO, calamitatis pondus in hominibus non damnatis, quin compaſſione moveretur, quin concuterentur beata viscera suæ pietatis, pro omnibus, quantùm in se erat, conformiter ad Filium redimendis & Salvandis.* Hinc S. Philibertus à Bustio citatus P. 3. Mar. Ser. 3. *Veniant*, inquit, *ad Beatam MARIAM Justi, cum Basilio effectum celerem percepturi: veniant & peccatores, cum Theophilo, desideratam gratiam adepturi.*

Deipara corripuit, ac convertit peccantem monialem.

76. Hôc Zelô animarum Virgo succensa, corripuit ac convertit peccantem Monialem quandam, nomine Beatricem, quæ apostatando à Religione, & à quodam Clerico seducta, extra Monasterium impudicè vivendo, 15. años in peccatis traduxit. De qua vide Disc. de Rosa. ubi tota hæc res diffusè recensetur.

Correxit etiam Monasterium quoddam de quo B. Petrus Damianus.

77. Correctionem errantium ostendit se quoque Virgo nostra, cùm cujusdam Monasterij Religiosos varijs tribulationibus exercuit, ut scribit B. Petrus Card. Dam. lib. 6. Episc. 32. Hi ipsius officium ex devotione recitandum spontè assumpserant, sed nescio quis Monachus, nomine Gozo illos à pio illo suo instituto, dicacitate sua avertit: Hic enim cæpit conqueri, ut ait Damianus, satis superque sufficere, quod S. præcipit Benedictus, nec novæ adinventionis pondus debere superponi, nec eos esse antiquis Patribus sanctiores, qui videlicet hæc superstitiosa, & supervacanea judicantes, psallendi nobis metam omnémque vivendi Regulam præfixerunt, hâc sanè debere nos esse contentos, ne ab illa incautiùs declinantes per anfractus & invia ducamur erronei. Quid plura? Contra Reginam mundi præliari visus est, &, quod voluit, effecit, fratrésque versutâ machinatione pellexit, ut solitas B. MARIÆ lau-

laudes ulteriùs non offerrent. Tum damna ingentia, calamitates & infortunia, quæ neglectam illam erga Virginem pietatem, Religionémque subsecuta sunt, singillatim recenset, ostenditque reverà Virginem delictorum correctricem esse, dum ita exclamat: sed o divinum judicium, à nostræ pravitatis intuitu non dormitans! mox enim adversùs illud Monasterium tot adversitatum grandines, tot undique bellorum, atque conflictuum exortæ sunt tempestates, ut ipsis quotidie Monachis minaces gladij necis exitium intentarent: Fiunt undique deprædationes atque rapinæ, conflagrant cum segetibus areæ, familiares, ac servi illius sancti loci crudeliter trucidantur, & non jam imago mortis, sed mors ipsa grassatur, adeò, ut tæderet jam Monachos vivere, dum nullum quieti, suæque professioni locum competentem, invenirent. Frustra auxilium ac decreta Imperatoris, ex partibus Teutonum implorata sunt, in omnibus enim hujuscemodi studijs non fructus, sed labor supervacaneus est repertus. Concludit tandem D. Damianus in tantis malis à se consilium expetitum esse, eísque ita respondisse: *Christus est pax nostra, de quo etiam de Virgine recens nato Angelitus dictum est: Gloria in Excelsis DEO, & in terra pax, quia ergo Matrem veræ pacis de vestro Monasterio projecistis, dignum est, ut inquietis, calamitatum, tribulationúmque procellis atque turbinibus agitemini.* Quibus auditis ad cor Religiosi illi rediêre, & in pavimentum se humiliter prosternentes, pœnitentiámque agentes, nunquam in posterum neglecturos esse solita DEI Genitricis præconia unanimiter polliciti sunt. Mox itáque post coruscationes ac tonitrua tanta cœli serenitas redijt, ut ex tunc in hodiernum usque diem fratres jucundæ pacis otiô perfruantur, ac de Scyllæa voragine se delatos ad portum, gubernante Filio Virginis gratulentur. Impletum ergo est, quod per Prophetam dicitur: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus.* Hæc ferè Dam.

77. Jam verò, quânam ratione Deipara ignorantes doceat, utpotè Doctrix Doctorum, Magistra Magistrorum, Illuminatrix Evangelistarum, omnibus luce meridiana clariùs elucescit. Ipsa enim juxta Nominis sui etymologiam, Illuminata & Illuminans vocitatur: Quia in illa, ut inquit Pelbartus lib. 6. Stell. par. 1. ar. 1. c. 5. lux divina Christus habitavit tota plenitudine, quæ illuminat omnem hominem. Ipsa est illuminatrix totius Ecclesiæ simul & Mundi; sicut enim Sol illuminat omnia astra, sic MARIA illuminat omnes Sanctos & Angelos, totámque Ecclesiam lumine gratiæ & gloriæ. Ipsius verba sunt illa: *Ego feci, ut in cælis oriretur lumen indeficiens.* Eccl. 24. Hæc est illa bona Mulier, de qua idem Ecclesiasticus c. 26. *Sicut Sol oriens mundo in altissimis DEI, sic Mulieri bonæ species in ornamentum Domûs suæ & Ecclesiæ sanctæ est.* Hinc Bern. Bustius Par. 3. Marial. Ser. 1. ait adeò illuminatam extitisse Virginem, ut de ea intelligi posset illud 2. Reg. 24. *Lux auroræ oriente sole manè absque nubibus rutilat*; habuit enim intellectum magìs illuminatum atque elevatum, quàm aliquando habuerit pura creatura. Unde quid mirùm, quòd aurora hæc Sole justitiæ gravida, ignorantiæ tenebras è mortalium mentibus dispulerit? Sensit Rupertus, posteà Tuitiensis Abbas, auroræ hujus radios menti suæ affulsisse, cùm ei hebetioris alioqui ingenij scientiam interpretandarum scripturarum infudit: sensit & Albertus, qui posteà à magnitudine scientiæ, ipsi preci-

Ignorantes docet Deipara.

bus Virginis divinitus instillatæ, magnus vocitatus est, de quo sicut & de aliis multis fusius Tomo 1. D. 13. n. 17. & seq. tractatum est.

Sacer Prædicatorum Ordo mira sapientiæ & scientiæ beneficia à Deipara accipit.

78. Mira sanè sunt, quæ Deipara Virgo in universum Ordinem hunc Religiosissimum conferre dignata est variarum scientiarum beneficia, qualiâ sunt sacræ scripturæ interpretandæ, ac modi concionandi peritia, quam æternæ sapientiæ Mater in primis Divum Dominicum, ac reliquos ejus asseclas suô Magisteriô admirabili pietate edocuit. Quod nobis B. Alanus de Rupe par. 3. Rosarij cap. 19. tacito suo nomine, id sibi S. Patriarcha revelante, tradidit, quem ille ità sibi loquentem, Virginisque in se dignationem exponentem introducit: Tu Frater prædicas, sed attende tibi, & solicitè caveto, ne humanam potius laudem vanámque gloriam aucuperis quàm animarum salutem zeles & secteris. Equidem quid aliquando mihi contigerit, olim degenti Parisijs Lutetiarum, minimè te celatum volo. Major isthic Ecclesia Metropolitana est, eadémque Dei Genitricis, ac intemeratæ Virginis Mariæ honori sacra ac dicata: In hac provocatione prædicaturus, accuratâ me curâ, & curiositate etiam ad dicendum comparabam, non nullâ stimulante ad jactantiam vanitate, sed ob Auditorum doctissimorum facultatem, & multò maximè ob manifestiorem solidiorémque veritatis evidentiam demonstrandam animísque sic imprimendam, ut optatus inde fructus Deo constaret. Cùm igitur pro more meo ante concionem ad unius horæ spatium quoddam in sacellum post altare majus in orationem me conjecissem Psalteriô meô persolvendam; ecce continuò extra me factus per raptum, manifesto in lumine contuebar me coram Amica mea, quam mihi quæsivi à juventute in Sponsam Charissimam, Dei Genitricem: Hæc libellum, quem manu præferebat, mihi offerens ait: Dilectissime Sponse, etsi bonum est, quod prædicare disposuisti, sermonem tamen longè meliorem, mihi gratiorem, tibi adfero: aspectus me affectúsque notus mirô delibutum gaudiô rapiebant, librum capio, lego reverenter & constanter, neque secus, quàm dixerat Diva Maria, reperio. Illa, actis à me quàm demississimè gratijs, à me conspicari desijt. Ut igitur ambone conscensô in Festo S. Joannis Evangelistæ, in altum surrexi, omissâ, quam præparaveram de illo, concione, res ejus præclarè gestas obiter tantùm perstringendo laudavi, quòd nimirum tantus támque singularis Custos Cœlorum, terrarùmque Reginæ Dei Matris Virginis esse meruerit; tum ad laudes salutationis Angelicæ, Rosariique transij &c. De alijs quoque Fratribus S. Dominici similia Gerardus Lemovicensis Par. 1. c. 5. Monachus ille de S. Galgano, inquiens (qui fuit B. Jacobus Ordinis Cisterciensis) narravit, quod vidit aliquoties ipsam B. V. tenentem librum apertum coram quodam Fratre, qui prædicabat, de qua prædicatione maximus consecutus est fructus.

Ordinem Prædicatorum vix ortum B. Everhardo Monasterii Salemitani Abbati Christus commendavit.

79. Ob hujusmodi copiosos sanctæ prædicationis fructus à Divi Dominici Filijs in Ecclesiæ agro collectos, B. Everhardo Monasterij Salemitani Abbati Cisterciensi, Patres Prædicatores tunc primùm ortos, Christus Dominus licèt ignotos commendavit, ut scribit Chrysostomus Henriques in Menol Cisterc. 14. Apr. quos ille die sequenti ad se adventantes humaniter excepit, eorúmque pedibus pia figens oscula, omnia necessaria illis liberaliter subministravit. Addit porrò Theodoricus de Apoldia lib. 3.

vitæ

vitæ S. Dominici: Christum hisce verbis Everhardum fuisse allocutum: Cras mittam ad te equos meos, tu illorum pedes ferrô munies. Et altero die venerunt duo, Fratres prædicatores ad ejus Monasterium, quorum institutum cùm adhuc illis in locis incognitum esset, rogavit ex his, cur Codices, Virgam, & habitum varium circumferrent? Cui unus ex his respondit: Prædicatores sumus, & decet nos librô scientiæ instructos esse. Et quia Virgo Mater Virga est aromatica, & crux Christi directionis Virga est, jis nos nitimur, & tanquam scipionibus sustentamur. Porrò juxta Prophetiam Zachariæ, quadriga è medio duorum montium æreorum egressa, equos habens fortes, & varios, quadripartitam significat S. Evangelij prædicationem, quæ à duobus confecta testamentis, per viros varijs ornatos scientijs, virtutibus, ac miraculis, itémque fortes adversùs Dæmonum, mundi, ac carnis infestationes, paratos quoque ad discurrendum, prædicando per omnes terras, hôc extremô mundi tempore in totum infertur orbem terrarum. Angelus enim magni consilij misit illos. Ex quibus omnibus sanè colligimus, Patres Prædicatores Viros esse Apostolicos, qui Christo ejúsque Matri, quam semper præ oculis tanquam suæ mentis illuminatricem, in suis præsertim prædicationibus velut Virgam in manibus habebant, fuisse in amoribus, & ab eisdem egregia pietate, ac doctrina fuisse eruditos.

80. Inter hos jure numerandus est B. Hermannus Deiparæ singulari cultu addictissimus, qui tam internæ animi quàm externæ corporis Virgineæ pulchritudinis contemplandæ, cùm esset mira pietate studiosissimus, ardentissimis castissimi amoris ignibus exardescebat, singuláque membra ac præsertim purissimum illum ac sacro sanctum ejus uterum, qui Divini Verbi thalamus extitit, nec non Virginea illa ubera velut geminos Cœlestis nectaris fontes, manus ac brachia, quæ toties infantem DEUM cinxerunt fascijs, & in sinu gestaverunt, Labia item illa illibata, quibus tanto pietatis affectu parvulo JEsu libabat oscula singulas denique ejus Virtutes ac dotes animi, Angelicis salutationibus, manantibus ubertim gaudio lacrimis, venerabatur, additâ insuper sibi familiari illâ precatiuncula: JEsu suavissime, Dignare me tuam Matrem super omnes speciosissimam ore laudare, corde admirari, & diligere, ejúsque semper subsequi, & adorare vestigia. Continuis hisce Hermanni erga Deiparam studijs, pietatísque tam insignibus officijs provocata, ipsa quoque donis Cœlestibus ac gratijs vicissim communicandis decertare quodammodò circum fusâ luce exhibuit, asseruítque istud obsequij sibi acceptissimum, gratissimúmque esse, ut pergeret porrò animos virésque dedit amplissimámque pientissimi hujus cultûs mercedem spopondit. Ipse de Virginis tanta erga se benevolentia confisus, cùm eum Fratres ad concionandum, uti ipsorum instituti ratio postulat, identidem exstimularent, is suæ imperitiæ tarditatísque sibi probè conscius, postulavit à Virgine, ut peritiam sacræ scripturæ interpretandæ, & concionandi gratiam à Filio impetraret. Et quia in verbis exprimendis aliqua inerat ei oris, seu hæsitatio, seu confusio, ut vel balbus vel blæsus esset, solutam expeditámque linguam ad concionandum DEI Verbum ab æterni Verbi Matre postulavit; arrisêre Cœlo ac Deiparæ hæ Hermanni preces: mox enim illa eum tanta cum eruditione, tanta dicendi facul-

cultate, facilitatéque ornavit, ut sive Germanicè, sive latinè ei dicendum esset, eruditè, expeditè, atque admiraculum usque semper dixerit, innumerósque ad veram fidem, pietatémque adduxerit: atque ita exemplo fuit, quòd hi, qui sub clientela Virginis ipsi devoti vivunt, brevi compendio in viros evadant sapientissimos. Ferd. à Castello lib 2. c. 22. de rebus gestis Divi Dominici.

S. Thomas Aquinas Beatissimæ Virgini Angelicam suam doctrinam & sapientiam refert in acceptis.

81. Quid hìc Divum Thomam Doctorem Angelicum commemorem? qui, ut scribit P. Hyacinthus Choquetius lib. viscera B. V. in Ordinem Præd. cap. 16. licèt esset à Sanctissimis Apostolorum Principibus, dum scriberet eruditus, & à Columba Spiritum S. repræsentante, ejúsque humero insidente à S. Bonaventura conspecta, esset instructus, & à fulgentissima stella, supra ejus verticem radiante illustratus, Virgo tamen Deipara, æviternæ sapientiæ parens, dulcissimæ suæ charitatis sinu eum velut Filium confovendo, illi variarum rerum scientiæ cœlitus Thomæ communicatæ addidisse visa est complementum. Eum siquidem, ut loquitur Choquetius, à cunis ipsis in filium adoptaverat Deipara, atque jam tum æternæ sapientiæ Filij sui amoribus devoverat, ut aliquando ad fidelium salutem, Ecclesiæ firmamentum, sui Præd. Ordinis splendorem, doctrinæ & eruditionis prodigium esset: Sponsalitias Divinæ sapientiæ, sanctitatísque arrhas dedit, quando ad aquas Puteolanas infans juxta balneum tantisper humi à nutrice depositus, dum ipsa se ad eum abluendum, immergendúmque parat, Schedulam per Genium Cœlitem misit, quam ipse acceptam dextellâ validè retinuit, donec à nutrice ablutus, vestitúsque, & re ad Matrem delatâ, ipsa lacrymas infantis nihil morata schedulam eripuit, inspexit, nostræque salutis exordium salutationem Angelicam nitidè inscriptam deprehendit, ac tandem nimiô infantis ploratu victa restituit; quam & ille mox deglutijt. De hac schedula Guilielmus de Tocco ipsi coætaneus in vita ejus posteritati commendavit: Et ista chartula sibi à Deo missa, quæ continebat initium nostræ salutationis, quam in manu dextera tenebat, figurabat, quomodò illâ manu scribere deberet gloriosè multa ad nostram salvationem pertinentia. Porrò benignissima Virgo Mater deinceps ope, & patrociniô, quô ille ad summum doctrinæ apicem pertingeret, nunquam ei defuit. Testis est ipse S. Thomas, cujus paulò ante mortem audita est vox, misericordias in se sanctissimæ Deiparæ extollentis, gratiásque illi referentis: Se nimirum nihil unquam à Deo per Virginem Matrem expetijsse, quod pro voto non impetraverit. Quid enim? hujusce benignitatis certus, ac veluti accepta fide audax, non librũ arripiebat, non manum calamo admovebat, quin prius Magnæ Matris pedibus adgeniculatus, profusis precibus cœli opem implorâsset, ut suo jure auxilium deposcere videretur. Quò factum, ut effuso Mariæ sinu exundantibus sapientiæ rivis, parvus fons creverit in fluvium, & in lucem solémque conversus sit, & in aquas plurimas, plurimos videlicet populos, redundârit. Sic Choquetius. Ex cujus narratione facilè colligimus, D. Thomam ex Angelica illa salutatione sibi cœlitus ab Angelo deportata, ac postea instar Ambrosiæ, potúsque nectarei sumpta, Doctorem Angelicum evasisse, ac grande in tota natura miraculum, quod de Aristotele ajebat Plato, imò & gratiæ, cœlestísque sapientiæ

tiæ prodigium stupendum evasisse. Unde Vir Sanctissimus tanti à Virgine, summæ sapientiæ Parente optima, beneficij accepti memor, in salutationem illam Angelicam pijssimum simul, ac doctissimum opusculum gratitudinis ergò posteritati mandavit; ut si verè sapientes esse cupiunt, & divinarum æquè ac humanarum rerum scientiam infundi, salutationem illam Angelicam in amoribus habeant, eàque quàm sæpissimè Deiparam venerentur.

82. Neque verò Virgo nostra viros Sacri hujus Ordinis, verùm etiam mulieres cœlesti sapientiâ literísque velut accuratissima Magistra imbuit. Inter has agmen agit sancta Catharina Senensis, quæ à teneris annis salutationem familiarem sibi ita fecerat, ut domi ad singulos scalarum gradus sive ascenderet, sive descenderet, balbutiente lingua, flexis genibus, miro pietatis sensu pronunciaret. Postcà succrescente ætate legendi scribendique cupida, cùm à Sodali quadam sibi prima elementa describi curâsset, & aliquot hebdomadas in eis discendis eâdem illâ Sodali Magistrâ frustra insumpsisset, ad Deum ejúsque Matrem veræ sapientiæ fontes conversa, obnixè deprecata est, ut si illis placitum foret, lucem ipsi præferrent, legendíque peritiam largirentur, quò horarias preces ipsa legere ac persolvere posset: Vix orationem hanc resolvit Catharina, cùm expeditissimè legere cœpit, B. Raymundo ejus Confessario obstupescente. His jactis litterarum fundamentis, successu temporis eadem æviternæ sapientiæ Parens, tanta divinorum replevit cognitione, ut gravissimos Theologorum nodos, ac difficultates mira perspicuitate intellectûs dissolveret, & ipsi suo confessario sacræ scripturæ ardua quædam, atque perplexa loca, clarè ac dilucidè explicaret. Tanta denique divinitus ipsi infusa extitit sapientia, ut Romani Pontifices Christi Vicarij, Gregorius XI. & Urbanus VI. eam, varia negotia Ecclesiam concernentia, tractantem libenter audirent, ejúsque Spiritum sapientiámque obstupescerent.

[S.] Catharina [S]enensis, cœlesti suâ sapientiâ, à B. V. imbuta.

83. Quid de B. Margareta à Castello dicam? hæc tametsi ab incunabulis ipsis oculis esset capta, tantam nihilominus magisteriô Virginis, cujus cultui erat addictissima, Theologiæ, sacrarúmque literarum peritiam fuit adepta, ut præstantes Theologos in admirationem adduceret tanti prodigij magnitudo: pollebat memoriâ, adeò, ut Beatissimæ Virginis preces horarias nunquam lectas, sanctæ crucis officium, nec non integrum Psalterium Davidicum absque ulla hæsitatione recitaret, & Psalmos ipsos licèt difficiliores eorundémque reconditos sensus, expeditè, profundè, clarissiméque interpretaretur, super hominum captum ac fidem. Cùm eam expostitiam crudeles ejus parentes fecissent, Civis quidam Venturinus nomine commiseratione motus, eam in suas ædes accepit. Hujus filios, ex humanioribus Scholis revertentes, mos illi fuit, seu Grammaticæ, seu Poëticæ operam darent, ab eis audita deposcere, juxtà cujusque genium, & pensum varias quæstiones movere, prælectiones elucidare, eorum compositiones seu prosâ, seu versu expendere, corrigere, ut professorem quempiam Latinitatis eloquentiæque peritissimum crederes.

B. Margareta à Castello Theologiam & sacrarum literarum peritiam ope B. V. adepta.

74 Quid Osannam Mantuanam dicam, quæ Christo ejúsque Genitrice Præceptoribus, nullô præterea ludi Magistrô usa, exactè legere, ac scribere didicit? Quid de Catha-

Osanna Mantuana, Catharina Riccia, Agatha à Cruce Magistram habuere in literis legendis

ac scribendis, modoque recitandi rosarium, Deiparam.

Catharina Riccia, quæ adhuc Puella, cùm Virginem velut Matrem diligeret, ab Angelo ejus tutelari, ita sine dublo mandante Deipara, modum recitandi rosarii, ejúsque sacrosancta illa mysteria contemplandi, edocta est. Huic cùm Cœli Regina Angelicis stipata choris spectandam se aliquando exhibuisset, varia illi dubia, in quibus fluctuabat animus, resolvit, scrupulos quibus exagitabatur, exemit, eámque velut Stella sapientiæ suæ radijs illustravit. Agatha denique à Cruce ab eadem Virgine sapientissima, sibi aliquando apparente, scribendi rationem edocta est, ut refert Antonius de Martyribus apud Choquetium, locô suprà citatô, quem consule. Hæc ad ostendendum, DEI Matrem opus illud misericordiæ, quo ignorantes docentur, exercere, hìc dicta sufficiant.

Ut in dubiis recurramus ad Deiparam hortatur D. Bernardus.

85. Nec rectum consilium dubitantibus, & ad Virginem confugientibus defuit. Quod agnoscens S. Bernardus Hom. 2. super Missus sapienter suadebat: *In periculis, in angustijs in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum, ipsam sequens non devias, ipsam rogans nondesperas, ipsam cogitans non erras.*

B. Raynero Dominicano dubitanti de fide præsto fuit B. V.

86. Non erravit sanè B. Raynerus Dominicanus, ab hac misericordiæ Matre benignè adjutus. Hic enim cùm tentatione sathanæ circumventus, in fide dubius vehementer fluctuaret, & an Judæus vel gentilis fieri deberet, ambigeret, nec fratrum suorum monitis acquiesceret, & noctu fugam ex Monasterio meditaretur, jamque esset in limine portæ, obviavit ei tanquam Filio perdito Mater hæc honorificata, eúmque à præsentissimo animæ interitu benignissimè liberavit, his amantissimis eum alloquendo verbis: Fluctuâsti, & veritatem in fide Filij mei te dubitas invenisse: Noveris certissimè, Gentiles varijs teneri erroribus, Judæos Moysis gaudentes umbris, lumine Christi solis justitiæ destitui. Quæ verba tantem vim ac energiam ad confirmandum in fide Christi vacillantem animum Rayneri habuerunt, ut constans semper, fundatúsque super firmam Petram Christianæ Religionis usque ad extremam suæ vitæ periodum perseverârit, objerítque sanctitatis laude celebris. Cal. B. V. 9. Augusti.

Ejusdem Ordinis doctissimo viro dubitanti de perpetua Virginitate Deiparæ prodigiosè scrupulus exemptus est.

87. Aberrârat gravissimè & alter ille Doctor ejusdem Ordinis, cùm mali Dæmonis astu de MARIÆ DEI Matris perpetua Virginitate dubitaret invitus: Capere enim non poterat, quâ ratione fieri posset, ut MARIA Virgo & Mater simul permaneret: Multísque annis his agitatus scrupulis, seu potiùs mali genij ludibrijs conquiescere non valebat. Tandem Sanctimoniæ S. Ægidij Franciscani, ejúsque revelationum cœlestium excitus famâ, eum accessit, quem ubi vidit, à Deipara fortassis admonitus, interiorem ejus fluctuationem agnoscens, baculô, quem manu tenebat, terram pulsavit, dicens: Frater Prædicator, Sanctissima Deipara MARIA Virgo est ante partum, & mox terra candidissimum lilium germinavit: Rursus terram eôdem percussit baculô: Frater inquiens, Prædicator, S. MARIA Virgo est in partu, & statim alterum exortum fuit lilium. Tandem tertio terram pulsando: Frater inquit, Prædicator, sancta MARIA Virgo est post partum, simúlque tertium non minoris pulchritudinis lilium pullulavit. Quorum liliorum Virginem ipsam, ejusdémque Virginitatem repræsentantium pulchritudo, mirificúsque can-

candor adeò Prædicatoris illius illustravit oculos, ut omnem in posterum dubitationem deponeret, atque pax & serenitas menti illi restituta fuerit.

88. Jam demonstrare, Deiparam pro salute proximi DEUM orare, prorsus videtur supervacaneum, cùm & sacræ literæ Patrésque omnes tam Græci quàm latini id unanimi consensu plena voce contestentur. Hanc ob causam eam Advocatam, Mediatricem, Patronam omnes Christi fideles mirifica cum fiducia vocitant, sperantes se desideriorum, votorúmque suorum compotes, eâ apud DEUM interpellante, nostrásque causas in cœlesti curia agente evasuros. Quæ sanè fælicitas veteris testamenti Patribus minimè contigit: Ipsi enim in suis necessitatibus atque angustijs, in suis ad DEUM postulationibus Angelos intercessores adhibebant; quod clarè lucta illa Jacobi cum Angelo Gen. 32. nobis indicat, ubi dicitur non sine particula admirationis: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè.* Qualis porrò fuerit hæc lucta, Oseas Propheta cap. 12. declaravit, ubi de Jacobo loquens: *Prævaluit*, inquit, *ad Angelum, & flevit, & rogavit eum.* Quibus verbis energiam orationis magni illius Patriarchæ nobis descripsit, ostenditque vim ac violentiam quandam ad luctandum in oratione cum DEO, lacrymas item ex ferventibus inflammatisque igne divini amoris, eodémque sauciatis præcordijs proficiscentes requiri: Præclarè enim S. Gregorius Nissenus Orat. de Placilla ait: *E cordis vulneribus lacrymæ tanquam sanguis profluunt.*

Patres Veteris Testamenti solùm Angelos, nos simul Angelorum Reginam habemus Advocatam.

Qualis fuerit lucta Jacobi cum Angelo. Gen. 32.

89. Et sanè lacrymarum vis apud DEUM est omnino admirabilis, unde & ascendere ad ipsum, cùm naturâ suâ aliàs in sinum descendant, à sacris literis perhibentur. Nimirum sicut sol terræ vapores suo calore tepefactos sursum evehit, ita piorum ferventes lacrymas Benignissimus DEUS excitat, & elevat ad se. Hinc sapiens Eccl. 35. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt? à maxilla enim ascendunt usque ad Cælum.* Lacrymarum igitur imber diversus est ab hoc communi, quem dietim conspicamur, non enim hic ex nubibus defluit, sed ipsas nubes penetrat, DEúmque cogit quodammodò ad largiendum, quòd desideramus. Lacrymis igitur & oratione instructus Jacob, cum Angelo illo luctatus est tota nocte, rogans eum, ut apud communem Dominum intercederet, benedictionémque ipsi, posteritatique suæ impetraret.

Quæ sit vis lacrymarum apud DEUM.

90. Verùm Angelus fugatâ jam tetrâ caliginosâque nocte atque illucescente Aurorâ, in eáque summi DEI Parentem omniúmque Angelorum Reginam potentissimam agnoscens, mox exclamavit: *Dimitte me, jam enim ascendit Aurora* illa, utique quam cum admiratione contemplans Salomon ajebat: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quod elogium ponderans Rupertus Abbas lib. 6. in Cant. ita Virginem alloquitur: *quando nata es O Virgo Beata, tunc vera nobis Aurora surrexit, Aurora prænuncia diei sempiterni. Quia sicut Aurora quotidiana finis est præteritæ noctis, & initium Diei sequentis: Sic Nativitas tua, Nativitas ex semine Abrahæ clara ex stirpe David, ad quos cum juramento facta est repromissio benedictionis, finis dolorum fuit, & consolationis initium; finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* Hæc Rupertus. Similiter sentit Card. Joannes Halgrinus, qui idem Spiritûs sancti de Virgine librans elogium. *Utrámque*, inquit, *generationem Christi & B. Virginis unô Verbô conclusit Dominus, dum per Auroram intellexit B.*

Aurora de qua Angelus ad Jacob: dimitte me, jam enim ascendit Aurora: Deipara intelligitur.

V., *quæ de tenebris Synagogæ exorta*, *Christum peperit Verum solem.* Hæc est Aurora, de qua Angelus ad Jacob: Dimitte me, jam enim ascendit Aurora; siquidem per Jacob luctantem cum Angelo, sancti Patres designantur, qui luctantes cum Domino, precibus & lacrymis extorquere, & obtinere à Domino Incarnationem Filij sui tali instantiâ nitebantur. Neque verò humanæ carnis paludamentum Patres illi veteres postulabant, ut Verbum æternum post tot annorum myriades indueret, verùm etiam alia beneficia per Angelos, uti suprà memoravi, cùm alio Mediatore carerent, efflagitabant. Unde Angelus perspiciens, quòd Jacob majorem se Mediatricem & Advocatam in illa rubescente Aurora nactus sit, officium intercessoris & Advocati apud DEUM omnino recusavit: *Dimitte me*, inquiens, *jam enim ascendit Aurora.* Ascendit, inquam, non modò supra me, verùm etiam super omnes Angelorum reliquorum etiam Cherubinorum supremas DEO proximas Hierarchias, utpote DEI Mater, omnes creaturas licèt purissimas ac sanctissimas, etiam collectivè sumptas, meritis ac privilegijs gratiæ gloriæque multis parasangis transcendens, quare non est, quòd ultrà pro patrocinio auxilióque ad ullum Angelorum recurras. Libet hic propter egregiam dicendi facultatem, singularémque in Deiparam pietatis teneritudinem P. Benedicti Fernandij hìc paraphrasim hujus loci sanè elegantissimam attexere. *Quid quæso clamoribus, precibus, & lacrymis, quasi colluctando, Cœlum instanter fatigas, ut per Angelos, quorum ego unus de numero, à DEO exaudiaris, & votorum tuorum, quæ supplicando exponis, tandem compos fias? Jam enim ascendit Aurora: desine cum Angelis rem agere, alia tibi via incedendum, ut rem brevi conficias, ut ad impetranda, quæ supplex efflagitas, compendiô pervenias. Jam Cœlo irradiat, jam justitiæ solem sinu suo fovet ac portat, jam terris novum & pulchrum inducit diem, beatissima & suavissima Virgo DEI Mater, jam gratiâ plena super omnes Angelos ascendit coram DEO, jam quæ vera DEI hominis Mater est, nos servi, & quidem potentiùs Domina, quàm famuli, intercedit ac patrocinatur, efficaciùs Mater, quàm servi, exorat. Vobis illa Mater, est nobis Domina, quam nos submissô vultu veneramur, vos filiali pietate ac fiduciâ propiùs accedentes, non oratis tantùm, sed exoratis. Benè id quidem, & si Angeli videant faciem Patris, qui in Cœlis est, atque hominum, quos custodiunt, Orationes in Cœlum deferant, eásque velut odoratum thus ante Domini altare incendant.* Apoc. 8. *Infinito tamen ab ea intervallo distant, quæ sola dicere potest & solet: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Cant. 2. *Unus amor*, inquit, *Virgo Benedicta, Filium & Matrem habet conjunctos: nulla illi creatura æquè in amore, atque Mater est. Nihil aut esse aut fingi potest mihi tam dilectum dulce ac filius est; unicus ille Matri Filius sine Patre homine verus ac solus uteri mei fructus: quidni dilectus super omnia sit, qui speciosus formâ præ filijs hominum.* Psal. 44. *Matrisque suæ uti Filius, sic & Pater & DEUS est? Et ego dilecta illi, ut Mater Filio, sola ego illi sum parens, patrem videlicet non habet in terris, totam quam suæ divinitati univit, de meis visceribus carnem assumpsit. Totus Filij amor in me una parente quiescit. Quid igitur à meo Filio non impetrabo? Accedite, precamini confidite, sperate. Dilectus meus inter ubera mea commorabitur* Cant 1. *Assumam in brachia Filium Mater, affigam uberibus, infantem lactabo: Quid ergo timeatis, etsi peccatores! non est, quòd magnitudo scelerum spem amoveat, fiduciam depellat, mæstos faciat, ac desperantes, quibus Matris*

Intercessio Deiparæ pro nobis apud DEUM quàm sit efficaciz.

Matris ubera Filium lactantia totam spem & miram consolationem adducunt. An non idem qui inter ubera commoratur, pascitur etiam inter lilia? quæ lilia, nisi uber? Quid verò lilium, nisi percelebratum symbolum spei? Ubi ergo ubera Matris, ibi tota hominum spes, ubi non una tantùm uni peccatori spes, unúmque lilium sed omnibus planè liliorum & spei prata efflorescunt. Nec fiet unquam, ut præsentata Filio ubera, quæ suxit Matris suæ, non impetrent, quod pro ipsis postulatur. Hæc Fernandius, quibus sanè clarè vim atque energiam Virgineæ deprecationis atque interpellationis apud Deum super omnes Angelos, pro humani generis salute, ipsamque misericordiam effusissimam Deiparam nobis ob oculos proponit.

91. Et verò, si sanctorum deprecationes atque patrocinia salutem atque incolumitatem, tam animorum, quàm corporum illis, qui cum illis familiariter versantur, & agunt, qui eorum fidei se se committunt, impetrare consueverunt; quantò magis Sancta Sanctorum ipsius Sancti Sanctorum Parens dignissima? Miram sanè in nobis fiduciam excitare debent, D. Pauli verba memorabilia, suæ navigationis socijs proficiscentibus à Palæstina in Italiam pronunciata, quando exortâ gravissimâ tempestate omnes de se actum conclamatúmque arbitrabantur; quos ille ita de sua salute desperantes, paternè planè solatus est: *Suadeò vobis, bonô animô esse, amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis: Adstitit enim mihi Angelus DEI dicens: Ne timeas Paule, ecce donavit tibi DEUS omnes, qui navigant tecum* Act. 27. O quoties mare hujus sæculi, nos vorticibus suis, ob ingentia nostra scelera, quibus Divini Numinis iram provocamus, hauriret, si sanctorum præsentissima auxilia favorésque nobis non adessent! Quare præclarè aureâ suâ eloquentiâ Chrysostomus: *Quod dictum Paulo: Donavit tibi eos; tantundem est: Digni quidem erant, qui perirent, quoniam inobedientes fuerunt, Veruntamen in tui gratiam hoc fit.* Unde Hom. 35 in acta, tandem colligit: *ita justi, licèt in tempestate sint licèt in mari, licèt in pelago, nihil grave patiuntur, quin & alios secum servant.* Si navigantes periclitantes, & naufragium sustinentes, si & vincti per Paulum servati sunt, cogita quid est, esse virum sanctum in Domo; sanè si nobiscum Virum sanctum, sive ipsius favorem atque patrocinium habeamus, licèt furiosis hujus tempestuosi maris fluctibus, procellisque obvallemur, in tutissimo portu nobis versari videbimur. Quare sapienter hortatur Chrys. *Retineamus apud nos sanctos, nec erit tempestas, imo etiamsi fuerit tempestas, erit serenitas & tranquillitas, & à periculis liberatio.* Et rursum idem Chrysostomus de salubri sanctorum præsentia: *Ubi pedes sanctorum ingrediuntur, nihil erit, quod consistet. Assuesce ut pavimenta domûs à talibus calcentur, pedibus, & non calcabit Dæmon illic. Reverentur sanctorum vestigia, sicut Leonem vulpes: Justus enim ut Leo confidit* Prov. 18. *Introducamus hos Leones in domum, & omnes expellentur bestiæ non clamantibus, sed simpliciter loquentibus illis. Non enim Leonis rugitus bestias sic fugat, ut justi oratio Dæmones.* Hactenus Chrysost.

Intercessio sanctorum pro nobis efficax, & præsentia eorum salubris est, quod exemplo D. Pauli ostenditur.

92. Quod si preces, præsentiáque amicorum Dei, ita salutem hominum tutatur ac protegit, quid faciet amica illa Dei singularis, amantissima Sponsa, Mater denique summæ illius Majestatis, quæ ut loquitur S. Damasc. *Non sibi nata est, sed toti generi humano, ut ipsius auxiliatrix ac protectrix foret?* Quòd si Servorum Dei, & Matris Dei infinitum est discrimen, erit utique infinitum & supplicationum. Quod sanè nobis luculenter declaravit

Universum Mundum suis precibus B. V. Salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem esset paratissima ad precandum, si precibus ejus se faceret dignum.

Goffridus Card. Serm. 8. *Beata*, inquiens, *MARIA Mater Virgo & Sponsa intacta, pijssima apud pijssimum Filium suum obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit. Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo mundo paratissima esset ad precandum, totúsque mundus savlaretur, si precibus ejus se faceret dignum.* Et paucis intercalatis ostendit, qua in re discrimen illud inter sanctos, & Virginem nostram consistat. *Cæteri* inquiens, *sancti Dominum DEUM orant, & orando impetrant, sed honorabilis Virgo MARIA, si illum ex eo, quod DEUS & Dominus est, exorare meritò creditur, ex eo tamen, quod homo est, & natus ex ea, quasi quôdam Matris imperiô apud ipsum impetrare, quidquid voluerit, quia fide non dubitatur. Nam si quilibet sanctus apud justum Judicem obtinet, quidquid sibi jure debetur, hæc, quæ est Mater judicis, & omnium sanctorum Domina jure Matris nunquam fraudabitur. Hoc est enim materni juris apud filios dignitate sublimes, ut si Matres eos sæpiùs rogent, quia Domini sunt, eis etiam aliquando imperent, quia Filij sunt.* Hæc ille. Quæ sanè omnia indicant, quanta cum fiducia Virgo Patrona & Advocata nostra, super omnes Angelos sanctósque reliquos, jure Divinæ Maternitatis ad supremum illud sempiterni judicis tribunal pro salute humani generis deprecatura, causásque nostras, licèt intricatissimas actura accedat. Quæ profectò vel sola cogitatio ingentem nobis fiduciam parere debet, ut quidquid ab illa flagitaverimus, impetremus. Unde Hildebertus hac spe in Virginem fretus, affectu filiali eam alloquebatur: *O MARIA! doces me sperare majora meritis, quæ meritis majora largiri non desinis.*

Discrimen inter sanctos & Deiparam quoad intercessionem pro nobis apud DEUM.

93. Quàm porrò grata sit Cælesti Sponso hæc Virginis sanctissimæ pro salute proximi deprecatio, ipse Cant. 8. Significat illis amantissimis: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Quod dictum Guilielmus Abbas Anglicus attentiùs ruminans, ita loquitur: *In calce sacri Carminis Cælestis Sponsus præclarè insinuat, quantùm favoris & honoris impendat piæ Matri, in æternis secum delicijs accubanti; ne quis fortè cunctetur se ejus meritis commendare ejus suffragia postulare, tanquam illi sit aliquid apud Filium difficile impetratu. Multùm ait, jam pia Mater cantavimus, multam in alterutrum suavitatem eructavimus, & suavitate carminis nostri sanctos etiam oblectavimus Angelos. Audierunt & delectatæ sunt Reginæ & Adolescentulæ. Quæ accubas in hortis cælestibus, quæ mecum accubas in amænitate semper virentis Paradisi, fiducialiter apud me, pro quibuscunque volueris, intercede, non enim possum oblivisci me Filium, ut Matri quidquam denegandum putem. Quos mihi in oratione commendas, nullatenus deseras, donec paulatim proficientibus impetrando gratiam perfectionis, me in illis audire vocem tuam facias, id est: facias illos ex puris cordibus in meis auribus dicere illud, quod tu olim perfecta charitate mihi dixisti: Fuge dilecte mi, & assimilare Capreæ, hinnulóque cervorum super montes aromatum. Fac me audire ab his quos mihi commendas, vocem tuam, vocem istam. i. e. tam fiducialiter, tam instanter, & tam efficaliter intercede pro eis, ut provectiori tandem charitate diffusa in cordibus eorum per Spiritum S. tædeat eos jam nôsse me secundùm carnem, & dicant. Fuge dilecte mi.* Simili modo verba illa interpretatur Halgrinus Card. In fine hujus operis. *Assignat Christus Matri officium, quod gerat in Patria dicens: O tu dilecta mea, quæ habitas in hortis gratiarum & virtutum, fac me audire vocem tuam in precibus, sonet vox tua in auribus meis, quia amici, Angeli videlicet, auscultant te, ut, quod à me petis*

Quam grata sit Cælesti Sponso intercessio pro nobis Deiparæ ostenditur.

petieris, statim officiosô peragant ministeriô. Beata autem Virgo libenter obsecundans Filio, & tanquam gaudens de iniunctô sibi tali officio, statim assurgit ad preces; Fuge, inquiens, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnulóque cervorum super montes aromatum. Ac si dicat Prophetice: Scio dilecte mi, quòd tu fugies aliquando, abscondendo notitiam tuam, subtrahendo vel non apponendo gratiam: Veruntamen hoc rogo, hoc supplico, ut qui es assiduus super montes aromatum, id est: ijs qui comparabiles sunt montibus aromaticis, assimileris capreæ, hinnulóque cervorum, qui de montibus consueverunt ad conualles descendere, ut videlicet ad illos revisendos misericorditer recurras, qui sunt in vallibus & fæcibus peccatorum. En vobis, quam sedula est Virgo nostra, vera misericordiæ Mater in opere illo misericordiæ spiritualis exercendo, quod est pro salute proximi, DEUM orare.

94. Audiendus hic Venerabilis Dionysius Richel. art 27. in Cant. ubi ita DEI Filium cum Matre loquentem, & ad intercedendum pro omni Ecclesiæ statu exhortantem introducit: *Tu mundissima, sanctissima, illustrissima Virgo, in mentibus devotis, puris, fructuosis, ac floridis, in Congregationibus Religiosis, in sanctarum collectionibus Virginum, in exuberantijs Cælestium deliciarum, mansionibúsque supernis! Amici auscultant te, universi videlicet, DEUM & te amantes, ac venerantes tuam vitam, sanctitatem ac dignitatem, tua miracula ac pijssima gesta, tua eloquia cupidè exaudiunt téque æternaliter intueri, audire, & præsentem habere ineffabiliter gliscunt. Fac me audire vocem tuam. i. e. mutuò colloquamur, quia in Verbis sanctissimi oris tui delector, laudes, quas exhibes Deitati, audio gratulanter, orationes, quas pro fidelibus ac impijs fundis, amorose percipio. Fuge dilecte mi. i. e. obstinatâ ac perfidâ Synagogâ relictâ ad gentium conversionem celeriter perge: Imò simul à valle ista plorationum ad æternitatis Beatitudinem properemus, ubi in osculo pacis, quæ omnem sensum exsuperat, sine interpolatione æternaliter jucundissimè perseveremus: illuc me trahe post te & meritis tuis ac precibus me & militantem Ecclesiam incessabiliter protege, imple, reforma, illustra, ac perfice, eámque ad triumphantis societatem Ecclesiæ, ad supernorum montes aromatum, ad omnium Cælestium Civium fœlicitatem digneris perducere.* Hæc Dionysius de Virginis pijssima apud DEUM pro Ecclesiæ salute deprecatione; quam ille pro infinita sua in Matrem pietate libenter exaudit, ínque ejus gratiam, quæcunque postulat, executioni mandat. Hoc enim Filij in Matrem postulat reverentia: Si enim ille Sabaudiæ Dux, qui Catharinam Regis Hispaniarum Filiam in uxorem duxerat, quodcunque beneficium, gratiámque suis subditis conferebat, eam se intuitu conjugis conferre dictitabat: *Infanta*, inquiens, *fecit vobis hanc gratiam:* Quantò magis DEI Filius, intuitu Matris pro nobis assiduè, próque salute nostra deprecantis, gratiam salutem nostram operandi, æternámque beatitatem consequendi conferet?

Sabaudiæ Dux, qui Catharinam Regis Hispaniarum Filiam in uxorem duxit, omne beneficium, quod subditis contulit, in gratiam suæ conjugis contulit, quanto magis DEI Filius in gratiam MARIÆ.

95. Jam quid de mœstorum consolatione, quam Virgo nostra pro innata sibi benignitate, ac misericordia suis ingerere consuevit, dicam? Hanc illa nobis, & in hac vita, dum degimus, & cùm ex illa emigramus, & in altera, dum Purgatorij ignis flammis expiamur, communicare magna benevolentiæ significatione consuevit: Solamen hoc vel solo suo aspectu, quemadmodùm olim & ipse Filius afflictis mœstísque in terris adhuc vivens, afferebat. Unde Michoviensis ex Nicolao Polono decretorum Doctore Ser. 1. de assump. refert: fuisse Eremitam quempiam

MARIA Afflictorum consolatrix.

antiquissimum, qui ubi inaudijsset ab Angelo, majori devotione exardescere eos, qui MARIAM intuerentur, Anno post ascensionem Christi septimo in Montem Sion, ubi illa habitabat, ejus visendæ studiô venisse, eâque conspectâ tantùm gaudij ex sola ejus præsentia hausisse, ut pedibus vix subsistere potuerit, sed in terram corruerit, dixeritque pio amore languescens: quid mihi est in cœlo, & à te, quid volui super terram? aliud Regnum Cœlorum non opto, dummodò hanc perpetuò mihi intueri liceat. De hisce aspectûs Virginei delicijs, quas se contemplantibus mœstis, atque afflictis conferebat, præclarè Simon Tiletanus Episcopus Iprensis. Tract. 5. de Assumpt. *Quid tam jucundum & quid tam decorum, quàm Matrem Plasmatoris & Redemptoris omnium intueri? Nam si sepulchrum ejusdem nostri Salvatoris ita visu delectabile est, si lapis, in quo stirps sancta Jesse requievit, tanta expetibilis celebritate, ut animos & affectus cunctorum provocet in se, & quâdam pietatis arte trahat ad se omnia, quæ vel qualis erat lætitia DEI Genitricem cernere, quamdiu eam divina pietas communi sorte degentem nobiscum concessit in terra?* Et paucis intercalatis: *Denique Virgo Mater omnium in se charismatum commercia deferebat: Primò námque aspectu scintillans, sacri amoris ignibus proximorum pectora suaviter ea exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecundiam, inflectebat ad pietatem, spirabat, florem Virginitatis, seminabat novale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, præferens judicium veritatis.* Hæc ille. Quibus similia habet S. Amad. Hom. 7. de laud. B. V., ut admodùm difficile sit judicare, quis ab alio ea fuerit mutuatus. Sanctus quoque Bernardus afflictorum unicam post DEUM consolatricem, Deiparam agnoscens, præclarè dixit: *Verè magnum hoc erat hominibus solatium, videre Matrem in terra, cujus Filius dominaretur in Cælo.* Sanctus Ignatius Martyr Epist. 1. de hisce Virgineis pietatis mysterijs, quibus afflictis compatiebatur, verè pronunciavit: *MARIA miseris & afflictis condolebat coafflicta, nec segniter subveniebat.* Angelus denique in suo Serm. cap. 19. apud S. Birgittam, mœrentium consolatricem, Virginem agnoscens, ita loquitur: *Virgo M. in hoc mundo ad bonorum confortationem errantium correctionem remanere permissa est: erat enim Magistra Apostolorum, Confortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, Consolatrix Viduarum, quarum animos suo alloquio patientes in tribulationibus, & constantes in corporis tentationibus faciebat.*

96. Afflictorum Consolatricem Virginem nostram esse innumeris, si per brevitatem liceret comprobare, per omnes sæculorum series, possemus exemplis. Celebre est omnino illud, quod P. Fernandius in c. 32. Gen Sect. 8. n. 3. recenset ex Bernardo de Britto lib. 6. Chron. Cisterciensium cap. 27. & 28. Post Regum Gothorum interitum, à Mahometanis vastatam ac depopulatam fuisse Portugalliam, & aliquot dumtaxat superfuisse Castella munitiora circa Conimbriam, quæ se se in libertate sua conservârunt. Inter hæc fuit unum in monte majore vetere, cui subjectum erat oppidum nobilissimum. Ad hanc obsidionem concurrerat infinita Saracenorum propemodùm multitudo, cum Rege Cordubæ Almancore, qui varijs admotis machinis Castellum illud expugnare contendit. Castelli incolæ perpauci, duram hanc obsidionem trienniô, magno cum labore atque angustia, rerúmque pene omnium penuria tolerârunt: Tandem premente ac stringente obsi- Idem.

obsidionem varijs bellicis machinis atque armis Barbarô ferocissimô Almancore, ad DEI Matrem unicum desperatorum præsidium, afflictorum solatium, Christianorúmque propugnatricem recurrerunt. Intereà Joannes Abbas Ordinis Benedictini, qui Castelli caput erat constitutus, certò sibi persuadens arcem capiendam, omnésque ferrô flammáque perdendos, vel in miserabilem, probrosissimámque captivitatem cum uxoribus ac liberis abducendos, immane planè excogitavit, inauditúmque facinus, ob ignorantiam tamen, bonámque intentionem forsitan aliquô modô excusabile. Itáque in medium præsidiariorum Castelli militum, magnanimitate incredibilíque fortitudine intrepidus prosilijt: Eja, inquiens socij, ad extremum res adducta, capiendum castellum, trucidandi omnes, quibus per ætatem licuit arma sumere, oppugnantibúsque obsistere: Fœminæ, puerique in turpe ludibrium, prædámque cessuri truculentissimis hostibus, quibus præter intolerandum servitutis jugum, impendet periculum, ne decepti aut compulsi, nostram Christianam Religionem ejurent, ad nefandámque Mahometis Sectam complectendam compellantur: Itáque quod honestius est, ac securius, trucidatis priùs fœminis ac pueris, ne barbaris eorum pudicitia prostituatur, factâ nos eruptione in hostium legiones involemus, ut saltem fortiter ac viriliter depugnantes, gloriosam mortem inter Saracenorum strages oppetamus. Placuit omnibus Abbatis hoc consilium, omnésque mox mulieres, pueri, ac senes præsecto gutture ad unum de medio sublati, denique omni supellectile, opibúsque igne concrematis, consumptisque, strenui Bellatores reseratis illico portis, in barbaros illos multitudine pene innumerabiles, Christum Dominum, Sanctissimámque ejus Matrem, sanctúmque Jacobum, ut mos est Lusitanis, inclamantes, atque implorantes irruperunt. Favit DEUS ac Deipara strenuis hisce, Martio planè robore, præditis bellatoribus, qui licèt pauci numerô, victoriam æterna planè memoriâ dignam de Christiani Nominis infestissimis hostibus reportârunt, cæsis profligatísque nonaginta millibus, quos nihilominus Lusitani fugientes, persecuti sunt quàm longissimè, ad saltum quendam usque valde condensum. Tum opulentissima omníque supellectile, aurô argentóque refertissima castra direpta sunt, spolijs opimis onusti domum reversi sunt, læti quidem de parta victoria, verùm nimium quantùm mœsti ob amissas conjuges, charáque pignora; itáque in lacrymas soluti, querelis mœstóque ululatu complebant omnia, suámque suorúmque miserandam calamitatem deplorabant: Verùm tantam mœstitiam dolorémque solari Virgo nostra Vera afflictorum Consolatrix, Mater Viventium, habens claves vitæ, mortis & inferni, inauditô prodigiô pro ingenita sibi pietate minimè prætermisit: accedentibus enim jam ad portas Castelli, oculis quodammodò præ tristitia in morte natantibus, ecce tibi (O obstupendam DEI ejúsque Parentis optimæ Clementiam, simul & omnipotentiam!) occurrit illis obviam omnis illa Cæsorum tam mulierum, quàm puerorum, senúmque viva omnino, mirificáque lætitiâ gestiens caterva, quæ festis concentibus, modulísque tam victorum strenuam fortitudinem, déque hostibus reportatum triumphum, quàm redditæ illis vitæ, tam stupendum miraculum Virginis denique benignissimæ, mortuorum vivificatricis, præclarissima laudum encomia celebrabant: Atque ut vi-

Afflictorum Lusitanorum consolatio Mariana summè prodigiosa, & aliàs inaudita, in cujus memoriam à Joanne Abbate Ord. Benedictinorum templum erectum.

Vitam reddit occisæ multitudini invocata Deipara.

Hhhhh ctori-

ctoribus caterva hæc, phantasma minimè videretur, omnes circa collum ac guttur, quâ priùs vulnus inflictum latè hiabat, quoddam velut rubrum filum protendebatur, quô memoriam tanti miraculi, à Virgine illa, cui fecit DEUS magna, qui potens est, perpetrati, æviternùm dum viverent, conservarent. Non hìc prodigiorum finis. In saltu illo condenso, in quo à persequendis hostibus destitêre Lusitani, cœlitus delapsa reperta est Deiparæ statua lignea, cum eodem illo circa collum cruentato signo, ostendere volens sine dubio DEI Mater, se mortuorum illorum fuisse vivificatricem ac Resuscitatricem; quam ob causam in grati animi signum perennémque sui in Virginem amoris contestationem, jam sæpiùs memoratus ille Joannes Abbas ibidem Templum in honorem Virginis extruxit, in eóque statuam illam cœlestem Deiparæ collocavit.

97. En quàm mirificè, quàm abunde Virgo nostra pientissima opus illud misericordiæ, quod est consolari mœstos, exercuerit! Quare jure merito S. Damasc in Hymnis Ecclesiasticis ita illam consalutavit.

Salve Turris fidelium!
Salve intemerata
Omnium lætitia!
Misericordiæ Fontem concepisti,
Hinc nobis compateris bona DEI Genitrix:
Tu enim Fideles protegis,
Tu mærentium es consolatio.
Quare tibi nunc omnes
In fide procidimus,
Ut malis solvamur,
Solo divites auxiliô tuô.

98. Verè solô auxiliô Virginis dives facta fuit mulier illa, de qua Franciscus Bencius in Annuis Soctis nostræ, Historiam Mexicanam conscribens. Hæc duodecimum jam annum maritô absente, in magna inopia & cognatorum affiniúmque negligentia miseram vitam agebat; Despiciebatur in Calamitate, nec erat, qui opem ferret; Cùm Dæmon intereà ejus castitati consuetos dolos intenderet, illa antequàm resolveret pudoris jura, mori destinaverat. Hisce in augustijs nocte quâdam, quâ solitudo, & tenebræ intendunt molestias, cùm diurno confecta luctu se se demisisset in lectum, & jaceret insomnis magìs quàm pervigil, dolore victa, & conquirens solatia exsurgit, & cubile egressa, in apertum locum, suspensis oculis in Cælum, unde illi spes omnis, auxilia suspectat: Nox erat illunis, & nubila, omnibus stellis exstinctis mœrori augendo, in cubile se recipit, iterum non tam somno medicinam quæsitura, quàm fessa curarum. Tum quoniam pridie vesperi ex Nostris, dum recitantur exempla, audierat Beatam Virginem opem ferre afflictis, nec invocari frustra, præsentiamque suam ærumnosæ cuidam fœminæ ostendisse, hæc secum volutans animô, lacrymoso vultu DEI Genitricem sic deprecatur: Regina Cœli, DEI Mater, & Virgo, Mater misericordiæ, ne me solam desolatam relinque; Tibi quidem est hominum cura, quos Filios non dedignaris, quos amantiùs foves & complecteris, quàm mulier quævis partus suos; quòd si, quæ me genuit, hæc videret jam mei credo misereseeret: At tu inquam, quæ plùs humanis parentibus potes, poténsque, dissimulabis mœrorem meum? non succurres egenti? ad te recurrentis voces repudiabis? si me deseris, quæ mihi unica spes & consolatio: Nam néque mortalis vita agi sine ærumna, neque ærumna sine patientia rectè ferri, nec patientia sine tuo patrocinio parari potest. En memorabat hesterno die Sacerdos, te Filiorum non oblivisci, & illius in dolore felicis fœminæ miseriam. Quòd si tuam consuetudinem in filijs

Deipara prodigiosè solatur afflictam mulierem.

lijs tuendis perpetuò servas, & ego destituor, filia non sum. Miserere Mater, Miserere. Dixisset plura: Sed lacryma Spiritum & vocem intercluserunt. Ubi redijt Spiritus, januam prospectat; per ejus rimulas, cùm esset infusum lumen, quasi Auroræ exorientis, mirabatur tam citò diluxisse, ea versans mulieris vocem exaudit, à qua nomine compellabatur. Ejus autem dulcedo vocis, ita permulcebat aures, animúmque, ut omnis dolor pelleretur à corde, omnes curæ à pectore evomerentur. Cùm vellet reddere responsum verbis, impar præsenti gaudio, rursùm audijt: bonô animô esto filia, non ego te derelinquā: dura & præsentem tristitiam futuræ in posterum lætitiæ expectatione consolare. Ego faxo, videbis, nunquam te majori curæ, quàm mihi sis, Matri tuæ esse potuisse. Cum fine hujus Orationis cæpit splendor imminui. Illa curiosa, aspicere cupiens, cujus fuisset ea vox, illico accurrit: Videt in obscuro aëre candidam lucem, quæ paulatim decrescens in tenuem desijt lineam, cujus postremò aspectum tenebræ abstulerunt. Mulier jam læta narrat, audîsse se vocem Virginis MARIÆ; illud restare, ut nefas sit ejus faciem intueri. Hæc Bencjus. Ex quibus colligimus, & clarè cognoscimus, benignissimum Virginis Matris genium, curámque ac solicitudinem planè Maternam, quam gerit erga suos Filios, filiásque, quæ mori potiùs eligunt, quam divinam dilectissimi sui Filij Majestatem aliquo lethali scelere offendere. His nimirum illa tanquam limpidissima lux Illuminans atque illuminata, juxtà sacratissimi sui Nominis etymon affulgescit, ab horum mentibus mœroris, tristitiæque tenebras abstergit, eorundémque animos mirificis demulcet solatijs, cæliqué replet delicijs ac cupedijs.

99. Innumera alia, atque luculentissima afferri possent exempla, quibus Virgo Deipara mœrentium afflictorúmque Consolatrix comprobatur. Unicum illud adhuc, quod scribit Justus Lipsius in Virgine Hallensi, hìc commemorâsse sufficiat, de duobus conjugibus, qui cùm die quadam Dominica ad Templum, bimulô domi relictô filiolô essent profecti, ut sacrosanctô Missæ Sacrificio interessent, quô absolutô domum rediêre, móxque delicias suas universa domo, dum filiolum non reperiunt, magna anxietate apud vicinos diebus duobus, at frustra, requirunt. Pater interim ad Divam Hallensem totam suam opem, fiduciámque convertit: Inter precandum solvitur in somnum, in quo monetur à Deipara: ut rursus quærat diligenter puerum, certò inveniendum. Mane facto iterum cum vicinis aliquot amicis mœrore plenus, omnes agros, dumeta, fossas scrutatur, donec sub meridiem ad Voraginem quandam limô, aquísque obsitam deveniunt, ibíque infantulum cæno aquísque obrutum, ac suffocatum reperiunt, illico ad Templum viventium Matri offerendum deferunt, mox ut aliqui arbitrabantur, terræ mandandum: Verùm Pater benè de Virgine gloriosissima sperare pergit, hácque grandi fiducia mœrores suos solabatur. In altari igitur summa cum pietate ac religione ante faciem cońspectúmque Deiparæ prolem collocat, calentissimisque precibus ac lacrymis vitam illi restitui efflagitat: Nec irritæ illius cecidêre preces: mox enim puerulus (ô incredibilem Deiparæ pietatem, Divinámque potentiam!) ad Virginis gloriosissimæ vivificantem præsentiam, ejúsque conspectum vitam, vocémque recipit, surgit, domúmque salvus, ac incolumis cum Parente redit, familiámque universam, quæ cum Matre mœrore

Deipara solatur mœstos parentes resuscitando filiolum unicum.

quasi sepulta jacebat, gaudiô mirificáque lætitiâ perfundit. Verè de hisce Virgineis oculis potiori jure pronunciare possumus id, quod quidam de struthione edixit: *Oculis vitâ.*

Mater vivificans, & immortalis Paradisus Deipara.

100. Vivificantem Virginem sacratissimam agnovit Seraphicus ipsius Psalmista, cùm Psal. 118. ille canebat: *Secundùm bonitatem tuam vivifica me, & non obliviscar sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est.* Quare S. Gregorius Thaumaturgus eam, mortalium omnium vitam esse agnoscens, ita consalutavit Ser. 3. de Añunc. *Ave, quæ in tuo utero Matris Evæ mortē demersisti! Quemadmodùm enim prima Mulier de terra terrena, nobis, omnibus mortem, ita hæc secunda de Cælo tota Cælestis, nobis omnibus vitam, eámque fælicissimam, ac beatissimam, immortalitatémque æviternam attulit.* In ea siquidem velut Paradiso Dei Filius, incarnationis in purissimo ejus utero peractô mysteriô, ad instar ligni vitæ divinitùs plantatus, veram immortalémque vitam generis humani germinavit. Unde de Virgine hac idem Thaumaturgus Ser. 2. de Añunc. loquēs in ejus gloriā pronunciavit. *Hæc est semper vigens imortalitatis Paradisus, in qua lignum vitæ plantatū, cunctis imortalitatis fructū suppeditat.*

Non tantum in vita, sed morte quóque consolationem præbet Deipara.

101. Neque verò Virgo Beata, hìc dum vivimus, semper vigens vernánsque cordium solamen præsentissimum, verùm etiam, dum vitam hanc deserimus, & ad meliorem transimus, quem transitum illa nobis non modò facilem, verum etiam lætissimum, aliàs per se horribilissimum, reddit, tum ob animæ à corpore, amarissimam avulsionem, cùm ob impendentis judicij rigidissimi expectationem, cùm denique ob larvarum stygiarum horribiles, quos morientibus incutere consueverunt timores. Quæ omnia, ut ejus fidelissimi clientuli & superare, & hilares ex hac vita mirâ gestientis animi lætitiâ migrare valeant, ipsa vires animósque suggerit. Suggessit sancto Gerardo, Mellifui Bernardi uterino fratri, qui Ordinem Cisterciensem sibi dilectissimum, súbque sua degentem tutelà ingressus, tantùm in virtutibus, omníque vitæ profecit sanctimonia, ut fratri suo Bernardo esset simillimus, ut pote qui, ut ipse testatur Ser. 26. in Cant. fuerit cor unum, & anima una, non tam consanguinitate, quàm unanimitate, morúmque conformitate, & morti proximus ipsum intermortuis pene vocibus, Psalmum illum, quô omnes Angeli sancti, reliquæque Creaturæ invitantur, modulatus sit, sine dubio divinis solatijs animum ejus permulcente Deipara, in sacro illo Ordine summa cum pietate ac Religione servierat. Unde idem memoratus Bernardus ejus virtutum probè conscius, sermonem illum pene totum in purissimæ ipsius vitæ insumpsit laudibus, maximo animi sui dolore, ita inter reliqua scribens, Doleo super te Gerarde charissime, non qui dolendus, sed quia ablatus; & ideò fortassis dolendus, quia bibo calicem amaritudinis, & solus dolendus, quia solus bibo: non enim & tu, solus ego patior, quod solent pariter pati, qui se diligunt, cùm se amittunt. Utinam non te amiserim, sed præmiserim! Utinam vel tardè sequar, te aliquando, quòcunque jeris! Non enim dubium, quin ad illos jeris, quos circa medium extremæ noctis tuæ invitabas ad laudem, cùm in vultu & voce exultationis subitò erupisti in illud Davidicum, stupentibus, qui assistebant. Laudate Dominum de Cœlis, laudate eum in excelsis. Jam tibi frater mi nocte adhuc media diescebat, non sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in delicijs tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti. Ubi est mors victo-

victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus! Jam non stimulus sed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Usurparis ad lætitiam O mors, Mater mœroris! usurparis ad gloriam, gloriæ inimica, usurparis ad introitum Regni, Porta inferni; & fovea perditionis ad inventionem salutis; idque ab homine peccatore. Justè nimirum, quia tu iniquè in hominem innocentem & justum potestatem temerariè usurpâsti! Mortua es O mors, & perforata hamô, quem incautè glutijsti, cujus illa vox in Propheta: O mors, ero mors tua, morsus tuus Inferne! Illô, inquam, hamô perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum lætúmque exitum pendis ad vitam. Gerardus te non formidat larvalis effigies, Gerardus per medias fauces tuas transit, ad patriam, non modò securus, sed & lætabundus & laudans. Cùm ergo supervenissem & extrema jam Psalmi, me audiente, clara voce complêsset, suspiciens in Cœlum ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum: & repetens eundem Sermonem, ac frequenter ingeminans, Pater, Pater, conversus ad me, exhilarata quidem facie quanta, inquit, dignatio Dei, Patrem hominum esse? quanta hominum gloria, Dei filios esse & hæredes? nam si filii, & hæredes. Sic cantabat, quem nos lugemus, in quo & meum fateor, luctum pene in Cantum convertit, dum intentus gloriæ ejus, propriæ ferè miseriæ obliviscor, &c.

Desiderius Ord. Cisterciensium mirâ animi voluptate delibutus mortuus est.

102. Suggessit quoque hæc benignissima afflictorum consolatrix miram planè efferentis se animi lætitiam B. Desiderio, ejusdem sacri Ordinis converso S. Bernardi Discipulo, qui B. V. intimo cordis colebat affectu, eique gratissimum totius vitæ decursu summa animi alacritate famulatum exhibuit. Hic cùm jam morti esset proximus, piissimam Angelorum Reginam multiplici Beatarum mentium circumstipatam chorô, eúmque ad æternam patriam evocantem conspexit; quam ille hilari, ac placidô vultu, omnibus circumstantibus valedicens, & D. Bernardi, qui præsens aderat, benedictione munitus, secutus est. Et verò meritus est Desiderius hic, ut Virginem Dei Matrem Angelicis stipatam choris, hilaris atque exultans in Cœlum sequeretur, qui olim eandem in Sylvis Monasterij, pascendis ovibus occupatus, die ipsius Assumptioni Sacro, in Cœlum proficiscentem ardentibus desiderijs, votisque ac suspirijs, oculos ad Cœlum attollens, salutationémque Angelicam sæpius magna in Virginem pietate tota nocte, & bona parte diei sequentis iterans, comitatus est. Quæ omnia S. Bernardus in Spiritu vidisse memoratur à Chrysostomo Henriguez in Menol. Cist. 24. febr. Vir enim sanctus, quæ videbat ad communem Fratrum ædificationem, mox in conventu peractis horis ac sacrificijs, cum sermonem suum haberet, hæc pronunciavit: Dubitare fas non est, vos Domino nostro Jesu Christo vero Regi, nec non speciali Patronæ nostræ gloriosæ Virgini Matri ipsius sanctum, & acceptabile devotionis vestræ sacrificium hac nocte obtulisse; ideóque fructum laboris vestri apud Deum, & eandem benignissimam protectricem nostram vobis repositam certissima fide teneatis. Verum tamen scire vos volo, unum de minoribus & simplicioribus Fratribus nostris, quem obedientia hac nocte in montibus & sylvis tantæ festivitatis gaudia celebrare coëgerat, tam jucundum, tam devotum, tam festivum Dominæ nostræ exsolvisse servitium, ut nullius nostrûm quantumvis suspensa cogitatio, seu intenta devotio ipsius devotioni, quam non alta contemplationis sublimitas, sed sub-

missa sanctæ simplicitatis efficit humilitas, præferri potuerit.

B. Arnulphus Ord. Cisterciensis in vita & in morte miro solatio à B.V. recreatus.

103. Non minori solatio B. Arnolphum Conversum Bruvellensem Diva Virgo circa ejus vitæ finem sine dubio recreârit, siquidem ei Christus Dominus, dum viveret, frequentiùs apparens, aliquando Angelorum choros, Cœlestium Civium sedes, ineffabilésque gloriæ suæ delicias ostendit. Et ipsa Virgo eum sua septem, quibus in Cœlo perfruitur gaudia, piè recolere docuit; quæ ille ijs septem, quibus eadem Virgo in terris perfundi meruit, multa cum devotione, alijsque suæ pietatis in illam exercitijs consocians, gratissimum illi exhibebat obsequium. Cùm enim hanc in perpetuam sibi Patronam delegisset, ejúsque familiari colloquiô non semel perfrueretur, ut habetur in Vita ipsius M. S., quæ asservatur in Monasterio Villariensi, die quadam, dum pijs hisce in Deiparam obsequijs animam excolit, & inter cæteras suas orationes, quemadmodùm Auctor ille vitæ ipsius loquitur, quotidie recogitaret, & ad memoriam revocaret septem illa gaudia, quibus B. V. M. in terra lætata fuerat, apparuit illi, dixítque: Arnulphe, fidelis amice, cur illa gaudia solum modò recogitas, quibus fæliciter affecta fui in hoc sæculo? Recogita quoque simul cùm his septem illa gaudia quibus perpetuò incomprehensibiliter afficior in Cœlo: inveni ibi esse, quod cogitabam aut sperabam super omnia, & præcipuè majorem gloriam paratam, quàm loqui vel cogitari potest, ita ut plenitudo gloriæ meæ superet omnem gloriam sanctorum & Angelorum. Secundo gaudeo eô, quòd sicut dies illuminatur à sole, sic tota cœlestis Hierarchia illuminatur & lætatur gloriâ & fælicitate mea. Tertio gaudeo, quòd omnis cœlestis exercitus mihi obedit, & me ut Matrem Regis honorat. Quarto gaudeo eô, quòd suprema & inseparabilis Trinitas benigno favore mihi consentit. Quinto gaudeo, eò quòd famulis meis conceditur in hoc mundo, & in futuro secundùm voluntatem meam. Sextum gaudeo, eò quòd super omnes choros Angelorum exaltata sum, & singulari privilegiô proxima S. Trinitati, perfruar jucunda omnium Sanctorum Societate. Septimo gaudeo, eò quòd omnino certa sum, quòd nunquam gloria mea deficiet, aut imminuetur. Similium gaudiorum memoriam sibi gratissimam esse ipsa Virgo revelavit quoque S. Thomæ Archiep. Cantuariensi, ut videre est in Cal. Deip. 29. Decembris: Quam ille gaudiorum Cælestium Annunciationem, in pios atque elegantes rithmos, pro suo in illam affectu redegit, quos nos alibi citavimus. His igitur pijs gaudiorum, quibus Virgo in Cœlesti gloria perfruitur, meditationibus id demum consecutus est Arnulphus, ut Virgineam puritatem Dei Matris æmulando, ad beatam immortalitatem candidatus ac purpuratus, die Veneris flexis genibus, demissô capite, trinô leviter emissô spiraculô, eum tenente virô quôdam magnificô, ut ibi dicitur, fælicissimè emigrarit, ut videre est in libro de gestis Virorum illustrium Villariensis Cænobij, ubi hæc habentur. Post gloriosum suum transitum idem vir beatus cuidam Ancillæ Christi informa pueri, & veste partim nivea, partim purpurea amicti apparuit: Quem cùm illa interrogâsset, quis esset? respondit: Ego sum Frater Arnulphus servus Christi: Tum illa: quare, inquit, in forma Pueri & veste bicolori appares? qui respondit: Pro hoc, quòd Puerilem præsefero faciem: intelligere te volo, me inter homines conversantem, tanquam puerum fuisse humilem: Per niveum autem mea vestis colorem me mundam

dam vitam duxisse, & munditiam dilexisse; per purpureum verò diuturnam cum sanguinis effusione corporis mei afflictionem agnosce: qua sanctus hic Vir mirùm quantum, in se desævijt, adeò ut Gosuinus in ejus vita scripserit: Virgarum verbera parvi pendens, cæpit in sylvis roseum colligere lignum, videlicet virentibus foliis semper aculeatum, faciens inde sibi fasciculos, & eorum ramis privatim se verberabat omni tempore, exceptis Dominicis diebus & festivis, interdum etiam pungitiva rosei folia accipiens, subtus ad carnem suam in sinu ponebat, interdum etiam acutorum congeriem ramorum in modum lectuli sibi in terra sternens, nudum se in omnibus volutabat: His addebat pelles Hericii, quibus se usque ad largam effusionem sanguinis cædebat; item urticas, quibus se involvebat: & cùm omnibus his se se cruciaret, die sequenti curatum se divinitus reperiebat. Observatus est in cædendo corpore mille nongentos ictus attigisse, &c. Eximiam denique ejus virtutem, columbinam simplicitatem, puritatémque illi à Virgine sine dubio communicatam, indicat ejus Epitaphium, antiqua illorum temporum simplicitate exaratum:

Pausat in hac tumba Vir, simplicitate Columba,
Qui Leo virtute, nobili similatur Alauda,
Qui Turtur gemitu, visu simul atque volatu
Par aquilæ; Salamandra, novo quia vixit in igne,
Nunc canit in de, la, sol, quondam flevit in a, re.

. Andreas l. Cister- ısis mirâ ıptate lo ante rtem à ipara nparente fusus.

104. Quid dicam de B. Andrea Cisterciensi, de quo ita Cæsarius lib. 7. cap. 51. in obsequio B. V. ita fervens ac devotus extitit, in horis decantandis intentus, ut non solùm in singulis versiculis, sed etiam in verbis singulis memoriam ipsius recoleret, sícque horam horis cum maximis pene laboribus continuaret. Tandem cùm graviter esset infirmatus, socius qui ei ministrabat, sciens illum virum esse sanctum, & in Servitio DEI Genitricis devotissimum, postulavit aliquid sibi ad ædificationem diceret; ad quem ille: Heri Domina nostra visitavit me, & quia die septima ad Dominum sim migraturus, prædixit, adjecítque: quia præ cæteris intentiùs mihi servisti, & ego tibi faciam, quod nondum alicui feci: collúmque simul meum brachiis suis stringens, dedit mihi osculum. Menol. Cister. 2. Martij. O Admirandam planè afflictorum cum honorifica morte colluctantium Consolatricem.

105. Et quodnam quæso majus solamen in tam miserando statu versanti afferri poterat, quàm hoc, ut & de die mortis quis certior fieri, & castissimis Virginis amplexibus dignus habeatur? O vere fælicem, ac ter beatam hujusmodi animam! Hæc sanè meritò gloriari etiam potest cum Sponsa, ac dicere: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2.

106. Quid demum de S. Nicolao Tolentinate Ordinis Divi Augustini illustrissimo dicam sydere? quantis, DEUS bone! cœli gaudijs ante mortem & in ipsa morte perfusus est, ipsum consolante cum suo benedicto Filio Virgine gloriosissima? Certè Cornelius Curtius ejusdem Ordinis in ejus vita loquitur. Enim verò alijs multò maximis ad eamdem aram (in qua cœlitus demissum illud sydus apparuerat) inter precandum solatiis perfusus est, quando Angelos familiares habuit, quos auribus suis delicias facere crebrò audiit, & modulis accinere super omnem musicam nostram suavissimis. Ipse servator non semel aspectabilis eum recreavit, Mundi denique Regina,

S. Nicolaus Tolentinas Ord. S. Aug. copiosis solatiis & in vita, & in morte recreatus.

Cœlitum denso agmine comitata cinxit, & totum gaudiis cœlestibus inundavit, ut jam non mirer, ad ea tam grata oculorum spectacula crebrò impotenter exclamâsse: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Sex deinde ante obitum mensibus, noctibus singulis Angelorum concentibus recreatus est. Tandem pietatis lacrymis totus innatans & fletu, gemitúque continuô cœlum pulsans, ferventi prece rogabat DEUM, Deiparam & S. Augustinum, ut suo agoni præsentes cœlesti auxiliô adesse ne dedignarentur: Nec diu se rogari Christus voluit, postridie enim conspicuus cum Matre Virgine, & Patre Augustino illi adfuit, accepitque tantis desideriis expetita animi solatia. Inter reliqua illud fuit singulare, quod ex Cœli Regina cognoverit diem, quô ex hac vita in Cœlum esset profecturus; Sic enim illi locuta fuisse perhibetur: Tertius à Natali meo tibi ultimus dies erit, quo ab hominibus ad nos demigrabis, Quare Evcharistico pane ad hoc iter se communivit. Institit ampliùs Nicolaus; atque aspectum eorum in ultimo certamine, nec non animæ suæ exitum omnibus inferni molestiis liberum postulavit, ne videlicet orci ullis larvis infestaretur; quia in oratione, cùm diebus aliquot perdurâsset, quinta demum die vocem illam Angelicam: Exaudita est oratio tua: audivit, mirificísque incessit lætitiis, acceptóque sacrô Viaticô, de Cruce pendentis Domini sui argenteam effigiem (ex Civium collatitia stipe à Nicolao curatum opus) in ea Crucis Christi lignum vivificum inclusum, maxima cum pietatis significatione, manantibus ubertim lacrymis salutat, simúlque monet quempiam ex Fratribus, ut morienti sibi in aurem insonet istud: Dirupisti Domine Vincula mea. Paulò pòst sibi soli relictus, tantis Christi ejúsqe Matris perfusus est lætitijs, ut audierint multi festivam ejus vocem jubilantis. Rogatus Nicolaus causam tam inusitati gaudij, ridenti ore respondit: DEus servator meus cum Matre Virgine & P. Augustino blando mihi vultu annuunt, invitántque his verbis: Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Dixerat & oculis in crufixum reflexis, erectísque in Cœlum manibus, in manus, inquit, tuas Domine commendo spiritum meum; statímque cantu Angelico cœlum insonuit interque hos Angelicos concentus sanctissima illa anima resoluta corpore mirificis delibuta gaudijs, Christo, Matrísque ejus ac sancto Augustino, innumerísque cœlitibus associata, de Tatareis hostibus, quos suis precibus Inferno adstrinxerat, triumphans cœlum petivit. Quod quidem ille precibus Virginis gloriosissimæ consecutus est beneficium, quæ fidelissimum suum Clientulum, eâ, quâ ipsa à Dilectissimo suò Filio in morte præventa est gratiâ, consolari non est dedignata. Quemadmodùm enim illa stygias illas Larvas Acherontis specubus includi, & à suo obitu arceri voluit, ut testatur Bernardinus Bustius Par. II. Mar. Ser I. ita quoque à conspectu fidelissimi sui servi Nicolai, qui toties cum illis gloriosissimè decertavit, déque illis dum viveret, triumphum retulit. Quam sanè gratiam illi meritô Virgo à Filio impetravit; Quia ut scribit P. noster Martinus De Roa cap. 5. de statu animarum purgatorij, tam horridus & teter est Dæmonum aspectus, ut referente S. Antonio, eô conspectô Religiosus moribundus dixerit: se, si orbis universus sulphureis ignibus conflagraret, ante in eum intraturum, quàm iteratò tam execrandum monstrum in conspectum admitteret. Ex his omnibus facilè intelligimus, quânam ratione, quantáque

Quàm horridus sit aspectus Dæmonum.

que

que eum pietate afflictos, & in tanto salutis discrimine versantes moribundos, Virgo benignissima non modò invisere, verùm etiam Cœlestibus solatijs delinire, Angelicísque concentibus recreare, charos sibi Clientulos, ac Filios consuevit, ut læti ac triumphantes in Cœlestem Patriam proficiscantur: uti contigit viro huic sanctissimo, cujus ad Cœlum lætitiâ plenissimum abitum, Baptista Mantuans Carmelita descripsit elegantissimis versibus, quos hìc ob egregiam dicendi suavitatem describere ex ipsius Vita libuit, sic enim ille, postquam pijssimum Nicolai cum Crucifixo Domino colloquium descripsisset, prosecutus est.

Intereà dum solicito turba anxia Fratrum
Itque, reditque gradu, & supremæ proximus horæ
In thalamo, currit solus Nicolaus agonem
Fortiter; ecce sonat vox exaudita per omnem
Læta domum, qualem reddit, qui jubilat ore,
Nec loquitur. Tum magna Parens cum Prole, Paterque
Augustinus ei se se ostendere, vocantes
Ad superos Cœlestem animam terrena perosam
(Sic paulò mox ipse Pater confessus) amœnis
Subridens oculis, & mente arcana volutans,
Quæ audierat, quò toto animas se ardore ferebat.
Lætitiæ impatiens igitur, properanter adesse,
Qui sacros canerent Hymnos, mandavit; & inter
Psallentes Divina choros modulamina, læto
Mens abijt vultu, Divisque adjuncta recessit.

107. Optat quis in hac extrema ac periculosissima cum morte lucta, ac tribulatione, cœlestem hanc Salvatoris ejúsque Matris, cœlitúmque reliquorum experiri visitationem, ac Solamen Paradisi inter amarissimæ mortis anxietates dulcissimas delibare delicias, ùt eas S. hic Nicolaus delibavit; Sæpiùs sanus dum vivit, Christum de Cruce pendentem complexans, ut suadet P. noster Franciscus Poire in modo disponendi se ad mortem, dicat animitus: O Jesu mi! facito, ut pretium tuæ mortis, & meritum tui sanguinis mihi applicetur. O Jesu vita cordis mei! humillimas tibi ago gratias de omni eo, quod pro me passus es. O Jesu Deus animæ meæ! fac ut vita tua & mors tua suppleant id, quod vitæ meæ deest, & morti defuturum est. Similiter, quoties Virginis Matris Icon se se oculis objicit, dicat pij amoris in ipsam affectu: Virgo sancta, ne me, obsecro, deseras, in te siquidem meam penitus locavi confidentiam: O Mater pulchræ dilectionis! benedicant te omnes Angeli, ob curas & solicitudines, quas pro me geris pectore. Regina cœli, sub tua me protectione colloco, Filium tuum mihi propitium reddito, cordíque tibi sit hora meæ mortis, humillimè supplico.

Pro morte felici impetranda praxis.

108. Ut porrò exemplô S. Nicolai in illa tremenda mortis hora majorem facilitatem, & Christum cruci, amore nostrî affixum, & ipsius sacratissimam Matrem piè alloquendi nanciscamur, expedit, dum vivimus, nonnullis ad eos precatiunculis recitandis assuescere, sic enim nobis ita assuetis, in tanta tribulatione constitutis, non fiet passio, sed potiùs dulce tantæ afflictionis levamen. Inter has precatiunculas, quæ plurimæ passim reperiuntur apud Auctores, illas ejusdem Patris Poire aptissimas, ut potè affectu plenis-

Præscribuntur preces ad Christum Crucifixum recitandæ frequenter in vita, ut in hora mortis memori menti occurrant.

nissimas, duxi, quæ hìc attexendo operæ pretium me facturum arbitratus sum. Itáque amplexando sive aspiciendo crucem, ita nos eam alloqui docet, O Lignum Sacrum! O Arbor gloriosa! quæ vitæ fructum portâsti, & instrumentum meæ salutis extitisti: te adoro, & quàm possum, demississimè coram te me humilio. O Jesu! Summe mi Pontifex, qui solus inventus es dignus, qui divinum hoc altare conscenderes, & æterno Patri sacrificium expiationis offerres, meáque peccata tuo sanguine ablueres; quantas possum, tibi gratias ago, pro omnibus beneficiis mihi præstitis. Tuus sum, absque ulla comparatione magis, quàm egomet mei ipsius, siquidem tu te mihi dedisti, vitáque tuâ infiniti precii me redemisti. Titulô servitutis, quem in me acquisivisti, summè delector, plurísque illum facio, quàm quemcunque alium, cujus possem esse capax; tantúmque abest, ut cogitationem admittam ad eum abnegandum, aut refugiendum, ut contra velim, meam libertatem tot tibi titulis obligatam manere, quot tua in me extant beneficia, quibus me tibi totum quantum obligâsti. O adorandum Salvatoris mei caput! longè mihi est charius tua cum corona spinea, quàm si omnia mundi diademata gestares. O sancta capitis vulnera, sanctáque instrumenta, quæ divinum hoc caput transfixistis! vos, vos agnosco, fateórque veros esse canales, per quos salus mea defluxit.

O sanctum os, ex quo emanârunt oracula, æternarum veritatum! & omnis omnino bonorum certitudo, quæ unquam possum sperare! per quod & infusæ sunt omnes gratiæ, omnésque cœli suavitates; à quo & expecto ultimum æternitatis meæ decretum; O si auderem tibi figere osculum! quidni id osculum pacis esse, tutaménque posthac mihi futurum ab omni timore arbitrer?

O oculi millies clariores, & lucidiores, quàm sint ipsa cœlorum astra! ex quibus profluxerunt tractus & illectus amoris, qui innumeros peccatores converterunt; nec non pertinaciam, & obstinationem cordium, etiam maximè induratorum fregerunt, si vel unicum favorabilem è vobis proficiscentem jactum in me emitteretis, cor meum quamprimùm resiliret, & in sinum vestrum insiliret.

O benedictæ manus, quæ cœlum & terram fabricâstis, in quibus clausum continebatur pretium nostræ sanctificationis, facite, o facite, vel unicam guttulam pretiosi illius sanguinis, quem pro me fudistis, defluere super me, & tunc minimè verebor, me æterni Patris tribunali sistere.

O Cor Jesu, scaturigo vitæ, fons amoris, promptuarium omnis gratiæ, thesaure bonitatis! sine, ut te conveniam, à téque veniam, quam moriens mihi donâsti, percipiam. Si vel unum tuorum suspiriorum concesseris, illud mihi abundè sat erit, non solùm ad obtinendam remissionem meorum peccatorum, sed etiam ad delenda crimina plurium mundorum, quàm quis sibi valeat imaginari. Dum sanctuarium apertum est, patiare me ingredi, O Salvator mi! ad hoc enim si pertigero asylum, nullæ Dæmonum vires valebunt me ab eo avellere. Elargire mihi gratiam, ut in tuo me sinu abdam, usque dum ira tui Patris mitigata conquiescat.

O Sacri pedes, qui tantùm ambulâstis ad requirendam ovem, quæ perierat, quomodò nunc, dum vobis sponte occurrit, velletis eam rejicere? Vos complector columnas cœli, deliberatum habens, vos

non

non derelinquere, nisi postquàm audivero dulce illud verbum, quod Salvator meus dixit Magdalenæ (quando illa vos suis lacrymis irrorabat) & mihi quoque dixerit: remissa sunt tibi peccata tua.

Preces ad Deiparam sæpius intuendo ipsius imaginem, in vita recitandæ, ut in hora mortis occurrant.

109. Hâc oratione ad Crucifixum peracta, tenendo manibus, vel saltem intuendo oculis imaginem B. V. ita illam alloqui assuescamus: Virgo Mater, in qua sunt omnia Nomina, & omnes amoris teneritudines, cujus cor, est commune asylum omnium totius mundi nationum: quæ & me jam ab infima mea ætate in Materna tua bonitate sperare & confidere fecisti: Fateor me tot obligationum titulis teneri, nulla ut lingua eas afferre valeat: Tibi sum acquisitus tot nominibus, quot momenta sunt in mea vita; Verum, si unquam tempus aliquod extitit, in quo tuô egui auxiliô, & favorabili succursu, nunc verè est, dum nihil aliud expecto, quàm ut citer ad comparendum ad DEI tribunal: quô autem modô auderem comparere, nisi eximiam tuam protectionem me sperare fecisses! eheu! quid, est modò ad omnes accusationes, quas salutis meæ inimici producturi sunt, contra me, respondere possem, nisi tu causam meam susciperes defendendam? In materna tua bonitate post meum Salvatorem, omnem spem salutis meæ collocavi: sancta Virgo, si hac vice mihi defueris, de omnibus gratiæ favoribus, quos hactenus mihi præstitisti, actum est, omnes perierunt: actum item ac peractum est de misera anima mea, quæ te plùs quàm se vitámque suam amare desideravit, & tot præstare obsequia, quot omnes simul sancti tibi exhibere possunt.

Si defui, uti verè defui officio meo, in deferendo tibi reverentiam & amorem, quem tibi debeam, en me coram te accuso, & mihi id ignosci humillimè peto: Vellem, ut tantùm amâssem, quantùm tua requirunt merita, & quantùm ego potui ac debui. Verùm ad subveniendum huic meæ negligentiæ, offero tibi sincerissimos sensus gratissimáque servitia, quæ sancti unquam tibi præstiterunt, obtulerúntque: Offero tibi omnia honoris testimonia, quæ honoratissimus Filius tuus unquam tibi detulit, obtulítque: Desidero, ut omnes Creaturæ me tibi offerant: rogo autem, ut digneris me recipere, re & nomine infimæ servitutis, cujus tu me intelligis esse capacem: Desidero insuper, ut omnes cœli cœlorúmque incolæ cognoscant; post DEUM, omne id, quod sum, & quidquid unquam, futurus sum, me tibi debere.

O Mater amoris, obsecro, ne finito (si animo tamen sic sedet tuo) ut dicatur, multò autem minùs audiatur, te in necessitate eam deseruisse animam, quæ in tua fidit bonitate, eíque Verbum denegâsse, quod eam valebat salvare. Dic solum modò Filio tuo, me unum ex illis esse, quos in cruce in persona dilecti discipuli tibi commendavit, & tunc negotium meum feliciter erit peractum: Si enim adverterit, te meam salutem desiderare, quidquid pro me ab eo petieris, nunquam tibi denegabit.

Virgo sancta, si aliqui sunt in Cœlo (ut esse, dubitare non licet) qui speciatim ferantur ad DEUM laudandum, eo nomine, quòd singulares gratias & favores tibi præstiterit, O quàm me fortunatum existimarem, explicarémque suaviores cordis mei sensus ad eum benedicendum, qui te talem, qualis tu es, fecit? id est coronam Sanctorum, admirationem gratiæ & gloriæ, nec non admirabilitatem omnium Sanctorum! O! incipiam sincero ex corde dicere: BENEDICTUS VENTER, qui Salvatorem mundi

portavit, & ubera, quæ eum lactaverunt! Fac, O fac, si placet, ut nunquam hoc finiatur canticum, fac, ut & quamdiu tu eris triumphans Cœli Regina, te Filiam Patris, te Matrem Filii, & Sponsam Spiritûs sancti, omnibus possibilibus laudum encomiis, tuis cum beatis Clientibus celebrem.

Blosii Abbatis monitum de veneratione, & invocatione sedula Deiparæ à nobis præstanda.

110. Hæc P. Poire: quæ, dum vivimus, quotidie in honorem Deiparæ magno amoris sensu iteranda sunt, curandúmque, ut juxta Damasceni monitum mens nostra promptuarium Deiparæ efficiatur: quod ut eo faciliùs observemus, altæ memoriæ nostræ documentum illud Venerabilis ac Devotissimi Abbatis Blosii, quod in speculo spirituali habetur. c. 12. infigamus: *Dulcissimam DEI Genitricem purè ama, sedulò venerare, & invoca. Hæc enim nullum à se repellit, sed omnibus se præbet exorabilem. Peccatores ad se piè & humiliter confugientes blandè suscipit, fovet protegit, & Filio suo Materna fiducia reconciliat citiùs Cœlum cum terra perierit, quàm ipsa aliquem seriò se implorantem suâ ope destituat.*

Quanta sit pœna sensus in purgatorio.

111. Satis supérque de solatiis, quæ Virgo suis clientulis ex hac vita discedentibus suggerit, dictum; quid jam de solatiis, quibus eadem Virgo post hanc vitam eosdem in maxima illa Purgatorii ignis afflictione constitutos demulcet, dicam? Pœnæ hæ diversæ non sunt ab jis, quas damnati in Inferno patiuntur, differunt tamen duratione & modô. Ardent damnati ardebúntque in omnes æternitates, pleni rabie ac desperatione, carent & carebunt æternùm DEI visione beatifica. Quæ pœnæ à Theologis pœna sensûs ac pœna damni appellantur; hæ sicut in damnatis sunt sempiternæ, sic in justis, qui flammis illis delicta sua expiant, sunt temporales. Pœna sensûs animarum purgatorii quàm acerba sit, & quantopere eos affligat, P. noster Martinus de Roa libello citato c. 5. declaravit: *Gravitas & asperitas harum pœnarum*, inquiens, *tanta est, ut minima earum, affirmante sancto Anselmo, major sit maximis vitæ præsentis.* S. Augustinus insipientem eum judicat, qui re non expensâ, optat purgatorium, cùm potest in hac vita per voluntarias pœnitentias illud à se amoliri. Colliguntur in unum omnes carnificinæ, quas Martyribus Tyranni intulerunt, & quidquid excogitare tormentorum potuerunt, absque commiseratione inferendum: congregentur atrocissima supplicia, quæ singulæ nationes maximis sceleribus præfixerunt; agglomerentur exercitus infirmitatum & lanienæ, quas per tot sæcula in omnes mortales exercuerunt: Addantur, ut Doctor inquit Angelicus, ad augendum pondus, dolores & pœnæ, quas Christus passus est, quibus nihil unquam simile orbis conspexit; omnes tamen, & omnia in unum fasciculum colligata, non æquabunt pœnas purgatorii: tantò hæ illis superiores sunt. Exhibuit DEUS mundo, ad vivos in officio continendos, rigorem harum pœnarum per varia spectra ac spectacula corporalia, ut in jis dolores & tormenta spiritualia exprimerentur, & innotescerent nobis, qui in intelligendo toti à sensibus pendemus. Alii in verubus ad ignem tosti, alii in craticulis, immersi in sulphur alii, alii inter metalla liquefacti, aut liquefactis perfusi metallis: nonnulli in ollis pice & resinâ plenis volutati. Illi à serpentibus & Draconibus Discerpti secundùm pectora, illis abrosa viscera: Fuêre, quibus præ dolore oculi erumpebant, fuêre qui cor commansum & concisum exspuebant, fuêre, in quorum venis pro sanguine ignis bulliebat. Omnium verò ea vox & clamor erat, qui etiam

tiam lapidea audientium corda potuisset comminuere: Benè judicabat ille, qui unam Purgatorii horam multis annis conferebat, unámque diem sæculo; paratus omnes dolores & infirmitates hujus vitæ sustinere per complura annorum millia, ne aliquando in Purgatorium introiret.

112. Has igitur afflictiones omnes, Dei Mater afflictorum consolatrix pientissima, vel omnino à suis clientúlis ac devotis servulis amolitur, vel sua dulci consolatione lenit ac mitigat. Quod nos. To. 1. Dis. 11. n. 153. & seq. variis exemplis comprobavimus. His addenda quædam, ad majorem erga Virginem afflictorum consolatricem augendam devotionem, quæ idem Martinus de Roa c. 15. de altaribus Privilegiatis scribit: Ibi enim ait, ostensum divinitus ante 700. Annos Paschali I. Summo Pontifici, quâ ratione per quamvis Missam in altari privilegiato celebratam, una ex Purgatorio anima liberatur; Hic enim, cùm simile altare Romæ instituisset, concessissetque Sacello columnæ, ad quam Christus alligatus erat, quæque in Templo S. Praxedis visitur, ut quisquis in eo altari diceret quinque Missas, liberaret animam ex purgatorio, cujus Indulgentiæ ipse vim expertus est, cum pro anima sui Nepotis missam dixit: finitis enim quinque missis, vidit illam animam in comitatu B. V. Mariæ in cœlum gradientem, utpote quæ velut animarum illarum afflictissimarum pia Consolatrix, sua intercessione ac suffragiis ad purgatorium, eas liberatura, & in cœlum deductura descenderet.

Per quamvis missam in Altari Privilegiato celebratam una ex Purgatorio anima liberatur.

113. Non minori pollet vi ad animas, ex ultricibus Purgatorii flammis intercessione Deiparæ liberandas Indulgentia illa, quam S. Mariæ de Portiuncula, sive de Angelis dicunt, tota christianitate notam atque celebratissimam. Impetravit hanc S. Franciscus à Christo, & ab Honorio III. hodiéque tanta pietate & devotione, ut loquitur Pater de Roa, à fidelibus celebratur, ut nihil par in Ecclesia visum sit. Confirmata est ejus frequentia sequenti miraculô. Cùm dispersa fuisset hujus Indulgentiæ fama, innumeri ad eam consequendam accurrère. Ibant aliquando inter cæteros Sclavones (ex Dalmatia crediderim) ferè 120. Hi exscensione Anconæ factâ, ingressi sunt quoddam Religiosorum Monasterium, ubi inter videndum reliquias ejus templi, à Sacristano rogantur, quò tendant? Respondent illi: ad S. Mariam de Angelis, ut indulgentiam consequamur. Hic Sacristanus homines ab incepto itinere retrahere cupiens, incertam esse dixit eam Indulgentiam, prolatísque authenticis literis de Indulgentijs, quæ in suo templo acquiri possent, tantùm effecit, ut, quod volebat, persuaserit. Erat inter hos Illyricos mulier devota, quæ multis conata est viæ comites impellere, ad prosequendam susceptam peregrinationem; sed cùm nihil efficeret, sola abjit. Non multò post à via aberrans mœrore maximo cœpit affici: Verùm in incerto hæsitanti apparuit senex venerandus in habitu Religiosi, eámque compellans dixit: Ne timeas Filia, tutam ad salutem viam ingressa es, & mox primos illos viæ Socios videbis; jam enim eos suæ inconstantiæ pœnitet: Conversa illa, videt illos maximo suo cum gaudio jam proximos, ad quos idem senex ea dixit, quæ ostenderent eam Indulgentiam veram esse, se oculatum testem fuisse, cùm eam Honorius Papa concederet; scire se concessam esse ore ipsius Dei: quibus dictis evanuit, ipsi verò hac Angeli visitatione animati pervenêre Assisium, acceptáque

Non minori pollet vi, ad animas ex Purgatorio liberandas, indulgentia illa, quam S. Mariæ de Portiuncula, sive de Angelis dicunt.

que Indulgentiâ Anconam rediêre. Una illa mulier ex ægritudine substitit, nec multò post mortua, apparuit navigantibus peregrinis, quibus territis dixit: Nolite timere, ego sum illa vestræ peregrinationis socia, Assisij defuncta: me modò sanctissima Virgo Deipara Patrona illius Templi ad vos mittit, ut vos de veritate & fructu illius Indulgentiæ certiores faciam; per illius nunc ego virtutem, fruor aspectu Dei in æterna Beatitudine. Dixit, & disparuit. Socij multò quàm ante lætiores, non solum retulêre suis, quæ acciderant, sed etiam sæpiùs eandem devotionem repetivere, facti in ipsa quoque Italia tanti prodigij testes.

Per Indulgentias S. Mariæ de Portiuncula præservamur à pœnis purgatorii intercedente B. V.

114. Hæc ille ex Hist. S. Franc. lib. 1. cap. 5. tit. 1. Quæ sanè fide dignissima narratio indicat non modò, intercessione Virginis Deiparæ plenariam omnium peccatorum remissionem ac veniam à Filio impetrari, verùm etiam à pœnis, quæ peccatis illis jam per confessionem expiatis, in Purgatorijs illis ignibus debebantur, præservari, ut ita animæ illæ solutæ corpore, directè in cœlum nullis ultricibus vel minimùm ustulatæ flammis proficiscantur. Quis jam his tam luculentis Virgineæ pietatis, quâ afflictos vel affligendos in Purgatorio consolatur, auditis exemplis, eam afflictorum mœstorúmque consolatricem esse dubitabit?

Opprobria filio suo illata tanquam sua Deipara pertulit.

15. Quid de alijs operibus misericordiæ spiritualis dicemus, quibus proximi nobis illatas ferimus patienter injurias, easdémque benignè remittimus? In his sanè operibus prorsus eximia, pro innata sibi facilitate fuit Deipara: quod illa stans juxta Crucem Filij potissimùm ostendere visa est: Cùm enim omnes Filio illatas injurias, suas esse duceret, tum ob singularem in illum charitatis affectum, tum ob naturæ similitudinem, consequens sanè erat, ut omnia illa opprobria, omnia illa ludibria, omnes illæ contumeliæ, ab impijssimis Judæis in Filium conjectæ, in Matrem quoque redundarent, adeò, ut & illa dicere potuerit cum Propheta David: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Hinc S. Amad. Hom. 5. de Laud. B. V. *Pallidus vultus JESU exanguem reddidit vultum Genitricis.* Denique contumeliæ & opprobria impiorum in capite materno redundabant, mors Domini illi amarior morte fuit.

Spirituale mentis Martyrium pertulit, & plusquam Martyr extitit Deipara.

116. Hanc ob causam SS. Patres spirituale mentis Martyrium pertulisse, & plusquàm Martyrem extitisse Deiparam asseverant. Unde idem S. Amadeus, cùm ibidem duo genera Martyrij distinxisset, unum in manifesto, aljud in occulto, unum patens, aljud latens, unum in carne, aljud in Spiritu. *Carne SS. Apostoli & Martyres passi sunt, qui ob amorem veritatis, in testimonium JESU se ipsos impenderunt, & effecti hostia Christi, Calicem Domini biberunt, ut per Crucem ascenderent ad Majestatem, & per mortem temporalem vitæ æternæ participes effici mererentur. Isti in Canticis ascendunt in Palmam, apprehendere fructus ejus, & per ascensum purpureum in lectulum veri Salomonis congregantur, ut discumbant in reclinatorio aureo, & delicijs affluant universis, edentes & bibentes in Regno DEI, Christo illis ministrante. Spiritu verò sancti illi passi sunt, qui aliquid passione carnis durius in suis spiritibus protulerunt: Spiritu passus est Abraham, quando jussus Filium suum Isaac, quem unicè diligebat, immolare, paterno pertentabatur affectu, & ab imis visceribus pietate nati movebatur. Postquàm, inquam, hæc præmisisset S. Antistes, mox subtexuit: Hoc itáque patiendi genere gloriosa triumphans, quantò cunctis vicinior, tantò cunctis gloriosior, Verendæ Cruci Dominicæ Passionis inhæsit, hausit Calicem, bibit passionem,* &

& torrente doloris potata, nulli unquam similem potuit perferre dolorem. Currit post JESUM non tantùm in odore unguentorum, sed in multitudine, non solùm in gaudio consolationum, verùm & in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem Mater ejus in Diademate, quo coronaverat eum Noverca Synagoga, & ipsa coronata coronâ tribulationis post eum incedebat: stabat autem juxta crucem, ut illud dulcissimum caput nati, unctum oleò justitiæ præ patribus suis, arundine percussum, & spinis coronatum tristi spectaculô videret. Aspiciebat specioso formâ præ Filijs hominum non esse speciem, neque decorem: excelsum super omnes gentes, despectum & novissimum reputatum, sanctum sanctorum cum sceleratis & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & cervicem sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere, serenissimam faciem DEI emarcuisse, & decorem vultus ejus absconditum: Lucebat in manibus ejus fixura clavorum, & latus innocuum dedit vulneri locum: Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransijt plantas ejus, & bases ejus stipiti affixæ sunt. Hæc vulnera à suis in domo sua, pro nobis passus est.

117. Et hæ quidem injuriæ atque opprobria illata Filio, mors illa tam ignominiosa Crucis, quâ olim latrones pessimi affici consueverant, nimiùm quantùm cor, pectúsque illud Virgineum excruciabant, lancinabant. Verùm multò magis perditio sui populi ob perpetratum hoc tam immane Deicidium: Unde illis medullitus compatiendo, noxámque tam gravem, injuriámque atque offensam adeò gravem remittendo, eorúmque imminentem calamitatem deplorando, longè majori dolore torqueri visa est. Quod idem S. animadvertens paucis, intercalatis, ita prosequitur: *Verùm*, inquiens, *ut paulisper omittamus acerbissimam illam de morte Nati mæstitiam, quis explicet, quo dolore arctabatur B. Virgo, quibúsve premebatur angustijs, cùm Propheticis oculis cerneret stirpis suæ, magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, & ipsius olim Civitatis sanctæ Hierusalem eversionem! Neque verò quisquam opponat, Judæos exosos DEI Genitricem, eò quòd Filium suum morte turpissima condemnârunt: Quos enim morti æternæ appropiare videbat, nequaquam odiô suô dignos existimavit, & sugillatione, sed affectu plurimô, sed lacrymis multis, & magna miseratione. Unde tam particeps charitatis, quàm Crucis JESU assumpsit orationem pro eis corde perfecto, paternæ pietatis aures compulsans: Pater Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Hæc vox ejus, desiderium ejus fuit, quô meliùs aures pulsantur incircumscripti Spiritûs, replentis omnia, & ubique audientis. Cæterùm quicunque diligitis Matrem DEI advertite, & totis affectuum visceribus considerate, quantùm & inimicos Unigeniti plangeret morientis.* Hæc Amadeus.

Deipara cum filio suo non modo crucis tormenta sustinuit, sed & cum filio pro inimicis Patrem rogavit ut parceret.

118. Ex quibus per facilè colligimus, eam non solùm tulisse sibi in Filio irrogatas patienter injurias, verùm etiam offensas omnes, quibus eam impijssimi læserant Judæi, Filium tam barbarè immaniterque tractando, crucísque infami in stipite suffigendo, benignissimè remisisse, imò pro eorundem salute Divinum Numen exorâsse.

Non modo sibi in Filio irrogatas patienter sustulit injurias, verum etiam offensas omnes benignissimè remisit.

119. De hac Virginei cordis teneritudine erga scelestos Filij sui offensores atque contemptores, præclarè Joannes Gerson Tract. 6. in Magnif. *Nunquam pertractare potuit*, inquiens, *secū Maria totam vim tantæ severitatis in DEO, calamitatis pondus in hominibus, quin compassione moveretur, quin concuterentur viscera suæ pietatis pro omnibus hominibus*; Idem paucis interpositis docet, remissionem offensarum, orationémque pro inimicis, eam à Filio sub cruce didicisse, cùm pro trangressoribus oravit: *Pater ignosce illis &c. Audiebat*, inquiens,

Summâ cordis teneritudine ferebatur erga filii sui persecutores.

talia MARIA, recordata misericordiæ Filij sui, qui suscepit Israel puerum suum. Intuebatur ergo MARIA, dum caneret contra superbos, potentes divites (quales erant perfidi) abyssum imperscrutabilem miseriarum, quæ invocabat abyssum misericordiarum ex altera abysso, quæ est cataractarum DEI. Cataractæ porrò quid aliud dicunt, nisi vias divinorum judiciorum; de quibus Psalmista: Judicia tua abyssus multa, qui terribilis est in consilijs super Filios hominum in cujus manus horrendum est incidere? Nonne quæso hæc omnia conferebat frequenti cordis contemplatione beata nostra prudentissima fæminarum? Nunquid non obsecro totus tremor, horror, & dolor occupabat pios artus suos, lacrymæq; decoræ manabant ex oculis, quamvis in domini voluntate mens immota maneret? Hactenus Gerson: Quæ sanè omnia nobis non modò declarant Deiparam, pro ea, qua in genus humanum ardebat charitate, tulisse patienter Filio, & in eo sibi illatas injurias, verùm etiam libenter offensam remisisse, nec ad ulciscendum prosiluisse, ut se Filiam genuinam esse ostenderet illius, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.

120. Benignitatem hanc patientiámque Virginis varijs comprobare possemus exemplis: Sed unicum hic apportâsse sufficiat. Rem stupendam simul & horrendam scribit Secundus Lancellotus Perusius, Abbas Olivetanus, facinus videlicet longè impijssimum, in contumeliam Virginis DEI Matris gloriosissimæ perpetratum, quod Summam ipsius in tolerandis patienter injurijs arguit æquanimitatem, mansuetudinémque singularem. Fuêre tres Novarienses opificiò sutores, qui mutuâ familiaritate devincti, amicissimè vivebant; Verùm quia amicitiæ, quæ in virtute fundatæ non sunt, diuturnæ esse nequeunt, ecce tibi unus eorum cum Socio in tertij necem cupiditate 50. aureorum, quos apud hunc esse odorati fuerant, illecti, atque cæcati conspirant: Itáque in itinere constituti, cùm hic tertius tantisper naturæ compellente necessitate secessisset, eum immaniter trucidant, vitámque cum pecunia, per summum nefas eripiunt: Tum vicinum Templum ingressi, super altare Deiparæ pecuniam numerant, & inter se ex æquo partiuntur. Vix alter ex illis, qui nimirum ad facinus designandum à Socio fuerat inductus, nummos suos collegerat, cùm incipit facti pœnitere, ac dicere socio: se graviter peccâsse; Cui mox nefandus planéque execrandus Commilito: quisnam id sciat? piè omnino respondit alter: sciet DEUS, quin & Virgo Deipara, quæ nos hìc intuetur: Infert illicò furore planè sathanicô percitus homicidii sceleratissimus Auctor: si mihi sit persuasum (O dictum detestandum carcere Tartareo dignum! O linguam pestiferam, dignissimam, quæ velut alterius Nestorij à stygijs vermibus nunquam intermorituris corrodatur!) Meretricem hanc Virginem MARIAM (cohorrescite cœli, & portæ ejus desolamini vehementer!) facinus advertisse, ego decem vulnera illi infligerem: Hæc ubi ore sacrilego, ore inquam Apocalypticæ illius belluæ, quæ tabernaculum DEI blasphemârat, evomuisset, sicam occisi adhuc Sanguine imbutam, contra Virginis Iconem vibravit, faciémque ac frontem, Virgineúmque pectus, prô nefas! percussit, fædissimô illô sæpiùs ingeminatô convitiô: Meretrix MARIA; Nec hìc sceleratissimi nebulonis substitit impietas, oculum etiam sinistrum DEI Matris sauciavit; & ecce tibi imago lævam manum ab altera sejungit atque attollit, sauciatóque oculo dolentis in morem applicat: ex pectore porrò vulnerato

Detestandum facinus erga Beatissimam Virginem attentatum, quod tamen æquanimitate & mansuetudine summâ pertulit.

rato sanguis emanavit, cujus in hodiernum usque diem guttulæ apparent, ad tanti prodigii æviternam contestationem Cal, B. V. 1. April.

Deipara ostendit se Matrem Misericordiæ.

121. Quis quæso in tam portentosi sceleris detestationem, non expectâsset de cœlo micare fulgura, contorqueri fulmina, mugire ac reboare tonitrua, grandinem ac Spiritum procellarum, nimbos, horrisonásque tempestates, susque déque omnia permixturas formidasset, nisi pietas effusissimáque misericordiæ Virgineæ viscera mala hæc à mortalium capitibus fuissent amolita? Ostendit nimirum hìc Virgo Deipara clementissima, se Matrem esse misericordiæ, ostendit se esse Galbanum, sustentaculum & baculum ad mortalium infirmitates sustentandas, ne ad inferni profundum prolabantur. Hoc intelligens Seraphicus ejus Psaltes eandem suppliciter implorabat Psal. 133. *Esto refugium pauperum in tribulatione, quia tu es baculus pauperum & miserorum.*

Refugium in omnibus necessitatibus quærendum apud Mariam

122. Quisquis igitur variis calamitatibus, afflictionibus, ac miseriis, se in hac vita gravatum sentit, ad Matrem hanc misericordiæ, quæ increatam, infinitámque illam nobis genuit Misericordiam, accurrat, ne sub onere succumbat. Innitatur veluti Galbaneo baculo, patrocinio hujus Virginis Matris clementissimæ, in omnibus suis angustiis ac miseriis, præsentissimum mihi credite, levamen experietur, omnésque humanæ vitæ miserias communicatione illius innatæ sibi bonitatis tollet, eúmque beabit, fælicitabit. Animadvertit quispiam, se variis miseriis tam corporis quàm Spiritûs involutum, angitur rei familiaris angustiis, destitutum sentit se rebus ad vitam tolerandam necessariis, valetudinarius est, variis infirmitatibus conflictatus, lecto annos & annos affigitur, in tot tantísque malis atque adversitatibus nulla datur respirandi facultas, accedat fiduciâ plenus ad Virginem hanc benignissimam, afflictorum verissimam consolatricem: mœstus est, consilii indigus, in ignorantiæ tenebris versatur, accurrat ad MARIAM, ad maris hujus sæculi turbulenti, & tenebrosi stellam lucidissimam, accedat ad illuminatam & illuminatricem, hæc enim omnia sonat ejus venerabile ac sacrosanctum nomen: Confugiat denique ad hanc misericordiæ visceribus plenissimam Matrem, quæ uti hactenus perspeximus, in misericordiæ operibus tam spiritualibus quàm corporalibus exercendis tam eximia fuit, ut toti Ecclesiæ præclarissimum ad imitandum reliquerit exemplum. Huic pientissimæ Matri, velut Galbaneo baculo innitatur, levamen, ac sustentaculum in omnibus mundi hujus miseriis atque adversitatibus opportunum inveniet: atque ita pia fiducia, filialíque amore piissimæ huic innixus Matri, dum in hac vita peregrinatur à Domino, tandem ejus intercessione ad æviternam illam omnium bonorum plenitudine redundantem perveniet felicitatem.

Cùm enim illa in utraque Jerusalem, tam militante, quàm triumphante habeat potestatem, consequens sanè est, ut suos Clientulos materna pietate, exantlatis tot humanæ vitæ miseriis ac ærumnis, in illam nunquam terminandam cœlestis Regni beatitatem introducat. Unde Dionysius Carthusianus eam ita loquentem ad miserorum afflictorúmque consolationem introducit in Eccli. art. 25. *In Jerusalem potestas mea, in triumphanti scilicet, & militanti Ecclesia, primatû sortita sum auctoritate maternâ, quâ veri DEI effecta sum Mater: propter quod cunctis Angelicis sum prælata spiritibus eósque purgo, illumino, ac perficio. Regnum quoque misericordiæ mihi commissum est in Ecclesia militante, propter quod Regina misericordiæ vocor, & cunctis invisibilibus hostibus impero.* Et ne

In utraque Ecclesia tam triumphante quam militante potestatem habet Deipara.

Mmmmm in

in exantlandis mundi hujus, quæ occurrunt miseriis atque calamitatibus, illam nobis defuturam timeamus, profitetur ipsa in populi Christiani corde altas devotionis erga se radices alturam, virésque ac robur ad omnia superanda suppeditaturam. Unde ita in ejus persona prosequitur Dionysius: *Et radicavi in populo honorificato Christiano videlicet, radicationem, & stabilimentum, in omni gratia impetravi, procurando ei frequenter divina charismata, internam reformationem, & in bonis pijssimam confortationem.* Quæ sanè verba Matris piissimæ jure merito miram animi consolationem in tantis vitæ hujus ærumnis, cuique tantam benignitatem æqua rationis trutinâ expendenti parere debent, simúlque ad omnium adversorum occurrentium tolerantiam animare.

DISCURSUS XV.

VIRGO DEIPARA UNGULA, ET GUTTA, ET LIBANUS NON INCISUS.

Dedi Suavitatem Odoris quasi Ungula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam. Eccli. 24.

1. DUm Virgo nostra gloriosissima, se Galbanum, Ungulam, Guttam, & Libanum non incisum, in Domino gloriando vocitat, clarè ostendit, quàm grata sit in summæ illius Divinissimæque Majestatis conspectu: Indicat enim se esse Thymiama, quod ex quatuor hisce aromaticis componebatur speciebus, & manè ac Vespere ante Tabernaculum fœderis, ante sancta sanctorum vaporabat, quæ omnia humanatum DEI Filium repræsentabant, simul indicando, quàm accepta, quàm grata, & chara in oculis ejus, ob præstantissimarum virtutum, quem exhalat odorem, extiterit: quô sanè non modò supernum Numen cum Angelicis Hierarchiis, reliquísque cœlitibus in Ecclesia triumphanti, verùm etiam mortales omnes in Ecclesia militanti recreabantur. Odor enim Virginearum virtutum, ac perfectionum, cum totæ cœlestes ac divinæ, utpote à supremo illo Pigmentario velut aromata, atque unguenta mirifica, arte sublimiori confecta & donata fuerint, longè suaviorem, quam veteris testamenti Thymiama odorem spirâsse, necesse est.

Thymiama ex quatuor aromaticis speciebus compositum, præfigurabat Deiparam suavissimum virtutum exhalantem odorem.

2. Unde Sponsus ejus virtutum, charismatúmque persentiscens fragrantiam, eâ mirificè delectatus exclamavit Cant. 4. v. 10. *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, absque ulla videlicet exceptione fragrat, & cœlites recreat universos. Quod Virginearum Virtutum elogium ponderans attentiùs Dionysius Carthusianus Art. 15. in Cant. *Tanta*, inquit, *certissimè est suavitas charismatum & meritorum, Virtutum & actuum, unctionum & diffusionum serenissimæ Matris DEI, quod cuncta mundi odoramenta transcendit, imò & totam perfundit, aspergit, delectat triumphantem Ecclesiam, modô inenarrabili, Creatorémque universi, ac totam super gloriosissimam Trinitatem, quam universi Cives superni in Virgine Christifera medullitus laudant, mirantur, amant, amplectuntur, fœlicitati ac gloriæ Genitricis Domini DEI, inæstimabiliter congratulan-*

Utráque Ecclesia tàm triumphans quàm militans Marianarum virtutum odore delectatur, & refocillatur.

lantes atque in ea gloriantes in Domino, tum beatissimæ Creaturæ pulchritudinem maximè admirantes, ejus dulcedinem haurientes ejus odoribus mirificè oblectati, ideóque gratias incessabiliter referentes, pro omni salute & excellentia, quas suæ præstantissimæ contulit Genitrici. Insuper Universa Ecclesia militans in fœtoribus hujus sæculi degens, odore, suavitate, aspersione, & consolatione hujus Deiferæ Virginis, Advocatæ, ac Dominæ suæ, non mediocriter recreatur, fovetur, juvatur, & exhilaratur. Hactenus Dionysius.

3. Quàm porrò hæc Marianarum virtutum Unguenta, Ecclesiæ militanti, dum iis oblectatur, sint proficua, præclarè Hugo Card. de S. Caro indicavit, dum ea opera misericordiæ, ejusdémque effectus, quibus maximè mortales in hac miseriarum valle variis ærumnis obruti indigent, appellat; de quibus discursu præcedenti sat fusè actum, ostensúmque, quânam ratione Misericordiæ Mater tam corporalia quàm spiritualia, & hìc cum inter mortales degeret, & postquàm ad cœlos translata est, summa benignitate exercuerit. Sic igitur Hugo de horum Virgineorum tam suaviter halantium Unguentorum vi, atque energia loquitur; *unguenta ista sunt opera misericordiæ, suaviter fragrantia, quorum odor est fiducia.* Unde Tob. 4. *Fiducia magna, erit coram Summo DEO eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Atque ut ostendat, quòd unguenta hæc suavissima benignitatem, charitatémque Virginis, quâ hominum zelare salutem, eorundémque peccatorum morbos ac vulnera persanare consuevit, repræsentent, hæc attexit: *Unguentorum diversa sunt genera, ad modum unguentorum in medicina: Nam quædam sunt ruptoria, quæ malesanas hominum mentes vulnerant ad salutem: quædam mitigatoria, quæ leniunt & conferunt consolationem, quædam purgativa, quæ confessionis remedium persuadent, quædam solidativa, quæ redintegrant, quædam repressiva, quæ inflicto vulnere cicatricem obducunt, dum ad ordinem vitæ eminentioris adducunt: quædam, quæ fovent, cùm perseverantiam dant: quædam, quæ delectant, spiritualem jucunditatem generantia.* Concludit tandem: hæc septem unguenta confici à septem donis Spiritûs S. Quibus Deipara plena fuit beneficiô Filii, qui, cùm sit flos Jesseæ illius Virgulæ, super quem requievit Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, ac denique super eum requieverit Spiritus timoris Domini, nîl dubitandum, hæc dona à flore hoc pulcherrimo veluti fonte, plenissimo alveo in Virgulam redundâsse, quò posteà cum mortalibus eadem illa charismata communicare posset, eisque non modò suavem virtutum suarum fragrantiam afflaret, ad illos post se trahendos, ut currant imitationis studiô in odorem eorundem suorum unguentorum; verùm etiam, ut nobis varia animarum nostrarum conficeret medicamenta, morbísque, quibus genus humanum conflictatur, opportunum conferret amuletum.

[Marianarum virtutum unguenta habent diversam redendi, conveniunt. à 7 donis Spiritus S.]

4. Neque verò solùm ipsa Virgo gloriosissima thymiama fuit gratissimum supremæ Majestati, verùm etiam ipsa aliud conficere visa fuit thymiama, dum sua purissima exhibuit viscera, sanguinémque ad effor-mandum operâ Spiritûs Sancti corpus Salvatoris, quod fragrantissimum Numini Divinissimo extitit thymiama. Unde Bern. Bustius Par. 9. Mar. Ser. 1. Assimil. 15. *Onycha,* inquit, *sive ungula est species aromatica, quæ ponitur in confectione thymiamatis* Exo. 30. *Et figurat B. V. de qua confectum est odoriferum thymiama, Dominus videlicet JESUS Christus, qui suo Patri oblatus est, sicut Sacrificium gratissimum super omnia alia.* Unde ipse de hoc sacrificio, quod in cruce faciendum erat, loquebatur: *Elevatio manuum mearum Sacrificium*

[Deipara non modo gratissimum Thymiama fuit, verùm & illud conficere visa est corpus nempè Salvatoris in Sacrificium Deo Patri oblatum.]

Vespertinum. Ipse enim solus perfectè implevit mandatum, quod habetur Exo. 30. *Ad Vesperum uret thymiama sempiternum. Sola igitur B. V. quæ composuit hoc pretiosum thymiama, ex purissimis suis sanguinibus, tanquam speciebus aromaticis sicut bona unguentaria, illúdque in templo Domino præsentavit, servavit illud præceptum DEI* Exo. 33. *ita loquentis: Facies thymiama opere unguentarij, mixtum diligenter & purum, ac sanctificatione dignissimum, & pones ex eo coram tabernaculo testimonij, sanctúmque sanctorum erit vobis thymiama.* Hæc Bustius.

Mariana Ungula B. Hermannum à Scabie capitis liberavit.

5. Quare jure merito Virgo nostra, velut gratissimum Divinæ Majestati Thymiama, in primis ex Ungula, seu Onycha, quæ est unguis odoratus, & aroma colore unguis humani, ut inquit Plinius lib. 12. cap. 25. componi dicitur: Ungula enim inter reliquas, quibus pollet virtutes, ut testatur Hugo Cardinalis, Scabiem purgat. Verè Ungulam se Virgo Deipara esse ostendit, quando B. Hermannum cognomento Joseph Sponsum suum Dilectissimum Ordinis Præmonstratensis illustre sydus, benignitate incredibili, à Scabie, qua laborabat in capite, impositis illis benedictis, omníque acceptione dignissimis, potentissimísque manibus liberavit, ut testatur Surius in ejus vita.

Virginea hæc Ungula non tantum à corporali, sed magis spirituali Scabie quæ carnis est petulantia homini dominans.

6. Neque censendum est, Virginem hanc Ungulam corporalem tantùm scabiem curare, curat & illam multò magìs spiritualem animæ; quam ego dixerim esse cum S. Cyrillo lib. 12. de Adoratione, carnis petulantiam, homini dominantem. Unde Dominus Levit. 21. v. 10. vetat hujusmodi accedere ad altare, Hostiásque offerre: *Si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore* (quæ est sicca scabies, & eodem Cyrillo teste, notat avaritiam) *omnis qui habuerit maculas, non accedat offerre Hostias Domino, nec panes DEO suo.* Hanc carnis petulantiam ac pruritum, hominibus mirum in modum violentâ quâdam Tyrannide dominantem, cui quò magìs indulgetur, eò violentiùs hominem opprimit, eique quodammodò Universam adimere videtur libertatem: quemadmodùm enim ille, qui laborat scabie, quò magìs eam scalpit, ac confricat, eò majorem pruritum, dolorémque provocat; sic ji, qui se se corporis illecebris dedidêre, quò magìs jis indulgent, magìs illas appetunt, carnísque tribulationem, ut ait Apostolus, velut jugem pruritum ac dolorem experiuntur.

Præmissa Sacramento pœnitentiæ & Eucharistiæ quotidiana devota Oratio ad V. B. est medicina contra hunc morbum.

7. Morbo huic molestissimo post Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ præmissa diligenti præparatione, stabilique electo Confessario, frequentationem, nullum efficacius remedium reperiri potest, quam diligens ac fervens quotidiana ad Virginem Virginum purissimam animitus effusa oratio, ipsiúsque fidelissimum patrocinium. Unde S. Bonaventura Vir planè puritate Seraphicâ prædítus ajebat: *Scio, quod continens esse non possum, nisi MARIA dante.*

Justi Landspergius Ord. Carthus. precatio ad B. V. pro puritate corporis & animi.

8. Hoc idem agnoscens Virginis Amantissimus Justus Landspergius, Ordinis Carthusiani decus, Theoria 8. magna cum fiducia ad cordis corporísque obtinendam puritatem Deiparam precabatur, Matrem pulchræ dilectionis eam appellando: *Accedo ad te, inquiens, ego miser peccator, & indignus servulus tuus, accedo ad te Virginem intemeratam DEI Matrem, Patronam & Dominam meam fidelissimam, ex intimis cordis mei desiderijs laudare, & auxilium tuum invocare cupiens, precor in Sanctissimi Nominis tuo præconium, & deficientis animæ meæ salutem, ut reminisci digneris omnium donorum, gratiarum, privilegiorum, charismatum & gaudiorum, quibus misericors DEUS te in ortu & decursu illustrissimæ vitæ tuæ secundùm omnes status tam excellenter dotavit, lætificavit, & decoravit, ut impetres mihi à Filio tuo munditiam cordis, & castitatem corporis. Nihil in me resideat, quod oculis Omnipoten-*

ventis & cunctis cernentis displiceat: Scis pia Mater, quantis vitiorum sordibus inquinatus sum, quàm pravis affectionibus & concupiscentijs infectus: O si aliquando implear divinâ gratiâ, quæ hæc omnia in me occidat! O dulcissima spes miserorum, ab his quando respirabo? O candidissima columba, quando ad veram puritatem & simplicitatem cordis perveniam? O utinam aliquando fiat, ut totus DEO meo placeam, & deinceps nunquam displiceam! Heu pijssime JESU, complaceat tibi, ut eruas me propter sanctitatem Matris tuæ, ad adjuvandum me respice; dic animæ meæ: salus tua ego sum. Amen. Hoc nimirum ardenti affectu, profundissima humilitate Virgo purissima pro tam eximio puritatis dono indipiscendo, idque quàm creberrimè, diebus saltem singulis obsecranda est, si voti compotes, omníque carnis cordísque inquinamento præservari cupimus: Aderit illa nobis suâ solicitâ pietate ac patrociniô, nobisque uberem suam gratiam communicabit, ut puri ac immaculati in ejus servitio perseveremus.

B. V. velut Ungula concupiscentiæ carnalis incendium extinguit.

9. Hinc Hugo de S. Victore in Instit. Monast. Ser. 55. Ungulam in remedium carnalis concupiscentiæ transtulit: Ungula, inquiens, ut Physici tradunt, herba quædam est, sicut Ungula caballi formata, & ab ipsis Ungula Caballina nominata; quæ, quia frigidæ naturæ est, concupiscentiæ carnalis malè blandientis extinctionem designat. Quare B. M. fuisse velut Ungula benè creditur, quæ concupiscentiæ carnalis incendium rore gratiæ cœlestis in se potenter extinxisse, imò & in aliis, ut sæpiùs ostensum, non dubitatur.

Quod Valesius contra Scabiem corporalem, B. V. contra Scabiem spiritualem præscribit, scilicet interiorum purgationem.

10. Unde remedium illud, quod Valesius contra Scabiem præscribit, nempe evacuationem ac interiorum purgationem, idem adhibere videtur & Virgo nostra, dum hujusmodi hominibus lucem suæ gratiæ porrigit, quâ irradiati sua agnoscant & detestentur scelera, eáque per sacram exomologesin purgent, evacuent, ut alibi variis exemplis ostendimus.

11. Libet hìc nihilominus aliqua nova ex Annuis nostris attexere, quæ piam Virginis nostræ benignissimæ in animis nostris omni scelere perpurgandis, ac præsertim scabie libidinis liberandis, solicitudinem ostendunt. In Annuis Collegii Melitensis 1610. refertur: quendam gravissimis sceleribus oneratum eò tandem stimulis nostrorum adductum esse, ut conscientiam suam ab onere peccatorum levaret: quod cùm semel fecisset, reliqua quædam crimina, quorum ipso die fuerat oblitus, revocare in mentem onerosum nimis & grave putavit, adeóque neglexit, cùm ecce intempestæ noctis silentiô repente expergefactus vigil, & apertis, quod ajunt, oculis B. V. MARIAM sibi adesse vidit, suavissimis verbis exordientem, & singula ordine peccata, quæ memoriam ante fugerant, ob oculos ponentem, quæ deinde statim primô diluculô Sacerdoti aperuit, & Augustissimæ Virginis Beneficium non prædicavit modò, sed ipsa vitæ in meliùs commutatione, rectè eam se cognovisse comprobavit.

B. V. cuidam singula peccata, quorum erat oblitus, ob oculos ponit, & ad seriam confessionem inducit.

12. Eodem Anno Collegii Ratisbonensis referunt Annuæ, Adolescentem quendam morbi gravis vi affixum fuisse lectulo, adeò, ut mente destitueretur, & aliena ac mira deliramenta loqueretur, nisi cùm Confessarius adesset, & preces ex formulis P. Canisii recitaret: tum enim colligebat se, & precantem secutus, quasi per intervalla sapiebat. Monitus, ut de peccatis confitendis cogitaret, & cum S. Ignatio, Canisium quoque in vota religiosè vocaret: paruit æger, vota concipit, & Confessionem à primis annis repetendam promittit. Votum

Adolescentem postquam confessionem à primis annis repetendam promisit, B. V. per speciem objecta ad Societatem Jesu vocat.

tum hoc omnis puritatis Matri Sanctissimæ, scelerum omnium Aversatrici placuisse ostendit eventus, dum eum præstanti vocationis ad Societatem JESU donô cumulare libuit; Nocte enim, quæ diem illum secuta est, per speciem illi sese objecit luce mira coruscans, & duobus ex Societate Patribus utrinque stipata, his eum vocibus compellavit: Nostine Adolescens, qui latus meum hinc & inde cingant? Ille verè dum hæret dubius, videt sibi ab altero, quem S. Ignatium credidit, vestem detractam induendam offerri: ad mentem igitur reversus non multò post votum confessionis faciendæ persolvit; rem ut gesta est, Sacerdoti aperit, & ex eo Societatis institutum animô complexus est, in quo constanter perseveravit.

Lascivis duobus Indis jam jam à Dæmone enecandis adest B. V. cum filio suo & remedium Confessionis præscribit.

13. Terribile est illud, quod hoc in genere scribit Bencius de rebus Collegii Pacensis: Indum quendam, ut natura gentis illius est intemperans, effudisse se in omnes libidines, quas non ita pridem malè coërcitas qualiscunque christianæ Religionis reverentia tardaverat. Hujus dormientis fauces ita dæmon aliquando oppressit, ut cum Sanguine videretur exitura vita. Mulier similiter, quam specie canis ingentis magnitudinis idem hostis Tartareus laniaturus accesserat, benignissimæ Virginis opem invocavit; Hinc mox adfuit DEI Mater, illi verò ejus Filius, & uterque remedium peccatorum confessionem ad animum libidinis scabie fœdatum perpurgandum præscribit.

Alius B. V. devotus visibiliter à B. V. monetur ut sua peccata confiteatur.

14. Idem Bencius in Annuis Collegii Legionensis narret fuisse virum quempiam, qui duodecimum jam Annum, quotidie in honorem Deiparæ ejus rosarium recitabat; fassúsque est ipsius quindecim seu 20. continenter noctibus visam sibi Matronam venerabili specie, quam ipse Beatissimam Virginem MARIAM esse sibi persuadebat, à qua excitabatur his verbis. Legionem contende, tuorúmque delictorum veniam à Jesuita aliquo pete: Nec vanum fuisse visum, interior animi motus declaravit.

15. Neque verò Virgo minùs efficax esse consuevit in præservandis à libidinis scabie mortalibus, quàm in perpurgandis virtute Sacramenti Pœnitentiæ. Testis est luculentissimus hoc in genere Thomas Aquinas, qui adhuc Adolescens, cùm in turrim quandam à propinquis esset inclusus, eique infamem mulierculam ad ipsius labefactandam castimoniam submisissent, arreptô foci titione prosiliit, eámque gloriosissimè profligavit: quô præclarè gestô facinore mox ad DEUM castitatis Auctorem, & ad purissimam ejus Matrem Virginem, continentiæ Patronam sese convertit, donum puritatis petiit & impetravit. Duo siquidem Angelici Spiritus cœlitus missi advenêre, qui ejus renes admirabili quôdam cingulô adstrinxêre, in eóque sensum omnem titillationémque libidinis extinxêre, cujus virtute in posterum ab omni carnis titillatione præservatus est.

S. Thomas Aquinas puritatis prærogativa donatur.

16. Præservavit ab hac fœda libidinis scabie Virgo Deipara, Virginem DEO Sacram, filiam cujusdam Reguli, ut scribit B. Alanus de Rupe, libro de Psalterio cap. 65. quæ Monasterium quoddam ingressa cùm fuisset, in quo penitus Religiosa disciplina erat collapsa, & ipsa liberiùs viveret, tandem suasu Confessarii, sine dubio instigante misericordiæ Matre edocta fuit recitare Rosarium, & rationem, gaudia, dolores, ac gloriam eiusdem sacratissimæ DEI Parentis meditandi: Qua sancta exercitatione factum, ut admirabilis in Virgine morum metamorphosis consequeretur. Factâ tandem absolutô Tyrociniô professione, Cacodæmoe per suos satel-

tellites & ad ministros constantem Virginis animum vehementer oppugnare aggressus est: Cùm enim in illo Cœnobio, tam novæ quàm veteres licentiùs vagarentur, munusculis ac literulis hæc nova Christi nupta, nemine prohibente solicitabatur; multíque Adolescentes, quos hujus Virginis egregia formæ præstantia ad illicitos amores accenderat, & prece & pretiô illam ad perversas suas voluntates pellicere tentarunt: Verùm Virgo honestissima Virginis Deiparæ confisa patrociniô, mysteriorúmque sacratissimi Rosarii assidua communita meditatione, omnes impurissimorum ganeonum elusit, ac superavit insidias, novísque cœlitus à Virgine Matre honorata est favoribus. Dum enim die quadam Angelicis iteratis multoties salutationibus Rosariô comprehensis, avere jubet Mariam, ecce tibi de cœlo cadentem videt Epistolam, cui hæc erat epigraphe: *Mater DEI Filiæ Joannæ* (sic enim vocabatur) *salutem.* Hæc porrò, literis illis amore Virgineô plenissimis, continebantur: Filia mihi admodùm chara, Rosarium istud meum, ut instituisti, fac recites semper: viros fuge, & eorum omnium consuetudinem de vita, qui tibi ad virtutem, & veram animi libertatem capessendam minùs prodesse videbuntur. Caveto desidiam, inertiam, atque otium, rerum lautitiam, & ornatum curiosiorem removeto, & tuum repurga cubiculum, in quo nonnulla remanent, digna, quæ à Religiosa muliere repellantur. Horum in locum Christi, & sanctorum, sanctarúmque Imagines, aliáque sacra signa sufficito, quorum te patrocinium defensióque servabit: si me audies, & quæ tibi facienda præscribo, morigero cultu perficies, & gratiâ apud Filium meum valebis, & ego pro te Deum Omnipotentem in tuis rebus afflictis appellabo. Hæc Virgo benignissima. O admirabilem optimæ Dei Parentis circa suos Clientulos solicitudinem! O amorem incomprehensibilem, ac planè ineffabilem! Vidit nimirùm illa in Verbo veluti clarissimo speculo, licèt à nobis absens, afflictissimæ hujus Virginis cum humani generis hoste, ejúsque asseclis discriminis plenissimam luctam, vidit afflictionem, cui tam opportunò suavissimarum suarum literarum remediô, pro innata sibi benignitate occurrere non est dedignata: quod sanè remedium non modò Virgini illi de salute periclitanti, verùm etiam Universi Cœnobij illius Sanctimonialibus mirificè profuit; perlectâ enim consolationis sanctæ refertissimâ illâ, Epistolâ Joannæ Pax ac tranquillitas mirifica est reddita, tantáque menti animóque ejus divinæ lucis affulsit copia, ut antiqui veteratoris technas, insidiásque impurissimorum illorum adolescentium perspexerit, eorundémque fœdissimos amores libidinémque, cane pejùs & angue execrata fuerit. Factum posteà, ut vertente anno, cùm Abbas illud monasterium visitaret, qui ante in reformando illo Cænobio oleum operámque perdiderat, externis quibusdam pro licentia pristina, libertatéque noxia illarum Monialium depugnantibus, factum inquam, est Joannæ meritis, ut nullô negotiô Disciplinæ forma, atque integritas Sacro illi loco secretiori, atque divina quadam vi externorum audaciam potentiámque reprimente, restitueretur. Nocte enim quadam devoto huic Abbati pro incolumitate ac salute Monasterii excubanti, Deum pro Sanctimonialium illarum ad bonam frugem conversione deprecanti, clarissima quædam lux visa est, quæ Joannæ cubiculum miro splendore irradiabat, in cujus lucis medio Cœlorum etiam con-

Rosarii de[vo]tâ recita[ti]one, & My[st]eriorum [M]arianorum] [m]editatione [n]on modo [M]onialis [qu]ædam Lascivis Adolescentum in[sid]iis præser[va]tur, sed e[ti]am inte[gr]um Mona[st]erium pro[di]giosè ad [m]eliorem [fr]ugem redu[ci]tur.

spexit Reginam, Angelicis Choris stipatam, quibus associata Joanna precibus ferventer insistebat: simul etiam intuitus est propè Joannæ cellulam Dæmonum ingentem multitudinem, diversarum specie belluarum, quæ Deiparæ imperiô facessere sunt jussæ, quæ mox pulsæ ad fatuarum Virginum cubicula transierunt; Hôc spectaculô bonus Abbas pene exanimatus concidit: Ut verò non ita multò post se collegit, Joannam ad se accersit, simúlque sciscitatur, quæ sint vitæ ipsius piæ exercitationes, quæ precandi ratio, quod virtutum studium, quod ageret tempore matutino, quibus obsequiis talem ac tantam hospitam tam benignè se se invisentem sibi demereretur? Joanna modestè, verecundiâ Virginali, respondit: Rosarii recitationem, ejúsque mysteriorum assiduam meditationem sibi cordi esse, vitámque universam ex præscripto Deiparæ literis illis comprehenso agere atque ordinare: Demiratus Abbas hic piissimus vim tantam energiámque inesse Rosario, eam mentem induit, Sacri hujus recitatione Rosarii efficacissimum remedium afferri posse Monasterio, pristinóque nitori, ac religiosè vivendi formæ posse restitui, & fœtidam illam mephitim, quam exhalabat, suave olentibus hisce rosis aboleri arbitratus; rosaria quàm plurima mox comparat, eáque ornari, ac poliri jubet quàm pulcherrimè, suúmque Sorori cuilibet donat, serióque mandat, ut diebus singulis illud recitando roseam Virgini Deiparæ corollam contexant: Parent illæ volentes, lubentésque, nec ita multò post tantis malis morúmque corruptelæ remedium efficacissimum allatum, scabiémque illam horridam impudicitiæ atque luxuriæ à suo cœnobio depulsam esse admirantur. En ut Virginea hæc Ungula, sive Onycha libidinis, corruptorúmque morum scabiem, virtute, rosario suo divinitus insitâ sanat.

17. Unde facilè colligere possumus sacratissimi hujus Rosarii recitationem assiduam, adversùs omnem carnis concupiscentiam, ardorémque libidinis præsentissimam esse medicinam. Testis est Catharina illa Romana, cognomento pulchra, ob incredibilem formæ elegatiam ita appellata: quæ ut B. scribit Alanus de Psalt. cap. 159. cùm publicum esset prostibulum, omnìsque turpitudinis sentina fœtidissima, acceptum tamen à S. Dominico, ibidem aliquando prædicante, gestabat occultè sub veste B. V. Rosarium, illúdque quotidie in Ecclesia, mysteria sanctissimæ vitæ, & Passionis Christi ruminando recitabat, quâ in Virginem pietate id demum consecuta est, ut ei Christus Dominus sub peregrino quodam admirabilique schemate appareret, seséque ad ejus hospitium, cœnámque, magnâ benevolentiæ significatione ultrò invitaret. tanto, támque hospite læta Catharina eum manu apprehensum in Domum suam introducit, lautissimáque apparatâ cœriâ cum ipso mensæ accumbit: Dum alacriter epulantur, advertit Catharina, quòd quidquid hospes attingeret, mox in sanguineum colorem, suavissimum odorem exhalantem, mirifico sapori sociatum verteretur. Cùm, quidnam hoc sibi vellet, inquireret Catharina? Respondit Hospes: Nescis quòd Christianus nec bibere, nec manducare aliquid debet, nisi Christi sanguine fuerit tinctum? His dictis mirabili metamorphosi Pueri in capite coronam spineam, in humeris crucem, in manibus pedibúsque stigmata, innumeráque toto corpore vulnera gestantis assumit speciem, & Catharinam benignè aspiciens ita alloquitur. O Catharina, Catharina jam

Ejusdem Rosarii devotâ recitatione & Mysteriorum Christi meditatione, admirabilis & prorsus prodigiosa conversio Catharinæ Romanæ, nec non apparitiones tum Christi, tum B. V. partim Catharinæ, partim S. Dominico factæ.

jam à tua cessa stultitia, ecce jam vides Passionem Infantiæ Christi, in cujus honorem primam orâsti Rosarii quinquagenam: Scito, quod à primæ meæ conceptionis hora usque ad mortem continuò in corde meo hanc pœnam portârim, quæ tanta fuit, ut si omnes arenæ maris essent pueri, & quilibet eorum tantam haberet pœnam, quantam unquam omnes homines moriendo, nequaquam omnes simul sumpti tantam sustinerent angustiam, quantam ego pro te sustinui. His dictis virilem mox assumit speciem, eandémque planè, quam in passione sua præsetulit; rursúmque eam amanter sic alloquitur: Ecce vides Filia, quanta pro te sustinui; Hæc omnes inferni excedunt pœnas. Mea enim patiendi potestas non fuit humana, sed divina. Tanta fuit hæc mea passio, ut si in cunctas esset divisa creaturas, omnes simul morerentur ac interirent. Vix hæc pronunciârat, cùm ecce tibi in solarem claritatem cum stigmatibus gloriosis transmutatur: Ecce vides Filia, quanta nunc pro te, tuam salutem desiderando, te amando patior, paratus in æternum pati pro tua salute, si videlicet ita ferret Patris voluntas, & quod amor meus & omnia in me existentia secundùm Dionysium sint infinita. Agnosce igitur Dei clementiam, & recole triplicem meam Passionem, in cujus honorem tres dixisti quinquagenas, & imposterum te emenda, ut sicut speculum fuisti totius malitiæ, ac spurcitiæ exemplum, sic imposterum ita vivas, ut sis puritatis & munditiæ speculum. Neque verò, quòd tibi appareo meritis tuis attribuas, sed Fratrum potiùs confraternitatis Matris meæ inviolatæ, qui pro te oraverunt, ut tua conversione multi convertantur, sicut tua iniquitate innumeri ante perversi ac Diabolici effecti sunt. Visis hisce tam admirandis Salvatoris transmutationibus Catharina, & ipsa in aliam transmutata est, adeò ut & ipsa dolorem Christi vulnerum, in manibus, pedibus, latere, cæterísque partibus sui corporis persentisceret: Quibus velut stimulis excitata, ad sanctum Dominicum, ejus pedibus provoluta, accurrit, scabiem, lepramque suorum scelerum abominabilem aperit, omníque maculâ, acceptâ ritè peccatorum absolutione, expiatur. S. Pater pœnitentiæ ac satisfactionis locò Psalterij Virginei recitationem more suo injungit, jubétque Sodalitatem Rosarij mox inchoandam ingredi. Atque ita demum Deo reconciliatur. Addit hìc B. Alanus, rem memoratu dignam, quanti Congregatio illa Rosarij B. V. facienda sit: Ubi notandum est inquit, quantùm hæc confratria valet in facto, cùm tantùm valuerit isti solùm in proposito. Nec cœli favores erga Catharinam constitêre: Dum enim Psalterij pensum pro pœnitentia injunctum sibi à S. Dominico persolvit, & Virginem Matrem salutationibus Angelicis veneratur, adest illi eadem Virgo S. Catharina Martyre eam comitante, eámque sic affatur: Ecce Filia multùm peccâsti, ideò plurimùm pœnitere oportet: Accipe ergo qualibet die tres disciplinas, quarum quælibet sit 50. ictuum, quæ faciunt psalterium pœnitentiale, quam pœnitentiam etiam facere poteris absque Virga vel flagello, solâ carnis tuæ, unguibus factâ compressione: Poterísque contra tentationes omnes, maximè verò carnis, & pro virtutibus impetrandis hanc facere pœnitentiam. Et hæc est pœnitentia Regalis, & occulta, quæ est cunctarum pœnitentiarum Regina. Paruit consilijs Deiparæ Catharina, dúmque ea opere ipso, magna cum pietate, salutationes Angelicas, meditationibus vitæ &

Passionis Christi de more sociando iterat, videt nocte quadam S. Dominicus in Domo Catharinæ pœnitentis Puerum, ex cujus membris 55. prodibant flumina, quæ ad purgatorium diffluebant, quibus animæ purgandæ consolabantur ac confortabantur. O in quantas, exclamat idem Alanus, voces laudis erumpebant! O quantas benedictiones Catharinæ adprecabantur, quibus omnis terra resonabat! Animæ enim devotione illius in recitando ita, quemadmodùm præscripserat Virgo Beatissima Psalterio, de pœnis illis liberabantur, confortabantur, ac sanabantur, eò quòd Catharina Angelicas salutationes MARIÆ persolvendo, parvuli JESU vitam passionémque meditando, eam fidelibus vitâ functis devotè applicare contendebat. Alia vice vidit S. Dominicus in cubiculum Catharinæ secundam quinquagenam Rosarij recitantis Christum virili ætate quinque vulneribus insignitum ingredi, ex quibus 55. fontes in Ecclesiam militantem universúmque mundum derivabantur, eúmque & creaturas omnes irrigabant atque abluebant. Tandem cum eadem hæc pœnitens tertiam Rosarij quinquagenam in suorum scelerum satisfactionem persolveret, vidit idem Dominicus in eadem domo infinitæ magnitudinis luce solari clariorem venire Gigantem, ex quo quinque prodire videbantur fontes, ex quibus 55. flumina emanabant, quæ nec per terram, nec ad purgatorium descendebant, sed cœlum admirabili quôdam modô penetrabant, quibus totus cœlestis irrigabatur, ac recreabatur Paradisus, quorum tanta erat suavitas, ut ipsi Angeli eos biberent, gratiásque immensas Salvatori ob ejus tam dulces fontes persolverent. Cùm porrò hæc tam admiranda fieri in domo tantæ peccatricis Dominicus obstupesceret, Beatissima Virgo ei mox se se visendam exhibuit: Quid hæc, inquiens, miraris Dominice? Nescis, quòd peccatorum sum amica, & quod inmaun DEI potentia reposita est? hæc ego tibi volui circa hanc meam Filiam ostendere, ut mundo prædices, nullum quantumvìs maximis, innumerísque sceleribus obnoxium peccatorem desperare debere, sed semper in Domino confidere, ac præsertim illi, qui cum Catharina sub chlamydem mei patrocinii confugere cupiunt. Tandem ita conclusit Deipara: Vidisti Dominice hæc tam admiranda: Audi me, & prædica quæ nunc dicam, quòd videlicet impetrârim à Filio meo, ut omnes, qui orant meum Psalterium, & erunt de mea confraternitate, eandem obtineant cum Catharina gratiam, liberationem videlicet à luxuriæ turpissimæ scabie: Confortare ergo O Dominice, & Prædica Psalterium & confraternitatem meam, quia hæc omnia, quæ hæc peccatrix obtinuit, obtinui pro omnibus confratribus, non ut videant, sed ut habeant. His tantis cœli favoribus dignata Catharina, distributis omnibus quæ possidebat, egentibus, eremum ingressa, vitam sanctissimam purissimámque cœlestibus revelationibus celebris transegit. Huic diebus 15. antequàm ex hac vita migraret, Dominus JESUS cum Virgine Matre & sancta Catharina se se ei contemplandos exhibuêre, diem mortis eidem prænunciantes, quem ubi attigit, fælicissima Catastrophe vitam suam terminavit: Hujus enim animam sole clariorem, dum corpore egrederetur, tres sanctæ Virgines, Joanna, Martha & Lucia, in brachia JESU evolantem velut Columbam viderunt.

18. Eadem sanctissimi Rosarii vi atque energia ab horribili hac luxuriæ scabie liberata fuit altera infamis mu-

Eadem SS. Rosarii energia prodigiosa conversio Benedictæ Florentinæ procurata, à S. Dominico.

mulier Benedicta Florentina, ut idem B. scribit Alanus lib. de Psal. cap. 60. hæc, cùm Florentiæ S. Dominicus concionaretur, ipsius verbis ceu ignitis jaculis sauciata, apud ipsum enormium suorum peccatorum sarcinam magna eorum detestatione deposuit. Pro satisfactione imponitur ei de more Rosarii recitatio; Verùm abeunte Dominico ad vomitum revertitur. Miserta ipsius Misericordiæ Mater, in cujusdam sui festi pervigilio impetrat illi, ut extra se posita ante tribunal formidandum Christi Cœlitum agminibus sole fulgentioribus sistatur; Coram Judice misera peccatrix constituta, ecce tibi ingens immanisque quidam liber, Inferni quibusdam exaratus signis in medium profertur, in quo tota Benedictæ vita tetris coloribus erat descripta: Jubetur illa mox primum folium in pueritia legere. Hæc scriptura tantum ei terrorem dolorémque incussit, ut ardentissimam 150. stadiorum fornacem intrare maluisset, quàm vel primum illud folium intueri: Cogitur tamen à Justissimo Judice dira illa horridáque peccata primi folii legere; quibus incredibili animi corporísque sui cruciatu utcunque lectis tremebunda, & tota attonita altis vocibus clamare cœpit. Heu! heu! me maledictam, & non benedictam, cûr misera in hunc mundum veni? Cur malè fortunata præ aliis filiis ac filiabus Evæ tot malis repleta sum? Væ mihi miseræ maledictionis filiæ! Væ parentibus! qui me genuerunt, & non docuerunt; & heu væ amplius illis, qui primò me deceperunt. Heu! heu! quo ibo, ubi latitabo! quo fugiam? quid agam misera? Infernum apertum ad me devorandam intueor, Judicem mihi terribiliorem Inferno conspicio. Heu! cur in cunis non sum extincta? O si mundus & vanæ ipsius mulieres hæc, quæ video, agnoscerent! Væ mihi abominationis, & confusionis filiæ, væ mihi horribilis turpitudinis, & omnis iniquitatis barathro! Inter hos ejulatus intimósque cordis dolores coram Judice semimortua corruit. Ad quam iratus Judex voce terrifica intonans: Surge, inquit, surge, fac quod dixi, & lege in tuo libro coram omnibus, quæ fecisti. Infelix illa legere compellitur, sed cùm modicum quid legisset, suspiriorum, lacrymarum, ac doloris vehementiâ exanimis pene ante tribunal Judicis rursus procumbit. Quam nihilominus ad declarandam mortalibus sui judicii severitatem adhuc atrociùs Justissimus Judex exclamans, totius libri lectionem abominabilem jubet absolvere: Interea sanctorum quispiam, quem illa S. Dominicum fuisse existimavit, ipsius misertus ajebat. Ad MARIAM Matrem DEI, cui in Psalterio servisti, nunc celeriter clama, ut tui misereatur. Mox illa imo suspiria ducens pectore, ubertim manantibus lacrymis ad MARIAM ibi Throno Judicis adstantem conversa, supplex magna cum humilitate deprecabatur: O Domina dulcissima! inquiens, Misericordiæ Mater ac Regina, miserere huic maledictissimæ peccatrici, heu in tantis angustiis hic pro sceleribus meis consistentis: Illico Domina nostra apud Judicem se se interponens, vitæ emendationem promittendo, eum placavit. Unde ipse Judex jam obsecrationibus Matris conciliatus, benigniùs eam allocutus: Ecce, inquiens, Filia, jam pœnitentiæ tempus tibi concedo. Vide ergo diligenter, ut per pœnitentiam cuncta deleas peccata, quæ in tuo illo libro mortis scripsisti; si autem aliter feceris, damnationis æternæ contra te fulminabo sententiam in die, quâ non speras. His auditis

ad se rediit Benedicta, & S. Dominicum in Ecclesia sibi proximum videns, ipsi ante actæ vitæ universa, magno cum dolore, peccata detegit, simúlque consilium quærit, quânam ratione suum illum librum execrandum mortis delere possit? Cui Dominicus: Commenda te Filia Virgini MARIÆ: quæ enim te tam benignè adjuvit hodie, te sibi devotè servientem etiam infuturum indubiè adjuvabit. Nec spe sua frustratus est Dominicus; postquàm enim trium mensium spatiô quotidie totis viribus cordísque affectibus, Psalterii Angelicis salutationibus, dulcissimam suam veneratas esset MARIAM, tandem, dum Missæ sacrificio, quod celebrabat Dominicus, magna cum pietate interesset, trium quasi horarum spatiô in Spiritu rapta fuit, in quo ita loquentem Deiparam audivit: Filia, Filia, de modo delendi librum tuum Infernalem sæpiùs me rogâsti, & ecce ego Mater misericordiæ adveni, ut te artem & modum edocerem, quô eum totaliter delere possis, simúlque septem profert lilia candidissima, quibus septem peccata mortalia teterrimo illo libro fuligineis orci literis exarata deleat. In singulis porrò illis liliis varia documenta descripta visebantur, quibus ad horrorem, detestationémque peccati, ad sui confusionem, ad lacrymas, ad varios divini amoris affectus in se concitandos inflammabatur, de quibus plerísque S. P. N. Ignatius, in exercitiis, de peccatis facit mentionem. Et in primo quidem liliо, ut de cæteris sileam, verba hæc arte planè divina aureis literis descripta visebantur. Memorare gravitatem peccati, Deique erga te misericordiam; additque: lege Filia, & in hoc dele tua peccata. Hìc dum illa obmutesceret præ confusione, Domina nostra ita rursus eam allocuta est: Dico tibi Filia, quòd tanta est minimi peccati mortalis gravitas, támque DEO odibile, omnibúsque sanctis curiæ cœlestis adeò detestabile, ut si per impossibile, vel ego, vel sancti in cœlo jam existentes unicum peccatum mortale admitteremus, mox in Infernum deturbaremur, æternúmque damnaremur. Unde Filia, Lucifer, & tot Dæmonum millia ob unicum mortale peccatum subitò cœlô expulsi sunt, & in æternum damnati: Cùm igitur Filia, tu magis demerearis, & sis indignior, ac miserabilior, numquid parva misericordia & gratia tibi facta est, quòd omnia tibi condonata sint? Tanta ergo DEI erga te misericordia meritò te permovere debet, ut in tui Conditoris gratiam redeas, eidémque reconcilieris. Quæ ubi audiit Benedicta, singultus & fletus virtute hujus lilii dedit copiosissimè, & cum doloris ac contritionis vehementia esset penè exanimata, spectante populo in Ecclesia congregato, tandem virtute Psalterii B. V. illi à S. Dominico impertita, ad se rediit, claráque voce sibi loquentem Christum Dominum audiit: Filia Benedicta, librum tuum septem liliis à Matre mea tibi porrectis ab omni specie septem mortalium peccatorum delevisti: vide ut de cætero rescribatur, non ut priùs nigris ac horribilibus Inferni notis, quin potius albis ac rubentibus: sin autem rursus, de te vindictam accipiam, & corrues. Quibus auditis vehementer consternata ad pedes dulcissimæ Virginis MARIÆ se prosternens misericordiam petiit, ne inposterum tantis pœnis afficeretur. Tum misericordiæ Regina chlamydem suam aperiens, Rosarium variis ísque pulcherrimis gemmis contextum collo suo detrahens, & Benedictæ ostendens dixit: Hoc Filia mihi donâsti, & ego illud tanquam

tor-

torquem Imperialem in collo meo defero: similiter Filius meus, quem cernis hìc in cruce pendentem, pro torque Regali habet tuam Coronam Rosarii miræ pulchritudinis & valoris collo suo impositam, quam tu illi dedisti & quô librum illum tuum mortis delevisti. Nunc ergo Filia constanter age: Ecce Psalterium meum, quô inposterum tua aliorúmque peccata delebis, tibi commendo. Tum eamdem docuit, quânam ratione salutationibus Angelicis meditatio vitæ ac Passionis Christi socianda sit, qua, ajebat novum ipsius librum candidis, rubeis, atque aureis characteribus exarandum, speciatim illi commendavit modum, omnia ejus membra consalutandi: scribes, inquiens, in libro articulos Incarnationis Filii mei, & Dei Jesu Christi meditando dignitates meas in ordine ad Filium, secundùm omnes corporis mei partes; scilicet quàm reverenter caput ei inclinavi, auribus vocem ejus audivi, manibus Maternis ac Virgineis ejus pulcherrima tenerrimáque membra contrectavi, ad Materna ministeria impendi, per singula membra discurrendo usque ad pedes. Tandémque ita conclusit B. V. sic igitur Filia prædicto in Psalterio mihi & Filio meo devotè servias, sicut incepisti, & quoties nobis Psalterium obtuleris, tot torques Imperiales infiniti valoris collum nostrum Regio planè ac condigno honore circumdabis. Quibus Deiparæ documentis instructa Benedicta ad finem usque vitæ, pristinis sceleribus expiatis in omni sanctitate ac puritate virtute Rosarii profecit, dignámque se reddidit, quam Virgo sæpiùs familiarissimè inviseret. Ex quibus tam luculentis exemplis facilè intelligimus, quàm præstans sit sanctissimi Rosarii B. V. recitatio, ad scabiem luxuriæ persanandam amuletum. Siquidem mulieres adeò infames ac sceleratæ ab hac tam turpi scabie liberatæ sunt, ita, ut eis onycha quædam ipsum Rosarium visum sit.

19. Hæc etiam Onycha, ut testatur Origenes, fidem significat. Cùm onyx sit concha quædam parva, odorifera, continens in se pisciculum, qui, ut scribit Dioscorides lib. 2. cap. 10. nardô nutritur & pascitur, à qua concha suum illum odorem participat: Unde concha hæc, cùm scuti cujuspiam formam repræsentet, fidei Symbolum esse videtur, ut docuit P. Alcazar noster in Apoc. siquidem S. Paulus fidem scutum vocitavit: In omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere. Dicere sanè possumus Virginem Deiparam Scutum esse nostræ fidei, quô adversus Tartareorum hostium sagittas protegimur; cùm nos, ut fidem Christi dilectissimi ejus Filii deseramus, impugnant: Tunc enim illa suavissimo suæ fidei humilitatísque odore nos recreat, efficítque, ut in odorem harum ipsius virtutum curramus, animátque ut fidem in Baptismo datam intactam, illibatámque conservemus.

Onycha est Symbolum fidei, unde B. Virgo Onychæ comparata scutum fidei nostræ meritò appellatur.

20. Fidem porrò humilitatémque Nardum esse, ipsa Virgo contestata est, cùm dicit Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem.* Quem sanè tunc potissimùm reddere visa est, cùm Angelo Gabrieli Incarnationem Verbi, Summi Cœlorum Regis, totiúsque Universi, annuncianti credidit, adeò ut S. Elisabeth inter reliqua ejus encomia pronunciârit: *Beata quæ credidisti, quia perficientur, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

Nardus quoque uti fidei ac humilitatis, ita B. V. est Symbolum.

21. Nardus quoque est humilitas, cujus suaveolentem cœlis fragrantiam tunc Virgo edidit, cùm ad eminentissimam Divinæ Maternitatis Dignitatem evecta, Ancillam se

se nominavit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.*

Fidei Virgineo scuto protecta fuit infidelis Mulier, quæ portento ad fidem & pœnitentiam commota, quam B. V. per visionem objecta docuit.

22. Hôc fidei Virgineæ scutô protegi visa fuit fœmina illa, de qua Franciscus Bencius in Annuis Societatis 1588. Provinciæ Neapolitanæ. Hæc impiissimè de Christo ejúsque Matre sentiebat, ajebátque sanctum quidem utrumque, sed neque hanc Virginem esse blaterabat: Ingressa tandem Cœnobium Mulierum, tam dirum venenum coquens in pectore, ab imaginaria, Sacrilegáque Confessione, ad venerandum Evcharistiæ Sacramentum accedebat, & accipiebat quidem pandens sepulchrum gutturis Panem Angelorum, sed ubi licebat per adstantium aspectum, mox conspuebat in linteolum, indignissimè postea proculcandum. Et hanc tamen tam infidelem, abominandámque peccatricem, tam indignè à vera fide abhorrentem, telísque Tartarei hostis adeò lethalibus confixam, non abiecit Dei Deiparæque clementia, sed velut clypeô, ne in hac infidelitate moreretur, protexit: Nam tertiô Paschatis die, cùm Dominicum corpus de more obtereret, acúque, quales ferre ad ornatum capitis Mulieres consuevêre, atrociter configeret, è quâlibet punctiuncula fluidus sanguis emanabat; Visô hôc consternata in ignem projicit; Vereri visus ignis Conditorem suum, in geminas divisus partes, loco cessit, & servavit illæsum; Tum verè pœnitere mulierem cœpit, execrandum scelus agnoscit, vocatóque Sacerdoti animarum Curatori rei totius seriem narrat: De hujus sententia, & illius voluntate, res Barium defertur ad nostros, per hos deinde ad superiores, sícque consultum est fœminæ miserabili. Bona sors fuit, quod in illos dies incidit Jubilæum Pontificium, cuilibet noxæ quantumvis enormi expiandæ opportunum. Eidem intereà objecta species Deiparæ Virginis, Comite Dilectissimô Evangelistâ Joanne; quæ etsi primò indignationis manifesta præbuit indicia, postmodùm tamen, ut sunt placabiles cœlitum animi, spem veniæ, viámque rectam ad agendam pœnitentiam ostendit. Visitur etiam nunc sacrosancta hostia sanguineis guttulis interpuncta, quam, etsi Sacerdos ille vehementer contendit, ut nostri accipiant servandam in Templo, dilata tamen deliberatio ad adventum P. Provincialis, qui propediem nunciabatur adfuturus.

Deipara maximis favoribus prosequitur S. Euthymium, postquam Eudociam Imperatricem Nestorianam Hæresim dedocuit, & in recta fide instruxit.

23. Neque verò solùm Deipara ipsa eos, qui infidelitate laborant, ad fidem revocat, eósque sua fide velut clypeô munitos reddit inexpugnabiles, verùm etiam miris favoribus eos prosequitur, qui suam operam in hujusmodi ad veram fidem reducendis hominibus impendunt. Expertus est favores hosce Misericordiæ Matris S. Euthymius Abbas, quem, cùm Eudocia Imperatrix Nestorianâ hæresi à Theodosio Mônacho infecta, multis calamitatibus jam edocta ad se vocâsset, & priùs de vera rectáque fide Magnum Simeonem in Columna stantem consuluisset, ad Euthymii tandem pedes abjecta, ínque fide instituta, summa totius orbis gratulatione ad Ecclesiam rediit, pestilentissimámque illam hæresim, Dei Matri abominabilem, ipsa dubio procul dulcissimum Filium deprecante, ejuravit. Quam ob causam Virgo sanctissima Euthymium ad tantam Sanctitatem evexit, ut visus sit aliquando sacrificans in media flamma consistere, & à parte illa Missæ, qua Divinum concinitur trisagion ad finem usque conspecta est eadem Virgo Benignissima Euthymium circumplecti, qui amplexus, utpote Matris pulchræ dilectionis, sine dubio eum castissimis Divini amoris igni-

gnibus, quibus uti dixi, erat circumfusus, inflammabat. Ex Joan. Bonifac. in Historia Virginis lib. 4. cap. 12.

24. Quàm porrò fides Virginis nostræ sacratissimæ fuerit perfecta, quámque gratum, suavémque odorem, ad instar onychæ, seu Ungulæ, quæ Nardô, uti diximus, pascitur, teste Dioscoride, exhalârit, ostendit Pelbartus de Themesuar lib. 7. Stellarii Par. 2. Art. 3. cap. 1. dum ita loquitur: fides ejus fuit major fide omnium Sanctorum; primò ratione constantiæ: Fides enim B. Virginis fuit constantissima, quæ nunquam defecit, nec fuit interrcepta, ut fuit Apostolorum, de quibus Salvator Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me.* 2. fides B. V. fuit mundissima, & incontaminata, quia nunquam vel venialiter peccavit: alii verò peccaverunt. Unde Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 3. Fides Deiparæ fuit maximæ efficaciæ: Cùm enim Marc. 9. dicatur: *Omnia possibilia sunt credenti,* in fide ejus secutus est effectus improportionalis. Fides aliorum Sanctorum minima, quæ est sicuti granum Sinapis, potest montes transferre, & mittere in mare Matt. 17. Ad B V. dictum illud, *Fiat mihi secundum Verbum tuum*, summus ille mons montium, DEUS ipse tulit se, & misit in mare, MARIAM videlicet, amaras ex ea hujus vitæ pœnalitates assumens. Perfectissima denique fides extitit Deiparæ, ratione experientiæ: Si enim Patres æquè veteris ac novi testamenti credidêre de Virgine nasciturum, vel jam Natum Christum, ipsa Benedicta Virgo non tantùm credidit, sed & per experientiam cognovit. Unde, quanta sit Virgineæ fidei excellentia, manifestum evadit. Sic ille.

Fides B. V. ultis ex pitibus omnium aliorum fidem cedit.

25. Quare quicunque hâc Virginis fide, protectionéque se se communit, clypeum sanè firmissimum ac inexpugnabilem illô Ajacis longè validiorem, contra omnium Tartareorum hostium spicula experietur; Cùm enim Virgo sit Turris illa David, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, tota clypeus, tota quædam Cœlestis erit Panoplia ad Clientulos suos protegendos, atque ad bellum adversùs tenebrarum Principes instruendos. Imò verò meliùs dixerim Virginem totam in defensionem protectionémque nostrî, esse castrorum aciem ordinatam, Inferis Potestatibus terribilem. Quare sapienter Innocentius III. Pontifex Maximus Serm. 2. de Assumpt. assiduis bellis invisibilium hostium appetitos mortales hortatur, ut ad Virginem tanquam inexpugnabilem castrorum aciem confugiant, eámque ipsis opponant, si gloriosissimum triumphum reportare desiderant. Verba pientissimi in Virginem Pontificis sunt hæc: *Quia verò militia est vita hominis super terram; nam mundus positus est in maligno, caro concupiscit adversùs Spiritum, oculus deprædatur animam, mors ingreditur per fenestras, nec est nobis colluctatio tantùm adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs spiritualia nequitiæ in cœlestibus, adversùs Rectores tenebrarum harum (adversarius enim noster Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret) cùm ergo sentit impugnationem ab hostibus vel à Mundo, vel à Carne, vel à Dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur MARIAM, ut ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur nos.* Hæc Innoc.

26. Et quoniam inter invisibiles hostes, numerantur etiam vitia, ac peccata, quibus Virgo nostra tanquam Dux, imò acies omnibus virtutibus optimè instructa se se opponit, suáque humilitate superbiam scelerum omnium Matrem prosternit, ideò cùm quis ad scelus aliquod

Deipara velut acies ordinata virtutum opponit se exercitui vitiorum.

perpetrandum impugnatur, ad Virginem tanquam ad virtutum aciem confugiendum. Quod suadere visus est idem Innoc. loco cit. Ubi enim dixisset, Deiparam esse terribilem, ut castrorum, &c. Mox attexuit: *Sapientia vincit malitiam; inter quas in hac vita mortali grandis & gravis exercetur conflictus. Pro malitia verò pugnat & repugnat exercitus vitiorum; quia non est conventio lucis ad tenebras, neque Christi ad Belial; Castra vitiorum quasi ducem sequuntur superbiam, de qua* Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Castra verò virtutum quasi ducem sequuntur Humilitatem, de qua dixit MARIA: *Respexit humilitatem Ancillæ suæ, &c. Acies ergo castrorum id est plenitudo virtutum, ita fuit in Virgine ordinata, ut de se verè dicere posset* Cant. 1. *Introtroduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, ut postquàm in ea plenitudo Divinitatis corporaliter habitavit, vicerit ex toto malitiam: quoniam ex tunc fomes peccati fuit prorsus extinctus, ut de cætero non concupisceret caro adversùs Spiritum, sed plena gratiâ, vitiis & Dæmonibus terribilis appareret.* Sic ille.

Unde si quis aliquo vitio impugnatur ad Deiparam recurrendum est.

27. Quam ob causam, si quis vel infidelitate, vel quôvis aliô impugnatur vitiô, ad Deiparam plenam gratiâ omnibúsque virtutibus recurrat: Ipsa erit illi clypeus onychinus, qui gratissimo suo odore ipsum ad patrocinium ejusdem Virginis retrahet; Ipsa erit acies castrorum ordinata, ipsa denique murus plusquàm adamantinus, turrísque inexpugnabilis. Qua de re, ut nos ad fiduciam animaret, ipsa Cant. 8. gloriabatur. *Ego murus, & ubera mea sicut Turris.* Audiendus hìc Hugo de S. Caro Card. *B. Virgo murus est stabilis & firmus, nobis ad defensionem, & munitionem datus, super quem Dominus fabricavit propugnacula argentea, id est, divina eloquia: siquidem MARIA conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Murus est per exemplum pudicitiæ & conversationis sanctæ. Murus est devotè eam venerantibus, piè recolentibus, strenuè imitantibus, obnixè deprecantibus. Ubera ipsius sunt nobis, fœcunditatum ejus Virgineam in memoria tanta habentibus, Turris. Hanc memoriam ejúsque protectionem habere visa est illa, quæ dicebat:* Beatus Venter qui te portavit. *Hæc sua fœcunditate facta est apud DEUM quasi pacem reperiens, pacem inquam illam, quam perdiderant primi Parentes: Unde ei dictum est ab Angelo:* Invenisti gratiam apud Dominum. *Ipsa reperit pacem inimicis, salutem perditis, indulgentiam reis, misericordiam desperatis.* Hactenus Hugo.

Murus inexpugnabilis Deipara.

Deipara sua fœcunditate pacem nobis reperit.

28. Inter alias proprietates onychæ memorat ibidem Dioscorides illas, quas habet purpura, sive Conchylia & buccinæ, quæ dentes abstergunt & purificant. Dentes hos ego dixerim esse Religiosorum Ordines cum S. Bernardo super illud Sponsæ elogium Cant. 4. *Dentes tui sicut Greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Hos nimirum Virgo nostra tanquam omnium Mater ac Patrona, pro congenita sibi benignitate, in suo candore & puritate, suis apud Filium intercessionibus conservat, gratiam divinam illis impetrando, ut se se in sanctitate vitæque integritate conservent, nec inter se hominos carnales retineant, sed eos ejiciant. Quod sanè donum minimæ huic Societati nostræ, cujus potissimùm protectione gaudet, à Virgine gloriosissima impetratum arbitror; ut in primogenio illo nitore suo animíque candore præservetur: Hoc ego sanè unicum præservativum antidotum divinitus inventum ad Societatem hanc in suo nitore conservandam, ne ulla unquam reformatione indigeat, esse mihi persuadeo, qua de re dictum uberiùs Tom. 1. Dis. 22. num. 164. & seq.

Onycha dentes abstergit & purificat: Deipara religiosos Ordines in suo nitore conservat.

29. Alia

Onycha excrescentes luxuriantésque carnes cohibet. Deipara rebelles corporis illecebras extinguit.

29. Alia Onychæ, ficut & purpuræ proprietas est, quod excrescentes luxuriantésque carnes cohibeat. Has ego corporis humani voluptates atque illecebras, & contra rationem insurgentes ac rebellantes motus esse dixerim, quos Virgo Virginum purissima, in suis clientulis, qui se se ferventioribus ejus obsequiis addixêre, prorsus extinguit, ita ut primigeniam illam innocentiam, originalem justitiam, in qua Protoplasti fuêre conditi, recuperâsse beneficiô tantæ Patronæ videantur. Gratiam hanc post suam ad DEUM conversionem S. Patriarcha noster Ignatius emissô castitatis votô, uti & ipsius Angelicus ille Filius Aloysius Gonzaga, factô eodem votô Florentiæ coram Annunciata Virgine, sicut & alter ille Angelus Joannes Berchmans Belgarum decus illustrissimum, invenêre.

S. Ignatius, B. Aloysius & Berchmanus emissô votô castitatis liberi fuere à carnis motibus impuris.

30. Quare Joannes Bourghesius in Societate Virgini Sacra cap. 29. luculenter testatur, puritatem illam Angelicam, quæ in hominibus Societatis nostræ, quoad humana fragilitas patitur, elucescit, in tot toto orbe Missionibus ac peregrinationibus animarum causâ susceptis, in tam frequenti ac lecta fidei nostræ commissa tractanda, atque instruenda Juventute, in confessionibus audiendis tot Virginum, tot generis omnis sexûs animabus expiandis, testatur inquam, donum hoc beneficentissimæ Virginis nostræ patrociniô, à DEO Societati impetratum: cujus, inquiens, Angelicam puritatem præsidiô, patrociniôque assequimur? quàm intemeratæ Virginis Matris, quæ prima, ut inquit S. Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 27. *Virginitatis erexit vexillum, quæ etiam iis, quos viseret, integritatis Insigne conferret, quæ Virgo Virginum, Mater, Regina, Princeps, Primiceria, Primipila, Antesignana & vexillifera Virginitatis, speculum, corona, flos, decus, sigillum, fastigium, caput, exemplar, Thesaurus integritatis à SS. Patribus nuncupatur*; Et quasi nulla satis voce laudari queat, ab Ecclesia, Auctore Augustino, *Sancta & immaculata Virginitas appellatur*.

Elogia SS. PP. data intemeratæ Virgini Matri.

Itáque & B. Ignatio Parenti nostro præstans hoc castitatis donum contulit, hodiéque compluribus confert, ut in ipsa propè fornace Babylonica non amburantur, nec eis noceat, si quid mortiferum vel in audiendis confessionibus, vel in aliis cum proximo congressibus hauserint, & inter impuras animas puri vivant. Ut solis radii nullô inquinantur lutô, sic nec animus divinô ac cœlesti lumine perlustratus. Rectè Chrysostomus: *Quinque estis Virgines, ad Matrem Domini confugite; illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem patrociniô suô vobis conservabit*: B. Bonaventuræ adversus fœdas suggestiones, Angelicam opponi salutationem consulit. Magister Avila certô ait experimentô compertum, facilè ab iis tentationes illas eximi, qui Beatissimæ Virgini per immaculatam conceptionem suam supplicârint. *Mihi sanè*, concludit idem Bourghesius, *adversùs eas pestes, vel sola Virginis integerrimæ recordatio præsens esse videtur Antidotum*.

Qui Virginitatis florem conservare cupit ad Virginem Virginum confugiat.

31. Quod profectò nobis Virgo nostra benignissimè porrigit, dum velut Mater pulchræ dilectionis, & timoris DEI timorem illum sanctum, castum, ac filialem, quô muniti, eligimus magìs millies mori, quàm supremum Numen lethali aliquâ noxâ lædere, nobis à Filio impetrat, illúmque intimè cordibus nostris ita inserit, ut nullâ Tartarei hostis vi, fraudéve eradicari valeat; Divinus hic nimirum timor, est herba illa in cœlestibus viridariis collecta, quâ in Philippi Principis Hispaniarum Aula societatis nostræ homines muniti dicebantur, ne illis Virginum ac mulierum formosissimarum, adolescentiúmque ætate venustatéque florentium, qui illorum operâ in expian-

 dis

dis animarum maculis uti consuevêre, conversatio obesse posset: Cùm enim aliquando in media Curia Melchior Canus bellè jocando, ut scribit Orlandinus lib. 5. Hist. Societ. n. 26. id de illa herbâ jactâsset: vox, seu candidô, sinceróque animô, seu quô aliô profecta, admirationem certè multis attulit, sensúmque sparsa per curiam, ad Principis pervenit aures, qui rei auditæ curiosus Investigator Joannem de Zuniga, qui ei velut morum Magister erat, & custos, ad Patres misit, sciscitatum, quod herbæ genus illud esset tantæ potestatis ac virium, quam illi perhiberentur habere? Fecit imperata Zuniga, expositisque Principis mandatis ab Araozio contendit, ut rem sibi totam, quam mox ad Principem referret, exponeret: Hæsit hìc paulisper Araozius; tum totam indicaturum se esse respondit, modò is eam Principi, quemadmodùm à se acciperet, accuratè fideliterque referret: Cùm ille id reciperet, Verissimum est, inquit Araozius, quod de nostræ hujus herbæ potestate narratur; tantarum quippe virium est, ut non modò nobis ad frangendas cupiditates, libidinésque sit usui, verùm etiam tutum quoddam ad continendam linguam, & conterendam elevationem animi, & omnia vitia præsidium: eadémque tam multas facultates, proprietatésque complectitur, ut equidem valde velim, & Principi, & toti curiæ ejus usum notum ac familiarem esse. Porrò nemo nescit varias à Deo virtutes inditas herbis, quarum beneficiô solus is potiatur, qui cognitis & inventis utatur. Acuerunt hæc cupiditatem Zunigæ, qui, ut sine mora sibi nomen ederet tam salutaris herbæ, nec se diutiùs properantem ad Principem cunctaretur, ac suspensum haberet, acriùs institit; Cui Araozius: *Hæc, inquit, herba omnium Sermone Timor Domini nuncupatur.* Is eas omnes, quas enumeravi virtutes, ac multò etiam plures, quàm dixi, continet; eâ nos, quotquot de Societate sumus, frequenter utimur, ejus præsidiô innoxii in mediis flammis periculísque versamur: eô instructis ac benè munitis ubique gentium benè nobiscum agitur. Hoc igitur Principi velim referas, hoc fideliter narres: quod, si me Auctore in animum induxerit suum, eô quòad vixerit, uti præsidiô, timore inquam Domini, næ ille magnô suô bonô experietur, quàm admirabiles fructus pariat, quantarúmque sit virium. Acquievit responso Zuniga, & ampliùs, quod requireret, nîl habuit. Principi autem, quæ acceperat, ad verbum reddidit: ea mox per totam pervagata curiam secundissimis excepta sunt auribus, & Princeps pergebat alacriùs Patrum favere cæptis, &c. Hæc Orl.

32. Porrigere hujusmodi Herbam cum suo dilectissimo Filio associata, visa est Virgo Deipara Virgineis illis conjugibus Juliano & Basilissæ. Cùm enim Julianus Sponsalia fugeret, ne Virginitatem, quam habebat, amitteret charissimam, Christus Dominus in primis Flos illi campi & lilium convallium ei se se videndum exhibuit, atque ut Parentibus obsequeretur, admonuit, eam quippe datam iri in Sponsam, quæ ejusdem propositi tenax, quò minùs flos Virginitatis in eo remaneret incorruptus, impeditura non esset. His dictis Christus Juliani corpus omnipotenti sua illa manu, quâ purissimos fabricârat cœlos, atque lucidissimis stellis exornârat, manu inquam illâ, quâ terram tam innumeris venustísque floribus convestierat, attingit, & ad libidinis vincenda prælia reddit aptissimum. Tum Julianus ab oratione surrexit, nuptiarúmque noctem obfirmatô ad Virginitatem conservandam animô præstolabatur, ad quas celebrandas innumeri utriusque sexûs nobilissimi confluxêre, nullô ludorum ac lætitiæ genialis genere prætermissô.

Virginitas admiranda SS. Juliani & Basilissæ Nobilissimum Sponsorum.

Erat

Erat enim Juliano pari nobilitate, ac fortunæ conditione Basilissa Virgo, matrimonii sancto fœdere socianda. Ad genus Basilissæ, divitiarum Copia, ac formæ accedebat præstantia singularis. Julianus simul atque pedem in thalamum intulit, oratione fiduciæ plenâ se munit & comparat: post fusas preces devotissimè, tantus liliorum ac Rosarum, cùm hyemale tempus esset, afflatus est odor, ut Basilissa in amœnissimo horto variis floribus consito se versari arbitraretur: ergo ad Julianum conversa, quid hoc inquit, Sponse, novi est? Unde florum suavis hic odor, hoc hyemali tempore inusitatus? equidem pro hac voluptate, genialis lecti delicias parvi pendo; Tu verò utrum olfeceris hæc ipsa, scire studeo? ad quam Julianus: hæc inquit narium oblectatio, temporis esse non potest, in quo omnia pruinâ, ut videre est, gelúque obriguerunt, non arentis terræ, horrentisque glacie, gelatíque soli, non hortorum, quos humana colit exercétque industria, sed Christi DEI nostri castitatem adamantis, & ejus cultores Paradisi floribus exornantis, donum est. Quam ob rem, si, quæ mihi chara Virginitas, eadem tibi placebit, téque puram ab omni contagione servabis, hìc in terris Angelica gaudia percipies, & post obitum ad æternas voluptates, quibus nihil potest esse liquidiùs tandem invitante cœlesti Sponsô proficisceris: Nam quæ hominibus ad corporis sensum omnia revocantibus illecebra solet esse conjugii, si non accusabilis factu, certè dictu honesta non est; Nos autem majora & sanctiora moliri oportet, quibus hæc insolita vernat, nósque demulcet amœnitas; Itáque tunc animorum consensu Virginalem puritatem Christo Domino omnis munditiæ auctori & fonti obtulerunt. Tum Julianus lætitiâ gestiens humi se prosternit, Deúmque precatur, ut cœpta secundet, confirmétque: Basilissa mox Sponsi exemplum secuta ex lecto se se in terram abjicit, & illico cubiculum totum contremuit, luménque cœlitus demissum planè inexplicabile omnia irradiavit: quin & cœli terræque Rex Christus innumerabili cœlitum stipatus cœtu, cum gloriosissima sua Matre Virgine Virginum innumeris comitata choris se se castissimis hisce Sponsis visendos exhibuerunt, simúlque alternantibus choris voces illæ mellifluæ auditæ sunt: *Vicisti Juliane, vicisti: & Beata es Basilissa Virgo* canebant cum Deipara Virgine Virginum cœtus, quæ Sponso salutariter monenti paruisti, & captioso fallacíque despecto mundo, ad sempiternam capessendam coronam temet prudentissimè comparâsti. Rursus Christi supremi Regis acclamabat chorus: Milites mei, qui serpentinam voluptatem contempsistis, è terra assurgite, & æternæ hunc vitæ librum attentè legite: Utrinque responsum. Amen. Inde duo visi candidis amicti vestibus, qui aurea quædam miræ pulchritudinis præseferebant cingula, coronásque, qui humi jacentem utrumque Sponsum hisce verbis excitârunt: Surgite, siquidem vicistis, & divina permissione ex nostro numero cœtúque jam estis: Ecce thalamus cœlestis, qui paratus est vobis: legite hunc librum, & intelligite fidelem esse Dominum in Verbis suis, & sanctum in omnibus operibus suis, ipsiúsque fidelissimâ rata esse promissa: simúlque Juliani & Basilissæ apprehensis dextris, uti in matrimoniis fieri consuevit, eos castissimè mutuô utrinque consensu copulârunt; In medio visebatur liber aureis exaratus notis, totúsque argentô primô purissimóque nitidior: Inde stratum cubile pulcherrimum, quatuor senes aureas phialas cœli odoribus plenissimas tenentes circumstabant, ex quibus unus ad novos Sponsos conversus: In hisce quatuor urnulis, ajebat, perfectio contine-

Recreantur cœlesti odore.

Visitantur à cœlitum choro.

netur, quæ ad DEUM immortalem odorem suavissimum exhalare non desinent: tu autem Juliane legito ex DEI imperio; Legit illico Julianus; ibique hæc scripta reperit: Qui mei desideriò mundum contempserit, in eorum referendus est numerum, qui se cum mulieribus minimè coinquinârunt. Basilissa planè sincera, quæ corruptelam omnem tam longô intervallô vitavit, in ordine Virginum residebit, quarum MARIA JESU Mater Princeps est ac Regina. Hæc cùm legisset Julianus, Amen Omnes illi cœlitum chori una voce acclamârunt. Inde unus ex quatuor illis senioribus oratione ad Sponsos conversâ: Hôc inquit, librô conscripti sunt casti, sobrii, veraces, misericordes, humiles, mansueti, & qui charitate non quidem illâ fucatâ & ementitâ, sed verâ ac germanâ sunt præditi; Hic item liber eos amplectitur, qui calamitates, tribulationes, ærumnásque patienter perferunt, qui non Patrem, non Matrem, non Filios, non agros, non alias divitias Christo antetulerunt: Illos denique liber hic complectitur, qui ne vitam quidem ipsam pro eodem JESU CHRISTO profundere dubitârunt. Quæ omnia vos magna ex parte contingunt. Quibus dictis catastrophe gratissimis illis spectaculis fæliciſſimè imposita est, párque illud Virginum, quod noctis erat reliquum, in Divinis modulandis canticis exegerunt. Ex illo porrò tempore Julianus & Basilissa, non de sua tantùm, sed de aliorum quoque salute soliciti esse cœperunt; Julianus viros, Basilissa mulieres adducebat ad Christum, fuitque tam copiosa amborum messis, ut Sponsus Monachorum decem millia uno in cœnobio regeret; Virgines verò mille Basilissa gubernaret. Quos omnes in DEI timore adeò radicârunt ac fundârunt, ut ne unus quidem à sancto proposito dimotus fuerit, & verè dicere quivis ex eis cum Salvatore æterno Patri potuerit: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Joan. 18. En, ut Virgo Deipara unà cum suo dilectissimo Filio tanquam vera Onycha libidinem omnem in hisce Sponsis, casto Domini timore, velut herbâ quâdam è cœlestibus viridariis decerptâ extinxerunt.

Liber vitæ jis exhibetur.

33. Eâdem divini timoris herbâ innumera castissimorum conjugum Matrimoniô junctorum purissimâ Virginitate insignium paria omnem carnalis concupiscentiæ sensum in membris suis extinxêre: Inter quos meritò notissimi illi numerandi sunt conjuges Valerianus & Cæcilia, Marcianus & Pulcheria Augusti, Henricus I. Imperator, & Kunegundis, Eduardus Britanniæ Rex, & Editha, Ediltrudis Angliæ Regina nupta tribus viris, cum quibus Virgo permansit, teste Sigeberto ad An. 683. S. Emericus sancti Stephani Pannoniæ Regis Filius, Alphonsus Aragoniæ Rex cognomento castus, Eghardus & Catharina S. Birgittæ Filia, Nebridius & Olympias, Bertilia & Cuthlandus, Paulinus & Zarasia, de quibus S. Augustinus Epistola 32. Maturianus & Maxima, de his Victor de Wandalica persecutione. Boleslaus dictus pudicus Polonorum Rex, de quo Janitius ita cecinit:

Virginitatem in Matrimonio coluerunt.

Virgine consenuit cum Conjuge Virgo maritus,
Addictus studiis Casta Diana tuis.

34. Petrus Urseolus Serenissimæ Reipublicæ Venetorum Dux, de quo Volaterranus lib. 4. Zacharias Calceatius, & MARIA, de quibus Raderus in viridario SS. 15. Cal. Octob. Eucharius Opilio, & MARIA. Raderus ibid.

35. Conon Isauricus & Anna, Antigonus & Euphrasia, Apenianus & Melania, Vandisillus Comes Palatinus, Elisabetha & miles quidam probatissimus, de quibus Menol. Cist. 1. Julii.

36. El-

36. Elzearius Comes Ariani & Delphina; Hic morti jam proximus, ut per totam vitam accuratè suam & conjugis Virginitatem celâsset, tandem divino instinctu, sic adstantes allocutus fuisse dicitur: Salvatus est homo malus per mulierem bonam, quam, sicut Virginem accepi, ita & in hac mortali vita Virginem relinquo. His accedit Laicus quidam, qui eò, quòd Virginalem pudicitiam cum Sponsa coleret, Dæmonibus redditus fuit formidabilis, ita ut quos S. Joannes Abbas in obsesso corpore pellere nequivit, ipse solâ præsentiâ pepulerit, ut Cassianus collat. 14. c. 7. testatur. Claudat agmen denique ille, de quo S. Gregorius Turonensis lib. de gloria Confessorum, cap. 32. scribit, qui mortua uxore funus dum comitatur, in illa prorupit verba: Gratias ago tibi Domine Deus, en hunc Thesaurum à te mihi commissum, immaculatum & integrum restituo. Cui uxor, licèt mortua, Divina virtute sibi tantisper reddita, subridens respondit: Sile vir Dei, cur ea loqueris, quæ non interrogaris? ad quod prodigium adstantes meritò stupuêre. Nec hìc prodigiorum finis: Non enim ita multò post & ipse conjunx obijt, & in eodem templo longô à sepulchro Uxoris intervallô sepelitur; sed postridiè, mira res, utriusque tumuli conjuncti visuntur, quod illius loci incolæ contemplati, conjuges hosce Virgineos, qui tanto cum Dei timore, purissimam vitam mutuô amoris nexu copulati vixerant, Amantes vocitarunt, quos summo honore ob tam rarum in matrimonio Virginitatis florem conservatum, in hodiernum usque diem prosequuntur. Hos ego omnes Beatissimæ Virginis potissimùm adjutos patrociniô concupiscentiam carnis velut Onycha extinxisse mihi certò persuadeo.

[...]rginitatem [...] Matrimo[...]o servatam [...]odigijs [...]elum approbat.

37. Atque hæc de Onycha dixisse sufficiat. Jam breviter guttam esse Virginem ostendamus. Et quidem si gutta pro stacte sive myrrheo gummi accipiatur, Virginem, ejusque macerationem carnis adumbrare, suprà jam ostendimus. Quòd si gutta etiam accipiatur pro specie aromatica, quæ est lacryma cujusdam arboris à Medicis Armoniacum appellata, ut docet Isidorus lib. 17. Etym. repræsentat similiter Deiparam: sicut enim gutta habet virtutem dissolvendi, & relaxandi, & tumores ac inflationes sedandi, similiter Virgo benedicta, inquit Bustius Par. 9. Mar. Serm. sua intercessione dissolvit tumores peccatorum nostrorum. Unde cuilibet ad patrocinium ejus recurrenti dici potest illud Eccles. 4. *Sicut in Sereno glacies, dissolventur peccata tua.* Richardus quoque a S. Laurentio lib. 12. Guttam curare omnes duritias. *Quod benè*, inquit, *congruit justitiæ, quæ omnia adæquat, unicuique reddens, quod suum est. Et justitia Virginis diligenter considerata, dura emollit, & plenitudo justitiæ ab ea in alios redundat per exemplum. Reddidit enim Gabrieli DEI nuncio discretam responsionem, dicens: Quomodo fiet istud? DEO laudem dicens: Magnificat anima mea Dominum: Homini sufficientem instructionem* Joan. 12. *Omnia, quæcunque dixerit vobis, facite.* Hæc Richardus. Audiendus hìc quoque Hugo de S. Vict. Serm. 55. *Gutta omnes inflaturas, & tumores pellit, & ob hoc perfectæ humilitatis virtutem exprimit, quam virtutem sancta DEI Genitrix excellenter habuit, quæ dum DEI Mater ab Angelo nominaretur, humiliter respondit: Ecce Ancilla.*

Gutta lacryma est Arboris Armoniacum dictæ, symbolum B. V.

38. Alterum illud modò Virginis elogium, quô se Libano non inciso habitationem suam vaporanti comparat, gradum faciamus. Sciendum porrò Libanum hìc accipi, non pro Judææ monte, sed pro Arbore, ex qua tam incisa, quàm non incisa thus distillare consuevit. Arborem hanc Virgilius 2. Georg. Thuream Virgam appellare visus est.

Libanus hic non pro Judææ monte, sed pro arbore, ex qua thus distillare consuevit

Solis est thurea Virga Sabæis.

39. Ex hac arbore porrò duplex thus legi consuevit: Alterum, quod ipsâ sponte absque ulla incisione exsudat, & à Plinio & Dioscoride thus masculum vocitatur: Alterum, quod per incisionem factam ex Arbore distillatur. Thuris virtutes, admirabilésque effectus describit Dioscorides lib. 1. cap. 81. qui nobis Virgineæ orationis, quæ ad instar thuris dirigebatur in ipsius Divinæ Majestatis conspectu, virtutem repræsentat. Sicut ergo thus masculum prunis ardentibus impositum, suavissimo odore suo, quem exhalat, replet domum, quô omnes noxios humores, aërisque corruptiones desiccat ac consumit, oculorum lippitudinem curat, fluxum sanguinis, tenesmum, tussim, impetigines, inflammationes, arthritidem, dysenteriam, hemicraniam, ulcera sanat, memoriam auget, fugat tristitiam, lætificat cor, aliósque effectus planè singulares producit; sic Oratio Deiparæ Universam Ecclesiæ domum, quæ habitatio Virginis dici potest, suavissimâ suâ fragrantiâ vaporavit, & in hodiernum usque diem vaporat, omnibúsque tam animi quàm corporis medetur morbis, oculos mentis clarificat, mœroris nubila abstergit, cordi cœlestem lætitiam spe venturæ gloriæ inducit. Quamobrem Seraphicus ille Psalmista incenso & thuri Virgineam orationem contulit, dum Psalm. 83. ita canit: *Honorate illam peccatores, & impetrabit vobis gratiam & salutem. Super thus incensum & Balsamum oratio ejus, preces ejus non revertuntur vacuæ nec inanes.* Unde in precibus ejus DEO gratissimis confidens, ita illam deprecatur: *Intercede pro nobis Domina apud Christum Filium tuum, nec me in morte & in vita derelinquas. Benignus est enim Spiritus tuus, gratia tua replet orbem terrarum.* Addit Hugo Card. de S. Caro, Thus juvare visum, & memoriam tenacem perficere, & confortare, quæ duo faciunt literatum. Idem intellectum & memoriam ait esse vasa, in quæ à Christo velut ab arbore libani, emanans recipitur sapientia, & conservatur. Quod sanè idem dici potest de Virgine, à qua etiam doctrina scientiáque dimanat, & in ejus clientulos derivatur, ut alibi pluribus ostensum. Audiendus hìc rursus Hugo de S. Victore in Instit. Monasticis. Serm. 55. Libanus, inquit dealbatio interpretatur. Beata ergo Mater velut Libanus fuit per candorem castitatis, non incisus per integritatem Virginitatis. Quidam legunt non incensus; Fuit enim velut Libanus non incensus, quia flos castitatis ejus candidissimus incendiô libidinis non est adustus. Talibus ergo aromatibus gloriosa, & sæpè nominata, sempérque nominanda, & nulla oblivione tacenda V. M. suam habitationem vaporavit, quia talibus virtutibus adpellendum malitiæ frigus suam sanctam conversationem inflammavit.

Thuris virtutes medendi morbis applicantur orationi & intercessioni Deiparæ.

Libanus quoque non incisus Symbolum est MARIANÆ Virginitatis.

40. Quare quisquis se hujusmodi, aliísque similibus corporis, animíque morbis obnoxium animadvertit, ad Deiparæ Virginis patrocinium, ad ipsius orationem, intercessionémque recurrat, omniáque, quæ postulârit, se impetraturum confidat, néque enim possibile, ut Mater à Filio tam dilecto repulsam patiatur.

Ad Deiparæ orationem & intercessionem in omnibus corporis & animi morbis confugiendum.

41. Hinc Justus Landspergius, Ord. Carthusiani ornamentum, cupiens Epist. 23. quendam ex sua Religione omnibus perfectionis numeris absolutum esse, & à periculis tam animi, quàm corporis, variisque Spiritûs morbis præservari, postquam varias Religiosi illius virtutes commendâsset, addit tandem: Placet inter alia affectio fervens, & casta ad amorem DEI Genitricis Virginis MARIÆ; quod cùm nuper exhortatione, quâ potui, in te roborarem, & exercitium spirituale, ad tam nobilissimam, piissimámque Dominam co-

len-

lendam tibi demonstrarem, petiisti tibi scriptum assignari. Placet, quod oras; Hortor etiam Fili, ut Dominam nostram Magistram ames. Mox, cur amanda sit, causam attexit, ostenditque ipsis effectibus ipsius Orationem Libanum, sive thus esse, quod variis hominum malis remedium adfert. *Nam si pericula*, inquit ille, *multa evadere, si vis tentationibus non succumbere, si in adversitatibus consolari, si tristitiâ inordinatâ cupis non obrui, si denique Christo desideras conjungi, venerare, ama, imitare castissimam, amantissimam ejus Matrem dulcissimam, fidelissimam, gratiosissimam, potentissimam quoque, & tui (si eam & ejus amorem optas) amantissimam utpote humillimam, quæ neminem spernit, misericordissimam, quæ neminem invocantem derelinquit, & cui Thesauros Divinæ misericordiæ erogandi quoque facultas; atque peccatorum, præcipuè tamen illam amantium cura à DEO commissa est. Quam, qui amaverit, castus est, qui amplexatus fuerit, mundus est, qui veneratus fuerit sanctus est. Nemo illam amans, non est ab ea redamatus; nemo illi devotus periit, nemo, qui illam fuit imitatus, non est salvatus. Quot desperantes, quot flagitiosos, qui tamen spem atque refugium ad suum misericordissimum patrocinium habuerunt, ipsa ad pietatis sinum recepit, & quasi sibi relictos (ut pote quibus nulla spes alia aut via ad conversionem veniendi persuaderi potuit) fovit, Filio reconciliavit, & ex Diaboli faucibus atque adeò ex ipsa voragine inferni ereptos, Paradiso cœlesti restituit? Hanc illi Filius gratiam donavit, hanc prærogativam, hoc officium ei commisit, ut, qui amarent illam, ad pœnitentiam, qui devoti essent, ad gratiam; qui imitarentur, ad cœlestem perducerentur gloriam. Quapropter gratia magna est, & pro dono magno à DEO habendum est, ad Beatissimam illam Virginem devotionem habere, illam venerari, illi se committere, per eam spem suam in DEO ponere, ipsam imitari cupere.* Hæc Landsperg.

Causæ amandi MARIAM adferuntur multiplices.

42. Et quoniã efficacissimã atque gratissimã, longéq; efficacioré quàm sit thus aut Libanus, Virginis gloriosissimæ orationem intercessionémque apud dilectissimum Filium noverat, hujusmodi documenta, eidem illi Religioso, si cuperet in virtutibus progredi, assignavit, docuítque, quæ ab ipsa forent postulanda. Quæ quoniam pietate in DEI Matrem sunt refertissima, hìc ad verbum attexêre libuit: *Elige certum tempus*, inquit ille, *quô ante beatissimam hanc Virginem DEI Matrem electissimam, fidelissimam atque pulcherrimam Dominam, gloriosissimam, Cœli Reginam, atque unicam gaudiorum amabilissimam post Christum consolationem, te prosternas humiliter, ora ipsam per omnia dona, beneficia & gratias, quæ contulit illi DEUS, quæ magna utique sunt & innumera; Item per omnia beneficia, quæ contulit humano generi per ipsam.*

Quæ proficere volenti petenda sint à Deipara.

1. Petitio. Pete ab ipsa, ut dignetur te in suam curam, in custodiam Maternam, in gratiam suam, in amorem suum suscipere, ac perpetuò fovere, regere, ac perducere ad omne beneplacitum Filii sui DEI, & Domini nostri.

2. Pete ab ipsa, ut te faciat de illorum numero, qui præcipuè & singulariter sunt illi impignorati, atque perdilecti.

3. Pete ab ipsa, ut rursus impetret & donet (quia ejus velle est impetrare, & ejus impetrare est donare) tibi sui amorem ardentissimum, devotissimum, castissimum, fidelissimum & perpetuum.

4. Pete, ut faciat te de eorum numero, qui sibi præcipuè & singulariter sunt devoti, qui ei serviunt, ipsam amant, venerantur, & imitantur perfectissimè

5. Pete, ut impetret tibi illas virtutes infundi & perfici, quibus ipsa DEO placuit quàm maximè.

6. Pete ab ipsa, ut impetret tibi profundissimam perfectissimámque humilitatem, quâ omnia genera superbiæ atque inanis gloriæ in te extinguantur, & moriantur, ut nihil sis in oculis tuis, & nihil velis esse in oculis alienis.

7. Pete ab ipsa purissimam mentis & corporis castitatem, quâ abomineris omnem

illicitam voluptatem, & quidquid DEO displicet.

8. Pete ab ipsa fidelissimam, perfectissimam, ardentissimam, perpetuámque charitatem in DEUM, quâ ab omni, quidquid illi displicet, abstineas, quidquid ei placet diligas, & observes, ipsam autem in omnibus & super omnia. Pete quoque charitatem in proximum, quâ illum, sicut debes, & sicut ipse vult DEUS Optimus, sincerissimè diligas.

9. Pete ab ipsa, ut impetret tibi fœlicem mortem, ut scilicet hic per merita ejus, maximè autem Filij ejus purgatus ab omni culpa & pœna peccati, post hanc vitam temporalem immediatè, hoc est sine dilatirne recipiaris, ejus gratiâ & interventione ad æternam. Hic humiliter opta, ut dignus effici merearis, vitam tuam pro tam dulcissima dignissimáque Matre, aut pro ejus amore ponere ad laudem & gloriam Filij ejus JESU Christi.

10. Potes etiam Patronos singulares invocare, ut gloriosissimam Dominam accedant, & pro te rogent, ut has petitiones tuas exaudire & implere dignetur, simúlque cum illis Patronis ad cor Domini JESU Filij sui vulneratum atque apertum te perducere, Filiúmque rogare, ut cor tuum, imò te ipsum totum, id est, omnes cogitatus, & affectus, vires, & potentias omnes, quidquid es, & potes, intra cor suum dignetur recipere, possidere, absorbere, atque inseparabiliter sibi unire, tibi quoque dona, & gratias cordis sui infundere, ut per gratiam suam unum simul cum ipso efficiaris, & perpetuò maneas. Hæc Landsperg.

43. Ex quibus facilè colligimus, quantam fiduciam in intercessionem, orationem, patrociniúmque fidelissimum B. Virginis apud DEUM reposuerit, agnoscens reverà deprecationem ejus apud Filium thus esse gratissimum, non solùm mirificam exhalans fragrantiam, verùm etiam morbos omnes tam animi quàm corporis depellens, dum nobis morbis his adversantia à DEO impetrat medicamenta.

44. Virtutibus hisce suis, ac præsertim orationis ingenti potentiâ, velut thure, ac suaveolentibus aromatis Virgo Deipara Dæmonem illum effugavit, ejus fraudes detexit; ut scribit Bzovius An. 1230. n. 9. qui Ægidium illum, genere nobilem, ad fidem Christi deserendam impulit, suóque jugo subjecit. Libet rem altiùs repetere, ut eò magìs Virginis in edomandis effugandísque Dæmonibus eorumdémque infringendis viribus, velut olim in Theophilo illo Alexandrino elucescat. Proficiscebatur hic Parisios ad perdiscendam medicinam, in via occurrit illi Cacodæmon humana specie, qui intellectò ejus propositò de medicinæ studio, incitavit illum ad Necromantiam perdiscendam: Assentitur illi infelix Ægidius, cúmque mox Ducem sequitur. Ducitur mox ad quandam specum vastissimam; ad illam, ut perventum est, jubetur illico Christum ejúsque fidem ejurare, eámque abominandam ejurationem syngraphâ, propriô sanguine exaratâ, propriô nomine subscriptô stabilire. Septenniô omnino in nefanda illa arte perdiscenda laboravit: Tandem cùm die quadam solus inambularet, videt equitem armatum strictâ lanceâ se invadentem, & irato vultu clamantem: *Muta homo vitæ tuæ statum, muta!* Tremefactus hôc portentô Ægidius mutationem vitæ adire cupiebat: sed paulò pòst oblitus admonitionis, cogitationem de emendanda vita deposuit. Rursus terribilis hic adest Eques, rursus ingeminat: *Muta homo, muta statum tuum!* Cui Ægidius: Mutabo Domine. Ut porrò propositi memor esset, lanceæ mucrone pectus illi circa cor sauciavit. Fuit hasta illa Pelias hasta, quæ ipsi salus extitit, hâc Hastâ feliciter saucius Lutetiâ discedit in Lusitaniam: ex itinere divertit Palentiam, ubi Patres Prædicatores Monasterium ædificabant. Adit ille mox Priorem, confitetur, peractâ confessione, petit ad Religionem admit-

Deipara orationis suæ potentiâ Dæmonem illum fugavit, qui Ægidium illum genere Nobilem ad fidem Christi deserendam impulit.

Hastâ feritur pectus Ægidii ad salutem.

mitti; statim admittitur. Interim graviter eum angebat fœdus illud ictum cum Diabolo, simúlque syngrapha sanguine propriô exarata. Quare Christum copiosis lacrymis exorabat, ut sui misereretur. Utque postulatio foret efficacior patronam hujus suæ causæ deligit sibi Deiparam, quam peculiari veneratus affectu, magnam in illam collocârat fiduciam, certò sibi persuadens, ejus intercessione potentissimâ, ut olim Theophilo syngrapham illam ex unguibus Cacodæmonis eripiendam. Itáque dies noctésque continuis precibus solicitabat misericordiæ Reginam, noctésque sæpè ducebat insomnes, solotenus ante B. V. aram prostratus, manantibus ubertim per ora lacrymis. Inter hæc variis Tartareorum hostium petebatur insidiis, variis spectris à suo proposito deterrebatur: Verùm ille ad Deiparam tanquam ad Asylum summa confugiebat cum fiducia, ita eam alloquens: Pientissima Regina, reverà cum mea morum expendo scelera, omnia meis factis digna, quæ objiciunt isti, egomet agnosco: Sed cùm Omnipotentiæ, ac misericordiæ tuæ, tuique Filii recordor, non possum non magnam consequendæ libertatis spem habere. Dum hæc aliáque magna sui sceleris detestatione loquitur, ecce Chirographum ad altare B. V. mirâ Ægidii lætitiâ apparet, clamantibus Dæmonibus, sibi vim factam à MARIA. Hac ratione de aërearum Potestatum potestate atque Tyrannide ereptus Ægidius, mirificô in liberatricem Patronámque suam ferebatur amoris affectu, ínque ejus venerationem magis in dies accendebatur, unde factum, ut ab illa velut Matre peculiari cura contra omnes inferni custodiretur insidias. Et quoniam septenniô totô variis antiqui veteratoris exagitatus fuit tentationibus, Virgo benignissima, potentissimâ suâ apud Filium deprecatione eas ad instar in auras evanescentis fumi dispulit, Cacodæmones, ne eum ampliùs infestarent, in fugam egit, & alterô longè feliciore septenniô, variis eum solatiis affecit, mentísque serenitatem reduxit. Inter reliqua hujus serenitatis internæque pacis indicia, illud fuit singulare, quod illi quædam cœlitus delapsa lux ad instar ardentis lampadis perpetuò affulgebat, quâ illuminatus, omnes stygiorum Tenebrionum detegebat insidias, effugabat tentationes. Crediderim lampadem illam ipsam fuisse Deiparam, ut pote cujus nomen illuminatam atque illuminatricem sonat, nisi malimus dicere, esse ipsius patrocinium deprecationémque apud Filium, qua omnes Dæmonum phalanges, ne mortalibus noceant, velut accensô thure effugantur.

Chirographum à Dæmone recipit intercedente apud DEUM ro eo Deipara.

45. Quid jam dicemus de mirabilibus illis Virginei hujusce thuris effectibus, de quibus S. Amadeus Hom. 2. de laudibus B. V. explicando illud Sponsi elogium Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Asserunt*, inquit ille, *odore thuris Dæmones effugari, lacrymas excitari, DEUM lacrymis mediantibus placari.* Tum ad Virginem factâ apodosi: *Ego verò*, inquit, *libenter dixerim, odore virtutum sanctæ MARIÆ Angelos tenebrarum effugari, & quôdam validô turbine huc illúcque raptari, ut in eis impleatur, quod dictum est:* Fiant tanquam pulvis ante faciem venti. *Odor iste mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui Regem in accubitu suo per Virginem provocavit, ut ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias, lege immobili, & pace sempiterna. Sicut igitur fragrantia vestimentorum S. MARIÆ hostes fugat, bonos invitat, DEUM placat. Quæ sanè vestimenta, nihil sunt aliud, quam*

Thuris MARIANI Odor Dæmones fugat.

variæ eæq; perfectissimæ virtutes, dona, & charismata gloriosissimæ Virginis nostræ, quibus amicta, mirificéque exornata adstat velut Regina à Dextris Filij in vestitu deaurato, circumdata varietate, simul facta pretiosissimum quoddam, illis suis virtutibus velut aromaticis speciebus Thymiama, gratissimum odorem DEO exhalans hostésque Tartareos consternens, in fugámque conjiciens.

Deipara Dæmones Cœnobitam sibi devotum infestantes fugat.

46. Quo in genere celebre est exemplum illud, quod scribit Petrus Abbas Cluniacensis lib. 2. Miracul. c. 9. de Religioso quodam familiæ Carthusianæ, qui cùm esset pietati, cultuíque Deiparæ addictissimus, Cacodæmonis in se invidiam, odiúmque provocavit: Contigit aliquando, ut rerum Divinarum meditationi, sua reclusus in cellula vehementiùs intentus, agmen stygiorum nebulonum, grunnientium porcorum specie in cubiculum irruerit, dentésque enormis magnitudinis benè exacutos in eum, quasi mox devoraturi intentârint. Hoc dum bonus hic Cœnobita, timore cônsternatus horret, pallet, sudat, exalbescit, mox homo quidam enormi vastitate corporis deformis ferox aspectu supervenit, & ad sues suos asseclas conversus horribili voce personat: quid segnes ignavíque cessatis? quin istum tractum, raptatúmque discerpitis? Ad quem grunniones Tartarei: Istud quidem sæpè tentavimus, irritô tamen inaníque conatu: Atque infert tenebrarum Princeps, jam ego faxo, quod vestra segnities socordiáque non audet; simúlque ferreum harpagonem, longis ac recurvis unguibus horribilem, elatum manu, magno impetu vibrabat, aptabátque minaciter ad trahendum. In his angustiis constituto ac vix non horrore exanimato Religioso huic Mater misericordiæ se visendam præbuit, præsentissimóque periculo, virgam manu tenens, in tempore adsuit, & illico ad monstra illa teterrima conversa: quæ est, inquit, ista vestra audacia, immanes belluæ, ut meos invadere tam impiè attentetis? Maturate fugam, & fratrem hunc DEO acceptum, mihique devotum oppugnare desinite. Vix hæc Virgo protulerat, cùm stygii illi tenebriones momento temporis, ad instar fumi Virginearum virtutum odore, veluti Thure Libanóque in igni ardente consternati, victíque evanuerunt. Addidit mox Deipara documentum salutare: Age, quod agis, inque dies meliora tum mente concipe, tum vitâ & factis exequere. Illud nominatim monuit, vulgares ut cibos ederet, vestibus tritis & vilibus uteretur, operibus, quæ manu fiunt, sedulus incumberet. His præceptis cùm eum instruxisset, ope adjuvisset, suáque præsentiâ recreâsset, cœlos repetivit.

Deiparæ opem præsentissimam contra Dæmonis fraudes expertus quidam Juvenis.

47. Eandem Virginis nostræ opem præsentissimam adversùs Tartarei veteratoris fraudes, expertus est Juvenis quidam, de quo Nicolaus Orlandinus in Annuis 1584. Provinciæ Lusitaniæ; qui cùm superioris vitæ tempus aliquamdiu sanctissimè traduxisset, cultuíque Deiparæ esset addictissimus, sensim pietatis suæ intermittens officia, pari turpitudine ac impietate innocentiam præteritam obscuravit: Jis enim vitiorum illecebris se se irretiêrat, eóque prolapsus erat miserrimè, ut jam familiariter malô Dæmone per summum nefas uteretur. Qui post aliquot annos nequissimum suum Genium, rabiémque, quâ ad perdendos homines semper accenditur, demonstravit: Rogat pro amicitia, ut suam sibi vitam & corpus immolet! Cùm ille annuisset, & in Secretum locum, ut laqueô vitam clauderet, secessisset, ecce tibi lux repentina de cœlo à sempiternæ illius lucis Matre sine

du-

dubio evibrata: Virtus illa pristina cultúsque MARIÆ specialis redit in memoriam, & benè facta præterita cum votivis peregrinationibus DEI Matris causâ susceptis menti occurrêre. Quæ dum secum ipse reputat, nova Cœlestis lux ab Illuminatrice Virgine emissa, rursus menti ejus oboritur, quâ irradiatus didicit, antequàm collum in laqueum miserat, ad ædem proximam DEI Parenti Patronæ suæ olim amantissimæ dicatam, concedendum.

Paret cœlesti monito: Mirum dictu, ad conspectum Virginis, ad Misericordiæ illos plenissimos oculos, illico alium mutatur in Virum, agnitisque Cacodæmonis fraudibus ac technis, patrocinante Deipara, ejus laqueos tyrannidémque, cui se se voluntariè subjecerat, evadit, & ad nostros longô itinerum intervallô contendit. Vis lacrymarum, & doloris plena confessio facilè declaravit, quàm præsens illi fuerit B. Virginis auxilium, quæ neminem unquam piè ac suppliciter imploratam deserit; simúlque hôc factô Virgo salutis humanæ amantissima ostendit, suam præsentiam malorum geniorum esse flagellum, siquidem ab homine hoc, qui eorum mancipium esse videbatur, eos effugavit, pristinæque Filiorum DEI restituit libertati.

Libanus non incisus & tamen thus proferens symbolum MARIANÆ fœcunditatis virginitati sociatæ.

48. Quòd si Libanum accipiamus, ut significat arborem, thus absque incisione producentem, mirè nobis Virginis Deiparæ fœcunditatem, Virginitati sociatam repræsentat. Unde Richardus à S. Laurentio lib. 12. Per hoc quod dicitur: *Quasi Libanus non incisus*, inquit, *illibata MARIÆ Virginitas*, *per hoc*, *quod sequitur: vaporavi: Matris fœcunditas designatur; quasi diceret: Christi Humanitatem, in qua habitavit cum hominibus, in modum aromatici vaporis exhalavi: sicut enim terra vel hortus exhalat vaporem, ut hujusmodi exhalatione non scindatur aut corrumpatur; sic B. V. genuit Salvatorem, ut in eo Virginitas illibata servaretur. Sive; vaporavi, eum genui, qui est vapor virtutis DEI, & emanatio quædam charitatis omnipotentis DEI.* Sap. 7. *vel, vaporavi, id est, sine læsione produxi, quia sicut vapor ex aqua calida, vel aliqua aliare, ipsâ re integra manente, sic Christus processit de Virgine.* Hinc ad Virgineam hanc puritatem magis denotandam, Libanus candorem, sive candidationem sonat.

In Deipara tria fuerunt candida, ac minimè incisa sed integra.

49. Unde Bernardinus Bustius Ord. Seraphici ait, in Virgine tria fuisse candida, ac minimè incisa, sed integra, spiritum scilicet, animam & corpus, juxta illud Apostoli, Thessal. 5. *Ipse DEUS Pacis sanctificet vos per omnia, ut integer Spiritus vester, & anima, & corpus in die Domini JESU Christi servetur.* Spiritus ergo MARIÆ dicatur mons Libani, corpus verò thus Libani, sive Libanum, anima denique arbor Libani. Hæc enim tria non modò fuerunt candida per puritatem, unde illis Nomen Libani optimè congruit; sed etiam fuerunt non incisa, & nunquam divisa. Et ideò benè dixit Virgo Beatissima, quasi Libanus non incisus: Spiritus enim ejus nunquam fuit à DEO divisus, quia nunquam ab eo per peccatum aliquando separatus fuit. Anima quoque ejus nunquam à ratione divisa fuit, quia ab ejus Dominio nunquam recessit. Corpus autem ejus nunquam fuit divisum, quia semper integrum illibatúmque ante partum, in partu, atque post partum permansit. Hic ergo Libanus vaporavit habitationem suam, quia illos, in quibus habitat per gratiam, vaporat, id est, odore bono replet per odoriferam conscientiam: Idque variis modis: Hinc ipsa ibidem ajebat: *Sicut Cinnamomum & Balsamum aromatizans odorem dedi, &c.* quosdam enim confortat, ut perseverent in dono gratiæ, & istis est odor Cinnamomi, quia fru-

fructus hic vi pollet confortandi. Quosdam verò præservat à corruptione culpæ, & his est odor Balsami, quia Balsamum à corruptione præpræservat. A quibusdam fugat vermes Diabolicos tentationis, & istis est odor myrrhæ, quæ fugat vermes. Beatissima Virgo igitur observavit monitum illud Spiritûs sancti. *Quasi Libanus odorem suavitatis habete.* Eccli. 39. Quo odore ipsa universam S. Ecclesiæ domum replevit, & virtutum suarum fragrantiâ animas Christi fidelium ad currendum post se, imitationis studiô pertraxit. Ita ferè Bernardinus.

50. Cùm igitur Virgo nostra gloriosissima tot aromaticis speciebus, quibus olim Thymiama conficiebatur, tota sit composita, támque suavem virtutum suarum fragrantiam in cœlum, in totum terrarum orbem ad illum in teterrimis variorum peccatorum fœtoribus demersum, identidem recreandum exhalat, jure merito illius virtutum suavissimis odoribus illecti, ejusdémque ardoribus accensi, ei dicere nostrûm unusquisque poterit. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. Quam ut facilius consequamur gratiam, vestigiis insistentes Religiosissimi Virginíque Devotissimi Justi Landspergii, qui in suis theoriis gratissimam hanc virginearum virtutum fragrantiam persentiscens, easdémque indipiscendi cupidus, efficacissimis illis verbis eas consequi cupiens, Virginem ita deprecabatur: Domina, & Mater mea dulcissima, Impetra mihi à dilecto Filio tuo in hac vita, ut proximus fiam ejus vitæ pariter, ac tuæ, imiter vestigia Christi Filii tui, placeam eidem in his, in quibus tu placuisti. Discam esse humilis, & mitis corde, discam inimicos diligere, benefacere jis, qui oderunt me, orare pro persequentibus & calumniantibus me, discam misericors esse & perfectus, discam patiens esse, castus & pauper Spiritu. Discam in omnibus, ejus acceptare, sequi & laudare beneplacitum. Discam illi plenâ fide me ex toto credere, resignare & relinquere, atque de manu ejus cum gratiarum actione quæcunque tam tristia, quàm læta suscipere. Obsecro te denique, O benedicta Dei Mater, per ineffabile, ac indeterminabile gaudium, quod habes jam assumpta in cœlis, ut facias mecum misericordiam, & omnem vitam meam regas, & ordines ad gloriam Filii tui.


Devota precatio ad B.V. ut nos trahat in odorem virtutum suarum.

Nihil posthac aliud intendam, aut quæram, nisi beneplacitum ejus & honorem. Ejus benignitati confidam, ejus providentiæ & fidelitati me committam, ac credam, atque totum cogitatum, omnémque curam ac solicitudinem meam in illum, & post hunc in te, O piissima Mater projiciam, noli me derelinquere, O piissima! in omni tempore necessitatis: quia nihil ego sum, & nihil est omnino virtus mea. Dulcis Maria, impetra mihi lumen æternæ sapientiæ, ut sciam, & velim, quidquid tibi & filio tuo acceptum est omni tempore: Dirige vias meas omnes in beneplacito Filii tui, ut splendore gratiæ divinæ adjutus, non peccem in conspectu tuo Mater suavissima, omníque gratia plenissima.

51. Tandem agnoscens Virginem à Deo constitutam in hac misera nostra peregrinatione, ut peccatores post se trahat dulcedine suæ Charitatis, aliorúmque divinorum Charismatum fragrantiâ ad beatissimam illam patriam, perennem vitam, ita eam affectu ferventissimo deprecatur: Consolatrix & adjutrix miserorum dulcissima, reorum Advocata ac desolatorum spes unica, gaude, quia promisit tibi Filius tuus omnibus te diligentibus, omnibúsque tibi servientibus, in hac & futura vita mercedem se daturum copiosam. Tu enim velut in hamo esca nobilissima pro

Alia oratio Landspergii ad B.V. ut peccatores post se trahat.

pro capiendis peccatoribus, & ad DEUM trahendis es posita, maximè huic officio idonea, utpote tota dulcis & suavis, nemini horribilis, omnibus blanda, ad quam peccatores pœnitentes primò confugiunt, per quam conversi ad DEUM ducuntur, & reconciliantur, ne pereant. Itaque Domina, & Mater mea dulcissima, si gratiam suam impertiri dignatur Filiis tuus jis, qui tibi serviunt, dignare me, ut serviam tibi, & inter dilectos & singulares tuos me annumera. Ecce O suavissima, tua pietate fretus, usurpare mihi volo, quod unus sim de tui cultoribus, non quia sum, sed quia esse & opto, & desidero; cui quidquid volueris à Filio tuo facillimè poteris impetrare. Nihil opto ego aliud, præter hoc unum, quod maximè oro mihi dari à DEO, videlicet te ipsam, ut tu tota perpetuóque sis mea, & ego perpetuò totus sim tuus piissima Virgo & Mater MARIA. Hoc quæso à Domino mihi exora, hoc ut accipere merear, impetra, ut tuæ apud Filium deprecationis vim ac energiam velut Libani ac Thuris in te experiar. Amen.



DISCURSUS XVI.

DEIPARA VIRGO TEREBINTHUS PARADISI.

Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei fructus honoris & gratiæ. Eccli. 24.

I.



Plinius lib. 13. cap. 6. ait: Arborem hanc in Syria haberi, *Mascula est sine fructu. Fœminarum duo genera; alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus. Cum vite maturescit, non grandior fabâ, odore jucundior, tactu resinosus circa Idam Troadis. Sed in Macedonia brevis arbor hæc, atque fructuosa. In Damasco Syriæ magna. Materies ei admodùm lenta, ac fidelis ad vetustatem, eximij ac nigri splendoris, flos racemosus Olivæ modò, sed rubens, folia densa. Optimam, tenuissimámque resinam fundit*, addit ex lib. 14. cap. 20.

2. Bernardinus Bustius ex variis Auctoribus, paucis multa complexus ait: *Terebinthi folio, fructus, cortices, & semina esse medicinalia, ostenditque typum esse Virginis gloriosissimæ, quam ait, totam fuisse medicinalem, imò ex ea generatam esse medicinam omnium infirmitatum, nempe DEI Filium. Hæc enim est terra, de qua altissimus creavit medicinam.* Eccli. 38. Addit. Radix etiam Terebinthi in vino decocta, stomachum confortat, & contra dolorem capitis juvat.

3. Richardus à S. Laurentio lib. 12. *Sicut, inquit, Terebinthus de Damasco nascitur, & de Syria, arbor humilis & medicinalis: Sic B. V. de peccatoribus nata est sancta, & humilis ex superbis, & ex se produxit Filium velut resinam ad nostrorum peccatorum medicinam.* Rectè porrò hæc arbor dicitur sudare suum gummi: quia sicut sudor de carne ipsa manente integra: sic de Virginis carne integra atque illibata manente, ortus est Filius DEI: & sicut sudor medicinalis est carni humanæ: sic Filius caro factus, medicina carnis & ani-

animæ nostræ est. Unde & appellatur fluvius Diorix, quod medicamentum generationis interpretatur.

4. Terebinthum denique ita describit Carthusianus in Eccli. Art. 23. *Terebinthus est arbor Macedoniæ, ac Syriæ fructuosa, cujus resina clarissima est, & etiam Terebinthus vocatur: & in Damasco Syriæ magna est, habens racemos sicut oliva, & est odoris jucundi. Itaque instar Terebinthi est æterna sapientia, atque adeò ejus Mater gloriosissima.* Addiderim ego, extenditque ramos suos, id est, gratiarum charismata, actiones virtutum, protectionis suæ subsidia, vel personas fideles, quas procreavit; de quibus omnibus dicitur: *Et rami mei honoris & gratiæ*, id est, honorabiles, gratiosè misericorditérque collatæ, & in se nobiles ac præclaræ.

5. Ex quibus descriptionibus colligimus, duo esse in Terebintho potissimùm celebranda, nempe protectionem, & ad varias hominum curandas ægritudines medicinam. Quæ quàm aptè Virgini nostræ quadrent Deiparæ, variis in locis suprà ostendimus, & hìc adhuc pro modulo nostro ostendemus.

6. Etsi porrò umbra hæc pientissimæ Matris nos adversùs variorum vitiorum æstus protegit, atque defendit, defendit tamen obumbrátque vel maximè contra exæstuantia libidinis incentiva.

7. Unde Hugo Card. de S. Caro expendens encomium illud Virginis, quô se Terebinthum esse fatetur, ita eam loquentem introducit: *Ego extendi exempla operum ad umbram refrigerij faciendam contra æstum libidinis: Rami mei honoris & gratiæ, sunt collati vi gratiæ in præsenti, honoris & gloriæ in futuro.* Sic ille.

Deipara, sicut gallina congregat pullos, ita peccatores & justos sub alis misericordiæ

8. Hanc Virginis protectionem agnoscens Franciscus de Retza Ord. Prædicatorum in M. S. Tomo 3. super Salve Regina, literas Mariani Nominis attentiùs rimando, in prima litera, quæ est M, gallinam invenit, quam ille typum Deiparæ esse asserit: *MARIA Regina misericordiæ*, inquiens, *per modum gallinæ congregat, & fovet peccatores & justos sub alis misericordiæ, & pietatis suæ, quousque convalescant, & valeant per se volare.* Nam ipsa est Mulier illa, *cui datæ sunt alæ duæ, ut volaret in desertum.* Apoc. 12. id est in Cœlum. Desertum enim est cœlum ab Angelis Apostatis derelictum, ut docet Greg. Hom. 24. in Evang. ut suo volatu exemplariter, effectualiter, duceret, & doceret volare in cœlum. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & ante eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eos.* Deut. 32. Imò etiam in præsenti hìc sub alis pietatis & clementiæ solet omnes fovere, quæ omnibus misericordiæ sinum aperit, ut dicit Bern. & sub alis suæ misericordiæ ab accipitre Infernali, qui semper rapere cupit, protegat, & defendat. Unde ei dicere possumus: *Sub umbra alarum tuarum protege me Et in umbra alarum tuarum sperabo. Donec transeat iniquitas.*

9. Ob eandem protectionem idem Pater Venerabilis eodem Tom. 3. Deiparam literæ A. quæ bis in ejus Nomine continetur, comparat, eò quòd litera hæc quoddam quasi tentorium sive pallium repræsentare videatur, quare protectio Virginis, quâ nos tam in corpore, quàm in anima adversùs omnia pericula, adversitatésque tuetur, designatur, redditque hujusce comparationis rationem: *Nam sicut A*, inquit, *per modum tentorij & pallii superiùs circa collum constringitur, & inferiùs dilatatur, & extenditur, ut nedum corpus proprium, verùm etiam plurium ad se confugientium cooperire sit aptum tegumentum contra pluviarum impetum: sic Virgo Beatissima per modum A superiùs in se unitur, & conjungitur omnium virtutum punctuali conjunctione, & inferiùs expanditur & dilatatur omnium ad se confugientium dulcissima respiratione, piissima receptione & clementissima placatione. Unde & depingitur* Re-

MARIÆ protectio sub pallio A tentorio adumbratur.

Regina misericordiæ sub pallio suo, omnium hominum, ac statuum sexuúmque genera continens. Istud est pallium zeli, id est spei gratiæ in Christo, quô ipsa operitur. Isa. 59. 17. *istud est pallium, quò quis operitur, intrans per spem ejus tabernaculum.* Judic. 4. *Istud est pallium, quô Rebecca cooperuit se.* Gen. 24. *Istud est pallium laudis, quod datur, scilicet in refugium ad eam confugientibus, pro Spiritu mœroris.* Isa. 61. *Istud est tentorium, quod Virgo extendit quasi nubes.* Job. 36. In refugium spei suorum clientulorum. Istud tentorium sive A. est supra clausum versùs cœlum, quia illi cœlestes Cives non habent spem, sed rem. Spes enim, quæ est expectatio futurorum bonorum, in patria evacuatur, & ibi non habet locum; sed inferiùs hoc tentorium est omnibus apertum, quia ipsa est reorum unica spes. Unde canit Ecclesia.

Spes reorum es MARIA.

10. Et de illa dici potest: *Spes omnium finium terræ.* Psal. 81. Et quis non speraret in eam, quæ misericordiæ sinû omnibus aperuit, quæ omnibus malis & bonis indifferenter occurrit, quæ merita non discutit, quæ amplitudine suæ pietatis cunctis eâ invocantibus succurrit, quæ nullum peccatorē, quantūcunq; enormē à se repellit, sed dignanter ipsum amplectitur, & apprehendit? Unde convenienter dicemus de ea, quod ei dictum est Isa. 30. De Deo & prole sua, Dominus, imo & Domina facta est fortitudo pauperi & egeno in tribulatione sua, spes à turbine, & umbraculum ab æstu. Et breviter: qui sperat in eam, nil trepidabit, nihil pavebit, quoniam ipsa est spes ejus; spes, inquam, quæ etiam desperatos in spem salutis reponit, ut in Theophilo apparuit. Hæc Retza. Ex quibus facilè colligere est, Deiparam esse Terebinthum, ramos suos longè latéque ab oriente in occidentem, meridiem ac septentrionem extendentem, omnésque suâ umbrâ, atque protectione pientissimâ absque ullo personarum discrimine benignissimè protegentem. Hinc de S. Victore in Instit. Monast. Ser. 55. Terebinthum dixit denotare charitatem Virginis amplissimam, ad Deum ac proximum se ostendendentem. *Terebinthus*, inquit, *habet resinam omnibus resinis præstantiorem: Unde congruè significat charitatem, de qua Apostolus. 1. Cor. 13. Major autem horum est charitas.* Terebinthus ista erigitur in cœlum per dilectionem Dei, & dilatat ramos suos in universum mundum per proximi dilectionem. Rami ejus sunt aliarum exercitatio virtutum, & exhibitio bonorum operum, quia sunt honoris, quia venerationis, & gratiæ, quia pulchritudinis. Honoris aliis, gratiæ in semetipsis: Fructus ejus jucunditas bonæ conscientiæ, intus coram Deo, folia decor boni exempli, foris coram proximo: Beata itaque Maria, quasi Terebinthus ramos suos extendit, quia charitate plena fuit, Deum super omnia, & proximum sicut semetipsum dilexit.

Spes nostrâ Maria.

Terebinthus Symbolum charitatis Mariana.

11. Quâ porrò ratione hoc faciat Virgo Sapientissima, nobis insinuat verbis illis: *Et rami mei* (quibus videlicet meos mihi addictissimos amicos, ac clientes obumbro, atque ab æstu libidinis, aliorúmque vitiorum defendo) *honoris & gratiæ.* Dum enim sub umbra protectionis suæ nos fovet Deipara, simul gratiam impetrat prævenientem, concomitantem, ac subsequentem, quâ præventi atque adjuti omnibus Tartarei hostis insidiis ac machinationibus, omnibus vitiis ac peccatis animo forti, atque exaggerato viriliter resistere, & in bonis operibus nos fructuosè exercere, magnísque passibus in via divini obsequii, assidua virtutum exercitatione progredi, ac tandem ad verum illum & minimè fucatum hono-

Deipara suis clientibus gratiam impetrat prævenientem concomitantem, & subsequentem.

norem, immarescibilem dico, quæ nos expectat in cœlis, gloriam valeamus pervenire. Verè enim Virgo nostra, dum nobis Materna sua protectione divinam gratiam, quæ semen est gloriæ impetrat, simul impetrat beatam illam gloriam, quæ in clara Dei visione consistens, animam beatam efficit, eámque in statu omnium bonorum aggregatione perfectissimo constituit, in quo omnium desideriorum reperire est complementum; sive enim honores, sive divitias, sive voluptates, sive alia quæcunque mens humana desiderare potest commoda, quis appetat, omnia hæc in beata illa Dei Clara visione reperiet; cùm sit non modò summi, omnísque boni visio, verùm etiam fruitio totum creaturæ rationalis exaturans appetitum, eámque ita replens, ut immersa in immensum illud divinæ bonitatis omnia comprehendentis pelagus, undique plena gaudiô, & honore gloriâque circumdata esse videatur. Unde crediderim, sine dubio supremam illam Majestatem servis ac clientulis præsertim Matris suæ dilectissimæ, qui ei in hac vita, fideliter magna cum puritate vitæ servierunt, olim in extremo illo judicii die, mira cum benignitate dicturam: *Euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Videre sibi visus fuerat fortassis hujusmodi Virginis devotum amicum in cœlis beatificatum David, quando ejus gloriam contemplans, attonito similis dicebat: *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam reputas eum? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronâsti eum.* Psal. 8.

Terebinthi Virgineæ rami honoris & gratiæ.

12. Dicat ergo jure merito Virgo nostra de amplissimis, & longe latéque patentissimis protectionis suæ ramis, quibus mortales obumbrat: *Rami mei honoris & gratiæ*, quia reverà protegendo conferunt hìc gratiam, & honorem in sæcula sæculorum, ut loquitur Richardus à S. Laurentio lib. 12. qui etiam aliam reddit rationem, quia de partu Virginis & virtutibus ejus, totus est honor mundi, & gratia data est toti mundo, dum videlicet sub ipsius protectionis ramis securus conquiescit.

Deipara non tantum honorem & gloriam in altera vita, sed etiam in hac temporalem impertat suis clientibus.

13. Neque verò solùm Virgo nostra protectione suâ fidelissimâ suis clientulis honorem gloriámque æternam in beata illa, verùm etiam temporalem in hac vita concedit. Expertus est favorem hunc Virginis planè singularem B. Hermannus cognomento Joseph, Ordinis Præmonstratensis illustre sydus, qui die quadam cùm ad Templum quarundam sanctimonialium vellet proficisci. Dei Mater (O miram dignitatem) antevertit, Virginésque, ut suum capellanum comiter benignéque reciperent, admonuit. Surius 5. Apr. Expertus est S. Bernardus honorem hunc sibi à Deipara delatum, cùm ipsam salutans: *Ave MARIA*, resalutatus audire meruit: *Salve Bernarde.* Plura hac de re exempla vide apud Pelbartum lib. 12. Stell. c. 6. cui Epigraphen hanc præfixit: Beata Maria suos dilectos honorat.

14. Porrò etsi omnes hominum status, sub ramis ac umbra Virgineæ hujus Terebinthi degentes, ipsius beneficiô, ac patrociniô gratiâ atque honore decorentur, decorantur tamen vel maximè Religiosorum Ordines, qui quòd Virgineæ vitæ formam, atque Ideam, paupertate, castitate, atque obedientiâ æmulentur, ejusdémque morum quandam similitudinem in se præseferant, ejus maximè gratiâ, protectionéque se dignos atque idoneos reddunt. Quod sanè patrocinium, inter primarios status Religiosi fructus jure merito numerandum est. Unde Hieron. Platus noster lib. 1. de bono Stat. Relig. c. 34. inter alia Religiosæ vitæ commoda atque emolumenta patrocinium Beatissimæ Virginis nume-

Religiosos Ordines in specialem suam protectionem accipit Deipara

meravit: *Illud*, inquiens, *ad cumulum tum solatij consecuti sunt Religiosi, ut essent in tutela Beatissimæ Virginis MARIÆ, ejúsque tanquam umbrâ recrearentur, ejus præsidijs munirentur. Nam ut in Magna domo, præter Patremfamilias, qui caput est & Princeps, Matrem etiam aliquam esse necesse est, non solùm ad gignendos liberos, sed ad eos deinde lactandos, & alendos: sic in hac DEI domo, quæ est Ecclesia, etsi communis omnium Parens est Christus, qui suo omnes sanguine regeneravit, tamen decuit suam quoque esse Matrem, quæ ad spiritualem hanc vitam efficiendam, & ad eandem nutriendam, & propagandam, aliquid ipsa quoque virtutibus, officijs, meritisque suis conferret. Hæc autem est salutifera hæc Virgo, ut eam appellat S. Leo.* Sic ille.

15. Quam ob causam pientissima hæc Mater variis Religiosorum Ordinibus in summis rerum difficultatibus, atque à malo Dæmone immissis molestijs succurrere, eisque suum patrocinium protectionémque polliceri non est dedignata. Umbram Virgineæ hujus Terebinthi fidelissimámque tutelam expertus est Religiosissimus Carthusiensium Ordo, qui cùm adhuc recens esset, & multa, Auctore humani generis hoste, contra illius pium ac laudabile institutum passim jactarentur, & vitæ insuper austeritas, horror, vastitásque solitudinis, & sociorum paucitas, absentia quoque ipsius S. Brunonis Fundatoris, quem Urbanus II. ad se Romam evocaverat, aliáque terriculamenta in suscepto instituto vacillare, ac titubare eos cogeret, eósque à DEI semel suscepto servitio avocaret, ferunt inter eos ita perplexos atque anxios constitisse senem quendam caluitiô Venerabilem (Apostolum Petrum fuisse crediderunt) qui omnipotentis DEI Nomine pollicebatur, Deiparam gloriosissimam ipsos in loco illo deserto semper conservaturam, eisque Advocatam ac custodem futuram, si in ejus honorem Officium ipsi dicatum quotidiè persolverent. Mox Patribus illis ab Illuminatrice Virgine oborta lux, omnem illam à stygio sine dubio Tenebrione excitatam caliginem dispulit, communíque consensu sub hujus Virgineæ Terebinthi umbram, facta pollicitatione, pensum illud horariarum precum in dies singulos fideliter, ac piè tribuendi, confugêre, atque ita in posterùm omni molestiâ, semper patrocinante ac protegente Virgine, liberati sunt.

Carthusiensis Ordinis custos & Advocata constituta est B. V. attestante S. Petro Apostolo.

16. Quod agnoscens Religiosissimus hujus Ordinis Filius Justus Landspergius Epist. 41. exhortans quendam sui Religiosum Ordinis ad peculiarem cultum amorémque deferendum Deiparæ, hæc pronunciavit: Saluta Beatissimam MARIAM, non, ùt quidam dicunt, generalem ordinis nostri Patronam, sed ter Matrem: Non enim sic à Patribus est conducta, ut sit Patrona, quæ etsi semper auxilium præstet, non tamen semper dilectionis sensibilem aut magnam affectionem exhibet, sed ut Mater est pulchræ dilectionis, & Maternalis solicitudinis electa, imò ut rectiùs & veriùs dicam, non ipsa nos elegit ut servos, id est, ut serviles, sed ut Filios. Nec tantùm quibus patrocinetur, sive quos defendat, sed etiam quos foveat, & dulcissima sua dilectione custodiat, & nutriat, Filios habeat. Exhibeamus ergo nos in debito, & peculiari ejus servitio non servos, sed fideles filios, sicut ipsa usque nunc Maternam suam curam à nobis non retraxit, sicut id facilè est videre. Quare nos ipsam filiali affectu, & studiosa vitæ ipsius ac Filij meditatione & imitatione honoremus, & diligamus; Gloriemur de tanta Matre gloriosa & sublimi, & ita vivamus, ut possit de talium filiorum suorum humilitate ac simplicitate

Deipara non tantum Generalis Ord. Carthus. Patrona, sed ter Mater.

gloriari. Rogemus eam semper, ut ordini nostro conservet, & augeat, sive restituat simplicitatem, humilitatem, unitatem & charitatem, puritatem ac obedientiam, &c.

Speciales favores à Deipara Cistercensium Ordini exhibiti.

17. Qui plura rei hujus voluerit exempla, eundem consulat Platum. hic commemorâsse sufficiat, quod scribit Cæsarius lib. 7. visam nimirum fuisse Deiparam, cuidam sui ordinis Religioso, quæ universam Cistercensium familiam sub suo Regio paludamento sive pallio velut Terebinthus sub suis ramis contineret, atque amplecteretur. Benevolentiâ hâc suâ in hunc Ordinem singulari permota Virgo, ipsamet ejus candidum habitum, ut ejus puritatem imitarentur, præscribere non est dedignata; cujus favoris tam eximij fit mentio in Menologio Cistercensium ad diem 5. Aug. hisce verbis: Cistercij Beatissima M. V. in Cistercium, & miraculosa mutatio habitûs de nigro in album colorem sub sanctissimo Abbate Alberico. Eâdem benevolentiâ stimulante Religiosam hanc familiam sæpiùs visitare suâ præsentiâ consueverat Virgo benignissima, de quo favore Joannes Generalis Cistercensis in Exhortatoria conclusione libri privilegiorum ita loquitur: *Sæpiùs fulgidissimo cœli civium stipata comitatu eos visitabat etiam visibiliter, consolabatur & docebat, adjuvabat, dirigebat. Ob hoc & ipsa sacri hujus Ordinis Patrona, Domina, Protectrix & Advocata nominatur: sicut & ipse primus est omnium ordinum in ejus honorem dedicatus, cujus habitum tam Monachorum, quam sanctimonialium tradidisse fertur cum tantæ dignitatis auctoritate, merito, & virtute, ut Diabolus nullam habeat potestatem in aliquem, qui eo indutus moritur.* Jacobus denique de Vitriaco Aconensis Episc. in Hist. cap. 14. Famâ, inquit, & opinione sanctitatis Cistercensium, quasi ex odore unguenti adeò repleta est tota domus Ecclesiæ Jesu Christi, quòd non est Provincia vel Regio, ad quam vinea illa benedicta palmites suos non extenderit. Dilatavit Dominus & beata eorum Patrona. V. M. cujus unanimiter & uno humore ubique devotissimè inserviunt locum tentorij eorum, & non solùm usque ad mare propagines ipsorum protendit &c. Eidem illi Alberico Abbati ad omnium favorem gratiarúmque cumulum sæpiùs se visendam Deipara exhibuit, imò & constitutiones, ùt Cistercensium Menologium 26. Jan. loquitur à B. V. accepisse fertur. Eidem aliquando pia peccatorum Protectrix apparens, dixit: Ego Ordinem istum usque in finem sæculi protegam, & defendam. Quibus sanè verbis benignissimis ostendit Virgo, se veram Teribinthum tutelæ suæ umbrâ ordinem illum suum protegentem esse.

Societas Jesu sub pallio Deiparæ visa est.

18. Eodem favore dignata fuit Virgo benignissima minimam hanc nostram Jesu Societatem, uti P. Martino Guttierio, viro mirâ in Deiparam pietate conspicuo, ostensum est, qui inter alias visiones & revelationes, quas habere meruit, illa sanè inter cæteras fuit planè singularis, cùm per Galliam iter habens ante Virginis quoddam Sacellum Divino lumine ei ostensum est, cum intra dies 8. moriturum, quod & factum, cùm ille paulò pòst à Calvinistis captus, incommodis, variisque ærumnis oppressus ex hac vita decessit. Is igitur vidit aliquando Deiparam insigni formæ elegantiâ, cœlique splendoribus coruscantem, palliô amictam planè Regiô, in magnam latitudinem expansô, ac sub eo Societatem nostram universam collectam contineri, quam illa materno affectu foveret, eóque quasi suæ charitatis, gratiæ, honoris, ac gloriæ tegumentô,

ve-

velut ramis Terebinthus complectetur.

19. Et licèt Virgo multiplices variarum gratiarum ramos super hanc minimam sui Filij Societatem expandat, jisdémque eam protegat, ínque primigenio illo Spiritûs fervore, in charitate atque humilitate, aliísque solidis virtutibus, quas ab incunabulis divinitus hausit, quæ Dei benignitas est, hactenus conservet; conservat tamen vel maximè spiritualibus illis exercitijs, quibus animus à peccatis purgatur, divina luce ad vitam Christi imitandam illustratur, ac tandem arctissima cum Deo unione perficitur, atque in omni virtute consummatur. Hæc enim à Virgine suggesta fuisse sancto Patriarchæ nostro Ignatio credibile est, ut cuidam ostensum divinitus, quemadmodùm P. Ludovicus de Ponte in vita P. Balthasaris Alvarez cap. 43. recenset. Cùm enim nostri homines Anno 1600. consuetis hisce se se dedissent Spiritûs exercitationibus, fuit quidam ex jis Dei Spiritu, donóque contemplationis plenus, cui Christus Cœlorum Rex cum Beatissima sua misericordiæ Matre varia identidem benevolentiæ suæ frequenter exhibuerunt argumenta: Hic inquam, cùm more nostro animum suum sacris hisce exercitationibus cœpisset excolere, quodam mane clarissimè mentis oculis Angelum divina vultûs & oris majestate ingenti splendore circumfusum, conspicatus est; Cúmque admiratione perculsus, animóque suspensus, quid id portenderet, apud se cogitans fluctuaret; ille Archangelum se esse fassus est Gabrielem, & à sanctissima Dei Matre Nuncium adferre, quem promptô gratóque acciperet animô: Ille magis obstupefactus, & quâ erat animi demissione, se se ipse colligit attentiùs, Angelúmque rogat, pateretur anteà Deum abs se consuli, quod ille cum facillimè annuisset, quasi eo minimè præsente ad Deum se ardentissima prece convertit, suam secum indignitatem reputans, extremámque miseriam, tum Divinæ opem implorans misericordiæ, vellet ab ea longissimè semovere, quidquid Divinæ ejus voluntati minùs consentaneum foret. Cùm in hac oratione aliquô temporis spatiô perstitisset, interiùs sibi Deum ad cor loquentem audire visus est, exciperet Angeli nuncium, néque de dictis ejus dubitaret: Hâc certitudine divinitus animo immissa, genibus flexis reverenter accepit Archangeli legationem. Venire itáque se ajebat, beatus ille Spiritus, à Regina cœlorum Dei Matre, cui perquàm grata & accepta essent, quæ jam ordiretur exercitia Spiritûs. Illam maximè oblectari hoc genere meditationum, de divinis mysterijs & bonis per Christum Filium humano generi benignissimè indultis; quæ meditationes intellectûs ratiocinatione, & affectûs concitatione perficerentur ad eam normam, qua in Societate exercitia consuevissent institui: pergeret porrò, ùti erat aggressus, ad Dei gloriam, Reginæ cœli id fore acceptissimum, quæ patrona esset, Præses & Fundatrix horum Societatis exercitiorum, cùm in jis efformandis, certáque methodo comprehendendis, ipsa S. Ignatium adjuvisset, atque instruxisset; ab ea duce & Magistra id genus Meditationum originem duxisse, quin & easdem illam, dum viveret, obire ac frequentare solitam, eísque mentem suam occupavisse semper, & excoluisse. Hoc nimirum sibi volebat Evangelista: *MARIA autem conservabat omnia verba hæc*, quin & facta Christi, *conferens in corde suo.*

Societas Jesu conservatur in primario Spiritu præcipuè per exercitia spiritualia, à Deipara S. Ignatio suggesta.

20. Quare rectè Joannes Bourghesius noster pronunciavit in Societate Virgini Sacra cap. 12. inter o-

omnes Societatis prærogativas, & in illam cœlitus collata dona, nullum esse præstantiùs libellô B. P. exercitiorum spiritualium, quô nata & aucta Societas, in hodiernum usque diem Ducis sui Jesu Spiritum haurit, atque imbibit, quô se ipsam tum in Religiosæ observantiæ disciplina promovet, tum in proximi paranda tuendáque salute exstimulat, ac tuetur. Quare vitam animámque Societatis huic inesse libello seu piis in eo præscriptis exercitiis jure contenderim, nec aliâ commodiùs viâ Societatem, suæ virtutis primævum splendorem conservare posse crediderim. Quibus enim causis res quæque gignitur, eisdem & augetur, & optimè conservatur. Concludit tandem, quòd Magistra Deipara S. Ignatii in illo Manresano secessu tot cœli luminibus ac favoribus redundante extiterit, eam in his sacris exercitationibus ipsi adstitisse, eique se spectandam exhibuisse, eúmque, quemadmodùm & in constitutionibus conscribendis direxisse. Unde necesse sanè est, ut totam se minima hæc Societas in B. Matris ære, ac nominibus æviternùm obstrictissimam fateatur, à qua spiritualibus hisce exercitiis & originem accepit, & profectum.

Exercitia spiritualia rami sunt Virgineæ Terebinthi.

21. Quapropter jure meritissimo fructuosissimas has Spiritûs exercitationes Deipara nostra, Ramos suos honoris & gratiæ appellare posset, siquidem dum iis quotannis per octo decémve continuos dies operam damus, quid aliud agere videmur, quàm sub umbra Virgineæ hujus Terebinthi conquiescere, æstúmque mundi hujus cupiditatum temperare? quid agere videmur aliud, quàm majora in dies divinæ gratiæ, ac per consequens æviterni illius honoris, gloriæque cœlestis capere incrementa? Dicere etiam verè possumus: Exercitia hæc esse ramos honoris & gratiæ totius nostræ Societatis, siquidem his, beneficiô Virgineæ hujusce Terebinthi tecta, & à mundanarum cupiditatum, ùt ambitione, carnísque illecebris, aliísque hujusmodi humani generis pestibus quàm longissimè semota, primævum illum, in quo nata est, Spiritûs fervorem conservat, seséque ad capiendos in dies majores ac majores Divinæ gratiæ thesauros reddit idoneam; quam ob causam existimârim illam omnibus bonis, qui eam noverunt, effici honoratam atque gratiosam, dum in tanta scientia, tam eximiam humilitatem, honores omnes abhorrentem, in tanta sapientia tam cœcam obedientiam, in tam florida juventute tantam puritatem morúmque honestatem contemplantur. Quæ sanè omnia, ut & reliqua virtutum, quæ in hominibus Societatis resplendent, ornamenta, velut purissimi rivuli, ab hoc inexhausto spiritualium Exercitiorum fonte dimanant.

Deipara prodigiosè per S. Evangelistam Joannem vocat Adolescentem ad Societatem Jesu.

22 Honoratam Virgo nostra ostendere visa est minimam hanc nostram Societatem, cùm Adolescenti cuidam, ut scribit Bencius in Annuis Collegii Parisiensis, vitæ prioris pertæso, meliorémque ingredi meditanti, misit S. Joannem Evangelistam, invisibilem tamen, sola voce eum ad perseverantiam hortantem: Octiduô post eandem Evangelistæ vocem audivit, quæ simul quærebat, utrum vellet Carthusianus esse, an Capucinus? qui Respondit: Faciam, quod Deus imperabit; Tertiô rursus die Dominicô nocturno item tempore eadem vox rediit, quæ eum exhortabatur, ut religiosam vitam magnô animô capesseret, simúlque porrigit illi Schedulam; Opta, inquiens, quam voles, ego ampliùs non revertar: Adolescens mox legit chartulam, in qua trium Religiosorum Ordinum erant descripta nomina.

Et

Et duos quidem argenteæ, Societatem autem Jesu aureæ exprimebant literæ, ob Nominis JESU sine dubio, non nostram reverentiam: attonitus rei novitate, monitóque cœlesti, illuminatricis Virginis lucem directionémque secutus juvenis Societatem nostram tantopere à Virgine nullô nostrô meritô tot gratiis, honoribus, privilegiísque honoratam amplectendam decrevit, & sub ejus ramis honoris, & gratiæ de singulari hac Deiparæ protectione gaudens, hilarísque magna animi sui tranquillitate conquievit.

23. Quam ob rem fælices omnes, ac beati omnino censendi sunt illi, qui in hanc Societatem minimam, Dei, ejúsque Matris Virginis benignitate vocati, hisce ramis honoris & gratiæ, Virgineæ hujus Terebinthi contra mundi insidias, carnis æstus, atque incentiva libidinis, sathanæque furorem ac machinamenta proteguntur; gratiam Dei profectò magnam in hac vita, & in altera immensum honoris & gloriæ cœlestis pondus sibi comparabunt; & in se Virgineæ hujus Terebinthi admirabiles, dum in hac miseriarum valle versantur, operationes ad incolumitatem præsertim animi conferentes, experientur. Ajunt naturales Philosophi, ut Dioscorides & alii, Arborem hanc ejúsque resinam gravitati auditûs mederi: Et B. V. suâ obedientiâ sanat mortalium inobedientiam, quâ ægrè ac difficulter divinis parere præceptis consuevêre. Unde Richardus à S. Laurentio lib. 12. *Terebinthus valet*, inquit, *contra malum aurium, quia obedientia MARIÆ, quando Ecce Ancilla Domini respondit, purgavit inobedientiam Evæ, quâ consensit Diabolo promittenti: Eritis sicut Dij*. Gen. 3.

Terebinthus ejusque Resina medetur surdastris. Deipara curat inobedientes.

24. Unde sibi gratissimam hanc virtutem esse subinde Virgo demonstravit, præsertim in Joanne Ximenio Fratre nostrô, operis domestici administrô. Hic enim, cùm die quadam Deiparam coram ejus Icone de more ardentiùs precaretur, ut se salutis suæ securum redderet, audiit vocem in hæc verbâ: Ximeni! perge porrò in via, quam inijsti obedientiæ cæcæ, ea secura est & infallibilis. Post hanc vocem, sensit se valde adjutum, & in eadem virtute proficere: Unde cùm suæ conscientiæ ex more institutóque Societatis, rationem superioribus redderet, & quæreretur, an se ad perfectionem consequendam sentiret animatum, respondebat: Ab ea nocte, quâ me B. V. M. est allocuta, ita benè, ut nesciam, quid ampliùs desiderem. Cal. B. V. 24. Febr. Volebat nimirum Virgo, ut Societatis nostræ homines, illi amici, ac Familiares, aurei quidam forent Cherubini, ex auro ductili confecti, illis persimiles, qui Arcæ fœderis assistentes se se mutuò, simúlque arcam respiciebant. Aurum nimirum ductile, quod in quamcunque partum flecti ac tractari se sinit absque resistentia, omnia promptè atque hilariter, clausis oculis exercendo, quæcunque fuerint injuncta, cupit Societatis Alumnum esse Deipara. Quare rectè B. Humbertus, V. Ordinis Prædicatorum Generalis lib. de tribus votis cap. 5. suos hortabatur: sitis dilectissimi sicut aurum ductile, & quasi Virga flexibilis, quæ rectificatur ad libitum artificis, vel curvatur. Sitis sicut rotæ volubiles, quæ secundùm impetum Spiritus movebantur. Sitis ut jumentum apud Deum, cujus Dorso quælibet indifferenter imponuntur. Certè syllaba indifferens, id est, longa vel brevis seu communis multùm est grata versificatoribus, quia poni potest omni loco: sic & frater promptus ad obedientiam, Deo gratus est & hominibus, quia

Deipara docet Ximenium viam obedientiæ esse tutissimam.

Religiosi similes sint Cherubinis ex auro ductili confectis.

Exhortatio ad obedientiæ amorem.

nil respuit injunctorum. Stellæ vocatæ dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Marcus imperfectâ relictâ literâ vocatus, statim adfuit. Alii non sicut stellæ, sed sicut quadrati lapides ad obedientiam vix moventur. De his Eccl. 10. *Qui transfert lapides, affligetur in eis.* Cùm enim Prælatus aliquem vult ponere aliquò, per contradictionem rebellium fatigatur. Nautæ imperanti in mari, nulla dilatione fit executio. Pudet quod servi nostri pro parvo precio proniores sunt ad peragenda gravia, quàm sumus nos pro gloria sempiterna. Jucunda obedientia Prælatum ipsum jubentem lætificat, obedientiæ laborem alleviat, securitatem conscientiæ præstat. Si quis autem mœstus obtemperat, cum Simone Cyreneo Crucem in angariam portat. Currus non inunctus sub onere murmurat, & is, qui cum tristitia obedit, carere se unctione Spiritûs sancti declarat. Imitandus S. Andreas, qui hilaris amplexus est crucem. *O bona Crux*, inquiens, *diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, &c.* Hujusmodi hilari promptáque nimirum obedientiâ delectatur DEIpara. Quare quisquis eam sibi comparare desiderat, vitiúmque inobedientiæ effugere, sub protectionē atque umbrā Virgineæ hujus Terebinthi confugiat, malo aurium præsentissimum invenerit remedium.

25. Neque verò mirum nobis videri debet, quòd Virgo nostra gloriosissima tantopere virtute obedientiæ delectetur, cùm ipsa virtutem hanc summo semper in pretio habuerit, in eáque mirificè super reliquas virtutes omnes excelluerit. Hæc enim virtus ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem eam evexit: Hæc virtus DEI Filium, de cœlis à Regalibus sedibus ad terram venire compulit, & in ipsius utero saccô mortalitatis nostræ circumdari. Ubi enim Virgo verba illa, suam voluntatem cum Divina humiliter conformando, protulit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, mox æternum illud Verbum de sinu Patris in ejus sinum adveniens, caro factum est, & habitavit in nobis. Verè enim, ut loquitur Baruch. *post hæc*, videlicet verba, *in terris visus est & cum hominibus conversatus* DEI filius. O admirandam sanctissimæ obedientiæ Virginalis vim, potentiam, atque energiam; Quid mirum igitur, virtutem hanc in tantis amoribus, deliciisque Virgini sacratissimæ fuisse, siquidem tantorum bonorum gratiarúmque cœlestium participem reddidit? Quare jure merito S. Bernard. Sen. Tom. 2. Ser. 48. art. 2. cap. 9. inter duodecim illas, quæ cum Virgine semper versabantur, domicellas; virtutes videlicet pulcherrimas, quintam nominavit, Dominam Obedientiam, ei præ cæteris charissimam, ut pote tam divinæ illius suæ fælicitatis, totiúsque humani generis salutis causam atque Auctricem. *Sicut enim*, inquit Pater Seraphicus, *ex inobedientia primæ nostræ Parentis sumus condemnati, ita per obedientiam MARIÆ Virginis sumus à morte peremptoria liberati. Ideò hæc obedientia ab Eva rejecta, à MARIA gratanter recepta, continuè Virgini suadebat, optare salutem mundi, ideò divinæ voluntati subdi, & omnino sub Divino imperio ejus voluntatem annihilari. Unde auditâ Domini voluntate de conceptu Filij sui, volenter ac lætanter, velociter etiam Angelo dixit: Ecce, quasi dicat: ecce volenti corde, lætanti facie, atque veloci opere adimpleo, quidquid Divinæ beneplacitum fuerit voluntati. Et in hoc B. V. MARIA docet, nos esse obedientes, primò volenter, id est, volenti corde: Debet enim Majori justa* pra-

Obedientia MARIANA quàm potens fuerit.

Obedientia MARIANA qualis fuerit.

præcipienti respondere, quod Apostolus: Domine quid me vis facere? Act. 9. *quia ut dicitur.* Eccli. 4. *Melior est obedientia, quàm victima: quia hâc mactatur voluntas propria, ibi verò caro aliena. Secundò debent obedire lætanter læta facie.* Unde Bernardus: *Hilaritas in vultu, dulcedo in Sermone multùm decorant obedientiam subsequentis, nubilosa verò corporis compositio, & facies tenebris obscurata devotionem ab anima recessisse significat. Tertiò debent obedire promptè, prompto videlicet opere, ut dicitur.* Psal. 17. *In auditu auris obedivit mihi. Et* Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum.* Hæc S. Pater, de excellentissima obedientia Virginis, quæ Religiosis, ac præsertim Societatis Jesu proposita est in speculum ad imitandum, si hujus Virgineæ Terebinthi Materna protectione gaudere cupiunt.

Terebinthus Virginea serpentes, id est Dæmonis insidias fugat.

26. Rursus suprà memoratus Richardus asserit: odore Terebinthi serpentes fugari. O quot, Deus immortalis! ex nostris hominibus à Tartareis illis venenosissimis colubris, velut olim Eva in Paradiso seducerentur, eorúmque tortuosis voluminibus, ac spiris involverentur technis, sibilis atque insidiis circumvenirentur, nisi sub umbra salutifera hujus Terebinthi delitescerent, ipsiúsque virtutum odore, à lethiferis eorum venenis præservarentur? Horrent nimirum vel solo auditô Mariæ Nomine Tartarei hi serpentes, & tanquam aspides ad incantationem obturant aures, ne sonus hic suavis atque salutifer ad illas perveniat, & furore tandem ac rabie disrumpantur. Contremiscunt, atque exhorrescunt planè ad præsentiam hujus Cœlestis fortissimæque Heroinæ tenebrarum Principes cum suis phalangibus, & sicut pulvis ante faciem venti disperguntur, ipsiúsque terrore consternati, & in fugam acti, Infernalibus cavernis confusione pleni delitescunt. Ipsa enim sola virtutum suarum Heroicarum agminibus instructa, ac circumvallata, formidabilem format exercitum, ad cujus vel aspectum eos exanimari quodammodò, ac pessumdari, nos verò ipsius protectione ac tutelâ gaudentes summô gaudiô lætitiáque perfundi, necesse est.

Comparatio inter exercitum bellatorum, & virtutum Marianarum.

27. Quod pulchrè sanè idem S. Bernardinus Senensis nobis ob oculos posuit Tom. 3. Ser. 3. Art. 3. cap. 4. cujus est hæc epigraphe: quòd B. V. omnes Dæmones terret virtute sua. Explicans enim elogium illud Sponsæ Cant. 6. *Terribilis, ut castrorum acies ordinata:* ita loquitur: *Noverunt illi, quorum usus est in rebus bellicis, exerceri armatas acies, & in prælium ordinatas, quanti sit decoris pariter, & timoris aspicere, quantus apparatus delectet, & exterreat armatura. Cùm videas in campis patentibus digesta per ordinem hinc inde fortium agmina bellatorum, vexilla fulgentia, scuta diversi generis & coloris, rutilas cassides, & ferri species animatas, pugnantes eminus hastas, & longè minantia tela, acutos gladios, & imbui cruore paratos, armorum strepitus, hinnitus equorum, eventum belli saltu, fremitúque monstrantium, pavescere singulos, & tamen virtutis signa prætendere, alios impetum facere, alios obstare currentibus, alios turmas instruere, alios in cumulum cogere disgregatos: omnes signum Ducis, & vultum attendere, indifferenter utrumque victoriam mortémque sperare; Quis hæc sine delectatione pervideat? sine terrore pertranseat? Sic & Virgo MARIA gratiarum nomine plena, variisque virtutibus metuenda, domesticos fidei mulcet spe pietatis, & hostes jure potestatis exterret. Prima enim vitiis bellum indixit, prima contra carnis insultus virtutum acies ordinavit, dum & virginitatem elegit, & eam humilitatis custodiâ communivit, per quod & Diabolo terrorem incus-*

cussit, & sanctis Sponsa facta est & suavis. Cum enim fortis armatus suum custodiret atrium in quiete, hominémque peccatis obnoxium, jure tyrannico possideret, ubi solutis vitiis nova sensit virtute resisti, subitò consternatus,

Bella mihi video, bella parantur, ait.

28. *Indéque cœpit hostis expavescere, unde fidelibus datum est exultare. Et sic una simul & eadem, pro diversis effectibus apparuit terribilis & decora, quando & illis fortem in prælio, & nobis Ducem pacificum parturivit. Hinc speciosa dicta & suavis, quia dum meritò castitatis excelleret universas, & pareret in forma servi Dominum Majestatis, humilitatem Spiritûs summâ curavit diligentiâ custodire, ne quo fastu super hominem raperetur, quæ suscieptura erat ab Angelis minoratum.* Intelleximus igitur Dominii Virginis proprietatem, magnitudinem & multitudinem. Tandem hortatur omnes suos, quod rectè ad Societatis etiam homines sub umbra Virginis degentes aptaveris, hortatur, inquam, ut ad protectionem ipsius recurrant, si iram Judicis, insidias Cacodæmonis antiqui serpentis evadere contendunt. Oremus igitur, inquit ille, Dilectissimi, Dominam nostram Virginem benedictam, ut quæ Mater esse meruit Judicis sæculorum, pro reatibus nostris Filio suo satisfaciat Advocata.

Deipara terribilis, & decora.

29. Quare sicut ad MARIÆ Nomen cantatum ac nominatum, Tartareus rumpitur anguis; sic quoque & multò magìs ad JESU ejus Filii Nomen potentissimum (quod hæc minima præsefert Societas, sub DEIparæ tutela, veluti Terebintho conquiescens) stygii omnes serpentes virus evomant ac mox profligentur, ejiciantúrque, necesse est. Ut enim præclarè docuit Alexander de Ales in tertio apud eundem Bernardinum Senen. Tom. I. Ser. 51. art. 2. cap. I. habemus post passionem Christi multiplicia arma; quibus terrentur Dæmones Infernales: Inter quæ singulare munimem est contra omnia Dæmonia, & contra eorum opera invocatio Nominis JESU CHRISTI, sicut ipse testatur Matth. ult. *In Nomine meo Dæmonia ejicient.* Unde Psal. *Sanctum, & terribile Nomen ejus*, sanctum Angelis bonis, terribile Angelis malis. Hinc Isa. 30. *A voce Domini pavebit Assur, virga percussus.* Assur significat Diabolum, qui circumit, quærens, quem devoret: Hic à voce Domini JESU fideliter invocati, terribiliter pavet, tanquam si virgâ percussus esset. Addit sanctus Bernardinus, habere nos signum quoque sanctissimæ Crucis, quod cum Nomine JEsu nos insignibus nostris circumgestamus, ad cujus aspectum etiam omnes maligni Spiritus expavescunt. Quod si tres illos clavos, qui manus pedésque Crucifixi amoris nostri, simúlque caput antiqui serpentis terebrârunt, conspexerit, illico profectò facesset, seséque antris recludet Averni. Quo circa meritò mellifluus Doctor Ser. 15. elogia sacratissimi hujus Nominis extollens, inter reliquos ab ipso productos fructus, illos memoravit: *Cui in periculis palpitanti, & trepidanti invocatum virtutis Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum, quem videlicet Tartarei illi Tenebriones DEI servis variis tentationibus ac suggestionibus incutere consueverunt? Cui, quæso, in dubiis æstuanti & fluctuanti, non subitò ad invocationem clari Nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jámque deficienti, si nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? Denique & probare licet, Invoca me, inquit JESUS, scilicet, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

Nomen Jesu speciale contra Dæmones munimen.

30. Quis igitur fortissimis hisce præsidiis in hac minima Societate vallatus, ac obarmatus cum antiquo serpente pugnam detrectet? quis cer-

Societatis in Nomine Jesu Fiducia.

certissimam victoriam sibi non polliceatur! quare omnes, qui sub protectione Virginis veluti Terebintho obumbramur, eam nos verbis illis Ecclesiæ ad prælium cum Tartareis hostibus ineundum, exhortantem imaginemur: *Estote fortes in bello, & pugnante cum antiquo serpente, & accipietis Regnum æternum.*

31. Et licèt peculiari quadam ratione Virgo beata Societatem nostram, ob Nomen Filii, quod gerimus, protegat, ac defendat, protegit tamen universali prorsus affectu orbem universum, ne in interitum corruat, uti sæpiùs Superioribus Tomis demonstratum est. Experta est tutelam hanc S. Lioba Virgo, & maximè die quadam horrenda sæviente tempestate, in qua nox mundo offusa, crebris fulguribus oculorum aciem perstringentibus, horrisona tonitrua, frequentia evibrata fulmina, quibus altissimæ turres impetitæ corruebant, extrema omnia mundíque ipsius ruinam minitabantur. His terroribus consternati mortales, desertis propriis domiciliis, quæ in caput suum ruitura formidabant, ad templum Divæ Virginis desperatâ salute confugiunt; mox S. Lioba cives suos metu pene exanimatos adit, verbis suavioribus, spe, fiduciáque in Deum ejúsque Matrem plenis alloquitur, solatur, erigit, meliora omnia, securitatémque paulò pòst pollicetur, inde ante Altare Virginis Deiparæ tota se prosternit, ipsius imploratura præsidium. Intereà procellæ nimbíque circumsonant, mugiúntque, augetur, exaggeratúrque tempestas, jactu fulminum terra concutitur, tenebræ magìs magísque, Ægyptiis, Cimeriisque quàm simillimæ densantur, fulgurum coruscatio atque evibratio per fenestras, portarúmque rimas in omnium oculos incidebat, fulminum fragore tinniebant aures, tóque corpore, omnibúsque artubus miseri illi contremiscebant: Ventorum turbo, impetúsque concutiebat omnia. Hìc populus terrore pene mortuus, ad altare accedit, Virginem à precibus revocat, & ut cum ventis turbinibúsque, tempestatéque adhibitis exorcismis depugnet, obsecrant. Prima Liobã ejus consanguinea Tecla his verbis aggressa est: Virgo chara, quid cessas? in te populi salus innititur, ad te omnis hæc respicit multitudo: Ferventiùs quæso Dominam tuam sanctam Mariam Dei Genitricem propitiare stude; tantæ Matris deprecatione ad placabilitatem, atque clementiam dilectissimus ejus, unigenitúsque Filius adducetur. His verbis excitata, accensáque Lioba surrexit, & quasi evocaretur ad pugnam, pallam, quâ tegebatur, abjecit, templi portas, quas popularis timor firmiter occluserat, confidenter aperuit, sublatísque in cœlum manibus ter Christum inclamavit, orat, obsecrátque Verbum Dei Patris sempiternum, per quod facta sunt omnia, ut ea in suo esse conservet. Addit obsecrationem per merita sacrosanctæ Matris, ut misereri afflictissimo illi populo non dedignetur. Memorat fœcunditatem Virginis, quâ eum in lucem hanc illibatâ Virginitate effudit, rogátque, ut populum trepidantem ab imminente exitio servet incolumem: Nec irritæ piissimæ Virginis Liobæ cecidêre preces; Sequuta extemplò tranquillitas est, tonare, fulgurare, ac fulminare cœlum desiit, discussísque tenebris, mundo lux clarissima restituta est; atque ita, quid Lioba Virgo apud Deiparam, quid Deipara apud amantissimum Filium, orbis Salvatorem valeret, patefactum est. Et verò non potest non multùm posse, utpote Mater apud Filium, & Filium, qui nobis venerandam esse Ma-

Experta est tutelam Deiparæ deprecans pro populo suo S. Lioba Virgo.

Exhortatio Fidelium ad Fiduciam erga Deiparam.

Matrem tam seriò demandavit. Ad hanc igitur tanquam fidelissimam totius humani generis Advocatam, in omnibus tribulationibus, atque angustiis, in rebus desperatis, spe fiduciáque pleni recurramus. Præclarè enim pronunciavit S. Bernard. Senen. postquàm illam, uti supra meminimus, vocavit in causis nostris apud Filium Advocatam: *Quid enim in causa potest esse periculi, ubi causas hominum illa perorat, quæ habet, unde apud DEUM pro Filiis hominum orare præsumatur, quia Mater est DEI? habet & ille, unde clementer homini ignoscat, quia Filius hominis est. Ambo certatim causas miserantur humanas: Mater excusando mortales, ne pereant: Filius ignoscendo peccantibus, ut resurgant.* Tum hortatur omnes, ut in quibuscúnque tandem necessitatibus ad illam tanquam ad Asylum confugiamus, eique afflictum rerum humanarum statum studiosè commendemus, quod hac tempestate vel maximè faciendum est, quâ Hæretici, aliique perditissimi homines nominetenus Catholici contra Ecclesiam conspirantes, totum pene mundum perturbârunt, humanúmque genus funditus propemodùm everterunt. In tantis igitur hisce calamitatibus ejus consilium sequamur. *Omnes igitur*, inquit ille, *Genitrici ejus devotissimè supplicantes, vitam nostram emendemus & mores, communi votô, pari desideriô, ardenti affectu postulantes, ut Ecclesiam suam exaltet, ministerium nostrum acceptet, patriam tueatur, protegat Civitatem, orbémque Christianum universum, fideles multiplicet, abigat hostes, domesticos foveat, & omnes qui triumphale Nomen JESU, ac Matris ejus MARIÆ invocant, & adorant, dirigat semper, & conservet. Quam sanè conservationem minima hæc Societas nostra, licèt undique calumniantium linguis, scriptisque malevolorum impetatur, variisque tribulationibus ac persecutionibus exerceatur, nanciscetur, utpote quæ Nomen JESU, ac MARIÆ assiduè peculiarique studiô colit, veneratur, adorat, eorúmque vitæ puritatem, pro virili æmulari contendit, Nominibúsque illis sacrosanctis, ceu sigillis Regiis, obsignatam æviternùm se esse fatetur.*

Imitatio sanctitatis Deiparæ ad ejus protectionem experiri desiderant.

32. Frustra si quidem aliquis se devotum Deiparæ profitetur, frustra sibi de ipsius protectione blanditur, nisi sanctitatem ejus, morum integritatem, innocentissimámque ab omni labe peccati depuratam conversationem imitari studeat. Nonnullos enim adeò cæcos, ac stolidos reperire est, qui peccata peccatis cumulantes, omni turpitudine vitam suam commaculantes, quadrupedúmque more viventes, in voraginem, barathrúmque scelerum omnium demersi, sibi de favore, protectione, amicitiáque Virginis blandiuntur. Hi nimirum, quàm longè aberrent, & quàm turpiter semetipsos seducant, vel inde colligere poterunt, quod morum similitudo sit amoris Conciliatrix. Quî ergo fieri poterit, ut DEIPARA omnis justitiæ, sanctimoniæ, puritatisque speculum, hujusmodi homines, belluas potiùs dixissem, quæ se tot spurcitiis inquinârunt, cœnóque libidinum, variorûmque scelerum supra verticem capitis demerserunt, protegat? Unusquisque igitur firmiter apud se statuat, cultum præcipuum Deiparæ esse, ipsius puritatis, sanctimoniæ, integerrimæ vitæ, morúmque innocentissimorum imitationem.

Errant, qui cultum Deiparæ sine vitæ emendatione credunt sufficere ad salutem.

33. Unde vehementer errant hi, qui, cùm passim apud varios scriptores legerint, cultum DEIPARÆ certissimum, vel saltem admodùm probabile Divinæ ad æternam beatitatem prædestinationis esse signum, salutem suam in salvo esse arbitrantur, si eam quotidiè frequentiùs salvere jubeant, si recitatione Rosarii sive Psalterii 150. Angelicis salutatio-

tionibus constantis venerentur, si ejus sodalitiis, præsertim verò scapularis nomen dederint, illúdque assiduè gestaverint. Animantur hi verbis S. Joannis Damasc. Orat. de Annunc. qui ita Virginem alloquitur: *Spem tuam habens O Deipara, servabor, defensionem tuam possidens, non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam, te solùm habens, ut thoracem protectionem tuam, & præsens auxilium tuum. Nam devotum tibi esse, arrha est quædam salutis, quam DEUS jis dat, quos vult salvos fieri.* Animantur quoque libellô quôdam peculiari, quem eleganter conscripsit, quô pietatem erga DEI Matrem, salutis tesseram esse asseveravit, quam ille veritatem auctoritate sacrarum literarum, Patrum testimoniis variísque rationibus comprobavit P. Joan. Bapt. Posarellus, vir pius ac eruditus in sua Corona stellarum 12.

34. Animantur insuper revelatione facta à Patre æterno S. Catharinæ Senensi, in ejus Dialogis, ubi ita illi loquitur: *MARIÆ Unigeniti Filÿ mei gloriosæ Genitrici, à bonitate mea concessum est, propter Incarnati Verbi reverentiam, ut quicunque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullô modô diripiatur à Dæmone Infernali: Hæc enim est à me electa, parata, & posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum.* Animantur B. Alani de Rupe luculentissima illa sentent. ex lib. de Psal B.V. cap. 11. deprompta: *Secretum tibi pandam Divinæ providentiæ; scias enim, & securè intelligas, & inde latiùs patefacias, quòd videlicet signum probabile est, & propinquum æternæ damnationis, horrere ac negligere salutationem Angelicam; habentibus verò devotionem ad hanc, signum est prædestinationis permagnum ad gloriam.*

35. Hæc aliáque hujusmodi plurima nonnulli nominetenus Christiani, non satis sanè, sicut & suprà memorata testimonia intelligentes, putant, seu somniant, etiamsi in omni vita sua omnibus sceleribus fuerint cooperti, & in voraginem vitiorum sordiúmque demersi, in articulo mortis misericordiæ benignissimam Matrem sibi dolorem de peccatis, eorundémque detestationem impetraturam. Impetrat, verum est sæpissimè Virgo nostra clementissima peccatoribus pœnitendi gratiam, sed illis, qui non tam ex inveterata consuetudine, quàm fragilitate DEUM offendunt, & mox resipiscunt. Quòd si his fœtentibus quatriduanis Lazaris assuetudine peccandi jam sepultis, & lapide sepulchrali duri cordis contectis resurrectionem aliquando impetrat, eósque ad vitam gratiæ reducit, id est ex raro contingentibus, & miraculosum.

Errant qui Deiparam solùm oretenus colunt, vitam verò Christiano homine dignam minimè instituunt.

36. Quocirca sicut miracula rara esse consueverunt, ita quoque rara est hujusmodi conversio, ex peculiari gratia, ex occultis arcanorum DEI thesauris deprompta atque impertita. Unde sicut est magna præsumptio, & DEI tentatio, expetere miracula, sic etiam ad extremam illam periculosissimam humanæ vitæ catastrophen differre conversionem, & se se intereà variis peccatorum sordibus ac libidinibus, iram DEI provocantibus, obfirmatô peccandi studiô conspurcare: Hujusmodi enim hominum monstris, veriùs dixerim belluis, in tremenda illa mortis hora, purissima hæc Virginum Regina, dilectissimum imitata filium dorsum, non faciem obvertet, ut aliâs fecisse non semel variis exemplis comprobari posset. Quare in puncto illo discriminis plenissimo verendum omnino est, ne illis dicat cum Filio illud, quod apud Jeremiam c. 18. scriptum est: *Sicut ventus recens dispergam eos coram inimico, dorsum, & non*

Conversio eorum rara, qui eandem differunt ad mortis articulum.

non faciem ostendam eis, in die perditionis ipsorum.

37. Quod justissimo sanè DEI judicio eveniet eis. Quemadmodùm enim peccantes dorsum obvertunt DEO, ejúsque Matri (est enim peccatum, ut sanctus illud definit Augustinus, Aversio à DEO summo bono, & conversio ad creaturam) ita planè dignum justúmque est, ut & illis in extrema illa necessitate, tot sceleribus tam diuturno tempore perpetratis, ad indignationem justissimam provocati, dorsum, & non faciem illis obvertant, eósque tanquam pannum menstruatæ aversentur.

Dilatio pœnitentiæ ad agonem periculosa.

38. Accedit, quòd nemo sibi polliceri possit eo tempore, cùm corpus mox ab anima separandum, variis doloribus conflictatur, animus conscientiâ perpetratorum scelerum velut immortali verme lancinatur, se DEI ejúsque Matris, imò nec sui memorem futurum. *Justissimô enim DEI judiciô fit*, inquit Augustinus, *ut qui vivus oblitus est DEI, moriens obliviscatur sui.* Licèt enim nemini ullo unquam tempore sufficiens desit DEI gratia, nisi tamen homo peculiaribus ac congruis præveniatur auxiliis, intellectûs videlicet illustrationibus, voluntatis ad bonum prosequendum, peccatum detestandum, inclinationibus, ac motionibus, aliísque gratiæ efficacis à DEO Ter Opt. Maximo dignetur muneribus, nec DEI ejúsque Matris, vel etiam sui, ut malè actam vitam puro ex amore DEI aversetur, recordabitur. Hoc enim donum DEI est speciale, quô inveteratus ac putrefactus in sceleribus, superísque abominabilis peccator se indignum reddidit; amissâ enim vel minimo lethali perpetrato crimine, DEI gratiâ, homo miserabilis inimicus DEI constituitur, omni prorsus ejus favore indignissimus, cui nil aliud, quàm atrocissima Infernalis barathri, quibus æviternùm, absque ullo fine, quod infinitam illam offenderit bonitatem, mactetur, debentur supplicia.

Rationes cur pœnitentia non sit differenda ad finem vitæ.

39. Audienda hìc solidissima, gravissimáque P. Leonardi Lessii nostri gravissimi Theologi Sent. lib. 13. de perfect. Divin. cap. 12. Ubi de Divina disputans justitia ita loquitur: *Cùm homo est justus, debitum est ei auxilium (gratiæ videlicet congruæ, sive efficacis, ad salutem consequendam necessarium) quod DEUS largè illi tanquam Amico, & Filio suppeditat, ut commodè possit Divinam hæreditatem consequi; amissâ autem justitiâ per peccatum, non debetur hoc ei auxilium ampliùs, cùm jus omne ad vitam æternam, ad quam hoc auxilium perducit, amiserit, sítque reus æternæ mortis, & possit statim in barathrum præcipitari. Unde DEUS ordinariè incipit consuetam curam & opem, quam ante ei impendebat, subtrahere: Nam justitiæ ordo postulat, ut non tanta sit ei cura de salute hominis, cùm ipsi post tot beneficia factus est ingratus, inobediens & inimicus, quanta fuit, cùm erat amicus & obediens filius. Hinc fit, ut, qui semel mortiferè peccat, sæpè in eo peccato diu maneat, & in idem sæpiùs, vel in alia labatur, priusquàm resurgat; quia nimirum Divina opitulatio, per peccatum est imminuta.* Et paucis intercalatis, eisdem peccatis Divinam protectionem subtrahi, quâ communiti facilè tentationibus Dæmonis resistemus, ejúsque jacula eludimus. *Crescentibus peccatis*, inquit ille, *minuitur Divina protectio, neque DEO ita curæ est, ut eum à peccatis in posterùm custodiat: Unde sinit variis modis hominem tentari, & ab aliis quoque rebus varias peccatorum occasiones ingeri; neque tantas in pugna vires suggerit; hinc fit, ut majores difficultates homo in resistendo in dies sentiat, & in alia atque alia peccata miser corruat, novis accessionibus quotidiè onus suum cumulans. Imminuitur etiam excitatio: rariores enim sunt divinæ inspirationes,* ra-

Sententia Lessii de Divina Justitia.

variores & languidiores bonæ cogitationes & piæ commotiones: evanescit omne bonum spirituale, & mens tota rebus terrenis immersa; volutatur in cœno carnalium voluptatum, & nisi singularis DEI miseratio præveniat, necesse est illum in pejus ruere.

40. Ex qua doctrina, optima eruitur ratio, cur lethali peccatô etiam momentaneô, cum perfecta rationis animadversione commissô, æternæ Gehennæ incendia debeantur; quia nimirum homo ex se propriis viribus, absque auxilio DEI peculiari à tali peccato nequit resipiscere: atque ita, si æviternùm viveret, æviternam quoque peccandi haberet voluptatem, velletque æviternùm in DEI inimicitia perseverare, cui proinde voluntatis perversissimæ meritò nunquam terminanda inferni tormenta debentur.

[...]tio adducitur cur [pe]ccato morta[li] debeatur [æt]erna pœna.

41. Hæc omnia sanè, si ab hisce præsumptuosis de DEI, Virginisque misericordia, obstinatisque peccatoribus attentiùs expenderentur, intelligerent profectò, quantopere hallucinentur, spes suas devotione erga Deiparam, recitatione Rosarii, scapularis gestatione fulcientes; licèt enim hæc omnia amplectenda sunt, ut pote summa laude dignissima, eósque, qui bona voluntate sunt prædîti, DEO ejúsque Matri vitæ puritate complacere desiderant, in virtutum via promoveant, & tandem per hæc quasi scalam quandam ad æternam Beatitatem patrociniô Virginis deducantur: eos tamen, qui obfirmata voluntate in peccandi assuetudine obduruerunt, ad æternam consequendam beatitudinem, æternámque vitam nequaquàm juvant, cùm sint opera mortua, in disgratia DEI facta, quæ ei nullô modô grata esse possunt. Plura qui de hoc argumento scire volet, consulat P. nostrum Paulum Zechetner, qui fusè ac doctè quæstionem hanc in suo malæ spei promontorio lib. 3. §. 12. 13. & 14. pertractavit, ubi disertè docet eos, qui hujusmodi nixi fulcris, absque ulla de vita seriò emendanda cogitatione atque proposito, vitam trahunt, per mare hujus sæculi admodùm periculosè navigare, & tandem ad malæ spei Promontorium pervenire, in quo salutis suæ naufragium sunt facturi, & quasi lapis, ut pote in malitia, perversâque peccandi voluntate obdurati in profundum Infernalis abyssi ruituri.

[P]ræsumptio [de] DEI & [De]iparæ Misericordia [ob]stinatis [pe]ccatoribus [ca]venda.

42. Figant sibi denique in mente sua quàm altissimè, imísque fibris ac medullis inscribant hi in suis sceleribus inveterati peccatores monitionem D. Damasceni: quam scribit Orat. 2. de Dormit. Deiparæ eáque velut aurea coronide dictionem suam coronat: *Memoriam igitur Dilectissimi Fratres tantæ Virginis non solùm ore, ac vocibus (ut faciunt hi, qui salutationes Angelicas, & rosaria coronásque recitant, scapularia gestant) sed vitæ puritate, ac modestia celebremus. Ipsa enim cùm anima simul & corpore ab omni contaminatione humana penitus libera fuerit, tales etiam suos quærit amatores. Fugit enim omnium vitiorum barbariem, luxuriam in primis, omnésque luxuriæ comites, lasciva carmina, unguenta meretricia, verba impudica, choreas turpes, cogitationes vanas; præterea superbiam, odium, contentiones, rixas, injuriarum memoriam, ut lethifera, cuncta à se abjicit. His verò contraria diligit, abstinentiam, castitatem, pacem, misericordiam: In hymnis, canticis, Psalmis occupatos visitat, ad hos illa ut peculiares, domesticósque venit, hos Filio commendat, in horum pectoribus Christum per fidem habitantem reddit.*

Monitio Divi Damasceni peccatoribus inveteratis inculcanda.

43. Quòd si Virgo purissima vitia omnia fugit, luxuriam aliásque carnis illecebras horret, ac detestatur, qui fieri potest, ut homines cri-

Deipara purissima cùm sit summè aversatur vitia.

criminibus his, spurcitiisque obnoxios, non similiter aversetur, eisque dorsum non faciem in extrema illa vitæ periodo, in qua de summa rerum agitur, summa cum indignatione, tanquam sempiterni Judicis, justitiæque amantissima Mater non obvertat, cùm se peccatorum enormitate, atque inveterata peccandi consuetudine ejus precibus, intercessione, patrocinióque apud Filium reddiderint indignos? Unde illos aversata, pro illis deprecari omnino renuit. Audiendus hìc de justissima hac DEI Matris indignatione Goffridus Card. Ser. 8. *Beata M. Mater Virgo, & Sponsa intacta piissima apud piissimum Filium suum obtinebit, ut nemo illorum pereat, pro quibus vel semel oraverit: Nec mirum, quia universum suis precibus mundum salvare potest, si ipsa voluerit. Et ipsa quidem pro universo paratissima esset ad precandum, totúsque mundus salvaretur, si precibus ejus se faceret dignum.*

DEIpara apud Filium orando potest, quidquid desiderat, sed pro illis, qui semper peccare desiderant, orare non solet.

44. Hæc verissimè apud omnipotentem Filium, ut diximus, orando potest, quidquid desiderat, sed pro illis, qui semper peccare desiderant, nullatenus orat; pro quibus nullus sanctorum præsumit. Hæc nimirum imis in præcordijs transcribant hi, qui de DEI, ejúsque Matris misericordia præfidentes, se séque criminum omnium sordibus commaculantes, sibi de protectione, patrocinióque Virginis, & maximè in hora mortis blandiuntur, arbitrantes, se sub Umbra Virgineæ hujus Terebinthi à sempiterni solis justitiæ spiculis, ejúsque severitatis æstu tunc patrocinante DEipara fore liberrimos. Hi enim seducunt semetipsos, cùm pro hujusmodi sceleratis, & DEO mortalibúsque invisis hominibus, nullatenus, vel ipsa, vel alii cœlites Divinum Numen deprecari propitiarívé præsumant. A quibus Diva Virgo adeò abhorret, ut etiam illa, quæ hujusmodi lutulenti, fœdíque homines attrectârunt, vehementissimè abhorreat.

DEipara repudiat sertum quod meretricula gestabat.

45. Rem stupendam sanè, ad rem hanc comprobandam peridoneam, in Annuis Provinciæ Belgicæ Anni 1610. legisse me memini; sic igitur Collegii Leodiensis Annuorum Scriptor: Propè eum locum, ubi noster concionabatur, miles mulierculam, cui ante consueverat, duxit; Hæc in ipsa celebritate nuptiarum, purâ veste Virginem professa, & Virginali ritu per humeros defluente capillô compta, gestabat in capite coronam, quæ simul atque nuptialis pompa finem habuit, reddita est statuæ DEIparæ Virginis, unde è templo in profanum caput fuerat translata: sed postero mane apparuit fenestræ cuidam imposita; Certior factus Parochus, eam suis ipse manibus statuæ B. V. imponit; sequenti die eodem eventu idem facit, ac nequa fraus irreperet, obseratæ ædis claves ipse secum domum suam vesperi deportat, pendens animi expectatione futuræ lucis: Quæ ubi ostendit, eôdem loci Diadema revulsum jacere, in quo antè, haud ampliùs hæsitans illud jam à DEIpara repudiatum confregit; quòd intelligeret, nolle castissimam Virginem sub meretricio ornamento statuam suam honorari. En quàm verè dixit suprà memoratus Damascenus: *Ipsa enim est Virgo, & Virginum amans, pura est & purorum, lasciva carmina, verba impudica, unguenta meretricia, &c. fugit.* Idem dicere possumus de Rosarii coronis, quæ ab hujusmodi Veneris mancipiis turpissimis ei offeruntur: Has illa fugit omnino, ac execratur, nec capiti suo hærere permittit ob turpitudinem fœditatémque offerentis.

46. Optamus igitur precatorias nostras coronas gratas Virgini accidere, optamus sub umbra Virgineæ hujus Terebinthi à flammanti illo, ter-

terribilíque sempiterni Judicis vultu, qui est tanquam sol lucens in virtute sua, cujus oculi sunt tanquam flamma ignis, abscondi, & sub ramis ejus, qui sunt honoris, & gratiæ protegi? DEI gratiam, intercessione Virginis peccata detestando hic assiduè quæramus; sic enim fiet, ut ejus ope tandem adiuti, honorem gloriámque sempiternam: quæ vera nostra est felicitas, ac beatitudo, desideriorúmque omnium complementum, indipiscamur. Caveamus per DEUM immortalem, ne vanis illis hominum perditissimorum spebus velut baculo arundineo innitentes in peccatis occallescamus, atque ita in malæ spei promontorium cæcutientium more impingentes, salutis nostræ naufragium, nulla ampliùs spe reparandum faciamus; quin potiùs omni adnitamur ope, atque industriâ, ut studiô æmulandæ Deiparæ, animas, corporáque nostra ab omni peccati labe impolluta conservemus, nósque ipsius præclarissimis virtutibus, humilitate, charitate, castitate, quibus vera Sponsæ Christi forma, decórque continetur, quàm accuratissimè exornemus. Corollas Angelicis salutationibus, velut vernantibus rosulis illi gratissimas diebus singulis, ídque frequentiùs contextas, aliáque sedula in eam veræ devotionis, pietatísque obsequia offeramus, sodalitiorum ipsius leges sanctissimas, quibus in animis adolescentium syncera nutritur pietas, summa cum diligentia observemus, & maximè eas, quæ nos ad Angelicam puritatem conservandam disponunt; sic enim fiet, ut sua in nobis animi agnoscens ornamenta, nos vehementiùs amet, atq; amplectatur, studiosiùs sub ramis honoris & gratiæ suæ nos protegat, & tueatur, tandémq; ad promontorium bonæ spei, imò verò DEI ad visionem, summi nempè boni perducat.

Ut protectionem Deiparæ impetremus, DEI gratiam inter peccata nostra detestandi quæramus, & virtutes B. [Virginis] imitemur.

47. Hanc enim illa animi corporísque integritatem in nobis videtur deposcere, si ejus Umbram protectionémque desideramus, cùm ramos suos, uti supra diximus, ramos honoris & gratiæ appellat. Honor enim in Sacris literis castitatem nonnunquam significat, ut Apostolus, 2. Timot. 2. 21. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem Sanctificatum.* Et 1. Thess. 4. 4. *Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in Sanctificatione & honore, & non in Passione desiderij, sicut & gentes, quæ DEUM ignorant.* Ubi per honorem intelligit castitatem, uti & per Sanctificationem purificationem tam animi, quàm corporis; cùm sanctificatio Dionysio Areopag. Teste: Puritas sit ab omni scelere libera, itémque incontaminata munditia. E contra verò confusio, turpitudinem, impuritatémque apud eundem Apostolum sonat ad Philip 3. loquens de jis, qui in suis libidinibus gloriantur, ajebat: *Quorum DEUS venter est, & gloria in confusione.* Id est, ut interpretatur S. Anselmus: *In pudendis membris suis.* Cùm igitur rami Virgineæ hujus nostræ Terebinthi, quibus protegimur, rami sint honoris, castitatis videlicet ac puritatis, à purissimis castissimisque clientulis, quos protegunt, nomen desumentes, consequitur profectò, summo conatu nobis adnitendum esse, ut Angelicam quandam, quoad fieri potest, castimoniam indipiscamur, si ejus protectione, patrocinióque digni inveniri cupimus. Et quoniam in corpore mortali vitam Angelicam agere admodum arduum, ac perdifficile est, per intemeratam Virginem DEI gratia assiduis precibus efflagitanda est, ut eam nobis impetret, sine qua carnis, animíque puritas conservatu impossibilis est. Quare jure merito ipsa Virgo ramos suos esse ait non modò ho-

Castos petit Deipara suos clientes, quorum honor in castitate consistit.

honoris, sed & gratiæ, clarè nobis innuens, suam umbram protectionémque nobis non modò corporis animíque puritatem, verùm etiam simul gratiam ad eam ad extremum usque vitæ Spiritum conservandi conferre.

48. Et sanè tam efficax Divæ Virginis ad illibatam corporis mentísque integritatem, castimoniámque in suo flore conservandum, esse consuevit patrocinium, átque protectio, ut vel sola ipsius suavissimi simul ac potentissimi Nominis memoria átque invocatio ad sævientem in membris nostris ardorem libidinis restinguendum sit sufficientissima. Ad veritatem hanc confirmandam, non semel perantiquis, fidéque dignissimis hactenus usi sumus exemplis; libet eandem novis, quæ hôc nostrô sæculô contigêre, comprobare. Celebre est omnino illud, quod in Annuis literis Prov. Mexicanæ, ejusdémque Collegij in æde S. Gregorij legitur. 1597. fuisse quendam, qui viginti ipsos annos fræna cupiditatibus laxaverat, religione sacrísque omnibus contemptis: Is dum Virginem solam in agro reperisset, eam violare adoritur, cúmque illa precibus & lacrymis nihil proficeret, sublatâ, quam gestabat, precatoriâ coronâ cum B. V. numismate, per hanc te, inquit, obtestor, pudori parcas meo, nec me tam gravi, & irreparabili injuria afficias: Fuit hisce verbis Cælitum Reginæ impensa reverentia. Barbarus enim intus animô permotus destitit ab injuria: mox se ipse colligens multis cum lacrymis malæ adhuc actæ vitæ, & effusæ immaniter libidinis veniam petijt; Divinam præcipuè Matrem obsecravit, ut quando præceps ruens in flagitium, sola ipsius Nominis commemoratione libidinis furorem repressisset, ardens Tartareæ fornacis incendium extingueret, faces temperaret, non recusare cujuslibet vel charissimi membri jacturâ Cæleste donum redimere, dummodò sæva libidinum tyrannide liberetur. Adfuit justis precibus Divina Virgo, & quasi conditionem accepisset, nova illi mente indita, corpus percussit cæcitate: Validus enim & integer Vespere se quieti dedit, manè cæcus factus expergiscitur; sensit illico Divinam manum, quamvìs præterita flagitia odisset; angoribus tamen ac solicitudinibus liberum animum non sentiebat. Mexicum se confert, & quasi internâ quadam voce monitus, fore, ut, si ad nostros se conferret, animus quiesceret: Paruit Divinæ voci se monenti, omníque exposita suæ vitæ ratione, cujus rei causâ venisset, significat; postmodùm confessione Generali culpis explicatis redijt animo tranquillatus, ita nunc totus in pietatem intentus, tranquillissimè vivit, & suam cæcitatem suæ salutis pignus dicere non dubitat, agnoscens reverà MARIAM veram esse non modò corporalis cæcitatis, sed & spiritualis Illuminatricem, simul & Auroram gelidô sui favoris rore sævientem ignem libidinis in membris suis extinguentem.

Patrocinatur Castis, aut castitatem sincere desiderantibus purissima Virgo MARIA

49. Simile huic exemplum ejusdem Anni literæ Provinciæ Aragoniæ commemorant, in Collegio Thuriasonensi: Prosit, inquiunt, quod sequitur, ad præsentem in periculis Divinæ Matris opem, fiduciâ magnâ invocandam. Puellam solam violentus homo è via in locum abditum per dolum abduxerat; Illa impar viribus, omni auxiliô destituta, per Virginem MARIAM te obtestor, inquit, ne me irreparabili Virginitatis flore despolies: ad sanctissimum MARIÆ Nomen, omnis repente ardor deferbuit, violentia elanguit, puellàque innoxia atque inviolata dimissa. O admirandam Virginei Nominis Divinámque vim

Obtestatio per Nomen MARIÆ conservat Puellam à violenta defloratione.

vim atque energiam! Quòd si solum Deiparæ Nomen tantas vires habet, ut æstum libidinis in mortalium cordibus exardescentem restinguat, honorémque castimoniæ, gratiæ Divinæ impetratione in animis hominum conservet, quantò magis ejus fidelissimum patrocinium atque protectio, quâ nos precum suarum apud Filium, velut ramorum honoris & gratiæ, honorem castimoniæ, gratiámque ejus perpetuæ conservandæ nobis conferendo, extensione obumbrat, & ab ardore concupiscentiæ defendit?

Nomen MARIÆ invocatum lethalem veneni sumpti vim tollit.

50. Neque verò solùm Nomen Virginis nobis est umbra ac protectio, verùm etiam velut ipsa arbor Terebinthi, uti suprà memoravimus, esse consuevit, est nobis quoque Medicina. Præclarum sanè est, quod in Annuis Insularum Philippinarum 1605. Residentiæ Samorensis legitur: Puer 13. Annorum, dum navigaret, fructum quemdam, ut putabatur, venenatum fortè comedit; clamant subitò socij, venenum! venenum! & ille subitò flexis genibus: MARIA! MARIA! acerem lethalémque jam acerbitatem sentire cœperat; sed vix dulcissimum MARIÆ Nomen appellavit, cùm omnis illa abscessit amaritudo. Eædem Annuæ referunt literæ de Muliere quadam Biscaya, cùm vehementissimo corporis dolore cruciaretur, neque ullum humanum medicamentum prodesse videretur, confugit ad Divinum, aquam benedictam è Templo, atque Imaginem B. V. MARIÆ afferri sibi jussit; mox aquâ aspergitur, sacra Imago dolenti applicatur, & derepente fugit dolor, adveniente Matre verè Causâ nostræ lætitiæ, atque adeò ipsa Israëlis lætitiâ: Idem enim fuit Imaginis accessus & doloris recessus.

Imago B. V. corpori applicata prodigiosè fugat dolorem.

51. Agnovit in Virginea hac Terebinthi præsentissimam morbis medicinam reperiri Carolus IV. Romanorum Imperator, Princeps sanè artium Liberalium, linguarúmque peritiâ celebris. Hic enim cùm occulta quadam ægritudine, in quam uxoris Zelotypæ fraude inciderat, teneretur, & ad extrema penè devenisset, mox ut erat cultus Divæ Virginis, ac præsertim Annunciatæ Florentinæ addictissimus, votô se se obstringit, promittit, se Magnæ Matri Templum in Urbe Pragensi, ipsius verò servis Cœnobium amplissimis redditibus locupletatum, fundaturum: Sensit illicò opem Deiparæ Imperator, philtrúmque illud, quod ab uxore hauserat, vires omnes amisit! Cùm enim Anna Imperatrix, in qua elegantia formæ cum honestate decertabat, Zelotypiæ facibus inflammata, inordinato in conjugem amore penè insaniret, eò dementiæ devenerat, ut Imperatorem alioqui pudicum, ac sapientem amatorijs veneficarum mulierum artificiô præparatis pharmacis in sui amorem pelliceret: quò veneni poculô exhaustô Cæsar, parùm abfuit, quin illico deficeret; tamen ut erat pius, & B. V. studiosissimus ad auxilium Divæ Matris intimis præcordijs implorandum, uti supra memoravimus, confugit; promisitque se tanti flagitij auctoribus veniam daturum. Regina intereà tanti facinoris rea, ad cor rediit, & Aulicorum, quorum jam duo à Judicibus in carcerem detrusi, diris torti fuêre supplicijs, indemnitati consulens, ad genua mariti, obortis ubertim lacrymis procidens, fœmineam fatuitatem accusans, séque solam ream capitis agnoscens, Imperatorem obsecrabat, ut aliis impunè dimissis, omnem in se indignationem, ultionémque converteret. Hâc Reginæ supplicatione placatus Cæsar, lubens ejus errori

Deipara Carolum IV. Romanorum Imperatorem à Lethali veneficio seu philtro hausto liberat.

Servitarum Templum & Cœnobium ædificatur & fundatur à Carolo IV. Imperatore Pragæ.

veniam dedit, pro innata sibi benignitate, in pristinam recepit gratiam, simúlque suum in illam amorem philtris, venenatísve pharmacis non indigere declaravit. Pristinæ igitur sanitati restitutus Cæsar, nil antiquiùs habuit, quàm ut quantocyùs se se voti religione exsolveret, Templúmque magnæ Matri exædificaret. Igitur in pervigilio Annunciatæ Virginis Anno 1360. quo salutis nostræ jacta fuêre fundamenta, Carolus Imperiali Majestate tantisper sepositâ, velut alter Constantinus accepto ligone, propriísque manibus fodere, humúmque exportare cœpit, primúmque lapidem in locum à se præparatum jecit. Tandem extructô templô ac Cœnobio Patrem Raymundum ejusdem Ordinis, qui ei erat à Confessionibus, ibidem Superiorem constituendum curavit. Ut porrò egregiam suam in Divam Virginem voluntatem, servitutémque omnibus declararet, ejusdem Deiparæ nigrum habitum, in ipsius dolorum de morte Filii memoriam locò cilicii, super nudô corpore cum Anna conjuge, quòad vixit, gestavit, ut illius tam miraculosæ curationis memoria jugiter ipsius oculis obversaretur. Centuria 11. Annal. Servit. cap. 10.

52. Similibus veneficiis Virgo benignissima etiam alios liberavit. Scribit P. Andreas Goldenouschii Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, in Virgine Claramontana cap. 12. §. 14. rem stupendam ac memorabilem; fuisse nimirum Virum Nobilem in Polonia, Matthiam Karnisky de Radostkouu, qui à mulieribus quibusdam sibi subditis, sive magicis artibus atque præstigiis, sive maleficarum veneficiis confectum venenum planè lethiferum hauserat, quô cùm durissimis doloribus excruciaretur, omniáque humana media ac remedia ad depellendam pestem irritô conatu adhibuisset, ad divina tandem conversus, ad acerbissimos illos viscerum dolores depellendos, intimum de peccatis suis dolorem præmittendum censuit; tum ad Claramontanæ Virginis intercessionem, patrociniúmque conversus, ab eadem veneni sui horribilis medicinam factô illi votô postulavit, & impetravit: Cùm enim sibi potionem quandam ex radicibus azari confici curâsset, fiduciâque in Divinam Matrem fultus eandem sumpsisset, repente quindecim vivæ aspides per ipsius (horrendum dictu!) os eruperunt, quæ magna hominum admiratione, unius hebdomadæ spatio in stanea patina sibi connexæ ad Deiparæ celebrandam virtutem asservatæ sunt. Mox etiam decem vivas viperas evomuisse fertur, quarum vel solus aspectus lethalem quendam horrorem spectantibus incutiebat. Hoc tam insigne à Virgine sibi collatum beneficium rhythmis posteà Polonicis ad gloriam Virginis, tantæque rei memoriam celebravit 11. Maii Anno 1608 qui in claro monte in perpetuum suæ erga Deiparam pietatis monimentum, in hodiernum usque visuntur diem.

53. Idem Auctor aliud Divæ Virginis Claramontanæ beneficium exhibitum Domino Melchiori Allaghi, Regni Hungariæ Curiæ Regiæ Judici, mihi olim probè in Croatia noto, exhibitum narrat eodem cap. 12. §. 22. Vexabatur is gravissimô extremóque morbô, ex maleficorum venenis, uti putabatur contractô, cùm jam à medicis fuisset conclamatum, lectissima ejus piissimáque Conjux Anna comitissa Erdödii de Monyoröckerök, ubi advertit humana nîl prodesse remedia, ad Deiparæ Matris, quæ infirmorum salus est, opem confugit, simúlque Claramontano Templo donarium promittit. Non est asperna-

nata Virgo pium devotæ Matronæ affectum: Maritus enim non ita multò post à portis mortis revocatur, pristinæque valetudini restituitur; Ubi illa voti compos est effecta, vestem rubeam argentô, variisque gemmis intertextam ad vestem sacerdotalem Altarisque amictum, sivè, ut vocant, Antipendium conficiendum idoneam, simúlque centum florenos monetæ Polonicæ donavit Anno 1628. Alias his similes eodem libro videre licet corporis curationes, quæ, quia pene quotidianæ, obviæque sunt, perscribere supersedemus.

54. Morbos etiam animi, ut linguæ (quæ universitas iniquitatis est) vitia Virginea hæc Terebinthus curat. Innumera, eáque varia apud varios rei hujus reperiuntur exempla: Insigne est illud, quod in eisdem legimus Annuis de quadam Biscaya muliere, quæ appellabatur Maria; Hæc cæteroqui non mala, sed linguæ tamen procacitate effrænatior, reliquam vitam blasphemiis & maledictis inquinabat: quadam igitur nocte per quietem, honestissima, ac pulcherrima quædam Matrona, veste splendidâ, aureô capillô, ore divinô, quæ sine dubio fuerit B. V. M. Mariam Biscayam vocat nominatim, & suaviter blandéque sic reprehendit: Quare Filia sic sermone prolaberis? cur te, quæ consecrata Deo es, execraris? quæ Deus benedixit, cur maledicis? depone, depone maledicendi atque execrandi consuetudinem, quæ tibi tantopere nocet: Patrum spiritualium accipe consilia, monitus, hortatus. Accepit hæc bona Filia magnæ Matris præcepta, quibus etiam Patrum nostrorum consilia, ut jubebatur, adjunxit; & maledicendi consuetudine sublatâ, crescit quotidie in pietate non solùm illa, sed etiam exempli ejus imitatione quàmplurimi.

Deipara mulierem à maledicendi consuetudine curat.

55. Non sufficit pientissimæ Virgini nostræ, animæ & corporis divisim salutem impertiri, confert eam sæpè simul ac semel, eámque varijs accumulat beneficijs. Experiri licuit effusissimam hanc ipsius benignitatem Petro de Anasco Peruvano, patriâ Limensi, seu ex Civitate Regum: Is enim cùm anno ætatis 22. ut scribit P. Philip. Alegambe in Biblioth. Script. Societatis gravissimô morbô detineretur, Beatissimam Virginem, quam impensè diligebat, invocavit; Cui illa visibili specie mox adstitit, Filium suum ulnis complexa, & suavissimis clientem suum verbis solata, sospitatem pollicita, jussit, ut per vitæ perfectæ rationes Filio suo militaret in societe Jesu: Ille, ubi convaluit, societatem Limæ complexus est, & absolutissimô vivendi modô omnes in admirationem convertit; Verùm jam inde â teneris unguiculis aspirabat ille ad fastigium sanctitatis, usus familiaritate maximâ Reginæ Cœlorum: quoties ob erratum aliquod suum statuebant in eum animadvertere parentes, confugiebat ad Dominæ suæ patrocinium, & parentes illico mitigatos experiebatur. Quotidiè ante scholas ipsam in templo consalutabat; Sabbathum ejus honori jejunando consecrabat: horum si aliquid neglexisset, aliquid etiam ea die patiebatur. Noctu severissimè in ejus honorem se cædebat! interdiu in secreto cubiculo diutissimè orabat: Vernas & mancipia urgebat precibus ac preciô, ut se alapis contunderent, & ponebat præmium illi, qui percuteret validissimè: Ipse verò intereà alaparum memoriâ Christo suo impactarum mirificè afficiebatur. Ajebat quoties ejus beneficij recordabatur, quod ægrotans â B. V. acceperat, toties eandem pulcherrimam suavitatis, amoris, humanitatis plenissimam mentis oculis intueri, sicut corporis

Salutem mentis & corporis Clienti suo Petro de Anasco Deipara cum filio comparens tribuit.

eam luminibus olim conspexerat, animúmque suum Cœlesti quâdam delibutum suavitate relinqui: In ejus autem recordationem beneficij sextâ quáque feriâ se diverberabat: Sacrum Rosarium, quidquid laudabiliter operabatur, in animi grati argumentum Deo dicabat. Etsi verò ope Virginis præclarissimæ semper in eo acquisitæ in aliorum exemplum eluxêre virtutes, tres tamen fuêre præcipuæ, ipsíque Deiparæ familiarissimæ, de quibus in suis ipse adversarijs ita scripsit: Tria hæc toto vitæ tempore mihi inprimis curanda sunt: Obedientia, pro cujus integritate ipsa mihi oratio, Corona, sacrum; quies & somnus omittenda sunt: Oratio inquam, cui quidquid reliqui temporis fuerit, conferendum est. Annihilatio & contemptio mei ipsius, quò omnes meæ exercitationes & cogitationes conjunctæ cum rigida corporis castigatione dirigendæ sunt. Ex hac sui vilipensione ac mortificatione sæpè in Missionibus, quas multas & difficillimas instituit, putidissima Indorum ulcera, saniem, & vermes abstergentem, incredibili charitate, suíque victoriâ viderunt; Nec semel ut reluctantem naturam comprimeret, plenis patellis id genus sordium haurientem. Tantâ deníque vitæ, morúmque innocentiâ Virginis beneficiô fuit prædit us, ut certa fama fuerit, ei in Tucumania Tigrim, canis instar, caudâ blandientem occurrisse, quam manu demulsam, illæsus à se dimiserit. Atque hæc de Virgineæ nostræ Terebinthi medicinâ, umbráque, ac protectione dixisse sufficiat. Sub qua tandem conquiescentes, & Virginis amantissimum clientulum Joannem Damascenum æmulantes (qui cùm tota oratione prima de Dorm. B. V. eximias ipsius laudes esset prosecutus, cupiens ad bonæ spei Promontorium, tranquillúmque sempiternæ felicitatis portum ab ea perduci, ínque ejus tutela, velut sub ramis honoris & gratiæ respirare, ea dixit, quæ & nobis dicenda meritò sunt animitus, ut votorum nostrorum compotes evadamus) dicamus igitur, summa, quâ possumus pietate animíque demissione: Tu O Cœlorum Regina qualiacunque nostra obsequia propitia respice, nósque tuere, pravásque animi exsurgentes cogitationes comprime, ad Divinæ portum tranquillitatis incolumes transfer, aspectu denique tui Filii claritatis excellentissimæ nos Dignos constitue.



DI-

DISCURSUS XVII.
VIRGO DEIPARA VITIS PARADISI.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis. Eccli. 24.

I.



VItem, imò & vineam amœnissimam, pulcherrimam, fœcundissimámque esse Deiparam dilectissimo suo Filio, qui de se Joan. 14. ajebat: *Ego sum vitis vera;* quàm simillimam, communis est Sanctorum Patrum asseveratio. Audiamus in primis S. Joan. Damasc. Ora. I. de Nativ. B.V. *vinea uberrima ex Anna pullulavit, uvámque suavissimam, nectar mortalibus in vitam æternam fundentem, protulit. Vinea hæc mundo mœrore ac tristitia contabescenti ac sepulto, vinum dulcissimum propinavit, vinum lætificans cor hominis, Botrum illum Cypri, illum, quem Jacob moriens caligantibus quidem corporeis oculis, mentis autem mira claritate irradiatis ridentem, nobísque lætitiam suis oculis afferentem conspexit, dum dixit* Gen. 49. 12. *pulchriores sunt oculi ejus vinô, & dentes ejus lacte candidiores. De vino hoc à Deipara nobis liberalissimè propinato, orbem universum exhilaravit, in jubilúmque ac inusitatam lætitiam resolvit.* Præclarè S. Bernardus Ser. 4. in Salv. Reg. infœlicem illum statum, in quo ante Virginis in hanc lucem exortum versabamur, deplorans: *Defecit*, inquit, *vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis, vinum, quod germinat Virgines.* Zach. 9. *Hujus Pincerna tu, vexillifera tu, vexilla Regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis, calix in manu tua vini meri, in manu tua, in potestate tua, vini meri amoris Divini. Calix hujus vini inebrians, quàm præclarus est! Inebriat ad contemptum mundi; calefacit, quia ferventes facit; acuit, quia erudit; audaces facit contra adversa, fortes & invincibiles à carne, mundo & Dæmonibus, obliviosos eorum scilicet, quæ retrò sunt: extentos, discretos, quia erudit ad justitiam, somnolentos ad temporalia & tædiosos; ad invisibilia verò contemplanda pronos & promptos; per te Panem speramus, qui cor hominis confirmat, de quo* Psalm. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.*

Vitem imò Vineam pulcherrimam esse Deiparam SS. PP. testantur.

S. Damascenus.

S. Bernardus.

2. Hinc S. Ildephonsus Præsul Ser. I. de Assump. ubi gaudia beatorum in Cœlis Civium ex præsentia pulchritudinéque DEIparæ recensens, ait mirificè fuisse illius virtutum flore & odore, amœnitatéque exhilaratos, redditque rationem. *Hæc námque est hortus conclusus ille deliciarum, fons signatus, puteus aquarum viventium, reparatio vitæ, janua cæli, decus mulierum, omnium Virginum fastigium; quæ ut Cedrus Libani quotidiè in terris multiplicabitur, dilatabitúrque ramis, & in Cœlo radicibus, ut crescat ampliùs, solidatur. Exaltatur ut palma, floret ut Oliva speciosa in campis, & fructificabit in domo DEI in æternum, in qua nimirum domo hodiè læta introivit, & sequuntur eam omnium electorum animæ.* Ut ostendat porrò pientissimus Antistes Virgineæ hujusce Vitis amœnitate, floribúsque mi-

S. Ildephonsus.

mirificè cœlites oblectari, invitat nos ad hujus Vitis, ejusdémque pulchritudinis contemplationem: *Idcirco Filij, perpendite Matrem Domini, quæ quasi Vitis fructificavit suavitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis & gratiæ. Floruit ut Mater honorificata, ut Mater pulchræ dilectionis, & timoris, ut Mater agnitionis DEI & spei, in qua gratia omnis, spes vitæ & virtutis, quæ sola refulsit Virgo Sancta inter filias, ac si lilium inter spinas.* Sic ille.

Guerricus Abbas.

3. Audiamus & pientissimum Guerricum Abbatem, qui Vitem Virginem agnoscens Ser. 1. de Nat. ita loquitur: *Longè antequàm nasceretur MARIA, vocem illius assumebat Spiritus, qui in ea futurus erat, & tam divinitatem Filij, quàm integritatem Matris, opus videlicet suum contra blasphemias impiorum defendebat, & in persona ipsius dicebat: Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris, quod enim personæ sapientiæ*, id est, *ipsius Filij tribuit hæc verba contextus lectionis, nihil huic præjudicat intellectus, quò minùs sicut alia multa possint aptari quoque Virginis Matris.* Hactenus Guerricus.

Hugo Card. de S. Caro.

4. Hugo Card. de S. Caro vitem quoque dixit Deiparam, in illum Eccl. locum: *B. V. sicut Vitis fructificavit suavem odorem sanctæ conversationis, cum jucunditate mentis, quæ in vino sive vite significatur. Flores B. V. sunt virtutes ejus, viola humilitatis, rosa charitatis, lilium Virginitatis: & hæ sunt fructus honoris & honestatis imitantibus eã, quia tales illius virtutibus reficiuntur.*

Hugo de S. Victore.

5. Uberiùs vitis hujus mysteria explicuit alter Hugo de S. Victore in Instit. Monast. Ser. 55. *Vitis*, inquiens, *florendo fructificat, & ejus fructus inebriat: sic B. M. per Virginitatis suæ florem fructificavit Christum Botrum nostræ redemptionis, qui suos electos inebriat in mundo vinô gratiæ, & in cœlo vinô gloriæ. Hujus vitis fructum Botrus ille, quem duo viri exploratores attulerunt in desertum, in vecte suspensum, significat: Ipse námque nobis est fructus vitæ, quô pascimur; ipse nobis fundit, ut diximus primò vinum gratiæ, deinde gloriæ. Duo illi exploratores, præter Prophetas & Apostolos, signant electos christianos, etiam sub duobus præceptis charitatis positos, qui cœlestis Patriæ jucunditatem totis visceribus concupiscunt. Istius Vitis fructus congruè suavitas odoris appellatur, quia per ejus aspirationem & prædicationem, quia suavis in Cœlis est, à nobis è terra odoratur; Sed is, qui nobis nunc est suavitas odoris in mundo, postmodùm nobis erit suavitas saporis in cœlo: qui nunc est suavitas odoris in fide, tunc erit suavitas saporis in contemplatione; qui nunc est suavitas odoris in spe, tunc erit suavitas saporis in re. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem. Flores porrò hujus vitis sunt virtutes B. V. castitas, charitas, humilitas, immarcescibiliter florentes. Flores hi sunt honoris, & honestatis, quia Christus fructus ejus, qui de Virgine his floribus ornatus processit, suis electis honorem, & honestatem tribuit in terris, & eisdem se daturum spondet in cœlis. Beata itáque DEI Genitrix quasi vitis fructificavit, quia Christum verum Botrum, qui nos vinô gratiæ & gloriæ inebriare non desinit, generavit. Sed quod est mirabile dictu, hic fructus est solus, qui suæ Matri florem non abstulit, sed conservavit, & venustavit.* Hæc Hugo. Quare Chrysippus Presbyter Hierosol. Ser. 2. de DEIpara, meritò DEIparam Vitem fertilissimam agnoscens, eam ita salutavit: *Ave vitis, uvas pulchras producens.* Et Hesychius Ser. de DEIp. inter varia ipsius elogia illud non vulgare numeravit: Alius appellat vitem uvarum feracem, valde florentem & intactam.

Vitis florendo fructificat, & ejus fructus inebriat. Sic B. M. per Virginitatis suæ florem fructificavit Christum Botrum nostræ redemptionis.

Flores MARIANÆ vitis virtutes.

6. Audiendus hìc etiam Bernardinus de Bustis Par. 9. Marialis Ser. 1. Assimil. 12. *Viti assimilatur B. V. multis rationibus; & primò quidem ratione radicis: Nam ut vitis bonum lique-*

que-

quorem fructificet, plantanda & radicanda est in loco, in quo reverberet calor solis, ubi sit puritas aëris, & dulcedo terræ. Calor enim solis est viti necessarius, & quantò directiùs & diuturniùs solem respicit, tantò fructum exhibet dulciorem. Hanc ob causam in collibus altioribus, ac soli expositis, plantari consuevit. Ita Virginea vitis nostra plantata fuit in altitudine nimirum contemplationis & sanctitatis. Radix ipsius cordis reverberata fuit solis justitiæ radijs, fervore videlicet Divini amoris. Non defuit illi serenitas claritásque aëris, dum conservavit nitorem puritatis in mente. Non defuit illi dulcedo terræ, habuit enim dulcorem benignitatis in conversatione, & suavitatem Virginitatis in carne. Secundò similis fuit viti Virgo nostra ratione stipitis: Lignum siquidem vitis ejúsque propagines plurimùm præ cæteris arboribus, feraciúsque excrescit: Unde circa domos, & fenestras, & arbores circumducitur; similiter B. V. super omnes sanctos & sanctas magis crevit, sicut odor agri pleni, cui benè dixit Dominus. Suavitatem hujus odoris odoratus est DEUS Pater, & delectatus repropitiatus est humano generi, cùm Filius offerret semetipsum oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis. Hôc suavi odore trahimur, cùm per conversionem currimus ad ipsum. Hôc trahuntur Adolescentulæ, cùm per devotionem currunt post ipsum; sentiunt enim virtutem, quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & fervorem amoris innovat, ut ad currendam viam mandatorum exultare faciat. Quia ergo tam odoriferum fructum edidit, glorietur MARIA, & dicat: Ego quasi Vitis, &c. pulchra quasi vitis: Nam Botrus Cypri dilectus suus illi, de quo non solùm torcular passionis rubens expressit pretiosi Sanguinis, qui calix præclarus inebriat, & quotidiè devotio sancta sibi vinum exprimit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudij, & amoris. Qui porrò flores nostræ sint Virginis, clarè ostendit, cùm dicit: *Prorsus iste est JESUS, suavitas odoris invitans, honestas sanctificans, honor glorificans: suavitas odoris, quâ velut ad viam adducimur, honestas, per quam deducimur, honor, ad quē perducimur. Pulchre autem honestas dicitur, quasi honoris status. Est ergo JESUS primò suavitas odoris his, quos vocat, deinde honestas his, quos justificat, demum honor illis, quos magnificat. Talis igitur est Dilectus meus, ait MARIA, & iste est Filius meus, iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificaverunt flores mei. Non ait, Flos, sed flores: quia cùm Virgo sancta est, Flos Virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratiâ singulari, præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus, & foris tota vernat quâdam florulentiâ & venustate pudoris.* Hæc Ber.

Viti assimilatur Deipara ex multis rationibus.

7. Ex quibus omnibus facilè colligimus, quam pulchra, quàm illibata, quàm fœcunda sit Deiparæ nostræ Virginitas, quæ viti florenti odoris suavitatem, quæ Dei Filium designat, exhalanti comparatur: Cujus flores, qui eundem Dei Filium denotant, utpote in quo omnium florum venustas ac fragrantia continetur; cujus inquam, flores simul & fructus summum Virgini honorem, honestatémque toto orbe celeberrimam contulêre. Editô enim Divinô hôc Flore, ac benedictô fructu, gaudia Matris habens cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Hanc Virginis tam floridam pudicitiam, si considerent hæretici, confundantur, & eorundem caput, coluber ille tortuosus, qui semper calcaneo Virginis jam inde à primo immaculatæ ipsius conceptionis instanti insidiatus est, velut diviniori quâpiam incantatione disrumpatur, necesse est. Hinc Dionys. Richelius lib. 1. de præcon. & Dignit. V. c. 6. *Verificatum prorsus est*, inquit, *quod serpenti de præelecta fœmina DEUS disseruit: Insidiaberis, inquiens, calcaneo illius.* Hoc

Vitis MARIANA omnes hæreses tanquam serpentes interemit.

Hoc nempe per Hæreticos incredulósque infatigabiliter egit. Alius eam Virginem fateri noluit, ut Ebion & Helvidius; alter purum hominem genuisse asseruit, ut Cherinthus & Photinus. Alter non hominem verum, sed phantasticum protulisse blasphemavit, ut Manichæus. Alius DEUM quidem esse, sed non verum, eam generâsse dixit, ut Arrius & Eunomius. Porrò alter Christum nîl ex ea assumpsisse, sed per eam tanquam per aquæ ductum duntaxat transiisse confinxit, ut Valentianus. Quas omnes blasphemias, seu potiùs Tartarei illius serpentis ac Cerberi calcaneo Virginis insidiantis, trifauci illo Gutture eructata venena, ac pestes verbis illis interemit: Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris. *Interemit & Archangelus Gabriel, cùm illi dixit,* Ecce concipies in utero, & paries Filium. *Luc. 1. quibus verbis verum DEUM ipsam verè concepturam, humanam ei carnem licèt inusitato supernaturalique modo veraciter ministrando, eúmque verè similem sibi in natura, verum hominem generaturam significavit.*

8. Eôdem illô vitis elogiô idem Dionysius lib. 1. cap. 21. assertam illibatam Virginitatem fœcunditatémque Deiparæ docuit, dum modum, perfectiones Virgineas contemplandi, planè eundem, quem alter Dionysius in Dei attributis considerandis præscribit, per causalitatem videlicet, positionem & ablationem. *Per positionem* (ut reliquos modò brevitatis causâ amittamus) *sic* inquit, *ad MARIÆ contemplationem progredere: Cunctarum ordinem, qualitatémque fœminarum ac Virginum, quidquid in his dignitatis perfectionisque compereris, MARIÆ per excellentiam adscribe. In alijs laudanda Virginitas, sed sterilis: in alijs commendanda fœcunditas, sed corruptioni obnoxia. Demum in quibusdam admiranda etiam in conjugio observata integritas, atque in quibusdam vidualis veneranda honestas, & hæc quidem ad corporis venustatem potissimè pertinent. Omnes perfectiones hæ MARIÆ super excellenter conveniunt: Ipsa equidem Mater & Virgo, sed Virgo Virginum Angelicam puritatem vincens: Mater quoque, per cujus prolem omnis salvatur fœcunditas, imò & Angelica reparatur integritas. Denique & Sponsum habens intacta extitit, & vidua existens, non utique in delicijs vixit. Proinde si ad animæ virtutes aspicias, non est inventa similis illi, quippe quæ singularum virtutes eminenter complectitur. Quid eâ humiliùs, ad quam se primum DEUS excellentiùs inclinavit? quid puriùs, cujus carnem propriè Unigenitus, splendórque Patris Divinitati unire non horruit? Quid ipsa Divina charitate, proximi dilectione æstuantiùs, quæ DEI incarnationem incessabiliter optabat, Deúmque in se traxit, &, ut sic dicam, transformavit? O felix & honorabilis MARIA, vitæ exemplum, virtutum simulacrum, maturitatis, honestatísque speculum! Aptè omnino tibi competit, quod tam ubertim in tuum enunciamus præconium.* Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei, &c. *Tu nempe O celeberrima Sponsa instar fœcundissimæ vitis, universæ suavitatis fontem protulisti, & flores tui fructus honoris & honestatis, quoniam sine tactu pudoris, honestatísque detrimento, Christum Regem peperisti, qui flos est cuncta reficiens atque adornans.*

Modus contemplandi Virginis Beatissimæ perfectiones.

9. Idem denique Virginitatem fœcundam Deiparæ, fœcunditatémque Virgineam non modò viti, sed & Horto, varijs virtutum floribus consito, suavissimúmque odorem spiranti, fonti sigillo Virginitatis obsignato, rivum dulcissimarum aquarum producenti eodem lib. cap. 17. comparavit; variásque congruentias, cur virtutes illæ in ea essent ita sociandæ, attulit. *Hortus conclusus es,* inquiens, *Soror mea Sponsa: Hortus conclusus, fons signatus. Condecuit in conceptu ejus carnem incorruptam, in partu illæsam, & post partum*

Congruentiæ, cur in B. V. tantæ virtutes sociandæ fuerint, adducuntur.

tum intactam esse, quæ confractorum, maculatorum, & læsorum salutis Auctorem gignere meruit. Denique quæ sanctum sanctorum, omnisque nobilitatis fontem parere erat electa, ex conceptu partúve utique detrimentum aut ignobilitatis labem pati non debebat: Nempe munditiæ omnis causam atque originem, Mater omnino pura, ut esset, decebat. Præterea hunc sine omni culpa nasci par est, qui omnis peccati peremptor, & peccatorum Redemptor est. Qui sine Matre à Patre genitus fuit, sine Patre quoque à Matre gignendus extitit; quatenus generationi Cœlesti, atque paternæ, temporis ac Maternæ, pro viribus, quantùm fas est, correspondere. Quemadmodùm igitur in dignissima MARIA in conceptione Christi claustra pudoris intacta permanent, sic utique in partu Virginei Ventris porta clausa intemeratáque permansit, effecta Divinitatis Templum, Trinitatis domicilium, Spiritûs S. Sacrarium, Filij DEI tabernaculum. Tu O fœlicissima MARIA, Hortus conclusus soli DEO patens, non utique aliunde apertus, ex quo flos ille floridissimus prodiit, cujus utique virore, arida humani generis natura refloruit, atque ad super Cœlestis refloritionis amœnitatem reducta est. Flos prorsus fragrantissimus, omnis omnino peccati extinguens propria suavitate fœtorem, Orbem adornans ac salvificans sua dulcedine ac vigore. Etenim sicut malus inter ligna sylvarum, sic inter filios O MARIA dilectus tuus! denique O mitissima mens, O MARIA Serenissima! Tu fons signatus, fons utique, ex cujus profluvio mundissimus ille rivus, qui ex Paterni quoque cordis lumine prodiit, emanavit. An verò MARIÆ Filium rivum esse non censes, qui fons utique mentes irrigat, qui sordidas lavat, qui steriles fœcundat, atque sanctificat? Enimverò quemadmodum clausis foribus conclave Christus introiit, atque exivit, sic prorsus clausô, integróque sigillô permanente ingressus, & egressus, credendus est Christus. Hoc potuit, qui ex nihilo cuncta produxit, qui universa disposuit, qui cunctis imperat, cui omnia parent, & nihil resistit. Hactenus Dionysius.

10. Agnovit quoque Richar. à S. Laurentio lib. 12. Deiparam elogiô illô tam insigni, suam Virginitatem immaculatam fœcunditati mirificè sociatam celebrâsse, dum ita loquitur: *MARIA hîc dicit se fructificâsse, sicut vitis fructificat suavitatem odoris; quia sicut sine læsione vitis, procedit ab ea odoris suavitas, & idem odor longè latéque diffunditur: sic de Virgine sine læsione pudoris DEI Filius processit, cujus dulcis opinio replet mundum. Unde* Luc. 4. *fama exiit per universam regionem de illo. Et benè Christus dicitur fructus & suavitas odoris, cujus suavitas modo in via sentitur ut odor, sed in patria gustabitur, ut fructus, & perfectè saporabitur. Et nota, quòd dicit: fructificavi suavitatem odoris; Res enim odorifera, & odorem à se emittit, & plurimùm odorem in se retinet: sic B. V. emisit suavitatem odoris, fructum suum, qui Christus est producendo, quem tamen excellenter in se retinuit; mansit siquidem in ea secundùm Divinitatem, qui ex ea prodiit secundùm humanitatem. Addit Virgo: Et flores mei fructus honoris & honestatis: mirabile verbum: Flores Fructus; At flos solet præcedere fructum, & fructus sequi: Quid est ergo, quod dicit: Flores mei Fructus, quasi in uno instanti? Notandum hîc, quòd in aliis mulieribus post conceptionem pueri caro priùs formatur, aliquantum tempus posteà anima infunditur; & sic crescendo moratur puer in utero Matris, donec tempus nascendi advenerit; sed non ita factum est in B. V. quia statim ad hanc vocem,* Ecce Ancilla Domini, fiat mihi; *conceptus est Christus plenus, perfectúsque homo in carne & anima, ita tamen, quòd tunc lineamenta corporis, humano visu discerni non possent: & sic ipsa fructum concepit cum flore, ut flos ad conceptionem, fructus ad perfectam humanitatem. Et ideò dicit: Flores mei fructus. Et unde fructus? statim subjun-*

Sicut sine læsione vitis procedit ab ea odoris suavitas: sic de Virgine sine læsione pudoris Dei filius processit.

Qua ratione florem cum fructu conceperit B. V.

jungit: honoris & honestatis. Advertendum, opus carnis etiam in conjugio esse erubescibile; sine conjugio damnabile. Unde Elisabeth, conceptô Joanne, occultabat se mensibus quinque Luc. 1. quia partûs sui erubescebat ætatem, ut ait Glossa, ne in senectute sua vacâsse libidini videretur. Hinc Sara, cùm nunciaretur conceptus, respondit 1. Gen. 18. Postquàm Dominus meus Vetulus est, voluptati operam dabo? *Fructus ergo B. Virginis fuit honoris, quia sine rubore Matrimonialis copulationis; & honestatis, quia sine culpa alicujus carnalis commixtionis. Christus denique flos MARIÆ, fructus est honoris & honestatis, quia ab ipso & per ipsum, totus honor mundi, & tota honestas morum dimanavit.* Sic Richard. de Virginitate ac fœcunditate DEIparæ admirabili, qua tanquam vitis florem, odorem, fructúmque, qui Christus est, germinavit.

11. Quare potiori jure in Vitis hujus ac Vineæ laudem prædicare possumus, quod ingeniosus quidam Poeta de vinea hac aspectabili modulatus est:

Vinea terrarum pars optima, ruris ocellus,
Autumni prima es gloria, primus honos.
Cœlum te dicam; nam quot cœlo astra refulgent,
Tot nitidis astris æmula poma tenes.

12. Et licèt vitis hæc, ac vinea in Nativitate potissimùm Christi florem, odorem, fructúmque omnibus optatissimum dulcissimúmque protulerit, protulit tamen & in Verbi conceptione, cùm Angelo annunciante, Verbum Caro absque ulla læsione Virginei honoris ac honestatis factum est. Quod celebri quôdam miraculô Divina comprobare voluit omnipotentia, dum in festo Annunciationis dominicæ die in Horto B. Bonfilij servorum B. Virginis Fundatoris, vitis, quam plantaverat, inusitatô prodigiô palmites undique extendit, floruit, simúlque uvam, botrúmque dulcissimum protulit; tacitè Divina sapientia nos edocens, simili modo Virgineam hanc vitem in Divini Verbi conceptione se habuisse, dum salvô Virginitatis flore, florem illum de radice Jesse, fructum illum terræ sublimem, benedictum JESUM videlicet, orbis totius medicinam protulit. Philipp. Ferr. in vita Bonfilij 8. Sept.

Quam plantaverat B. Bonfilius Servit. Ord. vitis in festo Annunciationis palmites extendit, floruit, simul uvam & botrum dulcissimum protulit.

13. Verè Vitis hæc Bonfilij pulcherrimus typus Virgineæ fœcunditatis extitit, qua Deipara, totâ obstupescente naturâ exornata fuit, dum divina omnipotentia in Virginis utero velut aula Regia duo hæc sibi tot sæculis adversantia in unum conciliare, atque unire sibi complacuit. Unde præclarè lusit hac de re Vates ille:

Virginitati sociatam fœcunditatem benè exprimit Poëta.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

14. Miraculum hoc divinitus in Virgine perpetratum insinuavit idem Siracides in persona Virginis, dum ait: *Flores mei fructus*, quasi dicat: Ipse flos Virginitatis mihi fructus est, quia illibatus permanens, DEI Filium fructum dulcissimum protulit. Virginitatem porrò Florem esse simul ac fructum S. Cyrillus lib. 4. Apologorum c. 8. Lilij ac Rosæ declaravit exemplô. Cùm enim ficulnea, penes quam flores hi erant consiti, illis insultaret, quòd florerent duntaxat, nullúmque ex se fructum proferrent, responderunt: in nobis id ipsum factum est flos, & fructus. Concludítque Cyrillus. *Igitur Rosa & lilium, & flores fructiferi & fructus floridi sunt.*

Qua-

Quare de Deipara, ob singularissimam fœcunditatem hanc, jure dicere possumus id, quod Plin. lib. 16. Nat. Hist. c. 27. ex frugifero plantarum seminario nullum vitibus, neque celeriùs, neque fœcundiùs fructum proferre; eandémque ob causam eam conferre possumus vitibus in Cea Insula, & Tracapensi Africæ agro geminantibus, quæ ut ait idem Plinius; perpetuò triferæ sunt, in quibus aliæ maturescunt uvæ, augescunt aliæ, aliæ pariter efflorescunt. Talis nimirum Vitis Virgo nostra est, celeritate fœcunditatéque concipiendi fructum, imò vitibus hisce longè eminentior est: Nam cujus arboris quæso fructus est flos simul, & odor, uti diximus, nisi Virgineæ Vitis Deiparæ nostræ? Et quæ major germinandi celeritas, quàm illius, cùm aliæ arbores flores emittunt, hæc fructus, cùm odorem aliæ proferunt, hæc fructus, cùm aliæ tandem fructum unigenum ac simplicem, hæc triplicem affert, quando flores & floris odor ad fructum, fructus ipsi sint? ut de hac vite præclarè Siracides effatus esse videatur Eccli. 11. 24. *Benedictio DEI in mercedem justi festinat, & in hora veloci processus illius fructificat.* Quanta celeritate benedictionem gentium omnium omnino dedit ei Pater æternus, quando incarnata momentô temporis in purissimis ejus visceribus Divinitate, fructum illum terræ sublimem ex ea produxit, qui simul fuit floridus, quia Nazarenus, & odoriferus, quia figuratè de eo dictum: Ecce odor Filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

VitisMARIANA similis vitibus in Insula Cea germinantibus quæ triferæ sunt.

15. Hujus tam admirandæ fœcunditatis causam Dionys. Richel. lib 1. de præcon. & Dignit. B. V. art. 18. Divinæ attribuit similitudini, quæ in Virgine nostra velut tersissimo Speculo mirificè resplendebat: Unde ipsius fœcunditas DEI Patris fœcunditati conferri merita est; Sed libet pijssimi hujus Viri ipsa Verba ob singularem ijs contentam eruditionem referre: *Omne bonum,* inquit ille, *diffusivum est; porrò quod est præstantius, id quoque fœcundius, & quod melioris germinis productivum est, Dignius prorsus censendum est; ajunt Philosophi, divinitati duas præsertim proprietates competere, quæ sunt causalitas, itémque providentia: denique nil DEO causaliùs, nil eò fœcundiùs, quippe qui omnium bonitatum fontana, bonitas extat, atque quò in creatis entibus fuerit ei quid similiùs, eò certissimè est ipsi quoque in dignitate, Deiformique assimilatione propinquius. Omnis porrò creatura quemadmodùm in bonitate, sic & in fœcunditate à DEO secundùm naturam infinitè deficit, atque occumbit: si igitur creatura aliqua nedum consimilis, sed ejusdem quoque cum DEO productrix sit germinis, haud dubium, eam Divinitati effectam simillimam, ampliorémque, quàm vel cogitari queat, aut fari, excellentiam Deiformem sortitam. Sed jam declarandum est, eundem Filium à Patre æternaliter genitum; à MARIA autem in tempore natum, & uti DEUS Pater, sic & homo Mater veri DEI Genitrix censenda est. Etenim idem ipse Christus, qui Patris Filius est sapientia, & virtus, MARIÆ quoque unigenitus est.* Tum Apostrophe facta ad Virginem: *Nunc igitur,* inquit, *gaude O Divinissima MARIA, ac lætare, quoniam in creaturarum universitate non est, qui tuæ queat fœcunditati comparari! Variæ numerantur à Philosophis universales causæ, nulla tamen harum post DEUM, tuæ O præclarissima Mater MARIA, causali fœcunditati valet æquari. Etenim earum tu edidisti factorem, Creatorémque genuisti, qui Cælum terrámque condidit, qui astra elementáque composuit; qui demum universa creavit, à te, O fœlix MARIA! gigni dignatus est; qui cunctis causalem fœcunditatem præstitit, à tua beatissima fœcunditate profluxit. Denique un-*

Admirandæ Virginis fœcunditatis causa attribuitur divinæ similitudini.

de in te tanta fœcunditas, nisi correspondens tibi inexisteret bonitas? Sed gratiæ non naturæ hoc largiri par est. Benedictus igitur O MARIA Ventris tui fructus, qui cœlo quoque & sole, omnique creatura est fœcundior! Hunc O desideratissima Sponsa dilige, ei regratiare, eum amplectere, qui sibi te eatenus conformavit, tam incomparabilem tibi gratiam contulit, omníque te creaturæ prætulit: Hunc diligere teneris, sed diligere non sufficis, quoniam non utique tuis meritis, sed suâ merè anticipante gratiâ hæc tibi, O præamabilis Mater! impertitus est.

Vitis suo odore serpentes dispellit, quod mirificè B. V. convenit.

16. Quid jam de insigni illa vitis hujus florentis dicemus proprietate, quâ serpentes, omniáque venenata odoris sui gratissimâ mortalibus suavitate dispellit: Proprietas hæc mirificè Virgini nostræ convenit; sive enim per serpentes turpes, obscœnásque cogitationes, carnísque stimulos, sive hostes tartareos intelligamus, Virgineæ hujus Vitis Virginitatis flos ijs omnibus adversatur: Audiendus hìc Bernardinus de Bustis Par. 9. Marial. Ser. 1. assim. 12. *Tanquam flores vitis fuerunt mores Beatissimæ Virginis, qui tanti odoris sive honestatis fuerunt, ut omnes serpentes, id est, venenosas cogitationes, animam enecantes, simúlque tentationes impuras à cordibus aspicientium effugârint.* Quare contra hujusmodi carnalium voluptatum illecebras, præsentissimum est remedium, intima per castissimi amoris affectum unio cum DEIPARA, fidelissimúmque ipsius patrocinium. Hoc olim faciendum à Christo & Christianis per Judam adumbratis, prævidit Patriarcha Jacob, cùm Filium Judam alloquens: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem O Fili mi, asinam suam* Gen. 49. Quæ verba librans jam memoratus Bernardinus, per asinam corpus nostrum intellexit, quòd ubi sensus blandimentis titillatur, si Virginis auxilium invocetur, & per consuetam illam formulam, quâ nos in sodalitii ipsius servitio mancipamus, nos ipsi denuo astringamus, atque alligemus, corporis hujus stolidum ac petulcum asinum Virgineæ huic Viti puritatis ipsius odorem persentiscentes, turpitudinem omnem, fœditatémque carnis, tanquam venena serpentésque detestabimur, beatissimámque quandam animi corporísque tranquillitatem nanciscemur. Unde idem Bernardinus: *Beatus*, inquit ille, *de quo dici potest: Ligans ad vitem asinum suum, hoc est, corpus ad imitandam castitatem B. V. adstringens.* Quoties igitur æstus carnalium cupiditatum in corde nostro exardescere incipiunt, ad umbram vitis hujus amœnissimam confugiamus, asinúmque nostrum ad hanc ipsam vitem, innovatione propositi de conservanda perpetuùm castimonia mentis & corporis alligemus: Optimum igitur consilium fuerit, quicúnque de carnis tentationibus victoriam reportare desiderat, ut quotidiè oblationis illam formulam, cùm manè de lectulo consurgimus, piè attentéque recitemus, experiemur, mihi credite, ex hac in dies singulos innovata ad vitem hanc Virgineam colligatione, præsentissimum periculosissimarum hujusmodi tentationum antidotum. Proinde cùm dicimus Virgini: firmitérque statuo, ac propono, te nunquam derelicturum; meminerimus, nos nunquam ipsius castimoniæ, puritatísque imitationem relicturos, sed ipsius bonitate ac patrociniô ad finem usque vitæ conservaturos. Fructus enim Vitis hujus, qui vinum est, germinat puritatem, germinat Virginitatem, ut testatur Propheta Zach. 9.

Patriarcha Jacob prævidit Vitem MARIANAM Genes. 24.

Beatus ille qui ad vitem MARIANAM alligat asinum suum sive corpus.

17. Non est vitis nostra his aspectabilibus Vitibus similis, quæ fructu suo hominem nonnunquam in quadrupedes ac belluas infelici metamorphosi transformant. Unde ap-

Patriarcha Noë primus vinearum plantator & cultor quatuor animalium sanguinem miscuisse, quæ vites irrigasse fertur.

appositè nonnulli apud Cornelium à Lapide in cap. 9. Geneseos, corruptelam & vitia vinearum terræ in exordio mundi post Protoplasti delictum à Deo maledictæ symbolicè depingunt, asserentes: Patriarcham Noë primum Vinearum plantatorem ac cultorem, vitibus quatuor animalium sanguinem miscuisse, puta simiæ, Leonis, Porcij & Agni, eò quòd vinum, furibundos ac crudeles, velut Leones, alios turpes cœnô carnalium voluptatum se se oblectantes, velut porcos; alios blandos ac pios, velut agnellos efficiat. Sed heu! Vineæ hujusmodi, vineæ sunt fellis, ac botri earum amarissimi. Alios longè diversos effectus in hominum animis fructus vitis nostra producit, ut potè sanguine Agni, tollentis peccata mundi, in figuris irrigata. Hæc nobis non importat luxuriam, quæ aliàs in vino esse consuevit, ut testatur Apostolus! sed munditiem Virgineam, Agni mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem, &c. virtutum decora.

Alios longè diversos fructus & effectus Vitis Mariana profert.

18. Hinc Dionysius Richel. lib. I. de præcon & Dignit. B. V. c. 40. postquàm sensum edixisset aliquorum dicentium: Divinum quendam splendorem in ipsa refulsisse, atque supernaturalem aliquam odoris fragrantiam in ipsius sancta fuisse carne, eò quòd fontanum illud æternaléque lumen ipsa concepit, ac peperit, totiúsque suavitatis causalem originem tot mensibus in utero ingestaverit, ac nutrierit postquàm, inquam, hæc præmisisset ita prosequitur: *Hoc credibile, imò prorsus certum est, excellentissimam illam gratiæ plenitudinem in corpus Virginis redundâsse, ac præsertim in vultu resplenduisse; quod ex duplici signo innotescit; si enim perturbatæ ac passionatæ animæ tortuosa latens intus indispositio in facie ubertim cognoscitur, & deformitatem vicissim corpori inducit, cur non Serenissimæ & in Spiritu sancto lætissimæ conscientiæ limpiditas ad vultus decorem, totiúsque corporis venustatem exuberet, ac redundet? Rursus de pluribus sanctis legitur, quòd in ipsorum etiam jam senilibus vultibus Angelicum quid enituit, quod divinæ ac excellentis gratiæ indicium fuit: In Matre igitur sanctitatis, sanctique sanctorum fœlicissima Genitrice, id sublimiùs extitit, ut scilitet gratiosa quædam divináque Serenitas eam totam, ac præsertim in vultu perfuderit: Unde tanta castitatis fuisse creditur, ut à nullo unquam libidinosè concupisci potuerit, quoniam interior puritas in vultu expressa, suâ extinxit virtute aspicientis carnalem appetitum. Porrò hanc Virginei corporis gratiam, post Filij glorificationem auctam, vehementérque continuatam non dubito, quatenus glorificatô Filiô in Cœlis, Mater quoque divina pdulatim glorificationem adipisceretur per inchoationem in terris. Hinc nullatenus dubium est, solô MARIÆ conspectu plurimos Judæorum atque gentilium esse conversos; ac cordialiter compunctos.* Hæc de vi atque energia Virgineorum oculorum, contra fœdos Tartarei serpentis sibilos, sive pestiferas suggestiones Dionys.

Gratiæ plenitudo in corpus Virginis redundasse ac præsertim in vultu resplenduisse.

19. Idem virtutem hanc Virginis cap. 36. attribuit contactui dilectissimi ejus Filij, qui novem mensibus in ejus utero hospitari dignatus est; attribuit castissimis ipsius amplexibus & osculis, quibus eundem toties tanta amoris teneritudine suaviata est, attribuit lactationi, & in ejus florido lectulo simul cubationi, ex quibus omnibus eximiã puritatẽ sanctimoniámque à sacratissimo illo purissimóque corpore, in Virginem Matrẽ transfundi erat necesse. Quæ omnia nos ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum transferre possumus, quô continetur vera caro, anima, Divinitásque Christi Domini, quâ totus homo mirificè sanctificatur, & ab omni labe peccati ma-

Ex contactu filii sui specialis virtus in corpus B. V. redundavit.

maximè carnalis, corruptionéque veluti myrrhâ ac balsamô præservatur; incorruptionémque illam, quæ facit hominem proximum Deo, ipsi confert corpus activum, ut, quantùm de se est applicatum, sibi assimilet, & in ipsum, si capax sit, propriam virtutem transfundat; ex hoc perpendere atque metiri par est, quantùm ex uberrimo affectuosissimóque Dei incarnati contactu purissimæ Virginis caro fuerit Deificata. Enimverò quis Deiformis illius corporis, quod superbeatæ animæ, ipsíq; Divinitati conjunctum extitit, queat explicare virtutem? erat siquidem omni nimiùm quantùm virtute vallatum; quippe quod divinæ operationis proprium dignissimúmque fuit Organum; nam virtus animæ redundat in corpus, & in Christo utique Divinitatis virtus in utrumque redundavit. Tenerrima itáque ac dulcissima, mundissima atque sanctissima, causalissima ac virtuosissima erat caro illa electa, & per eam, atque in ea, quod intus latebat, resplenduit; & ut sic fatear, redolebat atque operabatur. Hujus igitur pudicissimæ Virginis, ac honestissimæ Matris, quæ ipsi maternum omne ministerium exhibuit, & ad incrementa usque perduxit; quæ dulcissimum Infantem, speciosissimúmque parvulum toties in ulnis suscepit, in gremio fovit, ad ubera applicuit; hujus inquam nobile corpus illud, quantùm ex tali tantáque divinæ carnis contrectatione Deificatum fuisse censendum est? quantam dulcedinem atque fragrantiam, quantam munditiam atque virtutem exinde sortitum! Tantæ denique támque admirabilis virtutis admiratione perculsus exclamat. *O summa MARIA, cujus inferior portio, carnem loquor, tam amabilis, tam pura, támque suavis ac decora effecta est! nempe virtus exibat de illo, & sanabat omnes: quod utique in materna, Virgineáque carne, Divinæ confluentiæ capacissima, Virtus illa Christi peregit: Legimus quosdam ex sanctorum aliquorum colloquio, vel intuitu, osculo vel attactu, mentis fervorem compunctionémque adeptos: Quid ergo divina Genitrix, quæ uti dictum est, cum sancto sanctorum primùm in terris vixit, quid inquam, hinc sanctitatis ac gratiæ, mentis & corporis contraxisse credenda est? tantam profectò, quæ etiam in circumstantes, maximè mœrentes atque afflictos, sensûs carnísque incentivis ac tentationibus divexatos redundaret, eisque mentis serenitatem induceret, corporísque rebellionem sedaret.*

20. Jam quid de Virgineæ hujus Vitis odore, Tartareos serpentes effugantis dicam! Idem sæpiùs memoratus Richelius art. 21. virtutem hanc Deiparæ, Cacodæmones in fugam agentem, totam in Dei refert Omnipotentiam, quam cum Matre participare ex speciali gratia non est dedignatus. Sic igitur ille: In Dæmones Dominium B.V. *Si scire cupimus, quomodò DEI in MARIA refulgeat omnipotentia, quid ei ex se & per naturam, & item quid per gratiam ipsi conveniat, speculari oportet. Enimverò si gratiam ab ea tollas, non erit, in quo cæteris sit præstantior; si autem gratiam agnoscas mirari non sufficis. Cernes enim Juvenculam, tenerámque Virginem, Diabolicæ fraudis atque nequitiæ fortissimam victricem, omnium quoque virtutum ordine ita stipatam, ut jam cadant à latere ejus mille, & decem millia à Dextris ipsius. Ipsis námque tenebrarum Principibus sic erat terribilis, ut castrorum acies ordinata, muris ac fortalitiis obvallata. Intueberis ex Ancilla humillima DEI Matrem effectam, & in propriis oculis minimam, super Angelorum choros universos elevatam. Jam O hominum æmule, serpens falsissime cerne, & erubesce, te, qui Divinitati æquari superbissimè optabas, à Virguncula ista*

cum omni tua virtute, ac cohorte universa supplantatum, atque contritum, & nunc, velis, nolis, ejus ditioni, tu, & tui subdimini, eique paretis! non valetis resistere, sed neque mutire audetis: Charitas ejus incendit vos, opprimit humilitas, & puritas fugat. Meritò omnino O MARIA in DEI tui amore resolveris, & liquefis: & à te ipsa deficiens, eum sempiterno ardore ineffabiliter complecteris. Fecit enim tibi magna, qui potens est, & sanctum Nomen ejus; quippe qui semetipsum ex te fecit, assumens, quod non erat, manénsque nihilominus, quod erat, ac per hoc omnia, quæ fecit, refecit. Hæc Dionysius.

21. Idem Dionysius elogium illud expendens Sponsæ Cant. I. *Equitatui meo, in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea;* vim fortitudinémque adversùs potestates ac Principes tenebrarum, DEI fortissimo illi exercitui ex Angelorum Phalangibus potissimè conflato, conferre non dubitavit eodem lib. cap. 37. *Notum est*, inquiens, *quemadmodùm olim exercitus DEI, plebs Hebræa (adminiculô videlicet Angelorum) submersis Ægyptiis, DEI Omnipotentiam magnificentiámque repræsentavit: Sic prorsus MARIA, dum in virtute Creatoris aëreas omnes potestates devicit, atque oppressit, non ineptè exercitui illi Divino, in curribus Pharaonis submersis triumphanti, assimilatur. Quid mirum igitur si ad solum ipsius virtutum, velut florum vitis odorem, deterrimi illi Orci tenebriones lethiferique colubri profligantur, si quidem Angelorum virtutem atque energiam, imò & de ipsius Angelorum Regis omnipotentia participavit?*

[...]testas B.V. [...]bellandi [...]æmones.

22. Denique idem Doctor extaticus lib 3. cap. II. postquàm ostendisset Deiparam fortem illam Mulierem esse, quam tanta solicitudine inquirebat Salomon, ad Virginem conversus, ita fortitudinem ipsius adversùs potestates tenebrarum, earúmque exercitus deprædicavit: *O Sacra MARIA, nedum fœminarum, sed virorum quoque fortissima! per quam inferorum sunt claustra confracta, portæ æreæ contritæ, vectésque ferrei disrupti; quæ denique universas aëreas potestates tam inclytô triumphô dejecisti, ut jam caderent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, neque tibi ampliùs appropinquare auderent, quin potiùs spiritualium in te cernentes catervam, ordinémque virtutum, territi atque ad fugam se cohortantes dicerent: Castra DEI sunt hæc, fugiamus Israëlem: His námque terribilis erat, ut castrorum acies ordinata. Nec miror O Domina, quod summis Angelorum robustior fueris, & tantâ fortitudine potens, siquidem Dominum virtutum Christum Regem, qui Patris Virtus est, cuncta sustentans, protulisti.*

[...]ipara illa [...]ier fortis [...]m quæsi[...] Salomon.

23. Ostendit Virgo Deipara Tartareis hostibus se esse formidini, varijs miraculis ac prodigijs, ídque vel solâ sui Imagine, suísque sacris Lypsanis atque invocatione. Celebre est, quod scribitur in Philippinarum Insularum Annuis Residentiæ Samarensis Anno 1605. ubi ita legitur: Magicarum Artium inanis cupiditas incenderat adolescentem, alioquin ingeniô, divitijs, nobilitate florentem, quem videndi dæmonis desiderium tenebat: Invenit tandem hic magum quendam, qui certis circulationibus, verbórumque deliramentis, Dæmones evocabat, quoties volebat, familiarissimè alloquebatur; rogat eum Juvenis, ut se illam scientiam doceat; facit iste libentissimè, coram Adolescente verba sua profert, circulos facit, quibus rebus apparere Dœmones solebant: Sed tunc nihil profecit; Magus rem admiratus, quærit ex Dæmone causam, cur non appareat vocatus! Respondet: Imaginem esse cau-

Ostendit B.V. vim suam contra Dæmones variis prodigiis.

Sola Imago B.V. arcet Dæmones.

sam; erat autem Imago B. V. MARIÆ, quam apud se habeat Adolescens, qui tum demum aperuit oculos, & suum flagitium detestatus & Magum, artémque magicam, ac Dæmones toto conatu execratus, B. V. misericordiam implorat, cujus potentiam sit expertus.

24. Item Cacodæmones, in corporibus etiã humanis delitescentes, Deiparam, velut serpentes Vitem florentem reformidant, ut eædem attestantur literæ, quæ postquàm Imagine B. V. dolorem gravem, quô mulier Biscaya cruciabatur, sublatum fuisse retulissent, ejus rei causam reddentes, reformidant quippe omnia mala, inquiunt, Dominam bonorum, sed multò magìs Princeps malorum Diabolus eam reformidat: Quod illico hujusmodi comprobant exemplô. Mulierem Samarensem inimicus Dæmon occupaverat, ille autem erat mutus, & varijs miseram vexabat modis: Vocatur quidam ex nostris Patribus, ut medicamentum aliquod spirituale adhiberet contra spiritum nequitiæ; armat hic se inprimis oratione; & quia se infirmum adversùs fortem Armatum, qui arcem illam occupabat, sentiebat, vim majorem adhibendam putavit: Crucem igitur reliquiarum, in qua erat velum B. M. V. & pallium B. Josephi, & os B. P. N. Ignatij, super mulierem applicavit; & ecce continuô agitatio conquievit, & motus, solutúmque est vinculum linguæ JESUM pronunciando.

Reliquiæ sacræ fugant Dæmones ex corporibus humanis.

25. Quid jam de amœnissima hujus Virgineæ nostræ Vitis dicemus Umbra? Propheta Malach. 1. securitatem Isaraelitici populi ostendere volens, ex protectione DEI promanantem dixit: *Sedit unusquisque sub vite sua.* Eadem verba in sacris literis per modum parœmiæ ad eandem securitatem, pacémque tranquillissimam denotandam passim usurpantur. Qui sanè loquendi modus benignissimam Virginis nostræ, veræ Vitis nobis ob oculos ponit, securissimámque omnibus in periculis protectionem. Hæc enim est ingens illa amplissimáque Vitis, quæ DEI Omnipotentis manu plantata, *implevit terram. Operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus Cedros DEI; extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.* Psal. 79. v. 10. & seq. Virgo enim hæc pro innata sibi pietate, ac clementia totum orbem complectitur, terram universam suis beneficijs implens; ipsa protectione suâ operit montes; sæcularis potestatis Principes, Reges, Imperatores, operit & DEI Cedros, Ecclesiæ culmina, Prælatos, Episcopos, Cardinales, summos Pontifices: extendit denique suæ protectionis palmites ac propagines usque ad MARIA extrema, ad ultimam usque Thulen ad sola terrarum extremarum, ipsósque Antipodas, penetravit. Omnibus denique suis clientulis in tantis mundi hujus assiduè, ad instar maris tumultuantis, ac frementis turbinibus, tutissima pax est, ac securitas. Unde Franciscus de Retza Ordinis prædicatorum Tomo 2. M. S. in Salve Regina Clementiam Deiparæ accuratiùs expendens, etymónque clementiæ discutiens, postquàm præmisisset: Clemens dicitur à *Cluo*, *Cluis*, id est, defendo. Unde Isidorus Etym. c. 8. *Clemens dicitur ab eo, quod cluat, id est protegat, & tueatur, sicut Patronus Clientem; & sic dicitur Clemens, quasi cluentem mentem habens*, postquàm inquam, hæc dixisset, mox adjunxit: *Et in hac significatione Clemens in summo & cum excellentia dicitur de Virgine Beatissima: Ipsa enim quasi cluentem habens, semper suos clientes illi servientes, eámque colentes defendit.*

Protectio B. V. extenditur ad omnes fines terræ: illa nostra tutissima securitas.

Un-

Unde olim clientes dicebantur, quasi colientes à Patronis colendis, secundùm Isidorum cap. 12. *Et sunt Patroni à Patribus dicti, eò quod talem affectum clientibus exhibeant, ut quasi Patres illos regant, eodem Isid. teste* cap. 38. *dicitur ergo in ista significatione Clemens Virgo beatissima, tum quia cluit potenti auxilio & defensione, cui nulla potentia potest resistere, quia Cœli Regina est: tum quia cluit libenti præsidiô & compassione, cui DEUS misericors complacet annuere, quia misericordiæ Regina est: Cluit denique prudenti officio & intercessione, cui summa æquitas novit etiam petita concedere, quod Advocata nostra fit. Dum igitur fidelissima hæc Patrona atque Advocata nostra pro nobis, apud Filium suum intercedit, dum causas nostras prorsus subinde desperatas agit, dum nos adversùs Infernales, aliósque mundi hujus Adversarios, eorúmque insidias, fraudes, ac technas defendit, quid aliud Virgo nostra videtur agere, quàm nos suæ protectionis umbrâ ad instar vitis tueri, suóque dulci fructu pascere atque recreare? Unde quivis ejus clientulus ex ejus umbra refrigerium animi expertus, dicere poterit, quod ipsa de Filij sui dilectissimi umbra contestata est:* Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Quare quisque nostrûm ejus clementiâ ac mansuetudine incredibili fretus, confidenter ad ipsam accedat, refocillatum sanè se invenerit. Audiamus Dionys. Richelium lib. 3. cap. 19. de præc. Deip. nos ad confidentiam hanc exhortantem: *Igitur quoniam in cunctis, quæ de MARIA Evangelica pandit narratio, aliud prorsus non invenis, quàm quod in omnibus verbis, ac factis mitissima fuerit, universæq; demum crudelitatis atque amaritudinis expers, misericordiæ atque dulcedinis visceribus supereffluenter redundans, singulis exorabilis, cunctis placabilis; hinc de cætero ne reformides neque desperes; accede ad MARIAM, eam ut misericordissimam Advocatam implora, in ea tanquam fidelissima protectrice confide, per illam velut mitissimam Mediatricem salvari exposce, sub umbra ejus quiesce, illic persevera, nec abeas inde.*

26. Sanè de hac benignissima mortalium omnium ac nationum Advocata ac Protectrice, jure meritò id usurpare possumus, quod Cassiodorus lib 11. Variarum lect. c. 1. de præstantissima quadam Italiæ Regina pronunciavit: *O seculi beata fortuna! sub Principe feriato, Matris regnat affectio, per quam totum sic peragitur, ut generalis nos tegere charitas sentiatur. Tantus est genius maternus, cui etiam jure Princeps servire debuisset extraneus. Hanc enim dignissimè omnia Regna venerantur; quam videre reverentia est, loquentem audire miraculum. Qua enim linguâ non probatur esse doctissima? Atticæ facundia claritate diserta est: Romani eloquij pompâ resplendet, nativi Sermonis ubertate gloriatur, excellit cunctos in proprijs, cùm sit æqualiter in cunctis mirabilis. Nam, si vernaculam linguam benè nôsse prudentis est, quid de tali sapientia potuit æstimari, quæ tot genera eloquij inoffensa exercitatione custodit? Hinc venit diversis nationibus necessarium magnúmque præsidium, quòd apud aures prudentissimæ Dominæ nullus eget interprete. Non enim aut legatus moram, aut interpellans aliquam sustinet de Mediatoris tarditate jacturam, quando uterque & genuinis verbis, & patriotica responsione componitur. Jungitur his rebus quasi diadema eximium, inapretiabilis notitia literarum, per quam, dum veterum prudentia discitur, Regalis dignitas semper augetur; sed cùm tantâ gaudeat perfectione linguarum, in actu publico sic tacita est, ut credatur otiosa. Paucis litigia nodosa dissolvit, bella ferventia sub quiete disponit, silentiosè gerit publicum bonum, & temperamentô mirabili dissimulando peragit, quod acceleran-*

dum esse cognoscit. Hæc Cassiodorus, quæ sanè longè aptiùs ad gloriosissimam cœli Reginam, universalémque gentium, populorúmque omnium amantissimam apud Filium Advocatam ac Protectricem essent transferenda.

27. Protectio hæc Virginis, & apud Filium interpellatio P. Edmundo Campiano, qui in Anglia ob Catholicæ fidei testimonium, tanquam perduellionis reus, ut scribit Allegambe in Biblibth. script. Soc. raptatus, suspensus, semivivus de furca dejectus, corde spiranti ad huc evulsô pudendis abscissis, in ignem visceribus conjectis, atque combustis, vitam gloriosè terminavit, mirificam lætitam pariebat: Unde cùm in Pragensi Academia sodalitium inter Adolescentes esset institutum, ejúsque gubernationi præfectus, oratione, quam in hujus Congregationis auspicijs habuit, ita de protectione Deiparæ disseruit: *Illud in meis maximis commoditatibus, fructibúsque jucundissimis repono, quod à singulari DEI beneficio tale sodalitium erectum, atque institutum viderim, cui Beatissima Virgo peculiari quadam ratione tutelam, patrocinúmque præstare cognoscatur. Cujus ego sodalitatis etsi pars infima, atque postrema saltem; tamen meam lætitiam, quam ex hac mea conditione concepi, hodiernâ sanè die dissimulare non potui. Quid enim potest Adolescenti lubrico, & infirmo vel gratiùs, vel gloriosius existimari, quàm illius Virginis propinquiori quôdam niti patrociniô? Cujus Virginis tanta est in defendendo potentia, tanta in deprecando gratia, ut nullam penitus apud suum Filium, quem pro mortalibus interpellat, repulsam patiatur.* Jam, paucis intercalatis, luculentissimam affert causam, cur ad confugiendum sub Umbra Vitis hujus Virgineæ exstimulari debeamus, ut ab illa contra omnes mundi hujus adversitates, Dæmonúmque insultus protegamur, asserítque hanc esse ardentissimam in universum genus humanum charitatem. *Neque enim*, inquit ille, *non maximos & vehementissimos habere potest aculeos, ad incitandos omnium nostrûm animos; ut frequenter & fideliter hujus sacratissimæ Virginis imploremus auxilium, si hoc priùs fixum, & intimis sensibus inclusum teneamus, quàm illa libenter, quàm cupidè, quàm validè, quàm assiduè, quàm etiam in gravissimis ac desperatissimis alioquin negotijs humano generi succurrat: Et certè nullum est fundamentum, aut firmamentum stabilius eorum suffragiorum, quæ à Divis Cœlitibus expectamus, quàm ille ipse fervor & ardor charitatis, quô illi tanquam propitia sydera, ad nostras miserias sanandas atque mitigandas feruntur, cùm humanis tenebris illucescunt. Quod si ita est, quanta spes, quanta lux, quanta fiducia nobis meritò refulget, quoties ab ea salutem suppetiásque deposcimus, cujus amor, dilectio, flamma, fax, incendium charitatis, non solùm hominibus, sed etiam Angelis gaudium, solatium, miraculum excitavit? Hæc quia super omnes Christianos dilexit, ac diligit, præ omnibus etiam tenerrimè Christianorum calamitatibus miseretur. Hæc quia purissimè custodivit innocentiam, idcircò diligentissimè peccatorum sordibus inquinatos repurgari cupit. Hæc quia totius domicilium & vasculum sanctitatis fuit, propterea curat avidissimè, ut fideles ad ipsam confugientes, pulcherrimarum virtutum accessionibus augeantur, nobilissimis thesauris locupletentur, uberrimis gratiæ donis fœcundentur. Atque hoc illa præsidium, hanc protectionem, remediúmque præsentissimum non solùm in periculis animarum semper contulit, sed etiam in discrimine corporum, fortunarum, atque amicorum, bonorum, patriæ, libertatis, quantùm fragilitati nostræ expedit ex istis difficultatibus vindicari. Plena sunt exemplis ac testimonijs Sacella, monumen-*

Exhortatio P. Campiani ad Sodales in Academia Pragensi de Protectione Deiparæ Clementissimæ.

menta, statuæ, tabulæ passim velut trophæa quædam in hujus beneficij memoriam dedicata, quæ MARIÆ Misericordiam, protectionémque, terrâ marique laborantibus opportunè præstitam contestantur. Ille barbaricam Tyrannidem & servitutem Turcicam perpessus, ab hac Virgine solatium expetivit, & præter omnium spem ereptus è carcere, catenas ipsas & vincula, quibus tenebatur, in Ecclesiam ejusdem Virginis importavit. Ille oppressus per calumniam, nihil jam aliud nisi Carnificem præstolatus, ictúmque capitalem; huic Virgini suspirium religiosum cum voto emisit, statimque in pristinam securitatem restitutus est. Ille fœdissima & horridissimâ cruciatus ægritudine, hanc sibi extremo suo difficilique malo patronam advocavit, neque ita multo post ita respiravit, atque revixit ut suam ipse curationem obstupesceret. Ut ostendat porrò protectionem hanc, non ad particulares tantùm personas extendi, sed communem esse toti christianitati, imò mortalibus omnibus, totius mundi Universitati, cui Virgo tutelâ suâ plusquam Maternâ patrocinióque clementissimô tranquillissimam tribuit securitatem, atque ab interitu liberationem, ita prosequitur: *Quid ego nunc illas publicas, & omnium Christianorum communes ærumnas, atque calamitates persequar? quas illa nisi minueret, molliret, relevaret, averteret, quid putatis, in hoc tam depravato & exulcerato sæculo cum rebus humanis ageretur? quæ plagæ sceleribus nostris debitæ volitarent? quæ pestes grassarentur? quæ fames viscera miserorum, ac intestina corroderet? quæ cruces hanc impuram & flagitiosam carnem affligerent? Quæ bella Monarchiam nostram everterent? qui turbines ædificia nostra quaterent? quæ in temperies aëris elementa nobis ipsa confunderet, terraq; fructus & mortalium alimenta disperderet? cur ista non accidunt? si olim aquis, sulphure, gladiô, inediâ, terræ motibus, ruinis nefariæ gentes excisæ, vastatæ, ac dissipatæ perierunt, fuitne ullum tempus aliquando, in quo plura Sacrilegia, major incestus, horribilior blasphemia, nequiores insidiæ, duriora pectora, effrænatior libido, intolerabilior superbia regnaverunt? Si quæ gens propter luxuriam consumpta est, ecce tibi tempora, in quibus non solùm adulteria dominantur, sed etiam castitas atque Virginitas DEO consecrata inter summa flagitia numeratur: Si qui Gigantes in DEUM contumeliosi, justis supplicijs fracti, quassatique fuerunt; ecce tibi sæculum, in quo tot hæreses tantas blasphemias eructant, ut credibile sit inter ipsos Cacodæmones, damnatósque Spiritus, hujusmodi voces summo cum tripudio frequentari. Cur igitur paribus peccatis, paria supplicia non inferuntur, imò cur ætati nostræ multò magis execrabili, quàm illæ superiores fuerunt, non saltem æqualia tormenta DEO vindice, justissimóque Judice infliguntur?* Tum totam causam in intercessionem, patrociniumque rejiciens Virginis, modum etiam, quô Virgo mundum protegere, ac contra justissimi Judicis iram nos tutari consuevit, eleganter descripsit: *Equidem*, inquiens, *videre mihi videor, Christum JESUM Filium DEI vivi, tot injurijs lacessitum, jam jam tela manu corripientem, atque vibrantem, quibus hanc progeniem tam diram, tam pestiferam feriat, comminuat, exterminet: Sed ex altera parte Divinissima ipsius Mater, Mater misericordiarum, maternis affectibus excitata, supplici rogatu pœnas intentantem continet, & coram Filio gratiâ plena Genitrix provoluta quotidiè suspensionem vindictæ, dilationem ultionis, expectationem pœnitentiæ orat, obsecrat, obtestatur: Vide*, inquit, *dilectissime Fili! palmas extensas, quæ Infantulum contrectârunt: agnosce ubera, quæ suxisti, intuere faciem, cui tot oscula tam dulciter impressisti, aspice Virgineum pectus,*

quod tuô passionis gladiò penetrâsti: Cerne brachia, quibus portari ac sustentari voluisti: considera gremium, in quo nunc vagiens, nunc dormiens, nunc mammillam pressans jacuisti, miserere membris tuis, quos, ut redimeres, non solùm labores infinitos exantlâsti, sed etiam illam ipsam carnem, quam ex me sumpsisti, patibulo crucis addixisti, illum ipsum sanguinem, quem de meo hausisti, copiosissimè profudisti. His vocibus interpellatus Filius ictum paratum jam, ac destinatum cohibet, Matrémque purissimam contemplans, nihil tam grave támque arduum æstimat, quod non hujus intercessioni liberalissimè concedat, amantissimè remittat, clementissimè condonet, munificentissimè largiatur.

28. Hæc Campianus piè ac eleganter simul, quibus pervenustè ostendit, quanta cum charitate, quibus artibus contra peccatores sævientem, teláque justissimæ indignationis vibrantem Judicem cohibeat, nósque sub umbra alarum suarum ab ejus horrifico furore protegat, verámque se se nobis, maximè suis clientulis vitem exhibeat, suarúmque propaginum compassione jucundissimam nobis securitatem tribuat. Concludit tandem ostendendo, quàm cupidus fuerit sub Umbra vitis hujus protectionéque requiescere, dulcissimáque illâ, quam suis amicis indulget, securitate perfrui: *Audiente satana*, inquit ille, *Numen illud sempiternum, tuámque augustissimam celsitatem ac claritatem pronuncio; tibi corpus & animam commendo meam, tibi me credo atque committo confidenter, neque quidquàm magìs in votis habeo, quàm ut ex do. ibus atque ingenio quantulocunque meo aliquis in te aliquando possit honor redundare.*

Concludit Exhortationem, ostendendo quàm cupidus fuerit sub protectione Deiparæ quiescere.

29. O verè ingenuum tantæ Matris Filium! O clientem Virgineô patrociniô protectionéque dignissimum! qui totum se in corpore, anima, omnibus sensibus, ac facultatibus DEI Matris servitio atque obsequio, tantâ animi promptitudine atque alacritate mancipare, quò illi ob tam eximiam protectionis gratiam gratus esse posset, anhelabat. O verè imitatione dignissimum servum, & Amicum Deiparæ Edmundum! qui tot beneficijs ac gratijs se ab illa dotatum ac locupletatum, quot in extremo illo suo agone, tanquam fortissimus Christi Athleta, spectaculum factus DEO, mundo, Angelis & hominibus, demonstravit, agnoscens, totum se se ipsius obsequijs devovit, consecravit, eíque semper ardentissimo, castissimóque amore viti, quod maximè illa exoptat, inhærere studuit.

30. Hôc amore accensus pijssimum illud carmen, quô Litanias de B. V. breviter ac piè comprehendit, modulatus est, quod cùm idoneum sit fovendæ, ut loquitur P. Alegambe in Deiparam pietati, nec passim obvium, hìc attexendum censui: *Sancta DEI Genitrix Virgo MARIA Sacra! O Rube, qui medio sospes in igne fuit! Turris Davidicæ gloria, mentis apex; Vellera Gedeonis, flumina dulcis aquæ. Fons occluse, Domus aurea, Porta Sion; Lectule pro thalamis, & Salomonis ebur; Hortule, flos campi, lilia, stella maris. Pulchra, carens nævo, Sponsa, Columba DEI; Sol electe, nitens Luna, ruina stygis; Palma triumphalis; Pacis oliva, scala; Fusa procul Platanus; deliciúmque Rosæ, Virtutis speculum, perpetuáque Cedre.*

Litaniæ de B.V. quos Edmundus Campianus composuit carminicè.

Ora pro nobis?

31. Quis igitur his aliísque pietatis studijs in Deiparam nostrum Edmundum, in tantis periculis con-

constitutum ipsius protectionem commeruisse dubitabit? Certè P. Balinghen in Cal. Deip. 1. Decem. scribit: eum cùm dies duos noctésque pene integras in equuleo gravissimè torqueretur, Jesu ac Mariæ Nominibus piè frequentérque invocatis, præsentissimum auxilium ac levamen fuisse expertum, eosdémque sensisse propitios admirabili illâ patientiâ, animíque fortitudine, in tam dira illa omnium nervorum membrorúmque corporis extensione, ipsi collatâ: atque ita Virginis innixus patrocinio, ut columnæ firmissimæ, ejúsque protectus auxiliô, uti nubis, ac Vitis ab æstu persecutionis eum obumbrantis, gloriosissimè de suis hostibus triumphavit, expertúsque est verissimum illud Virginis esse pronunciatum Eccl. 24. *Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Quam sententiam in rem nostram aptissimâ paraphrasi transtulit Hugo Card. de S. Caro: *Potestas mea stabilis est, ut columna, & toti mundo utilis ut nubes, quæ Solis ardorem temperat, & terram irrorat, & fœcundat. Hæc est enim Columna nubis, quæ præcessit & proetxit Filios Israël per desertum, ita stabilis, ut nec ab ipsis peccatoribus recederet: Sic B. V. multos in peccato jacentes protegit: Ipsa enim est Advocata peccatorum.* Quòd si peccatores mirificâ suâ benignitate Virgo protegit, quantò magìs eos, qui ipsam intimè diligunt, se séque ejus obsequijs totas mancipant, eíque corde puro, ut viti palmites adhærescunt, uti fidelissimus ejus servus ac Filius adhæsit Campianus.

Deipara vitis nos palmites per affectum amoris inhærentes esse convenit.

32. Quare dum Virgineam hanc Vitem nobis loquentem audimus: *Ego quasi vitis*; Imaginemur similiter, eamdem etiam illa verba Filij pronunciare: *Ego sum vitis, vos palmites.* Quô tacitè admonemur, ut intimè ipsi uniri per syncerissimæ charitatis affectum, ut fecit Campianus, contendamus, si de ipsius vigore, influxu gratiæ, de dulci ejusdem indole, atque ingenuitate reliquísque virtutibus, quibus super omnem creaturam pollet, haurire ac participare desideramus. Quemadmodùm enim palmes viti unitus, humorem illius, virorem, florem, fructúmque in se derivat, omnésque aspicientes suâ mirificè recreat amœnitate: Sic Virginis amantissimi clientuli magnô pietatis affectu in amorem ejus purissimum, córque illud amantissimum immigrantes, se séque quodammodò in illam tranformantes, influxum in se ipsius gratiarum, virtutúmque omnium, puritatis videlicet, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, fortitudinis, & castitatis experiuntur, ita ut reverà sodalitiorum Parthenoriorum hujusmodi Adolescentes, velut florentes palmites identidem contemplatus dicere possimus, quod olim Balaam electum Dei populum ex edito loco intuens, vaticinatus est Num. 24. 6. *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël, ut valles nemorosæ ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi Cedri prope aquas.* Quæ omnia, si ad spiritualem animæ, divinæ gratiæ precibus Virginis impetratæ, rivalis ac fluvijs irrigatæ amœnitatem transferantur, egregiè sanè Cœtibus Parthenijs congruunt.

33. In his enim videre est Jacobos mundi, carnis, sathanæ vitiorúmque omnium supplantatores, qui assiduè contra hujusmodi monstra indefessè bellum gerentes, in tabernaculis ac tentorijs strenuissimorum instar militum versantur. In his videre est Israëles, qui non contenti vocali oratione

Sodalitatum Marianarum & sodalium, elogia.

æternum Numen deprecari, ac venerari, meditatione etiam, ac contemplatione supra se elevantes, Deum vident, æviternæque illius beatitatis dulcedinem, quæ in clara Dei visione atque intellectione consistit, adhuc in hac constituti mortalitate degustant. In his videre est valles profundæ humilitatis, varijs fructiferis arboribus consitas ac nemorosas, quæ & Ecclesiæ, sua pulchritudine, oculos capiunt, & gustum dulcissimis bonorum operum pomis oblectant. In his videre est hortos juxta fluvios irriguos: quid enim quæso, est animus cujuspiam sodalis Mariani, quot hebdomadis dignè, magnóque pietatis sensu, Sacramenta frequentantis, quàm Hortus quidam, varijs virtutum flosculis exornatus, qui, dum divinæ gratiæ rore copiosioribúsque subdnie cœlestium donorum imbribus irrigatur, Divini Pneumatis Austrô, favoniisque perflatur, benignis cœli influxibus fovetur, atque fœcundatur, virorem, amœnitatem, pulchritudinémque suam immarcescibilem conservat, Dei hominúmque oculis acceptissimam? Nimirum duo illa Sacramenta Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Augustissimæ, ardentissimáque erga Dei Matrem Devotio, fluvij quidam sunt, gratiarum suarum profluviô atque impetu non solùm Civitatem Dei, quæ est Ecclesia, lætificantes, sed & hortos hosce particulares copiosè irrigantes, Paradisiacam ipsis quandam conferre videmus venustatem. Prope has easdem aquas altissimæ illæ Cedri Dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, Pontifices Patriarchæ, Episcopi, Prælati, Principes, Reges, Imperatores mirificos pietatis fructus hisce sodalitijs adscripti cum orbis totius admiratione producunt.

34. Ad hosce uberrimos Paradisi fontes consita erat lectissima illa Virgo Mathildis Princeps, Agnetis Imperatricis Filia, quæ cùm mirifica charitate Christi complecteretur Ecclesiam, varijs calamitatibus ea tempestate oppressam, Gregorius VII. Pont. Max. ad majores in dies pietatis capessendos fructus, ei calcar addere volens, suadet, quemadmodùm videre est apud Baron. Tom 11. Anno 1074. ut ad perfectam Christianæ Religionis vitam excolendam in his duobus potissimùm insistat, nempe ut sacratissimam Eucharistiam frequenter accipiat, & erga Dei Genitricem propensiori amore sit affecta, sed ipsa aurea planè Gregorij verba audiamus: *Debemus O Filia ad hoc singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideò, charissima B. Petri Filia, scribere procuravi, ut fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini major tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliáque dona, non aurum, non lapides pretiosos amore Patris tui, cœlorum videlicet Principis, à me tua requirit anima, licèt ab alijs Sacerdotibus longè meliora pro meritis accipere possis. De Matre verò Domini, cui te specialiter commisi, & committo, & nunquam committere, quòusque illam videamus (ut cupimus) omittam, quid tibi dicam, quam cœlum & terra laudare, licèt, ut mereretur, nequeant, non cessant? Hoc tamen procul dubio teneas: quia quantò altior & melior ac sanctior est omni Matre, tantò clementior & dulcior circa conversos peccatores & peccatrices.* Hæc Gregorius. Quibus Baronius, ut ostendat, Mathildem Cedrum quandam inter omnes orbis Principes, pietate eminentissimam, hisce spiritualibus fluentis irrigatam evasisse, hæc attexit: *His planè Mathildis suffulta subsidijs, mirum dictu, quantùm in Christiana Vita profecerit, & quantùm se super cæteras fœminas exaltaverit, quantùm*

Mathildem Gregorius VII. Pontifex maximus hortatur ad frequentem Eucharistiæ sumptionem, ac singularem amorem erga Deiparam.

tùm etiam super omnes Reges ac Principes eminentior apparuerit, & fortior sit inventa etiam robore militari.

35. Ad eosdem hosce Paradisi fontes, velut igens quædam amœnissimáque Cedrus Magnus ille Imperator Austriacæ domûs splendor & gloria, Partheniorum sodalitiorum decus ac delicium, consitus esse videbatur, Ferdinandus II. sanctissima hæc Sacramenta tum frequentando, tum summa cum pietate venerando, uti patet ex libro de virtutibus Ferdinandi à Confessario ipsius magna cum sedulitate ac prudentia conscripto cap. 1. ubi sic loquitur: *Sacramenta uberrimos esse fontes, è quibus bona Cælestia in mortales profluut, semper existimavit: Uti divinæ gratiæ cupidissimus fuit, ita planè frequens hos fontes adijt. quinquagies minimùm annis singulis, & exomologesim facere, & synaxim sumere cùm fuerit solitus, id verò usurpabat vel maximè solennioribus Christi, Virginis Matris, Apostolorum, eorúmque cælitum, quos in Patronos elegerat, festis diebus, tum sanctioribus temporibus anni quibusdam, quadragesimæ scilicet, & adventûs, quando Dominicis singulis diebus incidentibus festis, & pœnitentiâ animum sanabat, & Evcharistiâ reficiebat: Vesperi ante synaxim percipiendam severiore abstinentiâ Cœnulam accessit, nisi absolutum eo die jejunium imperavit: Ipso Evcharistiæ suscipiendæ tempore tantum ardorem, pietatem tantam, tot suspiria, tot lacrymas præseferebat, ut incensus DEI amore animus planè è Corpore Servatori suo obvius ire velle videretur.* De Veneratione verò Augustissimæ Evcharistiæ Sacramenti idem Auctor ita prosequitur: *Solennis Austriacis Principibus in Evcharistiam cultus, ac Reverentia Ferdinando II. non modò non defuit, sed planè præ cæteris quàmplurimis fuit. Recurrente tempore, quô Christianorum pietas octo integros dies Evcharistiæ colendæ, ornandæque attribuit, nunquam Ferdinandus à Supplicationibus abfuit; pedes, nudô capite, solâ floreâ redimitus coronâ, facem dexterâ præferens, quotannis DEO suo triumphanti famulatus est. Accidit aliquando, ut diutiùs gestatâ face, brachium, manúsque intumuerit: subsecutâ die supplicationi interesse alteri cum vellet, maléque affectum brachium de collo suspensum haberet, è proceribus aliquis, Cæsari à face ferenda, eò die cessandum asseruit: at ipse: superest, inquit, adhuc manus altera, quâ DEO serviam.* Quando aut exeunti, aut redeunti in Aulam occurebat Sacerdos, Evcharistiam deferens, Rudophi. I. imitabatur exemplum: Illico venerabundus exiliebat curru, fixis etiam lutulenta in humo genibus DEUM adorabat; Sacerdotem sive ad ægrotum ab Ecclesia, sive ab illo ad hanc euntem pedes prosequebatur. Græcij in Evcharistiam cùm incidisset, non modò Presbytero ad infimæ sortis hominem in suburbium properanti præstò fuit, sed ægroti etiam paupertatem mirificâ liberalitate erexit. Plurima illi in tanta Regnorum turbatione, bellísque difficilia, & gravia cùm occurrerint, hoc habuit in omnibus solenne, & præsentem Divini Numinis opem impetrandam, publicum Evcharistiæ cultum indicere: Itáque sæpissimè modò in uno, modò pluribus in Templis, ipsóque no rarò Aulæ sacello, Evcharistiam jussit publicè proponi, colíque; Ipse cæteris, ut præiret exemplô, integras ante illam horas dejectus in genua, humiliter supplicavit DEO. statas 40. horarum preces, tribus ante cineres diebus, in societatis JESU Templis institui solitas, frequentavit quotannis, DEóque in Evcharistia tunc deservijt profusiùs, cùm alij voluptatibus indulgent liberiùs. Hæc ille de pientissimo Ferdinandi II. in augustissimam Evcha-

Ferdinandi II. Imperatoris frequentia in sumenda Evcharistia, & specialis cultus ac devotio.

charistiam affectu', quô ille velut altissima Cedrus in eam altitudinem, quam mundus admiratus est, ejus gratiarum rivis irrigatus, sese extulit, Partheniisque sodalibus, omnis virtutis ac potissimùm sanctissimi hujus Sacramenti, Deiparæque colendæ pulcherrimum exemplum reliquit. Sed ad ejusdem Virginis sodlitia revertamur.

36. In his denique pulchra reperiuntur tabernacula, pulchra tentoria, quæ ego dixerim varia hujus esse pientissimæ Matris protectionum genera, adversùs animæ nostræ sævissimos hostes tam corpori, quàm animæ insidiantes: Ipsa enim nos contra omnes mundi hujus adversitates, ut alibi diximus, dum in hac misera vita militamus, velut pulcherrimum tabernaculum, sub quo novem mensibus habitavit ipse supermus Rex, contra Tartareos hostes, ad nostram libertatem, salutémque asserendam dimicaturus protegit: quâ sanè protectione, quid tutiùs quid gloriosiùs excogitari potest?

37. Si igitur Deiparæ fidelissimam hanc protectionem, in omnibus miseræ hujus vitæ actionibus, si palmitum pulcherrimum hunc vigorem, amœnitatem, florem, fructúmque in nobis experiri desideramus, Virgineæ huic viti intimè uniti esse conemur; ab illa, mihi credite, vegetabimur, uberrimúmque fructum proferemus. Quod nobis ipsa Virgo, sui dilectissimi Filii, veræ vitis usurpando verba, polliceri posse videtur: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nil potestis facere.* Omnes enim cœli favores, ac gratias, quibus fovemur, nutrimur, vegetamur, tanquam per aquæ ductum nos habere voluit, per Vitem hanc Virgineam. Quod agnoscens Bernardus Ser. de aquæductu ad finem, tanto cum affectu nos hortabatur: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui nos totum habere voluit per MARIAM.*

Omnia Deus nos habere voluit per MARIAM

38. Inhæserat Viti huic totis medullis cordis sanctus Antistes Anselmus, cùm in contempl. de B. V. ipsi dicebat: *Te Mater illuminationis cordis mei, Te Nutrix salutis mentis meæ, te obsecrant, quantùm possunt cuncta præcordia mea, exaudi Domina, audi propitia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ mentis meæ, ut accendatur tepor meus, ut expergiscatur beata sanctitas super omnia, post summum omnium Filium tuum, te cor meum intelligat & veneretur, amet & deprecetur affectu, non quô desidero imperfectus, sed quô debet à Filio tuo factus, & salvatus, redemptus & resuscitatus: Genitrix meæ vitæ, animæ altrix, reparatrix carnis meæ, lactatrix Salvatoris totius substantiæ meæ, sed quid dicam? lingua mihi deficit, quia mens non sufficit.*

S. Anselmi precatio ad Deiparam

39. Inhæserat viti huic totis medullis cordis, totis præcordiorum affectibus, inque illa per charitatis quamdam transformationem manserat amantissimus ejus Filius Dionysius Richelius lib. I. de præc. & dignit. B. V. cap. 9, cui Epigraphen hanc præfixit: *Effusio mentis in amorem MARIÆ;* cùm eam magnâ devotione alloquens ajebat: *Vulnerâsti cor meum Soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum, anima mea liquefacta est, ùt ipsa cogitata es, O pulcherrima mulierum O Virgo dulcissima, O mundissima Mater! Verbum mihi ad te, O incomparabilis, ac DEI formis MARIA! Effundam instar aquæ cor meum ante conspectum tuum, O Domina! laudabo & exaltabo te amabilis,*

Dionysii Richelii precatio ad Deiparam.

decora

decora Puella, *Confitebor Nomini tuo pudicissima Turtur*, *Columba castissima*; *Lætabor & exultabo in te*, *singularis & celeberrima DEI Sponsa*; *Mirabor & contemplabor te honestissima MARIA*; *Diligibilis mihi es*, *sempérque desideranda O MARIA*, *quæ bonitate plena es*, *cujus ab initio vitæ ope destitutus non sum*, *quæ adolescentulo adhuc*, *& inter bonum & malum nondum discernere valenti*, *Nominis tui affectum contulisti Amabilis enim es O Domina! quam DEUS dilexit*, *speciémque concupivit. In qua aliud prorsus*, *quàm benignitatem*, *ac dulcedinem*, *quàm misericordiam*, *& mititatem*, *quàm charitatem*, *& honestatem invenire nequeo*, *quæ tota pulchra es nec mentis*, *nec carnis maculam habens*, *decus mulierum*, *& gloria*, *hominum honor atque lætitia*, *spes nostra & Advocata*, *quæ Angelicas mentes puritate superas*, *quæ super cœlestes illos*, *simplicésque Spiritus sanctitate præcellis*, *miserorum miseratrix præcipua*, *amatrix ardentissima*, *& protectrix fortis*, *atque fidelissima.*

40. Inhæserat Viti huic totis præcordiorum affectibus Justus Landspergius, cùm Theoria 4. DEIparam tanto cum amore obsecrabat, ut se sibi uniret quàm arctissimè, & totus ejus esse posset;

Precatio ad Deiparam Justi Landspergii.

Dignare me, inquiens, *quæso*, *O desiderabilissima Domina in servulum acceptare*, *in Filium adoptare*, *assumere in tui amatorem castissimum & in veneratorem Devotissimum! Fac me quæsò O amabilissima*, *de eorum numero*, *quos pectori tuo Virgineo inscriptos*, *tibi familiarissimè signâsti. O dulcis & delectabilis*, *vulnera cor meum tui amore*, *ut totus tuâ pulchritudine attrahar*, *tuô decore illiciar*, *tuâ pietate capiar*, *tuâ dulcedine absorbear*, *tui amore ardeam*, *& langueam.* Idem Theoria 25. Contemplans Virginem Matrem propriô orbatam Filiô, postquàm in cruce expiravit, intimè ipsi velut viti palmes uniri cupiens, postulabat, ut se in locum Filij substituere dignaretur: *Fac*, inquit ille, *O sincerissima DEI Mater*, *ad me tale judicium*, *quod justissimum rectúmque mihi videtur*, *ut pro Filio tuo propter peccata mea occiso*, *me recipias*, *me vinctum teneas*, *tuique amore castissimô incurabiliter vulneres captivum: Recipe me*, *quæso*, *O piissima! pro Filio proprio mortuo me adoptivum. Attamen tu benignissima clementissimáque precibus tuis impetra*, *& fac me tibi fidelissimum*, *ferventissimum*, *devotissimum*, *perseverantissimum*, *& cujusmodi per gratiam*, *& per vitæ imitationem*, *cujusmodi est ille*, *quem amisisti*, *qualémque te decet habere Filium. Exhibe servulo O piissima Mater*, *quod exhiberes Unigenito. Tu enim dulcissimâ maternali curâ Filium custodiebas*, *licèt non egeret*; *custodiebas & pascebas. Ecce Filiô orbata nunc*, *illum custodi*, *illum fove*, *qui tuâ curâ indiget maximè*; *illum pia diligas*, *virtutéque tibi amabilem facias*, *qui tuum & tui Filij amorem maximè desiderat. Indignissimus sum vel amare te*, *vel abs te amari: Veruntamen tu non indigna*, *sed dignissima es diligi. Decet præthereà te diligere*, *quod facis*, *quærentes te. Plangam ego igitur dolorem tuum*, *plangam quoque me ipsum. Tu verò exerce*, *quæso*, *tuam in me misericordiam*, *crudelitatem*, *sanctissimum odium*, *vindictámque gratissimam pro tuo Filio*, *propter me occiso*, *in me quoque occidas*, *quidquid carnale*, *quidquid est mundanum*, *& à DEO alienum. Interfice in me omnes concupiscentias*, *passiones*, *& desideria mala*, *omnem denique proprietatem sensûs*, *consilij*, *& voluntatis. Aufer omnes à me cogitationes inutiles*, *& curas infructuosas*, *ut totus mortuus*, *& mihi & mundo*, *purgatò affectu*, *illuminatóque intellectu DEO serviam*, *DEO invariabiliter inhæream. Decet enim piissima*, *si tuus esse debeo Filius adoptivus* (*quod præ omnibus*, *& super omnia supplex*, *per misericordiæ tuæ viscera obse-*

obsecro) ut nihil discrepem in moribus, & vita à vero Filio tuo, imò per charitatem, & mei ipsius abnegationem, sic DEO unitus, dissentire nequeam à beneplacito veri, & benedicti Filii, cum quo tibi una est voluntas, unum votum, unúmque gaudium. En verum palmitem Virgineæ huic Viti, mirificô amoris affectu unitum, ejus Divinô vigore vegetatum, ejus gratiæ humore quodammodò inebriatum, flores virtutum suavissimos, fructus bonorum operum dulcissimos proferentem.

41. Inhæserat denique totis medullis cordis Viti huic Joannes Berchmanus Adolescens noster Angelicus (domestica enim exempla non desunt) qui cùm jam ad extremam vitæ suæ pervenisset catastrophen, quæsitus à quodam ex socijs lectulum circum stantibus: Num, si mille corda haberet, MARIAM mille cordibus amaret? Respondit illico, eximio cum pietatis affectu, exaggerateque animo, si mille corda haberem, MARIAM mille cordibus amarem. Desiderabat similiter viti huic totus adhærescere, cùm schedulam ad pedes Virgineæ Iconis his Verbis consignatam sui mirifici in Deiparam amoris testem collocavit: *Nunquam quiescam, donec obtineam amorem tenerum erga dulcissimam Matrem meam MARIAM.* Ex intima hac ad Virgineam hanc vitem inhæsione atque unione tantum puritatis castimonæque vigorem in se derivavit, ut illam etiam alijs piô suô aspectu communicare videretur. Quare P. Antonius Balinghen in Cal. Deip. 13. Augusti hæc de illo memoriæ tradere non dubitavit: *Ingressus Societatem tantâ fuit Castimoniâ, ut nullam unquam senserit tentationem carnis, nullum motum impuritatis, neque in anima, neque in corpore; idque ex beneficio Deiparæ, maximè ex quo, antequàm decumberet, recitaverat salutationem Angelicam ad honorem immaculatæ conceptionis. Ejus aspectus, licet decorâ esset facie, puros ac sanctos produxit in aliis affectus & cogitationes.* Quod cùm relatum esset ad Cardinalem Bellarminum, obortis lacrymis præ teneritudine devotionis, id inquit, fuit B. V. M. privilegium, quod planè dicendum est ab ea concessum huic suo clientulo. Et sanè eam gratiam quotidiè ab ea postulabat recitando parvam ejus Coronam. 12. Salutationibus Angelicis veluti stellis caput ejus coronantibus constantem. Denique ut se verum palmitem hujus Vitis intimè illi inhærentem ostenderet, unicè ut idem P. Antonius loquitur, eam diligebat, videbatúrque natus ad ejus gloriam propagandam illíqe gratum accidebat, si passim nôssent universi, profiteri se Deiparæ servum esse devotum, ut sic liberius coram omnibus sermonem de ejus laudibus miscere posset. Ex quibus sanè tam sancti Adolescentis pijssimis sensibus colligere possumus, eum velut Palmitem vivum ac vegetum Virgineæ huic viti intimè adhærentem semper extitisse: meritúmque, qui tam uberes divinæ gratiæ, támque copiosos influxus in animam suam derivaret, & tot tantísque virtutibus floreret, consummatus denique in brevi expleret tempora multa. Placita nimirum DEO, ejúsque Matri, ob arctissimam illam cum ipsa charitatis unionem, Angelicámque puritatem, erat anima ejus propter hoc properavit educere illum, de medio iniquitatum, sancto illi Henoch quàm simillimum, qui, quemadmodùm loquitur Siracides Eccl. 44. *Placuit DEO, & translatus est in Paradisum.*

Affectus ac Devotio Berchmani S. J. erga Deiparam.

42. Porrò quemadmodùm ij, qui se divinissimæ huic Viti, in ejus præsertim sodalitijs inseparabiliter per

Palmes qui in Vite MARIANA non manet exscindetur, & arescet.

per amoris affectum unierunt, ejus virtute, uberrimísque ipsius gratiarum favoribus vegetantur ac nutriuntur, fructumque, ferunt magna animi sui voluptate copiosissimum; ita illi, qui se ab ipsius obsequijs, ac devotione, cætus Parthenios deserentes, separârunt, palmitibus à vite abscissis, esse consueverunt quàm simillimi, quos non Paradisus, æviternáque expectat fælicitas, sed potiùs æviterna inferorum incendia ac supplicia. Quare audiant hujusmodi, ac totis artubus contremiscant, perhorrescant hujusmodi homines sanguineis lacrymis deplorandi, audiant inquam Virgineam hanc Vitem loquentem, ac verbis Filij comminantem: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet* Joan. 15. De quo palmite longè antè vaticinatus est etiam Ezech. c. 15. cui Dominus ita locutus est: *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum? Nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam, utramque partem ejus consumpsit ignis.* Quas sententias adeò formidandas expendens S. Augustinus Tract. 18. in Joan. *Ligna vitis*, inquit, *tantò sunt contemptibiliora, si in vite non manserint, quantò gloriosiora, si manserint; quæ præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur, unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit.* Sic Augustinus.

43. Vis & tu o homo! in illo igne Tartareo inextinguibili non esse? vis ab hoc igne devorante, vis ab ejus ardoribus sempiternis liber esse? In Virginea hac atque vivifica vite sis ad extremum tuæ vitæ halitum, ipsius mores imitando, eique adhæresce, & in vita & in morte medullitus, si à germine virtutum, æternæque hæreditatis fructu nolis penitus exarescere; Nec tibi sufficiat viti huic velut palmitem inhærescere, dum te clientem Virginis servum, ac mancipium vocitas absque ullo bonorum operum fructu. Dicet enim tibi voce Filij: *Omnem palmitem, in me non ferentem fructum, tollet eum.* Formidanda sanè vox, quæ ambas audientium aures tinnire facit: Hæc enim vox est omnino illi non absimilis: *Tollatur impius, ne videat gloriam DEI: mittite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Illa denique germana. *Ite maledicti in ignem æternum.* Quæ supremi Judicis irrevocabiles sententiæ, quam horrificæ sint, ipsámque DEI Matrem ob Filiorum suorum perditionem contristent, præclarè docuit Joannes Gerson Cancell. Paris. Tract. 6. in Magnificat, dum verba illa expenderet: *Ite in ignem æternum. Grande*, inquit, *malum projici à facie Domini, & talis Domini, pejùs cum eiecti maledicuntur. Rursus malum additur quia pergunt in ignem: quod verò additur. Æternum, nec æstimari quidem potest, quantum sit horrendum. Nónnequæso hæc omnia conferebat frequenti cordis contemplatione Beata nostra prudentissima fæminarum: Numquid non obsecro totus tremor, horror, & dolor pios artus suos invasit, lacrymæque decoræ manabant ex oculis, quamvis in Domini voluntate mens immota maneret?* Sic ille.

Palmites non solùm in Vite Virginea manere, sed & bona operari oportet.

44. Ne igitur conturbare, ac contristare Virginem, eique lacrymas ad perditionem nostram deplorandam elicere videamur; in ejus servitio, atque obsequio fructum feramus, fructum inquam virtutum, bonorúmque operum: Sic

 enim

enim fiet, ut & illud, quod sequitur, in nobis verum evadat: *Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat* Joan. 15. Purgabit nos inquam Pater æternus cœlestis agricola, superflua omnia, quæ à ferendo bono fructu DEO ipsi, ejúsque Matri gratissimo impedire nos possunt, resecando; quod indicare nobis voluisse visus Pythagoras, cùm præcipiebat: Ne libaveris Diis à vitibus non amputatis: Crediderim ideò id illum pronunciâsse, quia acerbum hujusmodi vinum esse consuevit, quod è luxuriantibus impunè vitibus colligitur, & in uvas superfusis nimiâ densitate pampinis satis nequit maturescere. Hâc igitur purgatione, hâc putatione opus est omnibus, qui hujus Divinæ Vitis sunt palmites, si optatum dulcémque fructum DEO, hominibúsque gratissimum ferre desiderant. Imaginemur semper nobis hujus putationis, dum hìc vivimus, tempus adesse, cùm semper vitia in nobis resecanda (quæ est miserabilis naturæ nostræ pravitas atque corruptio) succrescant. Imaginemur denique nobis à Sponso & ipsa ejus Matre dici Cant. 2. *Tempus putationis advenit.* Qua sanè, si utamur, fructum dulcissimum fructum Deiparæ optatissimum proferemus, adeóque digni evademus, qui semper velut palmites in Vite hac maneamus, eíque per charitatem semper tam in prosperis, quàm in adversis intimè adhæreamus.

Superflua amputanda sunt à Palmitibus, ut fructum dulcem adferant.

45. Sciendum porrò, nos tunc vitem nostram putare, cùm cogitationes minùs utiles resecamus; & utilioribus propagandis vacamus, ut ait Hugo Victor in Instit. Monast. Ser. 15. Et in prosperis quidem imaginemur nobis DEIparam vitem verni temporis frondentem, & florentem, fructu suô dulcissimô nos recreantem; in adversis verò vitem hybernam, qualis fuit in acerbissima sui Filii passione, afflicta videlicet, ac desolata, plurimísque amaritudinibus repleta. Audiendus hìc Dionysius Richelius in Cant. Art. 25. qui librans idem illud elogium DEIparæ, in quo se viti comparat, ita loquitur: *Quemadmodùm vitis in hyeme arida est, & despecta videtur, sed suo tempore viret, frondet, & optimos parit fructus: Sic gloriosissima V. MARIA in sæculo isto, præsertim tempore persecutionis & passionis Filij sui, fuit contempta, & extrinsecus despicabilis videbatur; sed intrinsecus coram DEO virentissima, suavissima, & fructuosissima fuit, suáque maternâ compassione, multis millibus iniquorum gratiam conversionis promeruit, cujus exemplô innumerabiles personæ sanctam servaverunt Virginitatem, &c.*

Deipara in hac mortali vita sicut vitis in hyeme.

46. Quare ut & in prosperis, & in adversis in hac miseriarum ac lacrymarum valle, solamen ac levamen aliquod inveniamus, Vitem hanc in cordis nostri horto, devotionem dixerim DEIparæ præ cæterorum Cœlitum veneratione inseramus, memores sapientissimi illius moniti Alcæi apud Athenæum præcipientis: *Nullam aliam arborem severis priùs vite.* Omnium quidem sanctorum, qui æternô in cœlis cum Christo fruuntur ævô, cordibus nostri inserta pietas, plurimùm habet momenti ad communem Dominum propitiandum; nam cùm dilectissimi ipsius amici sint, qui ejus amore tam multa dura asperáque tolerârunt, & quàm plurimi vitam sanguinémque ad honorem, gloriam, ipsiúsque orthodoxam fidem propagandam profuderunt, eorum sanè pro nobis intercessionem efficacissimam esse oportet: at verò longè efficacior potentiórque apud DEI Filium est Virginis nostræ gloriosissimæ, utpote Matris amantissimæ deprecatio, quæ

Deipara in impetrandis nobis donis & gratiis omnibus sanctis potentior & efficacior.

quæ illi adeò grata est, ut ei gratificandi cupidus, eam ad postulandas pro genere humano gratias, donáque cœlestia ultro invitare non dubitârit: Illius nempe verba sunt, ad calcem Cantici Canticorum exarata cap. 8. quæ dignitatem Divinæ Matris, totô illô Canticô sive Epithalamiô pulcherrimis coloribus adumbratam mirificè coronant, dum eam se tanti facere ostendit, ut ad unicam ejus vocem se facturum, quidquid desideraverit, polliceatur. Sic igitur Sponsus: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Quæ verba Dionysius Richelius art. 27. in Cant. Accuratiùs expendens, ita in persona Christi loquitur: *Tu mundissima Virgo! in mentibus devotis, puris, fructuosis ac floridis, in spiritualibus commorans theoriis, in Congregationibus Religiosis, in sanctarum collectionibus Virginum in exuberantiis ac decoribus spiritualium deliciarum, mansionibúsque supernis; Amici auscultant te, universi videlicet DEUM & te amantes, ac venerantes tuam vitam, sanctitatem ac dignitatem, tua miracula ac piissima gesta, tua eloquia cupidè audiunt, gaudiosè advertunt, téque æternaliter intueri, audire, & præsentem habere ineffabiliter gliscunt. Fac me audire vocem tuam, mutuò colloquamur; quia in verbis sanctissimi oris tui delector; laudes, quas exhibes Deitati, audio gratulanter, orationes, quas pro fidelibus ac impiis fundis, amorosè percipio.* Cui mox Virgo respondet, solicitudinémque, quam pro hominibus salvandis præsefert, ostendit, dum ita Filium orat: *Fuge dilecte mi, ac obstinatâ perfidáque Synagogâ relictâ ad gentium conversionem celeriter perge: Imò simul à valle ista plorationum ad æternitatis beatitudinem properemus, ubi in osculo pacis, quæ exsuperat omnem sensum, sine interpolatione æternaliter jucundissimè perseveremus, illuc me trahe post te, & meritis tuis, precibúsque meis militantem Ecclesiam incessabiliter protege, imple, reforma, illustra ac perfice, eámque ad triumphantis Societatem Ecclesiæ, ad supernorum montes aromatum, ad cælestium Civium fælicitatem digneris perducere.*

47. Similem in modum eadem illa verba Interpretatur Guilielmus Abbas apud Delrium, ubi addit Filium desiderare, ut Mater suos clientulos doceat, quânam ratione & pro se, & pro aliis DEUM deprecari, protectionémque desiderare debeant. *In calce hujus Sacri Carminis,* inquit ille, *cælestis Sponsus insinuat, quantum favoris & honoris impendat piæ Matri, in æternis secum deliciis accubanti, ne quis fortè cunctetur ejus se meritis commendare, ejus suffragia postulare, tanquam illi sit aliquid apud Filium difficile impetratu: Multum ait, jam O pia Mater cantavimus, multam in alterutrum suavitatem eructavimus, & suavitate carminis nostri sanctos etiam oblectavimus Angelos, audierunt & delectatæ sunt Reginæ & Adolescentulæ. Jam igitur quæ habitas in hortis cælestibus, quæ mecum accubas in amœnitate semper virtutis Paradisi, fiducialiter apud me, pro quibuscunque volueris, intercede. Non enim possum oblivisci me Filium, ut Matri quidquam denegandum putem. Quos mihi orando commendas, nullatenus deseras, donec paulatim proficientibus impetrando gratiam perfectionis, facias me in illis audire vocem tuam, i. e. Facias illos ex puris cordibus in meis auribus dicere illud, quod tu olim perfectâ charitate mihi dixisti:* Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnulóque cervorum, super montes aromatum; *fac me audire ab his, quos mihi commendas, vocem istam, id est, tam fiducialiter, tam instanter, & tam efficaciter intercede pro eis, ut provectiori tandem charitate diffusa in cordibus eorum per Spiritum sanctum, tædeat eos jam nôsse me secundùm car-*

Filius desiderat, ut Mater beatissima suos clientes doceat DEUM deprecari.

carnem, & dicant: Fuge dilecte mi. *Fac me in illis audire vocem tuam, ecce enim amici, sancti videlicet Angeli, auscultant vocem illam tuam, de cordibus piorum audire desiderantes. Nam quia amici sunt, familiare habent non tantùm cooperari, sed etiam congratulari profectui piorum, atque illis grata & suavis est vox profectûs illorum.* Hæc Guilielmus.

48. Quæ sanè luculenter ostendunt; quàm grata, quàm accepta Divinæ Matris, præ Angelicis Hierarchijs, præ sanctis omnibus sit apud Filium, quæcunque tandem supplicatio, ut ex hoc ad plantandam Virgineam hanc vitem, in imis præcordijs nostris, præ reliquis sanctorum aliorum Arboribus animemur. Devotione enim verâ, germanáque Virginis semel cordibus nostris, cum ipsius virtutũ imitandarum studio inserta, omnibus bonis affluemus, ac thesauris cœlestibus planè inexhaustis locupletabimur: Verissimè enim sapiens pronunciavit Idiota. *Inventâ Mariâ, invenitur omne bonum; ipsa enim diligentes se diligit, & servientibus sibi servit.* Postquàm enim utero suo purissimo sempiternum illud Divinúmque Verbum complexa est, consequenter cum illo omne bonum, quod in se continet, possedit, adeò, ut dicere potuerit, habitô hôc, ac possessô Incarnatô Verbô, quod de DEI increata sapientiâ, dixit sapiens: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius* Sap. 7. Tunc enim sanctissimæ Trinitatis atque adeò summi boni, bona omnia complectentis, Templum ac Triclinium Augustissimum effecta est.

Cum incarnato Verbo Deipara omnia bona pariter accepit.

49. Quare jure dicere possumus, illam vitem esse, de qua Gen. 40. Pincernarum Præpositus in aula Pharaonis somniârat: Sic enim ille Josepho concaptivo in carcere somnium exposuit: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere, paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere.* In quæ verba præclarè Bernardinus de Bustis Par. 9. Marial. Ser. 2. assim. 12. *De hac etiam vite*, inquit, *intelligi potest illud* Gen. 40. *Videbam ante me vitem, &c. Per tres illas propagines, intelliguntur tres in Trinitate personæ; per gemmas flores, & uvas, intelliguntur tres in Christo substantiæ. Ista igitur Vitis Virgo benedicta habuit tres propagines in se, tres videlicet personas Divinas: Habuit Personam Patris, qui Filij incarnationem omnipotentiâ suâ in ea peregit; Habuit Personam Spiritûs sancti, qui similiter suâ bonitate ac gratiâ in Divina hac generatione Virginem obumbrando cooperatus est; Habuit denique ipsam Filii DEI Personam, quia in ejus utero humanatus est: In hac porrò Christi propagine fuit gemma Divinitatis, quæ est causa & principium rerum omnium, sicut gemma florum ac fructuum. Unde Christus quæsitus à Judæis quis esset? Respondit*: Principium, qui & loquor vobis Joan. 8. Fuêre flores, qui ejus sanctissimam animam denotant, quæ omnium virtutum odoribus plena fuit. De hac Propheta Psal. 107. *Tanquam flos agri, sic efflorebit.* Per uvam denique maturam adumbratur corpus illud sacrosanctum, plenum Sanguinis pretiosissimi mustô. Uva hæc in torculari crucis posita redemptionis nostræ mustum copiosissimum profudit, mundíque totius peccata abluit juxta vaticinium Patriarchæ Jacob Gen. 49. v. 11. *Lavabit in vino stolam suam, & sanguine uvæ pallium suum.* Quod absque ænigmate clariùs explicuit Apostolus Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Pallium enim & stola Christi, S. Justino Mart. attestante, est uni-

Deipara comparatur illi viti, de qua Genes. 40 Pincernarum Præpositus somniârat.

yer-

versa fidelium Ecclesia, quâ ipse velut vestimento circumdatur.

50. Vitem igitur hanc divinissimam, adeò inusitatis imò Cœlestibus floribus ac fructibus redundantem, quantocyùs cordibus nostris per ardentissimum amoris affectum inseramus, sempérque menti nostræ monitum illud salubre paulò ante memoratum Alcæi infixum habeamus. *Nullam aliam arborem severis priùs vite.* Atque ita cùm manè de lectulo invocemus, cùm decumbimus, ante omnes sanctos Virginem invocemus, ejus patrociniô fidelissimô nos sincerè committamus: Contendamus, quod possimus, ut semper amœnissimam hanc vitem coram oculis nostris, ad virtutes ejus æmulandas habeamus, quòunusquisque nostrûm verè dicere possit: *Videbam coram me Vitem.* Ita denique ipsius dvotionem, amorémque imis medullis radicatam habere studeamus, ut gloriari in Domino valeamus, ac identidem canere præ jubilo cordis: *Videbam intra me vitem.* Et ipsám tandem Deiparam denobis gloriantem audiamus *Et radicavi in populo honorificato.* Quem Venerabilis Dionysius Art. 25. in Cantica populum Christianum apellat, cui in persona inquit Virgínis, ego radicationem & stabilitatem in omni gratia impetravi, procurando ei frequenter divina charismata, reformidationem pijssimam, atque in omnibus bonis confortationem.

Deipara præ omnibus sanctis invocanda.

51. Hugo Card de S. Caro populum honorificatum esse vult, Doctores ac Prælatos, qui honore Magisterij & prælatione sunt honorificati. In his, inquit Virgo, posui amoris cognitionis, & sancti timoris radicem, siquidem *radix sapientiæ est timere DEUM.* Eccl. 1. ut ita DEUM ac me agnoscentes simul amarent, ac venerarentur. Siquidem mihi jam pridem *præcepit, & dixit Creator omnium: In Jacob inhabita, & in Israël hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Ubi per Jacob & Israël idem Cardinalis doctissimus intelligit claustrales, qui assiduè luctantur, & tandem vincentes, velut Israël, digni visione beatifica habentur.

Per populum honorificatum doctores ac Prælati intelliguntur, imò & Religiosi.

52. Dixerim ego denique populum hunc honorificatum denotare scholarum nostrarum toto orbe terrarum diffusam adolescentiam, in Parthenijs sodalitijs congregatam, quæ primum juventutis florem, primigeniámque innocentiam Virgini consecrant, ejusdémque vitæ puritatem, morúmque integritatem assiduâ Sacramentorum frequentatione, virtutúmque exercitatione æmulans meretur, ut benignissima Deipara altissimas suæ pietatis in ejus animis radices agat, suíque amoris, ut illi præcepit Creator, in eorum cordibus electis mittat, expandátque radices nullâ vi Tartarearum Potestatum unquam evellendas.

Per populum honorificatum etiam sodales intelligi possunt.

53. Vitis hujus radices optabat in se extendi pientissimus Justus Landspergius Theoria V. & VI cùm dicebat ad Virginem: *Eja placeat tibi O unica post Christum suavissima consolatio peccatricis animæ meæ! Eja placeat tibi, & fac ut totus fiam tuus, & tu tota mea post DEUM unica spes nobis promissa, dulcedo & delectatio desideratissima! O candida! O rubicunda! O electa ex millibus! imò post DEUM electissima ex omnibus, quæso, ne despicias me sordidum, vilem ac miserrimum in peccato conceptum & enutritum; te Desidero, te amare concupisco, gratiam tuam ambio, me tibi commendo, & dono; fac, sim tuus, & talis cujusmodi tu in oculis DEI esse voluisti, & qualem me esse velis, aut esse debeo, imò cujusmodi tibi placerem maximè*

Affectus Landspergij ad Deiparam

ximè. O dulcis, generosa & praelecta puella sacrosancta V. M. respice & suscipe me tibi donatum!

54. Atque hæc de Arboribus, ac plantis fructiferis atque aromaticis Deiparam, ipsiusque Heroicas virtutes repræsentantibus dixisse sufficiat; quas nos pro modulo nostro imitari, & in nobis exprimere studeamus, eam sedulò deprecantes, ut harum Arborum seu virtutum suarum radices cordibus nostris inserere, déque earum fructibus nobiscum participare non dedignetur. Ingrediamur igitur corde devotô in Virgineum hunc hortum, Cœlestémque Paradisum, illúmque Arboribus attentè cum eorum proprietatibus visis ac consideratis, agnoscamus, quod Beata & intemerata V. M., ut loquitur Hugo de S. Victore in Instit. Monast. Ser. 55. præ cæteris mortalibus sapientiæ Cœlestis aromatibus referta fuit: Quasi storax per clarissimam, id est, dignissimam Divinæ laudis decantationem; quasi Galbanus per cujuslibet immundæ cogitationis fugationem; Quasi Ungula per concupiscentiæ carnalis extinctionem; Quasi Gutta, per totius elationis depressionem; Quasi Libanus non incisus, per candidissimæ castitatis integritatem; Quasi Balsamum non mixtum, per sinceram opinionem; Quasi Terebinthus, per veram charitatem; Quasi Vitis per singularem fœcunditatem. Hæc Hugo.

Præ cæteris mortalibus Deipara sapientiæ cœlestis aromatibus referta fuit.


55. Quibus præmissis, mox ad virtutes illas Virginis præclarissimas sedulò æmulandas exhortationem attexit, quâ pro discursûs hujus epilogo uti opportunum mihi visum fuit. Sic igitur ille: *Nunc igitur ad nos ipsos redeamus, & in ijs quæ dicta sunt de B. M. pro viribus imitari studeamus, ut ejus meritis & precibus cum ipsa glorificari valeamus. Simus & nos quasi Storax, clarificata voce cordium DEO laudem celebrando: Quasi Galbanus, reptilia cogitationum inutilium devotis orationibus effumigando: quasi Ungula, libidinem carnis extinguendo; Quasi Gutta, superbiam cordis subigendo; Quasi Libanus, castitatem corporis custodiendo; Quasi Balsamum, bonam famam circumquaque diffundendo; Quasi Terebinthus, DEUM super omnia, & proximum sicut nos ipsos diligendo. In his omnibus imitemur Beatam MARIAM, sub hac brevitate temporis, ut cum ipsa gloriari mereamur in diuturnitate æternitatis.*

Exhortatio ad Clientes V.

AMEN.



DI-



DISCURSUS DECIMUS OCTAVUS.

VIRGO DEIPARA ROSA PARADISI.

Quasi plantatio Rosæ in Jericho. Eccl. 24. v. 18.

I.



ARbores fructiferas, atque aromaticas, quibus Deipara à Spiritu S. comparatur, jam superis faventibus expedivimus. Ex his Auctor Anonymus de coronis Deiparæ. Corona V. coronam quamdam contexit, quam ille coronam fructificationis seu fertilitatis appellat. *Ipsa enim*, inquit, *idem est hortus sive pomerium Domini, quod manu æternæ sapientiæ omni arborum hoc est virtutum, genere est consitum.*

2. Consideratis igitur hiscè sacrarum arborum proprietatibus coronam ex illis Virgini pro modulo nostro contexuimus, è cujus præconiis, eximiisque laudibus, similes ei corollas plectant, alii, atque ita nulla unquam ætas de ipsius clarissimis encomiis conticescat. Nunc ad flores Dei Matrem, ejúsque virtutes repræsentantes, considerandos gradum faciamus.

3. Inter omnes porrò Rosa principatum obtinet. Unde Sappho apud Achillem dixit: *Si floribus vellet Jupiter imponere Regem, Rosa inter flores Regnum obtineret.* Unde eam florum Reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, amorem spirantem, formosis foliis comatam, nobilibus floribus luxuriantem, terræ risum vocitavit. Rosa inter flores tum colore, tum odore primatum obtinet.

4. Eadem Sappho rosis Musas coronari *solitas cecinit, ut testatur: Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. c. 8. Anacreon denique in Rosæ laudibus effusissimus ita cecinit in ejus comendationem.

Foliis Rosa decoris
Rosa singularis ô flos.
Rosa prima cura veris:
Rosa cælitum voluptas,
Charitum choros frequentans.

Et paucis intercalatis de eisdem Rosæ encomiis ita modulatur.

Cum Vere Patre florum
Socianda laus rosarum:
Rosa flos odorq; Divum
Rosa hominum voluptas
Decus illa gratiarum.

5. Verè decus gratiarum Rosa est, quia teste Pausania lib 6. illis consecrata fuit, ob eximiam, quâ pollet, pulchritudinem & omnem gratiam. Unde ab Anacreonte καλλίφυλλος tanquam venustatis imago vocitatur. Hinc aurora ob singularem suum decorem Rosæ comparatur. Unde ejus vultus roseus, rosei capilli, Roseæ quadrigæ, Dea denique Rosea à Poëtis identidem vocitatur. Hinc ab eodem Anacreonte ῥοδοδάκτυλος roseus digitus, decora Aurora dicitur, hinc rursus idem Poëta:

Aurora nonne fertur
Rosea manu decora;
Roseisq; nonne Nymphæ
Spectabiles lacertis?
Rosicolos ipsa cypris
Vocitata nonne doctis?

Rosa Minervæ sinu excepta.

6. Atque ut magis ostenderent veteres Poëtæ ejus dignitatem dixerunt eam, ubi primum amorum Dea nata est, & Minerva è cerebro Jovis prodiit, mox etiam nobilem Rosarum prodiisse stirpem, & Minervæ velut Matris sinu exceptam. Ut denique Const. Cæs. Divinum quid Rosæ inesse ostenderet, è divino nectare in terram effuso, eam pullulare testâtus; quæ omnia pulcherrimis versiculis expressit jam memoratus Anacreon, dum ita cecinit.

Sed quæ Rosis origo?
Cum cærulis ab undis
Sale roscidam cytheren
Spuma edidit profundi.
Jovisque cum Minerva
E vertice exilivit.
Armata scuto & hastâ
Tunc nobis es rosarum
Stirps edita è beato
Terræ sinu venustas
Miræq; fœtus artis
Superumque turba Divum
Rosa ut esset irrigantis
Nectar suum è rubeto
Insigne procrearunt
Germen Patris Lyæi.

Rosæ amore capiuntur mortales.

7. Denique Rosæ amore captus (utinam ita mortales hujus mysticæ Rosæ caperentur) ita lætitia gestiens modulatus est.

Rosam amoribus dicatam
Foliis Rosam decoram
capiti revinciamus.
Rosa opus, laborq; vatum
Et amica planta Musis
Est grata colligenti
Licet ante spina pungat
Mordacibus rubetis.
Est grata eam faventi
Manu subinde molli
Eadem decens coronis
Et expetita mensis
Solennibúsque Divûm
Roris quid absq; fiat?

Rosa non tantum colore ac odore grata, verum etiam sua virtute varios hominum morbos curat.

8. Neque verò flos Rosæ gratus est duntaxat colore suo purpureo admirabilíque venustate, suo item odore penè Divino, verùm etiam sua virtute atque energia qua ad varios hominum morbos curandos prædita est, ut videre est apud Plin. lib. 21. Natur Hist. c. 19. & Bartholomæum Anglium ord. Seraphici lib. 17. de propr. rerum cap. 136. Audiendus Dioscorides lib. 1. c. 130. Rosa inquit, refrigerat, & adstringit, sed sicca magis adstringit. Expressus succus ad oculorum circumlitiones reconditur. Siccarum verò rosarum in vino coctarum expressus liquor facit ad dolorem capitis, oculorum, aurium, gingivarum, sedis, recti intestini. Sive illitus, sive etiam affusus. Denique compositionibus, quas antheras vocant, & vulnerariis antidotis immiscentur. Capita verò pota fluentem aluum, & cruentas rejectiones sistunt. Sic Discorides. Ipse etiam Anacreon, ut omni ex parte rosam amabilem desiderabilémque redderet; ei medendi vim, & quandam quasi immortalitatem ob mirabi-

rabiles videlicet effectus inesse cecinit:

Quid plura? nonne multis
Medicina certa morbis?
Defendit hæc sepultos
Hæc tempori resistit.
Huic Senecta Suavem
Servat juventæ odorem.

Rosæ elogia B. V. aptissimè conveniunt.

9. Quæ sanè Rosæ elogia penè omnia aptissimè gloriosissimæ Dominæ nostræ Deiparæ congruunt. Præclarè enim Hugo de S. Victore in Instit. Monast. Serm. 46. docuit: *quæcúnque in scripturis sunt amabilia, quæcúnque Suavia, quæcúnque redolentia, quæcunque jucunda, quæcúnque preciosa, quæcúnque sunt laudabilia ejus laudibus sunt convenientia.* Ipsa nimirum est omnium florum illorum cælestis Paradisi, Angelorum videlicet, sanctorúmque omnium Regina. Quod nobis indicat color ille regalis, nempe purpureus quo tota videtur exardescere. Atque ut profanos auctores missos faciam, audiamus jam memoratum Hugonem loco cit. *Purpura*, inquit, *Regum est.* Hinc Alexander Rex Syriæ misit Jonathæ purpuram & auream coronam, velut Regis munere honorando. Benè ergo purpura regalem significat dignitatem. Beata itaque V. M. verè purpura fuit, quæ super omnes Sanctos Regali dignitate velut Domina mundi, & Regina cœli affulsit, quæ se præ omnibus regaliter gessit, & rexit, vitia depressit, virtutes erexit. Depressit enim in semetipsa superbiam, erexit humilitatem, depressit iram, erexit pacem, depressit invidiam, erexit charitatem, depressit tristitiam sæculi, erexit exultationem DEI: depressit tenacitatem, erexit largitatem: depressit gastrimargiam, erexit parsimoniam: Depressit luxuriam, erexit castitatem, imò Virginitatem eximiam. Quia ergo mala depressit, & bona erexit vel quia illa evulsit & destruxit, ista ædificavit & plantavit, verè fuit purpurâ, vere Regia dignitate decorata. Hinc B. Andreas cretensis Episc. orat. 2. de dormit. B. V. ob Regiam hanc, quam illi inesse noverat, dignitatem, ita eam allocutus est: *Tu es à Deo contexta Purpura, indumentum Regale, amictus à Deo variatus, aurea specie diplois, verbi purpura intelligibilis & innominabilis tinctura.* Ut denique illam universalem totius orbis summa cum Filio potestate Reginam cuncta moderantem esse ostenderet, ita ipsius Regia conclusit encomia: *Regina omnis humanæ naturæ, quæ habes incomparabilem cum aliis appellationem, quæ, excepto DEO solo, es omnibus altior.*

Purpura Regalis color optime Deiparæ tanquam Reginæ cœli terræ que convenit.

10. Altitudinis hujus atque eminentiæ regalis S. Athanasius aliique Patres aliam rationem adferunt, cur videlicet Virgo velut Rosa inter flores Regiâ purpura digna habeatur: & est illa, quia summum cœli Regem peperit, & ideo cœli atque adeò totius universi Regina creata est, & super omnes Angelorum Hierarchias, beatorúmque ordines ad dexteram Filii in eodem Throno collocata atque exaltata. Audiendus hic venerabilis Dionysius Richelius lib. 4. de Præcon. & dignitate V. M. art. 5. *Merito Throno divinitatis immediate approximare meruit, quæ verbum DEI concepit, & peperit, & omnino universitatis conditor propriam Genitricem omni creturæ prætulit & sublimiorem effecit.* Porro quia tantum decuit sanctitatem inesse Matri veri DEI, quâ sub cœlo major esse nequit, ideò proximus Deo, ei justè locus præstatur. Ampliori námque sanctitati, locum deberi altiorem, palam est. Deníque qui plus diligit DEO vicinior erit, charitati enim essentiale præmium deberi fatentur Theologi. Palam autem est,

Excellentia Mariæ post Deum summa, quia Mater Dei, plus omnibus Deum dilexit.

est, quod nulla mens creata, post animam Christi tam intimè atque ardenter, quemadmodum Maria Deum dilexit, quippe quæ, ut unicum propriùmque Filium adamavit. Addítque amorem hunc etiam in via superasse amorem Angelorum in patria, nec hic locum esse illi dicto salvatoris Matt. *qui minor est in Regno cœlorum*, id est infimus comprehensor, *major est illo, quo inter natos mulierum non surrexit major*, insinuans, uti reor perfectionem viæ, perfectioni patriæ coæquari non posse; non inquam, locum in Maria dictum hoc invenire potest. Nam mox subtexuit: *quomodo ergo omnibus ardentius Deum amasse, ut summam sanctitatem sortita Maria censenda est? Nisi quod eatenus si rite considero, DEum dilexit, tantáque ei charitate adhæsit; quæ super omnem Angelicam altitudinem exaltari meruit.* Quare post Mariam hominum quempiam cunctis Angelicis choris censêre prælatum, temerarium arbitror. Nam etsi similitudo promittitur, prælatio tamen negatur. Hoc post hominem Deum Mariæ duntaxat reservatum censemus. Tum apostrophe facta ad Virginem, Regiam ipsius demirans purpuram, altissimámque Divinæ Maternitatis dignitatem, ita eandem alloquitur: *ex eo námque quod verbum, O Maria DEUM Filium habes, Angelorum quoque Domina atque Imperatrix es, & ipsis, ut libet jubere justissime potes, elucescit, quod tu felix & sublimissima Maria, DEO contigua sis.*

Deipara comparatur Bethsabeæ, ac Estheri.

11. Unde velut olim Bethsabee thronus à Dextris Salamonis Filii locatus fuit, ita & tibi. Tu es modica illa Esther, quæ sic Regi potentissimo atque ditissimo Assuero complacuit, ut post eum in omni ejus Regno ipsa regnaret: Sic tu ô Domina æterno adorandóque principi, Regi Regum & Domino Dominantium, Deo sancto atque excelso, te humilem suam Ancillam, incredibili tamen pulchritudine venustam superexultare, & sibi ipsi proximam statuere placuit. O venerabilis ac veneranda Maria, quæ splendidissima illa, atque altissima Seraphin Divino fervore præcellis; quæ lucidissima Cherubin sapientiâ vincis in qua amplius veriúsque, quam in thronis Deus residet, & per quam vehementius propriorum judiciorum censuram discernit. Denique ò altissima sanctis dominationibus altior es, atque liberior, & super eas, & præ eis cæteris subordinatis phalangibus, quid agendum sit, jubes. *Demum & ipsis principalibus principaris.* Sic ille

Rosæ Jerichuntinæ in Natali Domini se aperiunt, & deinde se claudunt, tali Rosæ comparatur Deipara.

12. Ob sublimissimam hanc purpuratæ Reginæ nostræ super omnes Angelos, omnésque totius universi creaturas evectionem non cuicúnque Rosæ, sed Jerichuntinæ, quæ instar arborum excrescere consuevit, comparatur, cum ipsa se inter altissimas arbores, Cedrum, Cypressum, Palmam &c. numeret: *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho.* Qua in civitate roseta, ait Cornelius excrevisse in arbores, sive arbusta, quæ suavissimi odoris rosas germinabant. Hinc Jericho ex Hebræo exspirationem odoris significat. Unde Saligniaceus Tom. 9. cap. 6. scribit prope fontem Jericho, quem ex salso dulcem reddidit. Elisæus 4. Reg. 2. in spinosis arboribus pulcherrimas nasci flores, quos Rosas Jerichuntinas vocant, illásque id habere gratiæ, ut nocte natalis Domini sese aperiant, postea se concludant, licet siccæ sint & aridæ, in testimonium Partus Deiparæ, quæ quasi rosa Jerichuntina nocte illa fœlicissima fructificavit suavitatem odoris, Christum JEsum, quo totus

totus orbis fœtidissimo scelerum colluvie demersus recreatus est. Vide Adrichomium in descript. Terræ Sanctæ in fonte Elisæi.

13. Virginea hæc Rosa sublimitate sua, omnem post DEUM creaturam dignitate transcendens similis est etiam Rosæ Chinensi, quæ arbor est carens spinis; profert hæc rosam nostræ similem calore, sed ita, ut primum albescat, deinde sensim totam se rubenti purpura inducit. Vidimus eam, inquit, P. Cornelius in Eccles. è Chinà Romam translatam, ibidémque hoc Anno Jubilæi 1625. in Decembri sub natalem Domini cum stupore intuentium florentem, rosásque præferentem primo candidas, mox purpureas, ut eam à Jerechuntina vix aliquid differre intelligamus. De hac P. Joan. Bapt. Ferrerius noster orat. 34. cui titulus: Ætas florea, Rosam chinensem pingit. Videas, inquit ille, frondibus, magnitudine ac forma pampinos immitantibus convestitam è smaragdino de hiscentis calicis conclavi, multiplici foliorum Syrmate regaliter explicato in publicam lucem prodit, lucis ipsius formosa discrimina quotidie sic æmulantem, ut initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, deinde Saturo calore purpuream, hoc est, simul aliam, simul eandem admireris, & quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florum Reginam, quo tanquam sol alter, variæ fuco lucis coloret dies, colorum Principes vicissim accedere tributarios. Syrus interpres legit: sicut Buphtalmus in Jericho, addítque Buphtalmus est planta quædam, quæ germinat secus decursus aquarum, & habet flores sicut rosa, quæ appellatur apud Arabes arbor Mariæ. Dicitur Deníque Buphthalmus, quasi bovis oculus, quod illi similis videatur. Itaque virgineam hanc Rosam nostram, sive Rosæ Jerichuntinæ, sive chinensi, sive Buphthalmo comparemus ubíque altitudinem Regiæ dignitatis, ubique purpuram Cæsarei fastigii indicem cernimus.

Rosæ Chinensi, quæ sine spinis, & in Natali Domini floret, comparatur Deipara.

14. Quod si Rosam pro eximiæ, ardentissimæque charitatis symbolo accipiamus, Regii honoris culmen in ea invenerimus. Ita eam accepit S. Bernardus cum orat. ad B. V. eamdem alloquens: *Hortus deliciarum*, inquit, *nobis sacratissimus uterus tuus est, o Maria, quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus, quam magna multitudo dulcedinis toto orbi inde effulsit. Hortus conclusus tu es Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit. Tu sanctorum Areola aromatum à cœlesti consita pigmentario virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas, inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te o Excellentissima. Hi sunt, quorum odore suavissimo totam domum Domini reples ò Maria. Viola humilitatis, lilium castitatis, Rosa charitatis. Meritò de hac Dei Aureola Flos ille speciosus, præ filiis Paradisi electus, egressus est, super quem requievit Spiritus Domini.* Quibus ex verbis colligimus rosam esse symbolum charitatis Virgineæ, qua oblectatus Patris Unigenitus in Paradiso uteri ipsius purissimi, velut arbor vitæ amœnissima transplantari non est dedignatus. Et jure sanè meritissimo per rosam charitatem designari dicimus. Quemadmodum enim charitas est virtutum omnium Regina, ita & Virgo nostra gloriosissima; in qua ipsa increata charitas Dei Filius novem mensibus requievit, eamque ardoribus plusquam Seraphicis implevit. Ob cujus sanè charitatis excellentiam non modo super omnes Angelorum Archangelorúmque Hierarchias, verum

Rosa symbolum Charitatis Marianæ.

etiam super ipsos seraphinos, qui ab ardore divini amoris nomen invenêre provehi, uti P. 2. docuimus, merita est, unde inter omnes creaturas ratione præditas eam charitatis purpuram, atque adeò principatum promeruisse fatendum est.

15. Ob hujus eminentissimæ charitatis excellentiam Deiparam Regiam purpuram comeruisse testatur S. Amad. Hom. 2. *Rubet* inquiens, *ut sphæra ignea, ut Regis purpura, ut coccus bis tinctus præferens amorem DEI & proximi. Sphæra verè ignita charitatis erat Virgo nostra*, ideo supernus ille ignis, quem Christus venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi, exarsit ut David Virginem velut eximium opus, imò opera Dei demirans, dixerit, sacro illo igne scuta, hoc est excusationes etiam peccatorum concremata, ut magnitudinem vehementiámque divini hujus ignis in Virgine magis magísque perspiceremus. Audiendus hìc Richardus de S. Vict. lib. 7. de Emman. c. 29. qui in primo mandato de dilectione Dei observando, ait *eminuisse inter omnes Deiparam, velut Reginam purpuratam: Quis illud:* inquiens, *primum & maximum mandatum, sic unquam implevit: quis sic unquam implere poterit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua; ex hac utique exæstuantis amoris flamma exusta sunt scuta illa, nempe excusationes, in peccatis, quæ cum non habuerit, non habuit utique eorum excusationes, proinde bene dicitur: scuta comburet igni, ita ut eorum nil penitus supersit.*

Sphæra charitatis ignita est Deipara.

16. Hinc cor Virginis flammam divini amoris in cœlum úsque evibrans dum attentius contemplaretur S. Brigitta orat. 4. exclamavit: *ô Domina mea, lætitia cordis mei B. V. M. glorificetur & honoretur cor tuum reverendissimum, quod ad DEI honorem, ita erat ardentissimum super omnes creaturas cœli & terræ, ut flamma charitatis ejus in cœlorum celsitudinem ad DEum Patrem conscenderit. Propterea DEI Filius à Patre, spiritus sancti fervore in uterum tuum gloriosum descendit.* Eadem S. Vidua ob eximiam hanc Virginis charitatem censuit juxta Filium in eodem Throno in cœlis collocatam. Sic enim illa B. V. in cœlos assumptam alloquens: *Intellexisti tunc*, inquit, *quod quicunque Deum in hoc mundo ardentius amaret, ipse eum in cœlo juxta se vicinius collocaret. Et quia toti cœlesti curiæ erat manifestum, quod nullus Angelorum vel hominum, tanta charitate, quanta tu ipsum, DEum amavit, idcircò dignum & justum fuit, ut in summa sede gloriæ cum anima & corpore te ipse Deus honorificè collocaret.* Sic illa.

Ob summam charitatem DEO proxima Maria.

17. Porrò ut altissimam hanc Virginis perfectissimámque charitatem melius perspiciamus, ad ejus plenitudinem gratiæ, quæ à S. Anselmo, & S. Bonaventura aliisque patribus, infinita quodammodo, immensáque dicitur, intellectus oculum convertamus, intelligemus enim in hac charitatem quoque virgineam immensam, infinitam altissimámque esse quodammodo Hierarchias omnes beatissimorum spirituum longè transcendentem, cum, in quorundam Theologorum sententia admodum probabili, gratia habitualis non distinguatur à charitate, nisi ratione sed omnino eadem sit cum illa; cum ergo gratia Virginis dicatur quodam modo infinita atque immensa, imperfecto nostro concipiendi modo, consequitur profectò, ut ejus charitas easdem proprietates sortiatur.

Charitas Deiparæ omnem charitatem Angelorum transcendit, propè infinita est.

18. Unde plenitudinem hanc gratiæ, charitatísque immensitatem quandam seraphicam longè superantem

rantem Gabriel Angelus in Virgine suspiciens ac venerans, eam gratia plenam salutavit; quæ salutatio à primis mundi incunabulis nulli mortalium contigit, ut observavit Doctor Angelicus opusc. 8. in salut. Angelicam, ubi ita loquitur: *considerandum quod antiquitus erat valde magnum, quod Angeli apparerent hominibus. Vel quod homines eis facerent reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde ad laudem Abrahæ scribitur, quod recepit Angelos hospitio, quod exhibuerit eis reverentiam. Quod autem Angelus faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit reverenter Gabriel B. V.* Ave. Quod autem antiquitus non reverebatur Angelus hominem, sed homo Angelum, ratio est; tum quia Angelus est major homine quoad dignitatem. Angelus enim est naturæ spiritualis. Homo vero naturæ corruptibilis. Unde dicebat Abraham: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* Non ergo erat decens, ut spiritualis & incorruptibilis creatura reverentiam exhiberet corruptibili. Tum quia Angelus est DEo familiaris, utpote assistens, Dan. 7. *Millia Millium ministrabant ei.* Homo autem est quasi extraneus & elongatus à Deo per peccatum. Unde ait: *Ecce elongavi fugiens.* Psal. 54. Ideò conveniens est, ut homo revereatur Angelum, & propinguum & familiarem Regis. Tum quia præeminebat ob plenitudinem splendoris gratiæ divinæ. Angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine. Hinc Job. 25. *Nunquid est numerus militum ejus & super quem non surget lumen ejus: & ideo semper apparet cum lumine. Sed homines etsi aliquid participant de ipso lumine gratiæ, parum tamen, & in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet. Quousque aliquis in humana natura inveniretur, qui in his omnibus dum superabat, Angelus ei reverentiam exhibuit dicendo.* Ave. Quare B. Virgo excessit Angelos in tribus. Primo in plenitudine gratiæ & conscientiæ etiam charitatis, quæ magis est in B.V. quam in Angelo, & ideo ad insinuandum hoc, Angelus ei reverentiam exhibuit, dicendo: gratia plena, quasi diceret: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine, gratiæ. Dicitur autem B. V. plena gratiæ. Tum quia ejus anima habuit omnem plenitudinem gratiæ. Nam gratia Dei datur ad bonum operandum, & ad malum evitandum. Et ad hæc duo perfectissimam gratiam habuit B. V. Nam ipsa omne peccatum magis evitavit, quam aliquis sanctus post Christum. Unde & audire meruit: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* Cant. 4. Hinc Aug. lib. de Nat. & gra: *Excepta sancta B. Maria, si omnes sancti & sanctæ, cum hic viverent, interrogati fuissent, utrum sine peccato essent, omnes una voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est; Excepta inquam, hac Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullum prorsus habere volo quæstionem. Scimus enim, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quia illum concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quædam, quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors, & ideo dantur in specialium virtutum exemplum, ut B. Nicolaus in exemplum misericordiæ. Sed B. V. in omnium virtutum exemplum, quia in illa reperis exemplum

Angelus in antiquo testamento propter præeminentiam suam nullum hominem reverebatur. Beatissimam Virginem verò, quia excellentior Angelis Gabriel reveritus est.

In tribus Deipara Angelos excellit.

plum humilitatis, *Ecce Ancilla Domini, respexit humilitatem Ancillæ.* Castitatis: quoniam virum non cognosco. Omnium deníque virtutum, sic ergo plena est gratia B. V. & quantum ad boni operationem, & quantum ad mali evitationem.

19. Neque verò solum plenitudine gratiæ omnes Angelorum Hierarchias præcellit, verum etiam familiaritate divina, quæ omnia cum amico habere solet communia. Unde consequitur Virgini divinitatis omnes patuisse thesauros, clavémque ad gratiarum donorúmque omnium arcam eidem à Deo concessam fuisse. Unde censet idem Doctor Angelicus ob intimam hanc cum divina Majestate familiaritatem, ipsi dictum ab Angelo: *Dominus tecum*: quasi dicat, inquit idem Doctor: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es DEO quam ego. Nam Dominus est tecum. Dominus Pater cum eodem Fillo & spiritu S. quod nullus Angelus, vel aliqua creatura habuit. Dominus Filius fuit tecum in utero. Unde ei dicit Isaias c. 17. *Exulta & lauda habitatio sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.* Aliter ergo Dominus cum B. V. quam cum Angelo, quia cum ea ut Filius, cum Angelo ut Dominus; Dominus spiritus S. tecum, sicut in templo unde vocatur: Templum Domini sacrarium spiritus S. Sic ergo familiarior est cum Deo B. V. quàm Angelus. Quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus spiritus S. atque adeo tota Trinitas. Unde illi canitur: *Totius Trinitatis nobile Triclinium.* Hoc porrò verbum, *Dominus tecum*, est nobilius verbum quod illi dici potest. Meritò ergo Angelus reveretur B. V. quia Mater Domini, & ideo Domina est. Hæc Doctor Angelicus. Ex quibus clarè perspicimus gloriosissimam Deiparam super omnes Angelos, ob plenitudinem gratiæ, eximiámque charitatem, & cum Domino familiaritatem tanquam eorum purpuratam Reginam evectam, eíque omnem iis de causis reverentiam, honorem, venerationèmque, ab Angelicis exhiberi oportuisse.

Familiaritas summa Deiparæ cum DEO.

20. Ob eandem charitatis excellentiam S. Hieron. serm. de Ass. eam super omnes Angelorum Hierarchias tanquam ipsorum Reginam purpuratam evexit, dum de ipsa ita pronunciavit: *Quam si diligentius aspicias nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæq; quod ex ea non resplendeat. Et ideo bene circundant eam flores rosarum, & lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur. Nam omnis splendor, & gloria, quanto illustratur fulgore suo sublimius, tanto apparet præstantior claritate quorumlibet subjectorum, & eximior prædicatur. Sic & B. Dei Genitrix, cujus plantatio rosæ in Hiericho specialis refulsit, & candor Virginitatis splendidius emicuit, cum circumdata officio charitatis submittitur illi sanctorum charitas, ut ejus amplius splendor & gloria commendetur. Quæ super Angelorum choros elevata jam beata prædicatur & beatissima. Nam Angelorum quamvis celsior natura sit, non tamen gratia major, quia & ipsi gratuitâ gratiâ, ne corruerent, sunt salvati.* Unde David: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum subsistat, constat Beatissimam & gloriosissimam V. M. in quam supervenit Spiritus S. & DEus totus illapsus portatur novem mensibus in utero, ut credendum est, ampliora promeruisse virtutum privilegia, & percepisse gratiam ab Angelis etiam collaudatam. Unde etsi mirabilis est illorum virtus, & firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen*

Magna sunt gratiæ dona in Angelis, sed incomparabiliter majora in Deipara.

tamen in Maria, quam obumbravit virtus Altissimi, ut ultra omnem virtutem sit Angelicam, quod factum est in ea, & admirabile omnibus Sæculis Sacramentum. Hæc Hieron. de eminentissima Deiparæ, qua velut rosa inter omnes beatos præfulsit purpurata charitate.

21. Etsi porrò charitatem hanc Virgo totius vitæ decursu, quo conversata est cum Filio evidentibus declaravit argumentis, Regalémque purpuram, & super omnes Angelicas Hierarchias, sanctosque omnes eam ob causam fuerit commerita principatum; maximè tamen ex acerbissima illa erga dilectissimum Filium compassione, quando stabat juxta crucem, & in corde suo velut speculo Dominicæ passionis amaritudinem repræsentavit, quam Divinus amor ei profundè impresserat. Audiendus hic Hugo de S. Vict. in Inst. Monast. serm. 47. ubi eam plantationi rosæ in Jericho conferens, ita loquitur de hac ejus passione & compassione. *Rosa, quæ rubet apte designat passionem. Et si rosa in eo, quod rubet, passionem exprimit, ergo in éo, quod plantatur congruè designat passionem. Compassio in corde, & passio in corpore. Compassio latet, passio patet. Rosa itáque plantatur, quando compassio cordi infigitur. Florem rubentem producit, quando in effectum passionis procedit. Jericho porrò luna interpretatur, & pro defectu carnis, aut defectu sæculi præsentis ponitur. Patet igitur, quod DEI Genitrix quasi plantatio Rosæ in Jericho existit, quia in defectu sæculi præsentis, virtutem compassionis excellenter & singulariter enituit. Nam & ipsius animam pertransivit gladius. Et quis dignè possit perpendere qualem doloris gladium sustinuit, dum suum Filium unigenitum in Cruce pendere, morique vidit.* Sic ille.

In compassione erga Filium suum dilectissimum Deipara se Rosam in Jericho plantatam commonstravit.

22. Audiendus & Richar. à S. Laurent. lib. 12. de laudibus B. V. ubi Virgineæ hujus rosæ purpuram esse, non sanguinem proprium, sed Filij, cui in passione & morte animitùs compatiendo, ejus quodammodò sanguine purpurata fuit: sic igitur ille elogium illud Virginis expendens: *Dicitur quod in Jericho crescunt rosæ specialissimæ habentes centum quinquaginta folio* (ad numerum videlicet salutationum Angelicarum Mariani Rosarii) *dicitur ergo Maria quasi Rosa non quælibet, sed Jerichuntina, id est, speciosissima & maximè habitu respectu ad Filij passionem, cui mente compassa est. Color enim roseus quasi sanguineus est, & sanguis signat Martyrium. Et bene quasi Rosa, sanguine proprio rubricatus Christus, vera fuit Rosa. Ipsa vero non sanguine suo proprio, sed Filij rubricata. Et ideo quasi rosa, quantum enim Filius passus fuit corporaliter, tanta ipsa compassa est præcordialiter. Ipsa enim fuit rosa in Jericho, quod sonat defectum, quia Filio compassa est, quando fides in omnibus præter ipsam defecerat. Quod si Jericho luna interpretatur juxta aliquos, aptè Virgo Rosa in Jericho dicitur. Cum enim luna candida Rosa rubicunda sit, & utrumque designat Deiparam, rectè dici potest, in candore Marianæ Virginitatis plantatam affectionem Martyrij ac passionis, quæ ex ardentissima charitate, virtutum omnium Regina dimanavit. Unde idem Richardus Virginem Rosam dici asserit ob charitatem DEI & proximi. Rosa enim,* inquit, *caloris est ignei, & per ignem charitas designatur; Ignem veni mittere in terram.* Luc. 7. *Est etiam rosa intensissimi ruboris, in quo summa perfectio amoris designatur.*

Mariana Rosa Filij sui sanguine per compassionem purpurata.

23. Cum igitur Rosam rubentem cernimus, Regis superni purpura, sanguine videlicet ille divinis-

Mmm mmm simo,

simo, quem pro nobis in cruce ex omnibus venis emanantem profudit, aspersam Dei Matrem tunc vel maximè fuisse, cum juxta crucem JESU mœstissima consisteret, nobis imaginemur. Hanc fortassis ob causam ipsi à sponso illud pulcherrimum attributum fuisse crediderim elogium Cant. 7. 5. *caput tuum, ut Carmelus, & comæ capitis tui sicut purpura Regis juncta seu vincta canalibus.* Si enim Carmelus, ut aliqui voluerunt, accipiatur pro coccineo, seu rubenti colore, intelligemus profectò sanquine preciosissimo Filii, dum cruci, uti diximus, Mater assisteret per compassionem quodamodo fuisse aspersam; ardentissimáque charitate voluntatem ejus esse inflammatam adeò, ut mori vellet ac desideraret pro Filio, quod nobis verba sequentia magis declarant, dum comæ ipsius adeo rubicundæ perhibentur, ut purpuræ Regis junctæ canalibus similes videantur. Ex plagis enim Salvatoris velut canalibus copiosi sanguis profluens, caput ejus ac crines tinxisse visus est, dum ipsi, intimè crucis adhærens, animitùs medullitúsque compatiebatur, dum mente sua, ac cogitationibus; quæ crinibus designantur, acerbissimos Filii cruciatus revolvebat.

Crines Virginis seu comæ sanguine filij conspersæ, cum cruci adhærens patienti compatiebatur.

24. Hinc Richardus à S Laur. lib. 12. Dum Deiparam lunam mundissimam esse dixisset, purpura sanguinis speciosissimi Filii, sui ex quinque vulneribus decurrentis tinctam per animæ suæ Martyrium & compassionem in Christi passione fuisse memoravit. Et clarius lib. 5. idem asserit: comæ tuæ, id est, *cogitationes tuæ tinctæ sunt in memoria sanguinis Dominicæ passionis, & sic affectæ sunt, quasi recentem viderent sanguinem de Filij vulneribus distillantem. Fasciculus enim myrrhæ morabatur inter ubera ejus, donec assumpta est, ad illud gaudium, quod omnem dolorem absorpsit.*

25. Audiendus hic Dionysius Richelius in cant. art. 24. qui luculentiùs cæteris ad institutum nostrum illud elogium sponsæ de compassione, quam habuit erga Filium interpretatus est. *Caput,* inquit, *Reginæ nostræ est, Sancta ejus voluntas, nunquam ad inferiora hæc repræsentabiliter Inclinata, sed ad eum, qui essentialiter bonus est, semper altissimè ac fructuosissimè elevata, utpote ardentissima charitate plenissima: ideo Monti Carmelo, qui valdè sublimis & frugifer est, similis perhibetur.* Potest etiam per caput Imperatrius nostræ sancta & summa ejus intentio, sursum inviolabiliter fixa signari. Et comæ capitis tui, id est, pia desideria, seu prudentissimæ cogitationes cordis tui, sicut purpura Regis canalibus vincta per purpuram Regis intelligitur caro Christi, propter nos proprio sanguine rubricata, quæ quasi canalibus juncta fuit, quando guttæ sanguinis tanquam stillicidia eruperunt ex ea, & defluxerunt in terram: & de latere ejus benedicto, præsertim lancea perforato erivit sanguis & aqua. Quoniam ergo sacratissima Mater Filio suo in omni ejus acerbissima passione amarissimè est compassa, & simul cum eo pati optavit; imò quidquid ille toleravit in corpore, ipsa tulit in mente, meritò desideria ejus ac cogitationes assimilatæ dicuntur purpuræ Regis hujus. Quæ quia mirificam animæ ipsius gratiam ac venustatem peperere, ideo internum hunc ejus decorem admiratus sponsus mox attexuit: quam pulchra es, & quam decora charissima, in delitiis. Quæ verba eleganti paraphrasi donavit idem Dionysius: *decora & pulchra es, magis planè quàm Rebecca, aut Rachel, & speciosior prorsus quam Esther, quemadmodum præ cunctis compassa est Filio suo, non solum tempore passionis, sed & ante sæpè, dum*

Cur caput Deiparæ monti carmelo, & comæ capitis cujus purpuræ Regis junctæ canalibus assimilatur.

dum futuram ejus passionem prævidit : & postea dum facta recoluit: Sic præ universis & singulis datum est ei spiritualiter gloriari in Christo & suavissime deliciari de ejus conceptu, gestatione in utero, de ejus lactatione, amplexu, de portatione in brachiis! & de mutua conversatione, cum ipse tot annis. Ipsa autem ardentissimè unicum suum amavit, ejúsque dignitatem agnovit. Hæc Dionysius: *Quibus mirificos fructus, quos Virgo ex illa, quam erga Filium habuit compaßione, descripsit. Unde Cælius Pannonius in M. S. suo in cantica eadem illa expendens verba: Meminit tacitè,* inquit, *Sponsus de mysteris paßionis suæ inter laudes, quas sponsæ accumulat, sed quæ virtus ejus esset, nondum meminerat. Hic igitur ejus virtus exprimitur, quæ fluxit è canalibus, pulchritudo videlicet & decor charismatúmque deliciæ, quibus purificata & illustrata in multis delitiis frueretur sponsa; quæ est charißima ob fidem, & obedientiam Evangelij pacis, id est, quia credit & obedit: Vel charißima, quia magno pretio empta,* 1. Cor. 6. *Charum enim dicitur, quod magno pretio emitur, quamvis charißima hic, alterius significationis sit, significat enim gratißimam, tamen quod charum, gratum est. In deliciis autem charißima, in quibus & pulchra nimirum est, & decora nimirum. Sed quæ delitiæ istæ sint, non intelligit.* Hæc Cælius.

26. Ob eandem compassionem labia ejus coccinea cant. 4. v. 3. à Sponso prædicantur. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Dum enim magna cordis sui compassione, de ipsius tam copiose, omnibus ex venis vulneribúsque dimanante sanguine, magna Amoris ardentissimi significatione loquebatur, labia sua coccineo illo preciosissimóque cruore ac Regis purpura proluere videbatur. Hinc Angelomus: Labia Ecclesiæ, inquit, & multò magis Dei Matris cocco assimulantur, quia Dominici sanguinis pretium, quo redempta est, prædicare non cessat, & in prædicatione ab ardore sanctæ charitatis flammascit, auditorésque suos in dilectione Dei ardentes facit.

Ob compassionem erga filium labia Deiparæ coccinea & eloquium ejus dulce vocatur.

27. Audiendus hic eruditissimus Delrius noster, qui compassionem hanc Virginis magnam quóque fuisse, ex illa circumstantia asserit quod tot tribulationum, dolorúmque fluctibus ac turbinibus impetita, silentio modestissimo, veluti vita coccinea labia sua constrinxerit, nec illum verbulum, quod nimirum impatientiæ signum præseferret, ore ejus effluxerit. Per rubentem coccum inquit ille, passio Dominica designatur. Itáque sicut vita coccinea labia ejus, quoniam tum etiam cùm patientem cerneret Filium silentii districtionem non remisit, ideo ut nec tam acerbus materni effectus dolor, ejulatum, vel clamorem fœmineum, vel vocem ullam animi fracti indicem extorqueret. Viderat Filium sicut agnum coram tondente obmutescere, non aperientem in passione os suum: Filio compatiens Mater stabat juxta crucem, doloris acerbitatem sacro premens silentio. Antea labia ejus, ut vitta fuerant, tunc autem revera vitæ coccineæ similia fuere. Spiritus S. ait, *tempus esse loquendi*, Eccl. 3. v. 7. Tempore tacendi, fuere sicut vitta coccinea: sed tempore loquendi, transactâ videlicet ejus passione, de ipsius cruciatibus cum Apostolis, aliisque fidelibus, sicut mel dulce fluebat eloquium ejus. Tempus erat tacendi, Filio tacite cruciatus perferente: Tempus loquendi fuit, postquam idem filius triumphator ab inferis remeavit.

Passionis tempore labia Deiparæ velut vita coccinea constricta erant, quia silebat. Tempore vero resurrectionis factum est eloquium ejus velut mel dulce.

28. Similia habet Richardus à

S. Laur. qui lib. 5. de labiis Deiparæ cocco sanguinis dilectissimi sui Filii, dum de ipsius acerbissima passione loquebatur rubricatis ita loquitur: *Coccinea dicuntur labia Virginis, quia cocco sanguinis Filii sui per passionem rubricata sunt, cujus passionis memoriam cordibus nostris inspirat. Hæc labia sunt intellectus & affectus B. V. ex quibus formatur & procedit omnis interior loquela, cogitatio scilicet & desiderium. Dicuntur etiam labia Mariæ coccinea, quia coccinum Dominicæ passionis, ejusque ordinem creditur docuisse Evangelistas, & maximè B. Lucam. Quo etiam coccino per jugem recordationem & compassionem colorat, erant intellectus & affectus, imò ipsa tota erat coccinea per Dominicæ passionis immitationem, carnísque propriæ mortificationem, ut verè dicere posset cum Apostolo Galat. Ult. Ego stigmata Domini Filii mei JESU jugiter in corpore meo porto.*

Labia Virginis beatissimæ Christi sanguine tinctæ sunt intellectus & affectus ejusdem.

29. Denique de Matris hujus Virgineæ erga dilectissimum Filium tot cruciatibus mactatum, intima cordialíque compassione piè admodum ecstaticus Doctor Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & dignit. Deiparæ c. 74. Disseruit, cujus verba, quia mirificam pietatem spirant, hic attexere lubuit. *Porrò passionis Christi Hora jam præsente, & passione ipsa durante, tantus eam dolor oppressit, ut ex resurrectionis propinquæ cogitatione respirationem non acceperit. Quemadmodum enim tanta erat Dominicæ passionis acerbitas, ut se unigenitus DEI à Patre cœlesti fateretur derelictum: Sic & Maria tanta erat in illa hora compassio, ut & ipsa quoque à DEO derelicta fuisse videretur. Nempe derelictio illa Christi aliud prorsus non erat, quam divinæ consolationis suspensio, & traditio ipsius in manus peccatorum. In ipsa siquidem Messiæ passione redundantia nulla extitit Divinitatis, aut rationalis supremæq; partis animæ in sensualem portionem, vicésque corporeas; ideóque amarissimus erat dolor, ob patientis tenerrimam corporis harmoniam. Similis quóque dolor extitit in Maria; ex nulla námque consideratione, neque de patientis resurrectione; nec passionis fructu poterat Matris dolor mitigari. Unde sicut tunc erat tanta passionis amaritudo Dominicæ, ut nullius cujuscúnque tandem Martyris passio ei posset æquari: sicut tunc quoque Mariæ compassio omnem prorsus passionem excessit. Quinimò censeo nullum in hoc mundo tantæ amaritudinis mortem ferre potuisse, quanta erat in illa hora Mariæ passio. Nimirum quod vivere ita Filio compatiens, & mori minimè potuerit, opus non humanæ virtutis, sed Divinæ dispensationis extitit. Enimvero si magnitudinem compassionis Virgineæ Matris vis agnoscere, amoris vehementiam, quo Filium ipsa dilexit considera. Et quidem si omnium linquis Angelorum, hominúmque loquar, fateor, me hujus amoris ardore effari non posse, quo enim intimius amamus, eò præcordialius dilecto compatimur. Cum igitur JEsum DEI Filium Virginea Mater, ut constat ineffabiliter dilexerit, palam profectò est, quod ineffabiliter quoque eidem patienti compassa sit. Vide reliqua Virgineæ compassionis signa, quæ ibidem Dionysius totam percurrendo passionem salvatoris, describit, cui pene toti Virginem adfuisse ad ultimum usque Spiritum in cruce exhalatum testatur. Tandem ad Deiparam conversus: Nunc ò Maria, inquit, nisi morientis omnipotentia te servasset, & tu quóque simul utíque exspirasses. Et modo quæ cordis tui materni pres-*

Compassio Virginis erga filium suum omnium Martyrum Morte acerbior fuit. hinc nonnisi divinitùs in vita conservata.

pressura, quis gemitus, quæ desolatio quam affectuosa ac lachrimabunda verba, quam mæstus aspectus, quam tristis gestus. Denique cum iam demortui latus miles lancea transfixit, illius jam emortuum nil persensit corpus, sed rursus tuam amantissimam perforat animam framea compassionis, pœnosumque tibi est, quod non sufficerit malignis illis viventem torquere, nisi mortuum etiam pupugissent. Hæc ille.

Ob summam charitatem, quâ in Filii sui passione ardebat, merito Regiam Dignitatem adepta est Deipara.

30. Ex quibus sanè clarè inferre possumus Rosam hanc mysticam ac Virgineam sanguine quodammodo Filii ipsius acerbissimis doloribus in passione exantlatis, compatiendo venustissimè fuisse purpuratam, Regiámque dignitatem tantæ támque eximiæ beneficio charitatis quâ nimirum quantum ardebat, meritò fuisse consecutam, & jure omnis creaturæ Reginam, sicut Rosam omnium florum Principem esse appelliatam, ut famosissima illa Poëtria Sappho modulata est.

Rosæ Mariæ spinæ fuerunt dolores in Christi Passione tolerati, & timor Domini, ne quid displiciens Deo committeret.

31. Eandem hanc Matris erga patientem Filium passionem pungentes illæ in Rosæ spinæ, uti & sanctum castúmque Domini timorem, quo Divinam verebatur Virgo vel minima cogitatione offendere Majestatem, indicant. Quod luculenter S. Brigittæ revelavit Angelus in suo Sermone c. 16. ubi ob jam memoratas duas illas causas illam rosæ conferre non dubitavit. *Sicut*, inquiens. *B. V. cœpit Deum rationabiliter diligere, ita cœpit eundem etiam rationabiliter metuere.* Congruè itáque hæc Virgo nuncupari potest, florens Rosa. Nam sicut rosa crescere solet inter spinas; ita hæc venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et quemadmodum rosa, quanto se plus crescendo dilatat, tanto fortior acutiórque ejus spina efficitur: ita & hæc electissima Rosa Maria, quanto plus ætate crescebat, tanto fortiorum tribulationum spinis acutiùs pungebatur. Transcursa itáque juvenili ætate timor Domini extitit ei prima tribulatio, quia non solum maximo timore tribulabatur disponendo se ad fugiendum peccata, verùm etiam tremore non modico urgebatur, in considerando, quomodo rationabiliter bona opera perficeret. Et quamvis omni vigilantia cogitationes, verba, operáque ad Dei honorem ordinabat, timebat tamen defectum aliquem in eis existere. Considerent igitur ipsi peccatores miseri, qui diversas iniquitates sceleráque audacter voluntariè ac incessanter committunt, quantos cruciatus, quantásque miserias animabus suis coäcervant, quando vident, quod gloriosa Virgo ab omni peccato immunis opera sua super omnia Deo placentia perfecit cum timore. Deníque ex Prophetarum Scripturis Deum incarnari velle intelligens, quodque tam diversis pœnis in carne assumpta deberet cruciari, protinus tribulationem non modicam ob ferventem charitatem, quam ad Deum habebat, in corde suo sustinuit, quamvis nondum sciret, quod ipsa ejus Mater fieri deberet. Cum antem ad eam ætatem pervenit, in qua Dei Filius, ejus Filius factus est, tunc lenissima illa rosa magis in sua pulchritudine dilatari ac crescere videbatur, tribulationúmque spinæ ipsam acriter stimulantes fortiores & acutiores quotidie efficiebantur. Nam sicut ei gaudium magnum, ac ineffabile in Filii Dei conceptione oriebatur, ita etiam in recordatione futuræ crudelissimæ ipsius passionis mentem ejus multiformis pulsabat tribulatio. Gaudebat quidem Virgo, quia Filius vera sua humanitate amicos suos reducturus erat ad Regni cœlestis gloriam, quibus primus homo per superbiam pœnam ge-

Gaudium & dolor in corde Mariæ.

gehennalem meruerat. Dolebat verò quia sicut homo omnibus suis membris per concupiscentiam peccaverat in Paradiso, ita & suum Filium pro ipsius hominis transgressione per mortem satisfacturum præsciebat in mundo. Exultabat Virgo quia filium suum absque peccato & carnis delectatione conceperat, & sine dolore pepererat. Sed tristabatur, quod tam prædulcem Filium ad turpissimam mortem nasciturum, & se maxima cordis anxietate passionem ejus visuram prænoverat. Gaudebat Virgo quia ipsum à morte resurrecturum præsciebat, & passionis meritô summo honore æternaliter sublimandum. Dolebat tamen, quia contumeliosis opprobriis, dirísque cruciatibus, honorem illum præcedentibus illum immaniter cruciandum præsciebat. Verè indubitanter credendum est, quod sicut Rosa constanter in suo loco stare cernitur, quamvis spinæ circumstantes fortiores & auctiores effectæ fuerint; Ita & hæc benedicta Rosa Maria, tam constanter gesserat animum, ut quantumcumque tribulationum spinæ cor ipsius stimularent, voluntatem tamen ejus nequaquam variabant, sed ad sufferendum & faciendum quidquid DEO placeret se promptissimam exhibebat. Tandémque totum suum discursum Angelus ita concludit: Florenti ergo rosæ, dignissimè comparatur, & revera Rosæ in Jericho, nam sicut rosa illius loci pulchritudine suâ cæteris floribus legitur præpollêre: ita Maria universos in hoc mundo viventes, solo benedicto suo excepto Filio, honestatis & morum pulchritudine excellebat. Unde sicut DEUS & Angeli ex ejus virtuosa constantia jucundabantur in cœlo, ita homines considerantes quam illa patienter se haberet in tribulationibus, & quam prudenter in consolationibus de ea maximè lætabantur mundo. Hæc Angelus de acerbissimorum dolorum spinis, quibus cor Divæ Virginis ab ineunte ætate ad mortem usque filii ipsius cruciatibus, passionísque condolendo compungebatur.

32. Qui sanè pius Virginis in compatiendo Dei filio amore nostri tam extrema passo affectus, sicut & ipsa Dolorosa Mater jure meritò omnibus dilectis ipsius servis ac clientulis imitanda est, ut sicut illa compassio Matris Filio gratissima accidit, sic & nostra erga utrumque pia compassio gratiam, ac præsertim in hora mortis uberiorem, plurimarúmque mundi hujus calamitatum atque ærumnarum levamen opportunum mereatur: Huc collimasse crediderim Theodoricum Archiepiscopum Coloniensem, qui cum intellexisset, ut scribit Spondanus ad annum Christi 1423. n. 10. impiissimos hæreticos Wiclefistas & Hussitas non reformidasse imagines Christi, & Matris ejus, per summum nefas ausu sacrilego comburere ad Dei Matri ob tantam injuriam compatiendum, statuit in synodo provinciali, ut festum compassionis ejusdem Beatissimæ Virginis seu commemorationis illius angustiæ & doloris, dum Redemptor noster expansis manibus in ara crucis pro salute nostra immolatus, eam dilecto discipulo commendavit; solemniter celebraretur deinceps singulis annis feriâ 6. post Dominicam Jubilate quæ est III. post pascha in omnibus Ecclesiis Provinciæ coloniensis, ut Dominus noster IESUS Christus velamina de prædictorum Hæreticorum cordibus auferre dignaretur, atque eosdem ad S. fidem revocare, fidelésque ab omnibus erroribus, & omni malo præservare. Audientibus quoque missam illius diei cum devotione indulgentias largitus est. De eodem dolorum festo, tractat Spinellus tractu de festis Deiparæ, aítque dolores istos esse, quos Simeon

Festum dolorum B. V. institutum in Provincia Coloniensi.

illi

illi vaticinatus est cum Puerum Jesum stitit in templo Deo Patri. Idem hoc festum dolorum divinæ Matris feria 6. ante Dominicam palmarum solemni ritu varii variis in locis celebrare consueverunt. Trajecti sodalitas quædam in eorundem dolorum Virginis memoriam erecta est multaque sunt facta in ejus comprobationem miracula. Patres Cistercienses diem hunc festum celebrant 16. Aprilis. ut ex illorum Breviario constat. Antonia quoque de orleans hoc nostro sæculo circa annum 1618. circiter in eorundem dolorum venerationem congregationem B. Mariæ de Calvario auspicata est. De qua ita Menologium Cisterciense ad diem 22. Aprilis: *In Gallia obdormitio piæ fœminæ Antoniæ de orleans, quæ cum esset nobilissima & potentissima Princeps, pulchritudine, divitiis multisque naturæ & fortunæ donis dotata, cuncta pro Christo contemnens institutum Cisterciense in rigidissima Fuliensium congregatione amplexa est, in qua perseverans congregationem B. Mariæ de Calvario sub Regula S. Benedicti instituit &c.* Quæ postea Congregatio à sede Apostolica confirmata est, quibus omnibus institutionibus præluxisse crederem Archiepiscopum illum coloniensem eximia sua in Divinam Matrem pietate.

Congregatio B. M. V. de Calvario instituta.

33. In quanam ratione terræ ornamentum, plantarum decus, hæc mystica Rosa nostra vocari possit, ut communem hanc terrestrem nuncupavit sappho, videamus. Certè S. Chrysostomus ser. 1. de Deip. illam Ecclesiæ nostræ decus, gloriam ac firmamentum esse dixit. Similiter S. Joannes Damasc. orat. 1. de dormit. Humanæ naturæ venustatem, mulierum ornamentum, eximium humani generis decus, sacerdotum gloriam nuncupavit. Hesychius verò. ser. 2. de Deip. præclara in illa variarum virtutum suspiciens decora, admiratione perculsus exclamavit: *Ecce Virgo; quænam? Mulierum egregia, è Virginibus electa præclara naturæ nostræ ornamentum, gloria luti nostri.* Ut denique intelligeremus Rosam hanc mysticam non modo terræ, verum etiam cœli esse ornamentum preciosissimum S. Epiphan. orat. de laudibus B. V. illam inexplicabile Paradisi Monile prædicavit. Hanc ob causam merito illi cecinimus. *Tu gloria Jerusalem tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Quare & illud rosæ illi jure competit encomium ejusdem vatis, videlicet; terræ risus. Est enim ipsa vera Sara nostra, quæ ridens, genus quoque humanum jucundissimè ridere & exultare fecit. Pariens enim JEsum verum Isaac, risum nobis peperit, verámque totius Israëlis spiritualis lætitiam. Hanc ob causam Chrysippus Hierosol. Presb. serm. de Deip. gratia plenam illam esse censuit: *Quia*, inquiens, *tecum est universus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ, & gratiæ Rex, cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filiis hominum, cum puella impolluta is qui sanctificat omnia.* Hesychius, etiam Hier. serm. 1. de Deip. ait illam omnem tristitiæ fontem, quem aperuerat Eva, obstruxisse. Unde nil miror, cum audio dicentem sapientem illum Idiotam cap. 5. contemplat. de B. V: *Tantæ virtutis & excellentiæ est, tuum sanctissimum Nomen o Beatissima Virgo, ut ad invocationem illius cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant.* Hinc meritò Anacreon Rosam cælitum voluptatem & florem odorémque Divum, decúsque gratiarum esse pronunciavit.

Rosa Mariana non modò terræ sed & cœli ornamentum.

Sara nostra Deipara, quæ nobis risum, dum JEsum peperit.

34. Nec alterum illud Rosæ in Virgine nostra desideratur elogium, quo pulchritudo coruscans indigitatur. Adeo enim Deipara gloriosissima interiori animi decore, ve-

nustatéque, quæ gratiâ, Divinâque charitate, aliísque spiritus S. donis, ac charismatis continetur exornata fuit, ut in exteriorem quoque hominem redundaret, totóque ejus ore oculísque magna spectantium admiratione atque solatio coruscaret. Præclarè de admirabili hac utriúsque hominis pulchritudine disseruit venerabilis Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & dignit. B. V. art. 38. Ubi varias congruentias affert cur pulcherrimam esse oportuerit Dominam nostram: *Talem* inquiens *in mente & corpore sacram fuisse Virginem, qualem Dei Genitricem esse decuit.* Decuit autem, imò & prorsus oportuit optimæ illam Puellam esse complexionis, convenientissimàmque absque ulla imperfectione sortitam totius corporis membrorúmque omnium harmoniam, cujus caro Divinitati erat copulanda. Supersancto enim supermundóque Filio mente, corporeq; pura, perfectáque debebatur Genitrix. Accedit quod certum omnino sit, Christi carnem tenerrimam delicatissimam nobilissimámque naturaliter extitisse, cui sanè proportionatum debebatur alimentum. Quod illi Virgo fœlicissima suo purissimo lacte præbuit. Ad hoc autem optima erat necessaria naturæ totius complexionis dispositio. Denique quia per Virginem universa erat reparanda creatura, inque pristinam reducenda perfectionem meritò ei omnis naturalis perfectio gratiáque erat communicanda, tanquam ei, quæ omnis perfectionis gratiæque fontem mundo erat paritura. Ea ergo Puella, quæ non modò gratia sed gratiarum plenitudine, ipso gratiarum fonte, ipso naturæ & gratiæ Auctore implenda atque dotanda erat, cum quo vivere, in qua esse, DEI fuere deliciæ, & in qua tam singulariter in terris conversari elegit: quæ ipsius demum summa Amica, singularísque fuerat Sponsa, omni erat naturali eminenter ordinanda bonitate omníque penitus dulcedine ac amabilitate replenda; alioqui DEI Filius Matrem suam electissimam non videretur condecenter veneratus. Concludit tandem artic. 39. pulchritudini animæ, pulchritudinem corporis in DEI Matre fuisse sociandam, ut quemadmodum Fili' speciosus forma præ filiis hominum candidus & rubicundus, electus ex millibus, imò ex omnibus, ita ipsa speciosa esset inter omnes mulieres, nec ulla ei par vel in naturalibus, vel gratuitis inveniretur. Providit nempe, inquit ille, Pater æternus, præparavítque ni fallor Unigenito suo convenientem proportionatámque Genitricem: & ut speciosissimum illius dulcissimúmque vultum; non utíque nisi pulcherrima atque suavissima osculareturPuella Matérque mundissima.

Pulchritudo tam animæ tam corporis perfectissima decuit Deiparam.

35. Hanc formæ elegantiam prorsus miraculosam in Rosa nostra esse agnoscens Hugo Card. de S. Caro, cum dixisset, comm. in cap. 24. Ecclesi. eam Rosam esse in Jericho, quod interpretatur Luna, illa videlicet, quam vidit Joannes Apostolus sub pedibus illius mulieris Apocalypticæ cap. 12. mox subjunxit: *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Ut autem ostendat hoc signum Magnum, mulierem hanc amictam sole, Lunæ pedibus insistentem, Mysticam esse Rosam in Jericho, coruscanti pulchritudine præditam, hæc statim attexuit: *Comparat autem se Rosæ B. V. quia sicut Rosa pulchra est, imò florum pulcherrima, sic B. V. pulcherrima mulierum, plenam lunam pulchritudine superans.* Unde jam ad ostendendum, quod supra illam decore emineat sub pedibus habere dicitur.

Sicut Rosa pulcherrima inter flores, sic B. V. pulcherrima inter mulieres.

36. Ex quo Hugonis discursu non modo pulchritudine planè singulari Rosam nostram insignitam, verum etiam coruscanti forma prodigiosè radiantem esse demonstravit. Cum enim sempiternus ille justitiæ sol orbem Tartarea caligine involutum illuminaturus ejus uterum ingressus est, tanta támque Divina eam pulchritudine exornavit, ita gratiæ suæ splendoribus irradiavit, eámque in se per amoris affectum quodammodo transformavit: ut alter sol sibi similis esse videretur. Unde in ipsa tanquam venustissimo ornatissimóque tabernaculo novem ipsis mensibus habitare non est dedignatus. Quod agnoscens Regius Psaltes jure modulatus est: *In sole posuit tabernaculum suum.* Hic est nimirum Thronus ille ac sedes, in qua incarnatum verbum requievit. De qua rursus idem Propheta in Persona æterni Patris canebat: *Et Thronus ejus sicut sol in conspectu meo,* Psal. 88.

37. Vidit Divina hac luce circumfusam ac coruscantem Deiparam S. Epiphanius, Orat. de laud. B. V. dum eam ita salutavit: *Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in Lampade gestans lucem inextinquibilem, sole splendidiorem. Ave gratia plena splendidum cœlum, quæ cœlis incomprehensum contines DEUM. Ave gratia plena, quæ Cherubicum Thronum Divinitatis fulgore superas.* Porrò lucem hanc coruscantem à lumine gloriæ, quo mens ejus, cum adhuc in terris degeret, sæpiùs ad videndum clarè DEI faciem irradiabatur, fuisse derivatam, & in corpus ejus purissimum redundasse, Angelicásque Hierarchias claritate superâsse insinuare nobis visus est S. Epiphanius loco citato, dum eam æternæ gloriæ radicem appellat: *quid dicam? quid proloquar?* inquiens, *quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem, solo enim Deo excepto, cunctis superior existis. Natura formosior es ipsis Cherubin & Seraphim, omnique Angelico exercitu, cui prædicandæ nec cælestis, nec terrena lingua, imò verò nec Angelorum sufficit.* Tandem cœlestem hanc Virginis beatissimæ coruscantem lucem, sive eximiam pulchritudinem ab æterno illo luminum Patre, ac sole justitiæ mutuatam, & ad instar solis non modo totum orbem, verum etiam omnes purissimorum illorum spirituum ab omni carnis concretione seperatorum choros irradiantem contemplans exclamavit affectu potentissimo; *O Virgo Sancta lucis æternæ Mater lucis, inquam, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum, lucis quæ illuminat ipsorum Seraphin incomprehensum oculum, lucis quæ illuminat solem splendidis facibus lucis, fines terræ illuminantis ad credendum Trinitati. Lucis prædixit: Ego sum lux mundi. Mater lucis denique, quæ à te assumpta, tibique unita illuminavit cuncta, quæ sunt in cœlis & in terra.* Hæc Epiphanius.

Instar solis radiabat pulchritudo Mariæ.

38. Quare benedictus ejus Filius lib. 1. Revelat. S. Brigittæ cap. 51. eam Flori comparans, ejus honestatem, misericordiam, mansuetudinem, pulchritudinem, in Deo denique delectationem reliquásque omnes virtutes, ex quibus spiritualis constat pulchritudo, Angelorum privilegiis & decori antetulit. Verè tu Mater mea flos quinque foliorum es. Primum folium est honestas tua, quam Angeli mei, qui sunt honesti apud me considerantes viderunt eum supra se esse & eminentiorem ipsorum sanctitate, & honestate. Ideo tu altior es Angelis. Secundum est tua misericordia, quæ tanta fuit, ut cum videres omnium animarum miseriam compatiebaris eis, & passa maximam pœnam in morte mea. Angeli sunt pleni mi-

Pulchritudinem Mariæ ipse Christus apud Brigittam Angelorum decori antetulit.

sericordia, tamen nunquam patiuntur dolorem. Sed tu Piissima Mater miserta es, quando omnem de morte mea dolorem sentiebas, & ob tuam misericordiam à dolore exempta esse noluisti. Ideo misericordia tua excessit omnium Angelorum misericordiam. Tertium est mititas: Angeli quidem mites sunt, bonúmque omnibus cupiunt; sed tu Mater mea charissima ante mortem tuam, habuisti voluntatem, efficacissimam omnibus bene faciendi, & bene omnibus fecisti, & nulli adhuc negas, qui rationabiliter aliquid in suam utilitatem postulat. Et ideo mititas tua Angelis est excellentior. Quartum est pulchritudo tua. Angeli enim considerant alter alterius pulchritudinem, omniúmque animarum corporúmque admirantur; sed illam animæ tuæ vident esse super omnia, quæ creata sunt: corporísque tui honestatem excellere omnes homines, qui creati sunt. Et sic omnes Angelos & omnia quæ creata sunt excessit pulchritudo. Quintum erat Divina delectatio, qua in Deo delectabaris, quæ ita Angelorum delectationem superabat, velut rogus ardens ferventissimo igne, cujus flamma ad meam Deitatem pertingebat. Et ideo Mater mea dulcissima bene ardebat delectatio, tua divina, super omnes choros Angelorum. Hæc Virginis Filius de Matris pulchritudine, variis virtutibus constante, qua velut coruscante solari luce Angelos omnes velut sol sydera transgressa est. Eandem Virginis Rosæ nostræ instar lucis coruscantem pulchritudinem variis gratiarum ornamentis constantem conspexit S. Hieron. Ser. de assumpt. *Nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris ac gloriæ, quod non ex ea resplendeat, ideoque bene eam circumdant flores Rosarum, & lilia convallium, ut virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur.*

39. Vidit etiam coruscantem hanc pulchritudinem Rosæ nostræ Chrysippus Presb. Hierosf. ser. de Deip. cum eam ita salutavit: *Aue fons lucis omnem hominem illuminantis. Aue solis ortus, qui nullum ferre potest occasum.* Vidit eandem lucem Hesychius ser. 1. de Deip. cum dixit nullum desperationis, qua premuntur mulieres eam in partu, dissipâsse, & lumina lætitiæ apud contribules coruscare, fecisse.

40. Hinc Hugo Card. de S. Carv. Rosam esse meritò asseruit Deiparam tam ob mirificum odorem, eximiámque fragrantiam. *Rosa,* inquiens, *frigida est, & B. V. exemplo suæ castitatis refrigerium præstat contra æstum libidinis.* Hæc nimirum est Petra illa, à qua deficere nequit nix libani: Nunquid de Petra deficiet nix Libani? inquit Hier. 18. *Planè nix Libani contra concupiscentiæ æstum refrigerium nobis est Virginis puritas.* De mysticæ hujus Rosæ nostræ frigiditate Bernardinus Bustius. part. 9. mar. ardorem libidinis extinguente, ita loquitur: *quidam sunt calidi malo igne concupiscentiæ inflammati, quorum calidam infirmitatem hæc ipsa Rosa sanat, quia in eis ignem concupiscentiæ restinguit, & rorem gratiæ refrigerantis infundit.* Et ideo dicitur Eccl. 43. *Ros obvians ardori venienti humilem efficit eum.* Idem sensit Rich. à S. Laur. lib. 12. cum frigidam mysticam hanc Rosam ex verbis illis luc. 1. ad Angelum prolatis, esse cognovit: *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Frigida,* inquiens, *hæc Rosa est ab effectu, quia ab orationibus suis meritis ac exemplis, malorum concupiscentiarum fervores refrigerat, & maxim inè familiaribus suis.* Frigida denique Rosa hæc est, quo notatur totius pravi amoris

Rosa Mariana Frigida est, quia suo castitatis exemplo, & fervoribus contra libidinis æstum præstat nobis refrigerium.

amoris exclusio; quod bene competit B. V. quæ cant. 2. dicit. *Dilectus meus mihi est, ego illi.* Hunc perfectum amorem habuit ipsa in Jericho, id est in creatione mortali, videlicet tot defectibus, velut luna obnoxia.

Rhododaphne frutex jumentis venenum, homini antidotum: sic Deipara auxilium pœnitentium, non obstinatorum.

41. Quam ob causam merito Rhododaphni frutici sempiterna fronde virenti, Rosæque simillimæ comparari potest; quemadmodum enim hæc jumentis caprísque venenum est: ita eadem homini contra serpentum venena remedio. Nimirum Virgo capris hiscísque fœtorem luxuriæ exhalantibus, inque hujusmodi sordibus usu continuo atque obstinatione jacentibus nihil prodest, imò mors atque venenum est; at verò illis, qui à suggestione carnali, velut serpentino morsu ex fragilitate læduntur, & ad ejus auxilium confugiunt, præsentissimum remedium inveniunt.

Maria redolens Rosa.

42. De suavissima porrò Rosæ fragrantia idem Hugo Card. *Sicut Rosa redolet*, inquit, *ita & B. V. famæ suæ odore totam pigmentat Ecclesiam.* Unde ei dicit Sponsus: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* De eadem Rosæ suavitate rursus Richardus à S. Laur. *Rosa delicatissima est ad olfaciendum.* Hinc ei dicunt Adolescentulæ cant. 1. *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Et ob eandem suavitatem ac pulchritudinem eidem cantat Ecclesia: *Speciosa facta es, & suavis in deliciis* (odoris scilicet tui) *S. Dei Genitrix.* Tam suavis simul ac intentus & vehemens est hic Rosæ nostræ odor, ut sicut loquitur Bustius, spiritualem olfactum, odoris sui immensitate delectet.

Odorem Deipara traxit à Filio.

43. Quæ sanè odoris immensitas mira nobis videri non debet, cum in se totius suavitatis originem, ut ajebat supra Dionysius, in utero suo gestaverit, Dei videlicet Filium, Paradisi cœlestis delitias: Florem illum Virgæ Virgineæ de radice Jesse germinantem: florem illum campi, lilium convallium; illum cujus fragrantia oblectatus Pater cum admiratione dicebat. Gen. 27. *Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Unde illam Chrysippus salutavit ser. 1. de Deipara. *Ave pratum totius fragrantiæ Spiritus sancti;* Continuit denique Pomum illud suavissimum, de quo sponsa cant. 2. *Sicut Malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Malus enim*, inquit, Hugo Card. *odore delectabilis est.* Cùm igitur Malum hoc sive pomum dulcissimum ac fragrantissimum Virgo Deipara novem mensibus utero suo purissimo complexa sit, qua ratione fieri potuit, ut de illius cœlesti fragrantia non participârit. Præclarè mellifluus Doctor Bernardus de hujus Pomi odore, quem Virgo imbibit, de ipsius pietate misericordiáque, quam à Filio participavit, disserens ser. 1. in Dominica 1. post Epiph. *Quid de fonte pietatis*, inquit, *procederet nisi pietas?* nonne, qui pomum in manu sua tenuerit media die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? nam & ante mentem replevit, quàm ventrem & cum recessit, ex utero ab animo non recessit.

Christus pomum.

44. Simili ratione S. Pater disseruit de dulcissima ac suavissima charitate Virginis, quam ab hoc Pomo in utero ejus plantato mutata est. Sic enim ille ser. 1. de assump. *Dubitare quis potest omninò in affectum charitatis transiisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit?* Odorem hunc vel ipsa Virginis verba suavissimum ex-

exhalabant, adeò ut ei dici posset cum Mart. lib. 5. Epigr. 38.

Fragravit ore, quod Rosarium Pæsti,
Quod Africarum prima mella cerarum?

Porrò Malum hanc arborem pomiferam Dionysius Richel. art. 8. in Cant. ex Alberto Magno ita descripsit: *Malus est arbor pulcherrima, cujus fructus sumi jubetur à filiis Israël cum palmarum spatulis, dum dubitarent in umbraculis. Hæc portat Poma coloris aërei: nitentissimus quoque viror foliorum ipsius, ita intuentibus est acceptus, ut si radii solis tangunt superiora ejus, ex reverberatione fulgoris videatur aureis ramis ornatus. Hæc arbor nunquam suo fructu privatur, estque recta, alta, frondosa, delectans flore, recreans odore, reficiénsque sapore. Ideo rectè significat Virginis Filium Dominum JEsum Christum, qui delectat nos flore suæ sanctissimæ conversationis, recreat odore suæ verissimæ prædicationis, & reficit sapore suæ suavissimæ consolationis. In quo nulla fuit curvitas culpæ, sed summa perfectionis proceritas: cujus aspectus fuit valde consolatorius, & folia ejus, videlicet verba, auro sapientiæ radiabant.* Hæc Dionysius.

5. S. verò Bruno Religiosissimæ Carthusianorũ familiæ Patriarcha lib. de ornatu Eccl. cap. 50. Malum illam ait repræsentare Deiparam fructum verò ipsius fragrantissimum. dulcissimum JESUM, animarum nostrarum refectionem & medicinam, addítque Malum hanc esse arborem illam pulcherrimam, de qua locutus est Moyses levit. 25. *Præcepitque Dominus Filiis Israel: ut sumerent fructus arboris pulcherrimæ, spatulásque palmarum.* Pulcherrimam hanc arborem, inquit, Bruno, Hæbræi Citri arborem intelligunt, quæ & odore, & sapore & fronde & flore, ipsiusq; fructus magnitudine ac pulchritudine tam nobilis est, ut difficile inveniatur, quæ ei dignè comparari possit. Per hanc igitur pulcherrimã arborem B. V. Mariam intelligimus. Fructus hujus arboris Christus est &c. Nec mirum nobis videatur, quod tam Filium quam Matrem Arborem pulcherrimam appellemus. Cùm jam notissimum sit ob intimum inter illos amoris nexum, morúmque similitudinem communia ipsis elogia esse consuevisse, ut alibi sæpius commemoratum est. Pomum igitur hujus arboris pulcherrimæ, cum dulcissimum ac odoratissimum extiterit, illíque tam diu adhæserit suarum virtutum fragrantiam omnem ipsi absque dubio communicavit quemadmodum & pulchritudinem illam, quam tantopere in illa suspexit. Cant. 1. dicendo: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Quam venustatis suæ laudem sciens eam à sponso velut radium à sole derivatum, mox gratitudinis memor retorquet in sponsum. Ecce,* inquiens, *tu pulcher es, dilecte mi & decorus. Ac si diceret sponsa, ait Cælius Pannonius in S. M. in Cant. ô dilecte mi sponse, tu me pulchram & pulchram vocas, sed quid est mea pulchritudo (uti & odoris fragrantia) tuæ pulchritudini fragrantiæq; collata? Nihil est, umbra est. Verum si aliquid est, à te est, tua pulchritudinis, fragrantiæq; communicatione est, tu mihi eam afflas, tu ornas, tu decoras. Tuæ ergo bonitatis est, quod pulchra sum tuæ gratiæ, quod amica, non meorum meritorum. Unde quidquid habeo, totum tibi debeo: à quo omnis pulchritudo est, omnis & gratia est; qui pulchrificas, qui decoras quoscúnque vis.* Ita Cælius.

Deipara Malus arbor.

46. Hinc Seraphicus Joannes Hondemius Anglus, quia Virgo sinu uteri sui Increatam illam sapientiam

Deipara Rosetum seu Rosarium.

tiam velut Rosam gustavit, eámque carne sua velut serto quodam roseo circumdedit, eam Rosetum, siveRosarium odoratissimum esse cecinit. sic enim eam alloquitur:

Sinus tuus sit jam Rosarium,
Rosam gignens Rosarum omnium:
Sertum Regi honos regnantium.
Quod mæroris nescit dispendium.

Iris terræ odorem confert: Sic Christus Deiparæ.

Nec immerito hanc tam mirificam tamque suavem odoris fragrantiam, Virgineam hanc Arborem, à benedicto ventris sui fructu excepisse dicimus. Si enim terra illa, in qua Iris sive arcus ille cælestis sua fundavit defixítque cornua, teste Plinio lib. 17. natur. hist. cap. 5. cum à siccitate sua imbre irrorata, ac fœcundata fuerit, halitum gratissimum odoris emittit: Quanto suaviorem acceptiorémque fragrantiam animata hæc, Virginéaque terra exhalaverit, in qua Dei Filius velut cælestis Arcus, index & causa fœderis inter Deum & inter homines, duo illa extrema, quasi cornua divinitatem, ac humanitatem hypostatica unione ceu corda aut vincula sociavit?

Maria hortus conclusus. Christus Flos.

47. Nimirum Virgo hortus conclusus est, in quo excrevit Regius ille Flos, qui de Jessea Virgula ascendit, super quem requievit spiritus Domini, qui odoratissimus est habitus Divina fragrantiâ plenissimus, quem sibi Pater ac Filius mutuo aspirant, dum se se invicem in osculo illo sancto, qui etiam spiritus S. est, osculantur. Hortus inquam, Paradisi est Virgo nostra, in quo Varii Virtutum flores, variæ plantæ aromaticæ divinâ manu consitæ germinant, suavissimúmque longè latéque diffundunt, odorem qui sanè supremum illum cœlorum Regem in deliciosissimo Patris sinu accubantem, ad nos invisendos, hortúmque hunc per mortalitatis nostræ in purissimo suo utero assumptionem ingrediendum invitavit, & quasi suavissimè compulit. Hinc Religiosissimus Dionysius Richelius Art. 15. in Cant. hujus animati Horti odorem censet esse verba illa sponsæ Dei Filium ad se invitantis Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum: Sacratissima Virgo*, inquiens, *cum ex lege & Prophetis, illuminatione Divina, & maxime Angelica annuntiatione cognovisset Unigenitum Patris ex se incarnandum, humillime dicere potuit: Veniat dilectus meus in Hortum suum, in uterum meum descendat, & ex purissimis meis sanguinibus corpus assumat humanum. Fœlicissimæ igitur Virginis venter fuit Hortus pulcherrimus, omni castitate ac sobrietate decoratissimus, Virginea puritate redolentissimus, ex verbi æterni conceptione ineffabiliter dignificatus, utpote Thronus veri Salomonis, thalamus sponsi cælestis, Templum veri DEI effectus, supernaturali, ac superexcellentissima fœcunditate ornatus, quippe qui eum concepit, qui á Patre æterno æternaliter genitus est. Hic uterus locus est mundissimæ voluptatis, hortus Paradisiacæ amœnitatis, ex quo nobis manavit gloriosus universam irrigans terram, flos campi pulcherrimus, fructus æternæ salutis. O quam inæstimabiliter irrigatus, fœcundatus, dulcificatus est Beatissimæ V. Uterus ex tam diuturna habitatione in eo fontis totius boni, à quo omnis processit fœcunditas, qui in se ipsò infinite essentialitérque suavis est.* Hæc Dionysius.

48. Et quia voti sui ac desiderii compos facta fuit Deipara mox cant. 6. gloriatur in Domino: *Dilectus meus descendit in Hortum suum. Ad areolam aromatum:* Quibus verbis ostendit Virgo uterum suum suavissima virtutum omnium, velut flosculorum, velut aromatum fragrantiâ non modò Hortum esse a- Maria areola.

 amœ-

mœnissimum voluptatis, verum etiam Areolam aromatum, quibus oblectatus Dei Filius etiam in mente ipsius habitare non est dedignatus. Audiendus rursus hic etiam eundem Doctorem exstaticum Art. 21. in cant. Hoc sacratissima Domina Mater Deipara intemeratissima, & purissima Virgo singulariter dicere potuit, quando Unigenitus Pater in uterum ejus à summo cœlo descendit per incarnationis Mysterium, & habitavit in medio ejus. Cur autem Uterus gloriosissimæ Virginis Hortus dicatur, imò hortus mundissimus, fœcundissimus, speciosissimus, & redolentissimus, dictum est. Venit etiam ad ipsam prælectissimæ Virginis mentem tanquam Areolam aromatum, omnium divinorum fructuum fertilitate plenissimam, à spiritu Sancto diligentissimè cultam, seminatam & fœcundatam, suavissimis virtutum germinibus decoratam. Imò prius venit in mentem Virginis, quam in ventrem ipsius, sed veniendo in ventrem, venit quoque in mentem, augendo in ea gratiam & Virtutes, sapientiam, dona & fructus spiritus Sancti.

49. Cùm igitur Virgo Hortus extiterit, rosis, variisq; floribus consitus, hortus, inquam, plenus fragrantiâ spiritus Sancti; fuerit denique amœnissima quædam Areola preciosissimorum aromatum, quid mirum illam suorum odorum suavitate, & cœlum & terram universámque his contentam creaturam recreâsse? quid mirum, cœlorum summum Regem tantâ suarum gratiarum suavitate ad se pellexisse?

Odor charitatis in Maria

50. Hanc odorum miram fragrantiam, licet, ut diximus, variis ejus virtutum floribus attribuere possimus, attribuimus tamen vel maximè calentissimæ ipsius charitati. Calor enim odorem, ut in siccis complexionibus subinde videre est, suavitatem generare consuevit. Hinc Plutarchus in Alex. Fuit, ut aiunt, Alexander candidus, qui color in pectore purpurascebat. Odorem ex cute ejus gratissimum afflâsse, os ejus totùmque corpus reddidisse fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in Commentariis Aristoxeni legimus. In causa fuit fortassis fervidum & igneum corporis ejus temperamentum. Gignitur enim odoris suavitas, ut Theophrasti est opinio, concoctis à calore humoribus. Unde aridi & fervidi tractus plurimas & optimas species edunt. Exhaurit enim sol humorem in summis corporibus existentem. Cum igitur Virgo Beatissima ardentissimæ tam in DEUM, quam in proximum fuerit charitatis, & hæc per Rosam fragrantissimam asseveramus, quæ sicut Panthera odore suo reliqua animalia; sic Virgo nostra mirifica illa donorum Spiritus Sancti fragrantia mortales omnes ad currendum in odorem aromaticorum ejus unguentorum ad se allicit, pertrahítque.

Dionysii Areopagitæ testimonium de prærogativis Mariæ.

51. Sensit Virgineæ hujus Rosæ fragrantiam, vidítque ejusdem pulchritudinem illam coruscantem, de qua supra memoravimus, Magnus Areopagita Dionysius, ad Paulum Apostolum suum in spiritu Magistrum scribens, uti videre est apud Patrem Spinellum in Thro. Deip. c. 5. n. 5. ubi ita loquitur: cum ad Deiformem præsentiam Altissimæ Virginis ductus fui, tam immensus me divinitus splendor circumfulsit, & plenius irradiavit interius, tantáque in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia. Ut nec corpus infelix, nec spiritus posset totius ac tantæ fœlicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit & spiritus tantæ Majestatis gloriâ oppressus. Testor qui aderat in Virgine DEUM, si tua Divina concepta mente me non docuisset, hanc ego DEUM verum esse credidissem. Sensit suavissimam hanc Rosæ nostræ fra-

fragrantiam S. Bonav. Psal. 79. cum ita modulatus est: *Odor vitæ de illa progreditur, & omnis salus de corde ejus scaturit suavi charismatum ejus fragrantia animæ mortuæ suscitantur.*

Hermañus audito nomine Mariæ se prosternit.

52. Sensit hujus rationalis, mysticæque Rosæ fragrantiam B. Hermannus, cognomento Joseph. Virginis Deiparæ amantissimus Filius Præmonstratensium illustre sydus. De illo enim ipsius vitæ auctor ejusdem ordinis To. 2. apud Surium. 7. Aprilis ita scribit; Moris est in ordine nostro, ut quoties Nomen venerabile Virginis in choro pronunciatur, conventus veniam capiat, & diebus quidem non festis procumbens in genua, osculatur id, cui orans incumbit, festis vero diebus osculatur manũ. Sed noster Hermannus festis etiam diebus ad Nomen illud amabile, & ab illo tantopere amatũ religiosissimè se humi prosternebat, & quoad poterat terræ sic prostratus adhærebat, cumque id præter morem ordinis crebro faceret, quidam ejus familiaris hujus rei causam sciscitatus est. Cui mox respondit Hermannus: *Ecce quoties ad nomen sacræ Virginis humi me abjicio odor omnium florum & aromatum, tanta suavitatis copia è terra in nares meas influit, ut super illic hærere cuperem, si liceret. Spe ergo Sanctæ hujus recreationis ad me prosternendum festinus sum; verum quia ægre tanta privor oblectatione ad surgendum tardior.* Concludit tandem idem Scriptor: *Hinc colligimus quanta suavitate cor fratris hujus affecerit memoria Matris Domini ad cujus auditum Nomem tantus è terra in ejus nare derivabatur odor. Verè dixerim memoriam Mariæ in compassione odoris factam opus pigmentarii. In omni ore indulcabitur memoria ejus, & sicut musica in convivio vini, redolens quasi flos Rosarum in diebus vernis & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus ardens in igne, vel in diebus redolens æstatis.*

Odor Nominis Mariæ.

Hinc idem Hermannus tanta Rosæ hujus Virgineæ suavitate captus, eam Rosam ex multa familiaritate nominare consueverat. Cùm enim aliquando S. Hic Adolescens Sacristæ munere fungeretur, & ob occurrentes occupationes consueta erga Virginem suam pietatis, ac devotionis exercitia aliquandiu, sive negligentius peregisset, sive omnino neglexisset: ecce tibi, Benignissima Mater rugosa facie sese illi visendam exhibuit, ejusque negligentiam increpuit. Quam de facie non agnovisset, de voce agnovit, gaudióque exiliens exclamavit: Tune es ò Rosa? Hujus crediderim Rosæ odore, cœlestibus consolationibus inter sacrificandum mirificè recreabatur, siquidem mira cum odoris suavitate ac vehementia adveniebant, animúsque ipsius cœlestis Paradisi deliciis perfundebatur.

Hermannus Mariã Rosam nominat.

53. Quid jam de Rosæ hujus mysticæ dicemus spinis? Sanè si per spinas peccata intelligamus, dicere poterimus Deiparam unam ex illis Rosis, quas S. Ambr. lib. 3. in Hæxam, cap. & S. Basil. Hom. 5. in Hexam, censuit in primis mundi incunabulis ab universorum Conditore absque spinis fuisse conditas, arbitrantes spinas in pœnam peccati Protoplastorum excrevisse, ut ita qui Deo tanquam agri tot donorum cœlestium, pluviisque irrigati, ac manu Divina exculti tantorum beneficiorum immemores peccatores spinas germinarunt, terra quoque eorum spinas in tantæ ingratitudinis pœnam ejus produceret. Sic enim Adami scelus puniendum censuit Creator cum dixit Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germi-*

Maria Rosa sine spina

nabit tibi. At verò quia Rosa hæc nostra Virginea in Adam non peccavit, nec ullam à primo immaculatæ suæ conceptionis Instanti labem ullius nec originalis, nec venialis, nec mortalis peccati contraxit, ideò nulla in ea spina inveniri potuit: cum de ejus innocentia cœlestis Sponsus luculentissimum testimonium reddiderit. cant. 4. *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ verba Angelicus Doctor ponderans ita loquitur: Et ideo fatendum est, quod B. V. nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleretur, quod dicitur. Tota pulchra es &c. Ex quibus omnibus Ambrosius Catherinus Prædicatorum familiæ illustre decus, infert, quod si Virgo, eo quod in Dei Matrem erat electa, omni peccati venialis macula caruit, consequens esse, ut multò magis careret originali, cum peccatum hoc macula sit turpissima atque abominabilis, quæ hominem inimicum Dei constituit, adeò, ut talis nunquam ejus beatam eius faciem sit visurus; cum omnis in peccato originali conceptus, nisi sacro fonte congenita illa macula eluatur, sit naturâ filius iræ, ut ait Apostolus, æternæque perditionis mancipium. Quod de sacratissima Deipara nostra sentire, vel dicere nefas est. Unde P. Lucas Vaddingus Ord. Seraph. in Legat. ad Paulum V. summum Pontificem inter alia argumenta, quibus utitur ad persuadendum, ut hæc tandem controversia de Immaculata conceptione decidatur, orat. 3. tract. 4. lec. 2. inter alia quam plurima ita loquitur: *Considera, Pater sanctissime, discrimen esse in mora, periculum in tarditate, autoritatem Ecclesiæ, quæ pro hac sententia perspicua est, labefactari. Perpende quid de tanta Virgine affirmetur. Peccatum habuisse dicitur, & tale, per quod ab alto præcipitamur, iræ ac maledictionis divinæ filii hæreditate Regni cælestis in æternum privamur, æternæ damnationi devovemur, Sathanæ servituti mancipamur. Hæc præterea tabes mille perturbationibus, & damnatis cupiditatibus inficit, voluntatem incredibili malitia depravat, liberum arbitrium debilitat, intellectum ignoratione pudenda, fædisque erroribus obnubilat, memoriam beneficiorum & judiciorum DEI obliterat ex animis, vastum denique pelagus malorum ad funditus perdendum miserabile genus humanum inducit.* Hæc ille & plurima alia.

Sine peccato etiam originali.

54. Fatendum igitur mysticam hanc Rosam, quemadmodum reliquorum actualium peccatorum spinis, ita multo magis caruisse originalis. Qui pius de immaculata Virgine nostra sensus, quam gratus & ipsi, & dilectissimo ejus Filio sit, ostensum est in B. Petro Villariensi ordinis Cisterciensis converso immaculatæ Deiparæ conceptionis amantissimo; cujus quanta, quámque eximia fuerit, sanctitas, videre licet in Menologio sacri illius ordinis ad diem 31. Jan. ubi sic habetur, *B. Petrus conversus maximis à DEO beneficiis honorari, & visionibus illustrari meruit, Christo, & gloriosa ejus Genitrice ei sæpissime apparentibus &c.*

B. Petrus Villariensis à Christo & B. V. laudatur, & animatur ad celebrandum festum Immac. Concept.

Inter reliquas porrò visiones, mentisque excessus, fuit ille celeberrimus, cum festo Virgineæ conceptionis die, ei se Diva Virgo visendam exhibuit, eique diem illum magna pietate venerandum præcepit, quod ubi ille, uti ipsa mandaret, fuisset executus, Christus Dominus, ei suam Virginem Matrem desponsare non est dedignatus. Rem gestam narrat Chronicon Villariense lib. 2. cap. 14. quæ quia ad gloriam Virgineæ conceptionis propagandam plurimum facit, hic adscribere debui:

debui: quodam tempore Regina cœli, Domina Angelorum, & Cisterciensis ordinis advocatrix specialis ei apparuit, hodie, inquiens, fili, est festum meum, unde te magis præ cæteris diebus hodie laudibus instare, convenit; amplioribus præconiis vacare, & sublimioribus meditationibus invigilare. Cui Petrus: O dulcis Domina, hactenus istud festum ignoravi, imposterum devotus peragam, & quoad vixero, memoriâ recolam. Unde postea singulis annis idem festum tota alacritate devotionis celebrare statuit; in quo & Dominus ei visitatione spirituali inenarrabiles consolationes ac revelationes exhibuit. Quodam tempore Ecclesiam ingressus puri cordis devotione DEUM veneraturus excessum mentis passus, ductus est ad præsentiam JEsu Christi, & ejus gloriosæ Matris. Hic Dominus reverentiam Fervorem ac devotionem, quam erga Matrem suam habebat collaudans admonuit, ut in debita illa fidelitate perseveraret. Ipsámque cultu perpetuo honari ab eo cupiens, se Matris honore delectari, nimirum quantum, ostendit. Siquidem ipse Dominus JEsus vices sacerdotis assumens, Matrem suam, ut moris est in facie Ecclesiæ sponsalia celebrari, ipsi in perpetuum spirituali conjugio desponsavit. Ab eo tempore toto corde animóque in amorem Virginis gloriosæ liquescens tanta devotionis dulcedine est affectus, ut nullas, nisi de Virgine consolationes, aut cogitationes recipere aut pati valeret. Hæc ibi. Quæ sanè hujusmodi sunt, ut mentem nostram ad immaculatæ conceptionis venerationem excitare, atque accendere, quasi admotis facibus debeant, dum adeò acceptam, adeò gratam tam Dei Filio, quam ejus Matri patientissimum hunc sensum intelligimus, quem non solum Religiosus hic adeò Sanctus verum etiam universus Ordo ille Religiosissimus multis retro sæculis retinuit, ut in ejus Menologio die 8. Dec. videre est. Unde Anno 1489. Ordo Sanctimonialium in honorem conceptionis B. Mariæ à B. Beatrice de sylva sub instituto Cisterciensi accepit exordium.

Ordo Sanctimonialium in honorem Concept. B. V.

55. Eundem pietatis affectum in immaculatam Virginis conceptionem præsetulit venerabilis Cœlestinorum Ordo, qui diem illum festum purissimæ Deiparæ Sacrum cum præcipua devotione celebraret. Nicolaus Pratensis ejusdem familiæ pro singulari quo in immaculatam Dei Matrem ferebatur studio atque amore, omnem movit lapidem, ut universi ordinis decreto, ad octavum usque diem ea solemnitas conceptionis produceretur, eámque maxima cum devotione veneraretur. Sui hujuscè voti tam anxiè expetiti compos factus, maxima gestiens lætitia, Vir piissimus, Rosæque hujus sine spinis amantissimus, mox Hortum ingressus Rosam omnium, quas in eo viridario videret, pulcherrimam utpote immaculatæ conceptionis præclarissimum symbolum, decerpit, & ante Deiparæ Iconem vultu ad venerationem composito, Virgineo Amore ignescens, collocat, miráque pietate fiduciáque planè filiali Magnam Dei Matrem alloquitur. Mater, Mater, si tibi fortè gratum ac jucundum placitúmque fuit, quod Religiosorum nostrorum conventus, me agente in honorem tuum de feriis tuæ immaculatæ conceptionis octo dierum spatio agitandis celebrandísque constituit; Flos hic quem tibi rubicundum offero, vertente Anno, hoc ipso recurrente die, viriditatem pulchritudinémque suam conservet. Atque ita planè factum est, nec suo voto, desiderióque est frustratus Nicolaus. Multis enim videntibus, ac rosæ integritatem venustatémque mirantibus an-

Ordo Cœlestinorum celebrat festum Concept. B. V. cum octava, procurante Nicolao Pratensi, qui in confirmationem, quàm hoc sit gratum B. V. impetravit, ut Rosa integro anno recens permanserit.

anniversario die Miraculū hoc grande contemplari licuit. Atque ij Antonio Solario Carpinati Utriúsq; juris consulto, & Nicolai quondā Magistro tanquam oculati testes retulêrunt, qui postea rem totam libro de veneratione & invocatione sanctorum ad memoriam tantæ rei sempiternam posteritati commendavit. Neque vero Mater pientissima pro tanta in immaculatam suam conceptionem voluntate suo Nicolao ingrata extitit. Nam plurima gratiarum dona, quibus cœlitus exornari patrocinio Virginis meruit, id præcipuum consecutus est. Quod in florida adhuc juventute salvus atque incolumis diem sui ex hac vita discessus, stella maris illuminante præcognoverit. Cum igitur Visitator Generalis Monasteriorum in Gallia esset electus; paratum quidem se ad obediendum esse dixit, sed ab eo tamen, cujus longè major potestas esset, alio vocari. Missam hebdomodarius cantare jussus incipiam, inquit, sed septem statos dies complere non potero. Triduo pòst in febrim incidit, & morte prævisa confessionis & Eucharistiæ Sacramento, & religiosè percepit, & cupidè. Instititpostea, ut sacro oleo ad luctam illam postremam tanquam Athleta fortis inungeretur; medico & Religiosis negantibus, quòd longè à mortis periculo abesse crederetur. Sed cum urgere non cessaret, sacro est oleo tandem delibutus, & ad certamen præmunitus. Dum postrema sacerdos ungens verba pronunciat, Nicolaus lætitia gestiens spiritum innocentissimum suo reddidit Creatori; uno ex Monachis exclamante: O fœlix anima quàm Angeli ad cœlestia domicilia & Regna deportant. Eximiam hujus Dei Virginísque servi ipsámque præscientiam domestici omnes ad B. Virginis præcipuam quandam venerationem pietatémque retulerunt cui Nicolaus semper addictissimus extitit.

In meruit diem sui obitûs prænôsse.

56. Quod si dicamus cum Benedicto Pererio lib. 1. in Gen. alíísque Doctoribus Rosæ congenitas fuisse spinas, novas sanè in hoc etiam Deiparæ laudes invenerimus. *Congenitæ*, inquit ille, *sunt spinæ Rosis, eo quod DEus tales condidit res, quales sunt secundùm naturam suam; cum peccatum Adæ non mutarit conditiones rerum atque proprietates. Rosam verò nasci inter spinas naturalem Rosæ constitutionem generationem consequitur. Quare herbæ tribulíque homini noxij etiam ante peccatum erant, sed non fuissent in pœnam ei, si non peccasset. Sic enim animo corporéque constitutus & affectus fuisset homo, ut hujusmodi res noxias facillimè internoscere, & cavere posset. Nec refert, quod omnia sint propter hominem facta, quæ tamen sunt homini mortifera. Nam licet sint talia, animalibus tamen sunt utilia, quæ propter hominem facta sunt.* Unde Lucret. lib. 5.

Rosa an producta initio sine spinis? Negat.

Quippe videre licet pinguescere sæpe cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.

Denique licet hujusmodi herbæ non conferant homini ad cibum, conferunt tamen ad medicinam. Nec etiam refert, quod S. Aug. Lib. 1. de Gen. contra Manichæos c. 13. consuerit, *nullas etiam herbas homini noxias atque lethales fuisse initio à DEO productas, imò nullos etiam tribulos ac spinas.* Id enim postea lib. 3. de Gen. ad literam cap. 18. revocavit.

57. Hac igitur Pererii, aliorúmque de spinis rosarum floribus natura sua ad natis præmissa certiori opinione, dicere meritò poterimus adnatas quoque esse Rosæ nostræ Mysticæ Mariæ, sed non ut peccatum, verùm ut peccatores ipsos spinæ repræsentant. Cum enim ex Judæis Virgo originem traxerit: nonnè

Maria Rosa inter spinas i.e. peccatores

nè ex spinis processisse visa est? Hinc B. Andreas Episc. Hier. serm. de annunc. DEum Patrem ad Gabrielem ita loquentem introducit: *Vade in Nazareth, quo gratissimum Virginitatis decus, velut Rosam suaveolentem ex loco spinoso sibi Omnipotens eligit.*

58. Hinc Hugo Card. de S. Caro. in Eccl. 24. *de spinis*, inquit, *Rosa nascitur, non spinosa, & B. V. de Judæis incredulis non incredula.* Hinc denique S. Joannes Damasc. orat. 1. de nat. B.V. eximiam hujus Rosæ suavitatem persentiscens admirabundus exclamavit: *O pulcherrima, & suavissima Filiola, ò Rosa, quæ ex spinis i. Judæis orta es, divináque fragrantia cuncta perfudisti, ò Filia Adami, & DEI Mater, beati lumbi & venter, ex quibus prodiisti, beatæ ulnæ, quæ te gestaverunt, & labia, quibus puris tuis osculis frui concessum est.*

Rosa progenita ex peccatorib.

59. Ob easdem suorum antè natorum spinas Petrus Riga in M.S. comment. in Exodum, eam spinoso illi Rubo, in quo specie ignis apparuit Dominus; conferre non dubitavit. Unde Rubi illius etiam reliqua mysteria, maximè intactæ Virginitatis declarans ita cecinit;

Maria Rubus.

Virgo Parens Rubus est. Rubus è spinis trahit ortum.
Hæc de Judæis, ut Rosa nata fuit.
Lucet, & ignescit, sed non Rubus igne calescit:
Virgo parit; sed flos non pariendo perit.
Igne nitet dumus, non est tamen ardor in illo,
Absque calore nitor; est sine labe pudor.

Et verò si Evam, si Synagogam inspiciamus universam, si progenitores utriúsque sexûs, à quibus Rosa nostra Mystica tanquam è radice quadam traxit originem Rubos illos totos spinosos esse intelligemus.

Progenitores Mariæ peccatores.

Quid enim David adulter & homicida? quid Salomon, Roboam, Joram, Achaz, aliíque Idololatræ variis sceleribus velut spinis hirti, qui inter Christi Genealogia recensentur, quid, inquam, aliud, quam horridæ spinæ extiterunt? quod si oculum ad fœminas etiam convertamus: quid incesta Thamar, quid Rahab meretrix, quid Rut Idololatra, quid Bethsabee adultera aliud, quàm Rubi, quàm spinæ fuerunt? Et tamen de horum radice pulcherrima hæc Rosa ad genus humanum suæ formæ venustate, odorísque suavitate recreandum germinavit. Intellexit hoc Sedulius Poëta Christianus lib. 2. carm. Paschalis:

Et velut è spinis mollis Rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, Matrémque obscurat honore.
Sic Evæ de stirpe sata veniente Maria,
Virginis Antiquæ facinus nova Virgo piavit.
Sicut spina Rosam genuit Judæa Mariam.

Hinc Baptista Mantuanus lib. 1. Parth. immaculatam Deiparæ conceptionem describens, eam Rosæ germinanti contulit lib. 1. Parthem. Ubi postquam orationem B. Annæ Filiolam hanc à DEO postulantis descripsisset, pulcherrima hac, aptissimâque similitudine Divinum illum purissimúmque Mysticæ Rosæ nostræ, è Judæorum spinis pullulantem conceptum depinxit;

Audiit Omnipotens, animúmque in vota precésque
Flexit, & infuso caluerunt viscera fœtu,
Cœpit & humanos paulatim sumere vultus
Semen, & in nostram sensim transire figuram:
Ut cùm verè novo tepefacta Rosaria multæ

Maria Rosa in animatione.

Vestit frondis honos; primum durescit in orbem
Folliculus, barbaq; comam producit acuta:
Mox inflare sinus, tunicásque implere virentes
Incipit, & concreta diu sub cortice proles
Turget, agens rimas tenues, & vertice summo
Purpureas ostendit opes, rubicundáque labra.
Postremò cum pulchra suos Aurora calores
Explicat, & vitreum glomerant nova gramina rorem,
Panditur omne decus, valvísque emissius apertis
Flos hiat, & læto arridet venientibus ore:
Sic nova progenies utero congesta Parentis
Emersit non tota simul, sed singula certo
Discrevit formans opifex DEus ordine membra:
Cor primum, ex illo quoniam descendit in artus
Vitalis calor à pleno ceu flumina fonte,
Os roseum sine labe dedit, frontique decorem
Sydereum, & lætos formæ cœlestis honores, &c.

Agnovit Rosam ex spinis prodeuntem Virginem Deiparam Adamus de S. Victore, dum illam ita salutat.

Maria Rosa inter nos peccatores ceu spinas.

Salve Verbi sacra Parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos Spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati
Sed tu Spinæ nescia.

Ex quibus versiculis intelligimus Deiparam & spinis carentem, & tamen spinis adhærentem Rosam esse, dum ipsa ab omni peccato munda, peccatores amplectitur.

60. Quare cum Rosam spinis circumdatam curiosius intueamur, in mentem nobis veniat, Rosam nostram non modò ex Judæis velut spinis processisse, verum etiam peccatoribus, uti spinis charitatis peculiari affectu adhæsisse, tanquam iis, per quos ad eminentissimam divinæ Maternitatis dignitatem est provecta, si enim peccatum Protoplastorum in mundum non irrupisset, Dei Mater in rerum natura, juxta communiorem Theologorum sententiam non extitisset. Hinc venerabilis Richar. à S. Laur. lib. 13. *Rosa*, inquit, *spinis adhæret, licet omnino eis dissimilis: & Maria peccatoribus, qui sunt spinæ, pietate adhæret, & compassione, licet à peccato omnino immunis quam Virginis ad peccatores adhæsionem considerans.* S. Ansel. lib. de Excell. B. V. cap. 12. Fiducialiter illam pro peccatoribus tanquam misericordiæ Matrem optimam, ut peccatoribus misereretur, deprecabatur. *Subveni ergo Domina piissima*, inquiens, *& non considerata peccatorum multitudine, velle tuum ad miserendum nobis inflecte. Cogita quæso, & recogita apud te, quia non ad damnandum, sed ad salvandum peccatores, Conditor noster ex te factus est homo. Cur igitur non juvabis nos peccatores, quando propter nos in tantam celsitudinem es levata, ut te Dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura?*

Maria respiciens peccatores, ad quos salvandos ipsa Mater DEI est facta.

61. Agnovit hanc Rosæ ad peccatores seu spinas cordialem quandam adhæsionem B. Henricus Suso ordinis Prædicatorum insigne decus, cum mirifica in ipsa fretus fiducia eam sic est allocutus: *Quando misericors nos premit, & angit immensus cordis dolor, metus aut mœror, nec ullus usquam patet effugiendi locus, hoc unum duntaxat nobis reliquum est, ô præstantissima Regina cœlorum Virgo Maria,*

Maria Refugium peccatorum.

ria, ut oculos nostros ad te levemus, & quidem semper, maxime vero in extrema mortis hora te benignam adiutricem atque consolatricem invenire optamus. Tu namque es omnium hominum peccatorum mediatrix apud Filium. Itáque quó quis se sentit pluribus peccatis irretitum, tantò justiùs sibi videtur ad te accedere, & quantò est scelestior, tantò majore jure ad te properare se putat. Tu es unicum reorum solatium, unicum peccatorum perfugium, ad quam spectant multorum humescentes oculi, cui suspirant complura saucia, & misera corda. Eja ergo illos tuos misericordes oculos, quos certe, nullo unquam à peccatore, nec ab ullo misero destituto, ac desolato homine avertere potuisti, ad me miserum converte. Accipe me in fidem, ac tutelam tuam siquidem spes, & consolatio mea in te sita est. O quam innumeri peccatis dediti jam DEUM deseruerant, omnémque cœlestis Patriæ cœtum, ac DEum ipsum abjurarant, negarántque, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant, atque à DEO misere separati erant, qui tamen tibi innitentes, atque ad te confugientes, benignissime à te servati sunt, donec, te intercedente apud Dominum DEum in gratiam restituerentur! Equis tam immanis peccator est uspiam, qui tot flagitiis sese obstrinxerit, quod ullus unquam qui non idem tui reminiscens animum, & spem bonam conceperit? Tu plane es unica singularis, & fidelissima peccatorum consolatrix. Te immensa DEI benignitas adeò fecit cunctis peccatoribus amabilem, ut superabundans pietas, & benevolentia tua, non possit nos non reficere, & recreare; ò quoties tremendi Judicis severam justitiam, aut mitigasti, aut avertisti! ò quoties apud Filium tuum nobis gratiam, & consolationem impetrasti! Citius cœlum & terra perierit, quàm tu aliquem seriò te implorantem tua ope destituas. Revera tu es & diceris Mater & Regina misericordiæ. Eja ergo Mater indulgentissima, Regina clementissima, Domina cœli & terræ, exurge nunc, exurge, & mediatricem, ac conciliatricem te pro nobis exhibe apud dilectissimum Filium tuum, ut ipse ob tui gratiam cuncta peccata nostra deleat, nosque sibi gratos efficiat, &c.

62. Agnovit Beatissimæ Deiparæ ad peccatores adhærentiam Æneas Sylvius, qui ad summi Pontificatus apicem evectus, vocatúsque Pius II. vitæ prioris lasciviam, aliáque innumera sua detestatus scelera, ut suam in DEum ejúsque Matrem pietatem orbi universo contestatam relinqueret, ad finem suarum Epistolarum Virgini castissimæ variarum nationum in ipsam Religionem cultúmque contemplatus, ita modulatus est.

Æneas Sylvius postea Pius II. per B. V. exorat veniam peccatorum.

Virgo Teutonicis multùm celebrata sacellis,
Mater & ipsa Dei, Mater & ipsa hominis.
Virgo Latinorum spes & tutela meorum
Virgo quam multo Gallia thure colit.
Virgo nec Hispanas paulùm celabrata per urbes
Cui patet & cœlum, totáque terra patet.
Virgo quæ magnum potes exorare Tonantem,
Et potes irati sistere tela DEI.
Ipse ego peccati servus, sceleris'q; minister,
Et mandatorum fractor ubique decem.
Ad te confugio: fateor mortalia septem
Sæpius admisi crimina: pœniteo.

Ille licet nulli veniam neget Auctor Olympi,
Et reduci semper brachia tendat amans.
Quis tamen offensi vultum, quis Judicis audet
Intercessorem nudus, adire sui?
Ergo meos Genitrix semper miserata labores,
Nunc etiam nostris casibus affer opem.
Ipse mihi, de te natus sine crimine, culpas
Condonet veteres, prohibeátque novas.

Quibus ex verbis piissimi Pontificis anteactæ vitæ suæ errores deplorantis colligimus peculiari quadam ratione, Deiparam, miseros peccatores sub sua protectione atque patrocinio habere, eò quod illis mediantibus quodammodo ad tantam DEI Matris evecta sit dignitatem.

Uti etiam Franciscus Petrarcha.

63. Eodem usus est ad veniam suorum delictorum à Virgine impetrandam argumento Franciscus Petrarcha, cujus orationem ad Deiparam Marcus Marulus spalatanensis urbis ornamentum latinitate donavit. Sic igitur ille suos lascivos amores deplorans, misericordiámque à misericordiæ Matre implorans modulatus est:

Peccavi fateor; quis enim sine crimine vivit?
Sed rogo ut ipsa meis jam medeare malis.
Nec super his coluber possit ridere superbus,
Méque tuam frustra poscere dicat opem.
Tanquam non semper promptum tibi solvere vinctos.
Aut non concessum justificare reos.
Quin potius sis Virgo memor, quia culpa reorum
Te Matrem veri fecerit esse Dei.

Maria memor se peccatorum causa factam Dei Matrem pro nobis intercedit.

Exiit humanis vestitus carnibus ille
Quas de visceribus traxerat ecce tuis.
Et tibi dona dedit, nulli donata priorum
Ut sis intacta Virginitate Parens.
Ergo vide quantis implevi questibus auras
Quales heu gemitus corde dolente dedi.
Nunc tu syderei Dominatrix maxima mundi
Tu Dea, si fas est, te vocitare Deam.
Tu virtute potens, altæ tu munere mentis
Prædita, tu cunctis condecorata bonis;
Da mihi, quod per se non nostra potentia pollet,
Ut mea jam cesset corda agitare dolor.
Utque velim, quod velle decet, quia certa salutis
Spes erit inde mihi; gloria magna tibi.
Nam tibi posse datum, quantum tibi velle supersit,
Erigere afflictos, præmia ferre piis.

B.V. datum à Deo ut quidquid vult, efficere possit.

Nec tamen ut magni me pendas posco, sed illum
Qui nos ipse suam fecit ad effigiem.
Nec quam sim vilis spectes, sed quantus ubique est
Non dedignatur, qui meus esse Pater.
Majestas immensa Dei nostrique, tuique
Te facilem præstet, propitiúmque magis.

64. Experta est hanc Virgineæ Rosæ nostræ ad peccatores ceu spinas adhærentiam celebris illa peccatrix nomine Beatrix, de qua Cæsarius lib. 7. Hist. memorab. cap. 35. ita scribit: In Monasterio quodam Sancti-

Beatricis Monialis.

Sanctimonialium, cujus nomen ignoro, ante non multos annos Virgo quædam degebat nomine Beatrix. Erat corpore speciosa, mente devota, & in obsequio Dei Genitricis ferventissima. Quoties illi speciales orationes, sive venias secretiùs offerre potuit, pro maximis deliciis reputavit. Facta verò custos hæc egit tanto devotiùs, quantò liberius. Hanc clericus quidam videns & concupiscens, procari cœpit. Illâ verba luxuriæ spernente, isto importuniùs instante, serpens antiquus tam vehementer pectus ejus succendit, ut flammam amoris amplius ferre non posset. Unde accedens ad altare B. Virginis Patronæ oratorij sic ait: Domina, quantò devotius potui, servivi tibi, ecce claves tibi resigno, tentationes carnis diutius sustinere non valeo, positísque super altare clavibus, clam clericum illum secuta est. Quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos abjecit. Illa cùm non haberet, unde viveret, & ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix. In quo vitio cum publicè 15. annos transegisset, die quadam in habitu sæculari ad portam venit Monasterij, dixissetque Janitori: Nôsti Beatricem quandóque hujus Oratorij custodem? Respondit, optimè novi. Est enim proba, & sancta Domina, & sine querela ab infantia usque ad hanc diem in hoc Monasterio conversata est. Beatrix verba hominis notans, sed non intelligens, dum abire vellet. Mater misericordiæ effigie nota apparens; Ego, inquit, per 15. annos tuæ absentiæ officium tuum supplevi; Revertere jam in locum tuum, & pœnitentiam age, quia nullus hominum novit excessum tuum. In forma siquidem & habitu illius Dei Genitrix vices egerat custodiæ. Quæ mox ingressa quamdiu vixit gratias egit, per confessionem circa se gesta manifestans. Sic Cæsarius.

[...]uæ mona-[...]erio egressa [...]nis 15. malè [...]xit.

Personam [...]on.sterio [...]hnet B. Vir-[...]

65. Quis unquam tam benignam Dei Matris ad peccatores adhæsionem sibi imaginari potuit? quis tam effusæ pietatis charitatísque viscera in tam abominabilem peccatricem à summa gloriosissimáque cœlorum Regina præstolari ausus unquam esset? Sanè Auctores gravissimi, inter quos non postremus est Pater noster Honoratus Niquetus Generalis librorum Romæ Censor in Historia Ordinis celeberrimi Fontis Ebraldi Tomo 3. ex antiquissima traditione colligit in Monasterio Fontis Ebraldi casum hunc contigisse. In templo enim illius cænobij antiquissimi ad sepulchrum, quod appellatur Regnum, in Choro Sanctimonialium visuntur imagines, quarum prima est Deiparæ Virginis, altera Religiosæ cujuspiam quasi ab ipsa veniam precantis, ac demum cujusdam Clerici, docetque acceptum esse à majoribus has esse imagines tum Religiosæ, quæ à clerico seducta fuit, tum clerici, qui eam seduxit. Et quoniam Icones illæ antiquitate penè consumptæ fuerant, iis sublatis Domina Joanna Baptista de Bourbon Filia Henrici Magni Christianissima Galliarum & Navarræ Caput, & Generalis totius ordinis Anno 1637. Imagines sublimiori tamen penicillo elaboratas ad perpetuam tantæ rei memoriam restituendas curavit.

Fuit hæc Beatrix ex Ordine Fontis Ebraldi.

66. Neque enim mirum nobis accidere debet hanc tam insignem benignitatem, à pientissima misericordiæ Matre Religiosæ hujúsque familiæ exhibitam esse, cum sacer hic Ordo in honorem potissimùm gloriosissimæ sumi DeiParentis à primis suis incunabulis viro Sanctissimo Roberto Parisiensi cognomento de Abruscellis consecratus sit. Qui postea authenticis multorum summorum Pontificum Bullis approbatus est, quibus docetur Religionem hanc ex sacratissimis illis verbis Chri-

Qui ordo singulariter devotus Deiparæ fundatus à Roberto de Abruscellis

sti in cruce pendentis Joann. 19. originem suam traxisse. Ubi ita loquitur Apostolus: *Cum vidisset JEsus Matrem & Discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua;* testatur hoc Cardinalis Baronius To. 12. Anno 1117. n. 12. ubi primordia, piissimi hujus ordinis describit, eámque ad ipsum DEum bonorum omnium Auctorem refert, tanquam eum, qui eduxit populum suum de Ægypto, & deduxit eum super desertum in adinventionibus suis. Hic enim idem Dominus ducens populum Christianum per deserta loca hujus sæculi ad terram fœlicioris longè promissionis, ipsum videlicet Regnum cœlorum, novam in Gallia per servum suum Robertum instituit Religiosorum ac Religiosarum vivendi formam in Monasterio, quod ipse erexit, dictum Fontis Ebraldi, in quo etiam tanquam Dei Genitrici Joannes Apostolus; sic viri Abbatissæ optemperarent. Hæc porrò Ordinis hujuscè Religiosissimi initia, ut clarius intelligamus, sciendum, quod Monasterium Fontis Ebraldi nomen ducit à fonte loci, in quo situm est. Fama enim est Ebraldum juvenem quendum fuisse genere quidem nobilem, sed moribus turpissimum átque vilissimum magna sicariorum manu stipatum, adjacentes vias Regias latrociniis olim infestasse, sylvásque tunc frequentes insedisse. Quod ubi vir piissimus Robertus Parisiensis eximiæ Doctrinæ Theologus, & concionator insignis percepisset, illuc salutis animarum cupidus advolavit, sanctísque suis exhortationibus non modo juvenem illum ut mores vitámque mutaret, impulit, sed multos præterea variæ conditionis homines ad despiciendum sæculi vanitatem, austeriorísque vitæ leges subeundas permovit, ad quorum habitationem distincta iisdem in septis monasteria condidit, sua seorsim viris ac Virginibus ac Mulieribus reliquis ædificando, universæ porrò Congregationi Abbatissam præposuit quæ in omnes tum viros, tum fœminas jus summum obtineret, sanctissimè statuens, ut viri sancti Joannis Evangelistæ exemplo Virginibus seu mulieribus parerent: & hæ vicissim B. Virginis exemplum sequentes Religiosos tanquam filios sanctè in Domino amplecterentur. Quæ gubernandi ratio à summis Pontificibus variis diplomatis confirmata quamdiu viguit sacer ille Ordo miros progressus fecisse memoratur. Unde factum ut Reges, Principes, cæteríque Dynastæ Sanctimoniæ tam sancti Deique Genitrici dicati Ordinis fama exciti, magna illum veneratione prosecuti amplis bonis locupletârint. Fuêre etiam non pauci hujusmodi viri principes, qui in suis terris eorundem Religiosorum ac Religiosarum Cænobia fundari expetierunt. Unde brevi tempore supra quinquagenarium numerum ascenderunt. In ipso verò Cænobio majori B.M. de fonte Ebraldo, quod caput est omnium hujus inclyti ordinis Monasteriorum, dum pientissimus Robertus viveret, octingentas circiter Sanctimoniales, & centum omninò Religiosos in Monasterio, quod vicinissimum est domicilio Religiosarum (semper enim in hoc ordine ex fundatoris institutione duplicia Monasteria ædificabantur) vixisse ostendit luculentissimè idem Pater Honoratus 1. Tomo suæ Historiæ.

In eo viri obediunt Abbatissæ tanquam DEI Genitrici Joannes Apostolus.

Origo Ordinis Ebraldi.

Ejus incrementa.

67. Neque verò mirum eximia sanctitatis famâ ordinem hunc passim in orbe fuisse celeberrimum, cum pleráque ejus capita, non minus Regia corona, quam insigni pietatis Sanctimoniæque laude fuerunt coronata. Abbatissæ enim quam plurimæ æquè vitæ integritate, ac genere fuerunt illustrissimæ, cum pleræ-

Abbatissæ celebres.

pleræq; Regum, aut Principum, aut nobilissimorum certè equestris ordinis Virorum filiæ extiterint. Inter quas eluxerunt, ut refert idem Baronius, Mathildis Comitis Andegavensium filia; Guilelma vidua Henrici I. Anglorum Regis filia. Mathildis altera filia Theodorici Comitis Flandriæ: vidua item Ducis Burgundiæ Aloysia Ludovici Junioris francorum Regis Filia, Joanna de Brenna neptis Roberti filii Ludovici crassi Francorum Regis. Elisabetha Soror Philippi valesii Regis. Maria de Britannia Aurelianensis, & Britanniæ Ducum neptis. Anna Aurelianensis Ludovici XII. Regis Soror. Renata de Borbonio Filia Joannis comitis vindocini. Ludovica de Bornobio soror primi Ducis vindomici. Et Elonora de Bornobio ejusdem Ducis, & Franciscæ Alinconiæ filia, amita Henrici IV. Regis Francorum & Navarræ Filia. Ludovica deníque deBorbonio, quæ Anno 1637. obiit, cui tandem fœlicissimè successit immediatè Domina Joanna Baptista de Borbonio filia Henrici Magni Christianissimi Galliarum & Navarræ Regis, quæ hodiè, uti supra memoratum est summa prudentiæ, pietatísque laude Ordinem hunc tam virorum, quàm fœminarum totius illius Christianissimi Regni admiratione atque approbatione, necnon ejusdem ordinis incremento moderatur.

68. Quæ omnia clarè nobis indicant Religionem hanc summæ cœlorũ Reginæ à venerabili Roberto dicatam ac devotam in singularibus planè benedictionib⁹ dulcedinis præventam palmites suos adinstar feracissimæ vitis longè latéque extendisse, cœlique imbribus benignissimísque influxibus fuisse fœcundatam, uberrimósque in DEI Ecclesia fructus prætulisse. Unde nil mirum, quod Beatricem illam, hujus Monasterii Fontis Ebraldi filiam, tot tantísque cœli muneribus dotibùsque Virgo Beatissima beare, totique posteritati tam insignem singularis prorsus suæ benignitatis misericordiæq; memoriam in fragili sexu relinquere non sit dedignata. Quare non video, qua ratione inductus Chrysostomus Henriquez Cisterciensis in Menologio sui Ordinis 6. Nov. Beatricem hanc Monialem Cisterciensem in Hanonnia ex Monasterio de Oliva fuisse adstruat, eamdémque illam esse, de qua Cæsarius meminit, cum constantissima antiquissimáque traditione ad hæc úsque tempora conservata constet, Beatricem hanc Monasterii Fontis Ebraldi Religiosam fuisse, quod fusè atque dilucide idem Pater Honoratus comprobat, ex vetustissima illa, uti dixi traditione, quæ magnum argumentum ad opiniones comprobandas esse consuévit. Hinc illum insigne S. Cyrilli pronunciatum: *Traditio est, nihil quæras amplius.* Unde Pater Melchior Incoffer ad defendendam Epistolam illam B. V. ad Messanenses transmissam, inter varia rationum momenta, quibus pro adstruenda Epistolæ veritate utitur, traditionem instar omnium argumentorum esse censet; quare communem traditionem præ singulari opinione valere asseverat. Quod si etiam tempus, quo Cæsarius librum illum Historiarum scripsit, consideremus, inveniemus, eum centum & amplius annis post fundationem ordinis fontis Ebraldi, qui 1117. ut supra memoravimus, institutus est, in lucem prodiisse: cum ipse lib. 5. cap. 21. & lib 10. cap. 48. fateatur, Historiam illam contigisse Anno 1222. Quapropter ex hoc capite nil repugnat dicere, Beatricem illam, Religiosam primarii Monasterii fontis Ebraldi extitisse: atque ita voluisse Divam Virginem, pro singulari sua, qua sanctissimam Religionem hanc virtutum suarum, ac præsertim materni amoris æmulatricem, complectitur chari-

Beatrix, de qua supra, non fuit Cisterciensis,

charitate, oviculam hanc perditam ad Monasterii Ovile, viámque salutis reducere, personámque custodis, in cujuspiam Angeli specie assumere, ut omnibus retro sæculis ipsius eximia benignitas innotesceret, dicerentque mortales, quamvis peccatis enormibus immersi, animum minimè despondere, sed per exomologesim criminibus expiatis spes suas post Christum universas in hanc misericordiæ Matrem collocare. Quod si quis deníque dicat rem hanc & in Gallia & in Hannonia contingere potuisse; respondendum erit, id vix esse verisimile, ob miraculum adeò rarum, adeò singulare, ac pene incredibile. Liquet igitur ex hactenus dictis benignissimam Deiparam Rosam suavissimam esse, spinis peccatorum etiam, sacrilegorum, pro summa illa, quâ prædita est pietate adhærentem, omnes vias ac modos inquirentem in mille formas se quodammodo transformantem, ut illos ad sanam mentem bonámque frugem convertat, dilectissimóque suo Filio lucrifaciat, cum probè noverit, ut jam supra meminimus totius suæ gloriæ, Divinæq; Maternitatis, peccatores potissimam extitisse causam.

Peccatores sunt occasio exaltationis Deiparæ

69. Unde suæ hujus exaltationis, occasione peccatorum facta Virgo memor, nostri oblivisci omninò non potest, sed semper amplissima suæ benignitatis viscera nobis reserat, ad nos amplectendos promptissima, cupida semper inter peccatores versari, dum eos Christo rursus pariat, & convertat. Quam in illa effusissimam pietatem agnoscens sponsus, pulcherrimum illum de ipsa prædicavit Elogium. Cant. 2. *Sicut lilium* (addiderim ego) *& Rosa, inter spinas, sic amica mea inter filias.* Simili prorsus ratione dicere potuisset: Hinc Honorius Bresbyter Augustodunensis sponsum cœlestem ita Matrem alloquentem introducit: *Sicut ego sum lilium convallium, videlicet ornatus humilium, sic eris tu amica mea lilium spinarum, id est, decus gentium. Et sicut ego sum lilium inter spinas, videlicet Judæos me pungentes, ac lacerantes: sic eris & tu amica mea inter gentes, filias Babylonis, id est, confusionis, quæ te multis spinis pungent & lacerabunt.* Hinc Guilielmus Abbas dixit: Deiparam lilium fœcundæ Virginitatis esse inter spinas, Matres videlicet filiorum hominum peccatrices, quæ in peccato originali filios parientes, spinas parere videntur: *Filiæ sicut*, inquit ille, *omnes aliæ mulieres ex Eva genitæ, quæ spinæ sunt, non concipiunt in libidine, & pariunt in dolore.* Quod enim dictum Evæ Matri: *In dolore paries:* dictum *& filiabus:* Unde veritas; *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus,* Joan. 16. *sed Virgo lilium, quæ pariens, gaudium, & lætitiam habebat, & erat ei parienti in voce exultationis & confessionis, quasi Sonus epulantis, quia nihil in eam de maledictione Matris Evæ transierat. Peperit ut cæteræ; sed non in dolore, ut cæteræ, quia non in libidine concepit ut cæteræ. Numerabatur Virgo Mater inter Matres, hoc est, lilium inter spinas, quando quot annis cum cæteris Jerosolymam ascendebat, sed tamen singulæ illæ quas pepererant spinas, secum ducebant. Sed hoc lilium inter illas spinas, suum secum lilium adducebat. Quid parerent spinæ, nisi spinas? corruptæ Matres, nisi puros homines, & peccatores? at Virgo Mater peperit Redemptorem, lilium peperit, lilium convallium, lilium Virginitatis, lilium Majestatis, cujus candore tenebræ fugantur, cujus odore mortui suscitantur, cujus tactu leprosi mundantur, & omnes infirmi curantur. Lilium quod Filij spinarum spina pupugerunt, quando Sacrato ejus vertici coronam*

Maria lilium inter spinas seu filias, i. e. benedicta inter mulieres.

Christus lilium.

nam spineam imposuerunt. Videbunt suo tempore in quem pupugerunt, & experientur æquissimum Judicem, quem iniquissimo judicio addixerunt. Hæc Guilelmus. Ex quibus Virginem Matrem, inter reliquas Matres peccatrices spinas parturientes purissimum Virginitatis & Sanctitatis lilium inter spinas fuisse intelligimus. Nimirum reliquæ fœminæ, sicut ab Eva per naturalem propagationem in peccato originali conceptæ descenderunt, ita & de ejus maledictionibus participarunt. Maria verò quia ab originali peccato fuit præservata, nec Adami, nec Evæ labe peccatorum, aut maledictionum fuit aspersa, unde nec pungere, nec vulnerare poterat provocando ad libidinem; quin potius ad puritatem amplectendam stimulabat, utpote candidissimum lilium, quod candorem illum lucis æternæ, speculum sine macula Dei Filium puritate æmulabatur. Præclarè enim B. Petr. Card. Damian. serm. de assumpt. B.V. ubi Virginem Myrrhæ à corruptione hominum corpora præservanti comparans: *Caro Virginis*, inquit, *ex Adamo assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas, in candorem lucis æternæ conversa est.* Quod porrò Virgo nostra Evæ maledictionibus ejúsque filiarum minimè subjacuerit testatur etiam S. Bern. serm. de B.V. *Eva spina fuit,* inquiens, *quæ & virum suum ad mortem pupugit, & posteritati sui aculeum peccati infixit Rosa Maria: Eva spina, vulnerando; Maria Rosa omnium affectus molliendo. Eva spina infigens omnibus mortem. Maria Rosa reddens omnibus salutiferam sortem.*

Maria sine peccato.

Maria Rosa; Eva, spina.

70. Et sanè magnum hujus nostræ Rosæ, ac lilii privilegium est, quod inter spinas, inter Evæ peccatrices Filias, hic dum viveret, versata, neminem tamen pulcherrimo suo aspectu, ut spinosæ Evæ filiæ consueverant, vulneraverit, quin potiùs hujusmodi impuri amoris vulnera persanaverit, ardorésque libidinis tanquam Rosa innata sibi refrigerandi vi restrinxerit. Audiendus hic venerabilis Dionysius Richel. in Cant. Art. 8. Qui lilium hoc Virgineum sive Rosam hanc Mysticam inter spinosas filiorum hominum filias, licet alias sanctas attentius considerans singulare hoc Deiparæ divinitùs concessum admiratur privilegium: *Quamvis*, inquiens, *fuerint multæ Virgines sanctæ, quarum quædam Martyrij gloriam sunt adeptæ, tamen respectu hujus unicæ Virginis, singularis Amicæ sponsi, quasi spinæ fuisse videntur in quantum aliquid culpæ habebant: & quamvis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus: fuerunt & aliis spinæ, qui ex earum intuitu, mucrone concupiscentiæ pungebantur, quamvis ipsæ Virgines sanctæ non fuerint in hoc culpabiles. Porro hæc unica DEI delectabilissima totius superbeatissimæ Trinitatis media, & amica, & socia, ab omni culpa fuit prorsus immunis; fuit in ea fomes plenè extinctus, támque intensissima castitate erat repleta, ut intuentium corda sua castitate Virginea planè inæstimabili, & à nullo potuerit concupisci, imo potius eorum libidinem ad horam restinxerit.* Hæc ille.

Aspectus Mariæ tentationes non solùm non excitat, sed sanat.

71. Hinc Angelicus Doctor aliàs hujus Virginis, hoc in genere favorem expertus in 3. sent. D. 2. q. 1. ar. 1. ad 4. gravissimè pronunciavit: *Gratia Sanctificationis non solùm repressit in Virgine motus illicitos, sed etiam in alios efficaciam habuit, ita ut quamvis esset pulchra in corpore, à nullo tamen concupisci potuerit.* Hinc S. Bernardinus Seniens. Tom 3. serm. 36. Par. 1. exhortans mulieres ad amorem honestatis, B. Virginem illis tanquam omnis honestatis pudicitiæque pro-

totypum proponit: *B. V. Maria Mater DEI erat*, inquiens, *tantæ modestiæ, pudicitiæ, & honestatis, ut homines, qui eam videbant, non solum non tentarentur, sed omnis tentatio, si quam habebant, cadebat ab eis, & fuit honesta honestarum, & Virgo Virginum, & vidua viduarum, & gloria Virginum, & habebat 12. stellas in capite propter 12. proprietates bonæ & honestæ mulieris.*

72. Quare de hac Virginea purissimáque Rosa longè aptius dicere possumus, quam quod Columella de hac terrena pronunciavit. lib. 10. *Rosa Flos est pudicitiæ plenus*, quo ita plena erat, ut etiam eandem in alios transfunderet. Et verò si Agnos, seu vitex arbor ea pollet virtute, ut si ejus folia cubilibus substernantur, & serpentes longè latéque fugent, & hominem ab appetitione veneris prohibeant Æliano teste lib. 9. cap. 26. unde & Agnos à puritate quam conservat arbor illa dicta est: quantò magis id faciet Mysticæ Rosæ nostræ purissimæ fidelissima protectio. Si deníque Rubeta & cœlestis avis eodem Æliano teste lib. 9. cap. 11. afflatu solo interimit: quantò magis aspectus afflatúsque illius Virginei spiritus, qui est super mel dulcis ac suavis, omnipotentiæ Divinæ sociatus hominem sensualem ac carnalem in nobis interimet?

Agnos arbor pudicitiam juvat, sic B. Virgo.

73. Hanc Bartholomæus Medina ejusdem Doctoris in vita & Doctrina assecla lib. 1. Instruct. Confess. cap. 18. præstantissimum inter alia ad conservandam castitatem tanquam peritus Medicus præscripsit Antidotum nempe peculiarem ac ferventissimam erga Dei Matrem pietatem atque devotionem, quàm sanè omnes, qui sacris illis Tribunalibus assistunt suis pœnitentibus, maximè recidivis, & qui in his sordibus, seu ut loquitur Propheta, stercoribus computruerunt quasi jumenta serò commendent ac inculcent, si hujusmodi stolida, olidáque jumenta de hoc abominabili stercore erigere, & cum Principibus Dei filiis Divina gratia exornatis collocare, pro zelo illo suo, quo in salvandas animas, pretioso Christi sanguine redemptas feruntur desiderant.

B. Virgo Patrona pro dono Castitatis.

74. Et verò si aspectus Avis illius, quæ Icterus seu Icteris seu Galgulus vocatur, teste Plinio lib 30. cap: 11. Ictericum aliquem, sive Regio Morbo laborantem sanat: quanto magis pudicissimus Virginis Dei Matris, quæ omnis puritatis fontem nobis peperit, aspectus impudici amoris ægritudinem periculosissimam sanabit.

Aspectus [illegible] sanat morbum Regium [illegible] aspectus M[illegible] riæ morbos animi.

75. Sanitatem hanc aspectu Virginis recuperavit Carolus VIII. Galliarum Rex, cui cùm in castris Virgo quædam speciosissima Nomine Maria occurrisset, cœpit ardentissimis impudici amoris ignibus ita æstuare, ut omnino eam violare attentârit; cùm eccè Virgo tabulam Deiparæ in pariete suspensam animadvertit, ad quam conversa, Regem supplex per nomen quod gestabat, per diem illum DEI Matri sacrum, per intactam denique illam Viginem, quam cum castissimo Filiolo in ulnis tabula illa repræsentabat; orabat ac obsecrabat, ut salvum illibatúmque suæ Virginitatis florem conservaret. Rex & aspectu Divinæ Parentis, & tot obsecrationibus flexus, obortis lachrymis libidinis ardorem extinxit, liberámque cum dote quingentorum aureorum, ut scribit Lipsius in monitis Politicis cap. 17. Puellam dimisit.

Mariæ nomen & patrocinii interpositum puellam præservat à violatione.

76. Expertus est Angelicus ille noster Adolescens Joannes Berchman hujuscè Mysticæ Rosæ refrigerantem naturam, cum ejus efficacissimis apud dilectum Filium precibus atque patrociniis, non modo ipse ab omni concupiscentiæ ardore in animo & corpore liber evasit verum

Joan. Berchmans Religiosus Soc. Jesu per B. V. singulare donum puritatis & castitatis obtinet.

rum etiam tantum puritatis donum consecutus est, ut eam vel aspectu suo (qua virtute, Sacratissima pudicissimáque facies, uti diximus, ipsius Virginis pollebat Deiparæ) aliis communicaret. Quod cœleste munus, quia nimium quantum eximium atque excellens est, libet hic diffusius ipsius Joannis ac Virgilii Ceparii verbis 2. Part. Vitæ ipsius ad communem omnium Adolescentium præsertim eorum, qui se in Partheniis sodalitiis peculiari Virginis cultui addixerunt, ædificationem celebrare; qui posteaquam diligentissimam Joannis omnium sensuum Custodiam cautelámque in hoc puritatis dono conservando descripsisset; hæc attexuit: Tam insigni castitatis prærogativâ eum Deus cumulavit, ut vitam omnem obscœnis animi, corporísque motibus egerit expertem. Quod ornamentum tanto profectò est æstimabilius, quanto inter homines rarius, nec vulgo nisi illis, neque tamen omnibus concedi solitum, qui mortalibus perpetuo culpis per singulare Dei præsidium immunes, vitam omnem innocentissimè traduxêre. Ac de mentis vacuitate ita enunciavit domestico cuidam, parcus alioquin rerum suarum laudator: ego inquiebat, Dei Virginísque beneficio, non memini me unquam cogitatione ulla impudica oppugnatum: contra verò quàm maximè abhorreo à re qualibet contraria castitati. Neque verò sola illi mens erat inhonestis cogitationibus vacua, sed & corpus omnis lasciviæ expers: quod ego illius ipsius affirmatione didici, qui redditurus mihi, utpote Superiori progressus sui rationem, id apertè indicavit, quod Singulari B. Matris beneficio adscribebat, quæ sui non modo Vigilantis, verum etiam dormientis tutelam suscepisset, ex quo prius semper, quàm dormitum erat, Angelicam illi Salutationē persolvisset in honorem Immaculatæ conceptionis. At verba illius Potius, quæ litteris mandata post mortem reliquit, in medium proferamus: *circa castitatem*, inquit, *de die per Dei gratiam & auxilium B. Virginis nullum sensi motum; noctu ter vel quater in somno: ac tum sentio me quasi ab aliquo excitari, ab eo tempore, quo ante cubitum cœpi dicere, Aue Maria, ad honorem immaculatæ conceptionis B. Virginis.* Ut igitur quæ ei divinitus data erant ornamenta indies augebantur, ita multò quam ante liberiorem, puriorémque se sensit. An. 1621. qui ultimus fuit vitæ: quo iterum cum Julio de rebus animi sui ad me referret in proximum renovandorum votorum diem, magno suo gaudio narravit, eo se anno neque interdiu, neque noctu, neque in vigilia, neque in somno, per singularem B. Virginis. Et cum eo sanè convenit, quod & Pater Thomas Massuvi ipsius confessarius testatus est, Joannem neque per vigiliam, néque per somnum, turpibus ullis cogitationibus unquam fuisse concitatum, quæ omnia cum à quodam Patre nostro narrata essent Cardin. Bellarmino, solutus in lacrymas Cardinalis cum admiratione singularem profectò gratiam, inquit Juvenis (qualis Joannes erat) valentis ac Spiritibus pleni! Quid igitur mirum fuisse eum vulgò ab omnibus pro Angelo habitum, eóque nomine appellatum, quando humanis alligatus, membris, humanæ degeret expers miseriæ, contenderétque cum ipsis Angelis de palma castitatis! Nam hi, etsi, ut ait Bern. Virginitate quidem glorientur, quia tamen extra carnem, fœliciores sunt hac parte quam fortiores: & fortunissimus hic Adolescens in mediis cupiditatum ardoribus non modò non urebatur, sed ne quidem incalescebat: diceres commu-

munem naturæ sensum exuisse. Eximio huic Angelicæ puritatis ornamento, duæ cœlitus præterea adjectæ fuere prærogativæ in vita una, post mortem altera, ambæ juxta veneratione dignæ. Priorem sensère multi, qui suam ipsorum experti imbecillitatem, non audebant in vultum cujusquam intueri, ne concitatis impuris appetitibus commoverentur; è diverso tamen ab ipso Joannis aspectu dixère, se vim sensisse contrariam, ut supra memoravimus. Quíque obtutum in eum figebant, non solùm non subibant pudicitiæ discrimen, sed periculi ejus securi cum delectatione sanati insuper castas quadam illecebras, amorémque Sanctum puritatis in se experiebantur. Complures etiam jurati testimonium se dixère quoties obviam ille fieret, velut Sancti cujusdam interventu compulsos, ad animum, gestúsque componendos. Nonnulli illius se conspectu, ad deflendas noxas suas, alii ad perfectionem ejus Imitandam provocari sentiebant. Non pauci eum suspicientes instar cœlitis, Deo se per merita illius commendabant. Plures denique apud se taciti exclamabant: Felicem te, qui instar Angeli de cœlo in hocce collegium lapsi, huc ad nos excitandos exemplo tuo descendisti; & lachrymis non temperabant, & puris se castitatis amoribus inflammari aspectu ejus sentiebant. Quæ res cum ad eundem Card. Bellar. essent relatæ profusis quóque lacrymis: *Privilegium hoc*, inquit, *B. Matris non nisi illius ipsius favore potuit servo ac filio ejus impertiri.* Quæ Sapientissimi Cardinalis opinio verisimilis redditur prece quadam 12. Salutationum Angelicarum, qua castissimus hic Adolescens B. Virginis puritatem meditatus quotidie eam fatigabat, ut & ipse sermone, moribúsque afflare aliis posset amorem puritatis, omnemque repellere cogitatum castimoniæ repugnantem: sicut ipsa videlicet sui aspectu omnem humanis mentibus cogitationum lasciviam depellebat. Quas preces literis mandatas, his verbis faciendas conceperat: *B. V. impuras aliorum cogitationes suo aspectu pollebat, pete & tu, ut tua conversatione castitatis amorem ingeneres in aliis.* Altera prærogativa, cujus post mortem compos fuit, videtur esse potestas illa, qua multis opem ejus implorantibus, inter pericula castitatis suppetias venit. Etenim sæcularium Religiosorúmque hominum cujuscúnque ordinis, ac sexûs plurimi Angelica ejus puritate cognita, cum in gravissima castitatis discrimina subinde decidissent, nec quidquam se illis expedire conati, ejus tandem ope invocata, remedium invenère, libidinum suarum ignibus repentè velut aquâ effusâ extinctis. Posteà verò ad illustrandam Dei ejusque servuli Joannis gloriam accepta beneficia apud varios nostrûm professi testandæ gratitudinis ergo, aut per se ipsi, aut per alias votivas memoriæ tabulas atque anathemata monumento ejus suspendère, ut videatur profectò B. Virgo hunc servum suum ac Filium non modo vivum prærogativis, sed & mortuum prodigiis ornare voluisse. Hæc Ceparius. Quæ sanè omnia clarè nobis ostendunt ardores humanarum cupiditatum refrigerantem Rosam esse, dignámque quæ & ipsa & hic ejus castissimus Filius ad hujusmodi restinguendos ignes ab adolescentibus omnibus summa cum pietate invocetur.

Corona Deiparæ ex 12. Ave Maria.

77. Quod si spinis acerbissimos erant Salvatoris cruciatus, quibus in passione sua velut sentibus tribulísque laceratus est, repræsentatos intelligamus, intelligemus non modo Filium, verum etiam Sanctissimam, pientissimámque Matrem Rosam,

Rosam, liliúmque inter spinas esse. Siquidem acutissimis illis dolorum spinis, quibus Filius pungebatur, cor quóque Virginis sauciabatur, omnia illa vulnera, quæ toto corpore erant dispersa, in corde Matris erant collecta, effectúmque ita fuit, ut esset plus quam Martyr, & cor illud benedictum, cor illud Dei amantissimum evaderet, ut loquitur B. Laur. Justin. Dominicæ passionis speculum. Unde præclarè Honorius Augustodunensis: Presbyter in sigil. B. V. qui elogium hoc Virginis: *quasi Plantatio Rosæ in Jericho*, interpretans ita loquitur: *Jericho luna dicitur id est, Ecclesia, in qua Rosa Significat Martyres, quos omnes sancta Theotocos eminentia suæ passionis, ita transcendit, ut Rosa alios flores rubedine præcellit. Cum enim DEI Filium ex se genitum tam innocenter in cruce torqueri vidit, majorem præ omnibus Martyribus cruciatum in animo sustinuit. Unde & plusquam Martyr fuit. Ideo illi dictum fuit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Maria Rosa inter spinas, i. e. Filio patienti compatiens.

Maria Regina Martyrum.

78. Spinas hujuscè Rosæ nostræ, tribulationes, angustias dolores, cruciatúsque, quos animo hîc, dum Virgo in hac vita nobiscum degeret, perpessa est, esse intellexit Angelus apud S. Brigittam in suo serm. Angelico cap. 16. ubi ita loquitur, Congruè hæc Virgo nuncupari potest florens Rosa. Nam sicut Rosa crescere solet inter spinas, ita hæc Venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes. Et quemadmodum Rosa in crescendo se plus dilatat, tanto fortior, & acutior spina efficitur; ita & hæc electissima Rosa Maria, quanto plus ætate crescebat, tanto fortiorum tribulationum spinis acutius pungebatur. Cum enim fuerit Prophetissa, & obversaretur oculis ejus Passio dilectissimi sui Filii, quo magis ad illam, successione temporum accedebat, tanto majoribus mens, animúsque ejus doloribus pungebatur. Hinc piissimus Doctor Dionysius Richel. lib. 2. de Præcon. & dignit. B. V. art. 26. ex illis ipsius cantici verbis hæc omnia prævidisse eã collegit: *Suscepit Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad Patres nostros: Insinuat*, inquit ille, *Mater Deiformis, Virgoq́ dulcissima in his dulcisoni Cantici sui verbis, non utique ignaram, quemadmodum multifariè, multísque modis olim de Messiæ Regis adventu, mundíque reparanda salute Patribus locutus sit. Enim verò ei per quam Deus fons veritatis Prophetarum decrevit revelare vaticinia, non utique ea ignota esse sustinuit; non reor eam ante Incarnationem Verbi nesciisse, quod timorato illi justóque Simeoni innotuit cum Mariæ dixit. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, compassionem, quam Filio patiente passura erat insinuans, Quorum profectò omnium acerbissima memoria quid erat aliud, quam sentes, quam tribuli, quam pungentissimæ spinæ?*

Maria Dolorosa.

Prophetissa fuit, & prævidit Passionem Filii.

79. Eamdem Passionem Filii Deiparam oculis propheticis prævidisse, & magnis doloribus, atque anxietatibus exercitam fuisse fatetur ibidem idem Angelus. Ex Prophetarum scripturis DEUM incarnari velle intelligens. & quod tam diversis pœnis in carne assumpta deberet cruciari, tribulationem protinus non modicam propter ferventem charitatem. quam ad DEUM habebat in corde suo sustinuit, quanquam nondum sibi innotesceret, quod ipsa ipsius Mater esset futura. Cum autem ad illam ætatem ipsa pervenit, quod Filius DEI factus est Filius suus, & sensit in utero suo à se corpus illud accepisse, quod Prophetarum vaticinia per se ipsum adimplere debet, tunc lenissima illa

Ideo perpetuo dolebat.

Rosa, in sua pulchritudine magis dilatari, & crescere videbatur, ac tribulationum spinæ ipsam acriter stimulantes fortiores & acutiores quotidie efficiebantur. Nam sicut magnum ei & ineffabile gaudium in Filii DEI conceptione oriebatur: ita in recordatione crudelissimæ Passionis mentem ejus multiformis affligebat tribulatis. Gaudebat Virgo, quod ejus Filius vera humilitate amicos suos reducturus erat in Regni cœlestis gloriam: quibus primus homo per suam superbiam gehennalem pœnam incurrerat. Dolebat verò, quia sicut homo omnibus suis membris, per malam concupiscentiam peccaverat in Paradiso, ita & suum Filium pro ipsius hominis transgressione, per proprii corporis amarissimam mortem, satisfacturum præsciebat in mundo, Sic Angelus.

Ejus fortitudo & constantia.

80. Quàm verò Virgo in dies singulos majoribus & majoribus appropinquante Passione Filii, tribulationibus, cruciatibúsque lancinata constans firma atque inconcussa præstiterit, idem Angelus ita prosequitur: *Verè indubitanter*, inquiens, *credendum est, quod sicut Rosa constanter in suo loco stare cernitur, quamvis spinæ circumstantes fortiores & acutiores effectæ fuerint: ita & hæc Benedicta Rosa Maria tam constantem gerebat animum, ut quantumcunque tribulationum spinæ cor ipsius stimulabant, voluntatem tamen suam, nequaquam variabat, sed ad sufferendum & faciendum quidquid Deo placeret se promptissimam exhibebat. Florenti ergo Rosæ dignissimè comparatur, & revera Rosæ in Jericho.*

Maria Rosa in Jericho.

Nam sicut Rosa illius loci pulchritudine sua cæteris floribus legitur præpollère: ita Maria universos, in hoc orbe viventes, excepto solo suo benedicto Filio, honestatis & morum pulchritudine excellebat. Unde sicut DEUS & Angeli ex ejus virtuosa constantia jucundabantur in cœlo: ita homines considerantes quam patienter se haberet, in tribulationibus, & quam prudenter in consolationibus ex ea maximè lætabantur in mundo. Hæc Angelus.

81. Quod porrò Rosa Martyrésque in sanguine purpuratos significat, indicavit Christus Dominus S. Brigittæ lib. 3. revel. cap. 27. ubi ostendit ei terram quandam liliis Rosisque consitam, quam ille Romam esse revelavit: *Rosæ, inquiens, sicut Martyres rubicundi sui sanguinis effusione: Lilia vero confessores sunt, qui fidem sanctam verbis, & operibus prædicaverunt, & confirmaverunt.* Rosa igitur Filii cruore roseo purpurata, erit & Virgo animi, mentísque Martyrio: erit similiter & lilium duplici carnis & mentis Virginitate pulcherrima.

Martyres Rosæ,

Confessores lilia.

82. Ex his omnibus perspicuum evadit Deiparam Virginem Rosam esse pulcherrimam, fragrantissimam, odore suo suavissimo cœlum terrámque, cœlites omnes terrigenásque recreantem. Nunc miros ejus effectus in morbis curandis breviter consideremus. Ejus vim atque energiam descripsit Dioscorides, ac Plinius, uti supra memoravimus. Hugo Card. de S. Caro. de medicinali ejus virtute ita loquitur: *Rosa stiptica est, id est, restrictoria fluxus capitis; quem in se bene restrinxit B.V. & in nobis per suum exemplum, quater enim tantum legitur in Evangeliis fuisse locuta. Angelo, Elisabethæ, Filio, & ministris in Nuptiis Canæ Galileæ. Joan. 2.*

Rosæ effectus.

B. V. raro locuta.

83. De eadem Rosæ medicinalis virtute Dionysius Richel. in Eccl. cap. 24. art. 23. & 24. *Rosa est frigida & sicca in primo gradu, proprietatibus multis insignis, rubet, aut multum alba est, & multiplicata folia habet, bene redolet & consurgit à spinæ asperitate, & miro modo*

B. V. Rosa medicinalis.

modo dicitur contra sacrum ignem valere, & sistit fluxum ventris; ex illa fit aqua rosacea mitigativa doloris, & clarificativa luminis oculorum. Sicut ergo Rosa est florum pulcherrima: ita dignissima Virgo est venustissima est fœminarum, imò purarum creaturarum sanctissima, quæ mitigativa est dolorum vitæ præsentis, & illuminativa Oculorum cordis ac mentis, & sicut aqua è Rosis expressa sedat dolores atque clarificat oculos.

84. Deníque Bernardinus de Bustis Rosæ miros medicinalésque effectus ita descripsit Par. 9. Marial. ser. 5. Rosa considerari potest quoad suam virtutem, siquidem ex Rosis aliquando fit electuarium, aliquando oleum collyrium, aliquando emplastrum, & diversæ aliæ præparationes, contra diversas infirmitates eásque sanat. Maximè autem stomachum & cor confortat, fluxum ventris sistit, oculos clarificat, & dolorem capitis mitigat. Similiter B. V. cor confortat ipsum, Dei charitatem infundendo, quæ adeò cor nostrum corroborat, ut homo propter Christum vitam suam parvi pendat, & libenter ejus amore mortem amplectatur: *Fortis est, ut mors Dilectio*, ut ait Sponsus cant. 8. hinc S. August. *Omnia sæva & immania facilia, & prope nulla facit amor*. Ipsa quóque peccatorum fluxum refrænat communicando nobis Dei timorem, qui peccata evitare docet. Unde Prov. 15. ait Spiritus Sanctus. *In timore Domini à malo declinat omnis homo*. Ipsa quóque oculum intellectus clarificat, rerum Divinarum cogitatione, utpote Illuminatrix nos illuminando. Ipsa deníque caput mentis, quæ & nostra in Deum spes, sanat, quando spem nostram languidam ac tepidam ad cœlestia desideria sublevat. Quod porrò spes sit mentis nostræ caput, probat Apostolus cum sic Thessal. c. 15. monet. *Et Galeam spem salutis assumite*. Et hæc omnia nobis Virgo tanquam solicita de salute atque incolumitate nostra Mater indicare volens, dixit Eccl. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis, cor scilicet confortans per charitatem. Et timoris; fluxum vitiorum per Sanctum Dei timorem restringens. Et agnitionis; spiritualem visum per Divinorum cogitationem quasi collyrium illuminans. Et Sanctæ spei; caput mentis per spei sublevationem sanando. Denique Virgo ob has, aliásque quam plurimas virtutes fuit Rosa illa, de quo Romanus Poëta in Culice:*

Et Rosa purpureo crescit rubicunda decore.

Quæ sanè jure merito nobis salutanda est cum Religioso illo Poëta:

Ave Rosa speciosa.
Rosa dulcis & formosa,
Tu es Rosa singularis,
Sola Rosa tu vocaris
Nostris aspira mentibus.

Simili ratione eam salutavit quoque S. Bonav. in Psalterio Minori.

Ave Virgo speciosa,
Cujus quasi recens Rosa
Spirat caro, cor lætatur
Mens in bonis demoratur.
Ave cæleste lilium
Ave Rosa speciosa,
Ave Mater humilium
Superis imperiosa,
Deitatis Triclinium:
Hac in valle lachrymarum
Da robur, fer auxilium.
Rosa decens, Rosa munda
Rosa recens sine spina,
Rosa florens & fœcunda.
Rosa gratia Divina
Facta cœlorum Regina,
Non est nec erit secunda.
Tibi &c.

85. Ad virtutes has Rosæ planè admirabiles demonstrandas, quibus in curandis hominum corporibus pollere consuevit, occurrit op-

Maria Rosa
[...]excitatis no[...]bis
[...]haritatem, [...]ortitudinem,
[...]imorem Dei.
[...]ntellectum il[...]uminat
[...]em firmat.

portunè illud, quod cecinit Homerus Iliados 10. cadaver nimirum Hectoris generosissimi Herois ab amorum Dea oleo rosato fuisse perunctum, à corruptione fuisse præservatum, effectúmque ita inviolabile, ut ne à canibus, ac volucribus devoraretur. Idem ait, Ulyssem maris fluctibus agitatum, totúmque luridum, eodem rosarum oleo à Pallade delibutum ad pristinum vigorem, decorémque revocatum. Idem hoc purissima nostra pulchræ dilectionis Mater. Pallásque Christianorum Sapientissima, diviniori quadam ratione Virgo Deipara præstitisse visa est Reginaldo socio gloriosissimi Patriarchæ Dominici, illustrissimo Religionis illius syderi: Hic enim cùm antequam Religionem ingrederetur, gravi morbo lectulo affixus esset, potentē illam, Medicámque manum Dei Parentis optimæ experiri meruit. De hoc ita scribit S. Ant. 3. Part. Hist. lib. 23. c. 4. §. 4. *Apparuit visibiliter M. Reginaldo vigilanti & vehementi ardore febrium æstuanti B. Dei Genitrix Virgo Maria duabus se comitantibus speciosis puellis. Et mox ad Reginaldum conversa: Pete à me, inquit, quod vis, & dabo tibi: Deliberante Reginaldo quid peteret, una ex iis, quæ cœli Reginam comitabantur Virginibus, ei suggessit, ne quod peteret, Regina misericordiæ dignaretur conferre; sed ipse se totum ejus committeret voluntati. Hoc sanè usus consilio posuit in B. Dei Matris electionem, ut secundùm beneplacitum suum ei daret, quod vellet. Tunc illa manum extendens Virgineam, ægrotantis oculos, aures & nares, osq; & manus, & pedes salutari, quam secum tulerat, unctione perunxit, formulas verborum proprias ad singulas unctiones subinferens. Ad renes ait: Stringuntur renes tui cingulo castitatis: Ad pedes autem: Ungo pedes tuos in præparationem Evangelii pacis: simulque ei habitum Ordinis Prædicatorum ostendit: En, inquiens, iste est habitus Ordinis tui. Sic curatus à cœli Regina Reginaldus, continuo plenè convaluit. Nimirum Mater illius eum perunxerat, qui novit unctiones conficere sanctitatis.* Concludit tandem S. Antoninus: *Illa porrò cœlestis unctio sic carnem Viri Sancti non solùm ab æstu febrium, verùm etiam ab ardore concupiscentiæ temperavit, ut sicut ipse postmodum est confessus, nec parvus in eo motus libidinis pupularit.* Hæc ille.

Reginaldus ex Ord. Prædic. à B. V. sanatur, & donum castitatis acc[illegible]

86. Innumeri sunt alii Rosæ circa humanorum corporum curationem effectus. Suffecerit hic tres illos, quos Dioscorides & Plinius superius attulêre, attigisse; dolores capitis vel omnino tollit, vel lenit, oculos clarificat, cordis tremorem sive palpitationem sedat. Expertus est Hermann' cognomento Joseph, Ordinis Præmonstratensis insigne jubar, in gravissimo dolore capitis præsentissimū Virginis nostræ auxiliū. Hic enim cum ut vitæ ipsius scribit Auctor, *ex nimiis vigiliis supra humanarum virium facultatem susceptis, adeò debilitatus esset, ut stomacho lassescente, nullos posset cibos retinere, & crudi vapores cerebrum diuturnis vigiliis exhaustum petentes, vehementissimum ei capitis dolorem inducerent, die quadam multorum Sanctorum suffragia imploravit; nec tamen se adjutum sentit, quod factum sine dubio, ut ab ea suavius curaretur, cui se specialibus devoverat. Itaque non defuit misericordiæ Mater suo fidelissimo Servulo, sed se ei in templo, ad summum altare honestissimæ Matronæ specie visendam exhibuit, quam cum primo aspectu quænam esset, minime agnovisset, indignatus est, quod fœminæ illuc penetrare ausæ fuissent. Virgo tandem se se manifestavit, ac citum-*

B. V. Hermannum Joseph à capitis dolore liberat.

citúmque à se benignè allocuta est: si me, inquiens, *perinde ac alios sanctos invocasses, forsitan te curâssem. Ex verbis hiscè notam sibi mox vocem Virginis agnoscens, ante illam reverenter procidit, remediúmque dolori suo postulavit. Tum illa dicente*: **Jam sanus esto**; *ab inveterato illo, molestissimoq; capitis dolore relevatus est, simulque agnovit Deiparam Rosam esse, quæ capitis doloribus remedium conferre consuevit.*

Uti etiam B. Sylvanum Cistercienscm.

87. Eandem gratiam à Deipara consecutus est B. Sylvanus S. Bernardi Discipulus, de quo B. Richard. de Aldvert. in Epist. de viris SS. Ordinis Cister. *Adeo*, inquit, *magnam perfectionem acquisivit, ut plurimas revelatione & beneficia à Beatissima V. M. Matre nostra, & hujus ordinis advocata acceperit. Quæ quadam die dum Sylvanus ob continuas orationes mentales, ac vigilias capite & pectore laboraret, sereno vultu ei apparuit, tangénsque ejus caput sacris suis manibus debilia membra pristino vigori, & sanitati restituit, eíque dixit: Redi in te fili mi Sylvane, & gratificare favorem hunc, quem tibi exhibeo novis operibus meritoriis.*

Et B. Adamum ex eodem ordine.

88. Agnovit etiam B. Adam Ordin. Cister. Deiparam Rosam esse, cùm eum acerbissimis capitis dolore liberavit. De hoc Menologium Cisterciense ad diem 22. Decembris ita habet: *Ab ipsa Infantia cùm necdum verba pronunciare perfectè valeret, salutationem Angelicam didicit, & eam balbutiendo incredibili affectu sæpissimè repetebat. Cumq; in eo hæc pia affectio erga Deiparam in Dies augeretur ac eadem Regina Angelorum visitari, & familiarissimo perfrui colloquio meruit.* Quæ visitatio atque colloquium qualenam fuerit, describit Barnabas de Montalba Tom. 1. chron. Cister. ubi Adamum ita recensentem, quæ ei contigerant, introducit: *Tanta erat in Ecclesia charitas, ut fulgori meridiano assimilaretur. Vidi mox ante majus altare septem Matronas pulcherrimas residentes, ea quæ erat in medio, cæteris clariùs resplendebat; quæ me vocans, eum propriùs accessisset, post alia verba quæsivit: Nosti me quæ sim? cui eum dicerem: Non Domina; respondit illa: Ego sum Mater Christi: & Domina hujus Oratorii: & quia mei memoriam habere solitus es, ego te curabo. Accede Ergo ad me Adam, Flectente me genua coram illa, manum supra caput meum ponens: Ab hac hora, inquit, úsque ad dies mortis tuæ non dolebis, nec laborabis capite.* O benignissimam pientissimæ hujus Matris erga mortales curam ac solicitudinem. Verè rosea, verè sertum quoddam roseum fuit manus illa Virginis, quæ tanta cæleritate dolorem illum capitis adeò molestum & tunc & in posterum perpetuò sustulit; ostendìtque revera se Rosam, roseúmque sertum extitisse; de quo Ælianus lib. 12. Historiæ tradit, etiam siccum præsentissimum capitis timori ac dolori remedium esse; quod ille exemplo Aspasiæ Filiæ Regis Hermotimi Phocensis comprobavit, quæ gravi tumore capitis in ipso etiam mento deformata, contrita corolla rosaceâ tuberíque imposita, non modò deformitate illa liberata est, verùm etiam tantæ formæ elegantiâ conspicua fuit, ut primum Persarum Regis, & tandem illo occiso, Artaxerxis nuptiis digna fuerit.

89. Adfert etiam Rosa nostra oculis remedium, eósque non modò clarificat, verum etiam vivendi facultate privatis lucem impertitur. Experiri meruit favorem hunc S. Petrus de Morono Ordinis Cœlestini Fundator, abdicato Pontificatu toto orbe celeberrimus. Hic trimulus, cum esset acuto ligno in dextro ocu-

B. V. Petro de Morono seu Cælestino, adhuc parvulo restituit oculum dextrum, quo fuerat excæcatus.

lo percussus, fuit excæcatus. Desperata à Medicis curatione Mater anxia, humanis subsidiis destituta, ad Divina confugit. Itáque ad Templum B. Virginis dicatum eum deportat, eúmque ipsis calentissimis precibus fiducia plena, utpotè misericordiæ Matri commendat, inter orandum advertit Mater ingenti suo gaudio lucem oculo filii fuisse restitutam, eóque nomine novis laudibus gratiarúmque actionibus Virgini persolutis, hilaris domum rediit, ut scribit Petrus Card. de Aliaco ejus in vita, cap. 4.

Alteri oculos erutos & manus abscissas.

90. Scribit quóque rem mirabilem hoc in genere Abrahamus Bzovius Tomo 13. Anno 1210. de quodam, cui hostes oculos eruerant, manúsque præciderant, cum ad B. V. de Albeza in Hispania proficisceretur. Hic nihilominus ita mutilatus, excæcatúsque iter suum, fiducia in Deiparam plenus prosecutus est. Ubi ad templum venit, totam noctem ante Virginis altare supplicabundus insomnem duxit. Nec frustra. Nam illucescente die lux quoque ejus illuxit oculis, eósque novos multúmq; mirabiles accepit. Erant enim parvi instar accipitris. Tales porrò ei dedit Deipara, ut tanti miraculi semper dum viveret extaret monimentum. Nec contenta oculos ei restituere, restituit & manus, eásque teneras, sanas tamen ac validas, relictis abscissionis signis ad majorem miraculi declarationem. Tollit deníque Rosa nostra cordis tremorem, ac palpitationem, quam ego dixerim timorem illum ac trepidationem, quam viri etiam sancti de occultis DEI Judiciis appropinquante morte habere consueverunt.

B. Virgo Religiosum Dominicanum in agone timentem defendit.

Refert S. Antoninus 3. Parte Hist. Titulo 23. cap. 10. §. 6. de quodam juvene sui ordinis valde devoto, qui in Anglia ad mortem infirmus cùm esset, manu propria suos obvelavit oculos, simúlque risit, quem mox cum quæsisset; cur risisset; Respondit: quia modo venit S. Eadmundus Rex noster & Martyr, & ecce tota domus Angelis repletur. Idem Adolescens non ita multò post magis risit: Domina nostra, inquiens, venit salutemus eam. Mox omnes: Salve Regina pronunciârunt. Quæ salutatio quàm grata extiterit Deiparæ; idem ægrotus Adolescens contestatus est piè exclamando: ò quàm gratiosè acceptavit V. M. salutationem hanc, quæ quia grata illi extitit, & ipsa subrisit. Nec ita multò post cum ad portam cubiculi idem Adolescens oculos direxisset, vultu in pallorem mutato, trementibus labiis: Modò, inquit, Dominus meus JESUS Christus venit ad judicandum me. Et agonizans atque si ductus ad judicium, omnibus membris penè emortuis ita contremuit, ut sudore totus diffluere videretur, nec superior, qui adstabat ad tergendum tam copiosum sudorem sufficeret. Atque ita perinde, ac si coram Judice esset constitutus cum timore disceptabat, & subinde dicebat. Verùm est: subinde; non est ita. Aliquando verò B. Virgo interpellebat ne discederet à se. Aliquando adversarium constanter redarguebat. Aliquando etiam ad Judicem supremum conversus ajebat. O tu bone JEsu, inter cætera dona mihi hoc modicum. Quod ubi audivit superior: quid est, inquit: Frater charissimè? Computantúrne modica peccata inter magna: Tum ille gravissime ingemiscens: Heu: respondit, ita. Monuit mox superior, ut nullo modo diffideret de Dei misericordia, etiamsi Angelus de cœlo aliud suaderet, quia Salvator noster misericors est. Tandem pius Adolescens Christi misericordia fretus, hilari vultu subjecit. Verè misericors est; nec ita multo post, patrocinio, ante districtum Judicem Deiparæ clementissimæ protectus placidissimè exspiravit.

91. Hac

Et alium ejusdem Ordinis

91. Hac cordis angustia ac trepidatione eadem Virgo benignissima levavit alium quendam ejusdem Ord. Religiosum nomine Alanum in Anglia, ut idem S. Antoninus ibidem testatur. Hic enim in portis mortis constitutus vultu cœpit cohorrescere ac tremere, moxq; terribili clamore in illa verba prorupit: Maledicta sit hora, quâ Ordinem intravi. Quibus Auditis adstantes Religiosi in preces effusi, communem Dominum ei propitiare studuerunt, Ne incassum fusæ preces. Paulò enim post subridens vultu sereno: *Non sit*, inquit, *maledicta, sed benedicta hora, qua Ordinem intravi, & Benedicta sit B. V. M. quam semper dilexi; inde ad circumstantes conversus: Vos turbati estis in primo meo verbo, scitote apparuisse mihi terribiles Dæmones jam ad animam meam rapiendam paratos, unde terrore nimio alienatus à me ita maledixi. Porrò, ut vobis ingenuè fatear, si ignis aliquis sulphure mixtus accenderetur, qui ad finem usq; orbis sese extenderet, mihique daretur optio vel per medium illum ignem transeundi, vel Cacodæmones simili specie videndi, eligerem per ignem illum potiùs transire; adeò nimirum est horribilis infernarũ illarum larvarum aspectus. Verùm postmodum supervenit B. M. quæ illos in fugam egit, atque ita conceptâ fiduciâ ipsius adjutorij exhilaratus risi, ipsamque, quæ me liberavit, benedixi.* Quibus dictis in pace conquiescit.

Horribilis dæmonum aspectus.

Maria Rosa mystica.

92. Ex his omnibus facilè intelligimus Deiparam Rosam Mysticam esse, Rosam admirabilis ad varios curandos morbos virtutis & energiæ; adeò, ut eam unicum medicamentum morbis omnibus curandis conducibile, cui simile in nullis totius orbis apothecis reperitur, possimus vocitare, eámque *Panchrestos* dicere: uti M. Tullius, pecuniam, *medicamentum Panchrestum*, quod ad varios usus esset utilis, appellandam censuit.

93. Quare in omnibus nostris tam corporis, quàm animi ægritudinibus, summa cum fiducia nobis recurrendum erit ad Mysticam istam Rosam, eique nostræ necessitates commendandæ. Atque ut nostra commendatio tanto apud illam efficacior sit, studendum omninò Sanctissimæ illius purissimæq; vitæ imitationi, conandúmque nobis est, ut pulcherrimæ hujus Rosæ in animis nostris inprimis ardens charitas velut purpura; virtutum omnium fragrantia velut odor floris hujus suavissimus tum Christi Passionis memoria, cum compassio, velut spinæ salutiferæ reperiantur; quæ cor acerbissimis Christi Salvatoris doloribus sauciantes idem illud, uti fuit Virginis afflictissimæ in Dominicæ Passionis speculum transforment.

Maria imitanda.

94. Imitationem hanc hujuscè Rosæ à nobis desiderare videbatur Spiritus Sanctus apud Siracidem Eccl. 39. v. 17. Dum nos cupit quasi Rosam illam plantatam juxta rivos illos cœlestium aquarum, Divinarum nempe gratiarum, quæ impetu fluunt de Libano increati illius candoris lucis æternæ, puritatísque Divinissimæ fructificare, & quasi Libanum odorem suavitatis habere. Atque ut hæc imitatio Virginearum Mysticæ hujus Rosæ virtutum tantò magis nobis esset cordi, præmittit idem Siracides se entheo quodam parcitum œstro in voces hujusmodi adhortatorias erupturum: *Ut furore*, inquiens, *repletus sum. In voce dicit*, nempe furor hic erumpens. Et quid tandem mox attexit: *Obaudite me Divini fructus; & quasi Rosa plantata super rivos aquarum fructificate; quasi Libanus odorem suavitatis habete.* Cupit nimirum nos omnes Spiritus Sanctus, ad præsertim Deiparæ Sodales, clientulos,

ios, ac filios, qui revera Mariani horti conclusi, sive Paradisi Virginei, verissimi, dulcissimiq; sunt fructus, cupit, inquam, ut exemplo hujus cœlestis Rosæ, juxta flumen illud, cujus rivuli, impetúsque lætificat civitatem DEI, consitæ germinemus, ac fructificemus in gratia, virtutibus, bonísque operibus, cupit deníque ut virtutum charismatúmque nobis Divinitus communicatorum bonus odor ac fragrantia sit, non modò ad instar Rosæ etiam ad instar Libani; Libani, inquam, illius, quæ, ubi superius diximus, ajebat: *Ego quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, quæ est Dei Ecclesia.*

Maria Libanus

Maria imitanda.

95. Rosam hanc plantatam juxta rivos aquarum cœlestis Paradisi imitandam suadebat etiam Hugo de S. Victore, qui ante 600. & amplius annos floruit pietate potissimum in Deiparam; hic serm. 65. de Nat. B. V. postquam præmisisset Dei Matrem Rosam esse ex spinis Judæorum oriundam, dixissetque florem hunc suavissimum natura frigidum; forma latum, calore rubeum candidúmque odore gratum, docuissetque imitandam vitiorum extinctionem in Virgine, latitudinem charitatis, candorem puritatis, ruborem compassionis circa mortem Filii, odorem deníque bonæ opinionis. Postquam, inquam hæc præmisisset Hugo, ad finem sermonis hæc attexuit: *Imitemur B. V. M. maximè secundùm hoc, quod de Rosa superiùs diximus, ut vitiositatis nostræ flammas, secundùm ejus naturam frigidam extinguamus; corda nostra secundùm formam ejus in dilectione DEI & proximi latiùs expendamus. Simus rubicundi, & si non pro Christo sanguinem effundendo, saltem infirmis ejus membris compatiendo; simus odoriferi, bonam devotionis opinionem ubique ad ædificationem videlicet proximi dispergendo. Judaicam vitemus nequitiam, à malo declinando: B. M. Virginis imitemur sanctimoniam, benefaciendo, ut ejus meritis, & precibus evadere damnationem, & consequi mereamur beatitudinem.*

96. Ut porrò eò faciliùs præclarissimas hascè Mysticæ Rosæ nostræ proprietates, ac virtutes, charitatem videlicet, cordis puritatem, compassionem erga patientem Dei Filium imitemur, corollam Rosarii Angelicis salutationibus ceu odoratis rosulis, magna cum pietate, devotione, atque attentione, Angeli & S. Elisabethæ, verba mysteriis Divinis refertissima, meditando quàm sæpissimè contexamus. Hoc enim illa summopere à nobis expetit; uti B. Eulaliam Ordinis Cisterciensis monuit; quemadmodum videre est in eorum Menologio ad 11. diem May, ubi sic habetur: *Depositio B. Eulaliæ Virginis, quæ humana contemnens, & cælestia appetens, Religionem Cisterciensem professa, egregiis virtutibus præfulsit, DEI Parentem singulari colebat affectu, se ei solicitis precibus totam commendans: quam etiam singulis diebus pia Angeli salutatione frequenter compellabat: cujus gratâ præsentiâ frui meruit, & Angelicâ visitatione consolari.*

Rosarium recitandum.

Exemplo B. Eulaliæ Cisterciensis.

97. Hanc verò visitationem à Deipara factam, instructionémque qua attentione Angelica sit recitanda salutatio, ab ipsa datam Almensis Anonymus in notis ad Menologiũ ita descripsit: *Apparuit ei vigilanti B. Dei Genitrix semper V. M. dicens: Dormis Eulalia? Dormis filia! cui illa, non dormio, inquit Domina mea charissima: sed à te quæro, cur ad me peccatricem & indignam venire dignata sis, Mundi Regina & Domina?* **Nec timeas Matrem,** *pia filia charissima, cui quotidie quàm plurima exhibes servitia. Moxque tanquam vera*

Quam ipsa Deipara docuit singulari devotione dicere: DOMINUS TECUM in salutatione Angelica.

veræ pietatis ac sanctissimæ Religionis Magistra, ut eam Sanctus appellavit Ildephonsus, utilissimum ad orationem bene fructuoséque faciendam Virgo subtexuit: quando me salutas Angelica salutatione, noli, si vis mihi placere, & magis tibi proficere amando, illam salutationem citò proferre. Scias tunc me gaudium magnum percipere, maximè cum dicis: Dominus tecum prolixè; hujus modus gaudij ineffabilis est, quo tunc afficior. Nam videor mihi tunc intra me præsentem habere Filium meum; sicut cum de me dignatus est nasci DEus, & homo pro peccatoribus. Sicut tunc fuit mihi gaudium ineffabile, ita, & nunc cùm dicitur mihi in Angelica salutatione: Dominus tecum. Hæc audiens Eulalia, ingenti repleta est lætitia, egitque pro tam pia consolatione & admonitione, ut par erat, Deiparæ gratias, quæ magna circumfusa luce abscedens cœlum petiit.

98. Ostendit etiam S. Bernardo Virgo benevolentissima, quàm grata acceptáque ei accidat hæc Angelica Salutatio; cùm eum salutantem resalutare semel iterúmque pro ingenita sibi benignitate non est dedignata: De hoc favore planè singulari fit illustris mentio in jam citato Menologio Cister. ad diem 18. Octob. *In Belgio commemoratio B. V. M. quando per os Imaginis affligemiensis præsente Monachorum cœtu, & copiosa populi multitudine SS. Pat. Bernardum salutavit clara voce: Salve Bernarde, quâ ille salutatione dignatus est à Virgine, postquam, ut Cœnobij Afflig. Annales referunt, ipse prius Deiparam salutasset. Postquam enim sanctus hic Pater duabus concionibus ad Monachos habitis, eos ad arctiorem vitæ Religiosæ observantiam frustra esset exhortatus, in discessu ab illo Monasterio multis comitantibus, ante Divæ Virginis Iconem transiens, extra se raptus Divini amoris impetu, ante illam genua flexit, eámque dulciter salutavit: AVE MARIA, & ecce, cunctis audientibus ex eadem Imagine vox clara & distincta, in hæc verba erupit: Salve Bernarde; quod & in antiquis Cœnobij illius Annalibus expressum reperitur his versiculis veterem illam styli simplicitatem redolentibus.*

B. Virgo S. Bernardo dicenti Ave Maria, ex imagine respondet: Salve Bernarde.

contigit hoc Affligemii

Bernardus MARIA, ait, mea
Ave, tu Virgo Beata
Et tibi Ave Bernarde, ego Imago redico volenter.

In chronico etiam Cœnobii Gemblacensis favoris hujus Virginei erga Bernardum extat memoria: Ante Belgii desolationem, atque in ipso Belgio fidei Catholicæ labefactionem in Monasterio Affligemiensi Dei Genitricis erat Imago, cui valedicens Bernardus: *Vale*, inquit, *alma Maria.* At *Bernarde vale* ait Sancta Maria.

99. Eundem favorem, uti supra memoravimus experiri meruit Bernardus Spiræ. Cùm enim suo amore Deiparæ Imaginem in templo comitantibus multis salutâsset, ab eadem; *Salve Bernarde* resalutatus est, ut testatur Ganzulus de Illescas in vita Inn. II. Nauclerus Generatione 39. Montalbus Chron. Cist. Tom. 1. lib. 3. cap. 56.

& iterum Spiræ.

100. Hanc verò salutationem, ut grata sit Virgini, debere ex intimo corde seduláque attentione procedere, uti monita fuit B. Eulalia Deipara V. grandi confirmavit prodigio in B. Ladislao Polono Ordinis Cisterc. ipsius Virginis assiduè salutandæ addictissimo. De hoc idem Monologium Cisterciense ad diem 13. Octob. ita habet: *In Polonia B. Ladislaus conversus, qui in simplicitate*

Ex Corde B. Ladislai Cisterc. solitı devotè orare Ave Maria, post mortem pullulat arbor cujus foliis inscriptum Ave Maria.

te cordis diu Deo servivit, ex cujus post obitum corde pulcherrima Arbor foliis Mariæ Nomine decoratis pullulavit.

101. Cæsarius porrò Par. 2. Homiliarum in Domin. 9. post Pent. asserit conversum hunc adeò hebetis fuisse ingenii, ut nullum vel Psalmum vel orationem Dominicam addiscere potuerit, excepta sola salutatione Angelica, quam ubi primum audivit, dixisse fertur: Tam dulciter sonat, & ideò spero, quod illam benè addiscam. Quid plura? citissimè illam didicit eámque semper die noctúque dum vigilaret, multa cum delectatione ruminabat. Quam ipsius pietatem insigni miraculo Deipara decorare voluit. Ex ipsius enim sepulchro Arbor in cujus foliis singulis Ave Maria visebatur, prodiit; cum vero omnes tantum prodigium admirarentur, libuit curiosius investigare, unde tandem germinasset. Itáque effossa humo, cunctis obstupescentibus reperêre, radices Arboris illius, cordi viri Deiparæ amantissimi fuisse defixas, simúlque agnovêre salutationem Angelicam, quam assiduè iterabat, ejusdem cordi, imísque fibris dum viveret radicatam extitisse, eámque ab illo ex intimo corde, animitùs medullitúsque fuisse recitatam. Pari animi attentione, cordíque radicata in Deiparam pietate, non modo Rosarium Virginis, verùm etiam alias erga eandem pietatis exercitationes peragebat pientissimus Societat. nostræ Adolescens Franciscus Cajetanus Familia comitum illustrissima Panormi Oriundus; de quo Alphonsus Cajetanus in ejus vita cap. 20. ita scribit: *Post Christum, magno affectu erga sanctissimam Virginem & DEI Matrem ferebatur, quod nobis cum in lucem ediderit, qui mundi salus, & animæ ipsius erat Amor. Studebat eam sibi præsentem adesse, eámque in ipsius actionibus imitari. Ubi Imaginem conspiciebat Virginis eam magna cum reverentia salutabat. Præter coronam & officium, quod quotidie flexis genibus dicere erat solitus, recitabat etiam de beatissima ipsius vitæ Lytanias. Et communes hasce devotionis exercitationes, ardenti suo, quo pollebat affectu, cogitationeque, ac meditatione verborum singulorum, affectuosissima, vita quadam, vigoreque donabat, plurimum subinde temporis vel in una sola voce pronunciandа expendendo, tanta cum sui recollectione, exteriorique reverentia, ut omnes spectantes mirificè ædificarentur. Ut verò tanto faciliùs Mysticæ hujus Rosæ proprietates, rubentémque illam Passionis purpuram imitari posset, addit idem ejus vitæ Auctor, Divinitus eum à Domino fuisse illuminatum, rem sibi gratissimam facturum, si non modo interno animi affectu ad compatiendum ipsius doloribus esset addictus, verum etiam Matris suæ sanctissimæ, quos Divinus amor cordi ejus Virgineo impresserat. Divinæ huic inspirationi respondit diligenter, ac frequenter pia memoria Virginis Mariæ dolores recolebat: Unde licet pro se nunquam aliquid quæsierit, adhibuit tamen diligentiam in Icone aliqua chartacea Mariæ, septem gladiis sauciatæ invenienda, eámque ad Christi de cruce pendentis pedes in mensula, ad quam studere consueverat, collocavit, excitando semetipsum doloribus Matris & Filii, ad conformandam suam voluntatem cum Divina in omnibus afflictionibus, quas ei mittere dignabatur. Ex hoc amore ac reverentia, qua erga JEsum & Mariam Virginem ferebatur, novus quidam affectus celebrandi variis meditationibus, ac mortificationibus eorum solemnitates, præsertim, Nativitatis, & Passionis Christi succrescebat; in quibus alia quoque* tam

Franciscus Cajetanus S. J. singularis cultor Deiparæ.

devotè recit. Rosarium.

& singulariter afficitur Doloribus B. V.

tam gaudia immaculatæ Matris in suo purissimo partu, quam dolores in acerbissima morte dilectissimi Filii honorantur. Atque hisce aliísque festis diebus, singularibus solatiis dulcissimis commixtis lacrymis perfruebatur. Hæc ille.

102. Ex quibus facilè inferimus, Franciscum nostrum compatiendo doloribus Matris ac Filii, attentiúsque meditandis Angelicis salutationibus sacratissimo Rosario contentis, Virginearum deniq; virtutum imitatione fragrantissimam quandam Rosam, spinis dolorum Matris, ac Filii circumvallatam; roseo compassionis rubore purpuratam, odore Sanctæ ædificationis redundantem, Virginíque Matri adeò gratam, acceptámque evasisse. Unde nil mirum, quod ejus lectulo circa postremam vitæ catastrophen beniguissimè adstare, eúmque tanquam Mater Filium invisere non fuerit dedignata. Qua visitatione se indignum Franciscus reputans, ad illam conversus magni animi demissione ait: quid actura huc advenisti Mater DEI? rogo te, id efficias, ut securè reddere animam meam tuo filio valeam.

Visitatur ab Rosa Deiparâ ante mortem.

103. Eamdem hanc Rosam Mysticam cordi Sanctissimi Domini nostri Gregorii XIII. Pontificis Maximi fœlicissimæ recordationis radicatam fuisse crediderim, siquidem honoris ipsius gloriæque longè latéque amplificandæ studio accensus, ejus Lauretanam Aedem sacratissimam, in qua ipsa nata lucem hanc aspexit, in qua Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, mirificè exornavit, indulgentias superiorum Pontificum auxit, variísque privilegiis decoravit, Pœnitentiariorum pro sacris tribunalibus assiduè ad fidelium culpas relaxandas excubantium autoritatem ampliavit, quo majores mortalium ad Virginem illam adeundam honorandámque fierent accursus. Idem vias, quæ Lauretum tendunt, alioqui asperas & angustas, vix ut pediti expeditus pateret aditus, maximis impendiis, imò Regiis planè sumptibus ac magnificentia ita latas effecit, ut etiam quadrigæ inter se occurrentes sinè periculo commeent. Ad ejusdem Domus splendorem amplificandam pro Adolescentibus totius littoralis Dalmatiæ, tenebris ignorantiæ sepultæ paterno planè affectu Collegium ibidem erexit, eísque omnia abundè tam quoad victum, & amictum quam ad literis operam navandam, bonísque moribus perdiscendis necessaria suppeditare jussit, haud majori Genti Illyricæ adjumento, quam Aedi Lauretanæ ornamento futuris. Hi enim diebus Dominicis ac festis Venerabilium illius Collegiatæ Ecclesiæ Canonicorum choro Linteati assistunt, ut mihi triennio domicilii illius curam gerenti magna animi mei voluptate videre licuit. Hoc postmodum Collegium Urbanus Papa hujus Nominis VIII. quò bonum hoc latius pateret, Illyricis etiam Bosnensibus, nec non etiam Epirotis eis & ultra Drinum fluvium degentibus Bullâ, sive Diplomate peculiari, per Reverendissimum Joannem Marnavitium Episcopum Bosnensem, qua erat ingentes illas charitate procurata confirmavit.

Gregor. XIII. Domum Lauretanam exornat.

104. Denique ut egregium hunc suum in hanc Mysticam Rosam amorem sibi orbi contestatum relinqueret, idem jam memoratus Gregorius Rosam illam auream, quam Dominica 4. Quadragesimæ lætare nuncupatam summi Pontifices more, institutóque majorum consecrare, & mundi hujus Reginis muneris loco donare plerúmque consueverant, summæ huic omnium Reginarum Dominæ, imò Angelorum totiúsque mundi Imperatrici

Ad eam mittit Rosam auream.

dignissimæ, quæ mille circiter aureis nummis æstimatur, dono misit. Donum hoc pretiosissimum in hodiernum usque diem exsculpto hujus beatissimi Pontificis Nomine insignitum, ad perpetuam ipsius in Virginem illam benevolentiæ contestandam memoriam in thesauro S. Domûs reconditum peregrinis eo ex variis orbis partibus confluentibus ostenditur, tanquam insigne Gregorianæ in Deiparam pietatis monimentum. Quo sanè, sicut & aliis hujusmodi in DEI Matrem benevolentiæ signis, variis ab illa beneficiis ornari meruit.

Rosarium recitandum.

105. Si igitur nos quoque chari acceptique esse cupimus Deiparæ, si Mysticæ hujus Rosæ proprietates, virtutésque æmulari, vitámque nostram fœliciter terminare, animámque in præsentia ipsius exhalare desideramus, siquidem illi auream Rosam afferre nequimus, saltem illi salutationem Angelicam, Rosariúmque ipsius, ut faciebat B. Ladislaus, & Franciscus noster magna animi applicatione, amantísque cordis devotione ac teneritudine recitemus; certò nobis persuadentes, quod si hic dum vivimus ipsi corollam Angelicis salutationibus velut odorantibus rosis contexuerimus, ipsam vicissim suis precibus, ac fidelissimis patrociniis nobis coronam illius nunquam terminandæ vitæ, æviternæque Beatitudinis impetraturam. Quare dum serto hoc roseo eam piè coronamus, eandem nobis cum Filio pollicitationem illam desideratissimam facientem imaginemur: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. v. 10.

B. Ida Lovaniensis Cisterc. ob devotam salutationis Angelicæ recitationem singularibus à Deo gratiis donata.

106. O si gustum illum sapidissimum ac deliciosissimum quem B. Ida Lovaniensis in recitatione salutationis Angelicæ, sentiremus, quæ dicere erat solita, in una dierum à se compluries orationem illam inchoatam vix fuisse duorum dierum spatio terminatam. Ob quem sanè tam piè ac attentè salutandæ Virginis affectum atque obsequium crediderim illam tot cœlitus gratiis fuisse exornatam, de quibus citatum Menologium ad diem 11. Decembris ita loquitur: *In Brabantia B. Ida de Nivella, quæ Cisterciensium Institutum amplexa variis virtutibus, & miraculorum gratia effulsit, ad tantámque perfectionem pervenit, ut intima cordium agnoscere, futura prædicare, viventium animas à tentationibus, defunctorum à Purgatorii pœnis liberare, Angelicos spiritus & Angelorum Reginam familiariter ac frequenter videre, ipsúmque Puerum JESUM amplecti, & deosculari meruerit. Cujus corpus splendidissimos radios ex se emittens instar solis fulgere sæpissime visum est; tandem multis summæ dilectionis favoribus à Christo nobilitata ad eum, quem ab ipsa infantia indesinenter, & intimo cordis affectu dilexit, feliciter emigravit, postquam locum sibi in æterna patria præparatum conspexisset Anno* 1231. his porrò verbis, ut hoc etiam hic obiter attexamus, Virgo Filiolum illi præsentavit, ut habetur in iisdem Menologii notis: Accipe eum, & colloca in gremio tuo, desideratis amplexibus & osculis diem festum age cum eo. Idem Virginis Filius in Missæ sacrificio sæpius sese illi visendum exhibuit, & vice quadam ei amplexum & osculum exhibens, ipsi dixisse: quia speciem humanitatis meæ sub forma panis, & tibi ô dulcis amica mea visibilem ostendo, non hoc facio, quasi de fidei tuæ credulitate ambigam, sed ut tibi notum faciam, quanto amore quantáve solicitudine Zelotes tui sim.

107. Ex hiscè tam benignis Christi visitationibus tanquam fulgidissimis solis radiis lux illa, qua to-

ta

ta refulgebat, originem habuit, ut ipsa cuidam Moniali familiariter aperuit hisce verbis, ut ex eisdem Menologij Notis constat: *Tanta dulcedine & cognitione Divina illustrata est interius anima mea, ut à die illa & deinceps, quantum mihi scire concessum est, B. Trinitatis agnitionem consecuta sim. Ea nihilominus hora tanta lucis copia, de inexhausto superni luminis fonte procedens, coram me interius mirabiliter replens, in tantum lucidam interiùs, exteriùsque effecit, ut deinceps ubicunque essem, in tenebrosa noctis caligine, absq; alieni luminis mutatione, corporeis oculis viderem, mihique in libro legere, vel aliud quid agere perspicuum erat, præsertim cum manus meæ ac facies tanquam solis radii refulgentes, mihi ad videndum tanquam luminare magnum deservirent. Quin etiam ex occasione luminosæ hujus gratiæ contigit mihi, ut longo post tempore status plurimorum cœlitum mihi daretur perspicere.* Ex Tom. 2. librorum cisterc.

Præsertim cognitione SS. Trinitatis.

108. Qoud si hæc Beata ex pia attentáque Rosarii, sive Angelicæ salutationis recitatione tanta dulcedine cœlestíque luce etiam extrinsecus perfundi meruit, quibus, DEUS immortalis! internis splendoribus mens ejus radiasse affulgescente Maria, hac stella splendida & Matutina, Maria, inquam, quæ Illuminatam & Illuminatricem, ex nominis sui etymologia sonat existimanda est? Nimirum hæc est Debora illa, uxor Lapidoth, quæ sicut ipsa Apem mel dulce procreantem, ita maritus ejus Lapidoth, cum quo una caro extitit, fulgur, splendorémque fulgureum significabit. Quid igitur mirum si salutando Mariam cœlesti Divinitus huic Nomini insita dulcedine singulis verbis inhærens plures dies in eis deliciando insumebat? Quid mirum illam tantis animi splendoribus, qui in corpus etiam redundarent refulsisse. Cupimus & nos hac saltem interna animi luce illustrari? Mariæ amorem, ut & Nomen ejus dulcissimum simul & Angelicam salutationem velut suavissimam Rosam in cordis nostri hortulo inseramus. Ita enim fiet, ut mellilegæ hujuscè Apis dulcedinem, & fulgoreum atque coruscantem ejus lucem in animis nostris experiamur, eáque velut fulgure tonitrúque Tartareos hostes nobis dies noctésque insidiantes in fugam agamus. Nimirum Maria est Thronus ille Dei terribilis contra Dæmones, erus devotos impugnantes, inquit, Bernardinus Bustius Par. 3. Mar. serm. 3. part. 5. de quo S. Joannes in Apoc. 4. fulgura, & voces & tonitrua. Quibus illa terret, tonátque cacodæmones, eorúmque manus adamanteis catenis alligat, ne sic cultoribus nocere valeant. Unde S. Bernardinus Senensis secundùm Catholicon, Dominam vocari ait, quod quasi sit domans manus, quia ipsa nimirum domat dæmonum manus, eorúmque potestatem coërcet, ne suos clientulos in Inferni Barathrum abripiant atque deturbent.

Maria Illuminata seu illuminatrix.

Deipara Thronus terribilis contra dæmones

Deipara Domina, seu domans dæmonum manus.

109. Experta est S. Elisabetha Sanctimonialis Divi Benedicti, Mariæ luce fulgurea Cacodæmones effugari, cùm vice quadam variis perturbationibus, & spiritu tristitiæ ac tædio rerum spiritualium dubiísque circa fidem vexaretur, viderétque stygium hostem variis phantasmatis seu larvis, nunc parvi Monachi, quasi cucullo induti, nunc hominis statura brevi & crassa, horribili aspectu, facie ignea, lingua flammea, & longè ab ore porrecta, manibus pedibúsque rapacissimarum avium unguibus armatus; nunc specie tauri, nunc delicati clerici, nunc hominis Religiosa aliqua veste induti, aliísque pluribus monstrosis schematibus se se illi repræsentantem, quodam die Sabbati, dum Missæ B. V. assisteret, se se illi enixè commendavit, ut menti ejus

S. Elisabeth Sanctimonialis Benedictina à gravibus tentationibus liberatur

tanta caligine circumvallatæ affulgesceret, mox præsentissimam opem ejus sensit. Nam, ut ipsa lib. 1. Revel. cap. 5. recenset: *Veni in extasim, & apertum cor meũ est, & vidit super aerem rotam magni luminis similem lunæ plenæ, & quasi duplo majorem. Et introspexi per medium rotæ, vidique similitudinem Regalis fœminæ stantem in sublimi quasi candidissimis indutam vestibus, purpureóque amictu circumdatam. Continuò intellexi hanc esse sublimem cœli Reginam, Matrem Salvatoris nostri, cujus semper aspectum desideravi. Cùm intenderem in eam cum summo desiderio, procidit in faciem suam ter adorans coram Divino quodam lumine, quod erat ante illam. Ut autem surrexit, convertit & modicum progressa ad inferiorem aerem contra me habens duos comites gloriosos, quorum alter erat S. Benedictus. Stans autem Domina meá signo Crucis me consignavit, dixitque: Ne timueris, quia tibi nihil ista nocebunt. Post hæc regressa est ad interiora luminis sui, & devotissime adorans sequebar eam laudibus tredecim versiculorum, quos in consuetudine habeo. Paulò post sacra Eucharistia refecta rursus in exstasi facta vidi Dominam meam stantem secus altare in veste, qualis est casula Sacerdotalis, & habebat diadema gloriosum, quasi quatuor gemmis preciosis insignitum, erátque ei circumscripta Angelica illa salutatio: AVE MARIA. Rogabam tunc Dominam meam devotissimè, ut si forte nocituræ non essent illæ molestiæ aliquid mihi consolationis exhibere dignaretur; & ecce subitò lux illa cælestis emicuit, & progressa est ad me Consolatrix mea, vocavitque me nomine meo Elisabeth. Et ex illa hora de cætero majorem pacem habui à tentatore meo per gratiam Domini, qui novit suos è tentatione eripere. Quod ut arbitror impetratum est à Domina, quando videlicet ter adoravit coram Domino illo lumine, quod ante faciem ejus emicabat.* Ex qua visione manifestum evadit, imprimis quàm gratæ sint Virgini salutationes Angelicæ, quibus illi Rosarium seu roseam corollam quasi totidem rosulis conteximus, eámque coronamus, siquidem illa glorioso illi gemmatóque Virginis Diademati circumscripta visebatur. Deinde elucescit quànam ratione Materna sua cura & solicitudine in tribulationibus nostris, ac Cacodæmonum tentationibus sese coram illa æviterna luce, quæ ipse DEus est, prosternat, & in lucenti illa Rosa habitans fulguranti sua luce, mentis obtenebrationem, omnémque tristitiæ caliginem abstergat, afflictos animos consoletur, Tartareósque hostes miseris mortalibus insidiantes profliget. Quare Religiosissimus Pelbartus lib. 1. Part. 4. art. 3. cap. 3. inter reliquos Angelicæ salutionis fructus illum commemorat, quod quemadmodùm Angelis est jucunda, sic Cacodæmonibus sit tremenda. *Novit enim sibi esse ad confusionem,* inquit, *Pelbartus eo quod per illam emisit captivos, ubi enim illa salutata fuit. Virgo Maria, mox contrivit caput serpentis.* Et quia Dæmon est superbus, confunditur valdè, quod per mulierem devictus sit. Hæc nimirùm est una illa Mulier Hebræa Judith. 14. *Quæ fecit Confusionem in domo Nabuchodonosor,* qui interpretatur *sedens in angustia,* & ideò per ipsum Diabolus significatur, qui in continua pœnali tristitia est, cui quædam confusio infertur, cùm B.V. quæ eum contrivit, salutatur. Quemadmodùm enim canis tonitru terretur, sic Dæmon cùm recitari audit Ave Maria; novit siquidem, quòd per hanc salutationem homo ab ejus manibus intercedente pro homine ipsâ DEI Matre eripia-

Per Deiparam, quæ illi comparet cum diademate, cui inscriptum: AVE MARIA.

Rosarii efficacia.

Fugat dæmones.

Sicut & ipsa Deipara uti Judith, est terribilis diabolis.

eripiatur. Et ideò de B. V. dicitur Cant.6. *Quod terribilis sit, ut castrorum acies ordinata.* Hinc Bern. *non tantum timent hostes quamlibet castrorum aciem sicut Dæmones Mariam.* Unde invadere aut lædere hominem salutantem B. Virginem non audent. Rem miram hoc in genere refert S. Anselmus lib. Mirac. cap. 26. fuisse scelestum quendam hominem, libenter tamen Beatam Virginem dum viveret salutantem; hunc subitanea morte præventum ait, animam exhalâsse, & mox in prædā cessisse dæmonibus. Verùm Angelis Sanctis obluctantibus eámq; defendentibus, ea ratione potissimùm non debêre æviternum perire, eò quod devotè sæpiùs solitus fuerit dicere *AVE MARIA.* Quâ solâ auditâ voce Cacodæmones relictâ animâ profugerunt, meritísque B. Virginis tandem actum & impetratum est, ut illa anima ad agendam de peccatis pœnitentiam ad corpus rediret. Idem Pelbartus cap.2. aliquid simile refert de quodam alio peccatore, qui salutationibus Angelicis preces Horarias quotidiè in honorē B.Virginis sociabat, qui cum peccati mortalis conscientia è vita migrâsset, & Angeli boni, malíque inter se pro ejus anima altercarentur, Supernus Judex Christus Matris suæ precibus ac meritis flexus, animam corpori iterum uniri, nè quidquam frementibus Tartareis hostibus, jussit, quo de perpetratis criminibus animum per exomologesin emacularet. Quæ ubi retulisset Pelbartus ita conclusit: *Idcirco* B. Bernardus dicit: *Infernus contremiscit, Dæmones fugiunt, cum dico, AVE MARIA.* Dicamus igitur & nos, eadémque verba dulcissima gratissimáque Virgini crebrius, recitando Rosarium iteremus, ut hujusmodi Paradisi vernantibus rosis eam coronantes, immortalis fœlicitatis ab illa diademate coronemur.

Homó sceleratus ab inferno præservatus, quod libenter salutaverit B. Virginem.

Alius pariter solitus orare Rosarium & officium Deiparæ, & propter peccata damnandus ad vitam revocatur.

Ad Ave Maria infernus contremiscit, dæmones fugiunt.



DISCURSUS
DECIMUS NONUS.
VIRGO DEIPARA LILIUM PARADISI.

Sicut Lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias. Cant. 2.

1.

MAgnus ille totius orientis Imperator Leo cognomento Philosophus Hom. 7. ob eximiam tam animi, quàm corporis puritatem Deiparæ eam Lilio comparare, in eáque tanquam in fragrantissimo ex liliis composito domicilio, Dei Filium habitâsse, asserere non dubitavit. Unde & illam magno affectu ita salutat: *Ave clamamus, quæ tanquam Lilium in medio confusissimi & perturbatissimi passionum humanæ Naturæ Campi effloruisti; & propter hoc Rex ex sua celsi-*

Maria Lilium.

celsitudine, sine ejusdem detrimento descendens, cum terrigenis habitavit, constructo sibi ex tua suaveolentia domicilio. Quibus ex verbis facilè colligimus piissimum hunc in Deiparam Principem censuisse illam ingens quoddam immensúmque propemodum Lilium extitisse, in quo DEI Filius, ut loquitur S. Zeno Veronensis Episcopus & Mart. *tanquam in florentissimo domicilio habitare non est dedignatus.* Quod beneficium quia nullis præcedentibus meritis se assecutam fuisse Virgo censuit, ita gloriata est Cant. 2. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter Lilia*: Quæ verba expendens Guilelmus Abbas apud Delrium, ita illam loquentem introducit: *quis prior dedit illi, & retribuebatur ei? planè non ego prior dedi illi, sed ipse mihi, & ideò non dico, ego Dilecto meo, & ille mihi; sed Dilectus meus mihi, & ego illi. Dedi quod prius acceperam. Quid enim habebam, quod non ab eo accepissem? Non ego gloriabor, quasi non acceperim: Dilectus meus prior dedit mihi, & ego posteà devotè illi refudi. Accepit à me carnis substantiam, sed quam antea dederat; pavi eum lacte meo, sed quo ipse ubera mea implebat. Officio sa fui, & hoc ipse Ancillæ suæ præstabat. Cum ergo de suo, quid magnum feci? quia potius fecit ille mihi magna quia potens est, & sanctum nomen ejus? Planè magna mihi fecit de me nasci, & à me pasci dignatus, cum æternaliter natus de Patre in cœlo pasceret Angelos.* Quod ergo nunc accersivit me, ut pascar cum illo inter Lilia, non meritis meis, sive officiis, sed ejus erubescentissimæ gratiæ est, adscribendum, quod videlicet se liliis tam internæ mentis, quàm externæ corporis puritatis castimoniæque pascere atque oblectari non fuerit dedignatus.

Quod in ea Christus habitavit, beneficium ipsa accepit.

Lilia symbolum puritatis & castitatis.

2. Hinc Richardus à S. Laurent. lib. 3. de laudibus B. V. verba illa *Pascitur inter Lilia;* accuratius expendens: *Pascitur,* inquit, *inter Lilia & ideo novit Virginitatem, quasi hoc ipso diceret Lilia desiderabat, Lilia ei exhibeo duplicem Virginitatem, scilicet mentis & corporis; quod notatur per hoc quod dicitur: Inter Lilia.* Quibus ex verbis luculenter colligimus Lilium Virginitatis tam corporis quam animi pulcherrimum esse Symbolum. Hinc ille.

Lilia Virginei sunt symbola certa pudoris.

Hinc Tarpeja Virgo vestalis Nymphis, quibus Virginitatem noverat, solita erat Lilia offerre, de hac Propet. lib. 4. Eleg. 4.

Sæpe tulit blantis argentea munera Nymphis.

Hinc S. Ambrosius lib. de Inst. Virg. cap. 15. Christi Lilia specialiter sunt sacræ Virgines, quarum est splendida, & immaculata Virginitas.

3. Hinc deníque Petrus Riga in M. S. in Cantica è Biblioth. Millestad

Munditiæ candor per Lilia pura notatur,
Qua sacra sponsa nitet, & in hoc candore moratur,
Donec judicii Lux fulgeat absq; pruinis
Et mundi veniat extremo tempore finis,

Virginitatis & fœcunditatis

Neque verò solùm Lilia sunt Virginitatis, verùm etiam fœcunditatis symbola; uno enim eorum semine in terram semel defosso, tota area liliis impleri perhibetur. Ita prorsus contigit Virgini nostræ gloriosissimæ, quæ unico illo increatóque de cœlesti Viridario in hortulum uteri sui adveniente lilio, totum terrarum orbem candidissimis Virginum liliis replevit, adeò ut Lilio huic jure concinere possimus, quod de Livia Cæsaris Augusti conjuge Poëta modulatus est.

Maria Mater Virginum.

Nec Genitrice tua fæcundior ulla parentum est,

Tot

Tot bona per partum, quæ dedit illa suum.

4. Ad fœcunditatem hanc eximiæ puritati sociatam comprobandam ipsum ejus illud unicum Lilium, ipse cœlestis Sponsus Singularem ei illam Laudem attribuit. Cant. 7. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Dum enim ejus uterum acervum tritici appellat, quid alium quam ejus singularem fœcunditatem, foliorúmque spiritualium, quos illa unà cum illo suo Unico Grano cœlesti generavit, indicat copiam? Dum eundem uterum vallatum liliis prædicat, quid aliud, quàm ejusdem geminam animi corporísque Virginitatem collaudat? De gemina hac mentis carnísque castitate Præclarè S. Bonav. in Diæta salutis Tit. 4. c. 4. *Castitas*, inquiens, *est florens sicut Lilium inter spinas. Habet hoc Lilium ut sit incorruptibile, habet precium inappreciabile, habet precium inter gemmas, & tenet solium super stellas. Primò ergo castitas est florens sicut Lilium inter spinas, ut dicitur in Cant. Ubi notandum in Lilio esse sex folia nivei, & sex grana aurei coloris. Sex illa folia nivei coloris significant carnis pudicitiam, & sex grana aurea notant mentis munditiam. Sex illa folia, quæ sunt in Lilio, figurant sex ad pudicitiam necessaria. Primum folium est cibi & potus sobrietas. Unde dicit Hieronymus: Virgo fugiat vinum ut venenum. Nam vinum & Adolescentia est duplex incendium voluptatis. Unde in Prov. 20. Luxuriosa res est vinum.* Secundum folium habitûs asperitas. Unde Bernar. *memento, quod asperior caro pannum facit leniorem, sicut asper habitus facit carnem castiorem. Et per contrarium Filii Israël fornicati sunt cum mulieribus Moab, quia ornatæ erant vestibus delicatis, ut dicitur Num.* 25. Tertium folium est laboris strenuitas, sicut è contra ignavia & otium sunt summum luxuriæ nutrimentum, quia, ut dicitur in Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas, & panis abundantia, & otium ipsius.* Quartum folium est custodia sensuum, & maximè quoad visum & auditum, quia curiositas videndi & audiendi via est ad peccatum. Ita Dina curiositate videndi perdidit castitatem. Gen. 34. Quintum folium est modestia verborum, & maximè immundorum, quia maximè excitatur luxuria per verba dissoluta, & inhonesta. Unde dicit Apostolus: *Nolite seduci inanibus verbis: corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* Sit, inquit, Hieronymus sermo Virginis pudens, modestus & tardus, vel rarus, nec tam eloquentia pretiosus quam pudore. Idem sit vitæ nostræ gravitas, honestas admirabilis, & stupenda verecundia, mira patientia, Virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus & suo tempore proferendus. Sextum folium est, fuga occasionum. Dicitur enim Gen. 19. *Ne stes in omni loco circa regionem.* Videmus enim quod animalia sylvestria pulchriorem pellem habeant, quã Domestica. Hinc legitur Thamar ab Amon fratre corrupta, quia in thalamo fuit sola cum solo. Unde Bernardus: *Virgines quæ vere Virgines sunt, debent semper esse pavidæ, & nunquam securæ, ut & non timenda, securæ etiam pertimescant.* Sex porro illa in Lilio grana aurea, figurant triplicem modum, triplicem item causam diligendi DEum. Triplex ergo modus dilectionis, quo animus castus DEum diligit, est, ut diligat Deum prudenter, ne decepti ab amore ejus discedamus: dulciter ne elati, ab amore ejus abscindamur, fortiter ne oppressi ab amore Dei avellamur ut dicit Bernardus. Causæ

Virginitas mentis & carnis.

Castitatis adjumenta.

1. Sobrietas.

2. Habitûs asperitas.

3. Labor.

4. Custodia sensuum.

5. Modestia verborum.

6. Fuga occasionum.

Castus triplici modo diligit Deum, prudenter, dulciter, & fortiter.

porrò præcipuæ, ob quam diligendus est DEUS, Tres sunt, quia Creator, & ideò diligendus toto corde; quia Redemptor, & ideò diligendus, tota anima; quia deníque Remunerator, & ideò tota mente diligendus est. Quas omnes causas perspicacissimo suo intellectu, quam perfectè Virgo nostra castissima penetraverit, & quam clarè proprietates illas foliorum lilii perfectionésque in se repræsentârit, quam deníque nivea puritate, tam interna animi, quam externa corporis ad instar candidissimi lilii enituerit, ita evidens est, ut declaratione indigere minimè videatur.

Deipara castissima mente & corpore.

5. Cùm igitur Virginem Lilium inter spinas appellamus, geminam ipsius tam internam animi, quam externam corporis puritatem prædicamus, quæ adeò inter omnes hominum filias pulchritudine, candore, odoréque excelluit, ut ejus respectu non flores, sed spinæ informes esse viderentur, ad aliud nil prorsus, quam ad pungenda, ac sauciandа mortalium corda impuri Cupidinis Sagittis peridonea: sicut è contra venustas, ac Virgineæ puritatis Candor stimulus erat aptissimus ad pulchrum, castúmque amorem in hominum animis excitandum, uti supra ex Dionysio Rich. abundè & alibi sæpiùs comprobatum est.

Maria immunis à peccato originali.

6. Idem Lilium inter spinas Originalem justitiam sanctitatémque Virginis omni peccati originalis labe carentem nobis indicat. Ipsa enim tanquam singulare quoddam candidissimúmque Lilium inter spinas foliorum hominum ab omni originalis peccati macula præservata est, cum aliàs nullus purus homo illius expers esse consueverit. *Omnes enim*, ut loquitur Apostolus, *nascimur natura filii iræ.* Quod sanè Virgineum Lilium adeò innocentia puritatéque sua candidum extitit, ut & Angeli, & justorum animæ illius respectu spinæ quædam esse viderentur. Hinc Rich. à S. Laurent. lib. 12. de Laudibus B. V. expendens Verba sponsi: *sicut Lilium inter spinas &c. Verba*, inquit, *sunt Christi de Maria, quæ dicitur Lilium*, ratione candoris qui signat innocentiam, peccatíque immunitatem. Dicitur inter spinas: quia sicut lilium spinis, inter quas nascitur præstantius est, absque comparatione, sic Maria Judæis, de quibus nata est. Unde dicitur.

Sicut spina Rosam genuit Judæa Mariam.

Imò in ejus comparatione, spinæ reputantur, & animæ sanctæ, & ipsæ virtutes Angelicæ. Quare dici potest id de Virgine quod de ejus Filio Job. 25. prædicatur: *Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quantò magis homo putredo, &c.*

Symbolis immac. conceptionis.

7. Atque ita verè dicere possumus id, quod olim Esdras DEum alloquens lib. 4. c. 5. pronunciavit; *Ex omni sylva terræ, & ex omnibus arboribus Dominator Domine, elegisti Vineam unicam:* & ex omni terra orbis elegisti tibi foveam unam, & ex omnibus floribus orbis elegisti tibi Lilium unum, & ex omnibus ædificatis civitatibus, sanctificasti tibi ipsi Sion. Et ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi Columbam unam: & ex omnibus plasmatis pecoribus providisti tibi ovem unam. Quibus creaturis mirificè immaculata Virginis nostræ conceptio adumbratur.

Maria unica Vinea benedicta.

8. Verè enim Deipara fuit Virgo unica illa vinea benedicta, quæ dulcissimum illum Botrum protulit de quo sponsa in amoris cantico modulata est, Cant. 1. *Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi;* cum aliorum filiorum hominum vineæ ob Adæ scelus in humanum genus derivatum, fuerint

male-

maledictæ, omnisque amaritudine peccatorum plenissimæ, adeò ut verè dici possit illud quod de gente Judaica Moyses prædicavit, Deut. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de surburbanis, Gomorrhæ, uva eorum uva fellis, & botri amarissimi. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

Maria unica fovea, in qua Christus delituit.

9. Verè eadem Virgo nostra in toto orbe est unica illa Fovea, quam æterni Patris unigena ob eximiam ejus puritatem sibi elegerat ad inhabitandum, ac delitescendum, cum in ejus purissimo utero caro factus est; in eoque caput Divinitatis suæ reclinavit, cum alium locum se digniorem hoc in mundo non habuerit, ut ipsemet testatur: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, nisi scilicet in hoc aureo Virginei uteri Reclinatorio. Quæ sanè vel unica causa excellentissimam quandam sanctimoniam, omnis sceleris fœce depuratam requirebat. Qua de re præclarissimè disserentem S. Anselmum lib. de conceptu Virginali cap. 18. audiam', ubi sic loquitur: *Quamvis de mundissima Virgine Filius Dei verissimè conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de peccatrice parente justa proles rationabiliter generari per hujusmodi propagationem nequiret. Sed quia decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus S. volebat, & operatus erat, ut conciperetur & nasceretur ille de quo procedebat.* Sic ille.

Ideo illa sine macula concepta

S. Anselmi sententia de Immac. concept

Maris unus Rivus dulcis.

10. Verè ex omnibus abyssis maris amarissimi generationis humanæ (cujus cor pravum est, & adinstar profundissimæ abyssi imperscrutabile) Protoplastorum scelere depravatæ, replevit aquis suæ Divinæ gratiæ dulcissimis Rivum unum, sacratissimam nempe Deiparam, quæ Eccl. 24. Rivum quendam uberrimum se esse agnoscens gloriabatur: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii Dyorix & sicut aquæductus exivi de Paradiso.* Videlicet cœlesti, ut nil coinquinatum in ea reperiri suspicaremur, verùm totum cœleste, totum Divinum quidquid in ea est ob Divinæ gratiæ plenitudinem in ipsa habitantem agnosceremus.

Maria Sion civitas sanctificata.

11. Verè ex omnibus civitatibus mundi hujus sanctificavit sibi universorum Dominus ac Monarcha animatam hanc Sionem, quæ exultatione universæ terræ, ut canit Regius Psaltes, fundata est, cum nimirum immaculatæ ipsius conceptionis fundamenta preciosissimorum lapidum (Heroicas Divinásque virtutes intelligo) jacta sunt. De hac Sione rursus idem vates Regius Psal. 86. *Nunquid Sion dicet homo?* sive, ut legunt alii: *Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Quæ Virginis ponderans elogia B. Petrus Card. Dam. serm. 3. de Nat. B. V. *Gloriosa*, inquit, *dicta sunt de te civitas Dei, sed quidquid de te à mortali homine dicitur, celsitudinis tuæ meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia super Angelos elevat, ad ejus digna efferenda præconia, humana fragilitas non aspirat. Creatus enim est ex ea, quam creavit; portatus est manibus, quas formavit: suxit ubera, quæ replevit; Puellæ confovebatur in gremio, quē vastissima cœli non recipit latitudo; puerilibus fasciis cingebatur, qui immensitatem orbis terræ pugillo com-*

Laudes Deiparæ ineffabiles.

 ple-

plectitur; Matris parebat arbitrio, qui omnium rerum jura suo gubernabat imperio. Hæc Damianus.

Immac. Conceptio. 12. Ut porrò Psaltes Regius mira puritate sanctimoniâque Civitatem hanc, quam supremus cœlorum Rex inhabitaturus erat, enituisse toti mundo patefaceret, fundamenta ipsius sive immaculatam conceptionem super altissimos montes vertice suo quodammodo cœlum attingentes collocavit, fundamenta ejus, inquiens, in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob, clare nobis demonstrans eam omnem tam Angelicam cœlestium Hierarchiarum, quam humanam hominum justorum Sanctimoniam, puritatémque multis parasangis transcendisse, ac proinde in summis amoribus Virginem hanc DEO, præ omnibus filiis hominum extitisse. Qui rectè tabernacula Jacob vocitantur, dum in hac vita à Domino cœlestem Jerusalem inquirentes, peregrinantur.

13. Verè ex omnibus creatis volatilibus universorum opifex nominavit sibi Columbam unam, dum in primo conceptionis Virgineæ instanti eam in suam dilectissimam Parentem elegit; ex cujus Virginea fœcunditate velut columbinus pullus; obumbrante eam Spiritu S. qui etiam Columba sine felle dicitur, processurus erat. Unde inter reliqua ipsius encomia cœlestis Sponsus illud celeberrimum prædicavit Cant. 6. v. 8. *Una est Columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ, electa Genitrici suæ.* Ac si diceret, inquit, Galatinus lib. 7. de Arcan. Cathol. Relig. c. 5. *Una sola ex omnibus fœminis absq; Originali peccato concepta est, quemadmodum Christus ex omnibus viris.* Idem cap. 1. Cant. dicitur: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Duplicavit sermonem, ut ostenderet ipsam pulchram puram in conceptione, & in vita futuram fuisse. Cui ipsa respondit: Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floridus. Sensus est, quemadmodum ego absque originali labe concepta sum, ita tu quoque amicus meus, & idcircò pulcher es, & formosus, & lectulus noster, hoc est, conceptio nostra est florida, & odorifera, absq; peccati corruptione.* Quod elogium Guilelmus Abbas eleganti sanè more suo reddidit paraphrasi apud Delrium in Cant. *Una est Regina Reginarum, Nutrix Adolescentularum.* Hæc est Columba per fœcunditatem, & mea per singularis partus novitatem. Columba mea, cui ego singularis pullus sum, perfecta mea, cui nihil deest ad gratiam, & ad gloriam; cujus néque fœcunditas Virginitatem defloravit, néq; Virginitas fœcunditatem ignoravit. Est etiam unicè electa genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium redemptionis, & regenerationis gratiæ. Insigne quippe & singulare ministerium gratiæ Redemptrici exhibuit in eo, quod ipsum Redemptorem sibi nobísque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis pia maternæ solicitudinis sedulitate perduxit.

Maria unica columba

Immaculata

Christus pullus hujus columbæ.

14. Idem elogium Venerabilis Dionys. Richelius similiter explicavit art. 21. in Cant. *Quantumlibet aliæ animæ virtuosæ, contemplativæ, pudicæ, dicantur spiritualiter esse Reginæ, conjuges meæ, aut aspirantes ad perfectum amplexum, tanta tamen ô Benedictissima Parens mea, est eminentia tua in omni virtute, perfectione, & proprietate, laudanda, quod tu sola inter particulares personas es columba mea pudicissima fœcundissima, gemitu pio summe repleta in sæculo isto, ab omni felle alienissima. Et sicut comparatione mei nullus est bonus: si comparatione tui nulla perfecta quantumcúnque præclara, & magna. Imò cæteræ cunctæ Reginæ sunt tuæ Ancillæ.* Maria unica columba

Una

Una est Matri suæ. Tu enim ô sponsa secundùm carnem es filia Synagogæ, & ad ejus honorem & gloriam cedit, imò & ad illius profectum & opem, quod tu talis ac tanta es, & quod ipsa talem ac tantam Filiam habet. Nam & meritis tuis ac precibus multi ex populo Judæorum conversionis sunt gratiam assecuti. Verumtamen infœlix illa Synagoga pro maxima sua parte ingrata, incredula, indurataque permanet, &, cum in honore esset, non intellexit. Electa Genitrici suæ. Quamvis præclarissima Virgo sit Mater advocata totius militantis Ecclesiæ, tamen quamdiu erat in sæculo isto, erat membrum ac filia spiritualis ipsius Ecclesiæ. Sed huic Matri suæ ad patrocinium, defensionem, consolationem, profectum & salutem hujus Matris tuæ, electa es desuper esse Mater Christi, Advocata generis humani, refugium miserorum, Mediatrix DEI & hominum. Hæc ille. Quæ omnia sanè miræ puritatis sanctimoniæque excellentiam super omnem Angelicam humanámq; creaturam in Virgine nostra gloriosissima demonstrant, eámque candidissimam Columbam Candorem illum lucis æternæ æmulantem fuisse indicant.

Maria respiciens Synagogam & Ecclesiam, utriusq; filia est, & Mater.

15. Quare Rupertus Abbas per Matrem Virginis Ecclesiam Patriarcharum, & Regum justorum, Hierusalem quóque cœlestem Angelis, hominibúsque justis constantem intelligit; quibus omnibus unica hæc Columba puritatis, sanctimoniæque anteferenda est. *Una est*, inquit ille, *Columba mea, perfecta mea. Una, inquam est & similem non habet. Omnino nec inter Reginas ulla similis huic est. Cui Matri suæ una, cui Genitrici suæ est electa? Nimirum Matri suæ Jerusalem una est, illi Jerusalem, quæ sursum est, quæ est Mater omnium nostrum; & Genitrici suæ scilicet antiquæ Ecclesiæ electa est. Ecclesiæ Patriarcharum & Prophetarum, ac Regum justorum, quorum de carne progenita est, quorum secundum fidem benedictionis, quæ ad illos repromissa erat Janua vel materia est. Et illi Matri, & huic Genitrici una, & electa est. Quia nec inter Angelos, nec inter homines similem, vel primam habet, vel sequentem habitura est. Verè Columba, quia gratia plena, verè electa, ut non solum salva existeret, verum etiam ipsam salutem pareret.* Hactenus Rupertus. De eadem hujus purissimæ Columbæ meritorum, virtutúmque super omnes Angelos, hominésque justos eminentia, præclarè Honorius Augustodunensis Presbyter in sigillo ipsam alloquens: *Tu*, inquit, *una omnium transcendis merita, & ideo præ omnibus sola electa Columba mea, in quam transfudi Spiritus charismata; perfecta mea, quam perfudi perfectione per virtutum munera. Hæc una est imitabilis Matri suæ, scilicet præsenti Ecclesiæ; electa Genitrici suæ, Angelorum frequentiæ.* Ex quibus omnibus rursus colligitur, puritatem Virginis non modo cunctorum justorum verùm etiam omnium Angelicarum Hierarchiarum sanctimoniæ culmina superâsse, ac proinde nulla prorsùs ratione tam eminentem sanctimoniam, quæ DEum exceptura erat hospitio aliquo originarii sceleris labe inquiri potuisse.

Maria supra Ecclesiam

Maria Angelis purior.

Ergo Immaculata in conceptione.

16. Verè deníque Virgo nostra beatissima, est unicum, unicum Lilium, quod sibi, attestante Esdra Pontifice, DEus ter opt. Max. ex omnibus orbis floribus delegit, ut ex eo candidissimam illam, purissimámque carnem, qua homo factus est, circumdatus est, assumeret, complexionémque Matri quam simillimam nanscisceretur. Unde hanc ob causam Cant. 2. Dilectus hic inter Lilia, Virgineæ puritatis pasci à sponsa perhibetur: *Dilectus meus mihi, &*

Maria unicum Lilium.

Odore suo attraxit Deum in uterũ suum.

ego illi, qui pascitur inter Lilia. Adeò enim Lilium hoc nostrum ipsa Virgo Deipara suavem cœlis afflavit odorem, ut quidam pulcherrimus spatiosissimúsque Liliorum, Divinam quandam fragrantiam exhalantium campus esse videretur. Quibus supernus Rex, & ipse purissimum Lilium mirificè oblectatus, ex amœnissimis illis cœli Viridariis egrediens, Virgineæ puritatis, sanctimoníæque Liliis pasci, in císque deliciari, eisdémque omnium cœlestium odorum dare non sit dedignatus complementum. Unde Ubertinus Casalius Ord. Saraphici egregium decus, odorem hujuscè cœlestis Lilii persentiscens merito exclamavit: *O flos de radice Jesse, quantum odorum dimisisti in illo thalamo Virginalis uteri, in quo novem mensibus quiescens, & cubans Matris sanctissimæ lilia comedisti, in tuum convertens corpus, ejus sanctissimos sanguines Spiritu Sancto plenos, úsque ad augmentum corporis, quantum necessum fuit, úsque ad complementum horæ Nativitatis. De his Liliis æterne flos JESU fabricasti tui corporis fundamentum, de his constituisti, & refecisti tuæ radicabilitatis humidum. De his novem mensibus sumpsisti purissimum, mundissimum, dilectissimum, gratiosissimum, delectabilissimum nutrimentum. In hac mensa me tuum fratrem respicias, & introducas in thalamum Matris meæ, Genitricis tuæ, ut totus converti possim, in ejus pietatis viscera; & fac me dulcis Emmanuel comedere dulce & pingue butyrum Sanctissimæ Virginis impinguatæ Spiritu Sancto. Fac me tecum suavissimè gustare dulcissimum mel reliquationis cordis ejus in fervore amoris, & transformationis vitæ.* Hæc Ubertinus, quibus clarè ostendit Virginem sicut & Incarnatum Verbum esse Lilium, quod in utero ipsius purissimo transplantatum ipsi divinam quandam puritatem contulit, & ab ipsa vicissim carnis munditiam accepit, ínque ejus morum candore atque innocentia mirificè deliciatus est.

17. Quod si S. Bernardo teste serm. 70. in Cant. *Christus pascitur inter Lilia, seu virtutes;* quantò magis in utero Virginis florentissimo omnium virtutum domicilio? quanto magis in ulnis ejus requiescens, ejúsque purissima sugens ubera, inter fragrantissima Lilia sibi commorari videbatur? sed ipsam mellifluam Bernardi eloquentiam audiamus: *Qui in altissimis est Dominus, in* imis est Dilectus super sydera regnans, *& inter Lilia amans.* Quibus præmissis, Lilia inter quæ pascitur Christus esse dicit, vel maximè continentiam, & innocentiam; inter has enim pascitur & oblectatur Christus, nempe quod virtutes tot Lilia. *Quis finis virtutum,* inquit idem Bernardus, *apud Dominum virtutum? quod si plenitudo virtutum in Christo, & Liliorum. Et propterea fortassis ipse se lilium appellavit, quod totus versetur in liliis, & omnia, quæ ipsius sunt, lilia sint, conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula. Quid horum non candidum, & non suavissimè redolens? Tanta denique in conceptione refulsit superni luminis charitas, de supervenientis abundantia spiritus, ut ne ipsa quidem Virgo Sancta sustinuisset, si non sibi obumbratam foret à virtute Altissimi. Porro ortum candidavit incorrupta Virginitas Matris, conversationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis &c.*

Christus pascitur inter lilia virtutum Deiparæ.

18. Quod si idem S. Doctor. serm. 71. in Cant. *Docet Christum pasci inter Lilia,* id est, *inter puram legum suarum Divinarum observantiam;* quam læta pascua, quas cœlestes delicias in Virgine reperit? quæ fuit Mystica illa, animatáque Arca, Divina

Christus inter lilia, i. e. custodiam mandatorum DEI

Divinæ legis tabulas in se continens cordique impressas gerens, adeò ut de ea potiori jure dici potuerit: *Lex Dei ejus in corde ipsius,* sed ipsa mellea Bernardi verba audire libet: *Ergo Christus absq; liliis nunquam est, qui absq; vitiis semper est; quia totus & semper est candidus est speciosus forma præ filiis hominum. Tu ergò qui hæc audis, vel legis, cura habere lilia penes te, si vis habere habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum, lilia esse protestentur, moralis quidam rerum ipsarum candor atque odor. Habent & mores colores suos, habent & odores. Colorem operi tuo dat cordis intentio, & judicium conscientiæ; odorem fama. Sponsus igitur & cum sit virtus, in virtutibus complacet sibi; & cum sit lilium libenter inter Lilia commoratur; & cum sit candor, delectatur candidis. Et fortassis hoc est, quod dicitur pasci inter Lilia, candore, & odore virtutum delectari. Et quidem pascebatur olim corporaliter apud Mariam & Martham, & recumbens etiam corpore inter Lilia (illas loquor, nam Lilia erant) nihilominus Spiritum refocillabat devotione, & virtutibus mulierum.* Quod si Mariæ Magdalenæ, quæ peccatrix extitit, & de qua septem Dæmonia ejecerat, & Marthæ sororis ejus virtutibus, vitæque innocentiâ ac sanctimoniâ pascebatur, earundémque devotione refocillari, charitate recreari videbatur; quas, DEus bone, sibi delicias in Maria Matre sua dignissima, ac sanctissima, omni prorsus labe peccati, à primo immaculatæ suæ conceptionis instanti carente invenit? Hæc siquidem admirabilis Incarnati Verbi Hospita, longè alia, dignioráque illi exhibuit obsequia, ac ministeria, longè alia misericordiæ impendit opera, quæ nullus humanus intellectus capere, nulla creata lingua valet eloqui. Unde ipsa Eccl. 24. gloriabatur. *In habitatione sancta coram ipso ministravi.* De quibus ministeriis quoniam alibi fusiùs disservimus, hic calamum sisto, lectorémque ad S. Anselmum Homilia: *Introvit JEsus in quoddam Castellum,* remitto, ubi Deiparæ præstantissima Dei Filio impensa pietatis officia describit.

Pascitur candore & odore.

sicut in domo Marthæ,

sed magis in domo, & vita Mariæ Matris suæ

19. Quod si, eodem Bernardo teste, Christus pascitur escis, quibus libenter vescitur, profectibus nostris velut liliis, & gaudium Domini est fortitudo nostra, simul nos suo gaudio Spirituale reficiens, & de nostro æque spirituali profectu gaudens; quæ obsecro Spiritus sui dulcissimi pascua, quas refectiones mentis, quæ cordis gaudia expertum fuisse credimus hunc cœlestem Sponsum, dum Matrem dilectissimam quotidie magis ac magis, Spiritu Sancto, qui tarda nescit molimina, afflatam magnis passibus de virtute in virtutem gradientem, & spirituales profectus, novis profectibus cumulantem, gratiæque Divinæ incrementa novo semper ardore charitatis capientem contemplabatur? Illius nimirum sunt verba illa, admiratione spiritualis gustus lætitiáque, ob tam eximios dilectissimæ Matris in omni virtute progressus plenissima: *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis?* Cant. 7. v. 1. Quod elogium fusiùs explicavimus Par. 1. Disc. 21. n. 114. Quibus addenda videtur explicatio Cardinalis Halgrini, qui in illo mirificam puritatem liliique candorem expressam reperísse visus est; dum ait: *hæc sunt verba Filii, qui ad Matris laudes iterum assurgit, ostenditq; quod meritò sit desiderabilis ad videndum. Erat enim cincta bysso, & calceata hyacintho. Idem dicuntur gressus ejus pulchri in calceamentis. Nam cogitationes ejus & opera, decore spiritualis devotionis, & intentionis, velut pedes in calceamentis hyacinthinis resplen-*

Christus pascitur liliis i. e. profectu in virtutibus.

talis erat in Deipara, quæ

& alios ad profectum incitat,

præcipuè in castitate

debant, & quia erat cincta bysso castitatis, & Virginitatis adstricta baltheo, ideo junctura femorum suorum non tantum dicitur casta, vel pulchra, sed etiam castitatis monitoria, propter quod monilibus comparatur, quæ dicuntur monilia, quasi castitatem monentia. Nam ad continentiæ munditiam, ipse per exemplum nos commonet & invitat. Hæc autem monilia dicuntur fabricata manu artificis. Nam Artifex Spiritus S. in femoribus ejus hanc juncturam, hanc munditiam, hanc castitatis prærogativam fabricavit, ut nullũ carnalis concupiscientiæ fomitem per superveniente rorem cælestis gratiæ habuerit. Hæc Halgrinus. Quibus satis luculenter ostendit Deiparam hujusmodi castitatis purissimum lilium extitisse, quod non modo in se candidum extitit, verùm etiam alios ad puritatis, candorem sivè conservandum, sive recuperandum, in eóque magis in dies proficiendum admonebat.

20. Observandum porrò quod pulchri hi gressus in calceamentis dicantur, quibus exempla demortuorum sanctorum Patrum indicantur, quorum Virgo virtutes imitando, & quasi vestigiis insistendo ibat de virtute in virtutem, puritatémque suam magnis cumulabat incrementis. Et licet Virgo Deipara virtutes, morum innocentiam, vitæque puritatem antiquorum Patrum summopere fuerit æmulata, in eáque in dies quam plurimum profecerit; æmulata tamen est vel maximè suum Dilectissimum Filium in morum integritate, candoréque Virginitatis, quam æmulationem in ea agnoscens Sponsus cant. 7. v. 1. postquam se lilium esse professus est. *Ego,* inquiens, *flos campi, & lilium convallium;* mox eandem Sponsam ob imitationem sine dubio ipsius puritatis, Lilium appellavit; *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hinc B. Petrus Card. Damian. serm. 3. de Nat. B. V. postquam dixisset Deiparam Virgam esse egredientem de radice Jesse, juxta Isaiæ c. 11. vaticinium, de cujus radice flos ille cœli pulcherrimus erat ascensurus, ut ostenderet puritatem Virginis Filio ex puritate potissimum intentionis esse Gemellam, mox hæc attexuit. *Et benè hæc incomparabilis Virgo Virga dicitur, quæ & per intentionem desiderii ad superna emicuit, & per sinceritatem boni operis distortæ nodositatis vitium non incurrit; quod videlicet Protoplastorum scelere in humanam jam corruptam naturam emanavit. De qua Virga Redemptor noster, quasi flos ascendit, qui Martyribus & Confessoribus suis totius orbis campos velut rosis & liliis decoravit. Singularis námque flos Sanctæ Ecclesiæ ipse est, sicut de semetipso in canticis loquitur: Ego Flos campi & lilium convallium.* Hoc lilium non in montibus, sed in convallibus nascitur, quia superbis DEus resistit, in humilium cordibus invenitur. Ut porrò Virginem Matrem lilium in puritate vitæ, castitatéque per similem Filio extitisse demonstret, mox subintulit. Lilium vocatur Christus, Lilium dicitur & Mater Christi, uti ibidem subinfertur: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut lilium inter spinas, sic B. V. Maria enituit inter filias, quæ de spinosa propagine Judæorum nota, candescebat munditia Virgineæ castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente, & fragrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis.

21. Quare jure merito considerata hac liliorum comparatione inter filium, ejúsque Dilectissimam Matrem dicendum nobis est, quod quemadmodum ipse absque ulla originaria labe cum candore origina-lis

Maria proficiebat exemplo antiquorum Patrum,

sed magis exemplo filii.

Maria est Virga de radice Jesse.

Lilium convallium

Conceptio immaculata Mariæ deducitur ex Concept. Filii.

lis justitiæ, atque innocentiæ conceptus est, ita quoque conceptam singulari privilegio ejus præservante gratia ipsius dignissimam Parentem. Ut enim ex hispida spinosáque planta absque spinis Rosa pullulat, & inter vepreta Lilium sine sentibus candicat, & aspectum odoratúmque mira perfundit recreátque jucunditate; sic ex tot peccatoribus sceleratísque Judæis velut pungentibus spinis, ac vepretis orta fuit sancta, omníque originalis peccati expers maculâ Beatissima Virgo, uti ostensum Disc. præcedenti. Audiendus hic interim Petrus Galat. lib. 7. de Arcan. c. 5. qui locum illum: *sicut lilium inter spinas &c.* ex Hebræo textu sic legisset: *sicut Rosa inter spinas, sic amica mea inter filias;* sic interpretatus est: *Quemadmodum Rosa speciosa & odorifera, ex qua multa conficiuntur aromatica, nascitur inter spinas, ipsa tamen spinis carens: ita amica mea nata est inter fœminas in Originali peccato conceptas, tanquam Rosa inter spinas, ipsa tamen ejusdem peccati expers fuit. Ipsa vero respondit: sicut Malus inter ligna sylvarum, sic Dilectus meus inter filios.* Omnium autem rationum conclusio tangitur de Messia & Matre ejus, Cant. 6. *Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi*, sensus est: ut ego absque originali peccato concepta sum, ita amicus quóque meus. Item Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo*, in Incarnatione; *Nardus mea*, id est conceptio mea absque peccato Originali effecta, *dedit odorem suum*, puritatis scilicet & innocentiæ: Deníque Cant. 2. *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Si Christus igitur Levam sub capite Virginis tenebat, & dextera illius eam amplexabatur, impossibile est illum eam in peccatum Originale cadere permisisse.*

22. Comparationem hanc lilii spinis circumsepti inter DEI Filium ejúsque Matrem beatissimam eleganter descripsit Venerabilis Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. ubi incarnatam sapientiam ita Matrem alloquentem introducit, ostendítque non modò Matrem esse lilium spinis circumdatam, verùm etiam & seipsum. *Tu dulcis ô amica mea: Pulcher ego sum & decorus, nam ego Flos campi & lilium convallium decus generis humani, & honor parentum humilium, Patrum Spiritu pauperum, scilicet Abrahæ, Isaac; & Jacob, David quoque & cæterorum, qui etsi meritis, montes mente convalles fuerunt; etsi divites censu, pauperis Spiritu extiterunt. Illorum ergo decus vel pulchritudo sum, verè flos, verè lilium, quia speciosus forma præ filiis hominum, quam videlicet formam taliter, ut ego, nullus habet filiorum hominum. Lilium quippe lactei floris est herba, cujus dum candor sit in foliis, auri tamen species intus effulget. Ita flos campi, sive lilium ego sum: flos lactens puer mundissimus: flos inquam & castitatis lilium; cujus cum caro sive humanitas exterius satis munda sit; Divinitatis tamen species intus incomparabilis est.* Tum Virginem sic differentem facit: *Quid aliud Dilectus diceret?* Nunquid me dicente; tu pulcher es Dilecte mi & decorus, ipse aversaretur, & ita deberet esse humilis, & mitis corde ut veritatem suimet conaretur abigere! Hoc impossibile est, imò si nos negaverimus eum, ait quidem ille fidelis permanet, & seipsum negare non potest. Unde antequam homo fieret dixit: videte quod ego sim solus, & non sit alius DEus præter me. Et hic jam homo factus dixit: *Ego Flos campi & lilium convallium.* Ait autem & mihi hic testis fidelis quam & supra semel & iterum pulchram esse declamavit: Sicut lilium inter spinas &c. hoc restabat dicere, quod

Christus lilium convallium ab humili progenie descendens.

Maria similis Filio

 reve-

revera pulcher ipse, & quod ego ad similitudinem ejus pulchra sim. Cùm ergo dixisset: Ego Flos campi & lilium convallium, protinus & mihi fidele perhibens testimonium: sicut lilium inter spinas. Et ubi jam, & quando lilium istud, lilium convallium inter spinas? Nimirum in Judæa, quando toleravit tot, & tantas impiorum blasphemias, sustinuit probra, alapas, flagella, coronatus insuper coronâ spineâ. Sic quondam Pater Abraham levans oculos vidit post tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro Filio. Aries ille animal innocuum, præfigurabat istud innoxii candoris lilium: vepres illi blasphemias, & maledicta Judæorum: post tergum Abrahæ, quia nondum venerat, sed venturus erat iste Flos campi, sive istud lilium convallium suo tempore. Igitur sicut illic inter detractiones sive accusationes Judaicas lilium inter spinas; sic inquit, & amica mea inter filias non Jerusalem, sed absolutè hæreses vanas & vagas. Filiæ námque cum absolutè dicuntur, ferè nusquam significationem bonam habent, ut illic: *Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperaverunt eum, & jurgatæ sunt, inviderunt illi habentes jacula.* Itáque & spinæ, & filiæ blasphemiæ sunt Judæorum, sectæ sunt hæreticorum. Quæcúnque hujusmodi spinæ laceraverunt me, ipsæ & amicam meam laceraverunt, quæcúnque hujusmodi filiæ tibi inviderunt, & mihi detraxerunt. Ubi ego spinis compungebar, imò & clavis configebar, tu præsens patiebaris mente convulnerata, & ubi tuæ Virginitati à Filiabus derogantur, mihi quóque invidiosè detrahitur. Verùm sicut ego spinas pertuli quidem, sed superavi, ita & de te veraciter prædicabitur, *quia cunctas hæreses interemisti.* Hæc Rupertus. Quæ sanè omnia nobis mirificè ob oculos proponunt,

Filius passus tanquam lilium inter spinas.

Maria eidem compassa.

quanta puritatis, omnísque labe carentis innocentia, quanta item tolerantiæ dolorum tribulationúmque in hoc sæculo inter hæc duo Divinissima lilia intercesserit similitudo, quod ideò divinitùs factum arbitror, ut sicut in reliquis omnibus Mater Filio, sic quoque in Lilio præsertim in immaculata sua conceptione, in persecutionum, oblocutionum, átque detractionum tolerantia similis, conformísque inveniretur. Unde præclarè S. Bernardinus Senen. Tom. 2. serm. 30. p. 3. c. 2. *Mens*, inquit, *cui detrahitur, Lilio spinarum compunctionibus tacto, meritò comparatur, dum dicitur* Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea, inter filias.* Lilium nempè spinis plùs redolet munitum. Jam verò attactum & attritum seu contractum, fœtet: sic utique justus linguis detrahentium punctus plus redolet, si æquanimiter portat. Si verò impatiens est, atque confractus, & ab inceptis desistit, fœtet. Hinc Petrus Damianus ait: *Virum fortem excitat ad virtutem exercitium alieni laboris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit invidia detractorum. Jacob qui in baculo suo Jordanem transierat, non rediisset cum duabus turmis, nisi eum invidia Esau agitasset. Joseph etiam non imperasset Ægyptiis, nisi ipsum fratrum invidia vendidisset. Scriptum quippe est: Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet.* Unde Seneca: *Invidiam ferre, aut fortis, aut fælix potest.* Hæc Bernardinus. Ex quibus colligimus, Virginem & lilium multis detractionum ceu spinarum aculeis punctum extitisse, & fortem ac fœlicem in tantis tribulationibus permansisse.

Is, cui detrahitur, lilium est inter spinas.

Sic Deipara.

23. Virginem purissimam esse Lilium fatetur Dionysius Richel. art. 8. in Cant. Ipsa instar lilii præclarè venustat corda humilium: Ipsa suavissima, & incomparabilis Virgo Deifera,

Maria lilium convallium virtutibus ornatum.

Deifera, est lilium convallium, id est, proles floridissima suorum parentum humilium, à quibus velut speciosissimum lilium exorta, nec Salomon in omni gloria sua ita ornatus fuit, ut lilium istud: Et sicut lilium est flos crescens in altum, & tamen repanda ac dependentia folia granáque aurea habens: sic optima amabilissimáque Virgo crevit in omnium arcem virtutum, & nihilominùs excellentiam virtutum, per humilitatem depressit, fide quóque, spe, & charitate, ac donis Spiritûs S. tanquam aureis granis ornatissima extitit; quæ sanè ornamenta omnia purissimo huic, animatóque lilio in primo immaculatæ conceptionis momento communicata fuisse à cœlesti Sponso credenda sunt. Unde idem Dionysius art. 5. in Cant. de hiscè cœlestibus ornamentis castissimæ huic Sponsæ in conceptione ejus purissima communicatis ita loquitur: *Sponsa singularis & singulariter unica, atque ineffabiliter prædilecta Sponsi cœlestis, est Virginea & purissima Mater ipsius, ab ipso Sponso unigenito Filio suo, fide illuminatissima desponsata, spe certissima subarrata, charitate ferventissima amplexata, copiosissimè, per exuberantissima gratiarũ charismata fœcundata. De hac gloriosissima & incomparabili, dignissimáque Virgine, ab æterno in veram veri Dei Matrem prælecta certa fide tenendum censemus, quod multo excellentius fuit sanctificata, ac Spiritu S. repleta in utero Matris suæ, quam gloriosus Joannes Baptista, de quo Gabriel Angelus prænunciavit: Spiritu S. replebitur adhuc ex utero Matris suæ:* Aut Hieremias, cui locutus est Dominus: priusquam te formarem in utero novi, & antequã exires de ventre sanctificavi te, aut quispiam aliorum, si qui fortè in utero sanctificati fuerunt, ipso Sponso incomparabiliter Sancto excepto. Et sicut incomparabilis ac mundissima Virgo fuit præ cunctis in utero Matris supernis charismatibus repleta: ita mox, ut ratione uti cœpit, assiduè in eisdem præ omnibus illis profecit, sícque quo excellentiori puritate mens ejus prælecta coram altissimo radiavit, & quo ad proficiendum in omní virtute ac sapientia, vigilantior, instantiórque fuit, eo iminentiùs ac munificentiùs omni hora à Spiritu S. ungebatur, illuminabatur, accendebatur, átque incomparabiliter crescebat.

In conceptione immaculatum.

Maria virtutibus exaltata supra omnes sanctos.

24. Erat nimirum Virgo ex illis Justis ac sanctis, imò eorum caput, ac Regina, quorum semita quasi lux splendet, usque ad perfectum diem. Hujus enim Virgineæ Dei, nec ipsum principium sive Aurora ipsius videlicet immaculata conceptio ullis vel tenebris, aut nubibus obfluxata fuit; de illa enim locutus fuisse visus est David 2. Reg. 23. v. 4. *Sicut lux Auroræ oriente sole manè, absq; nubibus rutilat.* Hinc S. Vincentius Ferr. ser. de concept. B. V. ait: Mariæ conceptio sine tenebris fuit. *Quare Virgo jure candidissimo lilio inter spinas pullulanti in sua purissima conceptione comparatur, quia quemadmodum Flos hic nulla prorsus nigredine spinarum circumjacentium offuscatur, ita Virgo nullum vel tenuissime atrorem culpæ ab humana natura, quæ tota post lapsum Protoplasti spina, tota vepretum, ac senticetum quoddam teterrimum evasisse visa est, contraxit.* Unde Petrus Riga de hoc lilio inter spinas suo M. S. in Cant. ita cecinit.

Maria dies perfecta, cujus etiam aurora seu conceptio immaculata.

Ut Flos hic inter spinas candore nitescit:
Sic dignis meritis super omnes sponsa diescit.

Ubi tacitè videtur innuere Virginem Beatissimam figuratam esse in una ex illis Filiabus Jobi, quarum prima vocabatur dies, & clarissimam ipsius meritorum, virtutum, gratiarúmque lucem, qua velut meridies, sive per-

Dies Jobi Filia figura Deiparæ.

perfecta dies semper in hoc mundo, ab ipso suo in hanc vitam exortu radiavit, totúmque terrarum orbem mirificis suis splendoribus illustravit. Unde hoc ipsius immaculato lucidissimóque totum orbem irradiante conceptu jure canit Ecclesia: *Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.*

Deipara Aurora.

25. Auroram porrò sole justitiæ gravidam, ac proinde caliginis omnis cujuscúmque tandem peccati expertam Deiparam in sua conceptione, atque Nativitate extitisse insinvare visus est Venerabilis Hugo de S. Victore in Inst. Monast. ser. 34. *Beata*, inquiens, *V. Maria Aurora fuit, quia & præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat, finis extitit, & vera lucis, gratiæ, solísque justitiæ, qui ex ipsa progenitus est, Præventrix & antelucanum sydus fuit. Totum námque tempus, quod ab Adam usque ad ejus ortum præcessit, quasi nox extitit, nox longa, obscura, frigida, otiosa, torpida, somniculosa, tacita, imò muta fuit. Nox absentia veræ lucis, longa, diuturnitate temporis; obscura, tenebrositate infidelitatis; frigida, defectu charitatis; torpida ab exhibitione boni operis; somniculosa oblivione Beatitudinis; tacita à voce veræ confessionis; muta, à cantico Divinæ laudis.* Exceptis quippe paucis personis, quæ præcedenti tempore populum illum antiquum de suis pravitatibus castigabant, & Mysterium futuri Salvatoris, Ecclesiæque, more Gallorum, diem nocte præcedente prænunciabant, totus penè mundus silentio, somnóque premebatur, ut cap. 18. dicitur: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter ageret, omnipotens sermo tuus Domine, à Regalibus sedibus venit. Quædam tamen astra radiis suis tempus illud irradiabant, quia S. Patriarchæ, & Prophetæ, suis virtutibus ignorantiam populi illustrabant. Quorum radii posteà, hac Aurora apparente quodammodò obfuscati sunt, quia in comparatione B. M. præcedentes Sancti parvam claritatem habuerunt; quid enim fuit innocentia Abel, justitia Noë, fides Abrahæ, longanimitas Isaac, tolerantia Jacob, continentia Joseph, Mansuetudo Moysis, fortitudo Josue, charitas Samuelis humilitas David, Zelus Eliæ, abstinentia Danielis, eximia sanctitas. B. Joann. aliorúmque virtutes sanctorum in comparatione B. Mariæ? Beata igitur V. M. Verè Aurora clarissima fuit, quia videlicet nil tenebrarum illius culpæ admixtum habuit, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minoravit.* Hæc Hugo. Quibus sanè Deipara & fulgentissima Aurora Divina luce orbem irradians, *& lilium virtutibus meritísque diescens*, ut loquitur Riga, in conceptione sua fuisse comprobatur.

Nox ante adventum Christi in mundũ.

Sancti antiqui testamenti stellæ.

Omnes Sancti Lilio similes: sed super omnes Maria.

26. Quod si Auctore Theophylacto quivis Vir Sanctus pietatis luce resplendens vocitari potest lilium: cum in Ecclesia videris, inquit ille, aliquem bene vivere, & luce virtutum coram hominibus splendere, illum vocato lilium: quanto magis sancta sanctorum omnium sanctissima lilium appellanda erit, quæ cunctis in DEI Ecclesia forma ac regula sanctè vivendi extitit, ita ut aptè suaserit Divus Ambrosius lib. 2. de Virginibus. *Hinc sumatis licet exempla vivendi ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid tenere debeatis ostendunt.* Quanta porrò eadem Virgo purissima luce virtutum coram Deo, hominibúsque resplenduit, qua lucem illam veram quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nobis generavit, quis mente con-

concipiat, quis verbis eloquatur, cujus vel ipsum sanctissimi Nominis Etymon *Illuminatam* ac *Illuminatricem* simul significat.

27. Quod si Israël post tot commissa in DEum summum scelera actâ jam pœnitentiâ audire meruit promissionem à Domino liberalissimam Osee. 14. *Ero quasi ros Israëli*, germinabit quasi lilium, & quasi Divinarum gratiarum rore cœlitus irrigari debuit Virgo illa, quibus & naturæ, & gratiæ dotibus, ac monilibus decorari; quæ ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem erat provehenda; quibus supernis cœlestium charismatum irriguis Terra illa Benedicta fœcundanda, quæ pulcherrimum illud Divinissimúmque lilium erat germinatura? Terræ hujus Virgineæ sanctitatem, fœcunditatémque in Increato hoc generando lilio pervenustè nobis depinxit S. Aug. ser. 6. de tempore: *Videamus*, inquiens, *quæ est illa Virgo tam sancta, ad quam spiritus S. venire dignatus est, quæ tam speciosa, quam Dominus elegit in sponsam; quæ tam copiosa, cujus generationem totus orbis excipiat; quæ tam casta, ut possit Virgo esse post partum. Hæc est immaculata concubitu, fœcunda partu, Virgo & casta perpetuò.* Quibus sane verbis ostendit S. Doctor, Deiparam Virginem ante partum, in partu, & post partum illibatum purissimúmque quoddam lilium extitisse.

Lilium est Christus.

Lilium est omnis Justus: & super omnes Maria.

28. Quòd si etiam quælibet Justa & Sancta anima, ut disserit Hugo de S. Victore in Inst. Monast. serm. 8. lilium est, & ad instar, lilii germinat, ut canit Ecclesia: *Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum*, quantò magis sanctissima ipsa substantialis justitiæ, sanctitatísque Parens Deipara, cui sanè omnes proprietatis lilii ab Hugone explicatæ paucis vel additis vel immutatis longè aptiùs congruunt, ejusdémque nobis mirificam morum integritatem, sanctimoniæ candorem, immaculatámque omnis peccati labe carentem declaravit conceptionem. Prima lilii proprietas inquit ille, quæ sensibus nostris occurrit, viror est. Cernimus etiam Lilium in erectum crescere, nec hac atque illac erectionis suæ statum inclinare. Medicinale est, & habet fibras in radice aptissimè sibi conjunctas. Vestitur hasta baculi ejus, foliísque suis. Invenitur per ramusculos suos sursum quando ad plenitudinem incrementi sui pertingit, pluraliter discretum. Habet florem sexifidum candidum: Intus quibusdam granulis croceum suave redolentem. Est etiam non solum erectum, sed & rectum. Hæc omnia spiritualiter Mariæ congruunt. Viret illa & crescit in erectum. Viror designat fidem, eò quod fides prima sit in virtutibus, sicut viror primum cernitur in rebus germinantibus. Erectio significat spem, per quam erigimus à præsenti sæculo nequam ad Supernorum Spirituum societatem, ad verè beatitudinis plenitudinem, ad æterni Dei contemplationem, sperandam, amandam, desiderandam, quærendam, & inveniendam. Medicinalis est per predicationem, verbi videlicet, non tam prolatio, quam Incarnati, quod ipsa concipiendo ac pariendo toti mundo & Medicus, & saluberrima extitit Medicina. Eamdem medicinam nobis exhibuit variarum impetratione gratiarum, sicut namque medicinæ diversis antidotis, & medicamentis diversæ curantur ægritudines & infirmitates corporum, sic multiplici gratiarum distributione ægritudines curantur animarum. Pharmaca & medicamenta sanant apostemate, & verbum, vel solum Mariæ, ejusque impetrata gratia expellit peccata. Hinc Rich. à S. Laur. lib. 12. de lilii hujus Virginei energia:

Lilii proprietates in Maria.

Mariæ fides, spes, virtus medicinalis.

Maria auxilium & solatium afflictorum, refugium peccatorum.

gia: *Sicut lilium dolores mitigat, & ardores extinguit: sic Maria precibus suis & exemplis in nobis peccatoribus & servis suis quàm maximè noxias refrænat, & extinguit concupiscentias, mitigátque dolores animæ, gratiæ consolationem in eam transfundendo; ut ei verissimè dici possit: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ ò Maria, lætificaverunt animam meam.* Psal. 93. Habet quóque Maria fibras & radices intus unitas, dum concordat in ipsa cogitatio, cogitationi; sensus, sensui; voluntas, voluntati, affectio, affectioni. Sic sibi concordat nec de alio in aliud se transmutat. Et notandum quod folia lilii eriguntur, quia quidquid Maria exteriùs exercebat per actionem, sursum levabat per intentionem. Recta etiam fuit per justitiam, tribuit enim unicuíque, quod suum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ DEI DEO. Pluraliter ramusculos divisit, per multiplicem Spiritus Sancti gratiam. Dum enim diversis donis multipliciter perfusa est, ramos dividere non inconvenienter visa est. Candida fuit Virgo ceu lilium per munditiam. Dum enim ab omni inquinamento mentis & spiritûs præpurgata est, lilii candorem per munditiæ decorem imitata fuit. Sexifida etiam fuit per perfectionem, senarius enim, eò quod constat & perficitur ex partibus suis, perfectionem significat. Grana in flore croceum colorem prætendentia charitatem Virginis figurant. Croceus namque color rutilum flammæ splendorem videtur præseferre. Redolentia quoque lilii bonam exprimit Mariæ famam. Ad similitudinem igitur lilii virebat ipsa per fidem, erigebatur per spem, medebatur per Dei gratiam, vestiebatur foliis, foliis suis per bonam actionem. Sunt & aliæ lilii proprietates sicut quod frigidæ sit naturæ, quo extinctio vitiorum insinuatur. Deníque notanda sunt ac expendenda in sententia illa accurata 4. verba: *Germinabit, florebit, in æternum, ante Dominum.* Germinare enim significat bonam inchoationem, florere consummationem. In æternum, perpetuam Mariæ in bono perseverantiam. Ante Dominum, rectam intentionem, qua ad Creatorem suum Virgo omnia cogitata, dicta factáque syncerè dirigebat.

Mariæ recta intentio, justitia, munditia, perfectio, charitas, perseverantia.

29. Quantus porrò animati rationalísque hujusce lilii candor, quo potissimùm oculi oblectantur, vel in primo suo exortu extiterit, indicat idem Venerabilis Hugo serm. 9. qui totus est, in laudem conceptionis Virgineæ; ubi pulcherrimo illo præmisso sponsi elogio: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* Cant. 4. insigniter Virginei hujuscè lilii candorem, vel ipso primo immaculatæ ejus conceptionis momento extollit: *quis est, qui loquitur,* inquit, *& quæ est, ad quam loquitur? loquitur amicus ad amicam, sponsus ad sponsam, immaculatus ad castam, incorruptus ad integram. DEus ad animam, & ad talem qualis ista fuit, cujus hodiè solemnia celebramus, cujus castitatis irradiamur exemplis. Tota pulchra es, pulchra intus es, pulchra foris. Intus in corde, foris in corpore. Intus rubicunda, foris candida utrobique composita. Rubicunda per charitatem; candida per castitatem, composita per humilitatem. Tota ergo pulchra es amica mea, & macula non est in te. Totum quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum. In toto grata in nullo ingrata, in toto places, in nullo displices. Tota pulchra es. Pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam. Quæ & qualia putamus ornamenta esse, quibus sponsa DEI sic possit decorari, ut sic debeat decor* ejus

Maria Lilium sine macula etiam in conceptione.

tota pulchra & omnibus virtutibus ornata.

ejus commendari? legimus quod Assuerus Rex fecerit puellas ad thalamum suum deductas, ingenti diligentia præparari, balneis lavari, unguentis deliniri, & omnibus quæ decori conveniunt, adornari Est. 2. *Sic DEus, imò multò amplius sponsam sibi præparavit, omnibusque quæ spiritualem formam decorant locupletavit*, Hæc ferè Hugo.

30. Quæ mirificè Virginei ac rationalis, hujusce lilii candorem, puritatémque, omnis peccati expertem, quam Virgo sacratissima in primo immaculatæ suæ Conceptionis instanti consecuta est, nobis repræsentant, nósque ad hunc ejus tam sanctum, purum felicémque in hanc vitam exortum venerandum, colendúmque, ut de ipsius pietate, ac misericordia Deiparæ, déque ejus fidelissimo in universum humanum genus apud Deum patrocinio, sileam, quasi admotis quibusdam facibus accendunt atque inflammant. Quod agnoscens Sixtus IV. Pont. Max. luculentissimum decretum edidit, quo omnes Christi fideles ad diem festum immaculatæ Conceptionis B. V. colendum, amplissimis de thesauro Ecclesiæ depromptis, propositisque indulgentiis, invitantur; ut ita dignissimæ Virginis innumeris penè obligationibus, quibus ob tot nobis exhibita beneficia adstricti sumus, aliqua ratione satisfaciamus. Sed ipsius summi Pastoris verba, quia gravissima sunt, audiamus: *Cum præ excelsa meritorum insignia, quibus Regina cælorum, Virgo DEI Genitrix gloriosa, sedibus prælata æthereis, syderibus quasi stella matutina perrutilans, devotæ considerationis indagine perscrutamur, & intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa utpote via misericordiæ, Mater gratiæ, & pietatis amica, humani generis Consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix, & pervigil ad Regem quem genuit intercedit; dignum, quin potius debitum reputamus, universos Christi fideles, ut Omnipotenti Deo (cujus providentia ejusdem Virginis humilitatem ab æterno respiciens pro conciliando suo Autori humana Natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, tam sui unigeniti habitaculum S. Spiritûs præparatione constituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis, pro redemptione populi sui assumeret, & immaculata Virgo nihilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta propterea in Ecclesia Dei Missas, & alia officia dicant; & illis intersint, indulgentiis & peccatorum remissionib⁹ invitare, ut exinde fiant ejusdem Virginis meritis, & intercessione Divinæ gratiæ aptiores.* Sic ille.

Sixti IV. Pont. Max. Constitutio pro festo Immac. Concept.

Merita B. Virginis in Ecclesiam

31. Et sanè meritò docet Beatissimus Pater pro immaculata Virginis mira Conceptione fidelibus Deo gratias agendas, eisdémque peccatorum remissionem indulgendam, cum hæc sanctissima Deiparæ conceptio initium nostræ salutis, extinctionísque nostrorum scelerum extiterit. Quamobrem etiam ex hoc capite merito jure Virgo nostra lilio confertur, cujus radix miranda pollet energia contra serpentium ictus ac venena, ut testatur Plinius lib. 21. cap. 19. *Radices*, inquiens, *lilii multis modis florem suum nobilitaverunt contra serpentium ictus ex vino contra serpentium venena.* De lilio ita loquitur Dioscorides lib. 3. c. 116. *Lilij Regii flos coronarius est: Herbæ folia imposita serpentium morsibus opitulantur, fervefacta quoque ad ustis proficiunt: aceto verò condita vulneribus prosunt. Lilium ulcera in capite manantia extergit, faciémque purgat simul & erugat. Semen ejusdem potum serpentium morsibus adversatur.* Plures lilii proprietates videndæ apud Bartholoma-

Lilii proprietates & virtutes.

lomæum Anglicum lib. 17. de propriet. rerum cap. 91. & Matthiolum, aliósque rerum naturalium Scriptores. Quas omnes prosequi longum foret, & à nostro instituto alienum. Illam unicam proprietatem hic considerasse sufficiat, radicem nempe lilii valere contra serpentium ictus ac venena. Hanc nos lilii nostri radicem cum P. Antonio Spinello in Throno Deip. cap. 7. Immaculatam ipsius Conceptionem appellamus: *Radix hujus lilii Virginis respondet Conceptioni.* inquit ille, *quæ totius vitæ velut radix est, & principium. Ex quo facilè colligimus ipsam quæ delecta erat ad gignendum eum, qui Dæmonum venena curaturus advenerat, omnis veneni, singulari Dei privilegio in Conceptione expertem fuisse. Ideóque inter sacratissima mysteria vitæ Deiparæ, Conceptio ejus ab eadem Ecclesia populo Christiano celebranda proponitur. Fideles enim ad ipsius opem confugientes per hanc Conceptionem tanquam per mysticam lilii radicem, à veneno, & peccati contagine liberam, contra Tartarei serpentis ictus, ac tentamenta remedium à Deo sibi impetrandam existimant.* Hæc Spinellus.

Ejus radix valet contra serpentes & venena.

Applicatur ad Immac. Concept.

32. Nec mysterio vacat id, quod dicit Plinius radicem lilii ex vino contra serpentium ictus ac venena magna virtute pollere. Cùm enim vinum in sacris literis preciosissimum Christi sanguinem significet. (Unde Jacob de Ecclesia, quæ est ipsius stola ac pallium cruoris Dominici lavacro abluenda, loquens, ajebat Gen. 49. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum,*) cujus meritis omnis Deiparæ & sanctorum intercessio pro peccatis nititur, clarè nobis insinuatur patrocinium meritáque Virginis immaculatæ pretiosissimo Christi sanguini unita, præsentissimum antidotum esse, ad peccata nostra, quæ verè serpentum morsus, ac venena dici possunt expianda. Unde in supra memorata Bulla Sixti IV. iis, qui in immaculatam Deiparæ Conceptionem die anniversario celebrant & colunt, peccatorum indulgentiæ Apostolica liberalitate ex thesauro meritorum sanguinis Christi deprompta conceduntur.

Patrocinium & cultus Deiparæ immaculatæ cum Christi sanguine remedium, contra peccata.

33. Illud quóque consideratione dignum est, quod memorat Dioscorides: Lilium ulcera in capite manantia extergit, faciémque purgat simul & erugat. Hæc ego capitis ulcera superbiæ, ambitionísque dixerim esse vitia, quæ facilè curantur considerata Virginis nostræ humilitate, quam etiam Matris conclusa visceribus in primo immaculatæ suæ Conceptionis instanti prætulit, dum, ut ait Theodoretus, suum canticum in gratiarum actionem, ob Divinam illam à peccato Originali præservationem Domino modulata est. Cum enim dixit: *quia respexit humilitatem*: seu ut legunt alii, *Nihileitatem, Ancillæ suæ;* quid aliud quam nihilum coram Divinis oculis se esse confessa est, cum tamen eodem momento se ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem provectam esse agnosceret. Fecit Virgo nimirùm quod lilium facere assiduè videmus radicem unde exorta est, nihilum suum videlicet tunc aspexit, idem semetipsum despexit & Ancillam vocitavit. Unde Rich. à S. Laur. lib. 12. de laud. B.V. *Flos lilii,* inquit, *quod plus mirabile est, suam respexit ad radicem, & in altum evadens infima sui non obliviscitur. Hæc est humilitas Mariæ, quæ nec de radice nobili, nec de tribu Regia, vel sacerdotali, nec de Cardinalibus virtutibus, nec de charitate, nec de castitate, vel commendabili opinione, vel corporali pulchritudine, vel gratiæ plenitudine, vel Angelica salutatione, aut ministerio Angelorum, vel Domini Conceptione maniter exultavit, sed quia*

Maria humilitas antidotum nostræ superbiæ.

quia humilitatem ejus respexit Omnipotens, juxta illud Eccl. 3. *quanto major es, humilia te in omnibus.* Sic ille. Videbat nimirum; Virgo humillima in illa sua radice horrendam deformitatem, abominationémque peccati Originalis, videbat inimicam se futuram Deo filiam iræ ac perditionis, mancipium Sathanæ, nisi Dei ipsius manu omnipotentissima à miserando illo lapsu fuisset sustentata, ac præservata, & hæc radicis suæ consideratio eam caput inclinare, & sub potenti manu Dei humiliari compulit. Quæ sanè Virginis humilitas æqua rationis trutina ponderata, qui fieri potest, ut intumento nostro capite, ventosáque cucurbitâ ulcera superbiæ ambitionísque sanie manantia non extergat?

Vita Mariæ speculum & exemplum nostrum

34. Idem lilium hoc Virgineum faciem purgat simul & erugat. Et verò quisquis immaculatam Deiparæ Conceptionem, quæ ab Ecclesia Patribúsque communiter speculum sine macula vocitatur, considerat, faciem animæ suæ fœdam variis vitiorum maculis ac defectionibus conspurcatam, rugis exaratam, senióque spirituali, ob teporem, ac languorem in via virtutis contractum, confectam, ac deturpatam agnoscat simúlque aversetur necesse est. Unde idem nobis evenire oportet, quod beatissimis illis mentibus, quæ ut loquitur S. Aug. lib. de civit. Dei, præ ipsius Dei non solùm incorporali, sed etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, omnia quæ infra sunt & quod ille est, non sunt, séque ipsas inter omnia despiciunt, ut ex toto, quo boni sunt perfruantur, evadentque pulchriores adeò ut impossibile sit beatissimos illos spiritus de ligno vitæ, quod Divinam essentiam esse dico, comedentes, ulla senectutis vitia, uti sunt rugæ ac languor in omnem æternitatem experiri.

35. Agnovit Immaculatam Virginis Conceptionem speculum purissimum esse, ad nostrarum animarum facies à labe præsertim libidinis emaculandas peridoneam. Magnus Ille rerum spiritualium Magister Joannes de Avila, qui inter reliqua amuleta, ad obscœnas cogitationes, quæ animæ nostræ faciem nimiùm quantùm fœdare consueverunt, repellendas, suadet recurrendum ad Daiparam, eamdémque per ejus immaculatam Conceptionem obsecrandam, ut nos à turpissimis istis fœdarum cogitationum maculis liberare dignetur. Quæ brevis deprecatio à pluribus in occurrentibus hujusmodi tentationibus identidem usurpata, veluti lilii radix ipsorum faciem mentis purgavit erugavítque, & juventutem quandam aquilæ restituit; réque ipsa experti sunt Immaculatam Virginis Conceptionem non modò lilii radicem esse, verùm etiam lignum vitæ, cujus fructus ad primigenium vigorem juventutis reparandum seniúmque eliminandum erat idoneus. Unde Salomon de hac increatæ sapientiæ Matre loquens Prov. 3. *Lignum vitæ,* inquit, *est qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Quæ verba de Virgine etiam gloriosissima intelligenda esse docuit Venerabilis Rich. à S. Laur. ut alibi fusius dictum est. Verè enim peculiaris affectus ac devotio erga immaculatam beatissimæ Deiparæ Conceptionem, Lignum vitæ dici potest, siquidem in nobis florentē vegetámque animi mentísque juventutem conservando non modo nos à morte peccati (quæ prima dicitur) dum vivimus, verùm etiam ubi hinc emigramus ab æterna morte, quæ est Mors secunda, divina plane virtute, ne pereamus, præservat, perennémque nobis beatitudinem pollicetur. Quod piissimus in Virginem Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & dignit. Deip. art. 29. intelligens ita illam affectu plane ardentissimo

Cultus Immac. Concept. amuletum castimoniæ.

Cultus Immac. Conceptionis est lignum vitæ.

simo pro adipiscenda hujusmodi gratia deprecabatur. *O Maria dulcis Domina, mens mitissima, Virgo affectuosissima, Materq; benignissima, auge quæso in me tuæ dignitatis contemplationem atque fervorem. Donet me tibi Filius tuus; quoniam sicut omne, quod ipsi dat Pater, non perdit ex eo, sic utique nullum eorum, quos tibi Filius donaverit perdis, nec perimi sinis.*

Lilium docet nos aspirare ad cœlestia.

36. Qua in re Virgo nostra non modò se lignum vitæ, verùm etiam lilium nobis exhibet. De quo Bartholomæus Anglicus loco supra citat. ait: flores lilii in summitate stipitis prius esse virides, postmodùm decocto, ac digesto humore, quem à radice trahunt albescere, atque ita se se flores in superioribus expandere ac dilatare, ita ut ad cœlum aspirare videantur. Unde aliqui lilium; inquit idem Auctor, intellectui humano comparârunt, qui in fine solicitatur de æternis.

37. Hinc Gualterus Paulus in Hymnis illis perelegantibus, quibus animus à terra salit ad DEUM, fœlicibus auspiciis Imperii Ferdinandi III. dedicatis, de lilio, aliísque floribus ad cœlestia innata quadam sibi spe aspirantibus, ingeniosè tamen modulatus est:

Est versus astra florum.
Nativa quædam charitas:
Horum parens amorum,
Est alma cœli claritas.
Hiantibus labellis.
Vides oriri flosculum,
Libare velle stellis,
Flores videtur osculum.
Vel ore hiante solis.
Haurire velle flammulas,
Sic sunt labella prolis,
Matris procantes mammulas.
Ut oris est anheli!
Ut astra spirat lilium!
Hoc ore nomne cœli
Se dicit esse Filium.
Quando virente in horto
Uror sacris ardoribus
Has flammulas reperto
A liliis & floribus:

Et tale nimirùm lilium ad cœlestia ad immortalitatem indesinenter aspirans atque anhel.., fuit Virgo nostra; semper en... mens ejus ab ipso primo suæ vitæ exordio ad cælestia æternáque sese attollebat, ad illa dilatato cordis sinu anhelabat, ita ut ejus conversatio tota in cœlis esse videretur. Hinc Rich. à S. Laur. lib. 12. *Sicut lilium totum quod habet odoris & decoris, fructus & amœnitatis transmittit ad summum, & collocat in capite suo: sic Maria Deo, Trinitatis quidquid boni habet, attribuit, dicens: Fecit mihi magna qui potens est; quasi diceret cum Apostolo,* 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum.* Et hoc facit exemplo Filii sui, Patri à quo habet originem totum attribuentis. Unde ipse aiebat. *Pater omnia mea tua sunt.* Joann. 17.

Deipara omnia refert ad DEum.

38. Eundem affectum eadem Virgo ingenerat omnium cordibus, in quibus suæ pietatis devotionísque radices misit extendítque omnibus illa spem solicitudinémque æternorum proculcatis rebus terrenis, & cum tempore diffluentibus suggerit. Quare non defuère aliqui, qui eam spem publicam vocitandam, & ad instar Nymphæ pulcherrimæ, manu dextera lilium prætendentis, ut in Romanorum Imperatorum nonnullis nummis videre est, cum epigraphe; *Spes Publica; sive Spes Augusta; sive* denique: *Spes Romani populi,* pingendam censuère. Licet enim flores omnes, spei symbola esse possint; lilium tamen præ cæteris omnibus palmam fert, ut observavit Pierius Valerianus lib. 55. Hierog. Unde Anchises apud Virgilium Æneid. 6. agnoscens Marcellum illum, in maximam olim spem gloriæ

Maria docet nos spem cœlestium ipsa est spes publica.

riæ; populum Romanum adducturum ita cecinit:

Nec puer Iliaca quisquam de gente latinos
In tantum spe tollet avos.

Tum paucis intercalatis.

Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.

Quare jure merito rationale hoc lilium Virgo nostra, cœlestis Paradisi, Nympha inter omnes cœlites pulcherrima, ob spem æternæ beatitudinis, quam assiduè suo apud Deum patrocinio atq; intercessione animis nostris ingenerat, atque augescit: *spes Publica, spes Augusta, spes Christiani populi* nobis nuncupanda est.

39. Unde S. Mater Ecclesia præclarissimo nobis prælucens exemplo, eam vitam, dulcedinem, nostrámque spem jure meritissimo consalutavit. Quem titulum sanè celeberrimum P. Franc. de Retza ordinis Prædicatorum illustre decus in M. S. Tomo. 1. in Salue Regina accuratiùs expendens: Hic, inquit, Virgo Beatissima speciali præconio extollitur à maternali & singulari confidentia, & quasi præsumptione, quod nobis statum salutis largiatur. Probat inde meritò Deiparam spem nostram salutari. Nam secundum D. Isidor. lib. 8. Orig. c. 2. *Spes*, inquit, *vocata est, quod sit spes progrediendi, quasi dicat, est Pes. Unde contrarium desperatis, deest enim ibi pes, nulláque progrediendi facultas est; quia dum quisque punctum amat, futuram gloriam non sperat.* Sic Isid. Hinc Prov. 25. ait Salomon: *Pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* Quia sicut pes lassus, nec potest corpus sustinere nec portare, ita spes de homine infideli, in nullo potest indigenti suffragari. Econtra spes de homine fideli concepta, est pes firmus ad fulciendum corpus, & progrediendum. Sicut pede sistitur totum corpus & sustentatur, & pede corpus graditur, & portatur, quia pes est corporis fulcimentum ac sustentamentum & progrediendi instrumentum: sic nec homo moraliter in bono stabilitur, nisi spe fulciatur; nec in via Dei progrediendo proficit, nisi spe ducatur & dirigatur: Tolle spem & perdidisti standi, & progrediendi in virtute facultatem. Benè enim S. Aug. serm. de verbis Apost. serm. 81. *Viator ambulando ideò laborem tolerat, quia pervenire sperat. Tolle illi spem perveniendi, & franguntur continuò vires ambulandi.* Talis pes firmus, & verè Divina spes nostra est nobis Virgo Maria, quæ ut pes nobis præstat standi firmitatem. Quod nobis in figura Exo. 26. ostensum videtur, ubi jussu Dei præcipitur, ut omnia vasa tabernaculi collocentur super bases suas, ut columbæ, tabulæ, mare æneum &c. Omnia igitur vasa templi super base sua collocabantur, quia omnes Ecclesiæ status super spem Virginis beatissimæ fundantur, à qua sola omnia sustentantur, *quæ portat omnia verbo virtutis suæ*. Hebr. 1. videlicet suo unigenito Filio, qui est ipsius virtutis causa atque origo. Prætereà sicut pes totum corpus sustentat: ita V. Beatissima totum Ecclesiæ militantis corpus fulcit & sustinet. Sicut enim tota Ecclesia passionis Christi tempore in hoc solum pede stabat, cum omnes Apostoli relicto Christo fugerunt, & à fide, spe, & charitate ceciderant, ipsis dicentibus, nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel. Luc. ult. ita etiam nunc hic pes totam Ecclesiam firmissimè sustentat. De quo dicitur Cant. 6. *Crura illius sicut columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Columnæ marmoreæ sunt fortitudo & perseverantia in B. Virgine, quæ omnium virtutum compagem solent susten-

Maria spes nostra.

Spes est pes.

Maria est pes, instar basium, quibus insistebant vasa templi.

Hic pes firmat Ecclesiam, quæ tempore Passionis Christi in hoc solo pede stabat.

Maria columna, ejus fortitudo, perseverantia.

tare. Columnæ porrò illæ, ut Ecclesiæ ædificium ferre sufficiant, super bases aureas sunt fundatæ; super charitatem & sapientiam, quæ in auro sunt significatæ. Fortitudo enim fundatur in sapientia ne se præcipitet; & perseverantia in charitate, aliàs ædificium non stabit, sed disycietur. Et sicut columna marmorea fortissimè domum fulcit, ne ruat, ita hic pes, nempè Virgo Beatissima Ecclesiam sustentat & supportat. Unde Siracides. Eccl. 26. 23. *Columnæ*, inquit, *aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Quoniam sicut columnæ aureæ à basi argentea sustentantur, ita aurea charitate erecti, ut columna, veritati doctrinæ, & justitiæ, quasi argenteis basibus innixi, sustentantur pedibus hujus mulieris stabilissimæ, *cujus bona sunt stabilita in Domino.* Eccl. 30. Imò hæc singulariter omnes trementes vel paupertate, vel quavis alia quatiente adversitate vacillantes, ipsa ut pes sustentare solet, & ideò dicere potest, cum Job. 29. *Pes fui claudo. Pes claudo extat,* inquit Greg. 19. Moral. c. 67. 68. *qui infirmum portando, & per adjutorium opitulando sustentat.* Et sic patet quod B. V. sit spes nostra, quasi sit spes præbendo fulcimentum, & standi firmitatem. Eadem Virgo est nobis spes dando progrediendi facultatem. Nam nisi ipsius speciali adjutorio quispiam adjuvetur, non poterit in via virtutum procedere, nec in præsentis sæculi flumine pertransire. Hic est ille pes, de quo Psalmista: *In flumine pertransibant pede, quia in flumine fluxus hujus vitæ nemo potest salvus transire nisi pede Virginis B. suffragio, ejusque sustentamento, cujus pes stat in directo in Ecclesia in via recta. Iste pes est in oleo tinctus.* Deut. 33. *Pes butyro lotus* Job. 29. *quia oleo misericordiæ, & butyro gratiæ suæ, est misericorditer nostrorum pedum ne impingant, sed ut progrediantur directius. Ipsa cuilibet nostrum dicente: Custodi legem meam atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis, tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget.* Pro. 3. 20. Est igitur Virgo nostra spes, quasi pes, Virginea hac spe, ejus nimirùm intercessione ac patrocinio confirmati, & vitæ hujus per gratiam, & futuræ per gloriam dulcedinem experimur. Dulcedo enim hæc spe confortatur. Sicut enim infirmus spe industriæ in alicujus periti Medici aliquando de insperata sanitate convalescit, & sanatur juxta illud cujusdam Poëtæ

Maria spes & pes.

Sperat qui metuit: morituros vivere vidi
Spe dulce victores, spe morientem mori.

Et Ovidius in Epistolis.

Spes bona dat vires.

40. Quod porrò bona spes & vires & vitam sæpè sæpiùs subministret, declaravit Seneca Philosophus lib. 4. controvers. cont. 5. ubi meminit cujusdam Filii à Patre abdicati, qui Medicinæ studuit, & domum reversus, invento Parente & noverca infirmis, de quibus jam Medici conclamarunt, rogatus à Patre, ut & se & novercam curaret. Novercæ se curam adhibiturum negavit, eò quod à se sanitatem recepturam non speraret, adhibiturum ipsi, quod bona spe ope Filii recuperandæ valetudinis niteretur. Unde sanitate recuperatâ ajebat Patri: *Non tibi Medicus, sed Filius profuit.* Desiderio laborabas, gratum tibi erat, quidquid meis manibus acceperas, ut primum intravi, recreatus es, quod in te curandum esset adverti. Hæc non modò morbo laborat. Multa sunt dissimilia sexus, ætas, animus. Nihil magis ægris prodest, quam ab eo curari à quo volunt, &

Spes & fiducia infirmi ad medicum conducit ad sanitatem.

Spes nostra ad Mariam.

& in quem sperant, addiderim ego; cum ergo Virgo Beatissima ipsissima spes nostra sit, ipsa vita ac dulcedo, si in eam spem nostram in quacúnque sive corporis sive animi infirmitate, in quavis etiam adversitate singulari in eam pietatem collocaverimus, & firmam hanc in illam spem velut lilium animis nostris inseverimus, & illa veluti pede fulti, in hac peregrinatione usi fuerimus, eximio profectu in virtutibus facto ad beatam patriam perveniemus.

41. Quod si porrò quispiam ex me sciscitetur, quid tandem ab hac nostra spe Virginea sperandum sit? Respondebo illi, cum pio quodam Viro Societ. nostræ, qui cum varia motiva, quæ ipsum ad devotionem erga Deiparam excitandam, excitare possent, conscripsisset, hæc inter reliqua numeravit. Inter reliqua beneficia, quæ ego ab ipsa exspectare & sperare possum, est perseverantia in Divino servitio & virtutibus, est promotio negotiorum ad Dei obsequium & meam utilitatem spectantium; est aversio tentationum moraliter insuperabilium, & fortitudo in superandis iis, quæ immittentur, est dispositio auditorum, ad quos dicturus sum, est gubernatio eorum, quorum mihi cura incumbit, & incumbet; est placatio iræ Divinæ, & restitutio in gradum pristinum, est defensio in hora mortis; est excusatio in judicio, quod in horas super meum caput præsente Sathana habetur; est deductio in Paradisum; est beatificatio æterna. Hæc & innumera alia expecto & spero, & expectare ac sperare possum ab hac, misericordiæ Regina beneficia, & erga illam ego non habeam devotionem? scio quod illa devotio purior sit, quæ oritur ex sola bonitate ejus, cui devoti sumus. Verùm quia adhuc debiles sumus, juvabimus nos, & nostram imbecillitatem, adminiculo bonorum, quæ ab illa Thesauraria in nos dimanant. Nam multi inveniuntur illi devoti, quia sperant, quod in morte eis succurret, nec sinet sibi devotos mala morte mori. Si ergo possunt alii incitari ad honorandam, salutandam, laudandam spe fœlicis mortis, cur non possimus & nos adjuvare infirmitatem nostram, spe tot rerum ante enumeratarum? Licet gratissima illa Deo, Virginíque nostræ sit devotio, qua quis in illam amandam venerandámque purè fertur, ob ipsius bonitatem, dignitatem, atque excellentiam, quæ sola cultu, venerationéque eximia ob divinæ maternitatis eminentiam ac majestatem, nullo habito ad nostras utilitates commodáve respectu, est dignissima.

Beneficia speranda à B. Virgine.

Maria amanda ob suam bonitatem.

42. Quod sanè si faciamus longè faciliùs ipsius auxilium patrociniúmque quacunque tandem in re, quam nos obtenturos speramus, ab illa impetrabimus, ejusmodi enim genius atque indoles est Virginis, quæ nunquam se amore ab ullo vinci sinit. Spes igitur omnes nostræ post DEum defigendæ nobis sunt in Deiparam, eo fine potissimùm, ut hinc sanctè demigrantes, in cœlis post DEI faciem, ipsius quóque æviternum frui eámque cum Hierarchiis Angelicis, beatorúmque omnium choris assiduè æviternis laudibus exornare possimùs. Hinc Franciscus Retza Tomo 1. m. S. in Salve-Reg. Sup. citato. præclarè monet: quia, inquiens, summum adjutorium nostrum post DEum, ad consequendum ea, quæ sunt speranda, est Virgo Beatissima, ideò propriè sic dicitur spes nostra, mediante qua largitor omnium bonorum DEus ordinavit, & vult nos habere omnia ad salutem nostram pertinentia. Unde S. Bernardus serm. de aquæ ductu: *Redempturus DEUS genus humanum, inquit pretium universum contulit*

Sperandum in patrocinium Deiparæ.

Quia hæc est voluntas DEI.

tulit in Mariam. Altius intueamini, quanto devotionis affectu, eam à nobis voluit honorari, qui totius boni plenitudinem contulit in Mariam, ut si quid est in nobis spei, si quid gratiæ, si quid virtutis ab ea noverimus redundare. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui nos totum habere voluit per Mariam. Filioli hæc peccatorum scala est, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ, in omnibus quippe, & per omnia providens, miserorum trepidationem solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, & erigit pusillanimitatem. Quare ejusdem Doctoris melliflui Consilium sequentes serm. super salve Regina. *Cor nostrum cum manibus ad eam erigamus & appropinquemus & passibus amoris, immolantes ei hostiam laudis, & reddentes ei vota nostra de die in diem, de hora in horam, dicentes assiduè: Salve Regina Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve.*

Maria spes nostra, vita, dulcedo, mater misericordiæ.

43. Et meritò sanè: quia hujus Virginis beatissimæ præsidium, inquit, idem Franciscus de Retza, ipsa ejus gratia nos tuens, ac defendens contra omnia adversa, donánsque nobis cuncta proficua, est spes nostra firmissima, in qua sola post DEum ponenda est nostra fiducia. Quia enim est Regina misericordiæ, vita, & dulcedo; ideò est spes nostra. Eò enim quod est Regina, potentissima est, volens omnem reatum condonare. Eò quod est vita, vivacissima est, parata vitam dare; Eò quod est dulcedo, melliflua est, solita omnem adversitatem, amaritudinem, benignitate sua ac clementia dulcorare. Quare non absanè esse spes nostra canitur: Spes verè nostra est Virgo, quia maternam nobis affectionem, jussu Filii exhibet, Memor enim verbi illius in cruce Joann. 19. *Mulier ecce Filius;* omnes qui in charitate manent, & Christum diligunt, tanquam filios, & Filii sui fratres diligit átque amplectitur. *Omnium enim bonorum Mater est* Sap. 8. Dum enim Christum fratrem nostrum genuit, omnes nos quóque spiritualiter generavit. Unde ejus Filio dicere possumus cum sponsa, Cant. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ,* scilicet Mariæ. Ideò canit ei Ecclesia *Monstra te esse Matrem.* Per istam Matrem habemus Christum Dominum fratrem, & ex tali cognatione, si nostra peccata non impediant, tam Mater quam Frater est verè spes nostra. O quam præclarè de his tam singularibus gratiis humano generi communicatis pronunciavit S. Anselmus orati. B. V. *O Domina, Mater es justificationis & justificatorum. Genitrix es reconciliationis & reconciliatorum; Parens salutis & salvandorum. O beata fiducia, ò tutum refugium! Mater DEI est Mater nostra, Mater, inquam, ejus, qui solus salvat, solus damnat est Mater nostra, ideò benedicta & exultata, non tibi soli, sed & nobis, quid est, quàm magnum est, quàm admirabile est, quod video per te evenire nobis? Quod videns gaudeo, quod gaudens dicere non audeo. Si enim tu Domina es Mater ejus, & alii Filii tui sunt fratres ejus. Sed qui fratres? & cujus ejus? loquor unde jucundatur cor meum; an silebo; ne elatione arguatur os meum? sed quod credo amando, cur non confiteor laudando? Dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo. Qui eum facit: ut ipse per maternam generationē esset natura nostræ, & nos per vitæ restitutionem essemus Filii Matris suæ, ipse nos invitat, ut confiteamur nos fratres ejus. Ergo Judex noster & frater, noster Salvator mundi est Frater noster. Denique* DEus

Mater nobis est, & Christus frater noster.

DEus noster est factus per Mariam Frater noster, qua igitur certitudine debemus sperare, qua consolatione nos possumus timere, quorum sive salus, sive damnatio de boni Fratris & piæ Matris pendet arbitrio? quo etiam fructu hunc Fratrem, & hanc Matrem amare debemus, qua familiaritate nos illis committemus, qua securitate ad illos confugiemus, qua dulcedine fugientes suscipiemur? Bonus ergo Frater noster nobis dimittat, quod deliquimus; ipse avertat, quod delinquentes meruimus. Bona Mater oret, & exoret pro nobis, ipsa postulet & impetret, quod expedit nobis. Ipsa roget Filium pro filiis, Unigenitum pro adoptatis, Dominum pro servis; bonus Filius audiat Matrem pro fratribus, Unigenitus pro his quos adoptavit, Dominus pro his, quos liberavit. Maria quantum tibi debemus. Domina Mater, per quam talem Fratrem habemus? quantum gratiarum, quid laudis tibi retribuemus magne Domine? Hæc Ansel.

Maria spes nostra.

44. Quia igitur Maria est Mater nostræ, & Mater Dei, de ipsa utique magna plenáque nobis fiducia ac spes concipienda est. Matri enim Filius pro fratre roganti non potest quidquam denegare. Viscera Fratris super perditione germani & confratris sui non possunt se continere, uti Josepho contigit super Beniaminum fratrem suum minorem Gen. 43. Summa igitur nobis in utrúmque spes fiduciáque collocanda est. Hinc jure meritò canit Ecclesia:

Salvatoris Mater pia,
Mundi hujus spes Maria
Ave plena gratia.
Porta cœli, Templum Dei,
Maris portus, ad quam rei
Currunt cum fiducia,
Spes salutis, pacis portus,
Vas virtutis, florens hortus
Aromatum area.

Sed ipsam Virginem se spem nostram esse gloriantem, nósque ad sperandum in se invitantem audiamus, Eccl. 24. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Quæ verba ponderans Venerabilis Rich. à S. Laurent. lib. 12. partic. 1. *In me*, inquit, *gratia omnis viæ scilicet quæ ducit ad vitam, id est, ad Filium meum, qui est vita. Custodientibus enim & deambulantibus per has vias, ostendit Maria se ipsam hilariter exeuntibus ex hoc mundo, & in omni providentia, quam ipsa dat ad conservandam animam, occurret illis quasi adjutrix fidelissima.* Idem lib. 4. *Et bene ait: omnis gratia; quia nulla ei defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec scientia Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec patientia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec innocentia aut humilitas Virginum.* Unde Bern. *Quodcúnque donum alicui sanctorum sit datum tantæ Virgini non credimus fuisse negatum.* Hinc Fulbertus Carnotensis Abb. apud eundem Rich. lib. 5. *confidenter asserimus, quod nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem inesse gratiæ Dei nuncius asserebat. Constanter etiam asserimus, quod anima ipsius, & caro, quam elegit, & habitaculum sibi fecerit sapientia Dei Patris, ab omni immunditia & malitia purissima fuit, attestante scriptura, quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* Sap. 1. Idem deníque Richel. lib. 1. partic. 3. agnoscens nostræ vitæ spem esse Virginem: *Debemus:* inquit, *sapienter confidere de bonitate ejus, si dilexerimus & servierimus ei,* juxta illud Psal. 47. *Ponita corda vestra in virtute ejus, non in virtute propria, quia maledictus homo, qui confidit in homine, se scili-*

In Maria plenitudo gratiæ. Spes vitæ, & virtutis.

scilicet vel, alio serm 17. *Nam ipsa est, quæ precibus suis, meritis ac exemplis dat lasso virtutem, & his qui non sunt,* verè humilibus, *fortitudinem & robur multiplicat.* Isa. 40. Et ipsa suggerens istam confidentiam de se ipsa dicit. *In me omnis spes vitæ & virtutis.* Sicut enim ait Augustinus de Domino super illud Psalmi: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in eo spem meam:* Neminem permittit DEus cadere, qui ei adhæreat vero amore. Projice proinde te in DEum, quia non est adeò crudelis, ut se subtrahat, & te cadere permittat. Sic dici & credi potest de B. Maria, testimonio eorum, qui sæpè experti sunt. Debemus etiam sperare in eam, quia Mater est Sanctæ spei. Quemadmodum enim de Filio dicitur Prov. 29. *Qui sperat in Domino sublevabitur;* sursum levabitur, *in præsenti supra carnem, mundum, & Diabolum per gratiam, & in futuro sursum levabitur per gloriam.* Sic ille.

Speranda præsentia & futura a Deipara.

45. Audiamus & Petrum Comestorem eadem Virginis verba interpretantem: *sicut per illam accepimus vitam gratiæ quæ nunc est, ita per illam habemus spem vitæ, quæ futura est, per illam etiam habituri sumus fructum gloriæ, quæ semper duratura est. Dicit igitur Virgo Beata: in me est spes omnis vitæ & virtutis; in me est spes omnis vitæ habendæ, & omnis spes virtutis vitæ continuandæ. In ipsa igitur est omnis spes nostra tam virtutis quam vitæ per fiduciam impetrandi, quia dum orat pro nobis, nihil ei denegatur.* Unde Ecclesia: *Audi nos, nam te Filius nihil negans honorat. Ipsa enim est Arcus in nubibus, & signum justificationis & reconciliationis* Gen. 9. Proinde sapienter monet Bern. super Salve Reg. *Totam spem post Filium in ea debemus ponere, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra,*

Maria est arcus in nubib⁹.

& in manibus ejus sunt vita & Spiritus nostri, & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat illis escam gratiæ, qua plena est, in tempore opportuno.

46. Quod si eadem illa verba: *In me gratia omnis vitæ &c.* quibus nos ad se sperandum in se nos Virgo benignissimè invitat, accipiantur prolata eo tempore, quando Dei Filius obumbrante Spiritu Sancto in purissimo ejus utero conceptus, & gestatus est, corporaliter in ventre, & spiritualiter in mente, ut voluit supra memoratus Franciscus de Retza, adhuc multò magis ad spem fiduciámque de se habendam nos exstmulat. Unde illam ita loquentem introducit: In me est omnis spes & vitæ & virtutis, quia ille in me per carnis assumptionem existit, à quo omnis spes vitæ, vitæ triplicis, vitæ scilicet naturæ, vitæ gratiæ, & vitæ gloriæ originem sumit. In me est omnis spes: quia in me est DEus non solùm per essentiam, potentiam, & præsentiam, sed per singularissimam gratiam & conceptionem maternam, qui est spes principalis fulciens & beans æternaliter creaturam. Deníque in me est omnis spes virtutis, quia omnem virtutem tam Theologicam quam Cardinalem habuit B. V. in armariolo suæ mentis, quæ nullo vacavit unquam genere virtutis, & quas virtutes sperantibus in se subministrat in suis orationibus átque exemplis. Unde S. Hieron. serm. de Assumpt. *Si diligenter,* inquit, *attendas nihil est virtutis, nihil est splendoris, nihil gratiæ, nihil candoris, quod non resplendeat in ea.* Est igitur, ut dicit Bonav. *Maria Mater virtutis, gratia Justorum, & spes reorum.* Hæc est, ut canit Alanus:

In Maria est gratia omnis vitæ præsentis & futuræ

Spes miseris, Medicina reis, tutela beatis.

Et Ecclesia in quodam Hymno

Spes

Spes reorum est Maria
Redemptoris Mater pia,
Redemptorum gloria.

Ipsa est etiam ut dicit Gorra, Gratia viæ, & veritatis spes vitæ & virtutis. Quia Maria est nobis vita in exemplis, veritas in doctrinis, virtus in bellis, vita deníque in præmiis. Quare, ut idem suadet Gorra, cum Theophilo illi dicendum confidenter: Scio Domina, quod tu es protectio maxima, quis est Domina, quis est Virgo immaculata, qui speravit in te, & confusus est, aut quis hominum precatus est clementiam tuam, & derelictus?

Maria spes nostra, quia Mater DEI.

47. Etsi porrò plurimis de causis maxima nobis spes reponenda sit in Deipara, illa tamen vel maximè ad hoc faciendum me pellicit, quod sit increatæ illius spei nostræ Mater: Verba illa nimirum Benignissimæ Virginis me emolliunt, ínque ejus amorem totum rapiunt: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei:* Quæ enim aliud est hæc pulchra dilectio, nisi ipse substantialis Amor Dei Filius, qui pulchrum reddit amantem, ut S. canit Nazianzenus? quæ est spes ista, nisi idem Dei Patris Filius, quem Virgo peperit. Et quia naturaliter, ut ait idem Retza, simile sibi simile gignit; ex hoc, quod B. Virgo spem nostram concepit ac genuit, ipsa utíque spes nostra existit. Quia spem generare spem decuit. Hinc canit Ecclesia:

Tu Matrona Sanctæ spei
Mater bona, Mater Dei
Virgo vena veniæ,

Idcircò securè in sua speratur, quia ab ea spes nostra processisse ipsa fatente probatur.

Spes erga Deiparam firmanda consideratione nostræ imbecillitatis.

48. Quod si imbecillitatem infirmitatémque nostram, qua semper ad ima deprimimur, & vix pedibus subsistimus consideremus, novam causam Virgini tanquam fulcro innitendi, in eámque spem nostram collocandi inveniemus. Imbecillitas nostra cucurbitarum, ac vitium persimilis esse videtur, quæ nisi palis aut arboribus fulciantur, in terra jacent, ac putrescunt. Unde S. Isidor. Episc. Hispal. lib. 17. c. 5. Originum. *Alii,* inquit *vites putant dictas, quod invicem se vittis innectant, vicinísque arboribus reptando religentur. Est enim earū natura flexibilis, quia quasi brachiis quibusdam, quidquid comprehenderint, stringunt.* Hujusmodi dictis simus & nos, si terræ inhærere, si terrenis affixi, tanquam jumenta in stercore suo computrescere volumus. Arbori huic pulcherrimæ spe nostra innitimur, tum vel maximè cum importunis Cacodæmonis tentationibus ad ima vilissimáque amplexanda stercora nos deprimi sentimus. Tunc fiducia nostra in spem hanc nostram Virgineam surrigenda est. Tunc illi filiali confidentia cum ipsius Seraphico Psalmista concinendum Psal. 30. *In te Domina speravi, non confundar in æternum, in gratia tua suscipe me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio mea, & protectio mea. Ad te Domina clamavi dum tribularetur cor meum, & exaudisti me de vertice collium æternorum. Educas me de laqueo, quem absconderunt mihi, quoniam tu es adjutrix mea.* Idem rursus Psal. 70. tanquam caduca vitis Virgineæ huic Arbori inniti cupiebat, dum concinebat: *In te Domina speravi non confundar in æternum, in misericordia tua libera me & eripe me. Propter multitudinem iniquitatum mearum oppressus sum, vehementer. Unde Domina quoniam tribulor, expende manus tuas, succurre pereunti.* Imitandus quoque nobis est Echinus, sive ut alii legunt, Echinus, sive ut alii legunt, Echeneis parvus quidem pisciculus, sed mirè sagax qui ut scribit S. Ambrosius lib. exam. Et Barthol. Anglicus lib. 13. de propriet. rerum

Sumus sicut vites fulcro indigentes.

cap. ult. præsentiens maris tempestatem, lapillum tanquam anchoram arripit, nè à ventorum turbine, marísque fluctibus, ac procellis abripiatur. Lapis noster pondus nostrum, Anchora nostra sit amor & spes, firmissimáque in Deiparam nostram fiducia, quæ sanè omnia anchoræ, in quacúnque tandem mundi tempestate ac procella exhibebit obsequia, de quibus Aristoteles in Probl. sect. 23. Probl. 4. Ubi cum quæsysset, cur projecta anchora in mari fiat tranquillitas tempestatis. Respondit: duasque attulit causas. Prima est, quod mare ipsius anchoræ ponderi cedat, átque divellatur, & unde illa fluctus tempestatis repercutiat. Mox enim atque projicitur anchora circulus in mari post circulum, & quædam quasi vertigines in longinquum conficiuntur ac conglobantur, quarum undis, unde tempestatis reverberatur. Secunda causa est, quia anchorâ in mare jactâ aër superior tempestatem causans deorsum fertur, & in fundo maris per casum anchoræ suscitatus, ebulliens per bullas, maréque tumidum reddens, sursum ducitur, & sic impetus maris sedatur, quia causa commotionis maris tam à superiori tollitur, quam ab inferiori, quod per bullas fit, quæ eodem Philosopho teste, lenes serénæque sunt. Nimirùm Virgo nostra pondere illo, divinæ Maternitatis videlicet auctoritate sufficiens suis precibus, qui est apud Filium ad quasvis maris amari hujus sæculi procellas ac tempestates, quas tartarei hostes, tanquam furibundi Typhonos contra ipsius clientulos excitare consueverunt sedandos ac componendos.

Maria anchora spei nostræ

49. Quare in hujusmodi tentationum atque adversitatum tempestatibus ad Nomen Virginis tanquam ad firmissimam Anchoram recurrendum, uti suadebat Apostolus Hebræis cap. 6. 19. cum dicebat. *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut Anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Ubi præclarè Nicolaus Lyranus; *sicut anchora navem, sic spes animam tenet, ne mergatur in salo hujus mundi, in procellis & adversis consentiendo iniquitati.* Hinc Anonius: *spes est solatium firmissimum, quia sperantem tenet inconcussum.* Et Seneca: *Spes est ultimum adversarum rerum solatium.* Spes hæc in Deipatam firma, nos quasi montes inconcussos efficit adeò, ut de quolibet Virginis cliente dici possit: *qui confidunt in Domina sicut mons Sion, non commovebitur in æternum:* Unde cliens ac Filius Bonaventura Psal. 124. ipsi canebat: qui confidunt in te Mater Dei, non timebunt à facie inimici. Gaudete & exultate omnes, qui diligitis eam, quia adjuvabit vos in die tribulationis vestræ. Et rursùs in Nomine Virgineo, velut in Anchora firmissima confidens Psal. 10. cecinit: In Domina confido, propter dulcedinem misericordiæ Nominis sui. Oculi ejus in pauperem respiciunt, & manus ejus ad pupillum & viduam sunt extensæ. Ad Anchoram hanc Virgineam suas spes alligârat Poëta ille pius dum cecinit:

Spes & anchora nostra Maria.

Tu medicina mei gemitûs, tu lux oculorum,
Anchora tota spei, rectissima Regula morum;
Tu mea Dux, mea lux, mea spes, mea res, mea vita.
Tu mea fax es, tu mea pax es corde petita.

50. Quare sapienter monet S. Bern. Hom. 2. super Missus *Nomini Mariæ in qualibet tentationum procella confidendum, spemq; suam ad illud ad sacram Anchoram alligandam, ò quisquis es,* inquiens, *qui te in hujus sæculi profluvio intelligis magis inter tempestates fluctuare, quam per terram ambulare*s

Nomen Mariæ anchora, spes, fidus, in tentationibus, & in omnibus adversis invocandum.

re, ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, scilicet Mariæ Virginis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, invoca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam mentis concusserit, aspice Mariam. Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si judicii horrore perterritus, Barathro absorberi incipias tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis. Sic ille. *Quod sanè consilium doctoris sequendo melliflui, quisquis fuerit amplexus in semetipso experietur, quod nomen ipsius sit Anchora firmissima spei nostræ, qua firmamur, & contra omnem tempestatem mentis solidamur, quia ipsa cum filio imperat ventis & mari, & fit tranquillitas magna.* Luc. 8.

Mariæ nomen oleum, quo mare tranquillum redditur.

51. Quod sanè minimè nobis mirandum est. Cum Mariæ Nomen sacratissimum sit nobis etiam oleum, quod in mare fusum illud tranquillum reddit. Nominis enim Virginei est quoque elogium illud ex sententia Richardi à S. Laur. lib. 2. & aliorum: *oleum effusum Nomen tuum.* Quare de virtute hujus Nominis adversùs tentationum fluctus ac turbines aptè dici potest, quod S. Diadochus Episcopus Photices de gratia Spiritûs S. pronunciavit lib. de perfection. spirit. cap. 35. *Sicut mare inquit, cum turbatur, oleo infuso cedit natura sua tempestas, lenitate olei procellam extinguente: sic anima nostra cum leniter gratiâ Spiritus S. jucundè tranquillatur: cum gaudio enim cedit victa ipsius gratia, sicut ille Sanctus ait, Veruntamen Deo subjecta esto anima mea. Victa inquam Spiritus S. gratia, quæ ipsam illam animam inexplicabilis suavitatis umbraculo tegit. Idcircò quamvis eam sæpe Dæmones tunc irritent, manet tamen expers iræ, & plena gaudii. Cui enim gratia advenerit (& idem dicitur de gratia Virginis) in eo permanet.* Sic diadochus.

Nomen JEsu & Mariæ scutum contra tentationes.

52. Quæ sanè in Nomine Virgineo perinde mihi reclusa omnibus illud invocantibus esse videtur atque in Nomine JEsu. De quo rursus idem S. Antistes cap. 31. ita loquitur: *si tunc; videlicet cum homo à Dæmone simulata voluptate impugnatur, si tunc, inquam, mens ita parata reperiatur, ut Nomen Domini JEsu ferventi memoria retineat, & hoc sancto & glorioso Nomine tanquam armis adversùs dolos ejus usus fuerit, recedet Diabolus fallax.*

Quantò quis magis Deiparæ est devotus, tantò firmius de ejus patrocinio sperare potest.

53. Porrò licet mortales omnes spem in Deiparam collocare possint, illi tamen vel maximè, qui diligentes ei deserviunt, qui diligenter eam diligunt, qui auxilium ipsius experiuntur, ejúsque auxilium expetunt. Et jure sanè meritò Virgini sedulò servientes in eam sperant, si quidem ut docet Aristoteles lib. 2. Rhetor. ad Theodectem cap. 5. fidentes sunt, qui universaliter pii in Deos sunt; & tam ad cætera, quæ Diis attribuuntur bene se habent, quàm ad omina & oracula. Quemadmodum igitur ii, qui in Deos pii sunt, & ad omina, quæ eorum honorem cultúmque concernunt, religionem præseferunt, ex mente Philosophi maxima spe, fiduciáq; quidlibet ab eis obtinendi nituntur: ita qui fidelissimis obsequiis, laudibus, variis pietatis exercitiis summæ Dei

Matris, omnium Angelorum, Sanctorúmque Reginæ sibi gratiam demerentur, eíque fidelissimè famulantur, jure meritò optima quæque se ab ea obtenturos sperant; Unde Pater Franc. de Retza: *si illi, qui sanctos colunt, eorum auxilium sperant: multò amplius benè sperandum iis, qui sanctam Sanctorum Cælitúmque Deam quodammodo, speciali devotione venerantur, ejúsque servitium, jejunando, orando, ea laudando, de ea scribendo & prædicando continuant; quique die ac nocte eam invocare non cessant.* Hi utique spe certa, magna præmia ab ea expectant. Si enim temporali Reginæ servientes, se remunerationem accepturos confidunt: quantò magis à Regina misericordiæ, Domina cœli & Terræ iis, qui ipsi cordialiter deserviunt bona omnia expectanda sunt. Quare consilium sapientis. Prov. 4. Deiparæ servis omninò amplectendum est: *Arripe eam,* inquit ille, *& exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te. Arripe illam, inquit Retza, citò & ferventer ad te rape, sicut rem desideratam. Exaltabit te, cum eam fueris amplexatus, amore videlicet & servitio quasi geminis ulnis ac brachiis. Dabit capiti tuo, menti videlicet augmenta gratiarum, & spiritualium, & corporalium, nec non etiam temporalium. Corona denique inclyta ex rosis charitatis, liliis castitatis, & violis humilitatis contexta, proteget te, quia per hanc triplicem virtutem, ab insultibus vitiorum ac Dæmonum liberabit te.*

Præcipuè qui ferventes sunt in ejus amore, vicissim ab illa amantur, & proteguntur.

54. Quod si sperandum in Virginem Deiparam est ipsius fidelibus servis, quanto magis ferventibus castissimísque ejus amatoribus, in quorum ore potissimùm salutatio illa quadrare videtur: *Spes nostra salue,* qui enim ferventi affectu B. V. diligit, indubitanter se ab eadem vicissim diligi pia quadam præsumptione confidit, cum ipsa dicat Prov. 8. *Ego diligentes me diligo, in viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quod porrò Deipara nos diligat, & nobiscum de suis bonis communicet, evidens est; siquidem ejus amor divinum imitatur. Cùm enim summum illud æternúmque Bonum benè nobis vult, illud ipsum bonum omnipotenti sua voluntate in nobis producit. Et hinc spes ac fiducia nostra in Virginem tanquam à radice suam trahit originem, hinc fit, ut noster in illam amor magis magísque effervescat. Unde cum Doctor Angelicus 1. 2. q. 40. art. 7. quæsiisset, utrum spes sit causa amoris? R. *Spes cum bonum speratum respiciat, necesse est ex amore & desiderio boni causati. Ex hoc inquam, quod speramus ab aliquo nobis bona provenire, incipimus in ipsum, tanquam in bonum nostrum moveri, eundémque diligere. Et ex hoc, quod scimus nos ab aliquo diligi, speramus ab eodem nobis benè fieri.* Cùm igitur ex vivis effectibus comprehendamus, quòd Deipara nos cordiali affectu diligat, utpotè quæ etiam proprio Filio non pepercit, sed in signum amoris pro nobis omnibus tradidit illum, cum quo & omnia nobis donavit; convenit vice versa, ut nos quóque eandem redamemus, à qua omne bonum nos participaturos speramus, convenit deníque in tam benevolam Parentem, à qua nobis tam innumera bona proveniunt, universas spes nostras post Deum collocare.

Vinum est spes.

55. Et verè suâ hac in nos benevolentiâ Virgo nostra spem hanc in se assiduis beneficiis in nobis excitat. Aristoteles in Probl. sec. 30. q. 13. Probl. 1. docet, quod omnes animos, spe bona vini copia afficiat; Quem-

Quemadmodum juventa Adolescentulos: senectus enim parum sperare potest; juventus spe plena est. Albertus Magnus etiam lib. 1. de motibus animalium Tract. 2. cap. 5. Et lib. 6. Veget. Tract. 1. cap. 34. ait, quòd vinum, quia est naturaliter calidum, & habet humorem subtilem, causet bonam spem, quia ex subtili calore, & subtili humido claros Spiritus facit. Hinc S. Th. 1. 2. q. 40. art. 6. docet ex Philosopho 3. Ethic. c. 8. quod inebriati sunt benè sperantes, quia scilicet caliditas & multiplicatio spirituum ex vino procedentium sunt in ebriis. Cùm igitur Vigo Beatissima sit vitis fœcundissima, ut jam diffusè ostensum est, vinúmque gratiæ producat, ut canit Ecclesia:

Maria vino & viti comparatur.

O Virgo mitis. O fœcundissima Vitis.

In nobis sine dubio vinum hoc producet, de qua fluit vinum gratiæ, quod calore subtili charitatis, & humido insitæ clementiæ & pietatis à nobis haustum præstabit spem, ac confidentiam plenæ securitatis. Unde & guttur Virginis dicitur Cant. 7, *Vinum optimum,* quid enim est guttur istud Virgineum, quàm verba consolationis plenissima, quibus ipsa lætificat & consolatur nos in omni tribulatione nostra? Verba hæc sunt sicut vinum optimum, quod juxta Psalmistam lætificat cor hominis, dans nobis spem non modò contra desperationem, sed spem quóque cuncta bona impetrandi, superandíque mundi hujus pericula universa. Vinum hoc Salomon in Prov.. cap. 30. præcipit dari tristibus: *Date,* inquiens, *vinum mærentibus & iis qui amaro sunt animo, ut suæ tristitiæ obliviscantur.* Verè enim miseri peccatores facilè desperarent, nisi ipsos vinum charitatis ac pietatis Virginis Beatissimæ lætificaret. Quare jure merito sponsus ubera ejus, charitatem, videlicet, & misericordiam, quibus lactat peccatores, botris comparavit: Cant. 7. *Statura tua assimilata est Palmæ, & ubera tua botris.* Et v. 8. *Et erunt ubera tua, sicut Botri vineæ.* Rectè porrò charitas & pietas Virginis botris confertur, quia sicut ex botris vinum fluit, quod homines lætificat & inebriat, ita ex ejus charitate & pietate nobis oritur consolatio, spes & lætitia, inebriatio amoris fervidæque dilectionis. *Istud est vinum, quod lætificat DEum & homines.* Jud. 9. *Hoc vinum in jucunditate creatum est ab initio.* Eccl. 3. de hoc vino, Eccles. 9. *Bibe cum gaudio vinum tuum.* Quare audienda est vox illa sapientis Eccles. 2. 8. *qui timetis Dominam, sperate in illam, & in oblectationem veniet vobis misericordia; imò & Virginis charitas, qua velut vino quis inebriat' in spem optimam adducetur, agnoscetque quàm rectè ubera Virginis à cælesti sponso botris fuerint comparata.*

Ubera Mariæ ... Charitatis ... misericordiæ plena.

56. Quod ut meliùs intelligamus, audiendus est Guilielmus Abbas apud Delrium, qui elogium illud expendens præclarè disserit: *Spiritualia,* inquiens, *piæ Matris Ubera, quibus fratres Christi nutriuntur, vino conferuntur, quia vim inebriandi habent. De his ergo dictum est piæ Matri. Erunt Ubera tua sicut Botri vineæ. Planè illa quotidie materna solicitudine parturiens infirmiora membra Hinnuli sui, nempe Filii, donec pleniùs Christus formetur in eis, neminem à suæ pietatis sinu repellit, sed potiùs invitat, & attrahit universos: Omnes inquiens, pusillanimes venite ad ubera mea, & fugite absque argento, & ábsque ulla commutatione vinum & lac, ut non tantùm refocillemini, sed etiam úsque ad sobriam jucunditatem inebriamini.* Ita Virgo Benignissima: Addit deinde Guilielmus ex iisdem Virginis Uberibus peccatores sugere quidem lac consolationis, ne desperent, justos

Mariæ ubera vim inebriandi spem.

Maria vinum & lac propinat

Lac peccatoribus pœnitentibus: vinum proficientib'.

justos verò vinum exultationis. quo in spem veniæ, æternæque gloriæ eriguntur. *Multi*, inquit ille, *de peccatis gravioribus emergentes, & adhuc pro recentibus plagis ægram habentes conscientiā ad Ubera piæ Matris, opem ejus flagitando confugiunt, ac primò quidem ne abundantiori tristitia absorbeantur, pia interventione consolationis munus suscipientes de uberibus pietatis ejus, quasi lac sugunt, & nondum Ubera ejus assimilantur botris: postea verò sanctā paulatim conscientiā per fructus dignos pœnitentiæ, meritis & intercessione ejus, de certitudine veniæ exhilarantur, & tunc ex uberibus piæ Matris usque ad oblivionem veterum delictorum, sanctæ exultationis vino inebriantur. Sicque facta sunt ubera ejus quasi botri vineæ.* Hæc Guilielmus; ex quibus intelligimus quanam ratione Virgineum hoc vinum peccatores in spem veniæ gratiæque obtinendæ adducere consueverit. Hoc vino sancto inebriatus mihi videbatur S. Bernardus cum serm. super Salve Regina jucundè canebat:

Spes mea Virgo pia, Virgo Sacra, Virgo Maria.

Spes in Deiparam concipienda ex plurimis ejus beneficiis.

57. Aliam causam benè de Virgine sperandi habemus, quia passim mira, quæ in generis humani utilitatem præstitit beneficia, & audimus & legimus, & ipsi in nobis ipsis etiam experimur. Quæ sanè experientia vim habet mirificam spem nostram in Deiparam exacuendi. Unde Scholarum Angelus 1. 2. q. 40. art. 5. cùm quæsisset, utrùm causa spei sit experientia? Resp. cum Philosopho 3. Ethic. c. 8. ubi ait; *quod aliqui sint bonæ spei, propterea multoties, & multos vicisse, quod ad experientiam pertinet*, concludítque: *Ergo experientia est causa spei.* Ex quo fundamento hujusmodi infert conclusionem: *Cum spei objectum sit bonum possibile adipisci, necesse quoque experientiam, quà homini potestas & existimatio sit facile consequendi bonum aliquod, causam spei esse. Nam per experientiam homo acquiret facultatem aliquid de facili faciendi, & ex hoc sequitur spei.* Unde Vegetius lib. de re militari ait: *Nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit.* Cùm igitur experientiâ Magistrâ doceamur, quòd Virgo Beatissima omnibus in quibuscúnque necessitatibus devotè eam invocantibus succurrat, ut non sexcentis, sed penè infinitis comprobari potest exemplis, maximam spem de se cunctis præsertim iis, qui prius ejus beneficentiam sunt experti, ingenerat, effusissima enim illa ejus pietatis viscera continere nequit, quin omnibus misereatur, quin omnibus se se exorabilem, omnibus clementissimam exhibeat. Unde S. Bernardus serm. de Assumpt. eam alloquens: *sileat*, ajebat, *misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui in necessitatibus suis sibi invocatam meminerit defuisse;* quasi diceret omninò impossibile esse hujusmodi hominem reperiri. Econtra verò facilè invenire est quàm plurimos, qui pietatem ipsius experti, magna cum fiducia ad prædicandam omnibus ejus gloriam dicant: In ipsam speravit cor meum & adjutus sum. Quare propria etiam edocta suâ experientiâ illi canit Ecclesia: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicúnque celebrant tuam sanctam commemorationem.* Ideò ei quísque in necessitate aliqua aut adversitate constitutus magnâ confidentiâ dicere potest cum Jeremia cap. 17. *Non sis mihi formidini spes mea, tu, in die afflictionis.* Hanc ob causam illi rursus canit Ecclesia:

Ave Virgo Mater DEI,
Tu supernæ sol diei,
Tu mundanæ noctis luna.
Clementior præ cæteris,
Succurre nobis miseris,

Mor-

Mortalium spes una.
O vera spes, & verum gaudium
Fac post præsentis vitæ stadium
Ut optatum in cœlis bravium
Nobis detur.

58. Ad spem hanc de se à nobis concipiendam ipsa Virgo benignissima verbis illis amore plenissimis nos invitare visa est cum animo planè liberali ac munificò Eccl. 24. dulci suo eloquio, gutturéque suavissimo pronunciavit: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* q.D. Ad me confidenter recurrite, & sub meum præsidium in necessitatibus confugite, quæ me concupiscentibus semper parata sum præsidia concupita tribuere, & à generationibus meis, tam generatione illa, quâ huic mundo plena gratiâ generata & nata sum; quam alterâ illâ planè divinissimâ, omniúmque gratiarum splendoribus refertissimâ, quâ DEI Filium genui, adimplere, meósque de tam eximiis cœli donis ac favoribus ubertim participes facere; meique Spiritûs dulcedine omnes consolari ac reficere, præsertim eos, qui cum fiducia ad me accedunt deprecantes; Exaudi me quoniam speravi in te. Ego enim sum spes omnium finium terræ post Filium, quia ex omnibus finibus terræ ad meæ propitiationis umbraculum homines confugiunt. Unde illi dicere possumus cum Sapiente Sap. 12. *Cum de nobis judicatur, speramus misericordiam tuam;* ad quam cum plena spe secum nos Apostolus ire hortatur. Hebr. 4. 16. *Adeamus*, inquiens, *cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et inveniemus sanè, nec nostra spe frustrabimur. Consideratâ quippe Virginis potentiâ, quâ est Mundi Regina, dat nobis spem ad se tanquam ad Asylum confugiendi, seséque invocandi, quia potest juvare, considerata item ejus pietate ac clementia, quia misericordiæ Mater est, spem nostram excitat, ut in eam speremus, tanquam in eam, quæ Mater est illius, cui proprium est misereri semper & parcere. Hâc in virtute Virgo nostra, sicut & in reliquis penè omnibus, supremum Numen est mirificè, imitata, incredibili benignitate mundum gubernando, censens rationi maximè consonum hominem ab homine clementia gubernari, siquidem & ipsum cœleste Numen idem faceret. Quare præclare Seneca Philosophus lib. 1. de clement. cap. 7. monet principes Deum illis esse imitandum in clementia, eorúmque faciem esse debere, velut faciem sereni cœli, *quoniam* inquit ille, *Deorum feci mentionem, optime hoc exemplum Principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi Deos velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis átque erroribus Numina? expedit usque ad ultimam infesta perniciem? quod si Dii placabiles & æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur: quantò æquius est, hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium, & cogitare, utrum mundi status gratior oculis pulchriórque sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc átque illinc micant? atqui non alia facies est quieti moderatique imperij, quam sereni cœli ac nitentis. Crudele regnum turbidum, tenebrísque obscurum est, inter trementes, & ad repentinum sonitum expavescens, nec es quidem qui omnia turbat inconcusso.* Idem Seneca cap. 8. Principem soli ipsi orbem exhilaranti confert: *Hæc*, inquiens, *summa magnitudinis servitus est non postea fieri minorem, sed cum diis tibi communis ista servitus est, nam illos quoque cœlum alligatos tenet, nec magis illis descendere datum est, quam tibi tutum, fastigio tuo affi-*

[Left margin:] ...iparæ liberalitas ac benignitas ad ...m nos invitat.

[Right margin:] Clementia & benignitas Principem decet.

affixus es. Nostros motus pauci sentiunt, prodire nobis ac recedere & mutare habitum sine sensu publico licet, tibi non magis quam soli latere contingit. Multa contra te lux est, omnium enim istam conversi oculi sunt. Prodire te putas? oriris, loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quæ ubique sunt gentes excipiant. Sic ille. Ex quibus verbis colligitur Principem radiantis solis ac instar nitentis puri sudíque cœli, instar quietæ, placidæ, innubis, serenæque diei esse debere, adeò ut suâ præsentia faciéque pietatem, benignitatémque spirante universos exhilare ac solari videatur. Et talis plane est clementissimæ Reginæ misericordiæ aspectus. Hinc à Spiritu S. *electa ut sol in Reginam misericordiæ videlicet dicitur* Cant. 6. Hinc à S. Damasceno aliísque Patribus *animatum, serenúmque cœlum vocitatur.* Hinc ab aliis filiæ illi Jobi pulcherrimæ, quæ Dies nuncupata est, comparata fuit. Ut deníque pulchritudinem, amœnitatémque clementiæ facilitatísque Virginalis clariùs perspiceremus, déque ea majorem spem fiduciámque conciperemus, S. Amadeus Hom. 7. Mariæ lætissimam præsentiam veri floridissimo, vernanti Paradyso, quod nil amœnius excogitari potuit, conferre non dubitavit: *quis unquam ab ea æger, vel tristis, aut ignarus cœlestium mysteriorum abiit? quis non lætus ac gaudens rediit ad propria, impetrato à Matre Domini, quod voluit. Mariæ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, & quo favens se verteret, Paradisus erat. Emissiones tuæ,* ait sponsus, *Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus &c.* Cant. 4. *Habet quippe Paradisus gloriosæ Virginis mala punica in varietate virtutum fructus pomorum in perfectione operum cum universis lignis Libani, per quæ universitas virtutum figuratur &c.*

Maria clementissima comparatur filiæ Jobi, cui nomen DIES, comparatur etiam veri, ac soli, & Paradiso.

Hæc Amad. Quibus omnibus perspicuè nobis indicatur, quàm amabilis, quàm dulcis ac suavis, quàm deníque divina summæ Deiparentis extiterit benignitas, ac misericordia. Siquidem creaturis comparatur tam gratiosis, ac venustis, qualis est sol radians, cœlum sudum, ac serenum, clara sine nube dies, *ver novum cinctum florente corolla,* ut canit Ovid. 2. Metam. Paradisus deníque, de cujus amœnitate præclarè cecinit Mant.

Illic perpetuò vernantia gramina rura,
Perpetui fructus, æternáque gratia florum,
Vernáque temperies semper, sine nubibus aër
Limpidus, Auster abest, Boreas non sibilat, Eurus
Exulat, occidua Zephyrus non murmurat aura.

59. Cùm ergo Virgo nostra gloriosissima omni deposita servitute ac rigore tota sit suavis, tota amœna ac jucunda, uti diximus, ad instar veris ac semper vernantis Paradisi, quis est, qui miram in illam non concipiat fiduciam, eámque unicam post DEum spem in dies singulos, & quidem quantum fieri potest creberimè non salutet, animitus maximo cum affectu amoris exclamando spes salve salve. Hac enim iteratione, nostræ in illam charitatis ardorem demonstramus. Præclarè enim idem Franciscus de Retza ait, autorem illius salutationis, dum salve iterat, affectualem complacentiam ex speciali ad ipsam devotione demonstrare. Sicut enim ait S. Greg. Hom. 24. in Evang. de Maria Magdalena, iterato sepulchrum Domini inspiciente, quod amanti semel aspexisse, quia vis amoris in ea multiplicavit intentionem inquisitionis: ita huic auctori speciali ad Virginem amore, non sufficit semel dicere salve; sed ex fervent desiderio amoréque ipsi placendi idem replicat. Et prima qui-

Salve Regina In eo repetitur salve.

quidem illa salutatione crediderim Hermannum cognomento Contractum, ex sueviæ comitum familia oriundum, ostendere voluisse gloriosissimæ Cœlorum Reginæ, Deíque Matris singularem excellentiam, átque ita ipsius captare voluisse benevolentiam; alterâ verò, suam indigentiam, quo ipsius misericordiam gratiarum ipsius communicatione experiri mereretur. Virgo enim tam affectuose salutata, effusissimæ suæ pietatis continere non potest viscera, seséq; ita salutantem non audire aut exaudire. Unde S. Bern. serm. 1. in Salve Reg. hoc inquit dulce canticum & suavissimum melos, ex eo quòd suaviter sonet, mulcet affectum, & in sanctam sanctorum Advocatam nostram, dum eam quasi præsentem salutamus, omnia interiora nostra inflammat. Quare cum eam salutamus, decet eam sibi in Regali majestatis plenissimo Throno residentem velut Reginam mundi totius, ad miserendum propensissimam, sermone affabilem, accessúq; facilem, vultu qui maximè ut inquit. Seneca lib. 1. de clem. c. 13. populos demeretur, amabilem imaginari, omnésque animi facultates, memoriam, intellectum, & voluntatem in illam dirigere, totúmque cor sanctis ipsi serviendi desideriis inflammatum ac dilatatum amoribus offerre. Fieri enim nequit, quin & ipsa nos ita benevolè erga se affectos conspiciens, suæ pietatis viscera erga nos referet, nósque tanquam bonos filios, materna prorsus charitate amplectatur. Præclarè enim ibidem S. Bernardus: *Agnoscit*, inquit, *Domina nostra certe, & diligit diligentes se, & prope est omnibus invocantibus se in veritate, præsertim iis, quos videt sibi conformes, sanctos in castitate, humilitate, & charitate, totámque spem post Filium in eam collocantes, ipsiúsque amorem, devotionémque imis cordis fibris ac medullis inserentes.*

Benignitas Mariæ, præsertim erga sibi devotos.

60. Felix omninò & ter beatus ille, qui candidissimum hoc Virgineum lilium, Deiparæ nempè devotionem, menti suæ altè defixam, radicatámque possidet; possidebit nimirum is, puritatem animi, & cordis, corporísque munditiem, dum in hoc versatur exilio, & spe in puritatem velut argentea, aureáve basi innixus tum in maximam spem vitæ gloriæque immortalis, cùm ex hac vita erit demigrandum, adducetur, animúsque ejus ad instar candidissimi lilii, ad cœlestem Libanum, qui candor & candidatio interpretatur, & ex primis ad candorem illum lucis æternæ, qui Christus est, dilatabitur, dicétque cum Apostolo medullitus: *Cupio dissolvi & esse cum Christo:* Exclamabit cum Regio Psalte: *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS.* Ingeminabit rursus: *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* audiet tunc amabilissimam illam vocem sponsi, candorem lilii ac Libani in hujusmodi anima contemplantis Cant. 4. *veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis*, átque ita nunc fœlicissima hujusmodi anima, in puncto illo aliàs discriminis plenissimo exultabit, germinabítque sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Ita floruisse visus est, in vita & in morte gloriosus S. Norbertus illustris Ordinis Præmonstratensis Fundator, qui, ut habetur in Brev. Rom. postquam ex hac vita decessit cuidam sui ordinis Religioso apparuit, in propria primum effigie, quæ mox mutata in florem miri candoris, ceu lilium ab Angelis suscepta, & in cœlum gloriosissimè deportata est. Hunc nimirum favorem à B. Virgine meritus est Dei famulus non modò ob Angelicæ puritatis candorem, quem & in se & in aliis conservare ac propagare conatus est, verùm etiam

Devotio erga Deiparam lilio comparatur. Est solatio morientibus.

S. Norbertus post mortem ut lilium apparet.

ob insignem pietatis amorísque ardorem, quo in eamdem ferebatur Virginem.

Lilium symbolum internarum virtutum, præcipuè Virginitatis.

61. Neque verò lilium corporalis Virginitatis est symbolum, sed etiam spiritualis, quæ in Virgine Deipara potissimùm enituit, eáque supremo Regi, ac sponso mirificè complacuit, adeóque ipsi in amoribus fuit; ut eam ob causam dixerit. cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*, geminæ videlicet meæ Virginitatis, carnis, ac spiritûs, quarum candore, odorísque fragrantiâ nimiùm quantùm oblectatus ac deliciatus est, dum in utero meo novem mensibus commorari non est dedignatus. Ob hæc inquam geminæ Virginitatis lilia, aliósque virtutum flores, quales sunt rosa charitatis, nardus, & viola humilitatis, solsequium obedientiæ & similes, sibi in me veluti in amœnissimo horto concluso imò Paradiso deliciis omnibus refertissimo habitare videbatur.

Virginitas Spiritualis Deiparæ, i. e. innocentia & immunitas ab omni peccato etiam originali.

92. Spiritualis porrò hæc Virginitas creaturæ rationalis, ut Franciscus Mayronius Doctor Illuminatus ordinis Seraphici ser. 2. de concept. B. V. asseverat, in eo posita est, ut nunquam per peccatum (quod est spiritualis fornicatio) à Deo recesserit, & in Sathanæ dominium transiêrit. Quæ sanè spiritûs Virginitas, illibatúmque lilium, in sola Virgine Deipara, post dilectissimum ejus Filium, perfectissimè enituit, dum illa nullius peccati vel minimi, cujúsque tandem, sive mortalis, sive venialis, sive deníque originalis jugo unquam subjacuit. Unde Sapiens Idiota in contempla: B. V. cap. 2. Virginitatem hanc spiritûs adeò perfectam, intemeratámque in ea demirans exclamavit; *Tota pulchra es Virgo gloriosissima non in parte, sed in toto, & macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, neque unquam fuit.* Ex qua spirituali Virginitate idem Mayronius sapienter colligit Dejparam nullâ peccati originalis maculâ unquam fuisse fœdatam, cùm per hoc peccatum animæ Virginitas corrumpatur, ita ut, efficiatur inimica Dei Filia iræ, serva, mancipiúmque Sathanæ. Unde Præclare noster P. Salazar in def. Imm. Concept. c. 27. n. 4. pronunciavit: *Et licet cuilibet peccato proprium sit hanc integritatem animi violare & corrumpere, sed originali maxime proprium est, non alia ex causa, nisi quia primum. Nam quemadmodum Virginitatē corporis prima lascivia injuria vitiat, ita etiam animi integritatem & innocentiam primum peccatum corrumpit, atque adeò, ut illa animi integritas in Virgine sarta, tectáque foret, debuit quidem innocentia primus corruptor, & violator ab ipsa longiùs arceri, scilicet originale peccatum.* De hac spirituali Virginitate Deiparæ idem Salazar toto illo cap. 27. diffusè tractat, ostenditque, quòd sicut humanitas Christi in corpore Virginis habitando, corporalem Virginitatem, ita Divinitas in anima ejusdem commorando spiritualem Virginitatem conservârit. Dei siquidem Filius in uterum Virginis adveniendo eam totam in animo simul & corpore possedit, ejusdémque facta possessio, unde ipsa gloriata est Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Cùm enim possessio secundum Jurisperitos nil sit aliud, quàm quædam pedum sessio, quia nimirum immissis pedibus, rerum possessio capi solet; & humanatus Dei Filius in utero Virginis commorans pedibus quasi insistere in Virgine visus fuerit, meritò illam in corpore & in mente per gratiam possedisse dici potest; siquidem per pedes humanitas juxta Greg. Rupertum, Cœlium Pannonium significatur. Hinc Moyses verbum olim incarnandum

cùm

cùm vidit, dixit se cum reliquis senioribus vidisse sub pedibus ejus quasi opus lapidis Saphyrini, & quasi cœlum cùm serenum est; quàm descriptionem alibi esse B. V. diximus. Et licet hujusmodi animæ corruptio tolli possit, per divinæ infusionem gratiæ, pristinam tamen illam Virgineam dignitatem, illibatúmque florem integrum restitui omninò impossibile est, sicut impossibile est hominem qui aliquando peccatum commisit, posse dici, non fuisse peccatorem, captivúmque Diaboli. Quemadmodum enim corporea Virginitas S. Mariæ Magdalenæ, vel Mariæ Ægyptiacæ etiam post actam pœnitentiam receptámque gratiam reparari non potuit, nec in posterum unquam reparabitur, licèt jam magnâ in cœlis hæ sanctæ potitæ sint gloriâ, corpúsque integrum in generali illa corporum anastasi sortituræ sint, non tamen Virginitatem pristinam recuperabunt, nec Virginitatis Laureolam adipiscentur: sic animæ alicujus spiritualis Virginitas semel peccato aliquo admisso, amissa atque corrupta, licèt cum Deo in gratiam redierit etiam de potentia absoluta Dei, redintegrari nullą ratione potest. Quare talis anima aliquando vitiata atque corrupta sub potestate jugóque Diaboli extitisse dici poterit. Quæ si quispiam de immaculato hoc Virgineóque nostro lilio, de ipsa Dei Matre enunciare ausus esset, nonne quisque nostrum cohorresceret, nonne totis artubus contremisceret? quod si Dei Filius in tuenda corporea Virginitate Matris, ut incorrupta pareret, incorrupta post partum Virgo permaneret, tot stupenda miracula perpetravit, omnémque suæ divinæ Omnipotentiæ vim exeruit, quantò magis in conservanda Virginitate spiritûs; quæ longè præstantior est, quâ manente incorruptâ, licet corporea per vim illatam deperdatur, spiritualis tamen Virginitas illibata permanet, Laureolámque Virginibus debitam consequitur.

Innocentia & Virginitas amissa irrecuperabilis.

63. De duplici hac Deiparæ Virginitate præclarè S. Cyprian. ser. de Nat. Christi loquens de Matre DEI: *Illud* inquit, *vas electionis plurimùm à cæteris differens, natura communicabat non culpa. Undè & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali intus est extra Christi præsentia fruebatur*. De utráque hac Virginitatè præclarè etiam S. Damasc. orat. 1. de dormit. ubi geminam hanc Virginitatem, Navi, qua feliciter hujus vitæ sulcavit pelagus, & feliciùs ad Cœlestem portum appulit, comparavit. *Gratiæ*, inquiens, *abyssum invenit Virgo, quæ duplicis Virginitatis Navim incolumem servaverat, animámque non minus quam corpus Virginem custodierat*, Eamdem Virginitatem gemellam insinuavit sat perspicuè S. Hieron. ser. de Assumpt. *Ideò immaculata, quia in nullo corrupta.* Audiendus hîc quóque S. Bonav. in 4. sent. Dist. 3. art. 2. q. 1. ubi: *Congruum*, inquit, *fuit, ut illa, quæ placuit Altissimo adeò, ut fieret ejus sponsa & Mater Filii DEI Unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* De eadem congruentia idem Doctor Seraphicus in 3. d. 3. art. 2. q. 2. *Hoc congruebat Advocatæ generis humani, ut nullum haberet peccatum, quod suam conscientiam remorderet. Undè audivi narrari, quod ipsa cuidam personæ revelavit, quod non reprehendebat eam cor suum in omni vita sua. Congruum erat, ut B. V. M. per quam aufertur nobis opprobrium, vinceret Diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Quare de ipsa exponit tam Bernardus quam Augustinus illud. Ipsa conteret caput tuum, si ergo suggestio est caput*

Innocentia Deiparæ seu immunitas ab omni etiam originali peccato, navi comparatur.

Diaboli, nulla suggestio ingressum vel locum habuit in mentem Virginis. Hæc ille. Ex quibus colligit Deiparam ab omni mortali ac veniali culpa fuisse liberam, quod si ita est, ut est verissimum à fortiori, Virgo nostra etiam ab originali labe immunis fuit, cùm hæc abominabilior sit veniali siquidem homo ea fœdatus filius iræ fit reus æternæ damnationis visionísque beatificæ privatur hæreditate, quod culpa venialis non facit, ut alibi diximus. Cùm igitur Dei Mater Virginitatem spiritualem puram illibatámque ad instar candidissimi lilii conservaverit, consequitur sanè necessariò eam justitiam quoque originalem in suo flore retinuisse, ac proinde omni originatiâ maculâ in suæ conceptionis instanti liberrimam extitisse.

64. Ex hactenus dictis satis intelleximus Virginem nostram gloriosissimam non modò ob corpoream spiritualémque Virginitatem, verùm etiam ob puritatem, candorémque animi nulla originalis sceleris labe coinquinatam, Lilium jure merito dici posse. Nunc restat probandum, quânam ratione idem hoc lilium non modò utráque Virginitate Virgineum, purissimúmque sit, sed etiam fœcundum. Certè rerum naturalium scriptores mira de liliorum propagatione tradunt, inter quos Bartholomæus Anglius lib. 17. de propr. rerum cap. 91. *Habet*, inquit, *lilium radicem ex multis bulbis consistentem sicut allium*, ut ait Aristoteles lib. Vegetabilium, *& in singulis bulbis est virtus seminativa, & ideò ex unoquoq; crescit planta, quando per se plantatur. Idem docet Aristoteles quod hasta lilij, quæ nodosa est, si incurvatur in terram, & cooperitur, antequam semen ejus operiatur, & radix ipsius, sive cepa eradicetur, statim juxta paucos dies invenies, quòd à quolibet nodo stipitis emittat cepulam parvam, quasi illa esset de tunicis suis, sive de bulbis, cepulisque, radices. Et hoc est mirum valdè.* Sic ille. Hieronymus quoque Guadalupensis in cap. 14. Oseæ, lilij naturam fœcunditatémque sic exposuit: *Lilium omne herbarum genus vincit, tum propagationis copia, tum odoris fragrantia nimióque candore. Nam ex singulis ejus bulbi sectionibus, singula interdum etiam bina, aut terna capita nascuntur; ejus autem floris odor omnium est fragrantissimus, ac longè latéque diffunditur, tantúsque est illi arbori splendor, ut ipsum nivis candorem superet. Quam ob causam crediderim dixisse Plinium* lib. 21. cap. 5. *nulli flori majorem esse celsitudinem, eò quòd videlicet cæteris floribus fortassis hac potissimum fœcunditate tam uberi emineat.* Idem Plinius ibidem lilium graphicè admodùm descripsit: *Candor lilij eximius; foliis foris striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese levantibus, effigie calathæ resupinis per ambitum labris; tenuique filo & semine, stantibus in medio crocis. Ita odor colórque duplex, ut alius calicis, alius staminis, differentia angusta. Nihil fœcundius lilio, una radice quinquagenos sæpè emittente bulbos.*

Lilii naturalis fœcunditas.

65. Hujusmodi lilium, imò longè fœcundius, puriúsque ac candidius est Virgo nostra Deipara, quæ non modò florem, uti hæc aspectabilia lilia, verùm etiam fructum, & quidem hujusmodi, qui omnium saporem dulcedinémque in se eminentissimè continet, eósque mirè superat, toto humano generi, quo æternam ad vitam alatur, producit. Hic dicitur benedictus Virginei ventris fructus, fructus inquam, quem edidit Maria singulare prorsùs ac cœleste Lilium, cui simile nunquam, ne ipse quidem terrestris Paradisus, supremi illius Agricolæ manu

Fœcunditas Mariæ, seu fructus

Admiranc conjuncti Virginitat cum fœcu date.

nu

Admiranda conjunctio Virginitatis cum fœcunditate.

nu consitus; germinavit. Nunquam enim hactenus in rerum natura visum fuit, ut ullum lilium fructum aliquem ediderit; solum hoc Virgineum lilium Dei Mater dignissima, hoc peculiari privilegio gavisa fuit; cui proinde jure merito Sedulius Poëta Christianus cecinit

Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Eandem hanc Virginitatem, fœcunditatémque adeò sibi repugnantes, ut nunquam ante rationalis hujuscè lilii partum convenire, sibíque cohærere possent, pius ille vates Sannazarius in Templo Mergellino Neapoli, admiratione plenus considerans, ita modulatus est.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Virginitatem hanc, Maternitati sociatam Rupertus Abbas, bina sponsæ ubera esse dixit, quæ à Spiritu Sancto castissimis hinnulis capreæ gemellis inter lilia pascentibus comparare non dubitavit, ut omnimodam, perfectissimámque puritatem, in hisce naturæ gratiæque miraculis inesse intelligeremus. Quid enim castius hinnulis, quid purius liliis, quibus pasci idem perhibentur: Unde postquam encomium illud uberum pientissimus celebrasset Abbas: *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis* Cant. 4. mox hæc in Virginitatis fœcunditatísque tam admirabilis laudem subtexuit: *O ubera verè gratissima átque pulcherrima, duo ubera manu Altissimi formata! Hæc sunt Virginitas, & Fœcunditas, quarum pulchritudo in tuis ò dilecta uberibus castis, uberibus, quæ me lactaverunt, maximè spectanda est. Spectate Amici ubera hæc, imo in uberibus istis duo hæc, Virginitatem & fœcunditatē. Nonne sunt hæc sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Nunquam visum est simile huic in montibus, sive collibus nostris, sed neque videbitur in sæculis superventuris, ut uni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli, ut uni fœminæ contingat, quatenus ejusdem uberibus & Filium lactet, & Virgo sit. Aspicite hoc & admiramini, videte & congratulamini, quia caprea hæc talis hinnulos ità geminos edidit; quia fœmina hæc dum quasi caprea per montes exilit, dum cœlestibus & supernis animum intendit, gemella hæc plenæ gratiæ, dona feliciter apprehendit ut & Mater & Virgo sit.* Hæc Rupertus.

66. Quàm porrò nobilis quam admiranda sit hæc Virginea Fœcunditas, sive Virginea Divináque maternitas. Doctor Angelicus luculenter ostendit 1. part. q. 25. art. 6. ubi cum quæsysset, num Deus meliora possit facere ea quæ fecit? Respondit ad quartum; *beatam Virginem ex hoc, quod est Mater Dei, habere quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est DEus ex hac parte non posse aliquid fieri melius ea; sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Audiendus hac de re Doctor quóque Seraphicus in sent. Dist. 44. ubi docet Deiparam quoad conceptionem prolis, quia fuit Mater DEI (quo inquit, nihil nobilius cogitari potest) tantam habuisse bonitatis dignitatem, ut nulla mulier amplius capere potuerit. Si enim omnes creaturæ quantumcúnque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent præsentes, omnes deberent reverentiam Matri DEI. Audiendus quóque de hac dignitate S. Bernard. Hom. 4. super Missus, ubi ita loquitur: *Si juxta Salomonem Filius sapiens est gloria Patris, quanto magis gloriosum est Matrem ipsius effici sapientiæ?* sed quid ego tanto in

Dignitas Mariæ quia Mater & Virgo.

ejus laudibus, quam laudabilem prædicant Prophetæ? perhibet Angelus? narrat Evangelista? Non igitur laudo, quia non audeo, tantum replico devotus, quod jam explicavit per os Evangelistæ Spiritus Sanctus. Ob hanc Virgineam Divinámque Maternitatem S. Bernardinus Sen. Tom 3. serm. 61. art. 2. cap. 4. Divinam magnificentiam super cœlos elevatam Virginem appellare non dubitavit. *Adeò sublimis, adeò gloriosa est hæc Virginitati sociata fæcunditas; Mater Domini nostri JEsu gloriosa Maria*, inquit ille, *tantò melior est Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hæreditavit, ut obtineret dignissimæ Matris nomen.* Unde Propheta ait Ps. 8. *Elevata est magnificentia tua super cœlos.* Magnificentia enim Dei dicta est Virgo Maria.

Magnificentia Dei est Deipara ex hujus Maternitate.

67. Et jure sanè, si enim *magnificentia*, ut docet Doctor Angelicus 2.2. q. 134. art. 7. in corp. *est specialis virtus, qua quipiam homines magnum, speciosum, ac laude & honore dignum faciunt*, vel secundum M. Tullium lib. 2. de Invent. *Magnificentia est rerum magnarum & celsarum, cum animi quadam ampla, & splendida propositione cogitatio, atque administratio*, circa exteriorem videlicet executionem, ut interpretatur S. Thomas; ubi quæso supremus Artifex aliquid majus preciosius laude & honore opus aliquod dignius, quam in hac Virgine molitus est. Opus magnum, opus grande, est Deipara, palatium quoddam magnificentissimum, in quo suprema Majestas illa immensa, quam universa capere nequit creatura, novem mensibus habitatura, suásque sibi delicias erat habitura. Si enim Rex quidam apud Aurelium Cassiodorum lib. 7. variorum cap. 5. de suis palatiis loquens: *Hæc nostra sunt oblectamenta*, ajebat, *potentiæ imperii decora facies, testimonium præconiale Regnorum: hæc legatis sub admiratione monstratur, & prima fronte talis Dominus esse creditur, quale ejus habitaculum comprobatur. Et ideò magna voluptas est prudentissimæ mentis, pulcherrima jugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum fessum reficere dulcedine fabricarum.* Si inquam Rex ille de suis aulis ac palatiis ita loquebatur, ita in illis deliciabatur; quanto magis suprem9 omnium Rex in hoc animato Palatio, quod manibus suis propriis architectatus est, suavissimè conquiescebat? Grande sanè opus hoc, grandius longè beatissimis illis eminentissimis Deóque vicinissimis spiritibus Seraphinis, intellexit esse Mariam D. Card. Petrus Damiani, serm. 1. de nat. B. V. & Hugo de S. Vict. in Miscell. lib. 3. tit. 44. ubi Throni Salomonici expendens mysteria, ita loquitur: *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Divinitatis intra sui ventris concludit arcanum. Attende Seraphin, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem; & videbis, quidquid majus est, minus Virgine, solúmque opificem opus istud supergredi. Quod opus porrò preciosius unquam à maximo illo Rege Regum Domino Dominantium, ac Regum terræ Principe paratum est, quam hæc Virgo nostra.* Opus sanè hoc sapienter appreciavit Salomon Prov. 3. 14. Cùm de hac æternæ sapientiæ Matre loquens, juxta interpretationem Richardi à S. Laur. dixit: *Melior est acquisitio ejus negotiatione auri & argenti, pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Pretium denique hoc longè pulcherrimè, indicârunt sacræ literæ cùm 3. Reg. 10. Thronum illum Salomonis describentes pronunciarunt: *Et vestivit eum auro fulvo nimis.* Quod si per aurum, quod

Maria palatium Dei.

quod est metallorum Princeps intelligatur, ut interpretatur, idem Damianus & Hugo de S. Victore, Divinitas omni mundo creaturisque præeminens, quâ vestita est, imò supervestita Mater Altissimi, totámque Virginem tota illa indivisibilis natura largiori gratiâ superfudit; opus sanè inter res omnes creatas longè pretiosissimum fateri oportet esse Deiparam, ac per consequens, ob unionem illam intimam cum Divinitate Incarnati Verbi, omni laude, honoréque in ipsum Divinum Numen tanti támque præstantis operis redundante dignissimum. Cùm Virgo sit opus hujusmodi, in quo Deus immensos plenè divitiarum omnipotentiæ, sapientiæ, ac Bonitatis suæ sumptus, ac thesauros ad honorem sui Divini Numinis amplificandum profudit.

Magnificentiæ divinæ objectum Deipara.

68. Quibus omnibus ostendit luculentissimè universorum Dominus totas se suæ magnificentiæ vires, in hoc tam magnifico condendo opere exercuisse; cùm uti, ex eodem S. Doctore intelligitur art. 2. ad 3. & art. 3. in corpore. *Magnificentia sit virtus magnitudinis sumptuum effectiva, magnum aliquod opus faciendo præcipue in ordine ad honorem Dei.* Quod autoritate probat Philosophus Ethic. cap. 2. ubi ait; *Honorabiles sumptus sunt, maximè qui pertinent ad divina sacrificia, & circa hos maximè studet magnificus.* Verè Magnificus hic est Munificus Virginis nostræ Conditor admirabilem sumptuum, divitiarúmque suarum cœlestium magnitudinem, in opus hoc planè Divinum, quod totum in honorem gloriámque suam redundabat, profudit. Unde Angelus in sermone suo Angelico S. Brigittæ revelato cap. 4. ait beatos illos spiritus visâ corona super Thronum, in quo olim Virgo nostra collocanda erat, mirificè gavisos, eò quod major honor, gloriáque inde in Divinum Numen esset redundatura: *Videbant Angeli,* inquit ille, *super sedem illam, Coronam quandam tantæ pulchritudinis, tantæq; dignitatis, quod nullius Majestas nisi solius Dei ipsam debebat antecellere. Unde quamvis noverunt DEum, magnum honorem & gaudium ex hoc habere, quòd ipsos creâsset; majorem tamen honorem & majus gaudium ex hoc provenire videbant, quod tu ad tam sublimem Coronam creari debebas. Et ideò ipsi Angeli de hoc magis exultabant, quod te DEus creare volebat, quam ex eo, quod ipsos, creaverat.*

Angeli exultant propter gloriam Deiparæ.

Deipara omni laude & honore dignissima: ab omnibus sanctis honoratur.

69. Quod porrò Virgo Mater opus quoddam magnum honoréque dignissimum extiterit, adeò clarum est, ut comprobatione non indigeat. Hinc Salomon Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* Quæ verba Gulielmus Abbas attentiùs ponderans præclarè ad institutum nostrum loquitur: *Prædicaverunt beatam Virginitate, beatiorem fœcunditate, beatissimam fœcunditate simul & Virginitate.* Eadem illa Verba interpretans Dionysius Richelius in Cant. art. 21. *Deiparam ab omnibus creaturis laudari atque honorari dixit: Omnes rationales & intellectuales creaturæ Deo per charitatem conjunctæ tam in militanti quam in triumphante Ecclesia sacratissimam istam aut frequenter, aut indesinenter aspiciunt, magnificant, laudant, tam inferiores quam superiores ac mediæ. Et quantò sunt eminentiores, ac magis illuminatæ, tantò profundius ac lympidiùs intuentur ac contemplantur omnem dignitatem, excellentiam, & gloriam gloriosissimæ Virginis. Hinc Reginæ dicuntur eam non solùm videre ut filiæ, & laudare, sed beatissimam prædicare. Et meritò quoniam ipsa præstantissima ac virtuosissima Virgo*

concepit ac genuit omnium salvatorem, totius beatitudinis fontem, sic ex limpida ejus contemplatione maximè admirantur omnem perfectionem, & fælicitatem ipsius. Sic ille. Hinc ipsa Virgo in Domino de hac sua laude nationum omnium gloriatur: *Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes* Luc. 1. Laude dignissimum Divinum hoc opus vidit B. Marcella, cum Luc. 11. exclamavit: *Beatus venter qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.* Deníque Ecclesia. Sancta Virgineum hoc opus omni laude dignissimum censuit, cum animas sanctas ad videndum illud invitabat: *Venite, & videte filiæ Sion Reginam vestram, quam laudant Astra matutina, cujus prlchritudinem sol & Luna mirantur, & jubilant omnes filii Dei.* Et rursus: *Felix námque es Sacra Virgo Maria & omni laude dignissima,* causámque mox hujus subjunxit laudis; divinam nempè fœcunditatem purissimæ Virginitatis luci sociatam: *quia ex te, tanquam nimirum ex Virginea, lucidissimáque Aurora, ortus est nobis sol justitiæ Christus DEus noster.*

Honore digna est Deipara, quia est excellentior aliis creaturis.

70. Néque verò solùm opus hoc excellentissimum átque divinissimum laude, verùm etiam honore dignissimum esse. *Cùm enim honor.* Angelico Doctore attestante 22. q. 103. art. 1. & 2. in Corp. nihil sit aliud, *quàm quædam protestatio sive testificatio de excellentia bonitatis alicujus, qui ei debetur propter aliquam excellentiam vel superioritatem;* constat sanè, quanto in honore opus hoc Virgineum sit habendum, quod creaturis omnibus, etiam Angelicis, adeóque supremæ Seraphinorum, Cherubinorum ac Thronorum Hierarchiæ bonitate, perfectione, interioríque pulchritudine antecellit. Quod si non modò ob excellentiam bonitatis, verùm etiam ob superioritatem alicui honor deferendus est, operi certè huic, quod omnibus certè Dei operibus supereminet, vel maximè erit exhibendus. Verissimè enim de hoc opere usurpavit B. Petrus Cardin. Damiani serm, 1. de Nat. B. V. sententiam illam 3. Reg. 10. *Non est factum simile opus in universis Regnis;* addítque illicò: *Nihil verius nihil sublimius. Nam etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt opera, digitorum Dei hac Virginitate Dei Genitrice, cujus pulchitudinem sol & luna mirantur.*

Maria nomine & omine Domina.

71. Quòd si Virginem nostram ut Reginam totius universi Matrémq; superni Regis, potestate sibi Divinitùs ob Divinæ Maternitatis dignitatem communicata cuncta moderantem, gubernantémque consideremus, adhuc majori longè honore, dignissimam reperiemus; Dignitatem námque superioritatémque vel ipsum ipsius Numinis Etymon Maria, quod lingua syriacâ *Dominam* sonat, nobis luculenter declarat, Hinc S. Damascenus lib. 4. de fide orthod. *Itáque gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit, id enim Mariæ Nomine significatur. Nam revera Domina facta est omnium creaturarum, cùm Conditoris omnium effecta est Mater.*

Honor Mariæ debetur, quæ est quasi consanguinea Dei.

72. Quod si ex sententia Divi Thomæ 22. q. 103. art. 4. ad 2. Maxima reverentia homini, ex affinitate quam habet ad DEum; & quis tandem honor, quæ reverentia debebitur Virgini, quæ non solùm affinitatem, sed & consanguinitatem habuit ad DEum, siquidem carne & suis purissimis sanguinibus coalita, DEum in suo purissimo utero circumdedit. Ex qua cum Deo affinitate & consanguinitate, cùm Virgo maximis Divinis muneribus, virtutibúsq; fuerit ornata ac nobilitata, & super omnes creaturas potestate, do-

dominióque elevata, sanè maximo quóque honore reverentiáque dignissima reputabitur. Præclarè enim Theodoricus Italiæ Rex apud Aurelium Cassiodorem, cujus Cancellarius extitit lib. 5. variorum cap. 12. *Si justitiam*, inquit, *colere universos, & amare præcipimus, quantò magis eos qui nostra proximitate gloriantur? quos omnia decet sub laude gerere, ut Regiæ possint fulgorem consanguinitatis ostendere? hæc est enim indubitata nobilitas! quæ moribus probatur ornata.* Cùm igitur Virgo nostra approximatione cum æterno Verbo (unde in Cant. juxta 70. interp. identidem à sponso: Proxima mea vocitatur) & sanguinitate cum eodem fuit illustrissima, eximiis sanè virtutum gratiarúmque ornamentis comprobabitur decorata, ac proinde omni laude dignissima.

Deipara honoranda, quia benefica.

73. Quod si deníque in sententia Aristotelis lib. 1. Rhetor. cap. 15. *honor beneficæ existimationis est signum*, summo sanè honore Virgo nostra erit prosequenda, quæ tam eximiis suis beneficiis gratiísque nobiscum communicatis de se tam beneficam existimationem ingeneravit. Quòd porrò ob hujusmodi benefacta cælestiáque munera honos vel maximè deferendus sit Virgini, perspicuè ostendit idem Philosophus, qui post illam honoris definitionem hæc attexit: *Honorantur autem meritò, & quidem imprimis, qui beneficium dederunt, & qui beneficium dare possunt, beneficium autem est, quod pertinet ad salutem, & ad ea, quæ causa sunt, ut simus, aut ad divitias, aut ad aliquod aliorum bonorum, quorum non est facilis comparatio, aut omninò, aut in eo loco, aut aliquándo* (qualis est divina gratia, quæ cùm sit qualitas supernaturalis, *per quam*, ut loquitur Apostolorum Princeps, *efficimur Divinæ Consortes Naturæ*, nec inveniatur in terra nostra, nec auro, nec argento, aut aliis corruptibilibus comparetur, nulla ratione facilis est nobis comparatio) unde recurrendum ad Deiparam, ipsi tanquam Matri honorificatæ, ipsi tanquam Virgini honorandæ omnis honos deferendus, ut tam divinis beneficiis nos semper afficere, ac fovere, spiritualibúsque hujusmodi divitiis, qualis est gratia, charitas, dona Spiritûs Sancti aliáque charismata locupletare non dedignetur. Quod eam præstituram omninò pro innata sibi facilitate átque munificentia nobis persuadere debemus, siquidem ipsa est, ut loquitur sapies Idiota: *Thesaurus Domini, & Thesauraria gratiarum ejus.* Quod si multi, ut idem loquitur Aristoteles, ex rebus etiam, quæ parvæ videntur, honorem adipiscuntur, qui obsecro honores à nobis Virgini exhibendi sunt, quæ nil ita modicum nobiscum communicat, quod magni æstimandum non sit, siquidem illud ipsum & magno cum amoris, quo erga nos velut rubus incompustus, inflammatur affectu, nobis impertitur, & res per se, qualis est Divina gratia, cujus gradus vel minimus, guttulave perexigua, mille mundis, omnibúsque eorum divitiis ac thesauris anteponenda est. Hæc enim omnia nil nobis per se ad æviternam vitam, beatámque hæreditatem conferunt. Gradus autem gratiæ vel unicus, nos filios DEI adoptivos & Regni cœlestis nunquam terminandi cum Christo cohæredes efficit.

Maria Thesaurus & Thesauraria DEI.

Varia genera honorum & modi Deiparam honorandi.

74. Ut deníque modum tantam, támque Divinam Benefactricem honorandi perdiscamus, eundem Philosophum ita concludentem audiamus: *Partes autem honoris, sacrificia, monumenta, & versibus, & sine versibus, præmia, possessiones, statuæ, victus publici, adorationes, conspectus evitationes munera*

nera quæ apud singulas gentes preciosa sunt. Quæ sanè omnia honorum genera, Virgini ob præclara ipsius in genus humanum merita, quotidie jam indè ab exordio Religionis Catholicæ ab Ecclesia deferri, magna cum pietate, omniúmque bonorum gaudio conspicimus. Quàm porrò grata Virgini Missarum sacrificia, quæ Deo in ejus honorem offeruntur, esse consueverint, alibi declaratum est, cum ex Petro Damiano ostendimus, quanto studio suum Capellanum, ejus Missas quotidie celebrantem apud Episcopum protexerit.

Missa de B.V.

75. Et verò hujusmodi Missæ in ejus honorem celebratæ ipsi gratissimæ velut munera sunt eidem acceptissima; munus tamen post hæc inter præcipua reponendum censeo ipsius officium, quod illi à fidelibus diebus singulis persolvitur. Hoc nimirum illi velut munus mitè gratum esse agnoscens Urbanus II. Pont. Maximus in concilio Claramontano, agens pro felici successu recuperationis Terræ sanctæ post graves efficacissimásque habitas exhortationes officium hoc omnibus non modò Clericis, sed etiam Laicis recitandum præscripsit, ut fusiùs nos ex Card. Baronio Tomo 11. Annalium Anno 1095. retulimus.

Officium B.V. pro recuperanda Terra sancta indictum.

76. Ostendit Virgo gloriosissima gratissimum sibi esse hoc recitandi ipsius officii obsequium S. Ildephonso Archiepiscopo Toletano servo ac Filio sibi addictissimo. Hic enim, ut refert Pelbartus lib. 1. stel. Part. 4. art. 3. cap. 2. cùm librum elegantissimum de Virginitate S. Mariæ contra Elpidium pestilentissimum Hæreticum in lucem edidisset, ejúsque intemeratum pudorem pro suo in Deiparam affectu strenuè propugnâsset, ac demum in honorem ejusdem Virginis officium novem lectionum composuisset, ut ei Dei Mater se gratam exhiberet, idem illud pensum Honorarium precum ab Angelis in Ecclesia cathedrali se præsente die quodam sabbati decantari voluit. Quam harmoniam Angelicam, cùm Sanctus Antistes inaudisset, existimabat suos Canonicos horas matutinas decantare, quibus ille; ut præluceret exemplo, assiduè interesse consueverat. Itáque cum suis domesticis illicò ad Templum advolat. In ipso templi aditu mox hæret attonitus; lux enim clarissima, qua totum radiabat sacrarium, Angelorúmque canentium refulgentes pulchro ordine dispositi chori, nec non ipsius Cœlorum Reginæ, in Archiepiscopali Throno residentis majestas ipsius mirificè perstrinxit aspectum. Quo spectaculo delectatus in Ecclesiam progressus, Angelicis illis concentibus animum recreavit. Persolutis matutinis precibus, Virgo benignissima Ildephonso magnâ benevolentiæ significatione ad se accito in primis pro libro, quo perpetuam suam Virginitatem tanto studio contra suos adversarios defendit, deinde pro officio ad laudem composito gratias agere non est dedignata. Nec hic gloriosissimæ Virginis in Ildephonsum stetit benevolentia. De cœlo enim sacerdotalem miri operis ac pulchritudinis secum delatam vestem, quâ amictus deinceps in sui honorem celebraret, obtulit, eúmque vestivit. *Accipe*, inquiens, *de manu mea munusculum, quod tibi de Thesauro Filii mei attuli, cultæ in tuo corpore Virginitatis, cum mentis puritate, fideíque ardore conjunctæ, nostræq; Virginitatis defensæ præmium.* Nec ornandi Ildephonsi Virginis hic conquievit amor, evocavit mortuos è sepulchris, jussitque servi sui laudes, qui eam & officio & suis lucubrationibus tantoperè exornârat, celebrari. Testis est S. Virgo Leocadia, quæ ante Ildephonsum 300. & amplius annis è vivis excesserat. Ad hujus sepul-

S. Ildephonso compositum à se officium de B.V. eádem præsente audit ab Angelis in templo cantari, & alias ab Eadem gratias accipit.

S. Leocadia è tumulo surgens gratias agit S. Ildephonso pro defenso & promoto honore Deiparæ

sepulchrum cum Sanctus Antistes aliquando supplicaret, ecce tibi rem admirandam! præsentibus Rege Reccesvintho, Clero & populo sepulchralis lapis, quo tumulus S. Virginis tegebatur, sponte sublatus est, quem vix 30. fortissimi homines loco movere potuissent; moxque egressa Leocadia Virgo pulcherrima manum Ildephonsi tetigit, eique dixit: *Per te vivit Domina mea;* cui illicò omnes in Templo una voce exclamarunt: *Deo gratias in cælo & in terra.* Ildephonsus tanti prodigii stupore attonitus in laudes inprimis ejus effusus, ei Urbem Regémque commendavit: deinde cupidus hujus Sanctæ Virginis ubíque gloriam etiam ad posteros propagandi cultrum petebat, quo ejus velum, quod ipse manu tenebat præcideret, & illa jam in sepulchrum se recipiens retrahebat; tandem Rex gladium è vagina eductum ei obtulit non sine lacrymis, sicque veli partem, quâ Virginis caput tegebatur abscidit, & ad instar grandis thesauri una cum gladiolo in Sacrario Templi Toletani thecis argenteis hæc inclusa ad perpetuam tantæ rei memoriam asservari curavit. Joann. Bonif. in Hist. B. V. lib. Hinc factum ut aliqui Religiosorum ordines id obsequii genus gratum Deiparæ esse animadvertentes singulis sabbathi diebus illi persolverint, uti fecit Cluniacensis Ordo anno Domini 812. Piam hanc officio hoc Virginem honorandi die Sabbathi potissimùm amplexus est consuetudinem Anno 1047, S. Gerardus Episcopus Canadiensis Hungariæ sydus Illustrissimum, ut testatur Surius 4. Sept. ac demum universalis Ecclesia; quæ pro suo erga Immaculatam Conceptionem Divinæ Matris affectu loco officii illius, quod antiquitus recitari solebat in Sabbatho; permisit ut officium immaculatæ conceptionis ab omnibus qui vellent, diceretur.

Officium B. M. V. in sabbatho.

77. Ut porrò Deiparæ addictissimus Pelbartus ad pensum hoc precum horariarum persolvendum induceret, ex S. Anselmo admirabile adducit exemplum loco citato. Refert enim hominem quendam inprimis Angelicæ salutationis, ac deinde, hujus officii Virginei amantissimum, ex hac vita cum lethalis peccati conscientia emigrâsse, cujus animam Cacodæmones mirâ lætitiâ gestientes cùm raptare ad Infernum attentarent, à bonis Angelis Divina vi prohibitos, ea solùm de causa, quod homo ille inventus fuerit, ut loquitur Pelbartus, quòd in vita frequentiùs B. V. M. salutaverit, & officium ipsius devotè dixerit. Unde addit sanctos illos Angelos ita pronunciâsse: *Verè perire non poterit qui hoc facit.* Et ita factum est quia Christo judicante, anima ad corpus rediit, & pœnitentiam egit. Concludit tandem idem Pater Religiosissimus. *Et sic patet quòd Angelis gaudiosa sit salutatio B. V; imò & omnis honoris cultus, quale est officium, ab hominibus Mariæ impensus atque exhibitus.* Quare jure meritò Pius V. Pont. Maximus. Bulla quadam piâ hortatur omnes ad officium B. V. recitandum, adjecta insuper Indulgentiarum largitione. Idem simul præcipit servandam in choro ejus recitandi consuetudinem, præscriptis diebus, quin ex constitutione ejusdem, qui ex beneficio Ecclesiastico obtinent pensionem, tenentur ad recitandum saltem officium parvum B. Virginis.

Salutationem Angelicam & officium B. M. V. recitare solitus, cum obiisset in peccato mortali, ad vitam revocatur ut pœnitentiam agat.

Officium B. V. recitans lucratur Indulgentias.

78. Quid jam de adoratione Virginis, quid de ejus conspectus ob reverentiam evitationibus, quæ passim præsertim in Italia, in ipsius miraculosis Imaginibus usurpantur, dicam? Hæ sanè Virginei conspectus oppansis velis evitationes miram pietatem, venerationémque in animis fidelium excitant, eósque ad honorandam summo studio Deiparam

Imagines B. V. præsertim miraculosæ pro majore reverentia tegi solent, & certis solum temporibus operiri.

vehementer accendunt. Quæ cæremoniæ etiã à Gentilibus eundem in finem ad Deorum suorum Superstitiosam Religionem amplificandam usurpatæ sunt, ut inter alios testatur Marcus Tullius in Verr. lib. 5. ubi ejus in Deos pietatem ac præsertim in Cererem reprehendens: *Cereris*, inquit, *simulachrum à viro non modò tangi, sed nè quidē aspici fas fuit.* Hoc tale fuit, ut homines cùm viderint, aut ipsam videre se Cererem, aut veram effigiem Cereris non humana manu factam, sed cœlo delapsam arbitrentur. Celeberrima hoc in genere est Imago illa simul & admiranda, in Urbe Constantinopolitana, coram qua pendebat olim velum totam Iconem Virginis contegens, quod feria 6. nonâ horâ post vesperas, nullius prorsus ope recedebat, amabilémque Virginis faciem omnibus visendam exhibebat; ac rursùs die Sabbathi absolutis eâdem horâ sanctâ vesperis, velum sua sponte retrocedens Iconem operiebat. Ex quo facto intelligebat populus, inquit Benzonius lib. 2. in Magn. cap. 22. dub. 7. cum Pebarto lib. 12. P. 1. art. 2. cap. 4. tali tempore & die B. Virginis faciem peccatoribus orantibus maximè propitiam & obviam esse. Quare Græci sabbathum diem solemnem ad Virginis cultum statuerunt, & deinde consuetudo illa ad Latinos transivit, ut scilicet die Sabbathi specialis honor B. Virgini exhiberetur. Celeberrima quóque est imago Virginis Annunciatæ Florentiæ Angelico penicillo perfectæ, de qua P. Cherubinus Servita lib. 2. vitæ B. Philippi Benitii cap. 12. hæc posteritati mandavit. *Quamquam*, inquiens, *Divæ Annunciatæ miracula à nemine mortalium scribantur, consensus tamen populorum & quotidiani præsentissimi Patrocinii experimenta, tum vis quædam divinitus atq; occulta indita huic Imagini celebritatem ejus & Religionem perpetuabant. Certè hâc nostra ætate eo usque venerationis ascendit, ut ostendi nisi clam ac de nocte non possit, ne affluentis contentione multitudinis aliqui obterantur; cui incommodo ut Principium caveat providentia, & omnes intelligant sanctiorem Hetruriæ thesaurum eam effigiem esse, duabus clavibus, quarum alteram ipsi, alteram Cœnobii Antistes conservat, objecta vela clauduntur, & eorundem insuper Principum annulo signantur. Ac nihilominus si quando vel hospitibus Principibus, vel Regum, ac rerumpublicarũ oratoribus postico, & nocte, atq; oppessulatis Templi foribus Imago revelatur, nulla diligentia ita clauditur civitatis ardor, quin tot, quot Ecclesia capere potest: irrepant, multóque plures templi aditus & fores obsideant, strepero pulsu, atq; infimis precibus, vocibúsque intromitti orantes. Sed illud inprimis admirandum est, & quod Divinam quandam vim illi vultui inditam esse vel maximè convincat, quòd sic admissi vix prima Virginei oris lineamenta ad faces videant, cùm solvi statim in lacrymas, ac prorumpere in singultus ac gemitus internæ compunctionis indices ac pectora palmis plangere incipiant universi atque adeò illi etiam, ut frequenter fateri solent, qui non tam pietate, quàm curiositate ac rei insolentia ducti accurrunt. Tam plena est illa facies gratiarum, ut planè Divinitus ac perpetuò miraculo contingere necesse sit, ut tanta movendi vis in unius aspectum Imaginis cadere possit, quantam vix veterum Poëtarum licentia Palladis Ægidi durandis insana hominibus affingere ausa fuit. Ejus huic Imagini insitæ Virtutis testis est B. Aloysius Societ. JEsu, & serenissimæ familiæ Gonzaganæ jubar. Hic enim profiteri erat solitus, se ex D. Virgine Annunciata Florentiæ,*

Imago Deiparæ Constantinopoli aliàs tecta, per miraculum absque humano motore die sabbathi aperiri solita. Hinc sabbathum honori Deiparæ sacrum.

Imago B. V. Annuntiatæ Florentiæ mira vis, & ejus videndæ singularis ardor populi.

velut

velut ex optima nutrice primitias Spiritus Sancti suxisse. Sic ille de Religione quà honoris gratia utuntur Florentini in evitando oppansis velis Virginis aspectu, tantâ támque admirandâ energiâ, virtutéque pollente.

Maria opus Magnificentiæ divinæ, imò ipsa magnificentia est.

79. Ex quibus liquet, Virginem singulare quoddam Divinæ magnificentiæ opus esse, quia magnum, quia pretiosum, quia laude & honore dignum, quia denique in summum Divinæ Majestatis honorem redundans, ut proinde nobis maximè mirandum sit, à Seraphico P. Bernardino de Senis, eam ipsam magnificentiam, per antonomasiam fuisse vocitatam, ob tot omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatisque Divinæ thesauros in eam transfusos, dum rès tam longè à se distantes in ipsa univit, eámque & purissimum simul, & fœcundissimum lilium æternum Dei Patris, intemerato flore pudoris remanente pariendo Filium, efficere voluit.

B. Ægydius Franciscanus triplici lilio miraculosè producto confirmat Virginitatem Mariæ ante partum, in partu, & post partum.

80. Virginitatem porrò indissolubili vinculo cum fœcunditate sociatam etiam post partum per lilia figuratam fuisse in Deipara ostendit S. Ægydius unus ex primis S. Francisci sociis, vir adeò rerum cœlestium cognitione amoréque captus, ut vel ad solum Paradisi auditum nomen in ectasim raperetur. Hujus Sancti fama cùm ad aures cujusdam Theologi ordinis Prædicatorum anxiis cogitationibus circa perpetuam Virginitatem Deiparæ fluctuantis pervenisset, statuit Ægydium adire, ut tranquillitatem animi, malatiámque nancisci posset. Hunc à longe conspicatus Sanctus, ejus animi cogitationúmque rimatus intima, ei obviam procedit, & simul baculo, cui innitebatur, terram pulsans Theologum hisce verbis compellat: *Frater Prædicator, Sanctissima Deipara Maria, Virgo est ante partum,* móxque ibidem pulcherrimum exortum est lilium. Rursus humo percussa iteravit: *Frater Prædicator, S. Maria Virgo est in partu,* & confestim alterum non minoris pulchritudinis pullulavit lilium. Tertio tandem baculo solum feriens: *Frater,* inquit *Prædicator, S. Maria Virgo post partum,* & illicò tertium emicuit lilium formositatis & candoris admirandi, ut scribit Joann Bonifacius noster lib. 4. de Hist. Virginali cap. 2. Tit. quodam Theologo.

Sodales Congreg. Marianarum sunt fructus Lilii Mariani.

81. Neque verò gloriosissima nostra Deipara purissimum est lilium ac fœcundissimum solùm respectu Filii Dei ante partum, in partu & post partum, verùm reliquorum spiritualium filiorum; ac præsertim pietate florentissimorum adolescentum in Hortis hisce sodalitatum societatis nostræ, qui dum puritatem animi corporísque amore Virgineæ sponsæ hujus, integram illibatámque beneficio potissimùm frequentationis sacramentorum conservant, quid aliud videntur, quàm candidissima quædam lilia, de quibus Siracides Eccl. 50. quæ sunt in transitu aquæ Divinæ gratiæ, quæ ex sacramentorum usu tanquam Paradisi fontibus emanat.

82. Lilia hæc ex radice hujus Virginei rationalísque lilii, ex cultu nempe ipsius immaculatæ Conceptionis potissimùm, atque adeò intima ardentissimáque in Virginem devotione, quam cordibus suis à primis adolescentiæ suæ annis fovere addiscant, pullulat, ac germinant, adeò ut Parthenia hæc sodalitia, nil aliud mihi, quàm amœnissima quædam cœlestiáque liliis candidissimis consita viridaria esse videantur. Hæc viridaria ut à Virgine maxima cum sedulitate excolantur, mirificè cœlestis sponsus solicitus est, rogátque sponsam etiam propriis suis castissimis, quas cum illa habet delitiis, postpositis, ut benignissimos illos, patien-

Sodalitia sunt Viridaria liliorum

patientissimósque oculos amore omni, providentiáque plenissimos, ad mysticos hoscè excolendos Hortos convertat: *Averte*, inquiens, *oculos tuos à me* Cant. 6. 4. In quæ verba Paraphasticè Dionysius Richelius art. 21. in Cant. *Quamvis*, inquit, *ò unica mea, tota tua dilectio sit me jugiter intueri, verùmtamen non solùm me intuearis, sed & commissam quoque tibi Ecclesiam, & miseris ad te clamantes: Sic ergò averte oculos tuos à me, idem, aliò quoque eos converte, non tamen intueri me cesses. Attamen oculos illos tuos maternæ compassionis ac piæ solicitudinis, quos in terris habuisti, ad me adhuc passibilem & mortalem, præsertim tempore passionis, averte omninò plenariè à me jam glorificato, & converte illos ad miseros exultantes, ad te lamentabiliter ac devotissimè conclamantes: Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Ut porrò ostendat sponsa non irrita sui Dilecti sponsi cecidisse verba sequenti capite ita loquitur, ut planè mirificus in plantandis, excolendísque hisce liliis in agro Dominico elucescat amor, piáque solicitudo, quam illa verbis illis Cant. 7. v. 11. quibus deprecatur pro illis Dilectum prodidit: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Ibi dabo tibi ubera mea.* Quæ verba S. Theodoretus Cypri Episcopus lib. 4. in Cant. accuratè expendens ita loquitur: *Sponsum hortatur sponsa, ut animarum vilium adhuc & abjectarum, quas metaphoricè agrum & villas nominat, curam gerat. Neque enim dicit: egrediamur in civitatem, sed egrediamur in agrum, commoremur in villis, manè surgamus ad vineas, videamus an vitis floruerit &c. quasi dicat:*

Deiparæ erga sodalitates pius affectus.

Aspiciamus eos, qui modò prædicationem acceperunt, an floruerit germen, intueamur & meliores istos (quales sunt innocui hi sodalitiorum adolescentes) *qui non solùm folia, sed etiam flores tulerunt, quos hic per germen intelligit. An floruerunt mala Punica, an charitatis initium in aliquibus apparuerit. Oportet enim nos circumire, omnémque Idoneam diligentiam adhibere. Ita námque te promerebor. Unde inquit: Ibi dabo tibi ubera mea. Quæ enim illis præstantur, ea in te ipsum collocata arbitraris. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et quia prævidebat in cœtibus hisce Partheniis Virgo nostra fore usum castigationis corporis, membrorúmque ad puritatem, tam animi quam corporis in suo flore conservandam, mortificationis prótinus addidit: *Mandragoræ dederunt odorem suum. Mandragoræ*, inquit Theodoretus, *ut Medici tradunt, vis est soporifera. Quare cùm præceptum nobis fit, ut mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram; non ut ea morte afficiamus, sed ut malis actionibus mortua reddamus, meritò dicitur. Mandragoræ dederunt odorem, cæperunt homines dormire peccatis. Et quemadmodum qui Mandragoram hauserunt, corporis motiones non sentiunt, ita qui piæ doctrinæ poculum biberunt, perturbationes student consopire.* Quid aptiùs de adolescentibus? qui corporis titillationibus, carnísque stimulis exagitantur, quod omnes poculo illo inebriat, consopítque, quod dilecto se propinaturam promittebat Cant. 8. v. 1. *Dabo tibi poculum ex vino condito & mustum malorum granatorum meorum.* Hoc enim vinum conditum, ut interpretatur Joann. Cardinalis Halgrinus, ait charitatem esse conditam melle devotionis & aromatibus bonorum operum. *Mala granata vocat*

Mortificationis studium in Sodalitatibus, & devotio.

vocat contubernia bonorum operum, contenta sub cellulis singularum virtutum. Et ex his procedens dulcis suavitas dicitur mustum malogranatorum meorum. Et signanter additur: Meorum: quia malogranatis ipsius, nulla alia comparantur. Hæc Halgrinus; quæ nos ad suavem providentiam, piámque sollicitudinem Virginis, qua in adolescentulis sibi peculiari devotione addicti sensuales affectus consopire, pravásque carnis morificare cupiditates consuevit, meritò transferre possumus. Verè enim Virginea illius charitas melle devotionis, aromatibúsque bonorum operum condita, qua illam prosequimur, amantissiméque complectimur, Poculum est, mustum est Malogranatorum Virginis quo velut sancto quodam philtro ita inebriamur, ut carnalium illecebrarum motus titillationésque minimè sentiamus, vitámque universam purissimè vernantis instar lilii transigamus, tandémque cœlesti illi sponso inquam illi decoro gloriâ sponsísque reddenti præmia consociemur.

83. Atque ita Virgo nostra non modò Esca erit dulcissima, ad capiendos homines præparata, quod olim Pater æternus. S. Catharinæ Senensi in suis Dialogis revelavit, verùm etiam dulcissimus, nectareúsque potus, ad Mortales Virgineo Divinóque inprimis amore inebriandos ac consopiendos, ne ulla terrenarum carnaliúmque rerum cupiditate capiantur, peridoneus. Quamobrem Ecclesia sancta hanc supremam Cœli Reginam tanquam substantialem, ac ipsam veram nostram post DEum Dulcedinem salutat; ac demum in illius salutationis fine, *Virginem dulcem* appellat. Crediderim id ideò factum ab Ecclesia, quòd dulcedine divinitus sibi insita teneros castósque adolescentium animos, ad amorem Virginitatis alliciat, útque eos in fragrantissima quædam lilia tranformet; adeò, ut consideratis attentiùs hisce Virginit floridissimis viridariis, Cœtibus videlicet Partheniis, támque suaviter tot adolescentium puritate halantibus, dicere possimus cum Siracide Eccl. 39. 19. *Florete flores, quasi lilium, & date odorem. & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam.* Verè enim & Nomen JESU, & Nomen Matris ejus Mariæ ab hisce rationalibus liliis magnificandum, ac glorificandum est, quòd ea bonus JESUS in suum Matrísque dilectissimæ viridarium transplantârit, súbque protectionis suæ umbra, ne carnalium cupiditatum æstu decoquantur, conservet, quo & puritatis candore, & bonorum operum fragrantiâ mortales omnes, eorum educationem considerantes, ad benedicendum universorum Dominum in his potissimùm operibus suis invitent.

84. Dulcedinem hanc Virginis, qua sinceras adolescentium mentes, ac corda ad se attrahit, præclarè celebravit P. Franc. de Retza ordinis Prædicatorum Tomo 2. M.S. super Salve Regina, qui floruit 1424. ubi inter reliqua ait: *Sciendum de hac Virgine dulcissima, quod de Josia cujus memoria fuit in compositionem odoris facta opere pigmentarii, in omni ore quasi mel indulcabitur memoria ejus* Eccl. 49. *sentiendum, inquam, idem de dulcissima hac Virgine, cujus Nomen est mel in ore, melos in aure, & jubilus in corde, quoniam sicut mel quantò amplius masticatur, tantò dulcius sentitur: sic Virgo beatissima quantò amplius cogitando revolvitur, tantò suavior experitur.* Tum paucis intercalatis ostendit Dulcedinem hanc Deiparæ esse, inprimis multùm nutritivam, deinde sensûs maximè delectativam. Maria dulcedo, mel.

Hoc eâ probat ratione, quod dulcedo naturæ sit amica, propter quod est multum nutritiva. Nihil enim nutrit naturam aut sustentat, nisi quod ei amicum est, sed hanc dulcedinis proprietatem esse in summo, in Beatissima Virgine constat, quia Naturæ naturantis scilicet Domini Dei specialissima fuit amica & dilecta. Unde de ea Sap. 8. dicitur: Dominus omnium dilexit illam. Et quia DEum super omnia amavit, qui diligentes se diligit; ideò præ cunctis Dei amica fuit. Hinc ei quidam cecinit:

Dulcis amica DEI, mihi sis portus requiei,
Tu rege me, tege me, cura me, tu recrea me;
Tu mea Dux, mea lux, mea spes, mea res, mea vita,

Maria dulcedo

85. Ad finem tandem totius Tom. 11. idem Retza probat Deiparam Virginem non modò dulcem, sed ipsam esse Dulcedinem. Circa quod sciendum, inquit, quod dulcedo Beatissimæ Virginis non est sic abstracta, nec ut abstracta simpliciter à subjecto recipienda, quia est & existit in sua substantia & quantitate sanctissima, sed in hoc tenet se similitudo, ut abstracta, quia in se est eminenter omnis dulcedinis suo modo contentiva, cujus pura creatura Deo hypostaticè non unita capax esse potest. His præmissis, sit hæc conclusio; quòd Virgo beatissima ut Dulcedo abstracta, omnis gradus & perfectionis suavitatis & dulcedinis in summo est in se & eminenter contentiva. Quod probat Albertus Tract. super Missus c. 269. ostendens quòd fructum spiritus, qui est Bonitas Gal. 7. Beatissima Virgo habuit in summo. Tum quia Bonitas illa secundùm glossam est Dulcedo animi. Sed secundùm Philosophum dulce est, quod amaro impermixtum, dulcius quòd est amaro impermixtius, & dulcissimum, quod est amaro impermixtissimum. Sed solius Virginis animus fuit omni amaritudine impermixtissimus, quia ejus solius animus fuit dulcissimus. Tum quia dulcedo in bonis cognitis & habitis consistit. Sed Beatissima Virgo bona nobilissima in se cognovit, & præ cunctis habuit, ergo dulcissimi animi fuit. Tum quia Deipara fuit animata illa Arca, in qua fuit Urna aurea dulce Manna continens, quo ipsius summa Dulcedo demonstratur. Tum quia deníque fructus ejus dulcissimus extitit, qui est Christus JEsus, ergo & ipsa fuit dulcissima, quia ex fructu cognoscitur Arbor, & qualis fructus, tales rami, juxta illud Jacobi: *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* quasi dicat: qualis est intus fons, talis est & extra. Cùm igitur à Virgine Beatissima summa dulcedo processerit, patet quòd dulcissima fuerit, & quòd dulcedinem animi etiam hic in via omni viatore majorem habuerit. Quid mirum igitur, quòd ab hac dulci Virgine, imò ab ipsa Cœlesti hac dulcedine illecta tenera adolescentulorum corda adeò ejus puritatem diligant, ut in lilia transformari videantur.

86. Nimirum fœcunda Virgo nostra est Virga illa Jesse de cujus radice ascendit pulcherrimus ille flos, qui de se ipso loquebatur in Cant. cap. 2. *Ego flos campi & lilium convallium.* Quo cum flore ac lilio innumeri alii flores, liliáque cœlesti candore splendicantia spiritualiter generrta sunt. Quod nobis S. Evangelista Lucas indicavit, cum de partu Virginis loquens ait: *Peperit filium suum primogenitum,* principalem videlicet illum Regiúmque florem ac lilium, cum quo postea spiritualiter quam plurima alia toto terrarum orbe veluti fœcundo ex horto germinarunt, totúmque mundum, suavissima Virginitatis, puritatísque suæ fragrantiâ repleverunt, ita

Maria Virga Jesse fœcunda Mater plurimorum florum spiritualium.

ita ut animæ hac ardoris suavitate captæ ad principale hoc Regiúmque lilium clament: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum.* Cant. 1.

Sodales & alii clientes sunt Corona Deiparæ ex gemmis & liliis.

87. Lilia hæc adeò sunt chara Virgini, ut ex his pulcherrimam sibi coronam contexere, capitíque suo imponere videatur. Hac corona redimitam gloriosissimam hanc Virginum ac Virginem Reginam contemplata est S. Brigitta lib. 1. Rev. cap. 31. ubi liliis candidissimis etiam pretiosissimas gemmas admixtas vidit, ad indicandum hasce castissimas animas Virginis nostræ esse non modò flores, sed etiam divitias atque inæstimabilia ornamenta ac monilia, & quendam quasi mundum muliebrem, quo decorata sibi mirificè complacet, adeóque oblectatur, ut summo animi gestientis lætitia identidem illud usurpet Isa. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

Christus Corona Deiparæ: ejusdem corona sunt qui eidem sunt devoti, præsertim Virgines.

88. Quemadmodum enim principale illud Regiúmque lilium ac flos, qui ex hac Virginea Jesseáque ascendit Virgula, non modò illi ornamentum ac pulchritudo, verùm etiam corona extitit: ita etiam reliqui spirituales filii. De quibus sanè jure meritò ei dicere potest Dominus illud Isa. 49. 18. *Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos, quasi sponsa;* indicans hoscè spirituales filios non modò esse hujus Matris Virginis pulcherrima ornamenta, vestésque aureas ac monilia, verùm etiam coronas, quibus sibi caput ad instar sponsæ circumdat. Hæc nimirum est Mulier illa Apocalyptica, quam aquilinis oculis in cœlo contemplatus est Joannes Apoc. 12. in cujus capite erat corona stellarum 12. Coronam illam ego dixerim Christum B. Virginis Filium, stellas universitatem justorum, ac præcipuè Virginum, quæ puritate sua, licet lilium candori, ita syderum splendori æquiparari queunt. Quod porrò primogenitus atque Unigenitus æterni Patris Virginísque Filius illi corona extiterit testatur S. Amadeus Hom. 7. de laude B. V. Corona capitis ejus Christus est, dicente sapientissimo, quia Filius sapiens Corona est Matris suæ. Et quis sapientior, quam ipsa Patris sapientia? quemadmodum igitur ipse Christus flos Matris Virginis ejusque Primogenitus Filius fuit illi corona, sic quoque piè existimandum esse candida hæc Virginitatis lilia, secundo genitos spirituales filios, esse illi coronas longè speciosissimas, quibus illa mirificè gloriatur, perinde ac si totidem Virginitatis Laureolis coronaretur: & ipsa vicissim dilectissimos hujusmodi filios in cœlis, imò & in terris aliquando admirabili gloria & honore coronat.

S. Thomas Aquinas adhuc infans schedulam cui inscripta salutatio Angelica deglutit.

89. Talis corona, tale egregium ornamentum visus est esse Deiparæ Virgini D. Thomas Aquinas, cum ob ingenii subtilitatem, tum ob animi insignem puritatem, Doctoris Angelici nomine decoratus. Hoc ille ornamentum ab ineunte ætate exhibere cœpit Virgini. *Cum enim* uti scribit S. Antoninus Archiep. Florent. 3. part. Hist. titul. 23. cap. 7. §. 1. *Puer adhuc lactens esset, nutrixque ejus fasciis exsolvisset, contigit, ut chartulam quandam divino sine dubio instinctu, nemine jubente de terra levaret, quam ille adeò strinxit, ut nutrix illi eam eripere, licet multum conata, minimè potuerit, cujus vim ille lacrymis, ejulationibusque repulit; his tamen Matris suæ piæ violentiæ resistere pusio non potuit, licet enim ejularetur, Mater tamen vi illi chartulam e manibus eripuit, in qua Angelicæ saluta-*

tionis initium exaratum reperit. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, quam ille postea deglutivit, tantumq; erga ipsam amorem hausit, ut postea grandævus, præclarissimis commentariis ornamentum quodammodo exhibendo Virgini, exornavit.

Idem sanctus Adolescens post egregium pro castitate certamen: accipit donum castitatis.

90. Hic pietatis in castissimam Virginem affectus ipsi sinè dubio Virginei lilii candorem conservavit. Dum enim adolescens captivus à suis, ne Religionem ingrederetur, in castro quodam detineretur, ad eúmque lascivam, impudicámque quandam puellam, quæ animum ejus depravaret, submisissent, mox ea conspecta adolescens ardentem titionem ex camino arripit pro pugione, ut loquitur S. Antoninus §. 6. & suggestricem ignitæ libidinis puellam extra cameram fugans exturbavit. Hoc pro claro perpetrato facinore in fervore spiritus eodem titione in pariete efformata cruce, provolutus in genua, Deum, ejúsque Matrem cum lachrymis orat, sibi Donum perpetuæ castitatis Virginalis impertiri. Inter orandum somno opprimitur, & ecce tibi duo Angeli cœlitus missi adsunt, ejus preces exauditas à Deo esse asseverantes, simúlque eum cingulo quodam circa renes, non sine dolore sensibili constringunt, aientes: Te cingimus cingulo castitatis, quod nullatenus inposterum dissolvetur. His ille à B. V. præventus gratiis, his pudicitiæ Virginalis decoratus ornamentis, dum viveret, tantos in omni virtute fecit progressus, ut & ipse vivens, moriensque eximium non modo Deiparæ, verum etiam universæ cœlitum Curiæ evaserit ornamentum.

91, Quod nobis idem Sanctus Antoninus cap. 7. §. 12. declaravit, revelatione quadam facta P. Alberto de Brixia, sui ordinis, Angelici Doctoris studiosissimo. Scribit enim hunc vice quadam ante aram B. Mariæ cupidum sciendi, quali gloria sanctus hic in cælis resplenderet, cum lachrymis potentius orasse; cum ecce tibi duæ venerandæ personæ ei apparuêre mirabili cum splendore, ornatúque; quarum una erat in Pontificali, mitram habens in capite; altera in habitu Fratrum Prædicotorum, quæ coronam auream habebat in capite preciosis lapidibus intextam, & circa collum duas laureolas, quasi torques, unam quidem argenteam, alteram auream. In pectore verò gestabat magnum quendam preciosúmque lapidem, qui suo admirabili splendore plures evibrans radios totam Ecclesiam irradiare videbatur. Cappæ verò erant inserti quam plurimi preciosi lapides; tunica autem Scapulare nimium quantum replendebat. Hoc spectaculo hæsit attonitus Albertus, pedibúsque eorum provolutus ornamenta illa quidnam sibi vellent, postulavit. Tum ille habitu Pontificio indutus: quid miraris, inquit, Alberte? Ego sum Augustinus Doctor Ecclesiæ missus ad declarandam gloriam S. Thomæ. Id est, qui mecum est, hic Doctrinam meam & Apostolicam in omnibus secutus est, Deíque Ecclesiam sua doctrina illustravit. Lapis ille preciosus, in ejus pectore tanto cum splendore emicans, significat rectissimam intentionem, quam habuit ad declarandam defendendámque fidem. Lapides illi tam multi, támque preciosi, libri sunt, quos edidit; Ipse igitur mihi par est in gloria, Virginali me excellens munditia, & ego illum Pontificali excellentia. Hæc ferè S. Antoninus de admirabili Doctoris gloria, quàm intercessione Virginis revelatam fuisse crediderim, siquidem ipsius Aræ assistens Albertus eam ut sibi revelaretur, deprecatus est, Quos illa libens impetravit sine dubio sciens ipsius gloriam,

Ejusdem S. Thomæ Aquinatis Gloria S. Augustino in quadam visione ostenditur & explicatur.

riam, in Deum Datorem gratiæ & gloriæ, atque adeò in se etiam redundaturam, cujus patrociniô semper à primis pueritiæ annis in omni virtute, ac potissimùm in Virginitatis puritate profecit. Unde coronam illam ipsius auro radiantem, geminósque torques cum lapidibus illis preciosissimis suam ducebat; atque ita hic secundo genitus Spiritualis Filius, uti Primogenitus, Unigenitus ille Patris æterni, suæ Angelicæ Virginitatis Lilio. Corona fuit & est Deiparæ nostræ gloriosissimæ.

Virginitatis gloria multi Societate Jesu illustres.

92. Infinitos alios Viros sanctissimos variarum præsertim Religionum prætermitto, qui Virginis beneficio candidissimo cum extitissent Virginitatis Lilia, Virginitate à Deipara coronati sunt, & vicissim eandem sua gloriâ coronârunt, virtutúmque suarum splendore decorarunt. De exemplis minimæ societatis nostræ domesticis pauca dicamus. De quibus P. Spinellus Tract. de Virginibus, sect. 2. ita loquitur: *In societate quoque Jesu complures Dei beneficio & singulari Deiparæ patrocinio Virginitatem illibatam custodiisse certis documentis exploratũ habemus. Alios verò plurimos idem fecisse, non obscura conjectura affirmare possumus, præsertim in tanta adolescentium & juvenum, qui nostrũ institutum complectuntur multitudine, qui omnes Deiparæ sodalitiis ab ineunte ætate, dum literis dant operam in pietate & spiritus fervore educantur, quem fervorem satis præseferunt invocatione, qua in Religionem admitti usque adeò ferventer atque ex animo efflagitant, ut à suo proposito nec parentum blanditiis, nec minis, nec amplissimæ hæreditatis spe, nec honorum sæculi dignitatibus, quin nudi nudum Christum in Religione sequantur, revocari possunt, quorum præclara exempla & frequentissima omnibus satis sunt cognita atque perspecta.*

Ex his eximius S. Franciscus Xaverius.

Memorat inde Sanctum Patrem Franciscum Xaverium mirificæ planè Virginitatis lilium, quam ipse ad extremum usque vitæ suæ halitum illibatam custodivit, quod post mortem corpus ejus viva calce tamdiu defossum, nec ulla ex parte læsum, prodigiosè planè contestatum est.

& B. Aloysius Gonzaga.

93. Idem Virginitatis lilium patrocinante Virginum Virgine custodivit B. Aloysius Gonzaga noster Marchio olim Castilionensis, eámque voto coram B. V. Annunciatæ Imagine Florentiæ stabilivit, ut supra memoravimus, quâ ille in Virginem insigni religione ac pietate id demum consecutus est, ut toto vitæ suæ tempore nullum carnis motum, nullam obscenæ cogitationis imaginem passus sit. Quod etiam Patres gravissimi, qui erant à confessionibus illi, ac præsertim Cardinalis Bellarminus jure jurando testificatus est.

B. Stanislaus.

94. Idem Virginitatis lilium intactum servavit B. Stanislaus Kostka adolescens planè Angelicus, qui adeò purè innocentérque juventutem suam omnem traduxit, ut nullo unquam lethali crimine animum contaminârit, ut scribit Franciscus Sacchinus in ejus vita,

Hi duo à B. V. ad Societatem directi.

95. Hos eosdem non ante multos annos imitatus fuit Joannes Berchman, de quo eadem elogia celebrat Virgilius Ceparius in ejus vita, quæ omnia nos alibi fusiùs prosecuti sumus. Sufficiat dixisse in hisce Adolescentibus præsertim Aloysio & Stanislao tanquam in pulcherrimis puritatis lilii sibi simillimis Deiparam miram complacentiam invenisse, sibíque coronam de illis, sicut & ex aliis quam plurimis ex Viridario Soc. nostræ decerptis floribus contexuisse adeò ut B. Joannes Bourghesius in soc. Mariana, cap. 9. (cui hanc præfixit Epigraphen: Dono datos societati JESU à sanctissima Dei Matre beatos Juvenes Stanislaũ

Kostkam, & Aloysium Gonzagam) pronunciaverit eo consilio hoc utrúmque præstans absolutæ virtutis exemplum à Sanctissima Dei Matre fuisse procuratum, ut lectissima juventus, quæ plurima è nobilitate nomen societati dat, quod imitaretur, haberet. Fuit enim sanctissimus hic Adolescens à prima pueritia atque infantia Virginis Matris honori, cultuíque deditissimus, & in ipsius Virginis cura tuteláque singulari, ac propemodum in ejus gremio ac sinu Matris educatus, ac deníque ab eadem Deipara speciali ejus suasu atque impulsu in societatem inductus.

96. Quæ sanè lilia, ac præsertim ipsorum Principes JESUM & Mariam eorundémque pulchritudinem si quis attentius contempletur, extremo rerum omnium terrenarum tædio, atque nausea afficiatur, & amore cœlestium accendatur, nec non ad divinas pangendas laudes mirificè excitetur necesse est. Hunc pietatis sensum præsetulit, in hisce contemplandis liliis P. noster Gualterus Paulus supra citatus in suis canticis cantu. 1. Rhyth. 24.

Pii affectus seu elevatio mentis ad DEum ex consideratione Liliorum.

Amore Trinitatis
Mi cuncta fiunt vilia,
Cum signa puritatis
Contemplor alba lilia.
Labra Lilii repanda,
Sunt ut diserta lingulæ;
Versant se in explicanda
Divinitate singulæ.
Ex lilii umbilico
Umbo velut Divinitas
Assurgit; umbo dico,
Cujus corona Trinitas.
Umbonis hæc corona,
Quæ lilii est fastigium,
Est una, & est trigona,
Trini Dei vestigium;
Et nutus ipse floris,
Seu lilii inclinatio,
Submissio est honoris
Suíque dedicatio.
Quibus ergo me moveri
Par est amoris motibus,
Si terra se foveri
Tot gaudet alma dotibus?
Muti per arva flores
Loquuntur altè & liberè;
Dum per suos colores
Amant Deum describere.
Quare putri veterno
Languemus ac dissolvimur?
Cur in Deum superno
Calore non provolvimur?
Invitat, instat, urget
Natura priva sensibus
Anima mea quando surget
Tam floridis ascensibus?
Nunquam quieta, nullis
Contenta rebus vixerit:
Donec DEum medullis
Cordíque cœlum fixerit.
Hæc ille.

97. Quibus egregiè sanè docemur, ut quemadmodum ex florum, liliorum, aliarúmque arborum, earúmque fructuum contemplatione, sic etiam imò multò magis ex rationalium istorum liliorum in Ecclesiæ horto consitorum ad divinam pulchritudinem considerandam, amandámque ita assurgamus, & præ hac illorum spirituali venustate, nobis terrena omnia vilescant atque sordescant, ut dicere verè ac syncerè possimus cum sancto Patriarcha nostro Ignatio: *Heu! quàm sordet mihi terra: cùm cœlum aspicio!* Hæc enim virtutum species, ac præsertim Virginitatis illibatus in adolescentibus candor, qui toto ore, oculísque emicare solet, mirificè animos intuentium ad sese rapit, cogítque nos cum Propheta Regio identidem exclamare: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo* Psal. 91. 5. Quæ sanè oblectatio adeò ipsum capiebat, ut non modò voce caneret, sed etiam vocem canticúmque fidibus citharísque sociaret; proinde præmiserat: *Bonum est confiteri*

Virginitatis amatores æstimandi, imitandi.

fiteri Domino, & psallere Nomini tuo Altissime, in decachordo Psalterio, cum cantico in cithara. Ubi Nicolaus Lyranus: *Si bene loqueris tantum, canticum est sine cithara: si operaris & non loqueris, cithara est sine cantico. Si autem & benè operaris & benè loqueris & cantico & cithara DEum laudas, & ideò & benè loquere, & benè fac.* Quod etiam nobis omninò faciendum est, dum lilia hæc candidissima, insignémque præclarissimarum virtutum in illis contemplamur speciem. Et canticum quidem Citharæ sociabimus, si non modò tam præstantia Dei opera voce collaudaverimus, verùm etiam factis ipsis illorum Angelicam puritatem æmulari pro virili nostra studuerimus. Talis laudator cantico simul & citharâ DEum laudans, visus est esse Sapiens, cum Sap. 4. visis hisce rationalibus castissimis liliis exclamavit: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & homines, cum præsens est, imitantur illam, & desiderant eam.* Idem Sapiens cithara simul, opere videlicet ipso canere Altissimo visus est cum Sap. 8. 21. pronunciavit, æternâ memoriâ dignissimam imis adolescentum fibris, medullísque inscribendam illam sententiam. *Ut scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi DEus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus hoc donum: adij Dominum & deprecatus sum illum.* Hæc sapientis sapientissima resolutio omnibus quidem sed præsertim adolescentulis, in quibus bullit sanguis, & caro, variis cupiditatum ille cebris velut carbonibus succenditur, imitanda est. Cùm enim continentia & Virginitas, intuitu divini amoris custodita donum sit supernaturale, ad illud sanè in suo nitore conservandum auxilio quóque divinæ gratiæ supernaturali

Pro dono Castitatis orandum,

opus erit, quod profectò nullo efficaciori medio, quàm humillima apud DEum ejúsque Matrem Virginem depreatione consequemur.

98. Unde S. Bernardinus Sen. To. 1. serm. 21. art. 3. cap. 2. ad pravam consuetudinem peccandi eradicandam, optimum esse remedium Invocationem Divini auxilii per intercessionem Deiparæ Virginis & Sanctorum, cujus invocationis optimam adfert rationem. Qui enim à superiori premitur potestate, quæ eum conatur in perpetuam redigere servitutem, (qualis est libido Domina blandissima) si prudenter agat, in suum adjutorium advocat fortiorem. Tanta siquidem est potestas adversarij nostri subjicere nos conantis, ut Job 41. dicere audeat: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* A qua potestate cùm fuerimus per malam consuetudinem pressi, cùm ejus potestati resistere non valemus, superior seu suprema, divina potentia est invocanda, fideliterque ex corde cum Propheta clamandum: *DEus in adjutorium meum intende &c.* Et iterum *Deus in nomine tuo salvum me fac.* Nam sic Luc. 11. Dominus ait: *cum fortis armatus*, Diabolus, *custodit* scilicet per malam consuetudinem, *atrium suum*, hominem in peccatis: *in pace: utique mala sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior illo*, quod est adjutorium Dei fideliter invocatum, *superveniens vicerit illum*, ipsum de anima expellendo, & malam consuetudinem amovendo, *universa vasa ejus, in quibus confidebat*, quæ sunt iterata peccata *aufert*, per veram scilicet pœnitentiam, *& spolia ejus*, quæ sunt omnia supradicta mala, quæ ex consuetudine generantur *distribuet* scilicet per conformationem condignam & vitam immaculatam. Concludit tandem ad inveteratam peccandi tollendam consuetudinem

Contra peccandi consuetudinem pugnandum: invocanda Deipara.

multum B. Virginis conducere patrocinium: *Plurimum quoque valet*, inquit, *aliquod vovere in honorem Virginis gloriosæ, maximè si contrarium sit suæ malæ consuetudini.*. Capite verò 6. suadet, ut in contrariam consuetudinem paulatim homo sese inflectat, & sui victoriam in frenandis cupiditatibus in honorem Dei, ejúsque Matris, tum reliquorum sanctorum offerat; quod documentum ait fuisse S. Bernardi, qui cum quandam Cardinalem ad pœnitentiam invitaret. nec ille vellet acquiescere. *Si non vis*, inquit, *pacem facere cum Deo, saltem cum eo inducias fac.* Cui Cardinalis: *quamdiu?* Cui B. Bernardus: *abstine tribus diebus pro Dei amore ab omni illicito.* Quod & fecit Cardinalis. Ad quem rursus Bern. Tribus aliis diebus abstineas pro amore Virginis gloriosæ: paruit Cardinalis. Tandem intulit S. Pater: *Nunc aliis tribus diebus iterum abstineas pro amore aliorum Sanctorum;* quod etiam lubens perfecit. Cùmque S. Bernardus rursus simile exercitium illum inchoare cuperet. Respondit Cardinalis, *nolo amodo cum Domino inducias facere, sed veram pacem. Leve enim mihi ac persuave est à malo abstinere.* Sic luxuriosis jejunare nolentibus mendacibus & blasphemiis consulendum est. Hæc ferè S. Bernardinus.

Industria S. Bernardi in emendando luxurioso consuetudinario.

99. Et licèt varias orationes, quibus patrocinium Deiparæ ad impetrandam conservandámque castitatem imploratur, reperire sit; mihi tamen vel maximè salutatio Angelica ad donum hoc tam eximium obtinendum videtur esse aptissima (quam ideò crediderim) toties liliis, & aureis quidem literis exoratam fuisse divinitus, ut intelligeremus ad lilium puritatis conservandum illam maximè aptum esse mediúm ac remedium. Cùm enim illâ Angelus, spiritus utique purissimus, sacrosanctæ Triados imperio, ad salutandam Virginem immaculatam, ejúsque in partu & post partum confirmandã Virginitatem fuerit usus, ejúsque vi permota fuerit Virgo ad consensum in Incarnationem Verbi, per quã tota humana Natura sanctificata, purificata, imò & Deificata fuit; dubitandum nobis nullo modo erit nos quóq; si magna cum attentione, pietate, ac veneratione eâ ad Dei Matrem salutandam usi fuerimus, nos voti compotes evasuros; castitatémque nostram instar lilii puram illibatámque conservaturos; futurósque omninò dignos, ut Virginitatis coronâ Laureoláque in cœlis, intercessione donemur Deiparæ, cui toties corollas Virgineis salutationibus veluti pulcherrimis liliis, rosísque contextas obtulimus, eâdémque eándem tam propenso in illam pietatis affectu toties coronavimus. Ad salutationem Angelicam accedunt proximè præstantissima ipsius elogia, ejus litaniis contenta, quæ singulis Sabbatis in domo illa sancta, in qua verbum caro factum est, recitari consueverunt. Certè de Patre nostro Leonardo Lessio scribit P. Philippus Alegambe, eum quotidiè illas recitâsse honori Magni Matris, cujus clientelam certissimã esse salutis Arrham non ambigebat. Addit insuper: *Censebat devotionem in B. V. & Angelum custodem ad perserverantiam in vocatione plurimum habere momenti. Ideò Litanias Virgineas quotidie recitabat, ut in societate perduraret; qua nihil accomodatius ad animarum subsidium à Deo datum esse mortalibus existimabat, omnésque qui in ea permanerent, æternæ gloriæ oppignoratos. Quo profectò de societate sensu sapientissimo simul indicare voluit, ad castitatem conservandam Angelicam, sine qua nemo in societate diutius perdurare valet, eodem Virginis patrocinio piis ad illam fusis precibus,*

Angelica Salutatio pro præsidio castitatis.

Item Litaniæ Lauretanæ.

Quæ etiam pro dono perseverantiæ in Religione ac divino servitio dici possunt.

Id Soc. JEsu summa cura castitatis.

bus, ac præsertim litanijs implorato, opus esse. Licèt enim minima hæc societas nostra peccata omnia, maximè tamen sensus carnísque abhorret ac detestatur, ita ut nobis dicere aliquo modo liceat, quod S. Joann Damasc. orat. 2. de Dormit. B. V. de ea pronunciavit (siquidem eam pro suo modulo aliqua ratione imitari conatur) *Pura est,* inquit Damascenus, *& purorum amans. Quocirca & corporis & animi castitatem colamus; ipsius gratiam adipiscemur. Lutum siquidem illa omne fugit, cœnosásque affectiones aversatur, fœdissimæ fornicationis vitiis infesta est, ejusdémque impuras scelestásque cogitationes non secus ac viperarum fœtus abhorret. Sermones fœdos scurrilésque nec non cantus ac meretricia unguenta execratur. Iræ tumorem odit, inhumilitatémque, ac invidiam simultatésque minimè admittit. Inanem gloriam, vanis laboribus, sese frangentem respuit. Superbiæ fastui, animo planè hostili resistit, injuriarum memoriarum, tanquam salutis hostem, odio prosequitur. Vitium denique omne, velut lethale venenum execratur.* Sic ille.

Deipara amat castos, odit vitiosos.

Deipara singularis Patrona Societatis JEsu.

100. Atque ita in societate nostra à viris spiritualibus observatum est, quòd quemadmodum benignitate Virginis, ut plurimùm tanquam Duce stella ad Religionem deducimur; ita quóque eâdem patrocinante, nobísquegratiâ suâ affulgescente in amore castitatis societati nostræ amicissimæ perseverantiáque sanctâ in eadem Religione ad extremum vitæ halitum conservamur. Hæc enim minima societas nostra cœlestis sponsi Hortus est, in quo JEsus deliciatur, & puris mentibus ac Virgineis pascitur, eásque benignissimis suæ divinæ gratiæ influxibus irrigat, ac fœcundat, ut primævum innocentiæ florem, quem initâ societate acceperunt, semper vernantem, immarcescibilémque tueantur. Quemadmodum enim bonus JEsus flos campi pulcherrimus, liliúmque candidissimum suas sibi delicias, cum Matre Virgine, cum Nutritio suo S. Joseph S. Joanne Evangelista, aliisque hujusmodi innocentissimis purissimísque habebat animulis, eorúmque virtutibus ceu lilijs pascebatur, sic & nunc quóque in hujusmodi castis mentibus acquiescit, recreatur, sibíque mirificè complacet. Hos ergò quisquis conservandæ castitatis cupidus est, præcipuè colat ac veneretur, eorundémque pietatis imitandæ assiduis flagret desideriis, ipsorum, mihi credite, cœlestis sponsus, ad visendas mentes vestras facilè pellicietur, vósque cœlestibus suis donis cumulabit. Intueamini S. Anglorum Regem Edvardum, qui cum subditorum precibus ad ducendam uxorem esset compulsus, hujusmodi verbis pudicitiam suam DEO, ejúsque Matri commendavit, ut scribit ejus vitæ scriptor Ealredus Ord. Cisterciens. Abbas: *JESU, bona tua quondam misericordia tres pueros inter flammas chaldaicas illæsos servavit. Per te Joseph relicto pallio in manibus meretricis cum titulo castitatis evasit. Admirabilis Susannæ constantia, tua virtute ab impudicis Presbyteris triumphavit. S. Judithæ castitas ab Holoferne nec lædi potuit, nec tentari: Ecce ego servus & Filius Ancillæ tuæ, qualiscunque Dilectus tuus, & unica Matris tuæ, succurre mihi domine, quatenus sic maritale suscipiam Sacramentum, ut pudicitiæ periculum non incurram.* Hac præmissâ oratione Virginem Juditham sociat Matrimonio, fidéque mutuo sibi data de Virginitate servanda firmissimum propositum eliciunt, nec huic fidei alium, quàm DEum æstimant testem adhibendum. *Atq; ita,* ut loquitur Ealredus, *fit illa conjux*

S. Eduardus Anglorum Rex Virgo Conjux.

mente, non carne; ille maritus mente, non corpore. Perseverat inter eos sine tactu conjugalis affectus, & sine defloratione Virginitatis, castæ dilectionis amplexus. Diligit ille, sed non corrumpitur; diligitur illa, nec tangitur, & quasi nova quædam Abisay Regem calefacit amore, sed non dissolvit libidine, mulcet obsequiis, sed desideriis non emollit. Ut porrò Virginitas hæc inter illos semper illibata perduraret, & ad instar lilii efflorescerer, S. Joannem Evangelistam, qui ob Virginitatem tantis in amoribus DEI Matri extitit, in Patronum adscivit, eúmque adeò dilexit, ut nemini quidpiam in Nomine S. Joannis postulanti unquam denegârit. Contigit aliquando ut pauper quidam à Rege per amorem ejusdem S. Apostoli eleemosynam, absente Camerario importunius peteret, cui Sanctus Rex, cum nil præ manibus haberet proprium digito detractum annulum admodum preciosum largitus est, quæ Regis in pauperem illum charitas quàm grata S. Joanni extiterit, mox declaravit. Proficiscebantur duo Angli Hierosolymam ad S. Sepulchrum visitandum, cùm ecce tibi adest illis S. Joannes, eósque benignè alloquitur: Viri fratres, summa cum prosperitate vos repatriaturos non dubitetis, quoniam prosperum iter faciet vobis DEUS, & ego ob amorem Regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim Apostolus Christi Joannes, qui Regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denunciantes ei obitus sui instare diem, quem intra sex menses visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocúnque ierit.

101. Supplicemus igitur, magno pietatis affectu Deiparæ gloriosissimæ, ejusque elogia litaniis comprehensa, quantâ possumus reverentiâ deprædicemus, impetrabimus mihi credite non modò puritatem animi, & in sancta vocatione perseverantiam, aliáque quàm plurima spiritualia bona, verùm etiam bona corporalia, sanitatem videlicet, incolumitatémque corporis, & cætera hujusmodi humanæ vitæ commoda: quæ fusè explicat P. Justinus Michoviensis Ordinis Prædicatorum in Litanias B. V. Dis. 2. ubi n. 24. propriâ doctus experientiâ sic loquitur: *Harum Litaniarum de B. V. ego ipse præsentissimam opem expertus sum. Narrabo ad majorem DEI laudem, & gloriosæ Matris ejus honorem, Anno Domini 1633. die 10. Febr. Feria 5. post cineres, cùm Ecclesia legit Evangelium de servo centurionis Paralytico; Ego inutilis servus JESU Christi Paralysi tactus fui. Pars sinistra corporis tota à vertice capitis, usque ad plantam pedis obstupuit, manus & pes naturali calore destituta prorsus inutilia, atque otiosa, frigida & emortua manserunt. Linguam tamen JESUM & MARIAM continuè invocantem, morbus ille non pervasit, respirationem non læsit, mentem non hebetavit. Fratres casu meo tam repentino & miserabili commoti ad remedia naturalia, quidam ad supernaturalia, præsertim ad Litanias Lauretanas de B. M. V. confugerunt. Mira res! postquàm Litanias recitârunt, manus tremula ac contracta, pes similiter jam emortuus, suæ vitæ sensui, motui restituta sunt. Hæc dum scribo, & quoties cogito, toties Deo, & gloriosissimæ Matri ejus gratias ago: quia castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me; nec (quod maximè verebar) lecto velut quodam carcere clausum coë affixum reliquit.*

Litaniæ Lauretanæ commendantur.

Per eas, sanitas paralytico restituitur.

DISCUR-



DISCURSUS VIGESIMUS.

VIRGO DEIPARA VIOLA PARADISI.

Deipara Areola Sanctorum aromatum.

I.



Ellifluus Doctor Bernardus pro insigni suo in DEI Matrem pietatis charitatísque affectu, inter varia eáque pulcherrima, quæ de illa prædicavit encomia; illud sanè non vulgare est, quod eam deprecatione ad B. V. Areolam Sanctorum aromatum Florúmque appellat. *Tu sanctorum*, inquiens, *areola aromatum à cœlesti consita pigmentario virtutum omnium preciosis floribus delectabiliter vernas, inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te ò Excellentissima. Hi sunt, quorum odore suavissimo totam domum Domini reples ò Maria, Viola humilitatis, lilium castitatis, Rosa charitatis.* *Meritò de hac DEI Areola Flos ille speciosus præ filiis Paradisi electus est, & egressus, super quem requievit Spiritus Domini.* De hac aromatum florúmque areola loquebatur sponsa in Canticis c. 6. semetipsam intelligens: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad Areolam aromatum, ut pascatur in hortis & lilia colligat.* Quæ verba Dionysius Richelius ponderans, per hortum intelligit purissimum uterum Virginis, in quo novem mensibus æterni Patris Unigena deliciatus est. Per Areolam verò ejusdem mentem Virginis omnibus virtutum aromatis, floribúsque redolentem, in qua sibi quóque mirincè complacens, non novem mensibus duntaxat, sed totius ipsius sanctissimæ vitæ decursu, & nunc multò magis in cœlis conquiescit. *Descendit*, inquit Pater venerabilis, *ad Areolam aromatum, ad ipsam prælectissimæ Virginis mentem, omnium Divinorum fructuum fertilitate plenissimam à Spiritu sancto diligentissimè cultam, seminatam, fœcundatam, suavissimis virtutum germinibus decoratam. Imò prius venit in mentem Virginis, quàm in ventrem ipsius, sed veniendo in ventrem, venit quóque in mentem, augendo in ea inæstimabiliter gratiam & virtutes, sapientiæ dona & fructus. In hac Areola pascitur & lilia colligit. Lilia Virginis*, inquit idem Pater *sunt ejus actus interni, quibus sponsus delectabatur potissimè, & tantò plus, quò Virgo sibi charior, complacentior fuit, & quò omnes hujusmodi actus, ex charitate principiavit eminentiore.* Inter hujus Areolæ flores reponenda est venustissima Virgineæ humilitatis viola, quæ suavissimum cælesti Regi in accubitu æterni Patris delicianti exhalavit odorem; adeò ut, quod sponsa de nardo pronunciavit Cant. 1.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum; idem nos de Virginea hac viola prædicare possimus.

Maria Viola.

2. Unde Hugo de S. Victore serm. 46. in Inst. Monast. Purpuream ut violam ait, in choro à Viris Religiosis Virginem deprædicari consuevisse: *Inter cætera gloriosa miracula,* inquit ille, *quæ in assumptione Beatissimæ V. M. canendo ad ipsius laudem sæculis omnib⁹ attollendam & recolendam recitamus, Purpuream ut violam ipsam esse devotissimè cantare solemus.* Cujus comparationis eam planè insignem ac perelegantem reddidit rationem: quæcúnque in scripturis, quæcúnque in creaturis sunt amabilia, quæcúnque suavia, quæcúnque ducia, quæcúnque pulchra, quæcúnque redolentia, quæcúnque jucunda, quæcúnque preciosa, quæcúnque sunt laudabilia, ejus laudibus sunt convenientia. Qua pulcherrima præmissa Regula, quasi solido jacto fundamento ostendit violæ proprietates mirificè in Virgine Deipara resplendere. Et colorem quidem purpureum, ejus Regiam dignitatem cœlos terrámq; gubernantem, ut alibi diximus, designare. Docet deinde colorem viridem, qui elucescit in viola spem cœlestium adumbrare: *Solent,* inquit, *Doctores, per virorem & immarcescibilium bonorum operum spem intelligere. Cœlestia namque bona quasi semper virent, & nunquam marcescunt, dum à perpetuo suæ bonitatis ac pulchritudinis statu, nulla mutabilitatis ariditate decidunt. Quæ, dum firmiter, constanter, & indesinenter speramus, quasi eorum immarcescibili virore nos coloramus. Possumus quoque per virorem cujuslibet virtutis, aut boni operis inchoationem intelligere. In germinibus enim de occulto terræ sinu prodeuntibus viror primùm apparet. Quasi ergo novelli germinis virorem in nobis proferimus, dum nascentis in nobis & ex nobis virtutis, vel boni operis nostra pulchritudine decoramus. Possumus etiam per virorem, virtutum, & bonorum operum immarcescibilem intelligere perpetuitatem, quasi enim in nobis semper virescunt, dum nobis absq; defectu subsistunt.* Sic ille.

Omni laude dignissima.

Virtus Spei in Maria

3. Quod si viriditatem hanc spei pius hic Doctor in justis reperiri, ac vigere sensit, quantò magìs in ipsa solis justitiæ Matre, in qua virtutes omnes tam Morales, quàm Cardinales, ac Theologicæ, utì fides, spes, & charitas splendidiori longè luce, quàm in reliquis sanctis, quotquot ab exordio mundi extiterunt, coruscârunt, ut alibi sæpiùs dictum est?

Innocentia vitæ Marianæ

4. Quòd si per virorem virtuosæ vitæ inchoationem intelligamus, in quo tandem sanctorum viror hic longè magis viguit, quàm in Deipara, quæ vitam suam sanctissimam ab immaculata, omnibúsque virtutibus exornata inchoavit conceptione, & postea magnis passibus in hac virtutis sanctimoniæque semel arrepta via ita progressa est de virtute in virtutem, donec videret Dominum virtutum in Sion. Unde quia omni etiam minima peccati labe statim à primo vitæ suæ exordio libera fuit, animíque puritatem semper majoribus auxit incrementis, dignissima habita est, quæ & in primo suæ Conceptionis instanti, & aliàs sæpè in Nativitate sua videlicet in in Verbi Incarnatione, in ejusdem in hanc lucem ingressu, in Dominica Resurrectione, ut non pauci nec Vulgares voluêre Theologi, faciei Divinæ beatifica visione perfrueretur.

Perpetuitas virtutum in Maria

5. Quod si Virgineæ hujusce Violæ viror operum immarcescibilem denotat perpetuitatem, cujus obsecro puræ creaturæ magìs immar-

marcescibilia, magis fuêre perpetua absque ulla interruptione, quàm Virginis, *cujus etiam, cùm dormiret corpus, vigilabat animus*, ut ait S. Ambrosius, assiduósque variarum virtutum ac præsertim Divini amoris eliciebat actus ferventiores, ac ferventiores, semperque in momenta penè singula semetipsa perfectior sanctiorque evadebat, vernantem immarcescibilémque operationum suarum vigorem virorémque conservando. Hanc ob causam crediderim illam sese cedro imputribili, Cypresso incorruptibili, Palmæ atque Olivæ semper virenti comparare voluisse, ut nobis virtutum operúmq; nunquam interruptam aut evariantem perpetuitatem immortalitatémque ob oculos proponeret, nosque ad semper virentem quandam alacritatem, fervorémque in Divino obsequio, omni torpore teporéque posthabito, quia Deo nauseam provocare solet, excitaret.

Proprietates & virtus Violæ.

6. Visis Violæ coloribus, ad ejus vires proprietatésque veniamus. Plin. lib. 21. Hist. Nat. cap. 11. *Florum prima ver nunciantium Viola alba.* Et cap. 19. *Violæ purpureæ*, inquit, *refrigerant, contra inflammationes illinuntur stomacho ardenti. Imponuntur & capiti in fronte: Crapulam & grandinem capitis impositis coronis, olfactæve discutiunt. Semen Violæ scorpionibus adversatur. Radices ejus cum aceto illitæ sedant lyenem, & podagram; oculorum inflationes cum myrrha & croco. Folia cum melle purgant capitis ulcera.* Eadem penè habet Dioscorides lib. 3. c. 138. & lib. 4. cap. 122. Omnes violæ proprietates paucis complexus fuisse visus est Bartholomæus Anglicus lib. 17. de propr. rerum cap. 191. *Viola*, inquit, *propter violentiam odoris sic est nominata, ut dicit Isidorus. Cujus tres sunt species: purpurea, alba, & melina. Sed omnium folia naturæ frigidæ sunt & aquosæ, & ideò solutivæ. Unde Violæ cum melle & aqua decoctæ solvunt ventrem: similiter quando cum Saccharo macerantur, diu soli exponuntur. Alvum sanant, laxant inflationem, mitigant calorem febrilem; sitim sedant. Semen earum, partum mulierum ejicit, & excludit; lumbricos occidit, calefactioni hepatis subvenit, Herba quidem modica est, Viola in substantia, quæ recens, est melior quàm antiqua; cujus flos maximi est odoris. Unde odor ejus cerebri calorem mitigat, & spiritus animales recreat atque confortat. Somnum provocat, quia cerebrum refrigerat, temperat & humectat. Quantò flos ejus est virtuosior, tantò magis ad inferiora caput deprimit & inclinat. Parvitatem ejus in substantia, magnitudo odoris pariter & virtutis nobilitas recompensat.* Hæc Anglicus.

Viola Veris, Maria Gratiæ prænuntia.

7. Longum foret singulas Violæ proprietates persequi, aliquas duntaxat attigisse quodammodo sufficiat. Atque, inprimis, quod *alba Viola inter flores prima nobis Ver annunciet*, ut ait Plinius, aptissimè quadrat in Virginem. Quid enim per hyemem, nisi tempus illud infœlix, rigidum atque horridum, quod à primorum parentum lapsu, úsque ad Incarnationem Verbi in utero peractam Deiparæ intercessit. Quid per Ver, nisi tempus gratiæ, quod nobis, mox ut Virgo concepta fuit, vitalésque hausit auras, tanquam Viola pulcherrima Veris amœnissimi prodroma nunciavit. Hinc Richardus à S. Laurent. lib. 12. *Maria*, inquit, *Viola est, quæ secundum Isidorum lib. 17. Originum cap. 9. dicitur à vi odoris, cujus flos ante omnes alios flores apparens, serenitatem temporis venientem designat; quia nascitur incipiente tempore vernali. Similiter Maria quæ prima votum emisit perpetuæ Virginitatis,*

Ppp ppp p

tatis, quasi in principio nascentis Ecclesiæ apparuit, & in tempore vernali, quando omnia terræ nascentia quodammodo innovantur, Nam ab ipsa incepit reparatio mundi. Sic Rich.

Maria prænuntia Gratiæ ab æterno prælecta.

8. Hinc sponsus Cant. 2. hanc plenitudinem gratiosi fœlicissimique, ac toti mundo aptissimi temporis describens eam ad veniendum in hunc mundum secundùm interpretationem Venerabilis Ruperti Abbatis lib. 2. in Cant. ipsa attestante invitat. *En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera. Amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hyems transiit, imber abiit & recessit*, inquit idem Rupertus. Quæ hyems atque imber ex eo venit, quod Eva fugiens abscondit se à facie Dei. Qui imber idcircò terram, omne genus humanum verberavit, quia peccavit. Flores apparuerunt in terra nostra. O. D. licèt varii flores Ver istud desideratissimum Gratiæ prænuncient, tu tamen velut Viola illud indicas vel maximè. Unde jam memoratus Rupertus sic Virginem velut humillimam Violam loquentem indroducit: *Sic accipite hæc, quasi verba desiderantis, tanquam festinantis & optantis jam adesse materiam tantæ salutis, scilicet me, cujus caro illi materia foret assumendæ carnis. Tanquam præsenti loquebatur mihi, meque jubebat surgere & properare, id est nasci, & hospitium ventris sibi citò præparare. Et reverà priusquam nascerer illi præsens aderam, antequam fierem illi benè cognita fueram. Si enim dicitis & verè dicitis, quia elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, nonne & de me rectè sentitis, & rectè sentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi constitutionem, ut essem sancta & immaculata in conspectu ejus in charitate. Imò, ut ipsa testatur, antequam fieret, ludens erat coram eo in orbe terrarum, & deliciæ ejus cum filiis hominum; quantò magis ludens erat, & deliciabatur cum ista Ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum?*

Mariæ humilis, Evæ opposita.

9. Ut ostendat porrò Deiparam Violam esse humilitatis, Ver amœnissimum gratiæ prænunciantem hæc addidit: *Tu amica mea per humilitatem; tu contra Deum non timuisti, imò mente humili Altissimo complacuisti. Tu serpenti aurem non præbuisti, imò inimicitias inter te & serpentem ego posui. Veni ergo Maria, veni & contere caput serpentis. Nam Eva & capite illecta, & ventre oblectata, & cauda est obligata serpentis. Veni & dic. Ecce Ancilla Domini. Nam Eva se abscondens pariter & defendens: serpens, ait, decepit me, & comedi.* Hæc Rupert.

Verno tempore Maria ab Angelo salutatur.

10. Quòd porrò Dei Filius humillimam hanc Virgineamque Violam ad consensum in Incarnationem Verno tempore invitârit, testatur Poëta ille Christianus, qui ita modulatus est:

Vere pubentes renovantur agri,
Pampini gemmæ redeunt, viretq;
Frons in arbustis, juvenescit omni
Germen in horto.
Verna tempestas viget ante tempus,
Omne Ver anni decus & vetustas,
Ver & acceptum superis, origo est
Rebus & horis.
Nuncium cœli Deus ad Mariam
Vere demisit; cruce tunc & hostes
Vicit Infernos; Lachesique ferrum
Christus ademit.

Ex quibus facilè colligimus gloriosissimam Virginem tam in sua Conceptione, quàm in sua Nativitate, atque etiam in Annunciatione dando humillimum assensum illum in Incar-

carnationem Verbi Gabrieli Violam tempus acceptabile diem salutis prænunciantem extitisse.

Maria extinguit vitia carnis.

11. Inter Violæ proprietates porrò illa præcipua numerari consuevit, quòd naturæ sit refrigerantis, quam maximè idem Hugo de S. Victore in ea prædicat: *Physici*, inquit, *in suis libris affirmant Violam naturam habere frigidam, & idcircò contra validos morbos esse bonam. Significat ergo rectè carnalium extinctionem vitiorum. Carnalia quippe vitia quasi calidi morbi sunt, quia miseram animam, quam tenent suis fervoribus incendunt. Quasi ergo viola membris malè calentibus opponitur, ut sanentur, quoties gratia cælestis nobis infunditur, ut fervores vitiorum in nobis mitigentur.*

Castitatem confert

12. Et quis autem hanc cœlestem gratiam magis efficaciter inter omnes sanctos obsecro nobis impetrat, quàm hæc Virgo Virginum omnium castissima atque purissima: quæ tanta puritate inter omnes puras creaturas ita enituit, ut major sub Deo nequeat intelligi. De hac virtute refrigerandi, humanisque Morbis medendi vi, atq; facultate, quæ in Viola reperitur. Rich. à S. Laurent. lib. 12, *Viola*, inquit, *ardores febrium reprimit, id est, vitiorum tentationum, maximè in familiaribus suis. Ardor enim tentatio carnis est, vel iracundia mentis. Noxios & corruptos purgat humores, quia orationibus & exemplis suis, malos eliminat, & egregios mores efformat. Ex ea denique componitur sirupus violaceus, qui sicut variis morbis à corpore humano amoliendis est idoneus, ita intercessio Virginis singulis peccatorum ægritudinibus medicinalis est.* Hæc Richardus.

S. Alexius castus Deiparæ clions.

13. Violam morbum libidinis refrigerantem expertus est Deiparam Alexius Adolescens Romanorum nobilissimus ac ditissimus, qui prima nuptiarum nocte intactam sponsam Virginem pulcherrimam relinquens suscepta illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinatione, Deiparæ adeò charus fuit, ut Edessæ per Imaginem suam ejus Nomen evulgaret, & qui latere volebat inglorius, fieret ubique gloriosus.

14. Violam ardorem carnalium cupiditatum refrigerantem expertus est Virginem S. Elzearius comes Ariani, qui cum sanctissima castissimáque conjuge sua Delphina ita purè ac immaculatè vixit, ut Christus Virginis Filius eorum mirificâ vitæ castimoniâ delectatus, spectaculo animum suum explere quodammodo minimè posset ut memorat Surius in Sept. & S. Elzearius.

15. Violam refrigerantem expertus est Deiparam S. Eduardus Anglorum Rex, qui compulsus à suis uxorem ducere, duxit Edhitam, uti Superius Disc. 19. meminimus, Virginem pudicissimam cum eaque patrocinio Dei Matris, ejúsque præsertim Filii, Joannis Evangelistæ ad extremum úsque vitæ suæ halitum purissimè vixit. & S. Eduardus.

16. Violam carnis æstus refrigerantem expertus est Deiparàm Martianus Imperator, & pudicissima ejus conjunx Virgo Pulcheria Augusta, quæ ipso consentiente, florem Virginitatis illæsum atque integrum conservavit patrocinio sinè dubio Virginis Matris, in cujus honorem Constantinopoli ternas omninò Basilicas ædificavit. Ad hæc Pulcheriæ tantæ dignitatis opera respexit S. Cyrillus, qui in libro ad Reginas scripto. *Ecce*, inquit, *valdè sapientes ad Christum, operam datis, ut quæ illis probantur, & sciatis & faciatis, partim operibus, & irreprehensibili fide, & vestras & Regum aulas perspicua Virginitatis gloria decoretis, partim sumptuosissima Christi templa erigitis.* In ejusdem Virgi- & Martianus Imperator cum conjuge Pulcheria.

nis honorem juvit plurimùm pientissima hæc Virgo Pulcheria pro ardentissimo suo in Dei Matrem affectu, ut Nestorius spurcissimus Heresiarcha Deiparæ hostis acerrimus à concilio damnaretur. Unde Leo Magnus Pont. Epist. 39. ad eam scribens, fidei defensionem ei refert acceptam: *Non Deus*, inquiens, *aut suæ defensionis sacramentum, aut vestri laboris deserit meritum, quo dudum sanctæ Religionis hostem ab ipsis visceribus Ecclesiæ depulistis, cum hæresim suam tueri impietas Nestoriana non potuit, quia non fefellit famulam Dei, & disciplinam veritatis, quantum simplicibus infuderit veneni, per illa loquacis hominis colorata mendacia.* Sic ille. Qua in re voluit Deus (ut observavit Card. Baron. Tom. 5. Annal. in Leone Magno) summæ sapientiæ suæ dispensationem ostendere, ut per Virginem summa Virginis dignitas, qua Dei Mater est appellata, inoffensa penitus servaretur.

Opera Pulcheriæ, ad extinguendam hæresin.

17. De his pulcherrimis à Pulcheria rebus, ad Dei ejúsque Matris honorem benè gestis, Nicephorus lib. 14. Eccl. Hist. cap. 2. ita loquitur: *quin etiam nonnullis Religionem adulterinis dogmatibus, novísque rebus depravare conantibus, eámque in magnum periculum adducentibus, ut firmiter illa in statu suo permaneret, ipsa quoque effecit. Et quò minus eo tempore nova quæpiam hæresis Ecclesiam invaserit, in causa ipsa maximè fuit. Et quia ardenti animo Divinum Numen coluit, non facilè quispiam enumerare possit, quæ illa sacra Templa mirificè excitarit, quæve Dei amantium virorum domicilia átque Monachorum cœnobia construxerit, perpetuas in ea impensas & res omnes eorum, qui in eis pietati vacarent, necessarias constituens. Ex multis verò, pauca quædam, quæ vim temporum superârunt, indicabunt. Opus ejus est, sacrum Dei Genitricis Templum, quod Blancernæ dicitur, dignum ipsa illa Verbi Matre, quod inhabitaret judicatum domicilium: sicut Filio ejus, quod sapientiæ vocatur. Cujus Divinum tumulum, & sepulchrales fascias inventas cum veneratione maxima ibi reposuit. Templum item, quod* τῶν ὀδηγῶν, *hoc est, Via Ducum cognomine, clarum est, in quo Divinam illius Imaginem, quam Lucas Apostolus in tabula depictam reliquit, & Servatoris ipsius fascias perinde atque thesaurum, quem ad eum Eudoxia Augusta cum Hierosolymam profecta est, misit, servandas curavit. Præterea & sacrum in fabrorum foro delubrum, cui sancti Sepulchri nomen est. Utráque verò hæc fana pulchritudine simul & amplitudine ambitiosa magnificè sunt constructa. DEus sanè eam fœminam propter vitæ institutum charam habens, preces ejus exaudivit, & in rebus agendis sæpe illi apparuit. Et ut mihi quidem videtur, amorem Dei homines non consequuntur, nisi se ipsos idoneos factis ipsis præbeant. Ad eundem etiam modum sorores institutæ eadem studia erga sacerdotes, erga Templa, præterea erga egenos, mendicos & advenas liberaliter præstitêre. Vita quotidiana, instituta atq. progressus noti omnibus fuêre. Diu noctúque hymnis laudibúsque Deum celebrârunt.* Hæc Nicephorus de Virginis Pulcheriæ excellentissimæ vita, quam juncta Marciano Imperatori castissimè traduxit, opitulante Deipara, quam tantopere amabat, ornabátque.

Sacra templa extruit.

18. Violam refrigerantem expertum est. Deiparam par illud fœlicissimum Augustissimorum Conjugum Henricus & Chunegundis Virgo, qui tot annis illibatam Virginitatis florem, Deipara auspice, cujus amori cultuíque erant addicti-

S. Henricus Imp. & S. Cunegundis Virgines Conjuges.

ctissimi, conservârunt. Certè Henricus Imperator Mariæ Virginis tam sedulus cultor extitit, ut in mediis itineribus, quæ & multa & longa confecit, si quando in Urbem aliquam esset ingressus, noctem primam illa in æde præcando consumeret, quam Beatissimæ Virgini dicatam reperisset. Quod cùm vice quadam Romæ in Basilica S. Mariæ Majoris egisset; ut scribit Joannes Nauclerus, Generat. 34. admirabilem quandam visionem ei cernere contigit. Videre sibi videbatur Christum Pontificali habitu amictum procedere comitantibus Levitis SS. Laurentio & Vincentio; hos ponè sequebatur Deipara stipantibus eam innumeris Virginum; Angelorúmque choris; Post hos succedebat S. Joannes Bapt. cum Patriarchis ac Prophetis. Tum S. Petrus & Joannes cum cæteris Apostolis & Evangelistis S. Stephanus Protomartyr cum Martyribus, S. deníque Martinus cum Confessoribus. Mox intonuêre Angeli Introitum: Suscepimus DEUS misericordiam tuam; dúmque caneretur illud: Justitia plena est dextera tua; omnes Christum ejúsque Matrem imitantes digitum in Henricum intenderunt. Post Evangelium, indicibili jubilo Angelus librum à Christo deosculatum, ejus Matri præsentavit, & post eam omnibus reliquis per ordinem exosculandum exhibuit. Tandem innuit eadem DEI Mater Angelo, ut deferret Evangelium ad ipsum etiam Henricum exosculandi gratiâ: *Præbe ei*, inquiens, *osculum, cujus mihi Virginitas placet*; cúmque Imperator nimio gaudio, lætitiáque extrà se raptus esset, Angelus velut alter Jacob in nervo femoris ejus eum tetigit, & exinde ad ultimam usque vitæ suæ periodum claudicavit. Quo ex eventu postea à nonnullis Henricus claudus vocitatus est. Et quoniam Sanctus Imperator perpetuo castitatis voto emisso omni spe prolis inposterum habendæ seipsum privârat, DEum ipsi sobolis posteritatísque auctorem, bonorum suorum, consensu ipsius quóque Religiosissimæ Conjugis, hæredem assumpserunt. Unde factum, ut Deo ter opt. Max. propè mille Templa ædificârit, eáque amplissimis redditibus dotârit, locupletârítque, ut testatur Gottifredus Viterbiensis Conradi Regis scriba, & Amanuensis, de quo ita cecinit:

Conjuge Virginea Virgo permansit, & ille
Catholicas dedit Ecclesias numero quasi mille.

Inter hæc Templa palmam fert illud Spirense, quod ille Regia planè magnificentiâ in honorem Magnæ Dei Matris ædificare cæpit, cui postea Conradus II. Imperator supremum sumptibus amplissimis imposuisse fastigium memoratur.

19. Quid Boleslaum Poloniæ Regem, cognomento Pudicum memorem: qui Virginitatem cum uxore Chunegunde Belæ IV. Hungarorum Regis Filia, puella moribus, & sanctimoniâ vitæ celebri ac opulenta, cui dos 40. millia marcarum fuit, intactam illibatámque Servavit ad extremam úsque senectutem. De hoc Clemens Janitius Polonus ita cecinit: Boleslaus Rex Poloniæ cum Chunegunde Conjuges Virgines.

Conjuge consenuit cum Virgine, Virgo Maritus.

Res sanè mira inter Regales delicias, aulæque Regiæ licentiam puritatis florem illæsum, ab æstúque libidinis intactum conservare. Sed nimirum hæc Virginea Viola æstus hujusmodi refrigerans castis eorum cordibus radicata fuit.

20. Quid hic S. Emericum Hungariæ Regis Stephani ex ejusdem Henrici sorore Gisela castissimum amabilissimum Filium, verius S. Emericus Virgo sponsus.

riùs dixissem, candidissimum Lilium, qui cœlitùs monitus, ut Virginitatem Deo consecraret, divino obtemperavit imperio, & postea cum parentis precibus, Regno consulere volentis sponsam Regia Stirpe ortam in uxorem duxisset, in proposito illo custodiendæ Virginitatis ita firmus perstitit, ut & ipsi Virgineæ Conjugi eandem mentem indiderit. Viola nempe illa Maria, quæ tot aliis favoribus ejus Parentem Regem Stephanum, universúmque Hungariæ Regnum affecerat, hoc etiam puritatis dono decoravit, omnem calorem illecebrarum carnalium extinxit, eumque germinare fecit sicut lilium & florere in æternum ante Dominum.

SS. Julianus & Basilissa Conjuges Virgines

21. Quid de Juliano ac Basilissa lectissimis Conjugibus dicam? Hos sanè Virgo nostra, velut Viola inter juvenilis ætatis ardores mirificè refrigeravit. Julianus enim 18. ætatis anno florem Virginitatis suæ intactum conservare decrevit. Quem cum parentes, quod unicus esset Filius diu multúmque ad uxorem ducendam ursissent, eorum importunis fatigatus precibus, divináque monitus revelatione de Virginitate cum Conjuge illibatè conservanda, tandem consensit. Itáque celebratis cum Basilissa nuptiis, ecce tibi prima nocte, dum gelu rigerent omnia, sentit Basilissa rosarum, liliorúmque fragrantiam, dúmque miratur, unde hæc hyemali tempore florum suavitas proveniret, Julianus odorem hunc Virginalis pudicitiæ esse affirmavit. Quo miraculo eam ad votum castitatis emittendum nullo negotio pellexit. Favêre mirificè tam puris sanctisque Hymæneis Christus ejusque Mater sanctissima. Nam ille Angelorúmq; sanctorúmq;, hæc Virginum stipata choris fœlicissimis hisce nuptiis in propria persona adesse, novos sponsos in proposito jam semel arrepto confirmare, eorúmque capitibus aureas coronas imponere incredibili amoris significatione non sunt dedignati. Et ne sterile Virgineum hoc connubium fuisse suspicaremur, Julianus de aliorum salute solicitus innumerabiles ad Christum convertit, complures etiam ad Religiosum capessendum institutum attraxit, factúsque est. O fœcunditatem admirandam! decem millium Monachorum Pater. Basilissa verò multarum Virginum ac Mulierum Mater extitit. Imminente verò Diocletiani persecutione Basilissa cum à Christo Domino petysset, ne qua ex illis, quas congegârat, in discrimen veniret, revelatum est illi divinitus, omnes intra certum tempus ex hac vita migraturas; quas ipsa postea in pace secutura esset. Vide plura apud Surium Tom. 2.

22. Quid de Hunegunde Virgine dicam? cui cum ab incunabulis penè, sponsus à parentibus fuisset datus, eóque mortuo alter mox nomine Eudaldus fuisset substitutus, vir nobilitate, opibúsque illustris, Virgo devota, Deiparam imitata, erga quam mira pietate ferebatur, votum Virginitatis concipit, firmissiméque statuit, illibatum pudicitiæ florem ad extremum usque vitæ halitum conservare. Interea sponso persuadet, ut sese voti ream Romam comitetur, & interim castitatem colat. Facilem se ad postulata præbet Eudaldus, sponsæ reverentiâ amorem temperante. Romam ubi perventum est, Hunegundis sacra Urbis loca sine sponso summa cum religione perlustrat, ipsúmque summum Ecclesiæ Pastorem adit, eíque exponit, qua ratione magnæ DEI Matris imitandæ studio, cujus ab ineunte ætate similitudinem aliquam in se exprimere optâsset, perpetuam Virginitatem spoponderit; ac proinde in sacrosanctæ hujus Virginis Matris æde

Hunegundis Virgo singulariter fervens in servando voto Virginitatis, quamvis jam desponsata. Deiparæ templum exstruit.

de, quam ædificare proposuisset; patrióque cœnobio perpetuò vivere & habitare se velle declarat; simúlque orat, obsecrátque Pontificem, ut sibi sacrum velamen induat, mortali sponso, quem peregrinationis comitem haberet, illorum tamen secretorum ignarum atque inscium nuntium reinittere. His auditis summus Antistes lacrymas lætitiæ indices cœpit fundere, Deóque laudes pro cœlesti hoc Virgini impertito lumine simul & munere, prædicare. Nomen deinde Virginis, patriam, & genus sciscitatur. Nihil celat sponsa Christi, séque nobilibus ortam parentibus in eâ Urbe dicit, quæ sanctum Quintinum Patronum & tutelarem agnoscit; déque suorum civium religione & fide Pontificem docet. Ille peregrinæ Virginis, ob Deiparæ insignem amorem, cui templum parabat extruere in patria, vimque dicendi, cum insigni modestia conjunctam admiratus, ei valdè gratulatus est; quòd immortali Deo gratissimum in anima sua domicilium, Virginíque Matri Templum præparâsset; negavítque fas esse Sanctum contristare spiritum, cujus esset mens pudica sacrarium. Addítque: Multum in te venerandus est summus ille Artifex, qui operatur omnia in omnibus dividens singulis prout vult. Eja Virgo casta, Virgo pudica, suscipe, quod in te cumulando proficiat. Oblata ab immortali sponso pietatis amore, dona, divitias, honorésque accipe tunc per nostram benedictionem tibi à Domino præstitam dotem, quâ te Christi sponsam sempiternam agnoscas & contemptis rebus labentibus, gaudia semper duratura consecteris. Ille, quid in animo tuo geras introspexit, quàm religiosè ejus Matrem Virginem reliquásque imiteris animadvertit. Quamobrem ut cum cœlestibus adolescentulis ab eo diligaris, summoperè contende, & in odorem ejus unguentorum curre una cum illis. Deo semper pro collatis beneficiis gratias agito, pro conferendis supplex preces effundito. Sint quæso in animo defixa tuo, quæ in illa Beatorum vita obtinere vis, ut cujus te sponsam profitêris in terris, ejus amplexibus perfrui merearis, in gloria sempiterna. His dictis velum capitis, cæteráque indumenta, munda quidem illa ad corporis animíque castitatem indicandam, abjecta tamen ac vilia ad mundi contemptum declarandum, altari imposita Pontifex conceptis verbis ritè lustravit ac benedixit. Virginem deinde solemni cæremonia consecratam Christo his verbis dedicavit: Respice Domine super hanc famulam tuam, ut sanctæ Virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Sit in ea Domine per donum spiritûs tui prudens modestia, gravis lenitas, casta libertas, ferveat in charitate, ut nihil extra te diligat, laudabiliter vivere studeat, & laudari non appetat, te timendo super omnia amet, & amando in omnibus timeat. Tu ei Domine sis gaudium, in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium: in injuria sis defensio; in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. Quod est professa custodiat, ut & hostem antiquum devincat, & vitiorum sordes expurget, quatenus centesimo fructu cum decore Virginali ac virtutum lampadibus exornetur, & ad electarum Virginum consortium pervenire mereatur. Amen. Intellecta hac Virginis consecratione Eudaldus nimiùm quantùm exarsit, & prævertere volens Hunegundem ejusque facultates diripere maximis itineribus in Gallias reversus est. At Virgo sponsi jam relicti ignara malitiæ, indicante

te & alas addente potentiore sponso Christo, cui se Virgine Maria pronuba, & paranympho Christi Vicario tradiderat, licèt languida, ac fessa, velocissimis equis pervolantem Eudaldum antevertit. Atque ut primum in domum paternam pedem intulit patrimonium suum omne sacrosanctæ DEI Genitrici uti decreverat, ad ipsius ædificandum Templum quàm magnificentissimum consecravit. Decebat enim, ut quæ se DEI Matri tam libenter obtulerat, ejus etiam bona sacris usibus destinarentur. Eudaldus tandem in patriam advenit, inusitatóque illo attonitus miraculo, piæque libertatis suæ sponsæ permotus exemplo, iram ponit, seque ipsum damnans, scelúsque meditatum detestans, ante DEI Matris Aram prostratus, peccatorum veniam cum lacrymis deposcit, simúlque Hunegundi supplicat, ut se pro servo habeat, qui sponsi nomine nequaquam fuerit dignus: quæ dona nuptiarum nomine Hunegundi tribuisset, sacro illi loco, in quem erat Hunegundis inclusa se se libenter addicere ac consecrare; bonorum, quæ præter ea restabant, idem Cœnobium hæredem instituere, ut Beatissimæ DEI Matris cultus magis augeri, & plures sacræ Virgines Christo sponso, una cum Hunegunde conservire possent. En ut Virginea hæc, refrigerantis Viola sacratissima Deipara, calorem noxium, libidinísque incentiva, in utróque sponso, mirificè restinxit. Joannes Bonifacius.

Injuriosus Senator cum conjuge Virgo, ob memorabile factum dicti Duo Amantes.

23. Quid de Senatore Arverno dicam, nomine Injurioso? qui cùm puellam forma opibúsque nobilem duxisset, ab illa mirabili eloquentia & lacrymis ad perpetuam Virginitatem conservandam ob Christi ejusque Matris amorem inductus est. Quare in eodem lectulo multis annis quiescentes, omni libidinis calore liberi, refrigerante eos viola Mariana sine dubio, illæsum pudicitiæ florem servârunt. Tandem communi consensu vir Clericus factus, puella verò Monasterium ingressa est, quæ cùm ad cœlestem commigrâsset sponsum, ejusque corpus sepulturæ mandaretur, vir ejus elevatis ad cœlum manibus: *Gratias*, inquit, *tibi ago Domine, quod sicut eam mihi commendare dignatus es, ita tibi reddidi ab omni voluptatis contagio impollutam.* Dum hæc dicit: ecce tibi defuncta prodigiosè subridens: *Sile*, inquit, *vir DEI, quia non est necesse fatearis nostrum, nemine interrogante secretum.* Cum porrò non ita multò post vitâ defuncto marito hoc castissimo, ejus corpus in eadem Basilica ad oppositum conjugis sepulchro parietem esset tumulatum, manè facto reperta sunt sepulchra in unum quodammodo coaluisse, ut quos tenet socios cœlum, corporum etiam non separet monimentum. Hos in hodiernam usque diem; *Duos Amantes* Incolæ vocant, summóque honore venerantur, ut scribit Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. Francorum cap. 47.

S. Amator cum conjuge Virgo Coronam ab Angelo accipiunt. Ipse postea Episcopus.

24. Violam deníque carnalium cupiditatum æstum refrigerantem expertus Deiparam S. Amator illius amantissimus, cum parentum compulsus imperio sibi desponsare puellam quandam virtutibus prænobilem compulsus est, quam ille ad Virginitatem secum inviolabiliter servandam, emisso voto facili negotio induxit. Quod quàm gratum Deo ejusque Matri summæ Angelorum Reginæ extiterit, insigni miraculo comprobatum est. Angelus enim clara luce circumfusus de cœlo lapsus, unicuíque miræ pulchritudinis coronam imponens, eos in sancto illo semel arrepto Virginitatis conservandæ proposito con-

confirmavit. Nec ita multo post Amator statum Ecclesiasticum Deo serviturus arripuit, & Antisiodorensis Episcopus creatus sanctitate claruit, sponsa verò Cœnobium Virginum ingressa Virginalem suam pudicitiam ad extremum úsque vitæ halitum incorruptam servavit. Vincent. Belluac. in speculo Hist. lib. 20. cap. 6. Ex his tam illustribus personarum nobilissimarum Comitum, Principum, Regum, atque Imperatorum exemplis, qui emisso Virginitatis voto carnalium illecebrarum calorem, patrocinante Deipara extinxerunt, clarum evadit, illos in ea colenda vim energiámque Violæ suavissimæ fuisse expertos, Violámque hanc, suavem quandam violentiam ad Virginitatem in suo flore conservandam eis intulisse. Unde meritò S. Isidorus Violam in hoc proposito vel maximè à violentia dictam pronunciavit.

Maria Viola odorifera, seu bonæ famæ, boni exempli.

25. Nimirum bonus odor honestatis, pudicitiæ, bonæque famæ, qui abundabat in hac Virginea Viola, hos omnes ad currendum post se in tantarum virtutum odorem atque fragrantiam attraxit. Qua de re præclarè Hugo de S. Vict. in Inst. Monast. ser. 46. *Habet etiam Viola*, inquit, *bonum odorem, per quem bonam designit opinionem. Non solùm enim bona conscientia, sed & bona opinio est necessaria. Hinc est, quod Chrisma duos in se habet liquores. Est enim chrisma oleum cum balsamo mixtum, quo unguntur capita Regum & Pontificum; quo etiam Baptizatos sacerdos ungit in vertice, sicut eosdem Pontifex confirmandos ungit in fronte. In chrismate autem principaliter Spiritus Paraclitus datur. Unde per abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet oleum & balsamum; oleum conscientiæ, balsamum famæ; oleum quo intus conscientia perungitur; balsamum, cujus ardore foris proximi respergúntur. Oleum intus ad pacem cum Deo; balsamum foris ad exemplum cum proximo. Habuit igitur B. V. non solùm intus sanctitatem ad conscientiam, sed & foris sanctitatis opinionem ad famam. Novit enim quod quemadmodum quidam ait:*

Conscientia & fama custodienda.

Criminis est formam componere, spernere famam.

Novit quod melius est Nomen bonum, quam unguenta pretiosa. Novit quod memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Novit secundum Apostolum, quod Christi bonus odor est in omni loco. Verè ergo Viola odorifera fuit, cum odor non tantùm homines, sed & Angelos in admirationem sui convertit. Verè odorifera fuit, cujus odor non solùm terram, sed & cœlum implevit.

26. Quid jam dicemus de proprietate illa Violæ, qua semen ejus scorpionibus à Plinio adversari perhibetur? Quod est hoc hujuscè benedictæ Violæ semen, nisi illud Abrahæ, cui olim promiserat Dominus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et rursùs. *Erit semen tuum sicut stella cœli.* Semen denique hujuscè Violæ est ipse benedictus JEsus DEI Filius, de quo Idem Dominus ad serpentem Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum.* Qui porrò sunt hi scorpiones, quos semen Virginis enecat; nisi hostes Tartarei? de quibus Salvator Luc. 10. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Cacodæmones verè sunt scorpiones, de quibus Plinius lib. 11. Nat. Hist. cap. 25. *Pestis*, inquit, *importuna veneni serpentium, nisi quod graviori supplicio lentâ per triduum morte conficiunt. Semper cauda in ictu est,*

Violæ semen scorpionibus Mariæ semen Christus JEsus adversatur diabolo, & peccatis.

nullo momento meditari cessat, nequando desit occasioni; ferit obliquo ictu, & inflexu. Geminos quidam habent aculeos, & mares sunt sævissimi. Pestis sanè importuna universo generi humano fuit Stygius ille scorpio, qui postquam serpentinum illud venenum in Protoplastos evomuit. Gen. 3. *Cur præcepit nobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Et: *Nequaquam morte moriemini, sed eritis sicut Dii bonum scientes & malum,* posteritatem omnem enecuit, eo graviori supplicio, quo mors animæ longè gravior est quam corporis. Tam lenta deníque morte, ut mors hæc non triduo, sed pluribus sæculorum myriadibus, à primis mundi incunabulis, úsque ad Filii Dei in carne adventum perduràrit, ingentémque mortalium infelicissimorum stragem ediderit, adeò ut verè pronunciarit Isaias cap. 5. 14. *Propterea dilatavit Infernus animam suam, & aperuit os suum absq; ullo termino, & descenderunt fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus ad eum.* Verè de Infernalibus hisce scorpionibus dici potest: semper cauda in ictu est, nullo momento meditari cessat, insidias videlicet malitiámque, ne quando desit occasioni miseris hominibus nocendi. Ferit deníque obliquo ictu & flexu, cum quis videlicet securus torpidúsque jacet, nec ullas ipsius technas suspicatur. Sunt nimirum Tartarei scorpiones isti, Principi, Capitíque suo persimiles, Draconi illi antiquo, qui caudæ suæ unico ictu tertiam stellarum partem in terram detraxit, cum Angelos maligna sua suggestione, quasi venenata caudâ Conditori suo universorúmque Domino rebelles effecit. De hoc Joannes Apostolus Apoc. 12. *Ecce Draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem, & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Hujus igitur atrocissimi scorpionis cauda semper in ictu est, semper perniciem nobis meditatur, nulli quantum in illo est, deest occasioni, jam directè, jam obliquè ferit.

27. Quarè Apostolorum in primis Princeps audiendus, dum nos admonet: *Fratres, sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem devoret.* Deinde ad Virginem Deiparam, veluti Violam, ejúsque antè omnes dilectissimum recurrendum est Filium, tanquam hujus Violæ semen Inferni scorpionibus infestissimum. Adversabuntur hi sine dubio horum scorpionum & directis & obliquis caudarum sive suggestionum perniciosissimarum ictibus, nósque à teterrimis eorum venenis liberabunt. Unde Nicolaus Lyranus verba illa Christi interpretans Luc. 10. *Dedi vobis potestatem super serpentes & scorpiones &c.* ait talem vim à Christo promanere in Apostolos contra scorpiones Tartareos: omnes immundos spiritus potestis ejicere de obsessis corporibus, vel ad literam: sicut vipera non nocuit manui Pauli, & haustum venenum non nocuit Joanni; ita nec vobis nocere poterunt Dæmonum insidiæ. Eandem potestatem communicatam fuisse præ Apostolis, Discipulísque omnibus gloriosissimæ Virgini Deiparæ contra eosdem serpentes scorpionésque stygios idem Lyranus affirmat cap. 3. Genes. interpretans ea Verba: *Inimicitias ponam inter te & mulierem &c. Alii sancti* inquit, *exponunt de B. V. M. ab Eva descendente, quæ infesta est Dæmonibus. Unde cant. 6. dicitur: Terribilis ut castrorum acies ordinata. Per semen verò serpentis intelligit alios Angelos malos, qui dicuntur semen*

Mariæ potestas contra dæmones.

semen ejus propter similitudinem naturæ & malitiæ. Per semen autem mulieris Christum ipsum, qui est Mariæ naturalis Filius. Ipsa denique contrivit caput serpentis Inferni, quia per ipsam mediante Filio suo potestas Dæmonis est contrita. Idem Dæmon insidiatus est calcaneo utriúsque tam Filii, quam Matris. Diabolus enim tentavit Christum, inquit Lyranus, exterius tantummodo suggerendo; quæ quidem tentatio non fuit vitium in tentato, sed virtutis exercitium, & eodem modo credendum est de Virgine. Sic ille. Cùm ergo Deipara nostra sanctissima, & ipsa ab humani generis hoste quemadmodum Dilectissimus ejus Filius tentata fuerit, & ex iis, quæ passa fuit, didicerit compassionem, nullum dubium est, quin contra horum scorpionum lethifera venena, caudarúmque ictus pravatum videlicet suggestionum, cum sit Viola adversans scorpionibus, præsentissimum antidotum sit nobis pro insigni ea, qua pollet charitate, exhibitura. Novit enim serpentem hunc antiquum, perniciosissimúmique scorpionem totum invidia ardore ac tabescere, nihilque illi esse antiquius quam hominum salutem pessundare, ne æviterna, à qua exclusus est gloria, potiantur, licèt ex hoc noverit majoribus se suppliciis cruciandum.

Invidia diaboli erga nos.

28. Quod pulchro exemplo jam memoratus comprobavit Lyranus. Erant, inquiens, quadam in civitate duo homines, quorum alter de nimia notatus fuerat cupiditate, alter de invidia. Unde civitatis Dominus Vir valdè prudens, ipsis ad se vocatis, dixit, ut à se peterent, quod vellent, addens, se primo petenti, mox postulata concessurum, alium verò duplum habiturum. Quibus intellectis, cupidus primus petere noluit, dupli habendi spe allectus. Similiter se habebat invidus, timens ne socius plus lucraretur quam ipse. Tandem cum Dominus eos ad petendum urgeret, Invidus petiit, ut sibi unus oculus erueretur, quo socius duos amitteret. Quod & factum, atque ita punita fuêre utriúsque vitia. Concludit inde Lyranus: *Sic Dæmones tentant ex invidia homines, licet non ignorent suam pœnam in Inferno crescere ex hominum damnatione.* Quemadmodum igitur malignissimi hi scorpiones, exstimulante illos, atque adurente invidia nobis assiduè fraudes technásque struunt, nostróque calcaneo insidiantur: sic materna planè divináque inflammata charitate Virgo B. nos ab illorum liberat insidiis, eorúmque à nobis machinamenta amolitur, suísque precibus ac patrociniis rectam nobis viam ad beatam patriam sternit, eorumque capita calcaneis nostris insidiantia conterit, ut expeditius tandem tanquam boni filii eam ad immortalem gloriam subsequamur.

Petrus Monoculus Cisterc. singularis Deiparæ cultor visione animatur contra diabolum.

29. Expertus est præsentissimum patrocinium Deiparæ adversus Infernales scorpiones B. Petrus cognomento Monoculus Ordinis Cisterciensis jubar, de quo Chrysost. Henriquez in Fasc. sanctorum lib. 2. Disc. 72. cap. 1. ita scribit: Qua erat in Dei Matrem Virginem pietate, in cujus fidem & clientelam se jam pridem contulerat, nullum firmius ad Dæmonum vires conterendas, quam ejusdem Virginis præsidium inveniri posse, certum exploratúmque habens, ejus patrocinium assiduè invocabat. Nec frustra tantæ Virginis quæsivit auxilium. Semper enim in omnibus suis tribulationibus, majoribúsque difficultatibus ipsi adsistit Virgo Beata animúmque addidit, & vires suppeditavit, ut facilè inimici vires superaret, & de hoste prostrato, gloriosas victorias reportaret. Cujus etiam meritis se commendans arctam virtutis semitam te-

nens recta ad æternam patriam gressus suos dirigebat. Videbat hoc & invidebat Sathan, & toto eum conamine à perfectionis proposito divertere variis suggestionibus satagebat. Christi verò miles nullis ipsius terrebatur insultibus, sed statim ad turrim refugii & fortitudinis nostræ auxilium petiturus ad piissimam confugiebat Deiparam, ab eáque robur accipiebat, sícque in omnibus suis tribulationibus secundùm sancti Bernardi consilium, stellam divini fulgoris aspiciebat, ut ejus claritas, mentis tenebras expelleret, & invobat Mariam, quam singularem in stadio certantium agnoscebat Patronam. Ut autem majori cum fiducia ad misericordiæ Matrem, cùm tentationibus magis premeretur, recurreret, mirabili quadam visione ei indicatum fuit, quanta solicitudine eadem Virgo piissima periclitantibus subveniret. Nam dum nocte quadam divina meditaretur, splendidissimum pulcherrimúmque quoddam ædificium conspexit, regia planè magnificentia constructum. Quod dum miratur, secum cogitare cœpit, quis tandem palatium illud magnificentissimum incoleret, simúlq; gressus ad introspiciendum movens, vidit aulam quandam spatiosissimam, simúlque speciosissimam preciosis lapidibus ornatam, divinóque fulgore coruscantem, in cujus medio Regium thronum, in eóque summam Cœlorum Reginam divina quadam Majestate residentem toto ore oculi radios evibrantem contemplatus est. Quam cum salutare ejúsque benignissimo aspectu perfrui tantisper desiderans, in eam aulam intrare tentat, ecce tibi duo nigerrimi terribilésq; canes occurrunt, suíque latratibus personantes, ut eum ab ingressu absterrerent. Ille nihilominus ad gloriosissimam Virginem cor oculósque dirigens, quam humillimè deprecabatur, ne ejus desiderium à malignis spiritibus impediretur. Tunc misericordiæ Mater, afflictorúmque Consolatrix Petro compatiens, Dæmones illos sua auctoritate fugavit; tum benignissimam faciem oculósque ad suum dilectum convertens, cum ad se vocavit, suavissimóque demulcens alloquio securum esse jussit, eíque in omnibus laboribus, tribulationibus, ac necessitatibus opem subsidiúmq; promisit. Quo Virginis aspectu, colloquio, promissione mirificè Sanctus vir recreatus átque ad pugnandum contra Tartareos scorpiones cœli aditum impedire mortalibus obnitentes animatus est.

Maria pellit dæmones.

30. Quid jam de proprietate illa Violæ dicemus, qua inflammationes & gravedinem capitis, impositis coronis, olfactúque discutit, ejusdémque capitis purgat ulcera, oculorúmque inflationes mirrhâ commixta & croco sedat; laxat inflationem, cerebri calorem mitigat, illudque refrigerat & humectat? Quas omnes proprietates in hac Virginea nostra Viola abundè invenire est. Hos enim omnes capitis defectus ac vitia, quæ ego superbiam interpretor, Virgo nostra, Violâ suæ humilitatis à nobis tollit. Hæc enim sicut in primis mundi exordiis, ipsum Angelorum caput, ac Primatem, totiúsque humani generis protoplastum occupavit, effecítque, ut à Deo apostataret, atque ita in infinitam malorum Iliadem, in naturam humanam inveheret, ita quóque ejus posteros invadit, eósque quam plurimis doloribus, ac calamitatibus involuit. Qua de re præclarè Siracides Eccl. 10. 15. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quia ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit eam, implebitur maledictis, & subvertet eum in finem. Propterea*

Maria humilitate sua opposita superbiæ Luciferi.

pterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usque in finem. Sedes Ducum superborum destruxit DEus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit DEus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.

Maria Viola humilitatis

31. Inter quas humilitatis gratissimas à Deo plantatas in hoc Ecclesiæ Paradiso Arbusculas, crediderim esse gloriosissimam Deiparam, quæ ad Divinam Maternitatem electa licet esse Cedrus altissima, humilitate tamen sua profundissimâ, Viola omnium florum humillima superbis, turgidis, ulcerosis mortalium capitibus præsentissimum apportans antidotum, facta est. Unde pulcherrima illa Violæ proprietas, quam Bartholomæus Anglicus supra attulerat, ei pervenustè congruit: *Quantò Violæ flos est virtuosior, tantò magis ad inferiora caput deprimit & inclinat. Verè parvitatem ejus in substantia*, prosequitur idem, *magnitudo odoris pariter & virtutis nobilitas recompensat.*

Maria superbiam nostram sanat.

32. Et verò qui fieri potest, ut capitis nostri superbiam quam jure ulcus, scabiem, gravedinem, tumorem, inflammationem, cerebri calorem dixerimus, qui, inquam, fieri potest, ut Violâ hac Virgineâ capiti nostro, per considerationis humilitatis ipsius profundissimæ impositâ tantis malis capitis hujuscè nostri planè miserabilis non liberemur? Imponamus capiti nostro velut odoratissimam violarum coronam, verba illa Virginis humilitate plenissima, quæ cum Gabriele colloquens, protulit. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Et cui, quæso, verba hæc attentè considerata superbiam è capite non statim excutiant? In DEI Matrem qua dignitate in rerum natura nihil est eminentius, nihil est divinius, eligitur, & Ancillam Domini se esse profitetur.

Maria humilis ancilla Domini.

33. Ex hoc tam insigni humilitatis actu Violam esse agnovit Deiparam Hugo de S. Vict. serm. 46. in Inst. Monast. Omnis Viola, inquiens, naturaliter caput, flosculum suum ad ima deflectit, ac per hoc humilitatem convenienter exprimit. Quam virtutem in B. M. excellenter fuisse quis dubitet? cum enim ab Angelo pronunciaretur Mater DEI, & per hoc vere Domina mundi & Regina cœli humiliter respondit: *Ecce Ancilla Domini.* Verè ergo & in hoc Viola fuit, quod verè caput ad ima deflexit, dum in eo, quod major extitit, semetipsam amplius humiliavit, eligens non alta de se sapere, sed magis humilibus consentire. Habebat quippe jam scriptum in corde suo, quod: *omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.* Et illud: *Ante ruinam exaltatur spiritus, & ante gloriam humiliabitur.* Prov. 16. Hinc Petrus Riga M. S. in Genesim, Violâ viros humiles, sicut lilio castos, Rosâ patientes designari cecinit: *Illi quos varius virtutum splendor honorat, sunt Violæ, sunt & lilia, suntque Rosæ. Sunt Violæ, quia sunt humiles; sunt lilia casto corpore degentes; sunt patiendo Rosæ.* Idem in Exod. easdem ob virtutes Christum Violam, lilium, & Rosam appellat, dum ita cecinit:

Viola humiles, lilia castos, Rosa patientes significat.

Flos prati, flos hic vallis, Flos dicitur agri,
Assimilans Violas, lilia, sive Rosas.
Flos prati Viola est, flos agri, Lilia: campi
Flos Rosa: virtutum sunt tria forma trium.
Dicitur hinc humilis, hinc candidus, hinc rubicundus:
Ecce JESUS sicut in Salomone legis.

Adveniens humilis Violam se format; adæquat
Lilia, labe carens; fit moriendo Rosa.

Maria humilis Ancilla Domini.

34. Agnovit humilitatis Violam esse Virginem ex eisdem ad Angelum pronunciatis verbis mellifluus Doctor Hom. 4. super Missus est: *semper*, inquit, *solet esse gratiæ divinæ familiaris, virtus humilitatis. DEus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondetur, ut sedes gratiæ præparetur: Ecce, inquit, Ancilla Domini: quæ est tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Domini eligitur, & Ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblatâ tanta gloriâ oblivisci humilitatem. Non est magnum esse humilem in abjectione. Magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Eadem verba ponderans S. Ambrosius lib. 2. in Lucam: *Vide* inquit, *humilitatem, vide devotionem; Ancillam se dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est, simul Ancillam dicendo, nullam sibi prærogativam tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceret, quod juberetur, mitem enim humilémque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre.*

Humilitas in honore.

Profundissimam hanc humilitatem Deiparæ admirans Doctor Seraphicus jure merito cap. 4. in speculo exclamavit. *O mira & profunda humilitas Mariæ. Ecce Mariam Archangelus alloquitur. Maria gratia plena dicitur, superventio Spiritus Sancti promittitur: in Matrem Domini assumitur, jam omnibus creaturis anteponitur: jam Domina cœli & terræ efficitur, sed in his omnibus mira humilitate deprimitur dicens: Ecce Ancilla &c.* Audiendus & D. Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. *In nullo*, inquit, *de se præsumpsit Virgo, in nullo aliquid de se altum sapit, sed tota in Deo exultat, & tota ejus anima Deum magnificat. Nihil sibi tribuit meritorum, nihil sibi de se applaudit, sed solummodo quæ DEI sunt requirit & sapit; idcircò in illa tota exultata, solam sibi vindicat humilitatem Ancillæ, quæ Mater Salvatoris ab Angelo veneratur.*

Maria [illegible] milis [illegible] deratione Mater [illegible] ancilla agere.

35. Neque verò solum Virgo nostra in præbendo suo in Incarnationem consensu humillimam DEI Ancillam sese exhibuit, verum etiam multo ante dum vaticinium Illud legeret Isaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet. Intelligens enim, quòd talis Virgo erat futura*, ut loquitur S. Bern. sen. To. 2. serm. 48. ar. 2. cap. 10. *Filii DEI Mater anxio desiderio postulabat tali sacratissimæ Virgini obsequi, & famulari, illam alloqui & contemplari, vel saltem illi in aliquo humillimo officio ministrare. Et dum in hujusmodi desideriis Sancta Virgo flammesceret, Angelo nunciante se illam esse Virginem, de qua per Isaiam Spiritus Sanctus prophetavit; audita Domini voluntate humiliter se ad obtemperandum parans, cum fieret Mater Dei átque Regina cœli, & mundi, non gloriosæ altitudinis, sed infimæ humilitatis assumpsit nomen dicens: Ecce Ancilla Domini q. d. Nequaquam mereor dici Dei sponsa & Mater, sed in omni abjectione Ancilla.* Tum ad Virgines conversus docet eas hoc tam illustri Virginis exemplo veram sectari humilitatem: *Videte, quæso, o stultæ & indomitæ Virgines*, inquiens, *humilitatem Mariæ, quanta abjectione se dejicit, cùm ad altissima sublevatur. Ipsa se vilificat, ut DEus illam exaltet. Dum amplius à Domino exaltatur, magis in spiritu humiliatur, ampliusque de illa Dominus inamoratur.* Unde Bern. *sine humilitate, audeo dice-*

Virgini[illegible] conveniens & nec[illegible] humil[illegible].

dicere, Mariæ Virginitas Deo non placuisset. Et in hoc discant Virgines Deo gratæ in omni abjectione & humilitate imitari B. Mariam, & non se extollere de Virginitatis munere, uti fecit superba quædam Virgo, quæ ob suam Virginitatem tanto tumore elata fuit, ut diceret se nolle esse Magdalenam in cælo. Ob quam superbiam à Domino derelicta, post quendam virum egressa, meretrix prostibuli cæno facta est. Hæc ille de imitanda Deiparæ humilitate, ejúsque eximiis elogiis, quibus à pluribus etiam Ecclesiæ Patribus hæc Virgineæ humilitatis Viola illustratur.

...go quæ-...1, quia su-...ba, facta est ...etrix.

36. Videbatur planè humi repere ad instar Violæ, nihili se faciens Virgo nostra, & ex virtutis hujus suæ odore suavissimo violentiam quodammodo ipsi Dei Patris Unigenito inferens cum de sinu Patris in purissimum suum uterum pertraxit, & ad divinæ Maternitatis eminentissimam dignitatem, qua se indignam reputabat, evecta, super omnes demum Angelorum choros, ad dexteram Filii tantæ humilitatis meritò exaltari meruit. De hoc humili Virginis circa semetipsam sensu audiendus paulo ante memoratus S. Bernardus Sen. To. 2. serm. 51. art. 1. cap. 3. *Non credendum*, inquit ille, *quòd ad recipiendum Filium Dei in carne sua se existimaret dignam. Nam gratia sanctificationis, quam in utero Matris accepit, quæ eam omni virtute replevit, sic à principio mentem ejus in abysso humilitatis fundavit, quod sicut nulla post Filium DEI creatura tantam ascendit in gratia dignitatem, sic nec tantùm descendit in abyssum humilitatis profundæ.*

...ia humili-...sua ...um at-...it.

37. Quare ea, quæ SS. Patres de Nardo illa, cujus virtutum sponsa Cant. 1. prædicavit: *dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*; jure nos ad Violam Virgineæ humilitatis transferre possumus. Siquidem ut scribit Plin. lib. 12. Nat. Hist. cap. 12. *Nardus frutex est, radice brevi & nigra.* Quod quam aptè demissioni animi Deiparæ nostræ, cujus nigredo, sive vilitas, brevitas, ac parvitas, sive humilitas radice fuit ad fundamentum bonorum ac virtutum omnium, ac præsertim interioris illius pulchritudinis, quâ non solum cœlo, ac terræ, verùm etiam ipsi rerum omnium Conditori admirabilis extitit. Unde ipsa ajebat Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.* Violam porrò symbolum esse humilitatis ex ipsius summa parvitate, quia humi repere videtur, manifestum est. Quare quod de humilitate Filii DEI devotissimus Justus Landspergius in soliloq. animæ cap. 27. dixit, idem nos de ipsius Matre Sanctissima pronunciare possumus: *Fragravit & fragrat odor fortissimus Violæ humilitatis tuæ, & non solùm cælos & terras, sed & Inferos penetravit, quos per crucis tuæ humilitatem expugnasti, senserúntque odoris tui fragrantiam, & sequuntur te ubique terrarum Sancti, & humiles corde, qui rejectis oneribus terrenorum honorum & superbarum divitiarum pompis, humili corde, humili gestu, humili habitu, te Ducem humilitatis sequuntur, se se in præsenti humiliant, ut secundùm sententiam suam in futuro mercantur exultari.*

...a Nardus ...ola ob ...ilitatem.

Maria humilis similis Filio humili.

38. De Nardo hac sive Viola audiamus venerabilem Rupertum Abbatem lib. 1. in Cant. ubi ita Deiparam loquentem introducit: *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum, & hoc odore delectatus descendit in uterum meum. Olim in Eva malo superbiæ fœtore offensus, & ob hoc ab humano genere aversus fuerat; nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, sic ad genus huma-*

Eva sua superbia DEum fugavit: Maria humilitate illum attraxit

humanum conversus est. Propterea nardum meam dico humilitatem meam, quia sicut nardus herba, oromatica, parvo quidem frutice, vel parva spica, nequaquam in altum se subrigit, sed comosa átque odoratissima, flore optimi odoris atque radicula suavi, multis usibus probatur utilis: sic humilitas mea, suo quidem arbitrio vel judicio parva res est, nimiúmque exilis, sed judicio Regis pretiosior est cunctis operibus legis, in quibus homines sibi videntur justi atque magnifici, ipsúmque Regem & Patrem ejus DEUM, sanctum quóque spiritum unicè delectat, velut suavis odor, qualis quantúsque de nullo unquam úsque ad ipsum spiravit, vel spirare potuit sacrificio. O amici hoc ego experta sum, humilitatem meam de illo accubitu suo sensit, & respexit, & valde delectatus est, & placuit sibi quod in isto sexu tantam humilitatem invenit: in isto, inquam, sexu, à quo initium superbiæ humani generis superveniens, totam massam corrupit. In isto sexu tandem gratiam abundantiorem invenit. Nolite incumbere mihi, ut explicem, quantam in me humilitatem mitis & humilis corde invenerit. Non possum eloqui, non possum verbis consequi, res ista non est effabilis. Quid vel quale sit hoc bonum nemo scit, nisi qui accipit, & cum acceperit, nulli nisi Deo potest affari, qui ut videt, sic intelligit, Hoc tantum dixerim, quia requies est mentis, & qui hanc invenit, sine dubio requiem animæ suæ invenit. Ego in omnibus requiem istam quæsivi, & vidit Rex respiciens ubi nardi hujus ex me odorem sensit: vidit, inquam, quod requiescere posset hic in suavitate animæ quietæ, humilis, descenditque de illo accubitu suo, & requievit in tabernaculo meo. Hic requievit, hic habitavit totis novem mensibus, & cujus erat Dominus ejusdem Ancillæ suæ factus est filius. Hæc Rupertus.

39. Eandem Virginis humilitatem, animíque modestiam variarum virtutum odoribus sociatam nardo contulit, ob eámque dignam censuit, quam Dominus respiceret, átque ita ardenter adamaret S. Bernard, serm. 4. de Assumpt. B. V. *Quanta*, inquiens, *& pretiosa humilitatis virtus, cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, imò cum tanta gratiæ plenitudine? Unde tibi tanta humilitas ô Beata! digna planè, quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret Rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Audi Mariam in Evangelio: Respexit humilitatem Ancillæ suæ. Audi eandem in Epithalamio: Cum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum. Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat, ut manifestum sit, humilitatem Nardi nomine designari, cujus odor & decor invenerit gratiam apud DEum.* Idem mellifluus Doctor eadem illa sponsæ verba serm. 42. in Cant. exponens de sua odorata Nardo, idem dicito de Viola, ita loquitur: *Nardus humilis herba est, & calidæ naturæ; per hanc non inconvenienter virtus humilitatis accipitur, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. Est enim humilitas, quam parit veritas, & est humilitas, quam charitas format, & inflammat. Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola inerat humilitas dedit odorem suum, id est, solitum, solito placet Deo humilitas, solito planè átque ex consueto excelsus Dominus humilia respicit. Et ideò cum esset Rex in accubitu suo, in excelso habitaculo suo*

Maria Nardus odore suo DEum attrahens.

suo illuc quoque humilitatis odor ascendit. In altis habitat, inquit, & humilia respicit in cœlo & in terra. Et observandum quod Nardum suam humilitatem Virgo appellet. Hæc enim virtus sicut Christo, sic etiam Virgini fuit maxime propria, & nimium quantum dilecta.

Maria humilis simul ac innocens.

40. Ex eo porrò humilitatis hujus Virgineæ, sive Nardus, sive Viola supremo Regi magis grata extitit, quod cum insigni ac planè admiranda morum innocentia, sanctimoniáque sociata fuit; quæ sanè jure animæ gemina forma ac venustas vocitanda est. Hinc rursus ser. 45. in Cant. *Decor animæ est humilitas. Verum in eo, qui graviter peccavit, & si amanda, non tamen est admiranda humilitas; at si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit, nonne tibi videtur geminum animæ possidere decorem? sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit, & ideò concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit: meritò admiranda, cui sanctitas admissa humilitatem non attulit, sed servata admisit.*

41. Simili ratione Cardinalis Halgrinus Nardum Virginis humilitatem interpretatus est, unde ita illam loquentem introducit: *cùm adhuc esset Filius in sinu Patris, nondum factus visibilis Nardus mea, id est, humilitas mea, in conspectu ejus dedit odorem suum, & sic ei complacuit. Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.*

Maria à primo conceptione sua humilis.

42. Neque verò mirum est, Deiparam cœlesti Regi tantoperè Humilitatis virtute placuisse, siquidem in eâ se se quam diligentissimè à primò immaculatæ suæ conceptionis instanti exercuit, ut supernis civibus tota admirabilis videretur. Hinc B. Mechildis lib. 1. suarum Revelat. *Prima virtus*, inquit, *in qua Virgo nata & infans se singulariter exercuit, fuit humilitas, quia ita modestè de se sentiebat, ut cum tot gratias haberet, nulli creaturæ se prætulerit, nec anteposuerit.* De ejusdem Virginis humilitatis excellentia audiendus Angelus apud S. Brigittam in serm. suo Angelico c. 12. *Maria in omnibus*, inquit, *humilitate sua inexcogitabili jugiter se ipsam depressit, quod certissimè Dei benedicto Filio sic placuit, ut ex ejus humillimo corpore, venerabile illud corpus dignatus sit assumere, quod quidem super omnia in cœlo & in terra decuit æternaliter sublimari.* Apud eandem Brigittam lib. 1. Rev. cap. 42. B. V. de hac sua tam eximia humilitate gloriatur: *Ego*, inquiens, *habui tria, quibus placui Filio meo: Humilitatem, ut nulla creatura nec Angelus nec homo esset me humilior. 2. habui obedientiam, qua studui obedire Filio meo in omnibus, 3. habui præcipuam charitatem: Ideò tripliciter honorata sum à Filio meo. Nam primò, ob humilitatem scilicet, facta sum Angelis, & hominibus honorabilior, ita ut nulla sit virtus in Deo, quæ non fulgeat in me, licèt ipse sit fons, & omnium Creator.* Hac in virtute Virgo nostra ita profecit, ut ipsa humilitas videretur. Unde ipsa hoc nomine se vocitare non est dedignata apud eandem S. Brigittam lib. Rev. cap. 29. additque præmia planè tanta virtute dignissima, sibi à Divina munificentia donata: *Ego*, inquiens, *quæ humillima sum, sedeo in sede speciosa, & super me non est sol, nec Luna, nec stellæ, nec etiam nubes, sed mira & inæstimabilis clariatis serenitas, procedens à præclara pulchritudine Majestatis Divinæ. Infra me etiam non est terra vel lapides, sed requies incomparabilis*

Propterea exaltata.

bilis in virtute Dei. Juxta me est Angelorum & sanctarum animarum gloriosus exercitus. Et quamvis sic sublimiter sedeo, tamen audio amicos meos in terra existentes, mihi quotidie gemitus fundentes & lacrymas. Video labores eorum, majoremq́ efficaciam, qua eorum qui pugnant pro Domina sua superbia. Ideò visitabo eos, & collocabo mecum in sede mea, quæ speciosa est, & omnes benè potest capere.

Maria Virgula fumi propter humilitatem.

43. Hac humilitate Virgo, cum quædam ingens, ac nimium quantum sublimis ob divinæ Maternitatis dignitatem esset Cedrus, quæ ipsum Libanum, nempe Christum peperit, ut ait Rich. de S. Vict. in Cant. in oculis tamen suis Virgultum quoddam sive Virgula exilis sibi esse videbatur. Unde hanc tam profundam animi ejus demissionem admirati Angeli exclamârunt: *quæ est ista, quæ ascendit per desertum quasi Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii,* Cant. 3. Admiratos porrò fuisse Angelos spiritus, sive ipsum divinissimum spiritum humilitatem Deiparæ sese abjicientis, atque fumum reputantis, testatur Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. ubi ita loquitur: *Cujus rei, quæso est ista admiratio? Nimirum admiratio est, hujus dilectæ, singularis, hujus sanctissimæ Virginis. Et quid admiramur? vel quid nobis admirandum insinuat Spiritus Sanctus verbis hujusmodi: Ascendit per desertum sicut Virgula fumi: ò fœlicem mentis habitum, qui tam magnum habet præconium. Humilitas tua est, ò Ancilla Domini B. Maria, quam tali admiratione Spiritus Sanctus collaudat. Odor tuus, odor humilitatis tuæ præcipuus ascendit ad eum, ut verè sacrificium tribulationi spiritus. Quid enim est fumus, & quid pulvis, nisi spiritus lacrymosus, & conscientia valdè humilis? & sua quidem æstimatione vera humilitas est fumus innoxius, quasi cremii sive torris ombusti & pulvis terræ sine aqua, & sitientis juxta illud: quia defecerunt sicut fumus dies mei & ossa mea sicut cremium aruerunt. Et sicut Abraham dixit. Loquar ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis: sed non ita æstimatione Dei. Aliter & meliùs ille te discernit: Tu dicis, pulvis sum terræ; qualem ventus dispergit, aura tollit: & ille dicit: Non, sed pulvis pigmentarii, pulvis myrrhæ & thuris, qualem pigmentarius spiritus Sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitas mentis, & ex myrrha probatissima, quod est mortificatio, sivè incorruptio carnis. Fumus ego sum teter coram Divinis oculis qualis de camino sive de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit: & ille dicit: Non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum, úsque ad oculos & olfactum Domini. Talis fumus, imò talis fumi Virgula, tuo ò B. Maria suavem odorem spirasti Altissimo, cœlestibus disciplinis erudita, atq́ extenuata. Talis ascendisti per desertum, animam habens valdè solitariam. Si enim vera cujusq́ animæ humilitas etiam inter turbas potest esse solitaria, ita videlicet, ut in nullo alio, præterquam in Deo spem habeat, quemadmodum Esther cum esset Regina veraciter tunc dicebat: Domine mi qui Rex noster es solus, adjuva me solitariam, & cujus præter te nullus est auxiliator alius, Esth. 14. Quantò magis tu verà solitaria quasi in deserto eras, quæ virum non cognoscebas, nec cognoscere cupiebas, & ab illo, cui desponsata fueras ferè fuisti deserta; non quia sanctus Angelus, qui te solitariam invenerat, solitariam salutaverat te commendat, & Filium*

suum,

suum, qui quasi pupillus in hoc seculo nasciturus erat. Digna erat exclamatio, digna admiratio. *Verè mirabilis, & illi multùm dissimilis, quæ descendit per Paradisum, & cecidit de Paradiso, non gracilis per humilitatem, sed nimis grossa & rigida per mentis tumorem.*

44. Atque ut intelligeremus non quocúnque humilitatis gradu contentam fuisse Deiparam, docet idem Rupertus eam magnis passibus in via humilitatis progrediendo omnes sanctos Patriarchas ac Prophetas à sæculorum exordio longè post se reliquisse, & præ reliquis omnibus cœlestibus donis ac favoribus digna fuit. Magni fuêre virtute hac coram Deo Virginis avi atavíque Abraham, & David Rex ac Propheta, qui, ex verbis suis cognosci possunt, quam humiles fuerint in oculis suis. Abraham quippe cùm tantus esset, ut cum eo Deus loqueretur, & amicus illi haberetur, non tamen oblitus sui? *loquar*, inquit, *ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis.* David quóque cum esset unctus Rex, & Saul persequeretur eum: *quem persequeris, ait Rex Israël, quem persequeris? Canem mortuum, & pulicem unum?* Unde id. Rup. lib. 1. in Cant. B. V. de hac horum humilitate adeò Deo grata, multis præmiis cœlitus affecta ita loquentem introducit. *Propterea non solùm non confunditur Deus, verum etiam istis duobus jurare Deum altissimum non piguit, facturū se hoc mysterium, incarnationis videlicet, quod in me cernitis.*

a humi-

45. Neque verò solùm Abrahamum ac Davidem, verùm etiam omnes reliquos Sanctos, tam veteris quam novi testamenti humilitate sua antevertit Virgo nostra. Quod nobis S. Antoninus Archiep. Flor. verba illa Virginis humilitate plenissima; *Ecce Ancilla Domini*, ponderans 3. Part. Tit. 31. cap. 3. §. 2. Sapienter pronunciavit: *Non simili*, inquit, *humilitate usi sunt Abraham dicens: Sum pulvis & cinis, aut Job aiens: Ventus est vita mea: vel David protestans, quod esset canis mortuus, & unus pulex: sive Baptista, qui fassus est se labilem esse vocem. Nam hi omnes dixerunt id, quod erant & non minus. Hæc autem multò minus quam sit, quantùm distant inter se Regina cœlorum, Domina Angelorum, & Mater Domini, ab Ancilla Domini; veritatem tamen dixit, quia Mater & Ancilla erat Christi. Qua sanè in re humillima Dei Mater Heroinam illam insignem Abigailem æmulari visa est, quæ à magno illo totius Israëlis Rege in uxorem ducta,* Maria humilis, ut Abigail. *Regináque nominata, consurgens, ut sacer loquitur textus, adoravit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in Ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* 1. *Reg.* 25. 41. *Ad quod profectò ministerium & Virgo nostra se se demittere átque abjicere videtur, quoties* humilis erga peccatores. *pravos affectus nostros; qui animæ quidam pedes sunt, variis criminum sordibus inquinatos, pro egregia sua, qua in peccatores fertur pietate, aquâ Divinæ gratiæ abluere non dedignatur.*

46. Quo sanè in munere tam eximiæ charitatis átque humilitatis uti supradictum, sicut & reliquis virtutibus sanctissima DEI Mater, Dulcissimum Filium imitata, qui venit peccatores salvos facere, eos fecit progressus, ascendendo per humilitatis charitatísque gradus, indies imò in momenta penè singula altiores, uti diximus summam cœlo terræque peperit admirationem. Hinc venerabilis Dionysius Richel. art. 12. in Cant. jam memoratum illud elogium admiratione plenissimum: *Quæ est ista &c.* ait, esse tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ virtutum in Virgine profectum planè incomparabilem demi-

Maria constanter crevit in virtutibus, præcipuè in humilitate, ut virgula fumi ascendit.

Tttttt 2 ran-

rantis. *De ascensu quotidiani profectus*, inquiens, *in omni virtute, sanctitate, ac Deiformi perfectione honorabilissimæ Virginis, omnes cives triumphantis ac militantis Ecclesiæ, ritè eundem profectum pensantes, non immeritò mirabantur vehementissimè. Inæstimabiliter enim profecit singulis horis, cùm haberet purissimum corpus animæ suæ promptissimè subditum átque obtemperans, fomitémque prorsus extinctum, ac diligentiam animi summam átque indefessam; charitatem quóque æstuantissimam; stans indesinenter sub contactu solis justitiæ, qui radios sapientiæ, flumina gratiæ, charitatis ardores assiduè átque abundantissimè influxit in eam: sed & superdulcissimus Spiritus Sanctus Matrem ejus, à quo ipse verè, æternaliter procedit, continuò incitavit, movit, accendit ad profectuum incrementa. Quid verò Pater æternus comparentali suæ non largiretur? Non dubium, quin secretissimè, frequentissimè, exuberantissimè mundavit eam. Ipsa quóque optimè fertur ascendisse ut Virgula fumi, quoniam ejus profectui non fuit admixta aliqua curuitas culpæ, nec negligentia ulla, sed linealiter ac prorsus rectissimè progrediebatur in omni bono, similis vapori resoluto, ex incensione thymiamatis optimi, ex omni aromatica specie confecti, quia in profundo Virginis excellentissimæ concurrebant plurimarũ Ordinatissimæ contemperationes virtutum, suavissimmè apud Altissimum redolentes. Ascendit autem per desertum, per vallem hanc calamitatum ac fletuum, per terram peregrinationis præsentis, per Synagogam à Deo derelictam. Insuper ascensum ejus in sublimitate & profectu contemplationis nullus valet satis mirari, profundissimè contemplabatur altitudiuem imperscrutabilis consilii superbeatissimæ Trinitatis, super modo salvationis generis humani per Incarnationem, ac cætera mysteria Verbi æterni, ex ea veraciter humanati. Quemadmodum enim amabilissimæ Virgini singulariter datum est, ut humanæ salutis mysteria ex ea, & per eam efficerentur, sic eminenter datum est ei, ub ab ea profundius cognoscerentur. Quantùm denique quotidie creverit in delectione syncerissima Filij sui, imò totius Trinitatis quis potest concipere? cùm enim fuerit ab omni sensuali affectione, & inordinato amore mundissimè aliena, atque in habitu charitatis perfectissima, maximè fuit disposita ad eminentissima charitatis augmenta, quia ex habitu charitatis processit, in ferventissimos actus divini amoris, & quo actus illi erant ferventiores, eò magis sortiebantur sanctæ charitatis augmentum.* Hæc Dionysius de Virginis nostræ in omnibus virtutibus, ac præsertim in charitatis profectu, quæ pari ratione dici possunt de ipsius singulari planè humilitate, quaad instar Virgulæ fumi exilis ac tenuis, ad altiores in ea semper acquirendos gradus ascendebat.

47. Ascensus porrò hic mirè facilis Virginis nostræ extitit. Cùm enim *ad humilitatem*, Angelico Doctore attestante 2. 2. q. 161, 2. in corp. *propriè pertineat, ut aliquis reprimat seipsum, ne feratur in ea, quæ sunt supra se:* & ad hoc necessarium sit, ut aliquis cognoscat id, in quo deficit à proportione ejus, quod suam virtutem excedit. Et cognitio deníque proprii defectus pertineat ad humilitatem sicut regula quædam directiva appetitûs: consequitur planè mirificè Virginem Beatissimam in virtute humilitatis profecisse, utpote, quæ intellectu, cognitionéque tanquam increatæ sapientiæ Parens fuerit perspicacissima, séque ipsam, defectúmque suum, in quantum erat

Mariæ humilitas fundata in perfectissima cognitione sui ipsius nihili.

crea-

creatura, perfectissimè comprehendit. Præclarè enim idem S. Doctor. art. 3. in corpore asseverat duo in homine posse considerari, scilicet id, quod est Dei, & id, quod est hominis. Hominis autem est quidquid pertinet ad defectum. Dei verò quidquid pertinet ad salutem & perfectionem. Cùm igitur DEI Mater perfectissimo polleret intellectu, humanósque in se defectus, qui peccato admixti non sunt, clarissimè perspexerit, quale est verbi gratia illud nihilum, ex quo creata est, sicuti & terra illa ac limus, ex quo corpus ejus Dei manibus formatum est, impotentia denique illa, sive imbecillitas, qua homo ad bene operandum absque Dei assistentia ineptus redditur, & his similia, necesse profectò fuit, ut sese quàm profundissimè coram oculis Divinæ Majestatis abjiceret, & quodammodo in abyssum propriæ illius nihileitatis, à qua originem traxit, demergeret.

Maria propter humilitatem & agnitionem sui nihili à Deo respecta

48. Ad nihilum hoc fine dubio Deipara mentis suæ direxit oculum, cùm dixit: *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*. Quod sapientissimum Dei Matris pronunciatum considerans Dionysius Richel. lib. 5. de Præcon. & dig. Deip. art. 21. ad illam conversus exquisivit: Cur non ô Domina cunctis virtutibus splendens, Virginitatem, aut certè charitatem, in te DEum respexisse fassa es? Cùm præsertim Divinitatis puritati, per Virginitatem aptior fuisse videaris: & ipsa demùm charitas præclarissima sit virtus, cujus proprietas est amantem amato copulare. Cur igitur in te cœlitus humilitatem conspectam esse, ô Sapientissima cecinisti? Nisi quòd Incarnationis mysterium in medio sacri uteri tui celebratum, immensæ erat miserationis ac merè opus dignationis, nil utique meriti in nobis habens sibi corespondens; sed ex sola Dei bonitate, & anticipante charitate proficiscens. Et quia denique in Incarnatione Unigeniti, infinita Divinæ exinanitio Majestatis extitit, cui extrema quædam humilitas erat condecens. Itáque nihil sibi in tanta gratia tribuere volens, sed ad Dei clementiam totum reducens. *Respexit*, inquit, *humilitatem Ancillæ suæ*. q.d. Nihil in me ad tam sublime mysterium dignum aut meritorium cognovi, nisi quód me indignam, & minimam novi, atque ad hoc infinitum prorsus inidoneam scio. Enimverò si dixisset, quoniam Virginitatem aut charitatem Ancillæ suæ respexit, videretur, nî fallor, meriti sibi aliquid in Dei Incarnatione attribuisse. Nempè si Virginitatem induxisset, per carnis puritatem, mentísque castimoniam, se Divinæ unioni proportionatam utcúmque insinvâsse videretur. Jure ergo humilitatem, utilitatémque suam à Deo respectam esse Virgo memorat, noverat enim quòd ex se nihil sit, nihílque possit, & quod à Deo in rebus omnibus debeat dependere; noverat etiam se Divinicus sibi impensa beneficia, nulla ratione promeritam, sed bonitatem omnem ac virtutem desuper sciens se sortitam, & in singulis his se à Bonitate Divinæ manutenentiæ magis dependentem contemplans; quàm à fonte dependeat rivus, aut à sole radius, se se abjiciebat. Constat enim, quòd si vel ad momentum lucem auferas, splendor confestim evanescit, ita prorsus si vel in ictu oculi divinæ conservationis clementia ab intellectu creato deficiat, omnis continuò virtus ejus ac perfectio decoloratur, & ad nihilum reducta tabescit. Liquet ergo quoniam ex hac consideratione Virgo sancta humillima fuit,

Cur humilitatis Deiparæ præsertim DEus dicatur respexisse.

49. Eamdem humilitatem Virginis sese quodammodo annihilantis præclarè exposuit sanctus Bern.

 Sen.

Sen. Tom. 4. serm. 9. art. 2. cap. 1. eadem illa verba ponderans: *Quia respexit humilitatem: Non nobilitatem*, inquit, *& altitudinem, quia Dominus humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Non pulchritudinem, quia fallax carnis scilicet, & vana est pulchritudo. Non potentiam, quia Dominus deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Non sapientiam, quia stultam fecit DEus sapientiam hujus mundi* 1. Cor. 1. *Non Virginitatem, quia inveniuntur etiam fatuæ Virgines. Denique non propinquitatem generis, non eloquentiam, non humanam prudentiam, non divitias, non cætera talia, ut à Deo respiceretur, enunciat, etiam quæ majora sunt reticet. Non respexit sanctificationem in utero, non contemplationē, non oratinem, non sensuum custodiā; & quod mirabilius est, non prodit fidem, subticet spem, non nominat super excedentem charitatem. Cuncta virtutes in silentio facta sunt, pro humilitate solam se respectam à Deo gloriatur, quia respexit humilitatem &c.* Cujus Divini respectus dat rationem à simili: sicut enim superbia primæ mulieris, & primi Angeli cum reliquis deturbavit illos in Infernum, sic humilitas Virginis totam posteritatem ad cœlum deduceret. Apertè porrò, inquit, quoniam à contraria fenestra ejus prima Mulier se cum omni prole de arce bonitatis dejecit. Et inde Lucifer dè altissimis sedibus ad pallidas sedes cum suis sequacibus potenter ejectus est. Proinde Glossa, inquit; *Ecce quàm vilia de se sentit, & totum DEI gratiæ tribuit. In DEO suo se monstrat humilem sed respectu, supernæ gratiæ sublimem, ut quod natura in primis parentibus per superbiam perdiderat, in Maria per humilitatem recuperaret. Ideoque verbum Patris in ea per humilitatis suæ meritum carnis substantiam, quam sib univit, assumpsit: & tunc ad eam, quam prius abjecerat naturam sublimandam per misericordiam respexit.*

Fructus humilitatis Marianæ ejusdem exaltatio.

50. Quem porrò fructum ex hac sui ipsius abjectione Virgo nostra consecuta fuerit, mox attexuit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Generationes, inquam, cœli, terræ, & Inferni. Addit S. Bern. *Generationes cæli, quoad Angelos, quos restauravit: terræ quoad homines, quos reconciliavit; Inferni quoad captivos, quos liberavit.* Hæc est de qua in Mysterio Judith. 15. cap. dictum est: *Tu gloria Jerusalem, scilicet cælestis, cujus ruinam reparasti, quantum ad Angelos. Tu lætitia Israël, quantum ad captivos. Tu honorificentia populi nostri, scilicet hominum, quibus fratrem & reconciliationem generasti.* Ob eandem crediderim profundissimam humilitatem Virginis in Divini verbi Incarnatione ostensam, ejusdémque Verbi exinanitionem admirabilem Ecclesia sancta venerabunda, demisso in terram capite, vultúque tantum mysterium adorat, pie memor tam Matris, quam Filii adeò eximiæ animi demissionis, quam tam humili gestu omnibus quóque Christi fidelibus colendam proponit. Huic Venerationi mirè addictus fuit S. Odilo Abbas, ut scribit B. Petrus Card. Dam. in ejus vita circa initium, ub ita loquitur. *Inter cæteros sanctos circa Beatam DEI Genitricem tam ardentissima devotione flagrabat, ut in choro psallentium constitutus, cum ad illum veniret ex modulantium alternatione versiculum: Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum;* in terram se prosterneret, sicque per corpus ostenderet, quibus desiderii cœlestis in mente facibus æstuaret.

Te Deum laudamus. Tu ad liberandum &c.

51. Quid si humilitatem consideremus, quatenus Divinam respicit

Mariæ humilitas ad Deum, seu fundata in agnitione & æstimatione Dei.

spicit Majestatem, cui omnis debetur subjectio, in hac quóque Virgo nostra, assidua supremi Numinis contemplatione, mirificos fecisse progressus existimanda est. *Humilitas enim*, ut loquitur S. Tho. art. 1. ad 5. *Secundum quod est Specialis virtus, præcipuè respicit subjectionem hominis ad DEUM, propter quem etiam aliis humiliando, se subjicit.* Qua de re rursùs audiendus idem Dionysius: *Quemadmodum*, inquit ille, *ineffabiles Divinæ naturæ proprietates illiúsque altitudinem Maria, præ cunctis post Filium clarissimè novit, ita quóque hac in parte cunctis humilior fuit. Enimverò contemplativis viris sanctissimis, uti ab origine subtiliter deducitur, hoc consuetudinarium est, ut se tunc præsertim humilient, dum se in divinæ conspectu sapientiæ contemplantur, & statuunt. Hinc Deum affari orsus Abraham: Loquar, inquit, ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Gen. 15. Et Moyses Dei fruens colloquio, qui, ut placuit Origeni, eloquens fuit, quippè de quo scriptum est: Eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, erátque potens in verbo & in opere. Hic igitur dum verbum, quod erat in principio apud Deum audisset, dixit: obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, sed eo quo locutus es ad servum tuum, impeditioris linguæ ego sum* Ex. 4. *sic Jeremias ad loquendum ire jussus, ait: A. A. A. Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum. Et Isaias visa divinæ puritatis luce: Væ mihi, inquit, quia vir pollutus labiis ego sum. Psalmista se in Dei comparatione contemplans: substantia, inquit, mea tanquam nihilum ante te. Job denique: Nunquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit Vir? Job* 4. *Quo ergo in Dei contemplatione sacratissima Virgo erat altior átque stabilior, eo erat humilior. Dixerit opinor penè incessanter cum sanctis illis Elia & Eliseo: vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Quod si totius vitæ Christi in carne, & in mundo operatio, nostra fuit eruditio, & quò illam quis frequentius, clariúsque speculatur, eò illius imitator magis esse satagit; quantò magis B. V. Filium dilectissimum à primo in hunc mundum exortum considerando eum in omnibus actionibus, ac præsertim in singulari ejus modestia imitata est.*

Maria imitatrix humilitatis Christi.

Quo, precor, affectu humilitatem amplectebatur, dilexítque, Unigenitum Patris æterni, verum Deum Regemque Messiam tam familiariter, támque humiliter sibi convivere, secúmque conversari contemplans. Didicisti ò pulchra ad intuendum, ò delectabilis ad amandum, ò amabilis ad venerandum, ò Unigenita ac fœlix Maria à Dilecto tuo, quoniam mitis est, & humilis corde, & in hoc illum præ cæteris sublimius imitata es. Hinc est, quòd neq; post Resurrectionem ejus, nec ante nulla miracula egisse describeris. Quod enim majus miraculum esse potuit, quam Autorem naturæ videre sibi subditum, cujus tota vita, resq; præclarè gestæ omnes naturæ limites excedebant. Sic Dionysius.

Humilitas Deiparæ crevit ex ipsa magnitudine gratiarum acceptarum.

52. Neque verò ex consideratione summæ illius omnipotentísque Majestatis sese Virgo nostra tam profundè, suæ nihileitatis sibi probè conscia abjiciebat; verùm etiam ex Divinorum sibi cœlitus concessorum donorum, charismatúmque ac gratiarum cognitione, quarum quò magis ubertatem ac copiam, amorísque Divini fervorem, quo eæ à Creatore sibi communicabantur, secum ipsa revolveret, eò magis se se ad centrum usque terræ, ut ita loquar, demittebat, majoribúsque in dies cœli favoribus accipiendis sese

reddebat idoneam. Quo enim magis semetipsam exinaniebat, ab omníque sua æstimatione evacuabat, eò magis suæ parvitatis spatia dilatabat, magísque ad Divinæ gratiæ ubertatem hauriendam capax efficiebatur. Est enim cœlestis gratia oleum illud, quo viduæ illius vasa vacua non pauca fuêre divinitus adimpleta. Quod ita copiosè fluxit, ut quandiu vasa vacua superfuêrunt, assiduè redundârit, nec suum fluxum antè stiterit, quàm Matri vas vacuum postulanti, Filius responderit: *Non habeo Vas, stetitque oleum,* ut habetur 4. Reg. 4. 5. Quô ergo magis Virgo nostra Divinæ gratiæ exuberantiam in se agnoscebat, eò magis se se deprimebat, ac profundiùs, ut ita dicam, suæ humilitatis puteum fodiebat, ut ivuentibus illis, copiosissimísque aquis, quæ fluunt impetu de Libano, infunderetur, átque ita gratiâ plenâ & superplenâ, efficeretur. Quare præclarè idem pronunciavit Dionysius: *quò gratiarum dona Mariæ impertita incomparabiliora fuerunt, eò se illa vehementius exinanivit.*

Humilitas Mariæ puteo comparatur.

53. O quàm profundus hic Virgineæ humilitatis puteus visus est, quàm viventium aquarum capax, quando in Dei Genitricem electa, ita profundè se demisit, ut diceret: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Altus simul & profundus hic Virgineæ humilitatis puteus extitit, quia verbis illis, hominibus cœli portas aperuit. Audiendus hic S. Bern. sen. Tom. 1. serm. 20. art. 2. cap. 7. *ubi lingua nempe Virginis,* inquit, *clavis extitit Paradisi, & in octo dictionibus, tanquam octo linguæ, quasi clavis revolutionibus, aperuit cœlum.* Idem serm. 16. art. 7. cap. 3. dixit adeò alta verba fuisse Virginis: quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ut gratiam de cœlis ad se traxerit: *quantò,* inquit ille, *in homine major erit sui cognitio, tantò major infunditur gratia Dei.* Unde Jacob. 4. ait: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sicut enim Magnes attrahit ferrum, sic humilitas gratiam ad se trahit. Unde Luc. 1. Jubilando cantat B. V. *quia respexit humilitatem Ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Altus deníque hic humilitatis Virgineæ puteus extitit, quia nos exemplo suo ad cœlum deducit. Hinc idem S. Pater Tom. 2. serm. 56, art. 4. cap. 7. ait, humilitatem esse viam ad gloriam sempiternam. De qua via censet locutum Salomonem Prov. 4. *Viam monstrabo tibi, & ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Undè Hugo de claustro. *Per humilitatis viam revertimur ad cœlestem patriam.* O quàm profundus hic humilitatis visus est puteus, cum Divina jam prole fœcunda Regis Regum Mater, totius Universi Regina abiit in montana cum festinatione, ut servi Matrem inviserit, eíque tanquam famula ministraret? Quàm rursus profundus puteus Virgo extitit, dum S. Elisabethæ præclarissima illa audiens suarum laudum spiritu sancto dictante, voce magna, devotionis videlicet declamata encomia: Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? & beata quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Ubi observandum, quod nil illarum tam illustrium laudum sibi attribuit, sed sui nihili probè conscia, universam gloriam, honorémque sibi delatum ad fontem bonorum omnium remisit, læta humilísque concinens: *Magnificat anima mea Dominum, quasi dicat,* inquit Lyranus: *O Elisabeth tu me magni-*

& clavi.

& magnet

magnificas, sed ego totam Deo attribuens ipsum magnifico in hoc Cantico. Quæ sanè Virginis humilitas profundissima admiratione dignissima est. Hoc enim ipso, quod Dei Filium conceperat, contraxerat, inquit idem Lyranus, *quodammodo infinitatem Bonitatis, in quantum Mater est, Filii bonitatis infinitæ, à qua etiam tanquam à Benedicto fructu acceperat omnem Benedictionem spiritualem in cælestibus.* Atque ita tanquam fons signatus, tanquam puteus humilitatis profundissimæ, viventibus illis aquis, quæ in cœlesti Libano, Altissimo nempe Trinitate, fonte candoris puritatisque omnis, magno impetu in mortalium corda, influere assolent, Virgo modestissima infundi meruit. Præclare enim Card. pronunciavit Halgrinus in Cant. *Ipsa propter inscrutabilem profunditatem gratiarum, quæ in ipsa congestæ sunt, puteus est aquarum viventium, id est gratiarum salientium in vitam æternam; gratiæ præstando beneficia hominibus fluunt copiosè, fortiter & cum impetu, cui resistere non possunt adversarii nostri, maligni spiritus.* Hæc Halgrinus.

militas Ma- miranda.

54. Quæ cùm ita se habeant, optat quispiam de profundo hoc, altóque Virgineæ humilitatis puteo gratiarum, cœlestiúmque charismatum aquas uberes haurire, Violam hanc Marianam in Hortulo cordis sui plantet ac inserat, flumina mihi credite aquæ vivæ de ventre ejus fluent, & fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Semper Violam hanc præ oculis habeamus, ejus odore suavissimo oblectemur, & ad tam præclaram hanc virtutem æmulandam excitemur. Imitemur antiquos illos Christianos Deiparæ coævos, de quibus scribit Lucius dexter in suo chronico, Anno Christi 35. & nos alibi ostendimus ex S. Ignatio Mart. & Amadeo, ab extremis orbis partibus confluere consuevisse Jerosolymam, ut nimirum vivam illam, spirantémque virtutum omnium ac perfectionum Divinarum Imaginem, speculum Divinæ Majestatis, omnis deníque justitiæ sanctimoniæque exemplar viderent ejusque vitæ puritatem, morum integritatem, in se exprimerent. Fœlices planè & terque quatérque beati censendi sunt fideles illi: verùm non minus fœlices ac fortunati sunt hujus nostri temporis qui non viderunt, & tamen credunt, tamen eam diligunt, tenerrimóque amore eam prosequuntur. Fœlices inquam, qui tot ejus laudes, tot prœconia ac privilegia planè inusitata, planè singularia non modo deprædicari audiunt, verùm etiam in ejus honorem editis literarum monimentis assiduè lectitant; quæ cùm hoc eruditissimo sæculo quotidiè plura ac plura in lucem prodeant, ejúsque elogia adeò mirificè elucidentur, ut vivam ipsius Imaginem insigni gloria, majestatéque plenissimam repræsentent, fieri nequit, quin ipsius ardentissimo castissimóque amore accendantur, & ad Divinissimas illius virtutes æmulandas, quasi admotis facibus excitentur. Cùm igitur inter reliquas præclarissimas virtutes, vel maximè in Deipara nostra elucescat humilitas, & ob hanc potissimùm Viola nuncupetur, hæc sanè præcipuo studio nobis erit cum reliquis Violæ proprietatibus, imitanda, simulque studendum ut Violæ quædam humilitatis evadamus. Quarè præclarè Venerabilis Hugo Victorinus serm. 46. postquam circa finem præmisisset. *Rectè ergò B. M. secundùm omnia Viola fuit, dum omnia, quæ mysticè sunt dicta veraciter exercuit;* mox hæc attexuit: *Et nos charissimi, nos inquam Violæ simus, nos B. V. imitemur quantùm valemus. Simus quasi naturaliter frigi-*

Confluxus primorum Christianorum ad videndam Deiparam.

Hac ætate eam videmus in Libris.

Violas Humilitatis nos esse oportet.

di per incendij carnalis extinctionem, simus virides per justitiæ inchoationem, & per ipsius perpetuitatem, vel cælestium bonorum spem immarcescibilem atq; exspectationem. Simus purpurei nosmetipsos bene regendo. Odoriferi apud omnes Nomen bonum obtinendo; Caput ad ima deponamus, de nobis humillima semper sentiendo. Conformemur B. Virgini pro viribus in sanctitate ut consortes illi fieri mereamur in beatitudine. Ad humilem hunc de nobis sensum, Virginísque humilitatem sectandam nos hortatur S. Bernardus Hom. 1. super Missus qui verba illa Evangelistæ: *Ad Virginem desponsatam viro;* trutinans: *quæ est,* inquit *hæc Virgo tam Venerabilis, ut salutetur ab Angelo; tam humilis, ut desponsata sit fabro: Pulchra permixtio Virginitatis & humilitatis. Nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas? Partus consecrat Virginitatem humilis? Audis Virginem, audis humilem. Si non potes Virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis, Laudabilis virtus Virginitas, sed magis humilitas necessaria. Illa consulitur, ista præcipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur, qui potest capere capiat; de ista dicitur: Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in Regnum cœlorum. Potes denique sine Virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest, inquam placere humilitas, quæ Virginitatem deplorat: sine humilitate autem audeo dicere, nec Virginitas Mariæ Deo placuisset: super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum? super humilem dixit, non super Virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requievisset. Si non super eam requievisset, nec impregnasset; ac proinde nec Dei Mater extitisset.*

Virginitas & Humilitas conjunctæ in B. V. etiam in nobis conjungendæ.

55. Rursus serm. de verb. Apoc. suos Religiosos ad Virgineæ humilitatis imitationem tanquam illis maximè necessariam exhortatur. Postquam enim præmisisset: *Meritò facta est omnium Domina, quæ omnium exhibebat Ancillam,* mox hæc intulit: *Obsecro vos filioli, æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus. Jam si quis nostrûm quereretur, num Mariam diligat, num eidem placere ac gratificari contendat? quis quæso est, qui tot ejus beneficiorum, & in genus humanum universim, & in se singulatim collatorum memor, non respondeat animitus, non edicat medullitus: Diligo, & quidem toto corde post Deum tota mente, totis viribus meis. Quis ei cum Seraphico illius Psalmista non dicat* Psal. 17. *Diligam te Domina cœli & terræ, & in gentibus Nomen tuum invocabo. Quis rursus profundissimè coram hac tanta Majestatis Regina sese demittens, ejúsque humilitatem æmulans cum eodem Seraphico non dicat* Psal. 61. *Nonne Domina tibi subjecta erit anima mea, quæ salvatorem omnium genuisti? si ergo Virginem uti par est, diligimus, si ei placere desideramus, virtutem hanc ejus sicut & dilectissimi Filii ipsius propriam summis in amoribus deliciisque habeamus. Hoc enim charactere suo quasi proprio si nos insignitos viderit, ut Filios suos ac genuinos amantissimósque adamabit, nósque sub amplissimo suæ charitatis paludamento abscondet à facie inimici.*

Cliem[illegible] na[illegible]orum [illegible] prium [illegible] param [illegible] militat[illegible] tari.

56. O quàm præclarè S. Bern. serm. super Salve Reg. *Agnoscit,* inquit, *Virgo & diligit, diligentes se, &*

Maria propitia clientibus, præsertim castis & humilib.

& propè est in veritate invocantibus se, præsertim his, quos videt conformes sibi factos in castitate, in humilitate, & totam spem suam, post Filium suum, in ea posuerint, & toto corde quæsierint. Data est ei potestas in cælo, & in terra, & in manibus ejus vita & spiritus nostri; & oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam gratiæ, quæ plena est in tempore opportuno. Origo fontium & fluminum, mare virtutum sanctarum, & auctrix Maria. Hæc Bernardus.

à Deipara petendus affectus ad Christum patientem.

57. Quod porrò B. Virgo diligat diligentes se, & insignitos suis virtutibus tanquam filios agnoscat testatur etiam S. Bonaventura, qui in stimulo Divini amoris cap. 7. docens quâ ratione, quis Christo patienti conformari cum vulnerato vulnerari, cum crucifixo crucifigi, cum mortuo mori, & sepulto sepeliri possit, monet sapientissimè, ut ad Deiparam confugiat, ab eâque eam postulet gratiam, utpote ab illa, quæ assistens juxta crucem cum Filio Crucifixo, fuit crucifixa, & in se omnes ejus dolores veluti in speculo repræsentavit: *quicúnque voluerit,* inquit ille, *supradictum beneficium facilius & dignius penetrare, ad beatam & benedictam V. M. JESU Christi Matrem, summè illi & nobis compassam, cum tota affectione, & devota oratione, & cum lacrymarum effusione currere non postponat. Et ipsam Matrem Dei, & peccatorum tanquam bonus & devotus Filius in omnibus proposse studeat imitari. Hoc enim semper habeas pro regula generali, ut ejus, scilicet Virginis Mariæ semper vestigia simpliciter imiteris, cujus appetieris suffragia postulare, quia tunc procul dubio, te illi tanquam Matri veraciter exhibebis, & ipsa tanquam suum Filium veraciter adjuvabit, & quæ dignè ab ea petieris, tibi dabit, & in omnibus tibi necessariis ad salutem simpliciter ministrabit, & tandem in cælesti gloria te apud se fæliciter collocabit. Hæc omnia ò Contemplativè debes etiam appetere hominibus universis, & pro omnibus DEum solicitè deprecari.* Hactenus Bonav.

Deipara invocanda & imitanda.

Humilitatis virtus petenda per Deiparam.

58. Idem prorsus agendum ei, qui virtutem humilitatis animo inserere satagit, omninò magna cum fiducia ad Deiparam Virginem humillimam recurrendum. Cùm enim illa maximè virtute hac fuerit oblectata, eâque tanquam suavissimâ violæ fragrantiâ cœlites omnes, ipsúmque cœlitem Regem, in accubitu paterni sinus residentem, ita delectârit, ut ei dulcissimam quandam, & violâ planè dignam violentiam intulerit, & in terras ad nos salvandos descendere compulerit, sibíque & universo humano generi mirificam donorum cœlestium, gratiarúmque abundantiam impetrârit, nil dubium eam nobis saluberrimam, utilissimámque hanc virtutem impetraturam.

Exercitia quædam pietatis erga Deiparã.


59. Audiendum hic quoque ad humilitatis virtutem à Deipara impetrandam, sapientissimum simul ac piissimum consilium Justi Landspergii Viri Religiosissimi ex Ord. Carthus. quod in Epist. 8. cuidam sui ordinis proficiendi cupido Tyroni transmisit. Hic ille post DEI cultum maximè suadet, inculcátque ipsius quóque Matris Sanctissimæ venerationem, monétque statim manè ubi evigilat, quanam ratione Deo ejusque Matri sese suásque actiones offerre ac consecrare debeat. *Nihil,* inquiens, *cor tuum præveniat, nihil linguam tuam occupet, nusquam manus admoveatur operi, nec gradiatur pes, nisi Christo primò omnia consecraris. Antequam igitur quicquam accipias aliud, antequam egrediaris cubiculum, mox ut de lecto surrexeris, procidens*

Ante quodlibet opus invocanda


in terram DEum adora, commendans te humiliter custodiæ piissimæ Matris JESU, simul ac tuæ, Ad pedes ejus locum tibi elige. Monet deinde, ut sacrosanctæ Missæ sacrificio ministraturus assistens: Caput Dei Matris, ut ipse loquitur, serto roseo, quinquaginta salutationum venustet, interserendo Filii ejus Passionem, & variis commemorationibus átque aspirationibus flammigeris, virtutes ejusdem in passione explicitas infundi sibi petat, paritérque ad imitationem ejusdem Virginis animum suum trahi à Christo flagitet, in odorem unguentorum ejus, inter quæ jure humilitas velut unguentum preciosissimum nardo potissimùm confectum, reponenda est. Rursus aliud addit admodum utile ac salubre ad acquirendam humilitatem documentum: *Rediens ad cellam, ut alias semper ad Imaginem B. Virginis M. quæ ceu Custos juxta fores cellæ tuæ vigilat, paulisper subsiste, aut si festinato intrandum est, interea, dum Clavi reseras ostium, ora Matrem Dei, ut te quoque adoptet, teneat, possideátque in Filium, eam salutans:*

Salve dulcis & formosa,
Mater Dei gloriosa,
Adopta me in filium.

Cellam ingressus, semper ante orationem genua flectas quàm aliud facias quidquam. Salutationem igitur B. Mariæ offerens, ora ut tibi impetret ea, quibus ipsa, quàm maxime placuit Sanctissimæ Trinitati, scilicet humilitatis profundissimæ átque perfectissimæ gratiam, gratiam purissimæ castitatis, gratiam ardentissimæ perfectissimæq; charitatis. Facta oratione ex aliquo libello ad pietatem exstimulante, legas caput unum átque alterum. Post laborem manuum, ante prandium convenit rursus aliquantisper oratorium ingredi átque Dominicæ Matris gaudia temporalia commemorare; item mortem Christi in Cruce &c. Post prandium actis gratiis docet rursus ad B.V. confugiendum. *Cæterùm*, inquiens, *ne usquam tuæ te capiat Matris Beatissimæ Mariæ oblivio, gratias age pro ea, atque cum ea pariter Deo. Initio pro omnibus donis naturæ præstantissimis eidem collatis, scilicet quòd ea nobilissimam, venustissimam, amabilissimámque Deus creaverit. Hoc loco ora Dominum Filium ejus, qui te commendet custodiæ, curæ, amoríque Matris regendum ac possidendum. Ora Matrem quóque, impetret, ut in cunctis inveniaris, & sis in oculis DEI, qualem ipse velit, hoc est, semper voluntati ejus conformis átque placens. Deníque gratias age pro gloria, qua Matrem suam omnibus Cæligenis prælatam illustravit, & ora, ut talem vitam agas, ita purgatus moriaris, qui hanc mortalitatem exuens, illicò ad Regem perducaris æternum.* Addit tandem, *ubi erit decumbendum. Fusa oratione ad DEum, pro directione átque custodia tui, Matri suæ B. Mariæ te commendes, & ad quietem, somnúmque te recipias.* Hæc ille, quibus sanè in Benignissimam Deiparam exercitiis non modò humilitatem, verùm etiam reliquas virtutes omnes, quæ in illa refulserunt, facilè impetrabimus



DISCUR-



DISCURSUS VIGESIMUS PRIMUS.

DEIPARA VIRGO HELIOTROPION SIVE SOLSEQUIUM PARADISI.

1.

Heliotropio similes amatores.

PRoclus Philosophus Gentilis lib. de Sacrificio & Magia docet, Sapientes Amatores à pulchritudine hac, quæ sub aspectum cadit, solitos erigi ad amandam pulchritudinem illam Divinam, quæ omnem sensum effugit, aitque, hujusmodi Amatores florem illum admirandum, quem Græci Heliotropium, Latini solsequium appellant, imitari, siquidem flos hic quasi solaris pulchritudinis amore captus, sese ad cursum solis undequaque circumagit, ut tantæ támque admirabilis venustatis sit spectator & laudator, *Unde putamus*, inquit, Proclus, *Plantas illas, quas Heliotropias, id est, solisequas nominant, ad solis motum, solem versus moveri? sed selinotropias, id est: Lunisequas ad Lunam verti? nempe cuncta precantur, hymnósque concinunt, ad ordinis sui Duces. Sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia verò sensibili modo. Itáque solisequa quomodocúnque potest, movetur, ad solem: ac si quis posset audire pulsationem ab ea in aëre circuitu factam, profectò illum quemdam per hujusmodi sonum erga Regem compositum animadverteret, qualemcúnque potest planta conficere.* Sic ille.

Heliotropii proprietas

2. De eodem hoc flore Plin. lib. 22. Nat. Hist. cap. 21. Heliotropii. *Miraculum sæpius diximus cum sole se circumagentis, etiam nubilo die, tantus syderis amor est, nocte verò velut ejus desiderio contrahit cæruleum florem. Nascitur non nisi in pingui solo: cultóque maximè. Capitis dolores sedat rosaceo admixto. Verrucas cum sale tollit succus ex ejus folio. Serpentibus & Scorpionibus resistit. Contractionibus etiam comitialibus medetur.* Plantæ hujus naturam, solisequam præclarè elegantissimis versibus descripsit P. Gualterus Paulus Cant. 1. animi salientis à mundo in DEum Rythmo 17. ubi postquam aliquas plantas Indicas etiam solisequas descripsisset, ita de Heliotropio modulatus est:

Heliotropii descriptio.

Cur arbores remotæ,
Cur proferuntur Indicæ?
Plantæ per arva notæ.
Pro patrio sunt Indice.

En obvio per hortum
In flore demonstrabitur,
Est quanto sol ad ortum,
Quando sub undas labitur.

Yyy yyy 2 Cum

Cum mane sol resurgit
Et luce terram despicit.
Clytie excitata surgit,
Ortúmque solem respicit.
Cum sol deinde plaustrum,
Qua spirat Auster, exerit,
Flos ille spectat Austrum.
Miror quis illum flexerit;
Suámque quando celat
Sol nocte claritudinem,
Se se, suámque velat
Flos ille pulchritudinem.
Solem sequuntur herbæ,
Tibique signant orbitas:
Cur à Dei superbè
Vestigiis exorbitas?
DEUS instar esse solis,
Et esse vult pro sydere,
Quare proterve nolis
Soli Deo confidere?

Sic ille Clytiem puellam appellans Solsequium; siquidem hæc amore solis capta, & in florem conversa os, oculósque in illum convertit. Fabulam pervenustè descripsit Ovidius lib. 4. Met.

Sedit humo nudâ, nudis incompta capillis
Pérque novem luces, expers undæq; cibique,
Rore mero, lachrymísque suis jejunia Pavit.
Nec se movit humo, tantum spectabat euntis
Ora Dei, vultúsque suos flectebat ad illum.
Membra ferunt hæsisse solo, partémque coloris
Luridus exangues pallor convertit in herbas.
Est in parte rubor, violæq; simillimus ora
Flos tegit; illa suum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad solem, mutatáque servat amorem.

3. Talis planta solisequa fuit Virgo nostra gloriosissima, vera clytie, Nympha cœlestis omnibus virtutibus clarissima. Semper enim illa mentem voluntatémque suam in sempiternum illum justitiæ solem castissimo ejus amore capta defigebat, ejus nutibus promptissimè obsequebatur, ejus pulchritudinem admirans, adamánsque in eam transformari, ejusdémque ineffabiles laudes, hymnósque assiduè modulari tacitâ contemplatione videbatur. Quid enim sunt verba illa purissimæ Virginis, quàm hymni quidam dulcissimi, dum ad solem illum æviternum justitiæ tanquam Heliotropium conversa, ejusque voluntatis quàm promptissimè exequendi cupida concinendo Gabrieli respondit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Et quoniam tam hilariter ad creatum illum solem flos iste Virgineus sese convertit, mentísque oculos, voluntatísque affectus ad ei quàm citissimè parendum in eum defixit, merita quoque est, ut dignissimus ille sol benignissimos suos oculos ad eam reflecteret, eamdémque copiosissimis gratiarum suarum afflaret influxibus. Unde cœlicos favores omnes beanti illi aspectui attribuendo novum hymnum Virgineum hoc Heliotropium suo soli modulari videbatur, dum diceret: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Sol enim hic humanum genus universum tanquam mutam illam Memnonis statuam, luce sua irradians, ipsius os ad concinendas meas toto terrarum orbe laudes in obedientiæ meæ præmium, magna universæ naturæ admiratione reseravit.

Maria Heliotropium, ob conformitatem voluntatis suæ cum divina.

4. Jure igitur meritissimo Sacratissima Virgo nostra ob promptissimam hoc summæ illi Majestati obtemperandi studium, solsequium appellamus. Siquidem in omni vita suam voluntatem Divinæ ita attem-

Mariæ Obedientia.

temperavit, ut rationale quoddam Heliotropium solem suum irretortis oculis assiduè contemplans esse videretur. Quapropter S. Bernardinus Tom. 2. serm. 48. art. 2. cap. 9. inter varias virtutes, quas ille Angelicas dicit esse Domicellas, Virginis nostræ, tanquam potentissimæ Reginæ latus stipantes, numerat obedientiam, quæ illi semper familiarissima extitit: cujus etiam virtute, admiranda quæque ad salvandum genus humanum perpetravit. *Sicut*, inquit, *ex inobedientia primæ nostræ parentis sumus condemnati, ita per obedientiam Mariæ Virginis sumus à morte peremptoria liberati. Ideò hæc obedientia ab Eva rejecta, à Maria gratanter recepta continuè Virgini suadebat, optare salutem mundi; ideò divinæ voluntati subdi, & omnino sub divino imperio, ejus voluntatem annihilari hortabatur. Unde audita Domini voluntate de conceptu Filii sui volenter atque lætanter, etiam velociter Angelo dixit: Ecce. q. D. ecce volenti corde lætanti facie, atq; veloci opere adimpleo, quidquid Divinæ fuerit beneplacitu voluntati.* Addit deinde Pater Seraphicus, hoc suo tam exactè parendi studio exemplar, doctrinámque insignis obedientiæ nobis exhibuisse. *Et in hoc B. V. Maria docet nos, esse obedientes. Primo volenter, id est, volenti corde. Debet enim quisque Majori justa præcipienti respondere, quod Apostolus* ait, act. 9. *Domine quid me vis facere?* quia ut dicitur Eccles. 4 *Melior est obedientia, quàm stultorum victimæ: quia hic mactatur voluntas propria, ibi verò aliena. Secundo debent obedire lætanter, id est, læta facie,* Unde Bernardus. *Hilaritas in vultu dulcedo in sermone multum decorant obedientiam obsequentis, nubilosa verò corporis compositio, & facies tenebris obscurata, devotionem ab anima recessisse signat. Tertiò debent obedire promptè, hoc est, prompto opere, sicut* Psal. 17. ait. *In auditu auris obedivit mihi. Et alibi. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Sic ille.

5. Tanta fuit hæc Deiparæ obedientia, ut ejus corpus à virtute hac efformatum esse videretur. Si enim corpus viri Sancti, ut loquitur Severinus Boëtius lib. 4. de consol. Prosa 6. virtutes ædificârunt, quantò magis hoc corpus Virgineum, quod tam sanctæ animæ, quam ad omnem nutum supremæ illius voluntatis dependere oportebat, futurum erat domicilium. Hinc Joannes Geometra Virginem piè consalutans magno affectu exclamavit: *Gaude Virgineum ex virtutibus ortum virtutum exemplar vividum & eximium.* Hinc Joannes Gerson Cancel. Paris. serm. de Concept. B. V. virtutes omnes, cum ipsa Matre natura ad corpus Dei Matris quàm aptissimè efformandum, ac concinnandum conspirasse fatetur. Intellecto enim Divinæ Majestatis decreto de Virgine illa efformanda, quæ olim Dei ipsius Mater esse debebat, narrat Matrem Naturam mox cum suis accessisse ad DEI Thronum Ancillis, quæ sunt influentiæ, & causæ naturales, sese offerens ad formationem tantæ Dominæ, & pulchræ Dei Amicæ, & coram Divina Majestate, ubi se reverenter inclinâsset, sic prolocutam: *DEus meus, Magister meus, & Imperator meus, non omnino ignara sum pulchri Incæpti, quod facturus sis, & excellentis Dominæ, quam formandam proposuisti. Et quamvis tua sapientia, & magnificentia in nullo meo egeat servitio, me tamen humiliter offero, quod tibi placitum est, præcipe; libenter enim obediam. Hoc tibi notum sit nec me, nec Ancillas meas ullas*

Eximius ornatus Corporis & animi Deiparæ.

Prosopopœja Naturæ se Deo offerentis ad ornandum Corpus Deiparæ.

ullas usuras fictione, quo minus demus ac impendamus in hanc Dominam omnes vires, operámque nostram, eámdémque omni corporali pulchritudine decoremus. Nam super animam ejus nil habemus potestatis. Sed quoad corpus conferemus ei omnem delectationem, omnem sanitatem, omnem harmoniam, complexionísque optimum temperamentum. Experietur denique se bonis meis, bonis naturæ super omnes alias, quæ unquam fuerunt, erunt & sunt, cùm pro te creanda sit, abundantissimè adornata, átque dotata. Aspirabo & expendam per faciem ejus splendorem quendam, pulchritudinem, dulcedinem, plenam simplicitate columbina; honore ac benignitate, & ita castum ejus componam aspectum, ejus mores, actionésque omnes, ut omnibus eam intuentibus futura sit exemplar quoddam, Liber ac speculum nobilitatis, pulchritudinis, boni, castíque amoris ac honestatis. Et sicut olim ita formavi & figuravi magni illius Regis Priami corpus, ut specie aspectúque ejus persona digna imperio esse censeretur: sic quoque & longè excellentiùs huic Virgini faciam, adeò ut omnes etiam invidi dicere possint: Ecce Dominam nostram dignam planè, quæ sit Imperatrix, totiúsque orbis Regina coronata. Idem Gerson mox sapientiam virtutum omnium choro, ipsâ etiam obedientiâ stipatam, quæ in anima Virginis hujus exornanda prolixè operam suam pollicebantur, ita loquentem introducit: *Imperator altissimè, quia tuam intelleximus voluntatem esse creare summam quandam átque excellentem Dominam super omnes alias, quæ unquam fuerunt vel erunt. Talem denique quæ digna sit esse Mater tua, soror tua, sponsa & Amica tua. Ideò ad te verum Patrem nostrum venimus, laborem nostrum, operámque humiliter ex corde optimo offerentes. In opus hoc unaquæq; nostrum secundum suum posse totam sese impendet sine præsumptione ac jactantia; nil præterea prætermittemus quod in nobis est industriæ, quò minùs persona hæc omnino perfecta, tota pulchra, amoréque tuo evadat quàm dignissima. Nil quidem dubium est, quin etiam absque nostra opera, creaturam hanc tibi, cùm omnipotentiæ sis infinitæ, ad beneplacitum tuum, omnibus numeris absolutissimam efformare valeas, rogamus nihilominus nè contemnas oblationem hanc, servitiúmque nostrum. Hoc enim facto honorem nostrum, nobilitatem, valorem, famámque maximoperè amplificaturus es. Nos eam donabimus innocentiâ & Virginitate Abel. Fide & obedientiâ Abrahæ, constantiâ Josue, sapientiâ Salomonis. Ipsa pulchra erit ut Rachel, fœcunda ut Lia, sapiens ut Rebecca, Devota ut Elias, nobilis ut David: excedet clementiâ Moysem, patientiâ Jobum &c.* His à sapientia prolatis, introducit deinde virtutes singulas pro immaculata tantæ Virginis creaturæ nobilissimæ Conceptione decertantes, inter quas obedientia tam Dei Matris studiosissima, egit strenuè, ut omni labe peccati libera, & à peccato illo, quod universorum Creator cum Adamo injêrat, esse exempta, nec legi illi ulla ratione subjaceret, cùm indecens admodum absonúmque sit Dei Matrem, cui Filius honorem, reverentiam, servitium, & omne debebat obsequium, filiam iræ, mancipium peccati, Sathanæque esse debere, eámque à prima Matre nostra Eva, quæ in justitia Originali, átque innocentia creata erat, superari. Ex qua Naturæ virtutúmque prosopopœia vir æquè pius ac sapiens declarare nobis voluit Virginem Deiparam ad omne bonum ab ipsa optima

Sapientia cum omnibus virtutibus se offert Deo ad ornandam Deiparam.

ma Parente Natura fuisse inclinatam, & ab ipsis virtutibus non modò animam, verùm etiam corpus ipsius fuisse efformatum, ab ipsáque obedientia totam quantam ad Divinæ voluntati quam perfectissimè obtemperandum fictam factámque, adeò, ut ei caput ad considerandum quid Deus vellet, oculos ad videndum, aures ad audiendum, manus ad peficiendum, pedes ad currendum viam mandatorum DEI dedisse visa sit, in eáque descriptio illa prompti, expeditique obedientis delineata à S. Bern. serm. 41. de Grad. obed. ad vivum repræsentata fuerit. Sic enim ille loquitur. *Quartus gradus est obsecundare velociter. Velociter currit sermo Dei, & velocem desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille qui dicit: viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totam se colligit, ut imperantis colligat voluntatem.* Sic Bernardus.

Maria beata, quia obediens

6. Ob promptitudinem hanc obedientiæ Virgo nostra Nomen illud pulcherrimum ac fœlicissimum Beatæ à dilectissimo suo Filio obtinuit, adeò ut magìs ex illa fœlix ac Beata, quam ex ipsa Divina Maternitate esse videtur. Cùm enim bona illa mulier, quæ Beata Marcella famula B. Marthæ sororis Lazari fuisse memoratur, extollens vocem de turba ipsi dixisset. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Mox in honorem ejusdem Matris addidit non ingratus Filius: *Quin imo, Beati qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* Ubi secundùm Augustinum Beatiorem Matrem suam appellat, quia obediens, quàm quòd Mater extitit, nisi enim illa præcessisset, tantæ támque eminentis dignitatis fastigio digna habita minimè fuisset.

Beatitudo Deiparæ in obedientia & conformitate Voluntatis suæ cum divina.

7. Néque verò mirum magis Beatam à Filio prædicari Deiparam ob præclarissimam obedientiæ virtutem, hæc enim velut ipsa charitas in æviterna illa Beatitudine, imò longè perfectior perdurabit. Quemadmodum enim Beatæ mentes non ideò Divinam faciem contemplantur, ejúsque visionis dulcedine perfruuntur, quia ipsis bona, suavis ac delectabilis est, sed quia id faciendo Divino se se conformant beneplacito & voluntati, eíque sunt gratiores, ita Virgo nostra non ideò hìc, dum viveret, divina recogitabat, cœlestia amabat, quia hæc omnia in ipsius animæ bonum, utilitatem, solatiúmque redundabant, sed ideò potissimè, quia noverat hujusmodi sacris occupationibus operam navantem Supremæ conformem esse voluntati, longéque fieri semper acceptiorem. Hinc Angeli ad nostram custodiam ministeriúmque, dum in hac vita à Domino peregrinamur, destinati non ideò ministerium hoc capessunt, quia gloriosum illis est animas nostras regere, orbem terrarum, Imperia, Regna, principatúsque moderari, sed ideò dumtaxat, quia noverunt ministeria hujusmodi conformia, primæ illi omnia moderanti esse voluntati. Undè Regius Vates hoc intelligens hortabatur hoscè Beatos Spiritus Psal. 102. 20. *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus potentes virtute, qui facitis verbum ejus;* quem in finem? *ad audiendam vocem sermonum ejus.* Q. D. scio benedicti Angeli quod ex animo laudetis & benedicatis vestrum, átque universorum Dominum, potentíque virtute mundum gubernatis, homines regatis, cœlos in generis humani emolumentum circumagatis ac rotetis, ut eorum benignis influxibus sublunaria sua capiant incrementa, id tamen in nul-

lum alium finem factitare videmini, quàm ad audiendam vocem sermonum ejus, ad ipsi parendum atque obtemperandum, præclarissimum vestrorum laborum fructum vos nactos fuisse arbitrantes vestram Divinæ subjecisse, uti par est, voluntatem, in hoc uno maximam vestram velut fine, reponendo beatitudinem. Quod intellexisse visus est Magnus Dionysius cùm sapientissimè de illis pronunciavit: *Omnes spiritus ad principalem Principatum Dei formaliter sunt motivi.* Moventur, inquam ad principalem Principatum, ad principale videlicèt Dei dominium, ad principale Dei mandatum, nil aliud intendendo, quam jussa Dei executioni mandare, qua re vel unica beatos se esse arbitrantur.

8. Eundem sensum præsetulit ipse Angelorum Creator, qui etsi sit ipse Rex gloriæ, & constitutus à Patre Judex vivorum ac mortuorum, judicium tamen hoc non exercet, nec in postrema illa corporum anastasi exercebit, nisi jussus à Patre, & potestatem hanc tunc, non aliam ob causam exercebit, quam quòd noverit id esse ex paternæ præscripto voluntatis. Et hoc est quod dicere volebat Joan. 5. v. 30. Salvator: *Non possum ego à me facere quidquam; sicut audio judico, & judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Quæ verba S. Gregor. Magnus lib. 35. Moral. c. 10. ponderans, & ad obediendum nos tanto exemplo adhortans sic fatur: *Ne igitur nobis ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, nam Redemptor noster per eam judicat, quia hanc etiam cum Judex venerit, servat: quid ergo mirum, si homo peccator se obedientiæ in præsentis vitæ brevitate subjicit? quando hanc mediator Dei & hominum, & cum obedientes remunerat, non relinquit.* Sic ille. Videte obsecro, quanti Dei Filius Patris æterni voluntatem, adeóque obedientiam ipsam æstimet, siquidem & in illa immortali æternáque vita jam gloriosus ac beatus tanto cum affectu complectitur, ut ea se quodammodo arbitretur beatiorem. Undè quid mirum, quod dilectissimam suam Matrem magis ex eo, quod Verbo Dei obaudierit, quàm ex ipsa Divina Maternitate pronunciaverit beatiorem? Præclarè enim Lyranus verba illa Salvatoris expendens. *Illud,* inquit, *quin imò, non dicitur adversativè, sed concomitativè, q. d. Non solum illa, quæ me portavit beata est, sed etiam, qui audiunt verbum Dei corde credentes, & opere adimplentes, per veram obedientiam Divinis mandatis se se subjicientes.* Unde S. Aug. ait lib. de Virginitate, quod B. Maria fœlicius concepit Deum mente per fidem; quâ videlicet credens verbis Angeli, Dei voluntati obtemperavit; quam corpore per carnis assumptionem. Licèt enim Virgo Deipara, æterno Verbo, in suis purissimis visceribus excepto, tota quodammodo Deificata fuerit, ut Joannes Taulerus loquitur; nihilominus si prius mente, voluntatéque, in Deum per voluntatis suæ auditis verbis Archangeli subjectionem transformata non fuisset, nunquam ad tantæ dignitatis fœlicitatísque eminentiam conscendisset. Unde S. Teresia ut scribit Ribera vitæ ipsius lib. 4. cap. 21. dicere erat solita: *Hæc vera est unio, voluntatem meam cum Divina unire: Hanc quæro, hanc in omnibus esse velim; non verò, nescio, quas inebriationes magnæ cujusdam consolationis, quæ specioso unionis nomine insigniuntur: & verò talis deinde futura est, si præcesserit illa, de qua hic loquor: Verùm si post suspensionem hanc, & parum obedientiæ, & propria volun-*

Ipse Christi humanam suam Voluntatem conformat cum divina.

Maria beat. quia obed. quam quia Mater.

Vera [illegible] perfect. [illegible] in [illegible] obed. [illegible] volunt. cum Dei [illegible] juncta consist.

luntatis multum reliquum fuerit, mihi potius cum amore proprio, quam cum Divina voluntate futura conjuncta videbitur. Eadem sancta ibidem fatetur sibi divinitus revelatum, veram cùm Deo unionem obedientiæ, & cum Divinæ voluntatis conformatione contineri: sic enim illi Dominus: *Ne cogites,* inquit, *Filia, unionem esse, arctè admodum aliquem mihi conjunctum esse, (cùm etiam qui me peccando offendunt, mihi conjuncti sint) uti nec favores & suavitates in oratione, & si illa in sublimi quodam sit gradu, percipi solitas, quæ licet minus quid sint, sæpe tamen media sunt ad animas lucrifaciendas, licet in gratiæ statu non versentur. Tum intelligebam unionem purum esse, & mundum spiritum super omnia terrena elevatum, nihil ut eorum reliquum sit, ob quæ illa Dei voluntatem relinquere velit; sed qui ita unus sit spiritus, & voluntas unacum illius congruens, & abrenunciatio, ita Deo penitus intenta & occupata, ut nulla amoris sui ipsius, vel rei cujuspiam creatæ ibi vigeat memoria.* Hæc illa. Quibus clarè indicavit veram cum Deo unionem in abdicatione propriæ voluntatis, & cùm Divina voluntate conformatione consistere, quæ vera est hominis in hac quóque vita beatitudo.

Felicitas hominis in assimilatione cum Deo consistit.

9. Præclarè enim Sapientûm Princeps Plato, in Phileto & alibi hominis fœlicitatem cum Deo assimilationem definivit: *Mortalem hanc naturam,* inquiens, *& hunc inferum locum malum circumstat necessariò, & adhæret, ideò conandum quàm celerrimè hinc illuc fugere, fuga autem hæc est, Dei assimilatio.* Quæ sanè nulla efficatiori medio acquiri potest, quam arctissima cum Divina voluntate ex puro amore dimanante conjunctione. Divinus enim amor natura sua velut potentissimus ignis animam liquefaciens in eam sui similitudinem tanquam ceræ imprimit, eamdémque sibi quam simillimam efficit, suíque juris amplius esse non sinit: quod quantoperè homini conducat, Sanctus Areopagita Dionys. cap. 7. de diu. Nom. ostendit: *Præstat,* inquiens, *esse Dei quàm nostri juris, ita demum Divina nobis tradi poterunt, si cum ipso Deo fuerimus.*

Obedientia Deiparæ seu unio cum Deo.

10. Quòd porrò Virgo nostra per obedientiam & Divini amoris vim liquefacta in Deum transformata, átque assimilata fuerit, fatetur ipsa Cant. 5. *Anima mea liquefacta est,* inquiens, *ut dilectus locutus est.* Quæ verba Richar. à S. Laur. lib. 4. ponderans ait esse verba ipsius de sua obedientia loquentis: Unde eam ita loquentem introducit: *Anima mea liquefacta est per incendium charitatis, peracta videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos Divinæ voluntatis, ubi Dilectus locutus est ad me, per Gabrielem, postulans me in Matrem, cui me obtuli in Ancillam, sciens quoniam qui se humiliat, exaltabitur,* Luc. 18. Observat hic idem Richar. proprium esse metalli liquefacti, præsertim auri, descendere, ima petere: *Sic fecit & Maria obediendo,* inquit, *cum postulata in Matrem Dei, quod ei fuit summa dignitas, se nominavit Ancillam, quod fuit summa humilitas; & ideò animæ suæ liquefactionem attribuit, quæ propria est metalli:*

Maria hortus conclusus per Virginitatem, patens tamen per Obedientiam.

11. Audiendus hic Guilemus Abbas apud Delrium in Cant. qui verba illa inprimis considerans sponsæ Cant. 5. *Pessulum ostii mei aperui Dilecto meo;* tum ipsius animæ liquefactionem; docet Deiparam fuisse Hortum quendam cujus ostium non tantùm fuit clausum per Virginitatem, sed & pessulo intus obfirmatum, ut nunquam aperiri extrinsecus possit. Mens enim Virginis,

ginis, uti & corpus, non modò fuère purissima, verùm etiam proposito, & voto Virginitatis perpetuo servandæ stabilita; quod votum Pessulum ostii appellat; unde studio obediendi Virgo Beata intelligens per Angelum, salva Virginitate, ope operáque Spiritûs S. se Filium concepturam, ab ostio mentis ac Spiritus pessulum, quo Mater esse, violatâ Virginitate renuerat, removit: móxque vehementissimo Divini amoris igne, immensam DEI in se charitatem expendens, adeò succensa est, ut ejus anima ad locutionem illam Dilecti Internuncio Gabriele factam, liquefacta sit, seu ut legunt 70. Interpretes, *anima ejus egressa est, in sermone Dilecti.* Ita enim Benedicta illa anima Virginis, amore in Deum, ejúsque Divinam voluntatem exequendam, rapta, absorpta, atque transformata fuerat, ut corpore egressa penitus, & in rem amatam immigrâsse visa fuerit. Cùm anima magis sit, ubi amat, quàm ubi animat. Sed ipsa verba mellea hujusce Viri piissimi audiamus: *Habebat sacer iste Hortus ostia duo,* inquit ille, *ostium carnis, & ostium Spiritûs. Ostium carnis immobili Virginitatis perpetuæ proposito obfirmarat; ad hoc ostium carnis Dilectus non pulsavit, quia hoc ostium perpetuò clausum manere volebat; in conceptu & partu Matrem juxtà ac Virginem & inviolatam relinquere Filium decebat. Hunc pessulum Virgo non removit, quia votum hoc nunquam animo, nec re mutavit. Sed sponsus ad ostium Spiritûs pulsabat, quia fidem & consensum Virginis in futuram incarnationem postulabat. Ostium animi quoque odio libidinosæ corruptionis intus clauserat, & pessulo propositi votivi obfirmârat, ne unquam in concubitum consentiret. Non aspernabatur bonum prolis, sed malum libidinis, sine qua non contingit bonum prolis. Statuerat non esse Mater, ne esset mulier cæteris similis &c. Ad hoc ostium animi sponsus, Angelo interlocutore, pulsavit ut diximus. At sponsa illud forti pessulo clauserat, quia odio deflorationis, amore Virginitatis, Mater non fieri statuerat. Verùm ubi intellexit, virginitate salva id futurum; quia non ureret illam ignis malus, ut gigneret peccatorem, sed inflammaret illam ignis Divinus, ut germinaret Salvatorem, opertura per fidem pessulum removit, consentiens fieri Mater, sic semel ad ingressum Principis pacis aperta est porta Ezechielis consentiendo in partum, ampliùs ne per consensum quidem aperienda, quia post hujus magni Principis ortum, nunquam ampliùs consensit in partum. Portam verò carnis idem Princeps ut clausam invenit, clausam reliquit, & ea in honorem Principis nunquam aperta, semper clausa permansit. Pessulum ergo animi removit dicendo: Ecce Ancilla Domini &c. de carne sua carnem Dilecto ministrans ad salutem filiorum Abrahæ, imò omnium filiorum hominum. Sic inspirando obedientiæ, videlicet spiritum, Dilectus misit ignem in ossibus dilectæ; quia ignitum eloquium ejus vehementer. Hoc emollivit cor ejus ad consensum, & emollivit úsque ad liquefactionem propter stupendam nunciatæ rei veritatem? Humana ratio Divinæ auctoritati perfectè cessit. Quæ liquefiunt, salvâ substantiâ, formam propriam per resolutionem amittunt, ut in mente Virginis fides mysterii formaretur, humana ibi ratiotinatio informis quodam modo facta est. Etenim quia magnum illud pietatis sacramentum, non contra, sed supra rationem est; fide ejus ratio in mente Virginis non est perempta; sed stupore miraculi, quasi resoluta, salváque substantiâ formam propriam*

priam per liquefactionem quasi amittens, ut jam non humanæ raciocinationis scientia, sed Divina fides totam occuparet. Animalis quoque sensus fortiter & suaviter exardescente illo igne, qui non est ad consumptionem, calore Spiritus Sancti elanguit, ut jam nihil nisi spirituale & mysticum perciperet. Homo ejus interior magno illo Spiritûs Sancti supervenientis incendio, resolutus in semetipso elanguit, ut fortius vigeret in Deo, formam suam quodammodo amisit, ut formam Dei acciperet. A semetipso resolutus, sed non in semetipsum, sed in amorem illius, quem concipiebat, cujus voluntati (addiderim ego) quàm promptissimè se conformare anhelabat unus cum illo Spiritus excellenter effecta.

Maria dilectũ etiam dum illum habet corporaliter, quærit per Obedientiam spiritualiter

12. Tandem verba illa ejusdem librans sponsæ; *quæsivi & non inveni illum*, ostendit idem Abbas, quânam ratione Virgo postpositis omnibus, etiam suis spiritualibus deliciis, cupida hujusce sui, quem purissimo utero suo conceperat, Dilecti faciem, remoto carnis velo, in cœlis contemplandi, se ejus quàm humillimè conformârit voluntati, ad ejúsque nutum, arbitriúmque sese totam finxerit. Unde admiratione perculsus in illud prorupit epiphonema: *O grande miraculum! in quem transformata erat, cum quo unum erat, hunc quærebat? Quid ô pia Mater, quid illum quærebas, quem in utero te habere sciebas? Verè ait etiam hunc quæsivi, cùm esset in utero, cùm habebam præ oculis, cùm adpectorabam, cùm dissuaviabar, tum etiam tam sedulò quærebam, quem ardenter diligebam, & quem sic quærebam, non inveniebam. Quæsivi per fidem, suo tantum tempore inveniendum per speciem: quæsivi faciem non carnis ejus, sed Divinitatis ejus de qua Propheta: quærite faciem ejus semper* Psal. 104. *sed aliud quærendi, aliud erat inveniendi tempus. Tunc etiam assiduè vocavi eum, sed non respondit votis meis. In votis mihi erat inebriari ab ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis ejus satiari; sed nondum tempus erat. Prius maternæ pietatis officiis ad annos úsque viriles mihi perducendus erat, prius mihi juxta ejus crucem standum, & gladio compassionis animus meus erat transverberandus, ut postea clarificatus à Patre me sibi conglorificaret, & jam inveniretur, & jam votis meis planè satisfaceret.* Hæc Guilelmus, ex quibus admirabilem planè, omnibúsque numeris absolutissimam Virgineæ obedientiæ virtutem, incredibili cum charitate eam totam liquefaciente sociatam videre licuit.

Maria per Obedientiam ut aurum est liquefacta.

13. Verè Virgo Deipara in Incarnatione verbi tota cœlestis amoris exæstuans incendio, Divinæque voluntatis per Gabrielem intellectæ exequendæ quantocyus cupidissima ad instar auri; quod animæ obedientis præclarissimus typus à sapientibus esse dicitur, liquefacta est. Quare Rich. n. 10. citatus eam ob causam ipsam aureis Templi Jerosolymitani vasis conferri meritissimè potissimùm censuit: *Ratione obedientiæ*, inquiens, *comparatur auro Maria, cùm dicitur Altare Thymiamatis, Mensa panum propositionis, Arca fœderis, Candelabrum aureum, Thronus Salomonis, Urna aurea cœleste manna continens, quæ omnia vel aureis convestita ductilibus laminis, vel certè purissimo ex auro fusa fuisse perhibentur. Comparatur denique Maria*, prosequitur Richardus, *ferè omnibus vasis Templi, & Tabernaculi, quæ fuerunt aurea. Aurum enim tractabilius est omnibus metallis, & quantò tractabilius, tantò subtilibus operibus faciendis competentius. De hoc auro fabricatum est artificio Spiritus S. vas illud admira-*

rabile opus Excelsi, in quo Filius Dei comedit favum suum, cum melle suo, bibit vinum suum cum lacte suo. Concludit deníque ob promptissimam hanc obedientiam Virginis longè ante prævisam à Domino dictum esse per Oseam cap. 6. obedientiam malle se, quam sacrificium & scientiam Dei, quam holocausta.

Maria obedientia aurea, & ipsa aurum est pretiosum.

14. Et verò jure merito tam Virgo Deipara, quam ipsius obedientia auro confertur. Quemadmodum enim aurum metallorum omnium Princeps est, & inter omnia preciosissimum: sic Virgo nostra Princeps ac Regina creaturarum omnium est, adeò chara, ac preciosa omnibus, ut præclarè de ipsa pronunciarit Salomon Prov. 3. 14. *Melior est acquisitio ejus negotiatione auri & argenti, & auri primi, ac preciosissimi fructus ejus, preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Obedientia quòque ipsa est virtutum omnium Princeps charitati persimilis, imò unum quid cum illa. *Siquidem* Gregorio Magno teste.: *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes reliquas menti inserit, insertásque custodit.* Quare jure promptam hanc Virginis obedientiam cum Plin. lib. 33. dicam esse Aurum, quod colore rubet, quo ignis, ipsúmque obryzum vocant. Ignis enim charitatis, quo obediens ad Dei voluntatem exequendam movetur, miram quandam pulchritudinem ruborémque aspirat, eámque Divinæ Majestatis aspectibus reddit gratiorem.

15. Quòd si etiam ipsum pondus auri spectare velimus, quod est omnibus metallis, ipso etiam plumbo magìs ponderosum, magis nobis precium Marianæ obedientiæ elucescet. Pondus enim hoc Auro huic nostro inditum nil censuerim esse aliud, quam eximiam Virginis charitatem qua velut pondere ad minimos Dei nutus exequendos agebatur, adeò, ut illa longè potiori jure quam Augustinus pronunciare posset. *Amor meus pondus meum, hoc feror quocúnque feror.* Hoc nimirum pondere depressa fuit. Quodammodo ad infimum centrum terræ, cùm Mater electa, se Ancillam Domini obedientissima nominavit. Dulce pondus istud úsque ad abyssum ipsius nihileitatis, ut ita dicam, eam demersit cum læta cecinit: *Respexit humilitatem, Ancillæ suæ.* Ubi legit Vatablus, ut & alibi diximus; *Nihileitatem seu* ut alii, ταπείνωσιν, id est: *vilitatem Ancillæ suæ.*

Ponderosum

Splendens

16. Et quemadmodum aurum ab igne non consumitur, sed ab eo pulchrius redditur, ac lucidius. Sic obedientia igne charitatis inflammata, qualis fuit Deiparæ eam reddidit longè splendidiorem ac venustiorē, adeò, ut Angelus Gabriel decorem hunc obedientiæ attentiùs in ea præter alia multa contemplans novem omninò horis flexis genibus attonitus quodammodo in cubiculo Virginis hæserit, quod Autoribus Congregationis S. Gregorii in Alga, in Lusitania, B. V. ipsa revelasse fertur, uti alibi ex Kal. Deiparæ 15. Martii meminimus.

Flexile.

17. Quemadmodum aurum quamvis in partem ad flectendum est facile ac ductile (adeò ut ad instar lanæ filari, texi, etiam absque alterius fili adminiculo, & ex illo vestes confici possint. Unde scribit Plinius, Tarquinium Priscum in tunica aurea triumphâsse. & Agrippinam uxorem Claudii inductam fuisse paludamento ex auro textili, sine ulla altera materia) sic Virgo beatissima pro suæ naturæ facilitate, quacunque in re, quam Divinæ placituram noverat Majestati ad inclinandum consentiendúmque erat facillima; unde de carne sua sacrosancta tanquam auro purissimo Regium DEI

Filio

Filio paludamentum confecit, imò ipsa Vestis Regia quodammodo effecta est. Hinc B. Andreas Cret. orat. 2. de Dormit. B. V. ita illam compellavit: *Tu es à Deo contexta purpura; Indumentum Regale; Amictus à Deo variatus, Aurea speciè Diplois.* Hinc B. Humbertus V. Prædicatorum Generalis lib. de tribus votis cap. 5. suos ad hanc obtemperandi Deo in persona Superiorum facilitatem átque tractabilitatem ita hortabatur: *sitis dilectissimi sicut Aurum ductile, & quasi Virga flexibilis, quæ rectificatur ad libitum artificis, vel curvatur. Sitis ut jumentum apud Deum, cujus dorso quælibet indifferenter imponuntur. Certè syllaba indifferens, id est, longa vel brevis, seu communis multum est grata versificatoribus, quia omni loco poni potest; sic & frater promptus ad obedientiam, Deo gratus est, & hominibus, quia nil respuit injunctorum. Stellæ dixerunt vocatæ. Adsumus. Marcus imperfectâ relictâ literâ vocatus statim adfuit. Alii non sunt sicut stellæ, sed sicut quadrati lapides, ad obedientiam vix moventur. De his Eccl. 10. qui transfert lapides, affligetur in eis. Cùm enim Prælatus aliquem vult ponere aliquo, per contradictiouem rebellium fatigatur. Nautæ imperanti in mari, nulla dilatione fit executio. Pudet quod servi nostri conducti pro parvo precio promptiores sunt ad peragenda gravia, quàm simus nos pro gloria sempiterna.* Sic ille.

Obedientia prompta.

18. Quapropter S. Ephræm Syrus libro de Virt. & Vitiis. Virum ad obediendum promptum, facilem, tractabilémque, beatum etiam in hac vita appellat, magnísque virtutum possessionibus divitem ac locupletem hujusmodi arbitratur: *Beatus, qui vera, & minime simulatò præditus est obedientia, quoniam hic imitator est optimi nostri Præceptoris, qui obediens fuit usque ad mortem. Verè igitur qui obedientiæ fruitur possessione beatus est, quia cum Domini sit imitator etiam cohæres illius efficitur, qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus conjungitur. Qui obtinet obedientiam, magnam possessionem obtinet, magnásque sibi divitias accumulavit.* Has porrò variarum divitias virtutum ita specificare pergit: *Vir obediens,* inquit, *celeriter progressus magnos efficiet. Vir obediens cito exaltatur, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur & probatur. Vir obediens reprehensus non irascitur, ad omne opus bonum promptissimus est; ab iracundia non facile capitur, si contumeliis afficiatur non facile excandescit. In calamitatibus gaudet, & tribulationibus Deo gratias agit.* Tandémque ita concludit: *Multi igitur, ut apparet, sunt fructus obedientiæ, quamobrem beatus est, qui possidet illam.* Unde nil mirum Deiparam Virginem, quæ tanta cum sedulitate, à primis incunalibus virtutem hanc coluit, tot, tantísque virtutibus fuisse locupletatam, adeò ut cum ea loquens Salomon Prov. 31. Sapientissimè pronunciarit. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Cùm enim obedientia virtutum omnium sit absolutissimum quoddam compendium, qui eam velut agrum quendam optimum fructiferúmque possidet, innumera bona, perfectionésque bonorum omnium possideat, necesse est. Et quia summum illud æternúmque Bonum, omnium cælitum summa Beatitudo, & fœlicitas, à primo immaculatæ Conceptionis instanti fuit cum illa per gratiam, eíque semper perfectissimè obtemperare, suámque voluntatem cum illa æterna conformare studuit; ideò beatitudinem fælicitatémque quandam cœlestem, sum-

Obedientiæ encomia & fructus.

Obedientia perfecta Deiparæ.

miquè illius boni dulcedinem etiam quamdiu in hac vita lacrymabili degebat, delibavit, statúmque quemdam omnium bonorum aggregatione perfectum quantùm hæc exulum vita patitur, indepta est, beatáque extitit adeò, ut jure canere potuerit: *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et jure sanè meritissimo: quemadmodum enim primæ Matris nostræ Evæ inobedientia, & ipsi & universæ posteritati vitiorum omnium, malorum, atque omnis infœlicitatis fuit seminarium: ita obedientia Mariæ, virtutum, bonorum, omnísque fœlicitatis, & ipsi & toti humano generi Origo extitit.

Obedientia virtutum princeps.

19. Unde S. Diadochus Episc. Photices lib. de perfect. cap. 41. præclarè pronunciavit: *obedientiam esse omnium virtutum introducentium principem, exploratum est: repudiat enim arrogantiam, parit autem nobis humilitatem. Unde janua átque aditus charitatis in Deum efficitur iis, qui libenter eam amplectuntur. Hanc cùm Adam abjecisset, decidit in profundum Tartarum: hanc cùm amâsset Dominus causâ redemptionis usq; ad crucem Patri obedivit; idque cum nulla ex parte infra illius amplitudinem esset, ut cùm crimen humanæ inobedientiæ suâ obedientia diluisset, eos qui obedientes essent, ad beatam & immortalem vitam reduceret. Primùm igitur hujus virtutis curam habere oportet eos, qui studium certandi cum superbia Diaboli suscipiant. Hæc enim deinceps progressa omnes virtutum nobis sine ullo errore viam demonstrabit.* Addiderim ego; non modò demonstrauit, verùm etiam eisdem virtutibus æternis bonis locupletabit.

Maria per obedientiam facta est dives virtutum.

20. Quare jure merito S. Bonav. in Speculo c. 8. has omnes virtutum divitias, quas Virgo promptissimâ perfectissimâque obedientiâ consecuta est, opulentissimi illius Domini, cujus sunt omnia, quæ cœlo terráque continentur præsentiæ, unioníque intimæ, quæ conformatione voluntatis efficitur, potissimùm attribuendas censuit. *Attendite*, inquiens, *quòd Dominus universalis, qui cum Maria est, ipse est Dominus, opulentissimus proprietate, ut testatur Propheta: Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & qui habitant in eo. Domini certè est non solùm terra, & plenitudo ejus, sed & cælum & plenitudo ejus. Domini hujus omnia sunt propria, cælum, terra, corporalia & spiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cœlestis gloria, omnia sunt Domini propria. Dominus ergo hic ditissimus est. Hinc dicit Apostolus Rom. 10. Idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum. Ecce Maria quantus Dominus est, quàm opulentissimus Dominus est, qui tecum est. Et quia Dominus opulentissimus opulentissimè est tecum, ideo tu es opulentissima sive ditissima secum, ita ut verè tibi dici possit: Multæ filiæ &c. Filia Agnes, filia Lucia, filia Cæcilia, filia Agatha, filia Catharina, & multæ aliæ filiæ & Virgines sanctæ, multæ animæ justæ congregaverunt divitias virtutum & gratiarum, divitias meritorum & præmiorum, sed tu Maria universis divitiis supergressa es excellentissimè universas. O quàm dives est Maria in gloria, quæ tam dives fuit in miseria* &c. Hæc Bonav.

Obedientia Deiparæ in oblatione Filii in templo.

21. Neque verò solùm Deipara uteri Virginalis hospitio excipiendo æternum Verbum Divinæ se conformavit voluntati, promptissimámque exercuit obedientiam, verùm etiam cum illum in templo in ulnas Simeonis supremæ Majestati offerendum tradidit. Audiendus hic S. Bern. Sen. Tom. 3. ser. 7. Parte 3. ubi sic loquitur: *Virgo piissima tota*

tota conformis voluntati Patris, & Filii, & Spiritus Sancti illum Unigenitum suum Dilectissimum Simeoni tradidit, cum charitate ferventi, & liberalitate gratiosa, ac cum virtute donavit. Sic ille.

Maria Rota volubilis per obedientiam.

22. Ob promptissimam hanc Dei Matris obedientiam jure meritò Rotæ illi, de qua Ezechiel cap. 1. loquitur conferri potest: *Apparuit Rota una super terram habens quatuor facies, & aspectus ejus quasi visio maris, & quasi sit Rota in medio rota, & totum corpus rotarum erat plenum oculis. Quocúnque ibat spiritus, & rota pariter elevabantur. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Addit deníque cap. 10. 12. quod rotas has Dominus vocaverit, Volubiles. Audiendus hic idem S. Bernardinus Senensis Tom. 3. ser. 11. art. 1. cap. 1. *per Rotam illam, quæ quatuor facies habebat B. V. meritò indicatur, quæ quatuor virtutes habet, secundum quas vita activa regitur, & omnimoda perfectione ad Evangelicam conformatur. Pluraliter dicitur, quòd rotæ illæ elevabantur, quia virtutes in ea fuerunt summæ perfectionis tam ad agendum quam ad patiendum. Et tantopere intellectui humano incomprehensibiliter, ut meritò dicatur: Et aspectus rotarum & aspectus earum quasi visio maris. Inæstimabiliter enim superavit omnem obedientiam & actionem Martyrum & Confessorum. In omnibus enim illis fuit pondus difficultatis ad bonum, & pronitas ad malum. In Virgine autem Beata nullum omnino fuit retardativum, proinde Rota volubilis fuit secundùm omnem spiritus sancti nutum.* Ubi crediderim Patrem Seraphicum, Martyres ac Confessores mari contulisse ob pœnitentiæ, & tormentorum, cruciatuúmque amaritudinem, quam Christi amore, dum in hac misera vita degerent, degustârunt. *Elevata deníque fuit,* prosequitur idem Sanctus Pater *per excellentiam contemplationis. Undè fuit designata per Aquilam Job. 39. Nunquid ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum?* Dum ergo Sanctus hic Virginem Rotæ illi volubili & admirabili, vitali spiritu plenæ, átque oculatæ, nec non Volucrum Reginæ Aquilæ comparat, clarè nobis celeberrimum ipsius Deo parendi ostendit studium, quod adeò expeditum fuit, ut tota oculus ad videndum quid vellet Deus, tota Spiritus ille, cujus gratia nescit tarda molimina, ut loquitur Ambrosius, esse videretur. Quare nil mihi mirum accidit, quod D. Umbertus supra memoratus suos Religiosos ad obediendum alacriter excitans ajebat. Sitis sicut Rotæ volubiles, quæ secundùm impetum spiritus movebantur.

Maria similis Cherubinis, qui intus & foris sunt pleni oculis.

23. Eamdem ob causam à S. Amadeo Hom. 8. de Laud. B. V. Deipara Cherubinis illis, qui erant intus & foris, pleni oculis, nec non senis alis instructis beatissimis Seraphinis comparata est. Sciens enim, átque in Verbo beatifica visione cognoscens miserias, calamitatésque nostras, quibus in hac vita confligamur, sciens quóque *Divinorum omnium divinissimum esse,* ut loquitur S. Dionysius Areop. *cooperari Deo in salute animarum,* gratissimúmque esse Divinæ Majestati holocaustum hominum salvandorum Zelum, & amorem; sciens deníque verissimum esse illud, quod Sap. 11. v. 27. pronunciavit Salomon: *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas,* voluntati huic amantis Dei se se totam conformans ardentissimo amore mortales omnes complexa ad eorum penitissimè introspectas miserias tam animi, quam corporis amoliendas ad instar Cherubini tota oculata, ad instar Seraphini plusquam senis alis in-

instructa confestim advolat, nósque bonitatis suæ communicatione ex miseris ac miserabilibus fœlices, beatósq; efficit. Sed de hac Virgineæ voluntatis in nobis adjuvandis, ac salvandis ad Divinã ex claro intuitu Dei proveniente conformatione, ipsum S. Amadeum disserentem audiamus: *Adstat Beatissima singulari merito præcipua vultui Conditoris, prece potentissima semper interpellans pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostríque Clemens & dulcis Domina, mater affecta miseretur. Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quod ante & retro, intus & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum & dolores, casus & defectus, cæcitates, invaletudines, extrema pericula, in certos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æque ut Dei Genitrix valent examinare, examinando cælesti auxilio diluere ac propulsare, quò enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eò profundiùs gratia pietatis afflictorum misereri, & miseris succurrere novit. Gemina quippe dilectione rutilans, & insignis, hinc in DEum ardentissimè figitur, cui adhærens unus spiritus est,* atque adeò etiam, addiderim ego, una voluntas, *hinc electorum corda blandè consolatur, & attrahit, eísque nati largitate optima dona partitur. Motu ergo celerrimo senas Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras, signis & virtutibus illustrans, ubique suis ut Mater jucundissima, & mirificentissima occurrit. Quosdam præsentiâ suâ, subactis vitiis reddit victores, quosdam magnarum virtutum pio interventu facit compotes, quibusdam intimæ contemplationis pandit sinum, alis in exitu vitæ iter præbet securum, ut nulla deterreat virtus adversarii, quibus ducatum præstat ad Christum Mater unigeniti Dei.* Hæc ille.

Deipara videt nostram indigentiam.

24. Ob hanc celeritatem ex voluntate Dei adjuvandi proximos eísque in suis necessitatibus succurrendi, crediderim illi datas esse alas duas aquilæ grandis, ut habemus in Apoc. 12. ad volandum in hoc mundi hujus desertum. Crediderim etiam alatã Virgine illâ zodiaci, inter Leonem, & Libram constituta præfiguratam, ut intelligeremus illam ad nos juvandos promptissimam esse, quoties Leo ille terribilis de tribu Juda immissis in bilancem suæ justitiæ mundi peccatis, in genus humanum justo judicio desævire incipit, tunc enim illa geminis quasi assumptis alis ad adjuvandum nos mira in nos accensa charitate festinat. Quæ quanta sit, idem S. Amadeus Hom. 3. paucis expressit: *Charitatem qua humanum genus incessanter protegit, & fovet, in mentis intelligentia non comprehendit.*

Maria ob promptitudinem succurrendi nobis alas habet.

25. Sed ad obedientiam illam Virginis, qua summæ illi Majestati in Incarnatione Verbi tanta promptitudine obtemperavit, revertamur. Obedientiam hanc Virginis tantæ virtutis atque energiæ S. Bernardinus Senensis To. 1. serm. 20. Art. 2. cap. 7. fuisse dixit, ut ea veluti clavi portæ cœlestis Paradisi reseratæ fuerint, Regémque illum sæculorum, immortalem, invisibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, qui lucem habitat inaccessibilem, de cœlis in terram pertraxerit, mox atque illa verba, divino parens beneplacito pronunciavit: *Ecce Ancilla Domini &c.* Sic igitur Pater Seraphicus: *Lingua nempe Virginis,* inquit ille, *clavis extitit Paradisi, & in octo dictionibus tanquam octo linguæ quasi clavis revolutionibus aperuit cælum. Nam cum Angelo nunciante respondit primo: Ecce; non fuit cæli reserata serata;*

Maria obedientia clavis cœli.

serata; nec cùm secundo superadiunxit. Ancilla. Nec tertio quando Domini ait, & sic de reliquis verbis Virginalis consensus; per quæ omnia simul sumpta, & completa, cæli Janua patefacta est, atque virtute illorum verborum; Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.

26. Quòd si magno in honore quondam in populo Israëlitico habitus est Heros ille magnanimus Josue, ad cujus solum imperium verbis illis expressum: *Sol ne movearis contra Gabaon, & Luna contra vallem Ajalon* Jos. 10. Sol & Luna in cœlo substitit, obediente Deo voci hominis; quantò majori longè laude, honoréque dignissima erit Heroina Virgo nostra gloriosissima, quæ sempiternum illum justitiæ solem de cœlo in terram evocavit, & immensitatem illam Divinam, angustiis virginalis uteri coarctavit? Merebatur nimirum ut Mariæ obedientia illa promptissima, quâ voluntati Divinæ semetipsam in Incarnatione verbi subjecit, hujusmodi ipsius Dei obedientiâ vicissim honoraretur, & æviternus ille justitiæ Sol voci hominis obediret in terris, nubéque mortalitatis nostræ circundatus cum hominibus conversaretur. Merebatur deníque, ut idem Divinissimus iste sol, tam insigni ipsius obedientia oblectatus, esset subditus illi, eique ad nutum obtemperaret.

[Margin: ...dientia ...æ Christū ...n movit, Josue.]

27. Hanc Virginis sanctissimæ obedientiam contemplans venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & dignit. B.V. art. 20. ita illam allocutus est: *Tu ò Virgo admiranda, ò perfecta Maria Divino ori in cunctis humillima mente paruisti, nec unquam vel ad dextram, vel ad sinistram declinasti, quippe cujus in lege Domini erat voluntas, & in lege ejus meditata es, die ac nocte. Porrò talis erat ò præstantissima Virgo sancti tui cordis obedientia, ut universorum superexaltatum Principem ipsum mundi Opificem DEUM, non jam ut imperantem, aut æqualem, sed ùt obedientem quoque habere merueris. Erat námque subditus tibi; quis utique, nisi is, à cujus conspectu cæli quoq; columnæ contremiscunt* Job 26. *O vere excelsa & superexcelsa Domina, tota pulchra átque amœna, tota delectabilis, gaudiosa, & superserena Maria, meritò prorsus omnis tibi jam nunc paret, subjicitúrque creatura cœlestis ac terrena. Nec enim indignum ei est illi subjici, cujus suus quoque Creator subdi & obedire dignatus est. De quodam illustri viro in scriptura legisse memini, quòd obedierit voci ejus Deus benedictus, nempe dum hostes Israëlis persequeretur Josue, tenderetq; sol ad occasum. Porrò in te ò Maria hoc incomparabilem excellentiam efficit, quòd tibi DEus verus & adorandus filialiter obedivit. Deníque & tunc etiam Filius te honorans nil tibi negat. Interim magnum sit Josue Filio Nun, quòd famulus tuus sit, quæ omnium Apostolorum, & Prophetarum Domina à Deo filio constituta es.*

[Margin: ...ria quia ...a obediens, ...ruit habere ...um obe...ntem.]

28. Hinc S. Bern. Senens. To. 2. serm. 51. Art. 3. cap. 1. docet Virginem actu illo humillimæ obedientiæ, quo in verbi Incarnationem consensit, plus promeruisse meriti videlicet de congruo, quàm omnes Angelici Hierarchiæ, & omnes justi suis actibus virtutis promeriti sunt. Unde quid mirum eam super omnes evectam, dignámque habitam, quæ & ipsi Incarnato Verbo imperitaret. *Si quis*, inquit ille, *consideret Virginei consensus finalem terminum, clarè intelliget, quòd omnis dignitas & perfectio inclusa in hoc, quod est esse Matrem DEI tam mente quam carne, comprehendatur in eo, quod quidem tran-*

[Margin: Obedientia Deiparæ singulariter meritoria.]

scendit in merito in infinitum, quidquid aliud sub Deo homine cogitari vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet, quod meritoria perfectio hujus consensus fuerit perfectioni sui termini comproportionata. Ex his ergo colligi potest Virginem Beatam in Conceptione Filii Dei consensu plus meruisse quam omnes creaturas tam Angelos, quam homines in cunctis actibus, motibus ac cogitationibus suis, nempe omnes, qui meruerunt, nil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status & gradus gloriam sempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum Spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus Prophetiæ, discretiones spirituum, operationes virtutum: meruit fœcunditatem in Virginitate, maternitatem Filii DEI, meruit quod sit stella maris, porta cœli, & super omnia, quod Regina misericordiæ nuncupetur, ac illius Numinis consequatur effectum. Unde merito de ipsa Virgine Salomon: Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Hactenus Bernardinus.

Obedientia Mariæ opposita inobedientiæ Evæ.

29. Hæc tanta obedientiæ Virginalis in verbis illis: *Ecce Ancilla;* contemplans merita, & obedientiam hanc Deiparæ, cum Evæ inobedientia conferens, ubi præmisisset: *pro inodedientia, obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur,* tantem exclamavit: *ô insignis gratia, quæ dum humiliter fidem dedit, cæli in se Opificiem incorporavit. Hæc fuit vere obedientia omni sacrificio gratior, hæc voluntas cunctis hostiis acceptior, propter hanc beatam eam dicent omnes generationes.* Unde Virgo gloriosissima tot gratiarum gaudiorum, donorúmque cœlestium sibi in Incarnatione Verbi largissima illâ Conditoris sui manu, munificentissimè communicata cognoscens, ne tantis beneficiis ingrata videretur, dulcissimum illud Canticum, spiritualibus deliciis delibuta Divinam bonitatem magnificans atque extollens animitus medullitúsque modulata est, beatitudinémque illam, qua toto terrarum orbe, beata prædicatur obedientiæ huic suæ adscripsit, ob eámque magna quædam à communi illo liberalissimo ac potenti Domino sibi facta censuit.

Deipara vi[illegible] Deum [illegible]

30. Inter reliqua porrò singularia Dei beneficia, illud in postremis numerandum non est, quod fœlicissimo illo Incarnationis Dominicæ Instanti DEum clarè facie ad faciem viderit, ut censet S. Antonius 4. Par. sum. Tit. 15. cap. 17. n. 1. & Pelbartus Panonius Temisvar. qui lib. 1. stellarii par. 6. art. 4. cap. 3. inter 12. Virginis gaudia, quibus fœlicissimo illo instanti perfusa est. *Octavum gaudium,* inquit, *est, quod illi, piè creditur Dei facies revelata fuit.* Quod certè credi potest Verbo in ejus utero corporante esse factum. Si enim Moysi & Paulo concessum est Divinitatem vidisse, ut dicit Aug. multò magis Mariæ, cùm à nullo Illustrium superetur, ut ait Damascenus.

Obedientia meretur visionem beatificam.

31. Quæ sanè gratia miram quandam hominis obedientis nobis indicat beatitudinem. Licèt enim hæc gratia pro præsentis vitæ statu nulli amplius mortalium de lege ordinaria concedatur, colligere tamen possumus, eumdem benignissimum Dominum, qui adeò obsequenti Matri Divinam suam faciem, ubi primùm voluntatem suam conformavit, ostendit mira quóque suæ cognitionis omnibus verè obedientibus

tibus ostensurum lumina, ut verè adhuc in via, dum peregrinantur à Domino, beatificæ illius visionis gaudia delibare videantur. Et hoc est, quod Incarnata dicere volebat veritas. Joan. 7. 17. *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina mea, utrum ex Deo sit:* insinuare volens, quemadmodum Claudius Aquiviva soc. nostræ Generalis V. Epistolá de studio perfectionis interpretatur: eam doctrinam si vita ac factis exprimere studeamus, arcanos quosdam sensus, & inusitatos afflatus supra consuetudinem supra mortalitatem nanciscemur; ut propterea sapientiam istam Divino statu fuisse ortam, facilè in animum inducamus. Cùm enim doctrina Christi, ab ipsius Divinissimo intellectu, quem à Patre æterno unà cum essentia, reliquísque ejus attributis ac perfectionibus cum ipsa identificatis accepit, procedat, & hæc naturali lumine sit incomprehensibilis, sequitur sanè obedientiam, sive hominis cum Divina voluntate conformationem, instar esse luminis gloriæ, quo intellectus corroboratus, sicut elevatur ad videndum clarè divinam essentiam, sic quoque ad cognoscendam Christi doctrinam, quæ omnem naturæ excedit ordinem. Ex quo Salvatoris discursu mirè obedientiæ eluceſit perfectio, ejúsque nobilitas.

...edientia ...stat reli... ...s virtutibus ...ralibus.

32. Unde nil mirum illam à Doctore Angelico 2. 2. q. 104. art. 3. Omnibus virtutibus moralibus anteferri. Cujus sententiæ eam adfert rationem. *Inter virtutes morales,* inquiens, *tantò aliqua potior est, quantò aliquis magis contemnit se, ut Deo inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter DEum, quorum infimum sunt exteriora bona; medium autem sunt bona corporis; supremum denique sunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideò per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter DEum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter DEum aliqua alia bona contemnunt.* Unde Greg. *dicit, quòd obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Unde etiam quæcunque alia virtutum opera, ex hoc meritoria sunt apud DEum, quod fiunt, ut obediatur voluntati Divinæ. Nam siquis etiam Martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem Divinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent, sicut nec si fierint sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur* 1. Joan. 1. *quod qui dicit se nosse DEum, & mandata ejus non custodit, mendax est: qui autem servat verba ejus, verè in eo charitas perfecta est. Et hoc ideo, quia amicitia facit idem velle, idem nolle.* Hæc S. Thom.

33. Ex quibus inferimus obedientiam maximam habere cum charitate virtutum Theologicarum Principe, quæ sola viget in patria, affinitatem, siquidem voluntatem suam supremæ illi subjugans idem vult, idem non vult, quod intelligit velle, aut nolle DEum. Ex hac Angelici Doctoris doctrina obedientiam colligimus quandam esse hominis in terris adhuc commorantis beatitudinem, quæ in sententia Doctoris subtilis in actu voluntatis DEum super omnia amantis consistit. Quòd si cum eodem Doctore Angelico & Philosophorum Principe sentiamus, Beatitudinem in actu intellectûs, quo clare Dei facies videtur consistere, intelligemus obe-

Obedientia seu conformitas cum divina voluntate est quædam in terris beatitudo.

dientiam planè partam quandam hujus beatitudinis esse, siquidem voluntatem Dei facienti, doctrinæ suæ intelligentiam, quæ tota ipsa in Dei cognitione consumitur, Christus pollicetur. Quòd si deníque beatitudinem in clara Dei visione, atque amore, fruitionéque ejusdem, ex gravissimorum Theologorum sententia reponamus, facilè perspiciemus obedientiam, nostram in hac vita beatitudinem quandam esse, siquidem voluntati Patris æterni se se attemperans, intellectum doctrinâ Christi, ac cognitione Dei, & voluntatem idem volendo, & nolendo, quod Pater, eumdémque amando perficit. Atque ita in hac plenissima lacrymarum miseriarúmque valle, nos fœlicitatem illam cœlestem, nullóque fine terminandam beatitudinem prælibare facit, similésque demum Virgini gloriosissimæ reddit, quæ divinæ obtemperans voluntati, séque in omnibus illi ad obsequendum ancillam exhibens, visione beatifica in fœlicissimo illo Incarnationis instanti perfrui meruit.

Maria per obedientiam cooperata est ad salutem mundi.

34. Qua propter merito Venerabilis Bernardinus de Bustis Ord. Seraphici Par. 5. Marial. serm. 7. partic. 1. docet mentem Virginis præclarissimos obedientiæ fructus assiduè fuisse meditatam, memor illius Salomonis pronunciati Prov. 15. *Mens justi meditabitur obedientiam. Et ideò* inquit, *semper meditabatur Beatissima Virgo quomodo melius Divinæ voluntati per omnia obediret, sciens verum esse illud Virgilii in Georgicis:*

Et legum servanda fides, suprema potestas
Quod mandat fieríque jubet, parere necesse est.

Addit deinde tantis Divinæ voluntati obsecundandi inflammatam fuisse studiis, ut quemadmodum mundani homines in magnis lucris reponere consueverunt, cum propriis longè latéque satis fecerint voluntati, ita Virginem maximum lucrum existimâsse, si Divinæ satis fecisset voluntati, quapropter perfectâ obedientiâ sua tantum apud DEum promerita est, ut ab æterna damnatione liberaremur, ad quam Evæ primæ Matris nostræ inobedientia ævitetnùm eramus mancipati. Tantum autem placuit Deo B. V. obedientia, Divini Verbi conceptioni assentiendo, ut mereretur sibi Filium Dei facere subjectum & obedientem, uti antè ex Richelio memoravimus. Ad quam Virginis dignitatem illustrandam citat. Bustius Bernardum illud Luc. 2. exponèntem. *Erat subditus illis: quis, quibus? DEus, hominibus. DEus, inquam, cujus Angeli subditi sunt, cui Principatus, & potestates obediunt, subditus est Mariæ, sed etiam propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, sive Filij DEI benignissimam dignationem, sive Matris ejus, excellentissimam dignitatem. Utrúmque stupor, utrúmque miraculum, quòd fœmina DEus obtemperet, humilitas sine exemplo; & quòd fœmina Deo principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quòd sequuntur Agnum quocúmque jerit, quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit. Disce homo obedire, disce pulvis obtemperare, disce terra subdi. Erubesce superbe cinis. DEus se humiliat, & tu te ex altas, DEus se hominibus subdit, & tu Dominari hominibus gestiens, tuo te proponis auctori? Quoties enim hominibus præesse desideras, toties DEum præire contendis.* Concludit tandem Bernardinus: *Faciebat igitur B. V. illud, quod postea suum Filium acturum noverat, qui factus fuit nimirum obediens usque ad mortem crucis,*

cis, sciens quòd tanta sit obedientiæ excellentia, ut nil sit peccatum, nisi quod contra ipsam fuerit perpetratum Peccatum enim ut sentit Ambr. lib. de Parad. *est prævaricatio legis Divinæ, & cælestium in obedientia mandatorum. Hoc igitur Sancta illa Domicella obedientia B. Virgini svadebat, ut ad salutem mundi cooperaretur, eam exhortando, ut tam grandi sacramento assensum praberet.* Ita ferè Bustius.

...alios ...& nos ...edien- hortatur.

35. Hoc idem, quod Sancta illa Domicella Virgini faciendum svadebat, svasit & ipsa in nuptiis Canæ Galilææ cum deficiente vino præcepit ministris, ut dilectissimo suo Filio tanquam legitimo omnium creaturarum Domino ac Motori obtemperarent: *Quodcunque*, inquiens, *dixerit vobis, facite*. Quæ verba sicut & alia, quæ Virgo dum hic nobiscum degeret prolocuta est, Sanctus Bernardinus Senens. Tom. 3. serm. 6. vocat Flammam Septimam consummantem, qua Virgo intemerata plena desiderio implendi omnia DEI mandata, & omnia Divinæ voluntatis signa mirificè ardebat. *Unde quod ipsa fuit*, inquit Sanctus, *voluit communicare omnibus, quia omnes sanctos fieri voluit, sicut & ipsa est, adeo voluerit lapides ipsos, omnésque creaturas sanctificari, & amorem Dei in se habere. Et ideo Virgo sanctissima dixit: Facite quæcunque dixerit vobis; quia ego feci id, quod dixit mihi per Angelum: Et similiter vos faciendo quæcunque dixerit vobis, habebitis amorem ejus consummantem, aliásque Divini amoris flammas, sicut & ego. Et sic dignè dicetis mecum: quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.* Hæc ille de aureis illis verbis Deiparæ, quæ sanè unicuíque benignissimam hanc Dominam amanti, intimis cordis fibris ac medullis exsculpenda essent, & aureâ laminâ, uti olim Nomen tetragrammaton incidenda, deníque in fronte ad instar coronæ, ne ulla ejus unquam nos capiat oblivio circumgestanda; utpote quæ homini seminarium virtutum omnium, & quoddam quasi compendium, imò & inchoata quædam hic in terris beatitudo & fœlicitas est. Cogitemus pientissimam hanc Matrem nostram ad dicti illius sedulam observantiam Spiritûs Sancti sponsi sui dilectissimi nos verbis illis excitantem Prov. 4. *Fili mi ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam; ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui, vita enim sunt invenientibus ea, & universæ carni sanitas.*

Imitanda Deiparæ obedientia.

36. Quocirca in omni vita nostra horis ac momentis singulis sanctissima hæc dulcissimáque vox Deiparæ super mel & favum assiduè aures nostras circumsonet, eâ præ omnibus deliciis oblectemur. Imaginemur illam amantissimæ instar Matris loqui Prov. 3. *Fili mi! ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem átque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis: tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis, quiescet & suavis erit somnus tuus, nec pavebis repentino terrore, & irruentes tibi potentias, impiorum, Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris.* Imaginemur rursus eam illa spiritûs S. sponsi sui castissimi Prov. 4. 10. verba usurpantem, nósque ad exactissimam obedientiam Divinæ voluntati deferendam exhortantem: *Audi Fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni tui vitæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabun-*

tur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.

Obedientia est semita æquitatis.

37. Ubi ponderanda sunt attentè verba illa: *Ducam te per semitas æquitatis.* Verè enim Iter obedientiæ sanctæ sunt semitæ æquitatis, imò Via Regia justitiæ, quam Deo ac Superioribus ab illo ordinatis vices gerentibus debemus. Ad quod faciendum nos docet Doctor Angelicus exemplo rerum naturalium 22. q. 1. art. 1. ubi sic loquitur: *Oportuit in rebus naturalibus, ut superiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis illis collatæ divinitus: Unde etiam oportet in rebus humanis, quòd superiores moveant inferiores per suam voluntatem, ex vi auctoritatis divinitus ordinatæ. Movere autem per rationem & voluntatem est præcipere. Et ideò sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subjici motioni superiorum: ita etiam in rebus humanis, ex ordine juris naturalis & Divini tenentur inferiores suis superioribus obedire.* Art. verò 4. docens Deum opt. Maximum causam primam principalémque Motorem esse, infert, necessitate quadam justitiæ obediendum esse: *Sicut Deus,* inquiens, *est primus Motor omnium, quæ naturaliter moventur; ita etiam est Motor omnium voluntatum. Et ideò sicut naturali necessitate omnia naturali a subduntur Divinæ motioni, ita etiam quadam necessitate justitiæ omnes voluntates tenentur obedire Divino imperio.*

Ad obedientiam incitamenta.

38. Quam parendi rationem non modò res omnes naturales, verùm etiam ipsæ nobilissimæ creaturæ Angelicæ nos edocent; de quibus S. Dionysius Areop. lib. de cœlesti Hier. cap. 10. ita loquitur: *Sunt autem & Angeli omnes ita instituti, ut inferiores superioribus obediant, eorúmque nutus enuncient. Et primi illi quidem, ut summi Dei se moventis consilia & voces exponant; reliqui verò proportione debita eorum, qui à Deo moventur, exprimant. In tantum enim summa illa omnium & supereminens congruentia quorumlibet rationalium ac spiritualium sacro decori, & ordinatissimo instituto prospexit, ut ipsis quoque distinctionibus sacris ordines decentissimos poneret.*

Creaturæ etiam insensibiles docent nos obedientiam.

39. Eamdem Divinæ voluntati parendi rationem docet nos S. Ambr. lib. 3. Hexam. cap. 17. exemplo creaturarum insensibilium; ut herbæ, exemplo item mutorum piscium, aliarúmque irrationalium creaturarum, quæ solo naturæ instinctu suo obtemperant Creatori: *Germinet terra herbam virentem, præceperat Dominus: Et statim,* inquit Ambrosius, *omni surgente germine terra completa est. Et homini dicitur: Dilige Dominum Deum, & non est charitas Dei, omnium infusa visceribus: surdiora hominum corda sunt quam dura saxorum. Terra indebitos fructus nobis ministrat, dum obsecundat Auctori, nos debitum munus negamus, dum non veneramur Auctorem.* Quare Petrus Riga in suo M. S. in Genesim, herbis & floribus, quos terra idem, Ecclesia ad præceptum Dei protulit homines pios, ac sanctos Dei jussibus obtemperantes designari intelligens, ita cecinit:

Fert virides herbas, fert ligna ferentia fructum
Fert varios Flores terra jubente Deo;
Ecclesiam sanctam designat Terra, fidelem
Ac humilem populum denotat herba virens.
Doctorum fructus, lignorum semina signant,
Qui fructus referunt, dum sacra verba ferunt.

Illi,

Illi, quos varius virtutum splendor honorat,
Sunt violæ, sunt & Lilia, suntque rosæ.
Sunt violæ, qui sunt humiles; sunt lilia, casto
Corpore degentes, sunt patiendo rosæ.

De piscium etiam natura, certo tempore instinctu naturæ maria tranantium loquens idem Ambrosius, eorúmque parendi Creatori suo studium considerans, hominum inobedientiam detestatur: *Divinæ*, inquiens, *legi piscis obsequitur, & homines contradicunt? Piscis solemniter obaudit mandata cœlestia, & homines irrita faciunt Dei præcepta? An contemptibilis tibi videtur quia mutus est? rationisque expers? sed vide, ne tu tibi magis incipias esse contemptui, si irrationabilior deprehendaris.*

Piscis docet exemplo suo obedientiam.

40. Rem sanè mirabilem P. Justinus Michoviensis ord. Prædicat. decus, de piscium obedientia scribit Tom. 2. in Lit. D. 231. n. 36. de Religioso quodam in Batavia, qui à Priore jussus pisces provocare pro hospitibus, qui fortè advenerant, cùm ad domesticum stagnum accessisset & diu piscatus nil capere potuisset, ad Priorem rediit. Mox ille rursum ipsum ad stagnum remittit, jubétque pisces ad se advocare, paret ille simpliciter, & voce alta pisces ad se evocat. Res mira! piscis Lucius mox ad vocem Simplicis conversi ad littus stagni adnatat, ejus magnitudinis, ut tantus nunquam eo loco visus fuerit. Addit idem Justinus: Obsequentem Fratrem Virgo Mater Sanctissima tanto miraculo illustravit, & hospitibus filiis suis, uti Mater Benigna alimentum subministravit.

Creaturæ aliæ docent hominem obedientiam.

41. Hanc creaturarum obedientiam considerans Hier. Oleaster ejusdem Ord. in c. 1. Gen. præclarum nobis dedit documentum: *sunt*, inquiens, *qui cùm multa præstare possint, paucis exhibitis contenti sunt, quos hæc sent. arguit: Germinet terra &c. Non sat fuit terræ producere ex se herbam, sed quidquid producere potuit, ad nostram produxit utilitatem. Herbam parvam & grandem, arbores & ligna fructuosa, sic & aquæ non solum pisces, & reptilia produxêre, sed urgeri adeò videntur Dei videlicet imperio, ut quidquid intra se continere videbantur effundant; pisces animalia aquatica, aves & multa id genus. Quid tu solus homo? si plura præstare potes, cur contentus es, cum parva aut nulla effundis? Isthuc pertinet, quod de luminaribus sequitur, quibus tot facere efficia præcipit, quod poterunt præstare: Dividant, inquit, diem à nocte, & sint in signa, tempora, dies, & annos, & illuminent terram. Ubi vides quot & quanta terræ, luminaria præstent ministeria, nihil lucri ex ea sperantes; neque dedignantur, cùm tam sublimia corpora sint, tam lucida támque pulchra, infimo elemento, terræ scilicet tot præstare ministeria. Quo exemplo docentur Principes nobiles, ac sublimes inferioribus cùm opus est, ministrare; quorum præcipuum munus est, inferiores suo consilio dirigere & illuminare.* Hæc ille de creaturarum insensibilium obedientia, homini ad imitandum proposita.

42. Hugo de S. Vict. lib. 1. Miscell. Tit. 74. ossium aridorum exemplo ad parendum Supremo Motori Deo nos excitat, de quibus Ezechiel cap. 37. *Ossa arida audite verbum Dei, hæc dicit Dominus: Ecce introducam in vos spiritum & vivetis.* His verbis inquit Hugo, loquitur ad eos Spiritus Sanctus, quibus ait Filius: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum.* Atque ita, per ossa illa docet designari

Ossa arida in visione Ezech. docent nos Obedientiam.

 Apo-

Apostolos, qui ante Conversionem ad Christum erant quædam ossa arida ac deformia, quæ audita voce Christi vivificata sunt, pulchráque reddita, ubi audiêrunt verbum Domini. Unde idem Hugo: *Audite verbum Domini: In his,* inquit, *tota pulchritudo animæ consistit. Et licèt immediatè universorum Dominus per se potuerit ossa illa vivificare, noluit tamen nisi mediante Propheta; qui figura extitit Salvatoris. Unde ipse de se sic loquitur: Et prophetavi sicut præceperat mihi. Videre vultis præcepti effectum, expeditámque ossium illorum aridorum, omni sensu destitutorum obedientiam? Factus est autem sonitus prophetante me, hoc est adhuc loquente ac imperante, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, & ingressus est in ea spiritus & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè.* O obedientiam obstupescendam, quæ meritò homini ruborem incutiat, eúmque ad promptè supremo Numini obtemperandum inducat.

& omnes creaturæ.

43. Quòd si quispiam omnem totius universi contempletur creaturam, videbit profectè jam inde à primis mundi incunabulis, Divinæ Creatoris sui voluntati ad unicum verbum, *fiat,* fuisse obsequentissimam. Unde divinus Cosmographus Gen. 1. dixit: *Deus fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentum, & fecit Deus firmamentum. Fiant luminaria in firmamento cæli, & factum est ita,* sic etiam reliqua creatura omnis unico Creatoris nutu fabrefacta est, ut homo disceret primi Motoris obtemperare voluntati. Quod sanè illi præ reliquis creaturis tantò alacriùs omnino esset faciendum, quantò ratione præditus cùm sit, novit ejus dominio, utpote creatura, se naturaliter esse subjectum. Hoc enim in ipsius creaturæ conceptu necessariò involvitur, ut à suo Creatore, tanquam à causa prima, quæ est à se, & à nullo dependens, reliqua omnia à se habens dependentia in omnibus dependeat, certò sibi persuadens Dominum hoc Dei illi esse utilissimum, ab eóque ipsius omnem dependere fœlicitatem. Undè S. Aug. lib. 8. de Gen. ad litt. 11. sapienter pronunciavit: *Dominationem Dei non ipsi, sed homini utilem esse. Deus enim nostra servitute non eget; nos autem sine ejus dominio esse non possumus.*

Potentia obedientialis innata creaturis docetur obedientia

44. Hinc gravissimi quidam Theologi, inter quos Franciscus Suarez noster, & alii docuêre, cuilibet creaturæ, hoc ipso, quòd creatura est, innatam esse potentiam obedientialem, quam nil aliud esse definiunt, quam ipsam rei entitatem, ut respicientem Deum tanquam supremum Agens Motorémque per imperium. Hinc S. Ambrosius lib. 4. de sacr. c. 4. ostendere volens verbis consecrationis Christi panem in corpus, vinum in sanguinem Salvatoris converti átque transubstantiari, probat id verbo *Fiat* ipsius Creatoris, per quod facta sunt omnia: *Ergo,* inquiens, *sermo Christi hoc conficit sacramentum, quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus & factum est cœlum, jussit Dominus & facta est terra, jussit Dominus, & facta sunt Maria, jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini JEsu, ut inciperent esse, quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.*

45. Quare Salomon prodigia illa omnipotentia summi hujus Motoris

dientia urarum DEum it in pla- Ægypti.

toris in terra Ægypti ad populum Israeliticum de Tyrannide Pharaonis liberandum recensens, ait: eum in suis creaturis velut organo variis constante fistulis quasi lusisse. *In se enim dum elementa convertuntur*, inquit Salomon Sap. 19. 17. *sicut in Organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt.* Idque probat exemplis rerum sub aspectum cadentium, quæ ad actiones præter naturam summi Motoris imperio elevabantur. *Unde*, inquiens, *æstimari ex ipso visu certè potest. Agrestia enim in aquatica convertebantur, & quæcunque erant natantia, in terram transibant. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur; flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facilè dissolvebatur sicut glacies, bonam escam.* Quæ verba expendens Lyranus ea paraphrasi non ineleganti exposuit: *Hic ponitur*, inquit, *punitionis Ægyptiorum mirabilis modus, elementis DEO obedientibus: Ideò dicitur: In se enim dum elementa convertuntur, mutando videlicet modum suum agendi ex præcepto DEI, sicut in instrumento Musico, qualitatis sonus immutatur secundum voluntatem modulantis, qui modo percutit unam chordam, modo aliam & eandem, modo fortiùs, modo remissius; & omnia sonum suum custodiunt secundùm dispositionem modulantis: ita mutatur actio creaturæ in Ægyptiorum punitione secundùm dispositionem Creatoris. Unde æstimari ex ipso visu certò potest: id est, hoc apparebat sensibiliter. Agrestia enim, animalia in agris habitantia, ut boves & jumenta, in aquatica convertebantur, non secundùm substantiam, sed ambulationem, quia per fundum maris tanquam pisces perambularunt. Hebræi enim sua animalia secum de Ægypto eduxerunt, quæcunque natantia, in terram transibant gradiendo, quales erant ranæ intrantes domos Ægyptiorum. Ignis in aqua valebat, fortiter comburebat supra suam virtutem naturalem; nam grando & ignis, pluviæ & fulgura discurrebant per Ægyptum, & unum contrarium non impediebat aliud, sed magis in sua actione exacuebat, Flammæ è contrario corruptibilium animalium (serpentium & Draconum ignem spirantium, non vexaverunt carnes coambulantium) filiorum Israël simul ambulantium per desertum, in quo erat serpens flatu adurens* Deut. 8. *Nec flatus hic adurens dissolvebat escam illam, videlicet Manna, nec reliquos Hebræos lædebant supremi Dominatoris impediti auctoritate. Ex quibus Primi superníque Motoris variis in suis creaturis lusibus intelligemus, quàm aptè æterna locuta sit sapientia* Prov. 8. *Cùm eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.*

turæ sunt anum

Humanitas Christi fuit per obedientiam Organum omnipotentiæ divinæ.

46. Neque verò solùm supernus Artifex in puris lusit creaturis, tanquam suæ Divinæ Omnipotentiæ, uti vidimus, instrumentis, mirabilia in illis etiam præter naturæ ordinem operando, lusit etiam in humanitate Christi Verbo hypostaticè sociato, tanquam instrumento nobilissimo, Organóque concinnissimo ac suavissimo, quo increata ludendo sapientia tot támque insignia omnem naturæ ordinem transcendentia perpetravit miracula, ac prodigia. Unde Suar 3. Par. Tom. 1. Disp. 31. sect. 2. & 3. Greg. de Valentia Disp. 1. q. 13. punct. 2. cum schola D. Thomæ, aliisque Theologis asseverat sacratissimam Christi Humanitatem fuisse non tantùm mo-

morale, sed etiam Physicum instrumentum, tam respectu miraculorum, quàm respectu justificationis hominum; cùm ea non modo prece & oratione ad Patrem fusa, quod ad potestatem moralem pertinet, verùm etiam voce, contactu, divinóque imperio, quod ad physicam spectat potestatem, perpetrata sint. Humanitas enim per potentiam obedientialem ab ipsa Divinitate hypostaticè copulata ad supernaturales hujusmodi edendos effectus elevabatur, eíque vim tanquam instrumento sibi unito ac subjecto Divinas actiones designandi tribuebat.

47. Hoc pulcherrima nobis similitudine declaravit Euthymius cap. 19. in Lucam, ubi Humanitatem Christi Verbo, quod ignis consumens est, sociatam, Filiúmque viduæ, tangendo manibus loculum, & voce à mortuis excitantem ferro ignito, & candenti conferens, ita loquitur: *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquanto tempore permansit, habet ignis operationes, ita quoque sancta illius caro Divinitati unita, quæ Divinitatis sunt, operabatur: Ideò manus quidem mortuum, ac desertum corpus conjunxit, vox autem recedentem animam revocavit.* Quòd porrò intelligat Humanitatem instrumentum Physicum & non morale extitisse, Divinitatis, ex iis, quæ mox annectit, intelligimus: *Siquidem Propheta Elias Filium Sareptanæ viduæ suscitavit; sed deplorando ergaDEum, ipsúmque deprecando. Et Propheta Elisæus filium sunamitidis, sed extensus super eum totus super totum: Hic verò tangens solùm ac jubens statim excitavit.* Quibus verbis indicat Humanitatem Christi non fuisse morale instrumentum ad perpetranda miracula oratione, & supplicatione, uti fuêre Prophetæ sancti, sed Physicum propria illa potestate, quæ data illi divinitus fuerat in cœlo & in terra.

Humanitas Christi est ignis, & instrumentum physicum Dei ad miracula.

Ad quod declarandum voluit Dominus in figura, ostendere quod olim re ipsa facturus erat in Humanitate Filij, ut corpus mortuum Elisæi vitam cadaveri restitueret, ut habetur 4. Reg. 13. ubi sic legimus: *Quidam sepelientes hominem projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi, quod cum tetigisset Ossa Elisæi, revixit.* Elisæum porrò figuram fuisse Christi exploratum est, idque probat Salianus noster in Annal. veteris testamenti l. 4. Reg. quis autem dicat de mortui hominis ossa morale esse tanti miraculi Instrumentum, cùm causa moralis deprecando operetur, quod ossa arida præstare neutiquam possunt. Fatendum igitur illa Physicum esse debuisse Instrumentum, Humanitatem Deificatam Christi repræsentantia, quæ virtute Divinitatis per potentiam obedientialem elevata admiranda virtute quæque operata est. Hinc S. Athanasius lib. 4. contra Arian. & S. Joann. Damascenus lib. 3. de fide Orthod. cap. 15. Humanitatem illam Domini sacrosanctam Organum Instrumentúmque Divinitatis cum aliis etiam Patribus appellare non dubitavit. Non potuisse autem Organum, & Instrumentum esse morale, sed physicum clarum est: Cùm Instrumentum supponat causam principalem ejusdem generis, cujus est Instrumentum. Causa autem hæc principalis, nempe DEus non possit esse moralis & meritoria, siquidem hæc supponit superiorem à quo debeant merendo impetrare. Quis autem Deo superior, qui est à se, à nullo penitus dependens, & omnia alia habens à se dependentia. Humanitatem denique Salvatoris Instrumentum esse physicum Divinitatis ostendit S. August. Tract. 24. in Joannem, ubi considerans admirandam illam 5. millium hominum de 5. panibus saturationem, Potestati ma-

ci manuum Christi totum illud assignavit miraculum. *Unde*, inquiens, *multiplicavit de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi, panes autem illi 5. quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.*

48. Fatendum tamen est cum Patre Francisco Amico nostro Doctissimo Theologo To. 6. Disp. 22. n. 25. probabile esse Humanitatem Christi morale etiam fuisse instrumentum impetrando suis immaculatis precibus hujusmodi miraculorum perpetrationem. Hinc & S. Joannes & S. Evangelistæ Matthæus & Marcus ante panum hujusmodi multiplicationem referunt, Christum gratias egisse; qua sine dubio gratiarum actione etiam Patrem deprecabatur, ut daret escam turbis illis in eum sperantibus in tempore opportuno, aperiret manum suam, & impleret omnes benedictione. Qua miraculi sicut & reliquorum impetratione ostenditur mira ac specialis Incarnati Verbi dignitas nulli naturæ communicabilis, eò quòd meritò de condigno, uti loquuntur Theologi, beneficium hoc aliásque gratias impetraverit. Quod sanè meritum indicat nobis valorem infinitum personæ merentis & impetrantis, infinitum valorem suis actionibus omnibus ac deprecationibus, cùm fuerint theandricæ, tribuentis.

Ut moralis.

49. Cùm igitur creaturæ omnes etiam sensu & ratione carentes, ipsi nobilissimi Hierarchiarum Angelicarum Spiritus, ipsa Virgo Deipara, ipsa sacratissima Christi humanitas Deo subdita & subordinata ad obediendum primæ Motrici Divinitati expeditissima semper extiterit, dignum sanè est; ut nos vermiculi, pulvis & cinis divinæ semper obtemperemus voluntati, monitúmque illud sapientissimum sapientissimæ Virginis nostræ alta mente reponamus: *quodcúnque dixerit vobis facite.* Quod pronunciatum de ore illo benedicto proveniens cum attentiùs considerasset Venerabilis Rich. à S. Laur. lib. 4. de laudibus B. V. aptissimè dixit: *Hominibus dedit B. V. sufficientem instructionem. Ecce verbum consilii quo docemur ad divinæ voluntatis impletionem alios quoque quantum possumus invitare. Hoc est enim consilium sanctorum, sicut dicit Glossa ibi: DEus qui glorificatur in consilio sanctorum.* Hæc Rich.

Obediendu nobis necessaria.

50. Sed ad Domicellam illam sanctam obedientiam videlicet cum Deipara assiduè conversantem, eámque ad obsequendum Deo quàm expeditissimè exhortantem Sanctus censuit Bernardinus redeamus. Virtus hæc Divinissima prius Virginem spiritu Dei Matrem effecit, quàm esset corpore siquidem, hac suadente jam pridem, à primo immaculatæ conceptionis momento fecit voluntatem Patris séque creaturam de nihilo conditam agnoscens mox sese supremæ subdit potestati. Præviderat fortassis, quod olim increata erat dictura sapientia: *quicúnque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror, & Mater est.* Matth. 7 adeò ut de ea vaticinatus fuisse visus sit Isaias cap. 62. 4. eique voce Domini dixisse. *Non vocaberis ultra Derelicta, & terra tua non vocabitur amplius Desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra Inhabitata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* Quibus verbis nobis innuitur Virginem, quæ antea ob Virginitatis votum videbatur quodammodo terra derelicta, sterilis ac desolata, nullum ex se proferens fructum, beneficio obedientiæ sanctæ, qua se Di-

Obedientia Mariam fecit Deiparam seu Matrem DEI.

 vinæ,

vinæ, Angelo mysterium Incarnationis annunciante, subdidit voluntati, evasisse terram inhabitatam, ab hospite nimirùm illo cœlesti, Verbo Divinissimo, quod ad terram hanc Virgineam descendens, evadénsque flos simul & fructus desolatam illam priùs ac desertam, fœcundam reddidit, eámque nomine præstantissimo ob singularis illius obedientiæ meritum: *Voluntas mea in ea;* decoravit. Audiendus hîc Guerricus Abbas serm. 4. de Assumpt. *Itáque Maria, quæ secundùm carnem Mater erat, alia quóque ratione, Matrem sibi JESUS probat; quandoquidem & ipsam voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsa prædiceret Pater; vocaberis; voluntas mea in ea. Itáque ubi eam ignorasse visus est Filius, cum videlicet dixit. Quæ est Mater mea, & qui sunt Fratres mei, ibi amplius honorasse invenitur, dum ei scilicet Materni nominis honor duplicatur, pro eo, quod eundem Filium, quem alvo gestaverat incarnatum etiam nunc animo gestaverat inspiratum.*

Maria Beatissima.

51. Idem piissimus Abbas serm. 1. de Assumpt. Virgineæ hujus terræ, ab æterno Verbo factam considerans inhabitationem, quantísque cœli donis ac gratiis tam hoc jucundissimum Virginis hospitium, quàm promptissimam ipsius præmiatus sit obedientiam, tantam tam magnifici Domini obstupescens liberalitatem, exclamavit: *Beati, quos elegisti Domine, habitabunt in atriis tuis, imò tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, throníumque Regni tui in eis collocabis. Sanè omnium Beatorum Beatissima est Maria; quæ de numero omnium electorum singulariter est electa, & prælecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi dicens* Ps. 131. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam alegi eam. Habitavit in ea novem mensibus, habitavit cum ea, & sub ea annis pluribus. Habitans in ea replebat singulari gratia charismatum, habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suavitate morum, & divinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem & in ea, & cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans satiat eam beatificantium gloria visionum: foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam Verbi glorificantis imprimens.* Quòd porrò Virgo illa dona tam eximia, imò & ipsam Virgineam fœcunditatem voluntatis suæ cum Divina conformatione, merita fuerit; idem devotissimus ostendit Abbas, dum apostrophè facta ad Deiparam sic eam alloquitur: *O Maria non vocaberis ait Dominus ultra derelicta, & terra tua non vocabitur ultra desolata; ut quia Virgo, ideò sis infœcunda sed vocaberis voluntas mea, id est, Dilectus Filius meus in ea, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim Juvenis in Virgine, & habitabit in te Filius tuus, imò inhabitabunt in te Filii tui. Quid hæreticè caput erigis? quid mysterium pietatis ad occasionem perfidiæ rapis? Unum quidem genuit, qui sicut unicus est Patri in cœlis: ita unicus est Matri in terris. Neque enim sicut tu blasphemas alios postea filios genuit: sed intemeratum manet, sicut signaculum perpetuæ Virginitatis in Matre; ita Sacramentum Catholicæ unitatis in prole. Ipsa tamen unica Virgo, quæ se Patris unicum genuisse gloriatur, eundem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniúmque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit Matrem se vocari non confunditur.*

52. Ex

Propter Obedientiam.

52. Ex quo piissimo tanti Patris discursu præclarissima Virgineæ obedientiæ intelligimus merita, utpote quæ, non modò gratiarum, charismatum, donorúmque omnium supernaturalium, & naturalium supra creaturas omnes consecuta sit plenitudinem; verùm etiam nomen illud nobilissimum nulli creaturæ hactenus ne quidem Angelicæ communicatum, videlicet: *Voluntas mea in ea;* Unigenitus nimirum DEI Patris Filius, ut interpretatus est Guer. qui sapienter *voluntas Patris* prædicatur, quia sicut Patris & Filij unica est essentia, sic etiam una eadémque voluntas, cui se se Virgo nostra conformando, in eam quodammodo transformari, ejusdémque domicilium purissimum atque dignissimum fieri meruit. In quo habitando Humanitatémque nostram de purissimis ejus visceribus ac sanguinibus, ope operáque Spiritus Sancti compositam, Dei assumendo Filius, Filius quoque factus Virginis, eam non modò suam, verùm etiam omnium Christianorum Matrem effecit.

Maria per humilitatem & obedientiam facta est domus DEI.

53. Quare jure merito dicere possumus Virgineum hoc Domicilium, quod increata illa Dei voluntas ac sapientia incolere, atque inhabitare non est dedignata, humilitate atque obedientia, aliisque iis cognatis virtutibus, velut lapidibus preciosissimis fuisse ædificatum. Hujusmodi enim hospitio mirificè Deum oblectari, illa ipsius apud Isaiam c. 66. 2. verba clarè indicant: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu.* Sive ut legit S. Aug. aliique Patres: *Super quem requiescet Spiritus meus? nisi super humilem & quietum & trementem verba mea.* Quæ verba idem Sanctus expendens August, Tract. in Psal. 92. ita loquitur: *Audi, quomodo describat ipsam sedem, videlicet ipsius Dei. Forte auditurus eras marmoratam domum, amplam, spatiosam, atriorum magnitudine, & fulgore tectorum? Audi quid sibi paret DEus: super quem requiescet Spiritus meus? super humilem &c. Ecce humilis esto, & quietus, ut in te habitet DEus. Altus est DEus, non in te habitat, si altus esse volueris; humilis esto, & tremens verba ejus, & ibi habitat, non timet trementem domum, quia ipse illam firmat.* Sic Augustinus.

Mariæ humilis obedientia exaltatur.

54. Unde complacentiam hanc Dei habitandi in humilibus, in pauperibus spiritu, in obedientibus Virgo beata agnoscens humilem se Ancillam, non Dei Matrem vocitavit, dum Canticum illud gratiarum actionis pro tantis Dei muneribus modulata est, *Quia respexit*, inquiens, *humilitatem Ancillæ suæ.* Quia verba sapientiæ cœlestis plenissima Rutilius Benzon. Episc. Lauret. lib. 2. cap. 16. dub. 6. in magnificat expendens, cum quæsiisset cur non dixerit: *Respexit humilitatem Matris; sed Ancillæ suæ;* Respondit: *Ut ostenderet, se magis gloriari in obedientia, & paratissimo consensu, quem sine mora exhibuit Deo, quàm in titulo Maternitatis.* Quare meritò doctissimus ille Theologus Gabriel Riel sermone quodam de B. V. Exinanivit, inquit, se DEI Mater exemplo Filii formam Ancillæ, accipiens, propter quod & DEus exaltavit illam, & donavit illi nomen, quod est super omne Nomen, post Nomen Filii, Nomen scilicet quod diceretur Mater Dei & Virgo.

Maria domus DEI amplissima per humilitatem & obedientiam effecta.

55. Itáque licet Virgo ob humilitatem, paupertatem Spiritûs, modestiam, obedientiam, aliásque præclarissimas virtutes, quibus divinitus decorata extitit, domicilium quoddam humile atque angustum, pro tam immensæ Majestatis, quam tanta creaturarum comprehendere nequit universitas, habitatione esse

videretur, erat tamen charitatis illius, quæ facit idem velle, idem nolle cum Dilecto, illius, inquam sanctæ obedientiæ individuæ sociæ, amplissimis ac penè immensis spatiis dilatatum, in quo summa cum voluptate supernus Rex, suas sibi cum filiis hominum delicias habiturus commorari non est dedignatus. Quare jure merito Guer. serm. 3. de Assumpt. Domicilii hujus sive Regalis palatii Deo dignam admiratus nobilitatem ac præstantiam quasi à se alienatus in illud prorupit epiphonema: *O Humilitas Angusta tibi, ampla Divinitati, pauper & insufficiens tibi, sufficiens ei, ei quem non capit orbis; copiosè ac deliciosè reficiens illum, qui & Angelos pascit, super quem, inquit, requiescentem, nisi super humilem? In omnibus requiem quæsivi, sed apud humilem Ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis; ideò in plenitudine humilitatis requievit etiam corporaliter omnis plenitudo Divinitatis, quanquam aliter requieverit in Filio quia etsi Mater humillima, longè tamen Filius humilior. Idcircò Spiritus Septiformis non solùm super ipsum requievit, sed etiam in omnibus, qui mites & humiles ab eo esse didicerunt, diversas in eis sibi fœlicissimæ quietis mansiones præparavit, imò ipsos totos quoddam aureum fecit reclinatorium ad quiescendum.* Hæc Gueri.

Maria Reclinatorium Dei.

56. Quòd si in justis humilibus, quietis Divinæ voluntati obtemperantibus, charitate Divinâ ferventibus aureum sibi, ad jucundè in eorum animabus quiescendum quoddam reclinatorium increata illa præparavit sapientia: quantò magis in Virgine sacratissima, quæ humilitatis, obedientiæ, charitatisque virtutes arctissimo nexu sociatas in eminentissima perfectione obtinuit. Verissimè enim pronunciavit Bern. in serm. brevibus serm. 25. *Per obedientiam humilitas*, addiderim ego, & ipsa charitas *acquiritur;* & hæc est virtus, quæ animam perfectè DEO subditam sub umbra alarum ipsius facit securè vivere; atque adeò ipsius DEI reclinatorium evadere, uti evasit & ipsa sanctissima Deipara.

57. De hac Spiritus Sanctus in Canticis c. 3. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, Columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit.* Quibus verbis sub nomine Lectuli, sive feretri genialis Deiparam Virginem pervenustè nobis ob oculos proposuit. Ipsa enim verè est Ferculum sive vehiculum Filii Dei, variis virtutum decoratum ornamentis, ac præsertim charitatis pyropis illustrissimum. De Ferculo hoc Venerabilis Rich. à S. Laur. lib. 10. de Laud. B. V. *Ferculum hoc designat Mariam, quam fecit sibi Salomon de lignis Libani, de candore videlicet puritatis. Hæc ligna Libani sunt fortia per patientiam, celsa per sapientiam, speciosa per temperantiam, odorifera per famam, imputribilia per perseverentiam, candidata per innocentiam, & omnimodam puritatem. Atque ita Virgo, tota, non modò humilitate, atque obedientia, verùm etiam hisce jam commemoratis, aliisque innumeris virtutibus, composita fuisse in usum increatæ illius sapientiæ videbatur. Ipsa quoque est reclinatorium aureum tanta tamque divina arte, inter omnia exquisitissimâ infinitæ Dei omnipotentiæ opera elaboratum, ut nil pulchrius, nil ornatius in hac rerum Universitate reperiri posset.* O quam venustè de hoc reclinatorio Virgineo pronunciavit B. Petrus Card. Dam. ser. de Annunc. B. V. *Cùm fecerit Deus omnia opera sua bona valde, hoc melius fecit, consecrans*

Maria Lect. [illegible]

trans in ea sibi reclinatorium aureum, in quo sola se Suprema Majestate post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inveniret. Hoc est, quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupescit cœlum, extremit terra, Infernus exhorret.

Maria Vitis. 58. Quòd si Regularis & perfecta obedientia secundùm Hugonem de S. Vict. Miscell. lib. 1. Tit. 73. Est vitis abundans, sub cujus umbra requiescere jucundissimum est: Et qualis Vitis erit obedientia Virginalis, & ipse purissimus ejus Uterus in quo Botrus ille Cypri dilectus nempe illius Filius, fructus dulcissimus, qui tanquam de Vite, novem mensibus in ea commorando, eique adhærendo pependit. Virginea hæc Vitis amœnitatem suam præclarè descripsit, cum dixit: *Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Eccl. 24. Undè quid mirum si Deus Filius suavissimorum ipsius florum nempe virtutum odore, fructuum dulcissimorum, bonorum videlicet operum, ubertatate delectatus sub ipsius quasi umbra commorari ac conquiescere non fuerit dedignatus? Quare omnes ipsius Clientuli, ac præsertim Religiosi, ipsius benignissimam invitationem audiant: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me*, videlicet honorare, ut interpretatur Hugo Card. de S. Caro. Ubi etiam addit: *Transite ad me, omnia, quæ sunt mundi transiliendo sicut cervus ad fontem aquarum properans. Ipsa enim est Fons signatus. Puteus aquarum viventium. Transite, inquam, ad me, & a generationibus meis bonis operibus implemini. Q. D. qui volunt me honorare, studeant in obedientia præsertim me imitari.* Ejus obedientia imitanda. *Hæc est enim vera Virginis veneratio, ipsius imitatio.* Ita Hugo.

59. Et licet omnibus his jam memoratis eximiis virtutibus, dignissimum Dei Filio ad habitandum domicilium Virgo præparaverit, præparâsse tamen potissimùm videtur obedientiâ, quam ita in amoribus habebat, ut ipsa obedientia virtutum moralium Regina videretur. Obedientia Deiparæ. Quemadmodum sacratissimũ Christi Corpus, quo velut organo ad jussa Patris æterni exequenda, dum in terris versaretur, utebatur, ob ardentissimum ad vocem Divinam audiendum, ac mox effectui mandandam desiderium, totum Auris esse videbatur; ita quóque Virgo ipsa velut studiosissima in omnibus Dilectissimi Filii imitatrix. Maria auris propter obedientiam. Unde S. Paulus Hebr. 10. 5. ita Christum alloquentem Patrem in visceribus Matris se se formantem introducit: *Corpus autem aptasti mihi*, quam sententiam David Psal. 39. 7. ita reddidit: *Aures autem perfecisti mihi.* Hoc est, ut interpretatur Hugo Card. de S. Caro: *Obedientiam dedisti mihi.* Quibus verbis indicavit Salvator corpus illud sacratissimum, quod de purissimo Virginis Matris obedientissimæ traxit utero, totum Aurem quandam ad Divinâ jussa obaudienda ac perficienda extitisse. Totum enim corpus illud obedientiæ Virginalis, quâ Angelo Divinam voluntatem sibi annunciavit, obtemperavit, fructus fuit; Imò & ipsa Virgo ob tam sedulam Deo obsequendi studium, tota Auris fuit. Sicut enim solicitum quempiam ad discurrendum, totum pedem esse diximus; sic ad dictis obaudiendum promptum, expeditúmque totam Aurem denominamus.

60. Hinc devotissimus Virginis Richar. à S. Laur. lib. 7. de Laud. B. V. part. 2. ostendens illam, pro insigni illo quo fertur in mortales omnes affectu, toto corde ac opere, membris ac sensibus nobis deservîsse, addit illam peculiariter auribus ita se se in humani generis servitium Maria auris Dei.

impendisse, ut tota auris ad parendum Divinæ voluntatis imperio esse videretur. Unde illam ipsam quasi Dei Aurem vocitare non dubitavit. Sed ipsius Richardi verba audiamus: *Indagemus*, inquit ille, *quomodo Maria jugiter nobis servit indignissimis, & ingratis, licèt id capere mens humana, licèt id lingua hominis, quantumcúnque sit eloquens, non sufficiat enarrare. Tale enim scrutinium valdè necessarium est, ad humiliandos nos, cùm etiam homo justissimus respondere ei non valeat saltem unum pro mille, Job. 9. Servivit igitur illa vobis inprimis ex corde, siquidem ex corde B. V. processerunt fides & consensus, per obedientiam præstitus, per quæ duo mundi salus initiata est, & ipsum ejus cor præ omnibus creaturis dignum inventum est, quod exeuntem de corde paterno primò susciperet Unigenitum Dei; quando scilicet cor Patris eructavit Verbum bonum, quod de sinu Patris egrediens, in sinum Matris Virginis se recepit. In eodem corde, purissimóque utero misericordia & veritas sibi obviaverunt, cum Divina justitia Paci porrigeret osculum salutare. Auribus nobis Virgo servivit, tum auditu simplici ad nostram salutem nuncium suscepit, salutationem Gabrielis, Aue gratia plena. Ab auditu ipsius initium sumpsit reparatio nostra; intravit remedium, unde morbus irrepserat, eisdémque vestigiis vita mortem secuta est; lux tenebras, veritatis antidotum, serpentis antiqui mendacium venenatum; & Vitæ Janua factus est Auditus per quem intraverat Mors in mundum. Atque ita,* ut loquitur S. Ireneus 3. cont. hæres. cap. 33. *Captivus factus homo condemnationis vinculis; Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ dicentis: Ecce Ancilla Domini &c.* Tum ut ostendat Richardus Virginem obedientiá suâ totam esse Aurem nobis deservientem, nostras ad Deum preces ac supplicationes suscipientem, ita prosequitur: *Per auditum Mariæ nostro auditui gaudium, & lætitia promittuntur. Unde dicimus Christo ejus Filio* Psal. 9. *Præparationem cordis eorum, humilium videlicet, audivit auris tua; id est, B. Virgo, quia ea mediante, pauperes exaudis, sicut homo mediante aure sua.* Hæc ille.

61. Quare idem Richard. Partic. 3. docens, quomodo nos pientissimis hisce amantissimæ Matris in nos obsequiis correspondere, & par pari referre debeamus, vult, ut illi obedientiam nostram deferamus, ex qua mirificos spirituales animæ nostræ fructus percepturi sumus: *Mariæ*, inquit ille, *debemus obedientiam. Unde ipsa promittit* Eccl. 24. *Qui audit me non confundetur.* Ubi Glossa: Audit. i. obedit. *Quasi dicat, qui audit me studendo propriæ informationi sive instructioni per verborum meorum auditum, eorúmque investigationem, non confundetur per auditum illum verbi asperi: Ite maledicti. Non confundetur mala confusione, qua soli impii confundentur in judicio Filii mei, quia adstabo pro eo. Obedientibus enim Matri dicturus est Filius: Venite benedicti. Non confundetur denique, qui audit me meo consilio acquiescendo, de quo dicitur* Eccl. 21. *Consilium ejus quasi fons vitæ permanet, id est, quasi fons vivus semper scaturiens, innumerabilium bonorum tam spiritualium, quam temporalium rivulos, quibus humana vita tam secularium, quàm Religiosorum, ad instar prati vel hortuli irrigata ac fœcundata suavissimos variarum virtutum & Theologicarum, & Cardinalium, ac denique Moralium, humilitatis, paupertatis, patientiæ, obedientiæ,*

Obedientia nobis exhibenda Deiparæ.

tiæ: modestiæq́ flores, uberrimos sanctarum operationum fructus proferre consueverunt.

Maria favet obedientibus.

62. Notat porrò Sapienter Richardus, quod B. V. in verbis illis: *qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt;* tribus hominum generibus sibi obtemperantibus retributionem polliceatur, nempe, devotè verba sua audientibus; sedulò gloriosa ipsius exempla imitantibus, hi enim in illa, ad exemplum videlicet ipsius, operantur ejus exempla pro fundamento suarum actionum supponendo, ac deníque gloriosas ipsius laudes deprædicantibus; hi enim verè in ejus honorem & gloriam operando non peccant, sed potius Angelicam quandam vitæ morúmque puritatem, integritatémque, nec non pacem, quæ exsuperat omnem sensum, adepti, æviternam illam Beatitudinem delibare consueverunt adeò, ut verissimè ipsa Virgo nostra amantissima in æternæ sapientiæ persona dixerit: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Mariæ obedientes non confundentur.

63. Audiamus deníque Hugonem Card. de S. Caro, Virginis eadem verba illa saluberrima, imis cordis fibris ad nostram eruditionem, spiritualémque in virtutibus profectum exsculpenda interpretantem: *qui audit me, non confundetur. Quasi dicat,* inquit ille, *qui credit consilio meo, quale est illud Joannis 2. Quodcunq́ dixerit vobis, facite; sic enim faciendo nullus confundetur mala illa confusione, qua soli impii confundentur.* Idem Hugo aliam interpretationem subnectit, quæ jure merito nos ad B.V. quam creberrimè, maximóque, quo fieri potest affectu Angelica salutatione venerandam excitare átque inflammare debet. Sic igitur ille: *qui salutans me audit me resalutantem, non confundetur, non erubescet, quia à me resalutatur,* quod quàm verum sit, proprio experimento didicit S. Bernardus, qui Iconem Virginis Affligemii & spiræ salutans, *Ave Maria, Salve Regina.* audire meruit, *Salve Bernarde,* simúlque lac purissimum benignissimæ Virginis degustare, ut alibi fusiùs diximus. Nempe Filius Virginis morum puritate atque innocentiâ erat Bernardus, proinde maternum illum affectum Divinæ Matris experiri dignus fuit. Undè præclarè prosecutus est idem Hugo: Non enim quemlibet salutat B. V. sed qui eam dignè salutat; quales sunt ipsius fideles Clientuli ac cultores seduli ipsius virtutum imitatores, hos illa tanquam pia Mater fovet, & nutrit, & præservando à peccatis in sanctitate, vitæque candore conservat. De his illa loquitur: *Et qui operantur in me, non peccabunt,* ut interpretatur idem Cardinalis, *qui colunt me, in peccato non peribunt,* ut patuit in Theophilo. Nimirum *B. V. est quasi Vinea, in qua tot vites sunt, quot virtutes,* ait idem Hugo, *Et quidam colunt sive operantur in me humilitatem, alii Virginitatem, alii pietatem & sic de aliis.* Addamus nos, aliquos ejus colere obedientiam, in eáque sese exercendo strenuè, strenuos se ostendere operarios. Hi porrò, qui fieri potest, obsecro, ut in tam sancto opere perfecta obedientiæ, quod totum hominem in anima cum suis potentiis intellectûs, & voluntatis, memoriæque, in corpore cum membris omnibus, ac sensibus occupat, quî fieri, inquam, potest, ut peccent, ut aliquod DEI præceptum, quod est Divinæ voluntatis regula, transgrediantur? cum virtus hæc præstantissima tota in eo sit, ut hominem totum in anima, in corpore, Divinæ subjuget ac conformet voluntati, ut nil penitus velit aut nolit, nisi quod supremum mun-

Maria vinea.

di Dominum velle, aut nolle cognoverit.

Imitanda Deiparæ obedientia, humilitas, charitas.

64. Quocirca quisquis carnis, mundi, dæmonísque laqueos, qui peccata sunt evadere, & vitam suam sanctè, ac piè instituere, Deóque placere desiderat, obedientiam hanc Virginis tanquam dilectissimam sponsam, maximo quo potest cum reliquis ipsi cognatis virtutibus humilitate, atque charitate, amplectatur affectu. Præclarè enim Joannes Taulerus Ord. Prædicatorum Doctor illuminatus serm. de Nat. B. V. obedientiæ, inquit, perfectissimum in gloriosa, Divináque Virgine Maria exemplum habemus. Qua virtute aliísque jam memoratis sic illa summam sibi apud supremum Numen conciliavit benevolentiam, sic & nobis eamdem conciliabit. Unde S. Brigitta lib. 1. Revel. cap. 42. sic illam loquentem de hisce pulcherrimis ornamentis introducit:

In his 3. maximè Deo placuit Maria.

Ego habui tria, quibus placui Filio meo. Humilitatem, ut nulla creatura, nec Angelus, nec homo esset me humilior. Secundo habui obedientiam, quia studui Filio meo, in omnibus obedire. Tertio habui præcipuam charitatem; ideò & tripliciter honorata sum à Filio meo. Nam inprimis facta sum Angelis & hominibus honorabilior, ita ut nulla sit virtus in Deo, quæ non refulgeat in me, licet ipse sit fons, & omnium creator. Ego autem sum creatura ejus, cui gratiam suam concessit præ cæteris. Deinde pro obedientia tantam potestatem obtinui, ut nullus tam immundus peccator sit, qui si ad me cum emendationis proposito & corde contrito convertatur, quin veniam consequatur. Denique pro charitate illa mea sic appropinquat Deus mihi, ut qui videt DEum, videat me, & videndo me, Deitatem & Humanitatem videre potest in me, & me in Deo. Quibus verbis indicat Virgo nostra, se obedientiæ, charitatísque beneficio idem volendo aut nolendo, quod DEus, perfectissimam quandam in Deum nactam fuisse transformationem. Unde mirificam quandam in Divinam voluntatem suam illi subjiciendo, se nactam fatetur esse potestatem, ut quantumvis fœculentissimis peccatoribus ipsius misericordiam, auxiliúmque implorantibus Numen propitum reddat, eisque delictorum suorum veniam impetret. Quæ sanè vel sola cognitio animos nostros ad voluntatem nostram cum illâ suprema conformandam quam promptissimè promovere deberet, ut ita exactissimam illam Deiparæ obedientiam æmulantes potestatem quandam, ad ipsius Filiíque dilectissimi inclinandam voluntatem, ut nobis misereantur, criminúmque nostrorum relaxationem tribuant, nanciscamur.


Obedientia seu conformitas cum Divina voluntate in hac vita beat.

65. Hinc uberrimos hujusce sanctæ obedientiæ fructus esse intelligens Virgo beatissima, cupiensque suos clientulos, illis perfrui, eos omnes ad obediendum in sua consectanda vestigia, viásque ipsius ingrediendas dulcissimis illis increatæ sapientiæ verbis hortatur Prov. 8. *Nunc ergo Filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.* Ut porrò nos magis ad hanc voluntatis nostræ cum Divina conformationem inflammet beatitudinem quandam inchoatam etiam pro præsentis vitæ statu eis pollicetur; *Beatus*, inquiens, *homo, qui audit me*, id est, obedit, *& qui vigilat ad fores meas quotidie*, ut meam, meíque Filii voluntatem mane præsertim, cùm precibus *prævenitur sol ad benedictionem Dei, & ad ortum lucis adoratur;* Sap. 16. 28. exquirat, & *observat ad postes ostii mei*, ut in mea humilitatis obedientiæ omniúmque vir-

virtutum schola magnos progressus faciat. Hujusmodi enim homo hic adhuc, dum in hoc exilio, in hujus ærumnosæ vitæ miseriis commoratur, fructus beatæ illius vitæ nullo unquam fine terminandæ, favore benevolentiâque Virginis prægustabit, perfectissimúmque suorum desideriorum nanciscetur complementum. Unde Virgo prosequitur: *qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*, dum videlicet ab ubertate domûs Dei identidem inebriabitur, & torrente voluptatis potabitur, colligendo micas quæ de magna illa opiparáque maximorum illorum Dominorum, mundíque totius Principum JESU & MARIÆ mensa in terram nostram cadunt; quas illi nobis liberalissimè pro innata sibi benignitate impertiuntur, reputantes esurientium animarum nostrarum, hujusmodi cœlestibus bonis ac deliciis refectionem, maximum esse gloriæ suæ accidentalis incrementum. Quapropter quisque nostrûm ad supernam illam adspirans in hoc exilio beatitatem ad summum cœli Regem Christum, Reginámque gloriosissimam Mariam dicere jure poterit, quod Gudelinda Regina Italiæ Theodoræ Augustæ scribens apud Cassiodorum lib. 10. Variarum Lect. c. 21. pronunciavit: *Quid gratius, quam si gloriæ vestræ videar charitatis participatione sociari? Ut quia vos abunde fulgetis, nobis de proprio splendore impertiamini; cùm damnum non est lumini, alteri de sua charitate largiri. Fovete desideria nostra, quæ cognoscitis sinceritate præcipua. Gratia vestra per omnia nos regna commendet. Debetis enim nos claros reddere, qui de vestra volumus luce fulgere.* Sic illa. Et verè summi illi cœli Principes debent nos hic gloriâ suâ claros reddere, qui tantopere desideramus, de lumine eorum gloriæ in hac vita fulgere. Cùm benignissima eorum hujusmodi sit natura, quæ eos, utpote summè bonos ad summè sese, suáque bona, gratiásque nobis communicandas exstimulat. Dum igitur ad lautissimam hanc æternæ felicitatis hi cœli Principes assident mensam, & cum justis epulantur in lætitia & exultatione, pulsemus tanquam pauperes, ac mendici ad portas illas cœlestes, ut aperiant nobis, & postulemus aliquas micas saltem hujus tam splendidi convivii impertiri dignentur. Pulsemus, inquam, & instanter petamus, ac quæramus istorum benignissimorum Dominorum, ac cœli Principum gratiam. *Qui* enim, ut ipsa ait æterna veritas, *quærit, invenit, qui petit, accipit; & pulsanti aperitur.*

[margin: ...terna Beatitudo per intercessionem Deiparæ petenda]





DISCURSUS VIGESIMUS SECUNDUS.

VIRGO DEIPARA ELEPHANTE FIGURATA.

Collum tuum sicut turris Eburnea. Cantic. 7. vers. 4.

1.



Onsideratis hactenus terræ ac Paradisi Arboribus, plantis, ac floribus, quæ suis proprietatibus aliqua ex parte gloriosissimã Virginem Dei Matrem adumbrant, restat, ut aliquas terrestres creaturas, quæ ejusdem Virginis repræsentare videntur indolem ac naturam consideremus. Inter has celebris est Elephas, de quo Plinius lib. 8. Natur. Hist. cap. 1. *Maximum animal est Elephas, proximúmque humanis sensibus, quippe intellectus illi sermonis patrii: Et imperiorum obedientia officiorúmque, quæ didicêre memoria; Amoris & gloriæ voluptas: imò verò (quæ etiam in homine rara) probitas, prudentia, æquitas; Religio quoque, syderum, solisque ac lunæ veneratio. Auctores sunt, qui dicant, in Mauritaniæ saltibus, ad quemdam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente luna novâ, greges eorum descendere, ibique se purificantes solenniter aquis circumspergi, atque ita salutato sydere in sylvas reverti. Visi sunt fessi ægritudine (quando & illas moles infestant morbi) herbas supini in cœlum jacientes, velut tellure precibus alligatâ. Quod ad docilitatem attinet. Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Hæc Plinius. (Elephantis natura.)

2. De docilitate, prudentiâque Elephanti mira quóque scribit Ælianus passim suis in libris de animalibus, præsertim verò lib. 13. cap. 22. Elephantus, inquiens, Indorum Regem ad forum euntem primus adorat, id quidem facere edoctus; nec hoc officium vel recusat, vel obliviscitur. Huic adest Rector qui eum instituti commonefacit, ipsíque memoriam disciplinæ instrumenti, quo illum moderatur, harpe pulsu atque voce, Indorum propria renovat, cujus, naturâ quadam admirabili recondita, Elephanti intelligentes sunt: tum etiam motus quosdam bellicos edit, velut ostendens, quod hanc etiam disciplinam servet. Viginti quatuor Elephanti huic Regi permanent custodes alternis vigiliis, alii aliis in stationem succedentes tanquam cæteri custodes hominum. Sapientiâ item quadam Indicâ ad vigiliarum disciplinam erudiuntur, ne inter custodias somnum capiant. Atque ita Elephanti ad vigilias agendas (Ejus docilitas, prudentia.)

das præstantissimi excubitores, & à somno invictissimi, & ut homines fidelissimi illic sunt. Idem lib. 1. c. 38. hæc de Elephanto habet: Mulieris formâ, hoc animal capitur, atque hebescens ad ejus pulchritudinem, remittit furorem animi sui. Rivalem verò fuisse in Ægypti urbe Alexandria Elephantum ferunt Aristophanis Byzantini de quadam muliere coronas texente. Omnia bene olentia amat, unguentorum & florum odore permulcetur, de eodem Elephantorum in mulieres amore idem Ælianus lib. 7. cap. 43.

Humanitas & quasi religio,

3. Ut porrò Elephanto humanitatem & Religionem quandam inesse ostendat lib. 5. de Animalibus cap. 49. ita loquitur: Elephantus cùm alterum perspexerit mortuum non præterit, quin humum promuscide haustam, velut sancta & mystica quadam ceremonia injiciat, communem naturam miseratus, mortuo parentans, ut ne aliquid impiè committat, nam hoc quidem ipsum non facere execrabile ducit. Quandóque ad hoc nefas vitandum satis est ei vel ramum injicere; quo facto abit, communem omnium finem non aspernatus. Ad nos etiam is sermo permanavit, Elephantos cum ex vulnere, sive id in bello, sive in venatione acceperint, vicini sunt ad moriendum, aut obviam herbam aut proximum pulverem pedibus allevantes in cœlum suspicere, eúmque pulverem, herbamve jacere, & simul voce sua lamentari, & miserabiliter supplicare tanquam DEum ob ea, quæ injustè, & indignè sustinent, obtestantes.

4. Idem deníque Ælianus ut Elephantorum Religionem in solem & Lunam simul, & Sapientiam ostendat l. 7. c. 44. Exorientem inquit, solem Elephanti venerantur, promuscidem tanquam manum adversùs solis radios allevantes, itáque hos ei charos esse, & egregiè diligi Philopater Ptolomæus, testis est locuples. Ergone DEum Elephanti venerantur, homines autem rationis participes, sitnè DEus, necnè sit, dubitant? Tum si sit, humanasnè res curatione, & administratione dignatur? De eorundem in Lunam religione ac veneratione lib. 4. cap. 10. sic loquitur: Ab interlunio recrescente Luna, Elephantes audio quadam naturæ recondita notione ex sylva primum ubi pascuntur ramos decerpere, eósque deinde sublimes ferre, tum verò ipsos ad lunam suspicere, ac leviter ramos movere tanquam supplicationem quandam Lunæ prætendentes, eis ipsa ut propitia existere velit. Hæc ille, quæ omnia miram quandam sagacitatem, sapientiam, religionémque præseferre videntur.

5. Audiendus hic etiam Ulysses Aldrovandus lib. 1. de quadrup. cap. 9. *Si magnitudinem Elephanti spectemus eo nullum aliud vastius, ac portentosius animal rerum natura tulit: Si animi dotes, ipsum dixeris genus humanum (quod Sanctius animal Poëtæ canunt) ab hoc bruto in omni vitæ tenore, si non superatum, certè lacessitum videri, ac pari conditione decertare. In eo enim excellit Elephas, quod de se, naturâ suggerente, & morum, & virtutum documentum præbeat, quod homines, nisi doceantur vix assequi posse videantur, sed multa sunt, quæ ab eo tanquam à morum Idea homines desumere, & imitari coacti fuerint. Est enim Elephas ingenitâ munificentiâ nobilis, temperantiâ insignis, æquitate summa conspicuus, præcipuus declinator insaniæ, vaniloquentiæ hostis, cultor pietatis, & celebris mansuetudine, ut alienam etiam crudelitatem abhorreat, contra minùs validas feras pugnare dedignatur, in iram aut nunquam efferatur, nisi acerbitate iniqua, enormíque aliqua in-*

Et aliæ proprietates.

juria concitatus. Denique Regalem ipse animum in omnibus referre videtur, hominis amantissimus item heróque fidelissimus & acerrimus, ubi necesse est, protector, qui hostes ab amicis optime distinguit. Hæc Aldrou.

Elephas Symbolum Deiparæ

6 Quibus sanè sicut & aliis quàm plurimis proprietatibus animal hoc inter reliqua prudentissimum ac sagacissimum DEI Matrem, quæ perfectionũ creaturarum omnium compendium dici potest perbellè adumbravit. Non est nobis animus singulas hujus animalis proprietates persequi, aliquas dumtaxat principaliores pervestigabimus, inter quas meritò prudentia ac sapientia quædam admirabilis reponenda est. Itáque quemadmodum ajebat ille: *Elephanto belluarum nulla prudentior;* Sic revera Matre Dei creatura nulla, ne quidem Angelica, ne ipsa quidem Cherubica, Hierarchia, quæ à plenitudine sapientiæ & scientiæ nomen invenit, fuit prudentior aut sapientior; ut fusè probatum To. 1. Disc. 13.

Deiparæ Sapientia.

7. Proinde meritò illi dixit Venerabilis Dionysius Richelius lib. 2. de Præcon. & Dignit. B.V. art. 13. *Invenisti ò optima Maria Sapientiam, & quia hanc amasti, & exquisivisti à juventute tua, factáque es amatrix formæ illius, amatrix utique simplex & pura ardens ac humillima, venit in te fons universæ sapientiæ, Verbum Patris in altissimis, docuitque & penetravit te splendor ejus, super omnem cæli & syderum, solis, Lunæ, & orbium dispositionem atq; decorem, cuncta viscerum tuorum intima pulchrificans atque illustrans. Non sic Sol splendet in cælo, uti sapientia in animo tuo.* Quibus sanè verbis indicat vir piissimus quasi intento digito tam eminentis sapientiæ, quæ eluxit in Virgine, fontem atque originem æternam videlicet Sapientiam Verbum Dei in Excelsis, quod amore nostri ad ima descendens, in sacratissimo ejus utero, tanquam sol in suo cœlo, novem mensibus habitavit, eámque virtutum suarum splendoribus mirificè irradians velut dilectissimam sponsam, quàm plurimis iisque nobilissimis dotibus locupletavit, exornavit.

8. Idem Richelius eodem lib. art. 7. probat ex optimo temperamento præstantissimáque totius corporis harmonia, fuisse admodum docilem ac sapientissimam, idque ei fuisse convenientissimum, tanquam illi quæ ipsum Nazaræ Auctorem, omnísque perfectionis fontem, & confractorum reparatorem gignere electa fuit, cui & naturæ & gratiæ donis decebat esse quàm simillimam, Unde evidenter innotescit optimi eam fuisse ingenii, studiosæque mentis, adeò, ut & illa dicere potuerit Sap. 8. *Puella eram ingeniosa, & sortita sum animam bonam.* Porrò in Maria Naturam gratia penitus superimplevit, & omninò vicit ac perfecit. Ideóque patet eam per gratiam magìs docibilem studiosámque fuisse. Denique per gratiam omni inani solicitudine caruit, tranquilla quietáque extitit, motus inordinatos non sensit. Quis autem nesciat hujusmodi animam sapientiæ esse capacissimam? Accedit, quod Pater Omnipotens Filio suo Dilecto idoneam aptissimámque Matrem præparaverit. Filius verò Patris Verbum est, Veritas, Sapientia, & splendor. Talis autem Filii susceptiva non est nisi Virgo Sapientialis ac Simplex, ne hebetudo excludat sapientiam, & carnalitas splendorem. Debuit ergo esse Virgo hæc subtilis & capax, studiosa & prudens. Sic ille de præclarissimis ipsius animi dotibus. Docilis

9. Inter quas non postremam devotissimus Bernardinus Bustius Ord. Seraph. numerat sapientiam Eximia Sapientia.

Par.

Par. 2. Mar. serm. 5. Partic. 7. *Primo igitur*, inquit ille, *intellectum Mariæ dotavit dono Sapientiæ & intelligentiæ. Tam præclarum est autem donum scientiæ, ut secundum Philosophum lib. 8. Physic. homo dicatur æquivoce de docto, & indocto. Nam tanta est differentia inter virum doctum & indoctum, quanta inter vivum & pictum. Homo enim vivus habet oculos, & iis videt, aures & iis audit, cateráque sensuum Organa atque instrumenta, iisque vitales operatur actiones. Mortuus autem sive pictus, licet hujusmodi instrumentis polleat, iis tamen nil operatur, quia corpus caret anima vivificante, siquidem ut ait Philosophus* lib. 2. de Anima, *quod hæc sit principium vivendi, sentiendi, & intelligendi. Cum igitur perfectio sit scire, ut inquit, Auerroes, ideò doctus & scientificus dicitur verè homo taquam sua perfectione dotatus ac perfectus. Sponsus igitur cælestis dotem hanc intelligentiæ dedit Sponsæ suæ modo adeò excellenti, ut licet natura humana habuerit plurimos viros doctos, at diversis scientiis eruditos, nemo tamen ea doctior fuerit, sed ipsa super omnes tanquam creaturarum omnium Regina doctissima exstitit.*

Super omnes alios.

10. Nam verissima est regula illa Bernardi ad Canonicos Lugdun. *Quidquid aliis, licèt paucissimis, est concessum, non est credendum, gloriosæ Virgini fuisse denegatum.* Unde jure meritò docet idem Bernardinus doctiorem Sapientiorémque longè Virginem nostram ipso Philosopho totius generis humani capite extitisse. Qui tantâ præditus fuit sapientiâ, ut omnibus animalibus nomina eorũ naturis, utpote, quas probè noverat competentia indiderit. Quod si Adam Divini præcepti futurus prævaricator tam insignem habuit cognitionem; multò magis innocentissimam purissimámque Dei Genitricem, nunquam peccaturam, habuisse credendum est.

Mariæ sapientia & scientia major quam Adami.

11. Unde D. Thom. 1. Part. q. 4. art. 3. docet, quòd Adam ita à Deo institutus fuerit, ut haberet rerum omnium scientiam, in quibus homo aptus natus est instrui. Tum apostrophe ad Divam Virginem facta, sic eandem alloquitur. *O gloriosissima Virgo, nonne tu meruisti perfectior esse Adamo? certè sic. Quia ab æterno electa fuisti ad opus excellentius quàm ipse Adam. Adam enim electus fuit, ut esset Pater omnium hominum: Tu autem, ut esses Mater Dei, atq́ ideò esse debuisti in omni scientia ipso & reliquis posteris.* Hinc S. Anselmus aptè pronunciavit. *Omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria.* Notandum porrò rectè dixisse sapientiæ & scientiæ. *Quia scientia est cognitio rerum infimarum. Sapientia verò rerum altissimarum*, ut docet Arles 9. Ethic. & lib. 1. Metaph. ubi ait, *quòd Sapiens est ille, qui scit omnia & difficilia per certitudinem, & causas altissimas.* Quam porrò scientia hæc præstans sit, testatur idem Philosophus lib. de bona Fortuna cap. 2. *Nihil,* inquiens, *melius est scientia & intellectu, nisi Deus.* Ex quibus apparet, quàm preciosam dotem huic sanctæ dilectissimæ Sponsæ Dominus donaverit, omnes thesauros sapientiæ & scientiæ DEI ipsi communicando, pro immensa illa propemodum DEI Matris capacitate.

Quàm Joannis Evangelistæ.

12. Et verò si dilectus Christi Discipulus supra pectus JEsu recumbendo sacratissimum, fluentia Evangelii, rerúmque Divinissimarum profundissimarum hausit cognitionem; quantò magis Dei Mater eundem dilectissimum suum Filium sinu fovendo, ulnis bajulando, pectori amanti apprimendo, inexhausto illi cælestis Sapientiæ fonti se se im-

mergebat, & ipsius Divinitatis abiissos quodammodo penetrabat. Unde S. Bernardus, ideò illam sole fuisse amictam censuit serm. de verb. Apoc. Sol enim justitiæ, qui ejus ulnis gestabatur, sinu fovebatur admirabiles suæ Sapientiæ radios in eam evibrabat, quibus illi auream cycladem, sole hoc aspectabili rutilantiorem conficiebat. *Maria*, inquit ille, *jure sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Divinæ sapientiæ, ultra quàm credi potest, penetravit abiissum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Quam prodigiosam ejus lucem contemplans S. Epiphanius Orat. de Laud. B. V. jure merito quasi extra se positus exclamavit: *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti. Stupendum enim miraculum in cælis Mulier amicta sole. Stupendum miraculum in cælis Mulier gestans lucem in ulnis.*

Mariæ docilitas.

13. Absolutissimam deníque Virginis quacúnque in re docilitatem paucis expressit idem S. Epiph. in ejus vita. *Erat*, inquiens, *docilis, & amans doctrinam, & non solùm in sacris literis, sed etiam cum Lana, lino, Serico, & bysso laborabat; erat prætereà in sapientia & intelligentia super omnes illius sæculi adolescentulas cunctis admirationi, quæ & verè consuerit ea, quorum usus in templo erat sacerdotibus.*

Religio.

14. Porrò Religio in Virgine, quam Elephantus solem, Lunámque adorando nobis adumbrâsse visus est, planè fuit admirabilis, omnesque Religionis illius conditiones ac perfectiones, quas S. Jacobus in sua enumerat Epist. cap. 1. complexa est. *Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: Visitare pupillos & Viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo;* uti ostensum Tom. 1. Disc. 11. Quam verò perfectè Religio, ut est virtus, per quam homines Deo cultum & reverentiam exhibent, uti docet S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 1. in Virgine refulserit, per se clarum est, si enim Religio à reeligendo ea, quæ sunt Divini cultus, dicta est, ut idem S. Doctor inquit, quia hujusmodi sunt frequenter in corde revolvenda, secundùm illud Prov. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum.* Clarum est, quàm præclarum in Deipara virtus hæc locum invenerit; cùm omnis ejus mens, intentio & cogitatio eò fuerit directa, ut Deo placeret, Deum coleret, ac veneraretur. Huc illius omnis solicitudo, & inter dormiendum, ipsius animi miraculosæ illæ vigiliæ tendebant, ut maximum cultum venerationémque supremo Numini deferret. Ad hoc enim crediderim illam, ut crebrius dicitur in Evangelio, conservâsse verba conferendo ea in corde suo, ut se crebrius ad colendum venerandúmque Deum ipsa astringeret. Quod si *religio à religando* dicatur, quòd nos arctius Deo alliget adstringátque; quis dubitat virtutem hac etiam ratione consideratam in Deipara repertam esse. Noverat nimirum Virgo Sapientissima, ad Deum, cui principaliter, ut loquitur ibidem Doctor Angelicus, alligari debemus, tanquam indeficienti principio, nostram electionem assiduè dirigendam esse sicut ad ultimum finem. Quòd si deníque Religionem à relegando derivari dicamus, eò quòd mentem à cæteris releget atque absolvat, ipsique Deo inhærentem efficiat, luce meridiana clariùs evadit, quàm eximiè Virgo nostra religiosa extiterit, quæ omnem rerum terrenarum caducarúmque affectum à corde animóque suo à primis immaculatæ conceptionis suæ initiis quàm longissimè relegavit. Unde etymologiam hanc religionis considerans

derans venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 17. ita loquitur: *Itaq. nunc innotescit eò Religiosiorem fuisse Mariam, quò erat mens ejus ab omni à Christo elongante affectu distantior, & in ipsius Unigeniti ardore immobilior, quòd si Angelorum, hominúmque linguis eloquerer, non utique adhuc hujus amoris vehementiam profari essem idoneus. Adde quòd singulariter nimis prorsusq. incomparabiliter, in Dei ministerio Maria se se, omniáque, quæ in se erant, occuparit; nempe maternam Filio Deo servitutem impendens; omnia penitus sui corporis membra, in illius famulatum expendit; nec aliud quàm dulcem illum suavissimi sui ventris fructum meditari, aut effari volebat, quippe in quo cuncta desiderabilia, cunctáque salubria plenissimè invenit átque possedit.* Sic Dionys.

Affectus & Desiderium quò ferebatur Maria in Messiam promissum.

15. Affectum hunc amantissimum ac religiosissimum spirabant verba illa, quibus se totam servitio Dilecti impendere, ac mancipare desiderabat cùm dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?* cant. 8. Honorius in sigillo verba hæc ait esse Virginis, cujus Mater est synagoga. Sciens enim illa adhuc adolescentula venturum brevi tempus, ut Dei Filius carnem de aliqua Virgine generis Abrahæ assumeret, optabat illi hujusmodi obsequia tanquam vero Deo exhibere. Undè Guilelmus Abbas religionem hanc admirabili cum humilitate sociatam stupescens in Deipara ita illam loquentem cum Filio introducit: *Accepto desuper nuncio, quòd ex me corporaliter nasci & cum hominibus conversari visibiliter dignareris; id quidem maturius impleri flagrantissimis votis optabam, sed tamen stupefacta præ magnitudine devotionis in tuis auribus verecundè clamabam: Quis mihi det te fratrem meum. Polliceris, quòd mihi Filius nascaris, sed utinam nascendo de alia qualibet, vel frater mihi nascaris per humanæ communicationem naturæ, dum tamen omninò nascaris in meam omniúmque salutem. Et unde hoc mihi, ut Dominus meus nascatur ex me, sumendo hostiam humanæ redemptionis ex me, & de meis pascaris uberibus, qui etiam Angelos pascis in cælestibus? Transferatur si placet hæc tam grandis & præclara dignitas, ad aliam quamlibet generis Abrahæ, dum tamen sacramentum à seculis conditum compleatur. Et quia jam instat plenitudo temporis, venias, qui venturus es liberare populum tuum, nascaris; & mihi sufficit, nutriaris, & sufficit. Hoc mihi tantùm tribuas, quod cæteris per Incarnationem tuam, & sufficit mihi. Nam omnibus dilectis tuis, quibus secundùm carnem frater esse dignaberis, hoc interim per Incarnationis Sacramentum largieris, ut inveniant te foris, & deosculentur te, & jam eos nemo despiciat. Inveniris siquidem jugiter intus, sed ab his, qui sunt foris, id est ab hominibus, non inveniris intus, sed nec foris inveniris ab eis, qui totus es apud Patrem. Itaque per Incarnationis mysterium exi à Patre, & veni in mundum, ut inveniant te homines foris, scilicet à te trajiciendi intus. Egredere ad nos, ut nos facias ingredi in gaudium Domini nostri: non intrabimus, nisi ut exeas, non inveniemus te intus, nisi prius inventum & deosculatum foris. Egredere, incarnare, ut inveniamus te foris, & deosculemur te. Inveniamus te foris per fidem Incarnationis tuæ, & deosculemur te puritate dilectionis. Quippe invenire te, & non deosculari,*

lari, nihil est. Quia fides sine operibus mortua est. Inveniamus te foris in veritate carnis nostræ visibilem, & deosculemur te in perferendis passionibus pro nobis amicum mitem &c. Hæc Guil. de ardentissimo desiderio Virginis, adhuc tenellæ, quo tenebatur summa cum religione, humanato Dei Filio cultum, reverentiam, aliáque ministeria exhibere.

Adhuc trimula desiderat Messiæ adventum.

16. Quæ porrò obsequia hæc fuerint; Singillatim exponit Doctor Seraphicus in medit. vitæ lib. 1. cap. 3. ubi ait revelatum fuisse S. Elisabethæ, quòd B. V. postquam trimula fuisset à Parentibus in Templo Deo præsentata, quotidie ante altare mediæ noctis silentio aliquot petitiones fecerit. Inter quas quinta fuit: *Petebam*, loquitur Virgo ipsa, *ut faceret me videre tempus, in quo esset nata illa Beatissima Virgo, quæ debebat Filium Dei parere, & ut conservaret oculos meos, ut possem eam videre, linguam, ut possem eam laudare, manus ut possem ei servire, pedes, ut ire possem ad servitium ejus: genua, ut adorare possem DEI Filium in gremio ipsius.*

Virtutes omnes in Maria

17. Quod si teste Mercurio Trismegisto: *Unicus Dei cultus est, non esse malum;* & Lactantio Firmiano lib. 1. cap. 9. *Christianorum omnis religio est, sine scelere & macula vivere.* Quis excellentiori Religione fuit magis illustris quàm Dei Mater? quæ non contenta omnis mali carentiâ, virtutibus omnibus, quæ sunt vera animi nostri bona, super omnes Angelos, super omnes justos fuit conspicua adeóque sine scelere & macula, à primo suæ immaculatæ conceptionis instanti in toto vitæ suæ decursu vixit, ut ei cœlestis sponsus jure applauserit Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod elogium pervenustè elucidare visus est Petrus Riga, commentariis M. S. in Lucam.

Unam nec maculam natura reliquit in illa,
Ad caput à pedibus transvolat iste decor.

Mariæ laus ... [illegible]

18. Deníque sanctitatem hanc Deiparæ, ab omni scelere liberam præclarè expressit Venerabilis Dionysius Rich. lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 12. ubi cùm præmisisset sanctificationem Jeremiæ, & Præcursoris in utero factam, ita de DEI Matris longè excellentissima loquitur: *Gratiam ministris datam, Matri negatam asserere, nefas arbitror. In Matris ergo utero Maria Sancta fuit, eò abundantiùs, quò præ famulis Mater veneranda extitit. At verò tam excellenti puritate venustanda extitit Puellaris caro, ut eam superslendenti Divinitati uniri dignum esset. Ideòque ab omni prorsus macula præservanda fuerat, quò tanto ministerio congrueret. Optimè ergo tibi ò optima Virgo competit, quod Spiritus veritatis asseruit: Tota pulchra es &c. & rursus: Pulchra es amica mea, suavis & decora. Denique sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quoniam igitur tanta uti diximus sanctitas Mariam decuit, quæ fontem sanctitatis concepit, & protulit, ab originali culpa immunis esse debuit, præsertim cùm decens esse videatur, ut hoc etiam honore Matrem Filius veneraretur. Adhoc si tota pulchra est, ergo nec originalis culpæ maculam accepit. Deníque, quia Mariæ Filius qui est virtus & Sapientia Patris omnia ordinatè facit. Ipse enim est, qui in pondere, numero & mensura universa constituit, & ideò hoc sibi nascendi privilegium servavit, ut ejus Mater tota pulchra esset, quoniam omnis actualis criminis, mortalis*

tio

ac venialis expers fuit, nec unquam suo displicuit creatori. Sic ille.

Maria gratiâ plena.

19. Eamdem Sanctitatem Deiparæ omnis peccati labe carentem nobis indicavit Angelus, cùm eam gratiâ plenam salutavit. Cùm enim gratia & peccatum sibi formaliter sint opposita, qua ratione fieri potuit, ut ibi peccatum locum reperiret, ubi ipsius gratiæ inerat plenitudo? Unde CTesiphon Discipulus S. Jacobi Majoris in quodam suo tractatu, qui in monte Sancto granatensi repertus est, sapienter inter alia in Immaculetæ conceptionis laudem pronunciavit: *Nunquam Angelus diceret; Ave gratia plena, si in originali peccato fuisset concepta.*

Et sine macula concepta

Maria gratia plena qua ratione fuerit.

20. Qua porrò Virgo ratione gratiâ plena perhibeatur scitè explicuit S. Antoninus Archiep. Florent. 4. Part. Hist. Tit. 5. cap. 2. n. 15. *Beata Maria, inquiens, fuit gratia plena quadrupliciter. Primo, quia omnes gratias generales & speciales habuit. Secundo, quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quia ejus gratia tanta fuit, ut pura creatura majoris gratiæ capax esse non potuerit. Quarto, quia etiam gratiam increatam, DEum videlicet ipsum in se continuit. DEum, inquam illum, in quo complacuit, ut loquitur Apostolus Coloss. 1. omnem plenitudinem inhabitare.* Proinde jure merito de hac Virgineæ gratiæ plenitudine asserere non dubitavit Bernardinus Bustius Ord. Seraphici P. 5. Marial. serm. 5. *In tantum fuit Maria præ maxima plenitudine gratiæ ponderosa, ut, si ipsa sola in una statera poneretur ex una parte, & cæteri omnes Sancti tam veteris, quam novi testamenti, omnésque Angeli in alia, ipsa amplius ponderaret.* Quòd si ita est, uti verissimum est, quî fieri potuit, ut absque ullius sceleris macula omníque malo, Virgo non vixerit, quî fieri potuit, ut Religiosissima non exstiterit?

Maria Religio fundata in humilitate seu cognitione Dei, & sui nihili.

21. Religiosissimam sanè fuisse Virginem nostram omnino necesse fuit, maximáque sedulitate actus illos ad Religionem concurrentes exercuisse, utpote, quæ & sui nihili, & Divinæ Majestatis perfectissimam cognitionem, quantæ pura creatura capax esse potest, habuerit. Cùm enim S. Augustinus ex M. Tullio lib. 2. de Invent. Religionem ita definiat: *Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam Divinam vocant, cultum, cæremoniámque affert;* Certum est omnes Religionis actus fideliter illam exercuisse, iísque cultum Deo exhibuisse, & consideràsse inprimis immensam infinitámque Dei Majestatem, à quo velut primo principio & causa in suo esse omnis dependet creatura, quo annuente, aut subducente concursus sui manum in suum nihilum, ex quo facta est reverteretur. Considerabat etiam suum nihilum, eóque considerato magis magísque sese abjiciebat, ac per consequens cultum Deo debitum offerebat. Verissima enim est Siracidis Sent. Eccl. 3. *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur,* honoratur, inquam, non modò actu interiori, sed etiam exteriori, verbis, gestu corporis, aliísque signis, quos actus omnes tanto excellentiùs gloriosissima exercebat Deipara, quò præstantiore & ipsius Dei, & sui pollebat cognitione. Qua illuminata sicut DEum amando summè venerabatur; sic se despiciendo, in suæ nihileitatis abyssum vacuúmque descendebat, majoribúsque gratiis recipiendis apta reddebatur. Præclarè enim B. Laurent. Justin. cap. 3. de humilitate. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat; sic nec gratia Humilem, quin illi se infundat.* Quare sicut Virgo beatissima

Humilitas gratiarum dives.

ob vacuum suæ humilitatis, omnibus infundi gratiis, ita etiam peculiariter virtute Religionis, qua ab humilibus DEus colitur & honoratur, exornari digna fuit. Hinc B. Petrus Card. Dam. serm. 3. de Nat. *Quid enim Sanctitatis, quid justitiæ, quid Religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Divinæ gratiæ charismate plena fuit.*

Religio Deiparæ apparet in consuetudine ascendendi ad templum.

22. Hac virtute religionis exstimulante in anno ex præcepto legis ad Templum Hierosolymitanum debitum Deo cultum oblatura cum dilectissimo suo Filio & sponso Joseph itabat. Qua de re Audiendus D. Eucherius Episcop. Lugd Homil. 2. in Lucam. *Religiosi Parentes, per singulos annos ibant in Hierusalem, ut legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitatibus interessent, & ejus adhuc umbræ serviebant, cujus jam tenebant veritatem. Tota enim illa solemnitas Christi passionem, & resurrectionem & cætera quæ de ipso scripta sunt, Significabat. Erat igitur JESUS in solemnitate, qui totius erat causa solemnitatis, ipse jugulabatur in Agnis, immolabatur in vitulis, & omnibus sacrificiis offerebatur. Mater quoque ejus multa ibi in lege & prophetis cantari audiebat, quæ de ipsa dici intelligebat, & in se jam completa esse sciebat, qualia sunt: Ecce Virgo concipiet; Itémque: Egredietur Virgo de radice Jesse. Meritò igitur per annos singulos illuc veniebant, ubi suas laudes ab omni populo prædicari audiebant.* Denique sanctissima hac virtute religionis exstimulata Virgo legi Purificationis ad DEUM, ejúsque legem colendam sese voluntariè etiam, absque omni obligatione sponte subdidit. Unde B. Laur. Justin. Venetorum Patriarcha serm. de Purif. B.V. aptè pronunciavit: *Ut DEum veneraretur in lege, legem Purificationis voluit implere.*

In Purificatione

Religiosa quasi

23. Tandem ut paucis multa complectar, dicere verè possumus omnia illa de nostra Religiosissima Virgine, quæ B. Climachus de animo Religioso in scala cœli gradu 1. disseruit: *Religiosus status est ordo Angelicus in corpore materiali consummatus. Religiosus est, qui solum ad DEum aciem mentis intentus, illum semper orat in omni tempore, loco, & re. Religiosus est perpetua naturæ violentia, sensúmque vigilantissima, & indefessa custodia. Religiosus est, qui ita virtutibus est affectus, ut esset voluptatibus alius. Religiosus est lux cordis, oculos jugiter irradians. Religiosus denique*, concludit idem, gradu. 22. *Est humilitatis abyssus, spiritum omnem, superbiæ videlicet, præcipitans & suffocans.*

Deiparæ Religio, &c. comparata cum Deo.

24. Verè enim in Religiosissimo Sanctissimæ Virginis animo status quidam Angelicus, præclarissimis cœlestiũ illarum Hierarchiarum virtutibus, quæ in ipsa resplendebant, uti initio Partis II. ostensum, repræsentatus est. Verè Religiosus nostræ Virginis animus aciem suæ mentis assiduè in DEUM dirigebat, ita, ut ipsius universa vitæ decursus, imo ipse somnus assidua oratio esse videretur. Unde ipsa de se fatebatur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Verè Religiosus animus Virginis fuit perpetua naturæ violentia, sensuúmque custodia. Licèt enim ad omne bonum naturâ suâ fuerit inclinata, ita ut virtutes ipsæ sanctum ejus corpus efformâsse viderentur, uti Boëtius de viro sancto asseveravit, nihilominus in virtutibus eisdem, absque magno labore ac mortificatione corporis non profecit, uti ipsa S. Elisabethæ revelavit, attestante hoc S. Bonav. lib. de Med. vitæ Christi cap. 3. Verè Religiosus ejusdem Dei

Ma-

Matris animus ita virtutibus rebúsque spiritualibus & maximè contemplatione Filii explebatur, ut assiduè cum illo deliciari ac convivari videretur. Unde Baptista Mantuanus lib. 3. Parthen. scitè de Virgineis hisce cupediis modulatus est:

Deiparæ deliciæ in Filio.

Gaudia natus erat, natus solatia, natus
Curarum lenimen erat; Matri ista voluptas
Sola fuit; terram membris habitabat, Olympum
Mente, nec à studiis potuisset talibus unquam
Divelli; pietas imis immersa medullis
Hæserat, & firmas virtus incocta sub alto
Pectore radices, pulsâ undique sorde per omnes
Spargebat latè Synceri corporis artus.

24. Amadeus delicias has Virginis, quibus cum Filio, ejus obsequiis se mancipando perfusa est, sensit esse inexplicabiles. Postquam enim introduxisset Patrem æternum Virgini Filium, mira sollicitudine commendantem, illam ita alloquentem: *Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes Mulieres benedixi; Ecce commendavi tibi Filium meum, commisi tibi Unicum meum. Noli timere lactare, quem peperisti, agnosce non solùm DEUM, sed Filium, Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex Divinitate, Filius tuus ex assumptâ humanitate;* Postquam hæc præmisisset; mox hæc attexuit. *Quo itáque affectu & studio, qua humanitate & reverentia, qua dilectione & devotione, id explerit, hominibus incognitum est, & Deo cognitum, qui renum & cordium est scrutator, Deo cognitum, qui spirituum ponderator est.* Tum ad peculiaria quædam amoris, religionísque obsequia descendens, in quibus illa mirificè deliciabatur, ita loquitur: *Sæpè ut credimus oblita esûs, ac potûs, spretáque carnali necessitate noctes insomnes agebat, ut Christum mente cogitaret, Christum carne videret, cujus ardebat desiderio, cujus flagrabat obsequio. Sæpe enim agebat, quod in* Cant. 5. *scriptum est; Ego dormio &c. Carne quippe dormiens, animo vigilabat, nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans se in eisdem inveniebat, & artus sopori concedens, in pace in idipsum dormiens quiescebat. Ubi erat Thesaurus ejus, ibi & cor; ubi gloria, ibi & conscientia. Diligebat DEum, ac Filium suum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis. Fœlix cui præstitum fovere eum, qui fovet ac nutrit omnia; portare portantem universa; lactare Filium, qui lac ipsis uberibus infudit, pascere cuncta pascentem, & escam avibus administrantē &c.* Atque hæc de Religione Virginis Elephanti longè præstantissima dixisse sit satis.

25. Quòd si Elephanti consideremus pietatem ac clementiam; in eo symbolum quóque Virgineæ clementiæ reperiemus. De ipso sic Plinius lib. 8. Nat.Hist. cap. 4 *Elephas homine obvio fortè in solitudine, & simpliciter oberrante clemens, placidúsque, etiam demonstrare viam traditur. Idem vestigio hominis animadverso, priusquàm hominem intremiscere insidiarnm metu, subsistere ab olfactu, circumspectare, iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere fertur.* Hujusmodi amantis benevolíque genii est quóque Virgo nostra; quoties enim hominem à via mandatorum Dei, ac veritatis aberrare animadvertit, toties eum in viam veritatis, salutísque æternæ, prævenientem illi à Filio impetrando gratiam, reducit, lucéque misericor-

Elephantis clementia

Deipara Virgo clemens erga peccatores.

ricordiæ suæ eum illuminat, ut errorem suum agnoscat ac detestetur, nec possit aliquando queri cum impiis illis: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus* Sap. 5. 6. 7. Agnovit benignitatem hanc Elephantis in Virgine nostra Venerabilis Richar. à S. Laur. lib. 10. de Laud. B. V. ubi Elephantis naturam proprietatésque considerans, eásque ad Virginis laudes, uti consuevit, transferens ita loquitur: *Elephas inveniens hominem errantem reduxit ad viam: Et B. V. errantes per devia errorum sapientissimè seduxit ad viam fidei, & ad viam, quæ ducit ad vitam. Unde dicere potest cum Filio* Joann. 14. *Ego sum via, veritas, & vita. Errantes etiam per devia vitiorum, suis orationibus, meritis & exemplis reducit quantum in se est, ad virtutes oppositas, per quas venitur in cœlum. Hinc dicit; In me gratia omnis viæ, & veritatis* Eccl. 24.

26. Hanc fortassis ob causam Augusta Virgo Pulcheria pietatem istam in Virgine gloriosissimâ errantes in viam salutis reducendi agnoscens, ipsi Constantinopoli Augustissimam Basilicam extruxit, ut testatur Nicephorus Hist. Eccles. lib. 14. cap. 2. *Templum, in quiens, quod τῶν ὁδηγῶν hoc est, via ducum cognomine clarum est, in quo Divinam illius Imaginem, quam Lucas in tabula depictam reliquit, sacrúmque pensum, & servatoris ipsius fascias, perinde átque thesaurum, quem ad eam Eudocia Augusta, cùm Hierosolymam profecta est, misit, servandas curavit.* Sic ille.

Augusta Virgo Pulcheria templum B. Virgini sub titulo viæ ducis constantinopoli extruxit.

27. Quare Virginem jure viæ hujus, qua ad cœlum tendimus, Ducem possumus appellare. Unde S. Bonav. Hom. 2. super Missus. *Ipsam sequens non devias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis; ipsa protegente non metuis; ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis.* Ipsa enim pro illa eximia, quâ mortales omnes complectitur, charitate miras excogitat Dilectissimum imitata Filium adinventiones (*amor enim ingeniosus est*, ut ait Plinius senior, *inventionisque est causa*) quibus nos in viam salutis dirigat; adeò, ut ei meritò, uti Filio, concinere jure cum Propheta possimus: *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus*, Isa. 12. Hinc Seraphicus illius Psalmista Canticum ei, simile illi Evangelici Prophetæ composuit, ejúsque amoris inventiones celebravit: *Confitebor tibi Domina, quoniam per te placatus est mihi Dominus, & consolata es me. Fac Domina Salvatrix mea fiducialiter agam in te, & non timebo. Quia fortitudo mea & laus mea in Domino es tu, & facta es mihi in salutem. Hauriam aquas in gaudio de rivulo misericordiæ tuæ, & semper invocabo Nomen tuum. Notas facite in populis virtutes Dominæ nostræ, quia excelsum est valdè Nomen ejus. Exulta & lauda eam totum genus humanum, quia talem dedit tibi Mediatricem, imò & viæ Ductricem Dominus Deus tuus.* Quapropter Psal. 118. ut viæ suæ in hac vita Ductrix esse dignaretur, eam deprecabatur. *Legem pone mihi Domina voluntatis tuæ sanctarum sanctissima, & exquiram eam semper. Deduc me in semitam miserationum tuarum mulierum pulcherrima, quia ipsam volui. Inclina animam meam ad supernorum amorem ô Domina, & non ad impudicitiam. Et observabo viam testimoniorum tuorum in sæculum,* &

B. V. miras excogitat inventiones quibus nos in viam salutis dirigat.

& scrutabor mandata Filii tui, quæ dilexi.

28. Quare Sapienter præclarus Virginis Encomiastes Baptista Novatus Clericus Regularis Tom. 2. cap. 4. q. 33. asseruit admirabilia fuisse inventa, quibus B. V. dum vixit in terris excitare studebat in fidelibus amorem Dei, & patriæ cœlestis. Easdem crediderim modò, dum æterna beatitudine fruitur in cœlis, fovere cogitationes, imò longè efficaciores in variis inveniendis mediis, quibus nos à lubricis ac perversis mundi blanditiis, ac fallentis itineribus avocet, & in viam justitiæ sanctitatísque reducat. Cùm enim ipsius in nos amor nova ac longè majora modò in cœlis acceperit incrementa, plures quóque nos salvandi inventiones excogitare eam oportet, cùm clariùs in Verbo omnes nostros in via Domini commissos, committendósque errores perspiciat, cùm Platone teste in sympolio; Amor semper machinamenta contexat. Quare fatetur ipsa se etiam jam de præsenti solicitam esse, ut nos per vias rectas justitiæ sanctitatísque salutari suo exemplo deducat, ne à via salutis aberremus. Ipsius nimirum sunt verba illa Prov. 8. versu 20. *In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii.* Quæ verba expendens Richardus à S. Laur. lib. 4. de Laud. B. V. *Maria*, inquit, *vias præceptorum ambulavit. Ambulavit etiam in medio semitarum judicii, per semitas videlicet consiliorum, votum Virginitatis emittendo, & easdem vias docuit nos suo exemplo.* Quare crebrò Virgo benignissima roganda est, ut nos post se per semitas castitatis, quas illa Agnum immaculatum sequendo, purissima calcando lilia, rosásque vernantes, ambulavit, trahat átque deducat illi concinendo cum Sponsa. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*; & cum Ecclesia:

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes JEsum
Semper collætemur.

...admira... dum vi... n terris, sed ...ge effica... a, dum ...at in cœ... nvenit me... quibus nos ...ucat per justitiæ.

29. Cùm enim verissimum sit, nos naturæ nostræ viribus absque auxilio gratiæ supernaturali nec iter justitiæ arripere, nec in illo absque novo auxilio progredi, nec deníque iter hoc perficere absque peculiari dono perseverantiæ posse, sanè gratia hæc maximo, quo possumus, affectu nobis à Virgine, ut eam nobis à dilectissimo suo impetret Filio, postulanda est, ut nos videlicet ad iter hoc salutis capessendum, gratiâ à Deo impetratâ, præveniat, comitetur, ac subsequatur. Hæc enim ipsa, gratiam à Virgine postulandi ratio, gratia singularis est, quæ nullis nostris meritis, sed ex sola Dei, ejusque Matris misericordia nobis conceditur. Non enim Divina gratia datur, ut pedissequa, uti loquuntur Concilii Arausicani Patres. Unde in eodem Concilio definitum est Canon. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri; non autem Divinitus, ut credamus, velimus, & hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, & per infusionem, ac Spiritûs S. inspirationem in nobis fieri confitetur, aut humilitati aut obedientiæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obediens, & humilis ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: quid habes, quod non accepisti? Et: Gratia Dei sum id, quod sum.*

Roganda est B. V. ut gratiam à Filio nobis impetret ad capessendum & perficiendum iter salutis.

Ipsa, gratiam à B. V. postulandi ratio, gratia singularis est.

In eodem Concilio rursus habetur Canon. 25. *hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & posteà per Dei misericor-*

diam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis bonis, & fidem, & amorem, sui prius inspirat, &c.

Peccatoris prima cogitatio sit de recursu ad B. V. ut impetret gratiam pœnitentiæ ac veniæ.

30. Quocirca peccator quilibet, ubi se à via justitiæ aberrâsse animadvertit, prima ipsius cogitatio sit, de recursu ad stellam hanc maris, eam rogando, ut lucem gratiæ Divinæ porrigat intellectui, calorem charitatis affectui, ut peccati agnitâ turpitudine illud execremur, & amore Dei, virtutísque accendamur; sic enim fiet, ut mox semitas justitiæ sanctitatísque arripiamus, & magnis passibus in via salutis progrediamur. Licèt enim Divina bonitas semper parata sit nobis suæ gratiæ & prævenientis & comitantis, & subsequentis munera liberalissimè communicare, ubi tamen patrocinium ipsius optimæ intercedit Parentis, ubi ejus expansas manus, & brachia, quibus bajulatus est, ubi sinus, uberáque quibus nutritus est, conspicit, fieri nequit, ut ipsius pientissima ad commiserandum erranti peccatori viscera non commoveantur, omniáque ad arbitrium, nutúmque tam charæ Parentis non disponat.

Peccator qui colit B. V. maximè se disponit ad justificationis gratiam obtinendam.

31. Quare idem Baptista Novatus doctissimè ostendit Tom. 2. cap. 12. q. 1. peccatorem, qui colit B. V. maximè se disponere ad obtinendam gratiam justificationis, quæ hominem à via justitiæ, mandatorúmque Dei aberrantem ad rectam Divini obsequii semitam reducit. Quod Sapientissimus agnoscendo Idiota cap. 1. Contempl. de B. V. ad finem ita eam obtestatur: *Trahe me post te, quia retinet me peccatorum ponderositas, trahe me post te, quia decipit me hostium perversorum maligna calliditas; trahe me post te, ut perveniendi ad te augeatur mihi celeritas. Sicut enim nemo venit ad Filium tuum super benedictum, nisi Pater traxerit eum. Sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidiis traxeris eum.* Idem agnovit S. German. Patriar. Constant. Orat. de Præsent B. V. *Nullus se à laqueis periculorum expedit, quin ipsa subvenias, quod si patrocinium denegas, nihil est, quod à Largitore gratiæ possimus expectare. Tu enim à Rege, rerumq; omnium parente & gubernatore fœcunda Mater apud Deum tum fiducia, tum potentia vales, nósque damnatos à suppliciis liberas sempiternis.*

32. Hoc nobis ipsum benignissima Virgo testatur, quam Eutychianus Theophilum illúmque à Deo apostatantem peccatorem ita consolantem introducit, uti habemus apud Sur. 4. Apr. *Facilè ego, inquit Deipara, hominum peccatis ac delictis ignosco, propterea quod ego, quæ Christum peperi, ita diligam genus Christianorum, & maxime eos, qui recta mente & fide ad me accedunt, & mane vigilant in meo templo. Eis enim pateo, & eis occurro, eósque meis ulnis amplector, precésque eorum exaudio.* Quare devotissimus Marcus Marulus Urbis Spalatensis tàm pietate, quàm generis nobilitate illustre decus, lib. 2. cap. 2. docet peccatoribus, si ad rectum vitæ tramitem redire velint, ad Virginem præ cæteris Sanctis confugiendum esse. *Sed profectò inter Sanctos sanctásque omnes, ut primum apud Deum locum obtinet, ita prior invocari debet Regina cœli, gratiâ plena, benedicta in mulieribus Maria Virgo simul & Mater, cujus immaculatus & intactus venter Spiritu S. repletus, edidit Salvatorem. Nihil certius speratur, largius tribuitur, tutius conservatur, quàm quod pro nobis ipsa poposcerit Filium. An quidpiam Maternis precibus non gratificaturum credimus, quem cum Deo Patre legem, quæ Matres honorari jubet, sanxisse scimus?*

Inter sanctos, sanctásque prior invocari debet Cœli Regina.

33. Hinc

B. V. Ariadna in Labyrintho hujus vitæ.

33. Hinc idem Marulus agnoſcens Deiparam in hac miſera vitæ hujuscè noſtræ peregrinatione peccatorum à recto juſtitiæ tramite aberrantium. Ducem, átque Ariadnam eſſe fideliſſimam, eam ita in Labyrintho vitæ, mundi hujus conſtitutus alloquitur, Carm. ad B. V.

En humilis, flexóque genu te poſtulo ſupplex,
Ut mihi ſis vita Dúxque Comésque meæ.
Utque meos greſſus per devia luſtra vagantes
Compellas recti tramitis ire viam.
Ecce dies noſtri per plurima crimina lapſi,
Heu mihi, quàm celeri præteriêre fuga:
Tu, rogo, me tanto ſubtractum Virgo periclo
Dirige, jam vitæ per melioris iter.

Non tantum excitantem, verum etiam concomitantem, ſeu adjuvantem gratiam nobis B. V. impetrat.

34. Ex hiſcè omnibus hactenus dictis manifeſtum evadit, Virginem noſtram benigniſſimam ſuâ interceſſione, fideliſſimóque patrocinio nobis gratiam excitantem, quæ intellectum noſtrum illuminet, voluntatem permoveat impetrare, ut perverſas mundi ſemitas abhorrentes viam ſalutis ingrediamur. Nec hâc gratiâ contenta Virgo benigniſſima, impetrat nobis alteram illam, quam concomitantem ſeu adjuvantem dicimus, ut progrediamur in via Divini obſequii, nec ſubſiſtamus, vel retro, poſita jam ad aratrum manu reſpiciamus.

35. Quæ gratia, quantopere nobis in hac via ad æternam ſalutem cœleſtémque patriam attingendam neceſſaria ſit, rurſus oſtendit ſupra memoratus P. Baptiſta Novatus Tomo 2. cap. 12. q. 2. qui diſertè aſſerit, neminem poſſe, qui Mariæ patrocinium non implorat, longo tempore ab omnibus peccatis mortalibus declinare. Quod ille Lucu-lentâ P. noſtri Quirini Salazar confirmat autoritate, in illud Prov. 8. *Qui autem in me peccaverit, lædet animam ſuam.* Cujus Virginei dicti eam adfert rationem: *Quia illud*, inquiens, *mihi exploratum eſt, illum, qui Virginis opem & auxilium ſibi adeſſe non petit, haud poſſe longo tempore lethalis culpæ vulnus effugere. Ratio eſt in promptu, quia inermis procedit, atque adeò animum gerit vulneribus expoſitum. Ità docuit Bonaventura in ſpeculo: Is, qui te non implorat, inermis cunctis hoſtium ſuorum vulneribus patet. Sed quid mirum? cum illa ſit Turris Davidica, ex qua pendet omnis armatura fortium? Omnis inquam, armatura, quia alibi arma contra vitia, & tentationes induere non licet, niſi in hac Turri, id eſt, in Virginis ſuffragio. Atque fortiſſimi illi, quotquot longo tempore, aut etiam tota vita lethale vulnus non acceperunt, hinc obarmati, & cataphracti prodierunt.* Hæc Salazar.

Sine ope & auxilio B. V. longo tempore lethale peccatum non evitamus.

36. Quòd ſi collum Virginis, quod Turri Davidicæ Cant. 4. & Cant. 7. v. 4. Turri eburneæ comparatur, orationem ejusdem, quæ gutture formatur, & per collum emittitur eſſe dicamus, clariùs profectò intelligemus, interceſſionem Deiparæ nobis gratiam concomitantem impetrare, quæ nos in via Domini progredientes ſine offendiculo comitetur & adjuvet, ſimúlque eandem nobis contra Tartareos hoſtes aſſiduè calcaneo noſtro inſidiantes validiſſima eſſe propugnacula, quibus obvallati, omnia eorum ignita tela eludimus, extinguimus. Eædem orationes Dei Matris nobis ſunt mille Clypei, qui nos à dextris & à ſiniſtris ante, retro, undique nos protegunt ne ulla prorſus ex parte pateat, ullus vulneri locus. Idem deníque pientiſſimæ Virginis patrocinium eſt nobis ar-

B. V. nobis impetrat gratiam concomitantem, cujus Patrocinium armatura fortium.

matura fortium, nos fortissimè à capite ad calcem obarmans, ut adversùs aëreas potestates evadamus prorsus inexpugnabiles.

37. Agnovit Virgineos hosce Clypeos atque armaturam esse in expugnabilem Psalmista Seraphicus, dum canebat, Psal. 90. *Qui habitat in adjutorio Matris Dei, in protectione ipsius commorabitur. Conversus hostis non nocebit ei, sagitta volans non tanget eum, quoniam liberabit eum de laqueo insidiantis, & sub pennis suis proteget eum, clamate ad illam in periculis vestris, & flagellum non appropinquabit tabernaculo vestro. Fructus gratiæ inveniet, qui speraverit in illa, Porta Paradisi reserabitur ei.*

Clypeus & armatura inexpugnabilis intercessio B. V.

38. Quibus verbis Sanctus ostendit Doctor non modò nobis omnibus Deiparam ad illius patrocinium recurrentibus impetraturam concomitantem gratiam, verùm etiam subsequentem, ut non tantùm progredi in via Divini obsequii, sed etiam eandem decurrere, ac fœliciter terminare, & ad metam, in qua corona nos manet immarcescibilis pervenire possimus. Verissimè enim summus Pontifex Cælestinus Epist. ad Gallos cap. 6. pronunciavit: *Nemo etiam Baptismatis gratia revocatus, idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad evitandas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum auxilium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

B. V. non tantum in via Domini progrediendi, sed etiã ad terminum perveniendi gratiam nobis impetrat.

39. Quibus autem preciosissimum hoc perseverantiæ donum facilius nobis impetrabit, quàm Virgo Deipara? Hoc enim dono non modò cursum vitæ nostræ in sanctitate, & justitia terminamus, verùm etiam ante faciem summi Regis in cœlo sistimur. Cùm Deipara, mysteriosa illa apud Hebræos creatura sit dicta Mitrates, hoc est, Princeps facierum, officium habens præsentandi omnes justos ante facies Divinissimarum illarum Triados personarum, ut illarum æviterno perfruantur aspectu. Unde ipsa dicit Eccl. 24. *In Hierusalem, cælesti videlicet, potestas mea*, imperandi nimirum, & faciendi, quod volo, & quos volo introducendi, ut explicat Hugo Card. de S. Caro. Hoc eximio perseverantiæ dono Virgo benignissima nos tenet tanquam Mater amantissima parvulos, ne in via hac lubrica atque angusta, quæ ducit ad vitam, cadamus, & in barathrum inferni præcipitemur, opponit se tanquam urbs fortitudinis ante faciem inimicorum nostrorum, ne nos sagittent in obscuris, opponit se, corpúsque suum sacratissimum, quo sempiternum novem mensibus portavit Judicem, ne nos dispergat in suo furore. Unde ipsa gloriabatur ibidem: *In plenitudine sanctorum detentio mea.* q. D. ait idem Card. *ego detineo Sanctos in sua plenitudine, ne minuatur, detineo Christum ne eis peccantibus irascatur, detineo Dæmones, ne noceant, detineo virtutes, ne fugiant, detineo merita, ne pereant. Singularis planè Virgo est in tali detentione. Unde ante illam Dominus olim apud* Isa. 64. *conquerebatur. Non est, qui invocet Nomen meum, & qui consurgat, & teneat me.*

Perseverantiæ donum nobis impetrat B. V.

40. Denique Virgo nostra, tanquam Mater benignissima ubique & in omnibus infirmitatem nostram adjuvat, ubique in nostris necessitatibus viscera suæ pietatis ostendit, eáque omnia propemodum amoris, quæ dilectissimo suo impendit Filio, nobis quóque exhibet ministeria, dulcissimo Matris affectu utrúmque hominum sexum prosequens, atque complectens, & per difficillimas salebrosásque hujus vitæ vias ad æviternam patriam deducens.

B. V. ad æviternam patriam nos deducit.

41. Quem amorem pervenuste Guilelmus Abbas apud Delrium nobis

nobis expressit, explicans elogium illud sponsæ Cant. 7. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ;* ubi cum per capream Ecclesiam, sive ipsam Deiparam, totâ Ecclesiâ longè nobiliorem intellexisset, per Hinnulos verò gemellos fideles utriúsque sexus, eò quòd uno partu à caprea, nempe Ecclesia sint effusi, & in accipienda gratia non sit distinctio apud Deiparam masculi, & fœminæ; hæc subtexuit: *His Mariæ viscera Salvatorem ediderunt, his Mariæ ubera Salvatorem nutrierunt. Nam sicut Magnus ille Parvulus natus est nobis, id est, ad salutem, ad vitam nostram, ita etiam nutritus est nobis. Pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipso pariebat nos ad salutem; sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam. Piis caput nostrum brachiis suspendebat in ubera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat. Nec sibi ille nascebatur, nec pascebatur, sed nobis, atque ideò nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur. Duo ergo ubera piæ Matris, sicut duo Hinnuli &c. Estote, ait ad Discipulos Apostolus* Gal. 4. *sicut ego, quia ego sicut vos, hoc est, congruite mihi, sicut ego congruo vobis per charitatis condescensionem; sic nimirum dicitur piæ Matri: Duo ubera tua, sicut duo hinnuli, hoc est, duo ubera tua duobus congruunt hinnulis. Planè congruunt eis, id est, infirmitati eorum lac propinant dulcedinis, eo ipso, quo illum nobis pro tempore nutrierunt; de quo infirmæ animæ per Prophetam dicitur* Psal. 54. *Jacta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet. Verè duobus hinnulis, ex utroque sexu electis duo piæ Matris ubera congruunt, id est, imbecillitatem eorum congruè fovent & nutriunt, eo ipso, quo nobis pro tempore Nutritorem omnium nutrierunt, ut ita videlicet Lacte Virgineo hoc nutriti ac confortati, in via Domini, ac salutis magnis passibus indefessi progrediamur, & in Divino obsequio perseverantes, ad finem úsque fælicissime decurramus, & fideles effecti usque ad mortem, vitæ Coronam immarcescibilem percipiamus.*

B. V. parit nos ad salutem, atque nutrit velut mater.

42. Cûm ergo Virgo Deipara, & prævenientem peccatoribus gratiam, quâ à via perditionis revocantur, & concomitantem átque etiam subsequentem, atque adeò perseverantiæ Donum in via divini servitij nobis impetret, cultui ipsius, ac sedulæ venerationi, si salutis nostræ amantes sumus, nos plurimum affici oportet, simúlque vehementissimè cavere, ne Cacodæmonis pessimi veteratoris fraudibus, in negligentiam debiti cultus ac obsequii, quod optimæ Matri deferre tenemur, inducamur. Quemadmodum enim pius ille, ac filialis in Deiparam affectus, ardénsque amor, ac devotio, testimonium reddit conscientiæ nostræ, quòd simus Filii Dei, spémque firmam ingerit, quòd Christi Filii Virginis simus aliquando futuri cohæredes, sic sanè neglectus Dei Matris cultus timendum est, ne nobis testimonium sempiternæ damnationis perhibeat; hæreditatémque beatæ vitæ adimat.

Sicut cultus B. V. nobis spem facit salutis, ita neglectus Matris Dei cultus timorem ingerit damnationis.

43. Timorem hunc eundem Religiosissimus Pater, ac Virginis studiosissimus habebat Novatus loco citato q. 3. dum clarè dissertéque asseruit: *Dico*, inquiens, *maximè timendum esse, ne immineat ingens aliquod malum, & fortè æternum supplicium ei, qui omnino negligit colere B. V. Hæc enim est nostra Arca fœderis, quæ nos, ut antiqua illa Abiatar Sacerdotem, præservat à morte maximè secunda, sempiterna videlicet perditione, animæq; interitu. Hanc Arcam cum sedulo, piéque colimus ac veneramur,*

Sicut antiqua fœderis Arca Abiatar Sacerdotem præservavit à morte, ita nova fœderis Arca Maria nos à perditione.

mur, est nobis inter hostes, variaque tam animi, quam corporis pericula firma protectio, ac munimen, uti antiqua illa, quam ea de causa ad bellum cum hostibus manus conserturi deferebant, Israelitæ, uti videre est lib. 1. Reg. 4. *& alibi. Quam ob causam Hieremias* cap. 3. *de conversione Hebræorum ad fidem Christi loquens; ubi varios favores præmisisset, quos illis Dominus pollicebatur, tandem ejusdem Domini voce adjungit: Et dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis ait Dominus: Non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra, scilicet alia nova, ut interpretatur Lyranus, illi antiqua similis nempe materialis. Ac si dicere voluisset Propheta: quando filij Israel serio fidem Christi amplectentur, antiqua legis ceremonias, uti Arcæ venerationem abjicient, illiúsque cultum, ac venerationem, modo longe præstantiori in novam animatámque Arcam transferent, in qua non lex Mosaica, tabulis lapideis scripta, sed ipse Legislator, non Manna Panis Angelorum, sed Panis vivus, qui de cœlo descendit, ipse Angelorum Dominus continebitur; Arcam istam vivam sæpè dicent Nomen Mariæ invocando, hæc super illorum cor ascendet, quia Mariam, ut Matrem charissimam, toto corde post DEUM ardenter diligent. Ejus Virginei Nominis crebrò, in omnibus adversitatibus ac periculis recordabuntur. Hujus honori dicata Templa, ac Basilicas, gratias cælestes impetraturi visitabunt, seque totos ipsius cultui patrocinióque addicent, ac mancipabunt, omnemque illam Dei protectionem decus ac gloriam, quam olim Israël Arcæ beneficio consequi erat solitus, eandem omnino, devoto ac pio cultu, ardentique veneratione Dei Matris populus Christianus nanciscetur.*

Arcæ antiquæ substituta est nova, videlicet Deipara.

44. Verè enim in hodiernum usque diem, ut reliqua sileamus Tartarei hostes vel solum Virgineæ hujuscè Arcæ nostræ Nomen perhorrescunt, & ad ipsius invocationem toti contremiscunt. Sic enim de illa veteri dicitur 1. Reg. 4. 6. *Et cognoverunt, quod Arca Domini venisset in castra. Timueruntque Philistiim dicentes. Venit DEus in castra. Et ingemuerunt dicentes. Væ nobis, væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum, omni plaga in deserto.* Quantò magis ipsa Dei viventis Mater, terror omnium Dæmonum, quorum illa caput illud superbissimum tanquam vilissimum protrivit vermiculum, omnibus Inferni phalangibus, dum adversùs mortales illos obtrituræ deleturæque consurgunt, erit formidabilis, & maximè si in nobis nullum scelus, aut crimen, quin potius vitæ innocentia, morum integritas ac ipsius æmulatrix puritas reperiatur. Tunc enim nobis certò polliceri possumus, eam pro innata sibi benignitate nobis præstò futuram, tutúmque iter ad beatam patriam, omnibus stygiorum hostium propulsatis insidiis, paraturam. *Hæc est enim illa*, ut loquitur Dionysius Richelius lib. 1. de Præcon. & Dignit. B. V. art. 3. *amatissima Dei, quâ, uti per primordialem fœminam orbis interiit, humanam reparare, atque adeò salvare progeniem DEus verè bonus, naturáque benignus, dignatus est.* Proinde ut hujus salutis perfectè compotes efficiamur, & à variis erroribus præsentis viæ, in quos humani generis hostis nos inducere conatur, præservemur, præcipua pietate, ac devotione hæc Virgo Mater

Sicut Arca fœderis hostium, ita B. V. dæmonaū terror.

Mater nobis, dum vivimus, veneranda est; sic enim in illa Elephanti hominem ab errore viæ revocantis, benignam naturam nobis licebit intueri.

45. Memorandus sanè est piissimus ille affectus in Virginem, imitationéque dignissimus novelli illius novi orbis Christiani, nomine Marcelli, de quo P. Anton. Franc. Cardin. in Relatione Japonica ad Innoc. X. qui cultu suo piissimo quo DEI Matrem semper prosecutus est, ab errore viæ vitæque Christianæ, quam amplexus fuerat, ejus meritis patrociniόque præservari, ac tandem in perseverantiæ suæ præmium Martyrii laureâ coronari meruit. Hic cum jam 23. ætatis attigisset annum essetque Baptizatus, quàm primùm ad Ecclesiæ servitia admitti postulavit, quod ei Patres nostri lubentes, fervorem ejus in Divino servitio admiranti, concessêre. Quam gratiam ubi impetravit Marcellus, ut eò aptiùs majoríque cum spirituali fructu, suo munere fungeretur, generalem totius vitæ suæ instituit exomologesin. Tum ante Deiparæ prostratus Iconem ei, magno cum pietatis sensu vovit Castitatem, Abstinentiam à carnibus, Dominicis dumtaxat diebus exceptis: Jejunium item singulis sextis Feriis in memoriam Passionis benedicti Salvatoris nostri, quæ tria vota in conspectu gloriosissimæ Virginis cœli Reginæ emissa semper punctualissimè servavit; tantúmque Dei, ejúsque Matris amore accensus, in animabus salvandis, & ad Christum adducendis ardorem conceperat, ut se se nostris Patribus in hoc tam sancto proximorum juvandorum ministerio obtulerit in servum, quem tamen, ipsius dignitatis memores, non in servum, sed in Cathechistam Apostolicíque muneris Cooperatorem susceperunt; quod ille munus, patrocinante Deipara, cujus se obsequiis tanta cum charitate devoverat, adeò ferventer peregit, ut tandem Martyrio vitæ suæ cursum fœlicissimè terminârit. Ethnicorum enim, qui eum frustra ad errorum devia, Idolorúmque superstitionem reducere conabantur, insidiis appetitus, veneno in odium Christianæ religionis è medio sublatus est; atque ita propriâ edoctus experientiâ intellexit, quantoperè illa in Dei Matrem religio, suíque ipsius ad ei deserviendum emissis tanta cum pietate votis illis oblatio, habuerit momentum ad ipsum in recta illa fidei Christianæ ad cœlum semita conservandum, ne technis Ethnicorum ab ea deviaret, sed potius pro ea mortem appeteret. Quare id de Virgine nostra æternæ sapientiæ Matre, quod de increata concinitur Sapientia Sap. 10. v. 10 hic jure dicere possumus: *Hæc Justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei, & dedit ei scientiam Sanctorum, honestavit eum in laboribus, & complevit labores illius, in fraude circumvenientium illum adfuit illi. Custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret*, videlicet hostes illos capitales Ethnicos, qui ipsius insidiabantur calcaneo, eúmque à via salutis avertere contendebant.

Marcellus novi orbis novellus Christianus expertus est, quam benignè suis clientibus gratias à Deo impetret, & dispenset Deipara.

46. Jam quid de illa Elephanti dicemus proprietate, qua antipathiam naturalem, perpetuásque inimicitias habet cum Dracone, cum eóque pugnam inire consuevit? De hac Plinius lib. 8. nat. Hist. cap. 11. & 12. *India habet Elephantos maximos, bellantésque perpetuâ discordiâ cum Draconibus tantæ magnitudinis, ut ipsos circumflexu facilè ambiant, nexúque nodi perstringant.* Idem Plinius cap. 13. adeò magnos Dracones reperiri scribit in India, ut sint vicenûm cubitorum

India maximos habet Elephantes perpetuo cum draconibus bellantes.

Dracones inter se implexi velificantes ad meliora Arabiæ pabula vehuntur fluctibus.

torum; & in maritimis partibus, eorum quaternos quinósque inter se cratium modo implexos erectis capitibus velificantes ad meliora Arabiæ pabula, vehi fluctibus. Ælianus de eadem hac Elephanti cum Dracone antipathia sic loquitur lib. 6. de animalibus cap. 11. *Apud Indos, sicut audio, graves inter se gerunt inimicitias Draco & Elephantus*, ubi etiam illorum pugnandi modum describit.

Elephanti cum Dracone discordia adumbrat B. V. cum dæmone inimicitias.

47. Hæc Elephanti cum Dracone perpetua discordia, átque inimicitia, adumbrat mirificè inimicitias illas, quæ Virgini nostræ sunt jam inde à primis mundi incunabulis cum antiquo illo serpente, qui primam generis humani Parentem Evam decepit. De quibus universorum Dominus locutus est. Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

Quam congruè inimicitiæ inter Virginem beatissimam & antiquum serpentem à divina sapientia positæ sint.

48. Hæc porrò inimicitiæ inter Virginem ac serpentem, quàm congruè ab æterna sapientia sint positæ, explicat Venerabilis Dionysius Richelius lib. 1, de Præcon. & Dignit. B. V. in Proæmio : ubi ita loquitur: *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Quippe qui per fœminam Virum fefellit, átque per hoc sobolis omnem posteritatem infecit. Fecit equidem DEUS hominem ab initio rectum, invidi autem suggestione serpentis, obliqua facta est, Protoplasti voluntas. Sed aliunde seducto, aliunde quóque auxiliandum sapientissima Divináque æquitas censuit; decrevit eo modo hominem redimere, quo deceptus est. Per fœminam enim vir Protoplastus universam prolis successionem infecit, átque damnavit. Idcóque in viro, quem decrevit, sed non nisi per fœminam DEUS clemens humanum genus redimere decrevit. Purificanda enim fuit morbo ipsa medela, damnationisque modo ipsa redemptionis forma. Idcóque quemadmodum justa atque ineffabili æternæ æquitatis censura, uno transgrediente, fœmina consilium, initiúmque præbente, cuncti cecidimus. Sic uno obediente, fœmina cooperante, ac eum concipiente, ac gignente, ab Infernalis necis obligatione omnes liberamur. Et hanc ob causam inter hanc fœminam serpentémque æmulatio orta est. Verumtamen ipsa prævalet, quippe, quæ caput illius conterit. Nihilominus insidiatur ille calcaneo istius. Circuit námque ut Leo rugiens, quærens quem devoret, schismata, hæresésque inducens, ut hujus mulieris dignitati per os reproborum suorum maledicat.* Unde Art. 1. fatetur se inductum ea potissimùm ratione ad eam laudandam, quam beatam prædicant omnes generationes, quo ab impiorum hominum injuriis eam vindicaret. Proinde opus illud suum verè piissimnm ac devotissimum, titulo illo insignire nobilissimo non dubitavit, nimirum: De Præconio & Dignitate Mariæ; quæ ita ejus laudum præconia, & summus ille Divinæ Maternitatis honos longè latéque toto terrarum orbe amplificaretur. Addit deníque art. 2. proximas hujus inimicitiæ inter Deiparam, Tartareúmq; serpentem causas, ex morum dissimilitudine ortas, quæ perpetuum discordiarum esse consuevit seminarium: *Quæ enim convenientia esse potest superbiæ cum humilitate, malitiæ cum bonitate, invidiæ cum charitate, immunditiæ deniq; cum summa puritate: quæ sicut & reliquæ memoratæ virtutes eximia cum perfectione in gloriosissima Virgine eluxerunt; adeò, ut id de ea dici possit, quod olim dixit Apostolus 2. Cor. 6. 14. Quæ enim participatio justitiæ, cum iniquitate:*

Causæ discordiarum inter Deiparam & tartareum serpentem ex morum dissimilitudine ortæ.

tæ? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? qui consensus Templo Dei cum Idolis.

49. Verè enim quæ participatio Virginis, quæ est ipsius justitiæ speculum, cum iniquitate, atque adeò omnis iniquitas Autore Cacodæmone, qui sibi per summum nefas, gloriam, honorémque soli Creatori debitum arrogare ausus est, turgentibus buccis concrepans: *In cælum conscendam supra astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Isa. 14. v. 13. Quæ societas huic increatæ illius lucis, splendorísque Paternæ gloriæ Parenti, quam totam sole amictam, Lunâ calceatam, duodecim stellis fulgentissimis coronatam in cœlo contemplatus est Joannes, quæ Virginis ornamenta, Marcus Marulus Spalatensis pervenustè in suo carmine de B. V. descripsit ita concinendo:

Quemadmodum nulla conventio lucis ad tenebras, ita nulla societas Deiparæ cum dæmone esse potuit.

O præstans facie Virgo, quam clara coronant
Sydera, quæ radiis solis amicta nites.
Sol summus casto quam sic dilexit amore,
Luminis & plenam jusserit esse sui.

50. Quæ inquam hujus tam copiosæ tam Divinæ lucis Parenti societas esse potuit cum tenebrarum Principe? quæ conventio Christiferæ Matris, quæ nobis ipsum totius Ecclesiæ omniúmque piorum fidelium caput peperit, ad Belial, Cacodæmonem videlicet omnium caput impiorum. Quæ deníque animato huic Virgineóque Templo in quo universorum Dominus cum plenitudine suæ Divinitatis homo factus, novem mensibus inhabitare dignatus est, qui, inquam, consensus Templo huic tam sacrosancto cum Idolis, in quibus stygii illi tenebriones apostatantes Angeli habitabant? Nulla omninò, cùm hæc omnia sibi invicem repugnent, & è diametro sibi invicem adversentur. Quare nil mirum continuas inimicitias atque discordias inter castissimam gloriosissimámq; Dei Matré, ac Satanam, perinde atque inter Elephantum ac Draconem, intercedere.

51. Hinc Richardus à S. Laur. lib. 10. *Elephas,* inquit, *est Draconi inimicus: Et B. V. Serpenti antiquo, qui seduxit Evam. Unde in figurâ Mariæ dictum est eidem Serpenti* Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem &c.* Idem confirmat Bernardus Bustius, Part. 9. Marial. ser. 2. assim. 13. docétque duobus modis Elephantem de Dracone reportare victoriam, primo caput ejus pedibus conterendo, ita Virgo humilitate suâ caput, id est, superbiam Diaboli contrivit. Unde ei dici potest, quod Abacuc Filio: *Percussisti caput de domo impii.* Sicut enim serpens Evam per superbiam vicit: Sic à Maria per veram humilitatem victus est. Unde Bern. *Eva per superbiam, Dei creaturam se esse non considerans, Deo parificari voluit. Maria verò humiliter se factori suo subdens, Ancillam se nominavit. Ideóque illa abjecta est, hæc electa.* Secundò Elephas cum Dracone pugnans in flumen, in quo Draco commoratur, se projicit, sibíque appropinguanti aquam in oculos proboscide conjicit, átque ita quasi excæcatum conterit. Observabat Draco Tartareus an aliqua Virgo conciperet, ut sic mysterium Divinæ Incarnationis scire posset. Sed Virgo ipsum excæcavit quodam modo, cùm Josepho desponsata fuit. Unde Bern. *Ideò Virgo desponsatur, quia per hoc à secretis cælestibus hostis excluditur.* Et Ambros. *Ideò JESUS celavit Nativitatis suæ sacramentum, quia si Princeps hujus sæculi*

Elephas duobus modis de dracone victoriam reportat, qui accommodantur modis, quibus B.V. victoriam de Dæmone refert.

Mmm mmm mm cogno-

cognovisset, nunquam pro salute nostra Christum crucifigi procurasset. Tandem ita concludit Bernardinus: *Beatæ igitur Virgini, quæ omnes Dæmones superavit & debellavit, verè dici potest, quod Isaias* cap. 51. *dixerat ejus Filio: Nunquid nisi tu percussisti Superbum? vulnerasti Draconem? Et illud* Apoc. 20. *Apprehendit Draconem, serpentem antiquum.*

52. Quod intelligens Sponsus, jure illam Turri eburneæ, ex Elephantino videlicet osse compositæ, ob eminentissimum robur ac fortitudinem, qua in pugna cum Dracone Tartareo supereminet conferre non dubitavit. Quæ sanè comparatio, eximiam omnibus ipsius Clientibus ingenerare debet fiduciam, ad ipsam velut fortissimam inexpugnabilémque turrim ex ebore, castissimi animalis osse, compactam, in omnibus cum stygio Dracone, ac præsertim castitatis initis certaminibus. Sic enim fiet, ut ipsius auxilio, patrocinióque velut eburnea Turri protecti, tanquam generosi Elephantes immanem illum Inferni Draconem ceu vilissimum vermiculum pedibus proteramus, ut pollicitus est Regius Psaltes illi, *qui habitat in adjutorio Altissimi*, Altissimæque ejus Matris velut in eburnea Turri, eundem in protectione DEI cœli commoraturum, & Dei ejusdémque Parentis Optimæ Scapulis obumbrandum, & bene sub pennis umbráque alarum ipsius speraturum: Quòd si tenebrarum insurrexerint Principes, nocturnósque Virginis Clientulò timores incusserint, consurget ex adverso quóque Virginea hæc Heroina nostra, eúmque ad pugnandũ strenuè animabit; protectionem sui Dilectissimi Filii, qui æterna Veritas est veluti scutum pollicendo: Scuto circumdabit te Veritas mea, non timebis à timore nocturno & à sagitta volante in die, Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis, ad instar prævalidi Elephanti Leonem & Draconem. Atque ita protegente nos Virgine inter omnes sanctos puritate, eminentissima quæ velut quæpiam eburnea Turris est, in omnibus certaminibus, ac præsertim castitatis, quæ difficillima, ac periculosissima sunt, victores, ac triumphatores evademus.

Deiparæ cum Turri eburnea comparatio à sponso facta meritò Clientibus Fiduciam in B. V. ingeneret.

53. Quocirca elogium illud Sponsi interpretans pientissimus Card. Halgrinus, & secundùm aliam translationem legens: *Cervix tua sicut turris eburnea;* ita loquitur: *Cervix tua, id est, eminentia altitudinis tuæ, quâ videlicet ipsas purissimas mentes Angelicas Sanctimonia vitæq; integritate transcendis, est sicut Turris ad refugium miserorum, & hæc turris est eburnea. Habet enim candorem castitatis, & firmitatis constantiam. Nec solum candor ac firmitas in ebore designatur; sed hoc etiam, quòd Ebur est os Elephantis, quod animal habet inimicitias naturales cum Dracone: & ipsa Virgo pugnam habet cum hoste nostro perpetuam, ut nobis præstet defensionis auxilium.* Hæc Halgrinus.

Dicitur B. V. turris eburnea ob candorem castitatis, & firmitatis constantiam.

54. Ex quibus verbis dico utilissima capimus documenta: Primum, ut in omnibus nostris cum stygio Dracone certaminibus confugiamus tanquam ad Asylum civitatémque refugii ad protectionem Deiparæ. Alterum, ut in tentationibus sensûs, ac carnis, quibus etiam Viri sanctissimi titillari consueverunt, ad castissimam hanc Virginem tanquam eburneam inexpugnabilémque Turrim illico recurramus. Verè enim cùm Fidelibus suadebat Apostolus 1. Cor. 5. 18. *Fugite fornicationem;* si ab eodem quæsiissemus: Et quonam tandem nobis

In tentationibus carnis & Dæmonis ad B. V. confugiendum.

nobis fugiendum sit? respondisset absque dubio: Ad Turrim hanc Eburneam, ad sinum Virginis Matris.

55. Et quod ad primum attinet documentum; id sanè jure meritò amplectendum est multis de causis. Tum quia Virgo nostra est Martia quædam Bellona, quæ à primo Immaculatæ Conceptionis suæ instanti, cum antiquo hoc serpente sive Dracone pugnam auspicata est, eamque tot annorum decursu semper vincere semper triumphare didicit. Unde S. Bern. hujus tam maturæ pugnæ ipsius conscius in orat ad B. V. eam ita allocutus est: *Tu Bellatrix egregia primò eum, qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es, tu & spiritum elationis Evæ, vertice humilitatis complosisti &c.*

B. V. à primo immaculatæ conceptionis instanti bellatrix fortissima.

56. Altera causa ob quam recurrendum in omni pugna ad Virginem nobis est, quia ipsa licet una sit ac sola, est tamen Tartareis phalangibus terribilis, & castrorum acies ordinata, tum propter ordinatissimas illius virtutes, quarum Duces, Capita, & Archistrategi sunt Charitas atque humilitas, quos Duces mirum quantum Superbissimi illi nequitiæ Spiritus perhorrescunt. Quid porrò de Angelicis cohortibus Reginam suam stipantibus dicam? His sanè vel à longè conspectis, velut horrisono icti fulmine, contremiscunt. Nôrunt enim phalanges hascè Deiparæ associatas formidabilem illum esse DEI Equitatum, qui teterrimos illos Ægyptios ipsorum personas repræsentantes, undis rubentis Oceani demersit, atque pessumdedit; ad quorum vel solum aspectum clamare compulsi sunt. Exo. 14. 25. *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Denique Equitatum hunc Domini de Tænariis illis Ægyptiis triumphantem esse ipsam Virginem nostram gloriosissimam, totius hujus Angelici Equitatus Ducem, ipse cælestis indicavit Sponsus, cùm inter ipsius præclarissima elogia illud elegantissimum asseruit Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* Unde non immeritò Rupertus Abbas, ut alibi ejus verba recitavimus, lib. 1. in Cant. Equitatum hunc dixit fuisse prodigiosam illam Virgam Moysis, Deiparam figurantem; quam ad imperium Domini idem Legislator extendens, omnes suffocavit perdiditque Ægyptios: *Cum extendisset Moyses manum*, inquit Sacer textus, *contra mare reversum est primò diluculo ad priorem locum, fugientibúsque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus, reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitûs Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis.* Exo. 14. 27. & seq.

B. V. virtutibus suis, & Angelis stipata velut castrorum acies ordinata, & Dei equitatus, terribilis est Dæmonibus.

57. En, ut una Virga hæc Virginea vices integri supplens Equitatus tam formidabilem teterrimorum hostium deleverit exercitum. Verè dicere possumus de illa cum Salomone: *Una cum sit, omnia potest.* Sap. 7. 27. Audiendus hic Ubertinus Casalius Ord. Seraph. lib. 4. Arb. Vitæ. cap. 38. ubi agens de Virginis Assumptione ejúsque elevatione super omnes Hierarchias Angelicas, déque fructibus, hâc elevatione, Ecclesiæ militanti apportatis ita loquitur: *Fuit gloriosa Virgo elevata elevatione fructuosa in patrocinio, dum residens in solio juxta Filium militantem Ecclesiam dirigit, expediendo viam; protegit, repellendo pugnam, irrigat, impetrando gratiam, ut ipsa sit omnis gratia viæ, & veritatis, & omnis spes vitæ & virtutis*, Eccl. 24. Hæc elevatio figurata fuit, in elevatione Virgæ Moysis, cui dictum fuit Exo. 14.

Assumptio B. V. & elevatio super omnes Hierarchias Angelicas fructuosa est militanti Ecclesiæ & figurata est per elevationem Virgæ Moysis.

Eleva Virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur Filii Israël in medio mari per siccum. Virga ista ad cujus elevationem præparabatur via populo Dei, est gloriosa Maria, cujus patrocinio omnis penè amaritudo populi dulcoratur, dividitur, & siccatur. Unde Bern. *O quisquis intelligis te in hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si non vis submergi procellis, si jactaris superbia undis, respice stellam, voca Mariam. Ipsa námque est, quæ dedit in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam.* Hæc ubertinus.

58. Quare jure meritò ei applicare possumus encomium illud, Romæ triumphantis, quod Claud. in Panegyrico Probini & Olybrii cecinit, & Cælius Pannonius Sacri Ord. D. Pauli primi Eremitæ in M. S. suo in Cant. 2. verba illa Sponsi explicans Cant. 7. *Pulchra es amica mea suavis & decora sicut Jerusalem terribilis ut castrorum acies &c.* Ecclesiæ applicuit. Ubi enim præmisisset: à pulchritudine primùm sponsa commendatur; Deinde à morum suavitate, & decoris gratia, postremò à fortitudine, quia terribilis est hostibus. Ubi, inquam, hæc præmisisset, mox hæc attexuit: *Persimili encomio Romam triumphantem describit Claudianus:*

Encomium Romæ Triumphantis applicatur Deiparæ, & Ecclesiæ.

Ipsa, triumphatis, quæ possidet æthera, Regnis
Assilit, innupta ritus imitata Minervæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere cultu,
Colla nec ornata patitur mollire retorto.
Dextrum nuda latus, niveos exerta lacertos
Audacem retegit mammam, laxúmque coërcens
Mordet gemma sinum, nodus qui sublevat ensem
Album puniceo rectus discriminat ostro,
Miscetur decori virtus, pulchérque severo
Armatur terrore pudor, galeaq; minaci
Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum,
Et formidato Clype᾽ Titana lacessit.
Lumine.

59. *Hæc etsi; non ad verbum Poëta noster sponsæ appingat, tamen argumento non discrepat in summo; quando eam pulchram describit & suavem, decoram & terribilem, id est, triumphantem victis hostibus, & cunctis subactis mundi Regnis. Cui Paulus cum Ephesiis agens, incunctanter in manus dat ensem, dat & scutum, & galeam capiti imponit: munit lorica corpus, lumbos succingit cingulo, nec patitur emolliri deliciis. Ut, cùm pulchra sit & suavis, & decora, virtutum scilicet, sermonísque ac fidei ornamentis, terror tamen ultra muliebrem sexum insit illi,* Hæc Cælius. Quæ si ab illo de Ecclesia prædicantur, longè aptiùs à nobis applicari poterunt Virgini gloriosissimæ, Mulierum fortissimæ, cujus invictum robur viresque tot tantísque laudibus extulit Salomon Prov. 31.

Arma quibus S. Paulus armat Ecclesiam

60. Ob eandem fortitudinem Turri eburneæ ex ossibus Elephantorum purissimis, ac robustissimis, ad Inferni castra exterenda composita comparatur, ut ipsius clientuli locum, in quo se abscondant à facie inimici, tutissimum reperiant. Elephantorum porrò ossa hæc dixerim esse virtutes Sanctorũ veteris testamenti Patrum, Abelis, Noë, Abrahami, Isaac, Jacob, Davidis, & aliorum omnium, quotquot omnibus retro sæculis à primis mundi incunabulis tam in lege naturæ, quàm in lege scripta ac deinceps sanctitate vitæ-

Deipara comparatur turri eburneæ, eo quod in se antiquorum Patrum virtutes eminenter contineat.

vitæque puritate floruerunt; quorum virtutes omnes in Virgine collectæ longè eminentius, quàm in ipsis enituerunt, atque ideò eam terribilem, ut castrorum aciem tantis támque solidis ac robustis virtutibus ordinatam effecerunt. Audiamus hic Abbatem Guilelmum ore suaviloquo excurrentem: *Si per Eburneam Turrim*, inquit ille, *exempla Sanctorum illorum Abrahæ, Isaac, Jacob, Davidis & cæterorum significantur; sanè Deiparam verissimè talem vocari, quæ Multò sublimius cæteris, ex ebore illo antiquo Turrim fortitudinis cunctis hostibus tremendam extruxit; quippe antiquorum virtutes in suis moribus non modò perfectè expressit, verùm etiam eisdem virtutibus super excellenti gratiâ, modum antiquorum longè excessit, vicitque singulos, non tantùm in aliis, sed & in præcipuis eorum: Abraham in obedientia; Moysem in mansuetudine, David in humilitate &c.* Quod si Virgo tot innumerabilium Sanctorum virtutibus, velut solidissimis candidissimísq; Elephantorum ossibus est compacta, qui fieri potest ut ad instar validissimi ac copiosissimi benè instructi exercitus teterrimis illis Orci Draconibus non evadat formidabilis. Jure igitur vocat eam sponsus Turrim Eburneam, eò, quòd non solùm Sanctorum illorum virtutibus puritate videlicet, animi fortitudine, humilitate in se exercitum componat, verùm etiam, quòd instar cujuspiam fortissimi Elephanti, uti de eo naturales scribunt, in se Turrim quandam munitissimam gestet, ipsa turris eburnea effecta, qua protecti cum nostris hostibus tutè, magna cum spe reportandæ victoriæ decertare possimus.

61. Unde ob easdem hasce virtutes idem Cœlius Paňonius vir tam pietate, quàm doctrinâ illustris, viros Apostolicos vocat collum sponsæ, atque Eburneam Ecclesiæ Turrim: *Commendat*, inquiens, *collum sponsæ, primo à fortitudine, deinde à candore. A fortitudine quòd nullis oneribus cederet; à candore, quòd pulcherrimum esset. Quo typo describuntur Apostoli, Apostolicique viri fortissimi in constantia fidei, & in vitæ candore pulcherrimi, qui ad decus & honorem usque ad admirationem sustinuêre caput Ecclesiæ Christum.* Inter hos viros Apostolicos sustentantes, caput Ecclesiæ, ipsum videlicet post Christum Summum Maximúmque Pontificem, ipsius Vicarium vir Religiosissimus pro sua charitate, tacito nomine minimam societatem nostram, quæ eo tempore, quo hæc scribebat nempe Anno 1548. orbi innotescere ceperat, adscribere non dubitavit: *Non excluduntur*, inquiens, *ab hoc catalogo colli eburnei, turriti, quos posterior quoque ætas nostra hac dedit Prædicatores sinceros, & sanctos & candidos. Magnum Sacramentum, Apostolos, Virósque Apostolicos, & omnes Veritatis Ministros exæquari Turri eburneæ, non quòd in rerum natura extet ejusmodi Turris, qualis cogitatione tantùm concipitur, non artificio elaboratur. Simili ratione vocat Martialis manus eburneas.* Vocat Eburnea colla Ovid. 3. Met.

Impubésque genas, & eburnea
colla, decúsque.

Hinc perpende, quales suos in Ecclesia velit Christus esse Doctores. Ita Pannonius.

Turris eburnea & collum sponsæ typus est Apostolicorum virorum.

62. Quibus sanè verbis non officii nostri admonet, ut hujus Turris Eburneæ, nempe castissimæ Virginis Matris simus imitatores, eborísque candorem, puritate cordis, illibata totius corporis ac planè Angelica castimoniâ animíque sinceritate: fortitudinem verò, magnanimita-

Si in puritate & fortitudine imitati fuerimus B. V. experiemur tutum præsidium in turri eburnea.

mitate in adversis, in tribulationibus, in persecutionibus tam infidelium, quàm hæreticorum, pravorúmque Christianorum tolerandis perferamus. Ita ut hujus Virginis Benignissimæ; quæ jam inde à teneris unguiculis nascentem societatē nostram velut amantissima Mater parvulā filiam complexa est; confisi fretíque patrocinio velut eburneâ turri inclusi ac protecti adversitates omnes, tribulationésque omnes, ipsum Acheronta Apostolico illo Spiritu D. Pauli generosissimè provocare possimus, magnâque in Virginē hanc fiduciā ac humilitate dicere: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neq futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Christi Dei, quæ est in Christo JEsu Domino nostro.* Rom. 8. cap.

63. Nimirum Virgo hæc nascenti Societati nostræ piam Matrem se se exhibens, dicere videbatur dilectissimo suo Filio: *Soror nostra parva est, & ubera non habet,* q.d. Soror hæc, ò sponse mi! est mea, & tua, mea propter communem adoptionem: tua verò; quia, eodem spiritu, quo tu ex me natus, illa in te renata est. Cui sine dubio responderit Filius: *Quid faciemus Sorori nostræ in die quando alloquenda est. Ac, si dicat,* inquit Guilielmus, *more tuo facis, ò pia Mater! simpliciter suggeris, cùm hæc dicis; sed hæc tua suggestio petitionem redolet, ut olim in nuptiis: Nam deficiente vino simpliciter mihi suggessisti: Vinum non habent, & nihil addidisti. Ego autem sciebam quid sibi vellet ista suggestio, sciebam, quod petebas vinum convivantibus fieri, & in hoc facto Divinitatis meæ potentiam declarari. Feci, quod volebas, nam convertendo aquam in vinum, & lætificavi convivas, & manifestavi gloriam meam. Sic etiam nunc simpliciter suggeris, Sororem nostram parvam esse, & ubera non habere. Sed video, quid sibi velit hæc suggestio tua. Vis enim & petis, ut eam per merita tua habeam excusatam, & ignoscam ei, quod jam diusculè talis est, quod jam longiusculè in suis primordiis ac incunabulis hæreat, nec possit majora ad tuam gloriam amplificandam præstare. Ecce facio, quod petis, ignosco ei super hoc intervenientibus meritis tuis. Sed video, quod hoc solo contenta non sis, video quid amplius velis; quid faciemus Sorori nostræ, quid vis, ut faciamus? Ecce in voluntate tua pono quid faciam ei. Non est, quo amplius Mater honoretur à Filio, quid ergo faciemus ego & tu sorori nostræ? Ego per auctoritatem, tu per interventionem. Ego Divinè operando, tu piè cooperando.* Sic ille. Quo ex amantissimo Filij Matrísque colloquio satis colligimus (absit verbis jactantia) quantoperè solicitæ fuerint personæ hæ Divinissimæ simul ac pientissimæ in parvula hac sua Sorore minima Societate nostra virtutibus ornanda. Unde ut tantò effusiorem suavissima Virgo erga illam charitatem demonstraret, paucis intercalatis; hæc attexit, ut eam ad habendam erga se fiduciam animet: *Ego Murus & ubera mea sicut Turris.* Ubi rursus Audiendus nobis est pius Guilielmus: *Postquam,* inquit ille, *pia Mater Sororem parvam Filio commendavit, convertit se ad illam, atque hortatur ut in suis necessitatibus ad se, quasi ad locum munitum confugeret, & in sua tutela consisteret, donec crescat atque grandescat; Ego Murus inquit & ubera mea sicut*

Colloquium affectuosum Deiparæ cum Filio suo, commendando illi minimam JEsu societatem, inducitur.

Alloquitur Societatem JEsu & animat ad fiduciam Deiparæ.

cut Turris. Parvula es & delicata, & nondum idonea stare in acie adversùs hostes rigidissimos, Principes, & potestates tenebrarum. Ergo ad me veni; apud me mane. Ego enim Murus ad protegendum, Murus inexpugnabilis circumcingens eos, qui ad me confugiunt, planè, qui hoc Muro circumdatur, tutus est ab his, qui in circuitu ambulant impij, & à capite eorum, qui tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret.

64. *Ego denique sum Murus simul & Mater. Murus ad protegendum. Mater ad nutriendum. Murus infirmis, Mater parvulis. Propter insufficientiam virium campum times? Murus sum, intra me abscondere à facie inimici. De parvitate tua confunderis, & crescere vis? Mater sum, meo lacte nutrire. Murus sum per fortitudinem, & Mater per pietatem. Ego Murus inexpugnabilis, & excelsa habens propugnacula; ego Mater amabilis & grandia habens ubera; quam grandia? sicut Turris: non tantùm nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere, quo nutriam, & non habere quo muniam. Materna pietas mea, quos nutrit etiam munit.*

B.V. murus simul & mater.

65. O singularem, ò admirandam Virginis Matris in mortales pietatem! ò effusissimam charitatem! ò tutissimum adversùs hostes Tartareos munimen ac protectionem! quam adhuc parvula societas nostra intra tot adversariorum persecutiones, atque insidias eámque undíque pasśimque incursantes experta est. Quibus illa muro hoc Virgineæ protectionis circumcincta nutriri, ac in dies magis grandescere, fieríque se ipsa fortior, ac inexpugnabilior visa est. Fuit nempe illi semper Deipara, & nunc est Murus quidem aheneus, murus adamantinus, fuit Turris eburnea ex solidissimis Elephantorum veterum scilicet Patrum virtutibus, ceu ossibus compaginata; quas simul cum aliis Virgineis accuratius contemplans, semetipsam roborat, & ad dura quæque JESU Christi Ducis sui amore exantlanda animos præparabat.

Societati JESU Deipara semper fuit murus quidam aheneus & turris eburnea.

66. Hâc turri eburneâ protecta minima hæc nostra Societas didicit constantem ac obfirmatum candidum ac nitidum ad instar eboris animum, omni inhonestatis vel minimâ labeculâ liberum conservare. Unde regulæ illius S. Patriarchæ nostri Ignatii memores: *Quæ ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm constet, quàm perfectè sit observanda, enitendo, Angelicam puritatem & corporis, & mentis nostræ munditiâ imitari.* Memores, inquam hujuscè regulæ, neminem vel levissimâ lasciviæ cujuspiam maculâ inquinatum nobiscum commorari diutiùs patimur, quantumvis ingenio ac literis generísque nobilitate, alíisque naturæ dotibus sit illustris. Quam etiam ob causam crediderim Venerabilem illum Doctissimúmque Patrem Cœlium Pannonium homines nostros Turres eburneas, viros Apostolicos, Prædicatores sinceros, sanctos & candidos appellâsse; quem mentis candorem, cordis puritatem, animíque sinceritatem nos non ex nobis, sed intercessione ac patrocinio Virginis potissimùm, dum sub ejus protectione velut in eburnea Turri commoramur, habere ultro lubentes volentésque confitemur.

67. Tertia deníque causa, ob quam in omni tentatione & quovis cum stygiis hostibus certamine nobis ad Virginem recurrendum sit, est, quòd ex iis, quæ passa est ipsa, nobis affectu prorsus Materno compati didicerit exemplo Filii, de quo Apostolus ad Heb. 4. *Non habe-*

Deipara optimè novit, exemplo filij, compati infirmitatibus nostris.

mus Pontificē, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. Licet enim Sanctus Bernardinus Senensis, & Richardus à S. Vict. insinuare videantur, Deiparam nullis tentationibus unquam Diabolicis fuisse obnoxiam; probabilius tamen censent alii, eam omnino illis non caruisse per simplicem suggestionem extrinsecam, inter quos Baptista Novatus To. 2. cap. 2. q. 5. Cùm enim Deipara Mater ac Regina misericordiæ fuerit electa, valde congruum fuit, ut ipsa saltem extrinsecùs Cacodæmonis tentationes pateretur, ut inde in nostris nobis compati, nos adjuvare, nos ab ejusdem insidiis protegere, atq; ab eis eripere pro innata sibi pietate novisset.

Confugiendum ad Virginem, ad Turrim eburneam peccatori.

68. Et quoniam homo commisso unico peccato mortali Divinâ gratiâ destitutus, & dæmonis servus effectus, graviores longè pati consuevit tentationes, óptimum docet idem Religiosissimus Pater esse auxilium, ad Virginem tanquam ad Turrim eburneam à facie Draconis antiqui confugere, ne in via hac æternam ad vitam tendente supplantemur.

Consilium Gersonis ad varias inimici tentationes superandas.

69. Audiendum hic salutare Joan. Gersonis Cancell. Paris. 4. P. operum serm. de Nativ. B. V. circa finem, ad varias inimici tentationes ac machinamenta superanda consilium. *Si phantasias circa inutilia aut noxia nequaquam ex toto abjicere sufficimus, sicut nec ventos continere, nostrum est illas contemnere, & pro nihilo ducere. Agamus iter nostrum non retinentibus nos latronibus istis Dæmonibus, nec pusillanimitate puerili deficiamus, dejicientes nos ultro in volutabrum luti. Si enim non consenserimus, nullum est peccatum, imò verò magnum meritum comparatur. Animā nostram ad extremum dies oriens gratiæ efficit terribilem, tanquam ipsa sit acies castrorum, hoc est, virtutum ordinata, contra quam Caro, Dæmonia, diversa movent prælia. Sed ne timuerimus, quoniam plures pro nobis sunt, quam contra nos.*

In omni tribulatione confugiendum ad Mariam.

70. Deníque religosa mens in omni tribulatione & angustia conflictúque vitiorum debet confugere, pedibus orationis, ad illam, quæ est Dæmonibus terribilis, velut castrorum acies ordinata. Et hæc est Beata Dei Genitrix Virgo. Fœlix anima, cui datum fuerit de nocte culpæ progredi ad Auroram consurgentem gratiæ, ut eam sub admiratione fas sit intueri & dicere: *quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens?* deinde conveniat eidem animæ illud; *Pulchra, ut Luna* in devotione; *Electa, ut sol* in cognitione; *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, in Divina, addiderim ego, in Virginea protectione

Ad solam Nominis Mariani memoriam contremiscunt dæmones.

71. Tam horribilis est Virgo nostra Dæmonibus, ut sicut nobis suavissima illius memoria mirificam menti nostræ dulcedinem attestante Bernardo importat; ita eadem stygiis illis larvis terrorem incutit. Unde Hugo Card. de S. Caro. cùm eam dixisset: *Terribilem, ut castrorum aciem ordinatam*, mox attexuit: *Ad cujus memoriam Dæmones contremiscunt, & eam sustinere omninò non possunt, ut patet in exemplo Theophili, quem ab eorum unguibus rictibúsque liberavit.* Quare jure dicere possumus cum eodem Hugone Virginem Cedrum esse. *Quia*, inquit ille, *sicut Cedrus odore suo fugat serpentes, ita B. V. Dæmones.* Quod igitur cedrinus odor est serpentibus, hoc memoria Nominis Mariani est Dæmonibus. Quòd si odor vestimentorum Virginis est, ut inquit sponsus Can. 4. *Sicut odor thuris*, qui fugat dæmones, ut docet S. Amad. Hom. 2. de Laud. B. V. quantò magis dulcissima ipsius præ-

præpotentis Nominis memoria? *Asserunt*, inquit S. Antistes, *odore thuris Dæmones fugari, lachrymas excitari; DEum lachrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim, odore virtutum S. Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc illúcque raptari, ut in eis impleatur, quod dictum est: Fiant tanquam pulvis ante faciem venti* Psal. 34.

Dum in hac vita degeret Deipara, solo suo Nomine terribilis fuit dæmonibus, sed longè amplius postquã assumpta est.

72. Et licet Virgo nostra semper dum in hac vita adhuc degeret vel suo Nomine Dæmonibus terribilis extiterit; tamen longè amplius postquam ad cœlestia Regna ad dexteram Filii à quo omnem potestatem in cœlo, in terra, atque etiam in Inferni abyssis accepit; quâ sanè accepta potestate, admirabili prorsus ratione malignorum spirituum vires robúrque atterit. Quod nobis clarè indicavit S. Bern. Senensis To. 3. serm. 11. ar. 1. cap. 3. ubi sic loquitur. *Figurata est B. V. in figura Arcæ Mosaicæ, de qua* Num. 10. *Scriptum: Cùm elevaretur Arca, dicebat Moyses: surge Domine & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua &c. ut mysticè innuatur, quòd quando elevata est Virgo gloriosa ad cœlestia Regna, Dæmonis potentia imminuta est, & dissipata. Unde de illa dici potest: Superborum & sublimium colla propria virtute calcavit.* Eccl. 24.

73. Idem confirmat Ubertinus Casalius Ord. Seraph. lib. 4. Arb. vitæ cap. 38. capite verò 39. sic loquitur: *Cunctis lætantibus adstitit Regina à dextris Filii, dum sedet ad dexteram Regis. Hæc est dextera misericordiæ, in qua placuit Reginæ nostræ regnare, ut possit miseris misericorditer subvenire.* Adstat ergo ad succurendum contra tentamenta Dæmonis. Adstat ad intercedendum contra indignationem Judicis. Adstat ad excusandum defectum nostræ infirmitatis. Adstat ad subveniendum accipiens pro nobis plenissimè influxum Divinitatis, sed adstat verè Regina, quia summi Regis Mater per generosam conceptionem; quia summi Regis Filia per generosam adoptionem; quia summi Regis Sponsa per gloriosam assumptionem; sed adstat in vestitu deaurato, quia in corpore glorificato, ex cujus splendore post Filium tota clarescit sanctitas Paradisi.

Post assumptionem adstat B. V. à dextris filij ad subveniendum nobis.

74. Hinc Joan. Gerson Tract. 4. in Magnificat, ait Deiparam triumphanti similem in cœleste capitolium triumphatis, ac captivatis aëreis potestatibus, Inferníque detractis spoliis, multam ex purgatorio prædam, ac captivitatem stridentibus ac ululantibus tenebrarum Principibus eripiendo ascendisse. Unde ita ipsam alloquitur. *Scandens ad æthera potestates aëreas debellasti, nihil adversum te malignantes Spiritus se posse sentientes. Admirari potiùs oportebat Dæmones & expavescere quasi quærentes inter se: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum quasi Aurora consurgens, quæ est umbra mortis, & terribilis ut castrorum acies ordinata!*

In Assumptione triumphanti similis B. V. cæleste Capitolium ingressa est.

75. Néque verò solùm Virgo vires potestatémque stygiorum tenebrionum fregit, ac pessundedit, verùm etiam ipsius clientuli, ita ab illa panopliâ divinarum gratiarum undíque muniuntur, ut planè tenebrarum Principibus evadant formidabiles. Hæc enim velut stella nobis in terra tentationum nocte exoriens, ita menti nostræ affulgescit, ut fraudes technásque Infernalium veteratorum agnoscentes, vel solo Nomine Mariæ, ceu Virgo aut baculo canes abigunt. Maria enim nobis illa stella lucidissima, est Virga, & baculus cani illi trifauci Cerbero formidabilis. De qua Balaam

Neque solum B. V. potestatem dæmonis fregit, sed etiã suos clientes ita obarmat, ut illi formidabiles fiant.

Ariolus, à Spiritu Sancto compulsus, veritatem fateri debuit: *Orietur stella ex Jacob, & consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Verè enim Nomen Virginis tetros illos, lucifugósque Spiritus luce suæ gloriæ clarissimâ profligavit. Verè Nomen Virginis Duces hos Moab superbissimos; de quibus Isaias. *Audivimus superbiam Moab*, superbus est valdè tanquam Virga ferrea percussit, vastavit, atque contrivit, vel in primo suo hunc in mundum per immaculatam conceptionem ingressu, caput Infernalis serpentis, peccatum videlicet Originale, conterendo.

76. Ut porrò ostendat Balaam eandem propemodum virtutem communicandam fidelibus ipsius clientulis ac devotis paucis intercalatis attexit: *Israël verò fortiter aget;* auxilio videlicet patrocinióque Virginis confortatus, à qua velut eburnea Davidicáque Turri mille clypeos omnem armaturam fortium, atque panopliam capesset, ita ut vel solo aspectu Dæmonibus evadat formidabilis. Sic S. Pater noster Ignatius à primis suæ conversionis annis servus, cliensque Virginis fidelissimus, cujus se totum devoverat obsequiis, gladium suum in Templo Virginis de Monte serrato anathema perpetuum suæ servitutis de tholo suspendit, facto ipso profitens, se Virgineæ hujuscè Turris ad Tartareos hostes expugnandos in posterum armis usurum, eosdémque ipsius virtute debellaturum, quod & factum est. Nam humani generis hoste ipsi modò specie serpentis multis quasi oculis resplendentis, modò aspectu deformi se se repræsentante, ipsum per contemptum tanquam vilissimum canem baculo abigere consueverat. Aliàs cùm hi Orci fœdi nebulones illi terrorem incutere, attentarent, magnâ animi, vocísque contentione in genua procumbens appellare, ac provocare illos cœpit: *Si tradita*, inquiens, *à Domino in me vobis potestas est, præstò sum; potestatem datam in me, neque repugnantem, neque verò recusantem convertite. Sin potestatem nullam habetis, quid miseri atque imbecilles furitis, larvisque umbratilibus trepidos puerorum territatis animos, & injecto vano terrore concutitis? An quibus re non potestis, falsa rerum imagine nocere vultis?* Hæc porrò, ut scribit Ribadenera lib. 5. vitæ ipsius cap. 9. quo ipsius animi magnitudinem deprædicat. Hæc, inquam, ea animi firmitate dixit, ut tunc omnem metum depelleret, & inposterum adversùs omnes Diaboli impressiones, ac terricula multò etiam esset erectior.

S. Pater Ignatius Marianis armis munitus, dæmonem instar canis baculo abigere consuevit.

77. Unde alia vice cum Diabolus eum præfocare conaretur, suavissima Nominis JESU imprecatione Diaboli conatus repulit. Alia nocte Ignatius plagis verberibúsque gravissimis ab eodem Satana affectus, erecto invictóque animo, ac si nihil ejus sævitiem pertimesceret, substitit. Eodem omni robore, clientelâ, ac tutelâ Virginis tanquam eburnea Turri protectus inconcussus perstitit ejus Socius Sanctus Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, cùm durissimis flagris quodam in Templo, ante Aram Virginis nocte concubiâ in precibus excubans, laniaretur; auxilium cœli Reginæ verbis illis implorans: *Domina optitulare! Domina non opitulaberis?*

S. Ignatius Xaverius [illegible] B. Virg. protecti, contra [illegible] [illegible] dæmonis [illegible]

78. Quare ad insidias Cacodæmonis propulsandas valdè laudabile est atque salutiferum Iconem Virginis de collo suspensam gestare, quod valdè laudat Pater noster Franc. della Croix in Hort. Mar. Areo. 1. cap. 4. n. 4. ubi sic loquitur: sunt, qui Imaginem B. V. ex reveren-

Ad insidias dæmonis propulsandas [illegible] Iconem B. V. de collo suspensam gestare, [illegible] exemplo.

reverentia, & amore semper de collo suspensam gestant, & velut cordi impressam, vel saltem medallio rosarii insculptam, aut alio modo. Hic cultus Imaginis B. V. saluti fuit desperato cuidam nobili in agro Eborensi. De quo in literis annuis Soc. JESU, anno 1593. Hic diu deliraverat, cùm eccè vice quâdam solus ad breve tempus in cubiculo relictus, thoracem induit, in quo B. V. numismata jam pridem incluserat, & aliud collo appendit; Tum instigante Dæmone præcipitem se è fenestra in durissimos lapides dedit; sed perstitit illæsus; mirante interim ipso Dæmone, qui humana specie assumptâ, hominem mentis impotem, ad puteum perduxit, ubi ignarus eorum numismatum, quæ nobilis in thorace condiderat, suadet, ut illud quòd è collo pendebat, ad os putei deponat; tum se in illum immittat. Paret infoelix ad imum demergitur; sed emersit statim ad vocem quibus opem B. Virginis implorabat; quæ continuò adfuit, suóque miserum conspectu solata, effecit ut Iconculæ illæ essent illi pro cucurbitis, nec ultra illas mergeretur, donec tandem extractus, sanus effectus est, & mente & corpore. Et ut verificata est prophetia Balaami. *Israël verò fortiter aget*, in virtute scilicet vel solius Iconis stellæ Mariæ percutientis, vastantis, & in nihilum machinamenta Dæmonum contra suos devotos clientulos redigentis; ostendens reverà Elephanti illâ pollere proprietate, qua assiduas inimicitias cum Draconibus habere, eósque fortitudine sua debellare perhibetur.

79. Et quia Tartarei hi colubri atque Dracones, inter mille technas atque artes, quibus ad prosternendos perdendósque mortales utuntur, non in postremis numeranda est carnis concupiscentia, ut eam etiam B. Joannes numeravit Apostolus, ideò tunc cùm nos hujusmodi corporis turpissimis aggreditur lenociniis, átque illecebris ad sonum Virginis Matris tanquam ad Eburneam Turrim nobis recurrendum est. Hanc enim crediderim potissimùm ob causam Spiritus Sanctus, omnis puritatis Auctor Virgini pulcherrimum hoc attribuit elogium, ut ejus memores, dum stimulis carnis, quasi Infernalis foci titionibus, à larvis hiscè tænariis ustulamur, ignitísque eorum sagittis impetimur, ad vivam hanc Eburneam Turrim confugeremus, ab eáque certissimum præsidium præstolaremur. Cùm enim Elephas, cujus ossibus turris hæc compacta memoratur, animal sit pudicissimum átque castissimum, quod Venere solùm ad conservandam sui speciem uti videtur, rectè Spiritus Sanctus Virginem eburneæ Turri contulit, ut nos tacitè edoceret, ad illam nobis cùm à fædo fornicationis spiritu impetimur, si victores esse volumus, confugiendum esse.

Sponsus divinus comparat B. V. turri eburneæ, ut dum impuris tentationibus impetimur, ad eam confugiamus.

80. Mira sunt; que Aristoteles, Plinius, Aldrovandus, ac præcipuè Ælianus de Elephantorum castitate memoriæ prodiderunt. Hic lib. 8. de animal. cap. 17. hoc habet. *Quemadmodum moderatè Elephanti libidines contineant, explicare convenit. Hi igitur ab omni immoderata libidine castissimi sunt. Nunquam enim neque vi, aut protervius, neque nimis lascivè Societatem Veneris cum fœmina faciunt; sed tanquam generis successione carentes, liberis procreandis dant operam. Sic hi, sua stirps ut ne deficiat, complexu Venereo junguntur. Neque id sanè plusquam semel in vita, & eo dumtaxat tempore, cùm se iniri fœmina patiuntur. Ut autem eorum quisque uxorem impleverit, non eam amplius attingit. Apertè porrò ac palam in aliorum oculis non coëunt, sed secedentes, ut se se in arbores densas & frequen-*

Elephas animal castissimum inter cætera.

Describitur Elephantis pudicitia & castitas.

tes occultant, aut in concavum locum, & profundum, ad occultandum eos idoneum, se abdunt. Hæc de Elephantorum temperantia Ælianus. Aristoteles verò libris de Hist. Animalium multa de eorum memorat castitate, lib. 2. cap. *Elephas,* inquit, *testes non foris conspicuos, sed intus circa renes conditos habet, quocirca initum celerius agit.* Et lib. 5. cap. 2. *Elephantes coituri solitudines petunt, sed præcipue circa flumina, adeò eos pudet actus Venerei, ut eum flumine abluant, quasi memores illius moniti Tibulli: Et noctem flumine purga.* Plinius deníque omissis aliis sic de Elephanti castitate lib. 8. cap. 5. *Elephantes pudore nunquam nisi in abdito coëunt, mas quinquennis, fœmina decennis; initur autem biennio, quinis, ut ferunt, cujúsque anni diebus, nec amplius: Sexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen: nec adulteria novêre, nulláque propter fœminas inter se prælia, cæteris animalibus pernicialia.* Hæc Plinius.

81. Cùm igitur Elephas pudicissimum, castissimum simul ac prudentissimum animal sit, jure Virgo nostra prudentissima Turri ex Elephantorum ossibus sive ex ipso pudicitiæ, castitatísque candore compositæ assimilatur, ut, quicúnque se brutis libidinis affectibus infestari sentit, memor Elephantorum castimoniæ, erubescat, simúlque ad opem protectionémque Matris omnis pudicitiæ implorandam accurrat, se séque in sinu illius tanquam fortissima Turri, à facie insidiantium hostium abscondat. Verè enim inter omnia tàm pestiferi morbi, qualis est libido, átque luxuria, nullum efficacius, ac salubrius antidotum, átque amuletum in rerum natura reperitur, quam quotidiana invocatio Nominis beatissimæ Virginis Mariæ, ad éamque assidua supplicatio, ipsius Divinæ pulchritudinis ac præsentiæ contemplatio. Hæc enim pulchritudo Virginea alterius est, longéque differentis conditionis mulierum cæterarum, quæ aspectu suo tanquam præacuto spiculo corda intuentium sauciantes, fœdum in illorum animis amorem, obscænam cupiditatem imprimunt; contra verò Virgo Beatissima venustatem suam spectantibus pudicitiæ castimoniæque amorem ingenerabat, eandémque puritatem sibi quàm simillimam in eorum animis maximè bene dispositis tanquam sigillum molli ceræ imprimebat.

Contra luxuriam non est efficaciùs antidotum, quàm quotidiana B. V. invocatio, & contemplatio.

82. Quam ob causam à Sponso in Canticis inter Mulieres pulcherrima. Et cant. 5. cum admiratione, *ò pulcherrima mulierum!* appellata est. Oculi enim aliarum mulierum velut spinæ corda sauciant, velut Tartareus ignis flammas turpis concupiscentiæ in humanis præcordiis accendunt; ad quas extinguendas, præsentissimum est remedium, Virgineæ pulchritudinis, ac præsertim oculorum qui Cant. 7. *Piscinis in Hesebon* comparantur, contemplatio; quæ simul ac semel & fœdum amorem extinguit, & castum in animis nostris, uti diximus velut sigillo imprimit. Unde B. Alanus, encomium illud sponsæ expedens: *quæ pulchra inter mulieres nisi Virgo Mater, quæ præ cæteris privilegiata est donis spiritualibus, Mater est DEI, Sacrarium Spiritus Sancti, Sigillum Virginitatis?* Hæc Alanus.

Aspectus aliarum mulierum corda sauciat, contemplatio verò B. V. castum amorem cordibus nostris imprimit.

83. Eandem crediderim ob causam à cœlesti Sponso Cant. 4. Virginem *Fontem signatum* appellari, sigillo videlicet Virginitatis perpetuæ, habente imaginem sponsi cœlestis ex impressione annuli ejus, de quo Sancta quædam Anima: *Annulo* inquit *suo subarrhavit me Dominus meus JEsus Christus* ut loquitur Guilielmus Abbas. Unde si quis impu-

Qui impuri amoris flammas sentit ad fontem signatum Mariam accurrat, & sentiet refrigerium.

impuri amoris flammis cor suum sentit subinde exardescere, ad fontem hunc signatum accurrat, sentiet profectò fœdi hujuscè incendii refrigerium, verùm etiam puritate ac castimoniâ velut signo, aut sigillo cor suum obsignari, ita ut imaginem castissimi sui Dilecti repræsentet.

84. Quare Sapienter Bapt. Novatus Tom. 2. cap. 12. q. 6. cùm ex libris duobus Ovidii de remedio amoris impudici, duodecim remedia ad febrim hanc ardentissimam curandam extinguendámque attulisset, dixissétque, eam amoris hujus esse vim, ut ei humana imbecillitas facilè succumbat, nisi diviniori antidoto, auxilióque homo præservetur virtute cælitùs roboretur, tandem ita conclusit: *Dico facillimè sanandum fore ab inordinato amore eum, qui peculiari Virginem obsequio colit, ipsiúsque opem sibi adesse ad accensas Cupidinis faces extinguendas sedulo implorat.* Quæ doctrina desumpta videtur ex mente Venerabilis Dionysii Richelii, qui lib. de Remed. Tentat. Art. 25. inter reliqua, eáque saluberrima pharmaca adfert hoc: *Sextum remedium est, advocatio & oratio, meritum, & subventio gloriosissimæ Virginis DEO Patri comparentalis, quæ est Advocata Ecclesiæ, miseratrix, adjutrix & Mater omnium ad se confugientium, conculcatrix capitis Dæmonum, atq; in omni necessitate subventrix.* Sic ille. Et meritò sanè de auxilio Virginis in hujusmodi tentationibus nobis benè sperandum est, cùm enim sit Regina Angelorum, Sanctorúmque omnium, in hujusmodi tàm periculosis præliis, iisdem comitata nobis adest, præsertim iis, ad quos aliquis peculiarem habet devotionem, confidentiam atque refugium. Michael quóque Magnus Princeps commissæ sibi Ecclesiæ militantis Patronus noster fidelissimus esse consuevit. Ipse enim cum reliquis choris Angelicis, imperio Christi, ejúsque Matris sanctissimæ, invisibilium hostium refrænat, retundítque conatus, ut testatur Joan. Apoc. 20. ubi scribit vidisse *Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abissi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendisse Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum.* In libro quoque Tobiæ cap. 8. legimus Angelum Raphaëlem *religasse Dæmonium in deserto Superioris Ægypti.*

Deipara invocata in tentationibus nobis præstò est comitata Angelis, & sanctis nostris Patronis.

Angeli imperiò Christi, ac Deiparæ Diabolum alligant vel relegant.

85. Inter Specialia porrò luxuriæ remedia, quæ decem omninò adfert idem Richelius, ait efficacissimum Virginum mulierúmque speciosarum aspectum fugere. Quod nos edocuit Job 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Siracides etiam Eccl. 9. *Virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus, averte faciém à muliere compta.* Quod profectò saluberrimum consilium sicut omninò amplectendum est, & oculi â forma, elegantiáque filiarum hominum avertendi; ita ad hanc castissimam Virginem, omnis puritatis fontem signatum, cum facibus impuri Cupidinis inflammamur, omninò convertendi sunt. Nam ut refert Guilelmus Parisiensis Episcopus, quidam ejus temporibus accipiens calvariam fœminæ olim speciosæ, quam quoties carnis illecebras sentiebat, aspectum in illam defigere consueverat, sanabatur. Et alter, ut est in Vitis SS. Patrum, cùm in Eremo gravissimis carnis stimulis ex imaginatione speciosæ cujuspiam fœminæ, quam olim in sæculo subinde fuerat intuitus, exagitaretur, & postea eam vitâ functam esse intellexisset, nocte ejus sepulchrum aperuit, & partem illius fœtentis cadaveris ad cubiculum detulit, cujus horridus aspectus, fœtórque intole-

Inter luxuriæ remedia est mulierum speciosarum aspectum fugere.

Contra tentationes carnis iuvit non nullos aspectus frequentior calvariæ, aut fœtor putridorum cadaverum.

rabilis, mox fœdas omnes cogitationes, quibus infestabatur, abigebat, & lascivientis corporis petulantiam refrenabat.

86. Quod si Cadaverum muliebrium fœtor, ac horror tantam vim habuit ac energiam ad sensûs comprimendam lasciviam; quantò majorem habitura erit vim integerrimæ ac purissimæ Virginis nostræ Deiparæ, toto ore, oculísque Castimoniam plusquam Angelicam aspirans in mortalium animis præsentia? quòd si aptum antidotum illud est, inter illa duodecim ab Ovidio commemorata remedia:

Aspectus & amor erga B. V. vincit omnem impurum amorem.

Successore novo vincitur omnis Amor.

Profectò novo hoc purissimóque succedente in corda nostra Virginis sacratissimæ Amôre, omnis impurus Amor vincatur, ac penitus extinguatur necesse est. Hæc enim Virgo, cùm ipsa testificante: *Mater pulchræ dilectionis sit*, castissimũ hunc in nobis amorem gignet, eòque tanquam clavo clavum impudicum propellet. Præclarè enim B. Joan. Climachus in scala cœli Gra. 15. *castus amore amorem pellit, & ignem corporis igne Spiritûs extinguit.*

87. Olim apud veteres, ut refert Plato in Convivio, gemina Venus reperiebatur. Altera superna & cœlestis, quæ castos sanctósque amores pareret. Altera inferior ac terrena, quæ ad libidinem incitaret. Quocirca cœlestis illa, *Verticordia*, quod corda ad luxuriam inclinata, ad castitatem amandam verteret, ac converteret, appellata est, cujus etiam simulacrum, carnis illecebris irretitæ mulieres venerari consueverant. Verùm facessant modò vana hæc anilium fabellarum deliramenta; nil nobis cum Verticordia venere, qui Matrem Christi, Matrem castorum amorum generatricem, cordium sancto amore inflammatricem Virginémque verè verticordiam cœlitus nobis Divino munere demissam habemus. Postulat illa affectu planè materno ab unoquoque nostrum cor: Fili præbe, inquiens, cor tuum mihi. Quid nobis agendum? Nunquid tergiversandum? Absit, quin potius magno pietatis dicendum sensu. Paratum cor meum, paratum cor meum; ac coram illius Icone, magna devotione procumbendum, eíque cor nostrum offerendum, ut illud ad se castissimè amando vertat ac convertat, omnémque inferiorem, impudicúmque amorem in nobis, piissimos suos illos ad nos convertendo, puritate plenissimos oculos, prorsus extinguat.

Veteres venerabantur Verticordiam Venerem, nos veneremur Deiparam quæ corda ad luxuriam inclinata ad castitatis amorem convertit.

88. Néque verò solùm castissimi Virginis oculi ac præsentia, verùm etiam suavissima purissimáque ejus vox dulcis super mel & favum Virginitatis incentivum extitit. Si enim vox, & scripta filiarum hominum, ipsorúmque lascivarum Poëtarum, incentivum sunt libidinis. Unde inter reliqua amoris remedia illud reposuit Ovidius:

Vox & scripta filiarum hominum incentivum sunt libidinis.

Teneros ne tange Poëtas.

Et rursus.

Scripta cave relegas blandæ servata Puellæ:
Constantes animos scripta relecta movent.

89. Quantò magis, plus quàm Angelicæ suavitatis vox illa Mariæ amorem puritatis ac castimoniæ nobis ingeneratura est? Nimirum ipsa quóque Virginis labia sicut & sponsi, sunt quasi *Lilia distillantia myrrham primam* Cant. 7. Quid mirum igitur? Si dum labia hæc reserantur, lilia castitatis in animis audientium gignant, quid mirum si eosdem, à coruptione libidinis ad instar myrrhæ perfectissimæ præservent, omnésque carnalium tentationum vermes ad instar myrrhæ extinguant?

Vox Deiparæ Castitatis amorem ingenerat.

90. Vo-

90. Vocis hujus Virgineæ ad castitatem hominum conservandam, insignem energiam habuisse agnovit Joan. Gerson Cancell. Par. Tract. 4. in Magnificat. *Nulla*, inquiens, *labes Tyrannicæ rebellionis ex fomite colaphizabant eam. Denique nullas in se commotiones illecebrosæ carnis sensit, sed eas in se respicientibus, sedavit. Credi similiter debet, quòd, ab audientibus serenissimam vocem ejus, omnem concupiscentiam fugaverit. Secus est de aliarum vocibus, quæ ad gehennam inflammant. Ideò nec prædicare permittuntur; nec cantus apud eas caret discrimine, cùm sint plùs quàm sibilus colubri, vel serpentis; quarum oculi sunt, ut aspectus Reguli, & tactus germina virtutum eradicans, & exurens.* Hæc Gers.

Mulierum cantus plùs quàm sibilus colubri, & earundem oculi aspectus reguli.

91. Sanctus etiam Amad. Hom. 7. Deiparam Regulo oculis halitúque obvia quæque adurenti, atque enecanti comparat. *Verè enim oculus habitúsque Virginis, dum vocem format, nequaquam ad libidinem excitat, sed potius carnalem in nobis hominem enecat.* Hinc Angelus apud S. Brigittam in serm. suo Angel. cap. 13. de Voce Virginis. *Qui ad peccandum pronissimi erant, ex ejus verborum & gestuum honestate statim peccati fervor extinguebatur, quamdiu ipsam conspiciebant.* Nimirum vox, halitúsque Virginis Paradisiacam quandam innocentiam puritatémque spirabat, adeò, ut ei diceret Sponsus: *Emissiones tuæ Paradisus*, sive ut ex Hebr. legunt alij. *Emissiones tuæ ex ore, sive halitus tuus, Paradisus.* Unde quid mirum? si ejus castissima vox amorem in nobis primigeniæ illius Paradisi castimoniæ, puritatísque in animis mortalium excitabat?

Oculus B.V. in nobis libidinem enecat.

92. Quod sanè minimè incredibile nobis videri debet. Nam & musicæ harmoniæ concentus, ac voces, varios animorum affectus passionésque excitare consueverunt. Unde præclarè D. Basilius serm. 24. de libris Gentilium legendis: *Timotheo*, inquit, *tanta fuit artis excellentia ut si quando austeriorem acrioremque harmoniam emisisset, animum ad iracundiam excitaret: rursus si dulciorem, ac mitiorem; eundem emolliret, ac mansuefaceret. Hac item arte quandoque apud Alexandrum cum Phrygios modos tibiis ederet, illum in medio convivio ad arma concitasse dicitur, & rursus eundem, tono mutato, quietum ac sedatum convivis ac mensæ restituisse.* Et paucis intercalatis, cùm doceret, quibus mediis animi puritas conservetur, attexit: *Hanc verò animæ purgationem, voluptates per sensus eripiunt. Oportet enim nec oculos spectaculis, nec per aures animarum corruptricem melodiam haurire. Hoc enim Musicæ genus servitutis & ignobilitatis fructus parere, & libidinum stimulos acuere solet. Alia nobis musica longè melior est, & ad meliora sequenda nos excitans. Hac usus David sacrorum Canticorum Poëta ab insania Saulem Regem liberavit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens, jussisse tibicinem convivio luxurioso præsidentem mutare harmoniam, & Doricum modum ipsis canere, subitóque illo melodiæ genere illos ad sobrietatem reduxisse, qui abjectis de capite coronis omnes erubescentes domum reversi sunt. Tanta sanè melodiæ rectæ, à turpi atque obscœna differentia est.* Quod si vox harmonica tanta ad concitandos varios affectus animi vi pollet atque energiâ, quantò majori pollebit vox Deiparæ ad accendendum in cordibus nostris amorem castimoniæ.

Musica varios animorum affectus passionésque excitare consuevit.

Alexander Magnus Tibiarum modis jam ad iram concitatus, jam ad quietē restitutus.

Si vox harmonica ad concitandos animi affectus, quantò majori vi pollebit vox Deiparæ ad accendendum amorem castimoniæ.

Verba Deiparæ Dei filium amore humanitatis nostræ accenderunt.

93. De hoc Virgineorum verborum ardore cor ad amorem puritatis accendentium, audiendus ipse Dei Filius, qui castissimum Matris os charitatémque ardentissimam apud S. Brigittam lib. 5. Revel. Interp. 9. mirificè dilaudavit: *Verè, inquiens, ex pulchritudine morum tuorum gaudebat DEUS Pater, & nunquam avertit oculos suos à te, & ex charitate tua omnes obtinuerunt charitatem, Os tuum fuit quasi lampas intus ardens, & lucens, ad extra, quia verba & affectiones animæ tuæ fuerunt ardentes interius Divina intelligentia, & exterius splendentes ex dispositione laudabili tuorum motuum corporalium, & concordantia pulcherrima tuarum virtutum. Verè Mater charissima! verbum oris tui traxit quodammodo Deitatem meam in te, & fervor Divinæ dulcedinis tuæ nunquam separabat me à te, quia verba tua dulcia sunt super mel & favum.* Quòd si dulcissima Virginis nostræ verba ejus fuêre energiæ, ut Dei Filius amore humanitatis nostræ accenderint, quantò magis corda filiorum hominum ad amorem puritatis inflammatura sunt!

94. Ob hujusmodi fructus quos in mortalium animis lingua Virginis pariebat S. Brigittæ Orat. 4. Divinitus revelata, os, linguámque ipsius fructuosæ Arbori comparare visa est. Unde illam sic alloquitur: *O Domina mea Virgo Maria, laudetur lingua tua, Deo & Angelis gratissima, super omnes Arbores fructiferas, nam omne verbum, quod lingua tua protulit, nulli personæ unquam nocuit, sed in alicujus commodum semper venit. Erat enim ipsa tua lingua prudentissima omnibus dulcior: ad audiendum, quàm aliquis dulcissimus gustus ad gustandum.*

Os & Lingua B.V. fructuosæ arbori comparatur.

95. Legimus aliquos terræ fructus atque herbas naturæ calidioris ardorem libidinis extinguere, vel temperare. Talis est Anethum, Nymphæa, Vitex, Ruta; de quibus variis locis Plinius meminit, & præsertim L. 20. 22. 24. 26. de Ruta speciatim insinuâsse videtur Ovidius. L, de remed. amoris.

Dantur terræ fructus & herbæ ardorem libidinis extinguentes, vel temperantes.

Utilius sumas acuentes lumina rutas
Et quidquid veneri corpora nostra negat.

96. Quodsi Nymphæa ac ruta &c. noxium hunc, fœdúmque in corporibus humanis calorem temperare atque extinguere aptæ sunt, quantò magis purissima verba Virginis, quæ de ore ipsius velut liquidissimum balsamum distillantia, ad quoscúmque pervenerint, eorum animos à carnis corruptione præservatura sunt, in eísque corporis integritatem ingenerabunt? Si enim Junonis lacte ut censuêre Gentiles olim rubentia, aspersa lilia candorem induerint, quî fieri potest, ut purissima Virginis nostræ verba, ac doctrina, qua veluti lacte nutrimur, nobis candorem puritatis non aspergat. Quare sapienter ad modum P. Baptista Novatus Tom. 2. de Emin. B. V. cap. 7. q. 4. asseruit. *Dico admirabilem suavitatem è voce Virginis effluere consuevisse maximúmque puritatis incitamentum ejus vocem fuisse illam audientibus. Vox nimirum castissimæ Turturis fuit vox Virginis. O audiatur vox hujuscè purissimæ Divinæq́ Turturis etiam in terra nostra, nobísque castitatis amorem, illa sua mirifica, quà pollet, vi accendat.*

Si herbæ, quanto magis verba Deiparæ extinguent libidinis ardorē.

Lilia olim rubentia, dicuntur Junonis lacte aspersa, candorem induisse.

Verba B. V. candorem puritatis cordibus nostris aspergunt.

97. Deníque non modò Virginis verba, oculi, præsentia, verúm etiam toto ore spirans morum honestas, compositio, gravitas, modestissimáque conversatio hominibus amorem pudicitiæ ingenerabat, omnémque concupiscentiam extinguebat. Unde S. Bernardus Senens. To. 2. serm. 48. *Virgineam hanc*

Honestas morum B.V. extinquebat concupiscentiæ motus in aliis.

hanc honestatem vocat Domicellam B.V. quæ ipsam regulam honestatis docebat, nempe corporis ornamenta contemnere, gemmis virtutum & gratiarum decorare, nullo habitu sive gestu aut actu concupiscentiæ aliis occasionem præbere; imò sanctissimæ honestatis exemplo cunctis eam cernentibus motus concupiscentiæ refrænare, sicut principaliter de ipsa Virgine dictum est Eccl. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata:* Gratia quidem fuit in illa sanctissimæ pudicitiæ honestate, nullum concupiscentiæ motum sentire; sed gratia super gratiam fuit ipsam videntibus concupiscentiæ motus sedare secundum Alexand. de Ales. Hinc idem alibi: *Quòd formosa Virgo non concupisceretur ab aliquo eam vidente, vel hoc procedere potuit ob Virginis conversationem, quæ maximam & honorabilem honestatem morum & gestuum gravitatem in facie, & in toto corpore eam intuentibus ostendebat juxta monitum Apostoli* 1. Thess. 3. *ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt. Conversatio igitur B.V. adeò per extrinseca signa apparebat honestissima, ut nullatenus posset ad fœdum aliquod inclinare: Vel denique potuit hoc procedere propter occultationem suæ pulchritudinis, quam B.V. quantùm poterat, occultabat, nec ornabat se, ut faciunt aliæ mulieres, quarum ornatus magis invitat ad luxuriam, quàm ipsa pulchritudo.*

Ornatus mulierum magis invitat ad luxuriam quàm ipsa pulchritudo.

98. Hæc honestas Virginis gloriosissimæ omnis pudicitiæ, ac castimoniæ incentivum designata fuisse videtur in Arca Noë, quæ pulcherrimus Mariæ typus extitit. Quemadmodum enim animalia omnia utriúsque sexûs licet ad libidinem propensissima, quamdiu tamen in ea commorata sunt, continentiam castitatémque servavêre: ita planè ij omnes qui sub protectione Virginis degunt, vitam omnis venereæ labis expertem ducunt. Quod nobis insinvare visus est Damascenus, qui lib. 4. de fide orthod. cap. 25. & alii, in Arca nullum fuisse concubitum testatur; agens enim ibi de Virginitate & castitate, ita loquitur. *Eja ergo pergamus, & videamus Virginitatis & castitatis commendationem. Noë in Arcam ingredi jussus, & mundi semen custodire, sic præceptum accipit: Ingredere tu, & filij tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum, & seperabis eos ab uxoribus, ut cum castitate pelagus, & illud totius mundi naufragium evitarent. Egredere, inquit, tu, & uxor tua, & filij tui, & uxores filiorum tuorum. Ecce rursus propter multiplicationem nuptiæ concessæ sunt.* Hæc ille.

Honestas B.V. incentivum castimoniæ designabatur per Arcam Noë.

In Arca Noë & homines,

99. Idem Patres de aliis animalibus dicunt, quæ licèt rationis expertia, ac salacissima fuerint in Arca tamen illa omni corporum permixtione carverunt, quod si Virginis umbra duntaxat libidinem extinguere videbatur, quantò magis ipsa Virgo suâ perfectione ac patrocinio?

Et animalia abstinuerunt à coitu.

100. Rem miram in vita B. Bertholdi primi Abbatis Garstensis cap. 17. mihi nuper legere licuit. Inviserat vocatus aliquando vir Sanctus virum quendam nobilem ac divitem Wolricum de Berneche, dum ibi moratur intellexit eum vitam turpissimam cum duodecim mulierculis formæ eximiæ traducere. Hanc vitæ licentiam pro eo, quo ardebat animarum salvandarum zelo, increpuit Bertholdus. Sed frustra. Sequenti enim nocte unam ex illis sibi adesse jussit. Sed piissimis hujuscè viri precibus, occultáque vi in media via ita substitit, ut loco planè se movere, Divinâ virtute, prohibita non posset. Hæc sequenti die à Nobili interrogata, cur sibi mini-

B. Bertholdi primi Abbatis Garstensis precibus Nobilis quidam lascivus mirabiliter convertitur.

miniмè adfuisset, uti jusserat? Respondit, ita se in abeundo subitò defixam hæsisse, ac si fortissimis vinculis esset astricta. Intellexit mox Wolricus Bertholdi precibus remoram illam impudicæ fœminæ fuisse injectam, unde salutarium ipsius consiliorum memor, repudiatis reliquis illis pellicibus, unicam illarum uxorem duxit, atque ita tantam fœditatem aversatus piè vivendo fœliciter vitæ suæ cursum terminavit. In hunc quidam pervenustè lusit:

Divitiis, vitiisque potens Berneius alebat
Fædum, venalis Ganeo prostibulum.
Res ea Bertholdo patefit, jubet ergo, lupanar
Deserat, annuitur, sed malè fallit amor.
Nocte soporifera scortum vocat udus adulter;
It Venus, at medium tenta reliquit iter.
Bertholdi en precibus fuerit violentia quanta?
Nolentes etiam compulit esse bonos.

101. Quod si tanta Bertholdi meritis, precibúsque vis inerat, ac violentia, ut currentes ad interitum sisteret, eósque quasi injecto fræno à via mortis revocaret: Quantò major vis ac potentia Virginis castissimæ inerit patrocinio, utpotè quæ non modò extrinsecùs, vim corpori injicere pro sua velut potentia, verùm etiam intrinsecus libidinis flammas rore suæ pietatis velut Aurora quæpiam valet extinguere.

Extrinseca & intrinseca vi B. V. valet à via perditionis revocare.

102. Extinguet sanè, pro ea qua divinitus donum puritatis conferendæ prædita est, potestate. Si enim Angelici Doctoris Cingulum, quod per Angelos ei Virgo, dum ejus opem in periculo castitatis amittendæ constitutus, imploraret, transmisit, tantæ virtutis est, ut illo pudicissimus Juvenis præcinctus non modo illibatum Virginitatis florem ipse custodierit, verùm etiam idem donum puritatis ejusdem Cinguli contactu aliis communicârit, ut mox patefit, quantò magis ipsa Virgo beatissima. Cingulum hoc vercellis, ut Justinus Michoviensis Tom. 2. in Lit. Dis. 231. testatur, visitur in Cœnobio Patrum Prædicatorum inibíque magna religione asservatur. Est autem candida tenuísque zona ex niveo filo contexta, quindecim nodulis distincta, quæ perpetua majorum traditione illa omninò esse memoratur, quâ eum Sancti Angeli post gloriosam illam cum carnis illecebris concertationem præcinxerunt. Quam zonam Pius V. Pontifex Max. pro sua in Angelicum Doctorem pietate tanti fecit, ut eam sibi Romam mittendam, quo ibidem in majori esset veneratione, postulârit, quam, dum Patres mittere parant, Pius ad suæ pietatis in cœlis capessenda præmia ex hac vita migravit.

Cingulum, quo B. V. Angelicum doctorem per Angelos cingi curavit Vercellis servatur.

Pius V. Pontifex illam zonam sibi Romam mitti voluit, sed prius vitâ functus.

103. Cingulum hoc non solùm vercellis, sed & Neapoli & aliis Italiæ urbibus percelebre est, confectis enim aliis ad imitationem illius primi Angelici, humanâ arte cingulis, eísque peculiari quadam precatione benedictis, mira patrari insignésque puritatis effectus in fidelium animis edi credibile est, ob virtutem castitatis, quam iis, qui illud gestare piè ac reverenter consuevêre, confert; cùm hujusmodi oratione, quam hic atteximus, virtus hæc ut illis à Domino communicetur, postulari soleat: *Domine JEsu Christe Fili Dei vivi puritatis amator, & custos, obsecramus immensam clementiam tuam, ut sicut ministerio Angelorum S. Thomam Aquinatem cingulo castitatis cingere, atque à labe corporis & animæ præservari fecisti, ita ad honorem & gloriam ejus benedicere, & sanctificare digneris Cingulum istud,*

Ad illius Zonæ imitationem factis cingulis, & benedictis, mira patrantur.

Oratio dici solita, dum quis se præcingit tali cingulo.

istud, ut quicunque illud circa renes reverenter portaverit, ac tenuerit, ab omni immunditia mentis & corporis purificetur, atque in exitu suo per manus Sanctorum Angelorum tibi dignè præsentari mereatur. Qui cum Patre & Spiritu Sancto, &c.

Idem Cingulum quantum auxilij attulerit contra carnis tentationes sanctimonialibus Ord. Prædicat.

104. Idem cingulum hoc quantum auxilii attulerit quàm plurimis, ut in periculosissimo carnalium concupiscentiarum certamine victores evaderent, longum foret commemorare. Testes sunt Sanctimoniales ejusdem Ord. Sanctissimæ B. Stephana Soncinas, & B. Columba Trocasani, quæ dum cum domestico hoc hoste colluctantur, invocato S. Thomæ auxilio ab Angelis simili cingulo, quo olim ipse ab iisdem accinctus fuit, præcinctæ, palmam de hoste reportarunt. Testis est B. Agatha à Cruce ex eadem D. Dominici religione, quæ post acres cum carne conflictus, à Virginum Regina solatium accipere meruit. Nam pro ea, qua pollet, pietate ei se visendam exhibuit, eámque candida zonâ, illam S. Thomæ referente præcinxit. Quòd si Angelici hujuscè viri solum hoc Cingulum, illi à Dei Matre transmissum tantâ pollebat vi, extinctis libidinis incentivis, pudicitiæ donum conferret, quantò magis ipse aspectus Virginis, ipsius fidelissimum patrocinium, ipsius cœlitus demissa suis clientulis munera hujusmodi admirandos effectus operatura sunt?

B. Alano à dæmone, & carne tentato B. V. sua castissima ubera sugenda præbuit, & sic liberavit.

105. Sanè B. Alanus de Rupe lectissimus ac dilectissimus Virginis Matris Filius, cui mira subinde benevolentiæ ostendit signa. Post graves cum Cacodæmone & carne pugnas, quæ toto Septennio perdurârunt, tandem tantarum carnis tribulationum, pietate Virginis, levamen invenit. Virgo enim illi magna cœlesti circumfusa luce se videndam exhibuit, eíque sua castissima ubera sugendo præbuit, simúlque vulnera, quæ Tartarei illi tenebriones inflixerant ei, persanavit. Adfuit mox & ipse Virginis Filius cum infinita cœlitum caterva. Tum B. V. acceptâ Alani manu eum sibi castissimum sponsum, conceptis verbis præsente Christo adscivit, eíque sponsalitium annulum è suis crinibus manu propria contextum dono dedit. Nec hic tam preciosorum munerum finis. Addidit & torquem elegantissimum, cui centum quinquaginta preciosi lapilli affabrè innexi erant, iíque pulcherrimi, cum quindecim aliis grandioribus, qui rosarium Virgineum, cujus in laudibus deprædicandis erat Alanus studiosissimus simul ac disertissimus, referebant. Atque ita non modò puritatis donum, ex intima castissimáque cum Deipara familiaritate; verùm etiam hæc preciosissima munera sortiri meritus est; reipsa attestans Virginem Turrim Eburneam esse, & mortales contra assultus Dæmonum protegentem, & candorem eboris, hoc est, puritatem fortitudinémque invincibilem castitatis suis clientulis conferentem.

B. Alano B. V. annulum è suis crinibus contextum, & torquem pretiosum, rosarij formam referentem, dono dat, atque sic donum puritatis concedit.

106. Quid jam de mansuetudine ac obedientia dicemus Elephanti? Ælianus lib. 2. de Anim. cap. 11. mira de hac illorum obedientia ac tractabilitate recenset. *Neq; verò*, inquit, *natura modò illum summa ex omnibus animalibus magnitudine ornavit, sed & disciplina mansvetum, & tractabilem edidit quòd si insignem illam, quam discendo atq; obediendo præstat hæc bellua, facilitatem describerem, fortè alicui fabulam tenere, & super ejus natura, famæ mendacia proferre viderì possem. Elephanto sanè ad morum mansuetudinem & facilitatem erudito nihil mitius, nihil ad id quod volumus obtemperantius est.* Prosequitur deinde Spectaculum pulcher-

Elephas mansuetus & obediens est.

Elephas Romæ ad Musicæ modulos saltat.

cherrimum Elephantorum ad harmonicos numeros saltantium miram dexteritatem ac facilitatem, quod se Romæ temporibus Tiberii Cæsaris vidisse testatur. De hac Elephanti obedientia & tractabilitate. Bernardinus Bustius Parte 9. Mar. serm. 2. assim. 13, *Elephas*, inquit, *inter omnia agrestia animalia est magis obediens, ut dicit Arles lib.* 8. *de animalibus*. Solinus verò: *Elephas* inquit, *suum liberatorem diligit, & eidem obediens mansuescit.*

Proprietas hæc obedientiæ B. V. convenit.

Proprietas hæc mirè in B. V. eluxit, quæ *non tantùm*, ut inquit, Bernardinus, *obedivit Deo suo superiori, & præservatori & liberatori ab originali peccato aliisque vitiis, verùm etiam obedivit videlicet Elisabethæ, apud quam mansit ferè mensibus tribus, eiq; in partu deservivit ad instar ancillæ. Obedivit etiam suo æquali Josepho Sponso suo dilectissimo, sequendo illum in Bethleem, & in Ægyptum proficiscentem, & inde in terram Israël revertentem.*

Elephas amat liberatorem suum, eique semper obedit.

107. De hac quóque Elephanti obedientia Rich. à S. Laur. lib. 10. de laud B. V. *Elephas naturaliter amat liberatorem suum, eique semper obedit.* Dicitur enim quòd captus à venatore gravissimè cæditur, quem si quis eripiat, mox erga liberatorem exhibet se obedientem, mansuescit, eundémque diligit.

Obedientia B. V. in Incarnatione Verbi eluxit.

108. Hæc præclarissima Virginis obedientia potissimùm in Incarnatione Verbi eluxit promptissimè Divinæ acquiescendo voluntati. Unde S. Augustinus. *Non concupiscentiâ carnis, sed obedientiâ mentis concepit.* Eandem obedientiam in præceptis legalibus Mosaicis observandis præsetulit, licet ea servare minimè teneretur. Qualis fuit lex Purificationis, cui pro sua modestia ipsa se sponte absque ulla obligatione subjecit, quo nobis perfectissimæ exemplum obedientiæ præberet. Verissimè enim B. Albert. lib. de Paradiso animæ cap. 3. pronunciavit: *Verus obediens nunquam præceptum expectat, sed solam voluntatem Prælati sciens, vel credens ferventer exequitur pro præcepto, exemplo Domini nostri JESU Christi, cui voluntas & complacentia Patris summum præceptum fuit.* De hoc ipsius obedientiæ in Purificatione nobis exhibito exemplo præclarè uti assolet Guerr. Abbas serm. 1. de Purificatione: *Maria non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendavit, implendo legalem significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgóque permansit, imò, quæ ipso conceptu plenè purificata fuit. Si quid fortè minus ante puritatis habuit? quid inquam mundanum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum, de immundo conceptum semine, qui fontem in quo mundus immundus purificetur, edidit, Fontem domûs David, qui hodiéque patet indefesséque scatet, in ablutionem, peccatoris & menstruacæ? suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Evangelicæ purificationis insinuaret puritatem.*

Purificationis legi spontè sine ulla obligatione se subjecit B.V.

109. Quare jure meritò cœlestis Sponsus videns suam Dilectissimam collum suum tam humiliter jugo legis, idque solo Divinæ voluntatis adimplendæ, ipsíque placendi intuitu objicientem, & intentionem hanc ejus per genas turturis adumbratam, ut alibi ex S. Bernardo fusè dictum, animadvertens subjectionémque humillimam per collum monilibus exornatum significatam pulcherrimo illo deprædicavit elogio: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis, collum tuum sicut Monilia* Cant. 1. 9. Quæ verba expendens S. Theodoretus Episc. lib. 1. in

Cant.

Obedientia B. V. comparatur monili circa collum, quia obedientia non premit, sed exornat.

Cant. *Monile*, inquit, *est ornamenti genus, quo decoratur collum. Sponsa igitur laudatur, quod pietatis jugum rectè ferat, de quo Sponsus in Evangelio. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Ideò collum jugum hoc ferens admiratur, quippe, quod nullo extrinsecus indigeat ornamento, aut adjectitio decore. Cùm per se adeò sit formosum atque insigne, ut nudum existens Monilibus, quibus collo ornari solent, simile videatur.* 70. interpr. legêre. Cervix tua sicut redimicula, eò quòd obedientia vera collum obedientis non tam deprimit, quàm redimit, & instar torquis decorat, & coronat. Audiendus in hunc locum S. Ambros. ser. 3. in Psal. 118. *Portare*, inquit, *Christi jugum suave est, si ornamenta putes cervicis tua esse non onera: attolle ergo oculos tuos ad Dominum DEum tuum, & quære DEum & invenies. Erige cervicem, redimicula non vincula geris. Muta quóque animalia redimiculis gaudent, & phalerari sibi magis, quàm onerari videntur. Genæ sicut Turturis præferent insignia verecundiæ; redimicula cervicis libertatis attollent fiduciam, Leve est enim jugum Christi, & ideò cervix eo non premitur, sed levatur.* Origenes quóque Hom 2. in Cant. per redimicula intelligit obedientiam Christi úsque ad mortem, hæc enim totam vitam ejus redimivit, circumdedit, & decoravit. *Magna*, inquit ille, *in hoc Sponsæ laus est, magna gloria; ubi imitatio obedientiæ ejus, exæquatur obedientiæ Christi, quem imitatur.* Eâdem Christi obedientiâ velut redimiculo redimitum, velut monili ornatum collum Virginis, quo jugum Domini ipsius præceptorum consiliorúmque gestabat, censuit B. Alanus apud Delrium in cantica:

Collum monili pretioso exornatum significat obedientiam B. V. quam Christo exhibuit.

Per collum, inquiens, *quòd inclinare solemus in obedientiæ signum, significatur obedientia, & subjectio, quam Christo exhibuit: pro eo, quòd quasi jugum Christi accepit, & fidei ejus obedientiæ præbuit. Ornamentum ergo cervicis, quæ est, obedientia, Christus est. Ipse enim prior factus est obediens usque ad mortem. Exornatio ergo & monile cervicis ejus, id est obedientiæ Virginis, obedientia Christi est. Sed & cervix ejus, id est, obedientia similis facta est obedientiæ Christi, quæ est monile Christi. Magna ergo in hoc Laus Mariæ; magna ejus gloria; quòd imitatio ejus gloriæ exæquatur obedientiæ Christi, quam imitatur illa.*

110. Guilelmus Abbas collum Virginis monilibus seu torquibus redimitum atque decoratum, censet ipsius esse humilitatem, quâ mirificè exornata collum suum ad obediendum incurvabat, illud ultra ad gestandum jugum Divinorum mandatorum offerebat. Licet enim ex illorum stirpe fuerit oriunda Virgo, quibus toties Dominus, exprobravit, quòd populus duræ, imò durissimæ cervicis sit. Unde Moyses Deut. 31. 27. *Scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam.* Et ideò Dominus apud Isai. cap. 48. v. 4. *Scivi, quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea;* Licet, inquam, de horum durissimorum atque æreorum hominum stirpe Deipara esset oriunda, non tamen unquam per superbiam obriguit ejus collum, sed illud ad portandum jugum Domini humillimè inclinavit. Unde Guilelmus ita loquentem Sponsum introducit: *Non riget collum tuum per superbiam, sicut collum ejus de quo* Job. cap. 3. v. 26. *Cucurrit adversus Dominum extento collo; sed est pia humilitate flexile. Proinde nec eget aliis*

Per collum monilibus exornatum potest etiam B. V. humilitas intelligi.

B. V. licet ex populo duræ cervicis progenita flexile tamen per humilitatem collum habuit.

monilibus, sed sat est in se ipso pulchrum, non minus quam ipsa monilia. Superbia eget, & quærit monilia: humilitas nec ea quærit, nec opus habet, sed tamen ultra sponsus ea tribuit, quia novit hanc iis non magis ornari, quam ornare suamet ornamenta.

Collum sponsæ non unico monili, sed monilibus comparatur, quia humilitas & obedientia tales virtutes sunt, quæ plures in se continent.

111. Nec immeritò collum Sponsæ non unico monili, sed monilibus comparatur. Humilitas enim, quemadmodum & obedientia, hujusmodi virtutes sunt, ut reliquas menti inserant, insertásque custodiant, quemadmodum loquitur Gregorius Magnus. Cùm igitur collum Virginis monilibus comparatur, innuitur eam humilitate obedientiáque sua flexibili variis Divinarum gratiarum monilibus, margaritis, lapillísque preciosissimis fuisse ornatam eo tempore vel maximè cum dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi &c.* Tunc enim fons gratiarum bonorúmque omnium purissimo ipsius se se infudit utero, eámque variarum nobilissimarum virtutum monilibus exornavit. Unde se se iis decoratam circumspiciens gloriari meritô poterat, ac dicere illud Isai. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis;* sive, ut legit Hebræus: *vestimentis JESu,* cum humilitas átque obedientia propriæ virtutes sint JESU. Quæ illi intime, uti vestes, corpori adhærescunt, *& indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* Unde nonnulli ex Hebr. legêre; *Collum tuum in monilibus,* q. d. *Collum tuum circumdatum est monilibus.* Pagninus & Rabbini interpretantur verbum illud Hebraicum. Torques & margaritas perforatas, filo copulatas, quales matronæ ad decorem sibi conciliandum, collúmque coronandum adhibere consuéverunt. Verùm Sponsa hæc Virginea externis hiscè non indiget ornamentis. Cùm enim humillimum suum collum ad Divinam voluntatem faciendam in Annunciatione Gabrielis inclinavit, variis præciosissimis monilibus, torquibus, margaritis intrinsecùs ejus anima beatissima decorata fuit, ut tota ex cœli margaritis composita, & illa una preciosa margarita Evangelica esse videretur.

B. V. non indiget externis ornamentis quia in annunciatione Gabrielis ob humilitatem anima ejus omnium gratiarum ornamentis condecorata est.

112. Hinc tres illi Patres apud S. Theodoretum, nempè Maximus, Nilus, ac Nissenus legunt: Collum itidem effectum est pulchrum sicut monilia; ajúntque monilia, hac virtutum multitudine ceu margaritis esse conflata, quæ faciunt, ut collum sponsæ non sit rigidum aut per superbiam elatum, sed flexibile ad instar aurei Torquis: *Neque enim,* inquiunt, *tibi ferreum est collum, ut propter superbiam flecti nequeat, sed propter modestiam facilè verti possit, ut monilia ex auro elaborata, cujus quidem auri puritatem, ac probitatem, humilitas tua simplicitate non ficta imitatur.* Quòd si minimè simulatam humilitatem monile significat, Sponsæ Christi collum tanquam monilia commendatum, & virtutum indicat multitudinem, & implicitam in singulis virtutibus humilitatem. Sicut enim monile rectâ figurâ prius ab artificè conflatur, deinde in circulum accommodatè ad usum circumflectitur; sic homo virtute perfectus cum absoluta vitæ moderatione rectus sit, ceteris compatiendo per humilitatem flectitur, atque demittitur. Quæ multò aptiùs de Virgine perfectissima atque Sanctissima dici possunt, hæc enim aurea sua humilitate atque obedientia in omnem partem Divinæ se conformando voluntati flectebatur. Unde fiebat, ut pluribus in dies virtutum monilibus ac mar-

Collum B. V. non est rigidum aut per superbiam elatum, sed flexibile instar aurei torquis.

Nec magnanimitas B.V. se immoderatè extulit, nec humilitas se inordinatè depressit.

margaritis decoraretur. Unde Venerabilis Dionyſ. Richel. art. 3. in Cant. *Sponſa collum fuit ſicut monilia, altitudo ipſius magnitudinis, ac ipſius voluntatis libertas, quæ nomine colli ſignificantur, omni humilitate, ſubjectione, & obedientia ornabatur; ita ut nec magnanimitas ejus immoderatè ſe extulerit, nec humilitas ejus ſe inordinatè depreſſerit, nec propria libertate unquam abuſa fuerit: imò quò extitit major, eò verè humilior fuit.*

Vir obediens omnes virtutes in ſe complectitur.

113. Quod ſanè omnibus viris Religioſis attentè conſiderandum eſt, ut ad Sanctæ obedientiæ tam voluntatis, quàm judicii amorem accendantur: Hanc enim ſi medullitus fuerint amplexi: virtutes omnes quodam quaſi compendio, mirificámque animi pacem, atque tranquillitatem poſſeſſuri ſunt. Quod nobis lectio 70. Interp. inſinuat. Redimicula enim Græcè dicuntur ὁρμίσκοι, quam vocem Niſſenus derivat ab ὅρμος, id eſt portus, eò quòd torques curuentur inſtar portûs, qui lunæ falcatæ formam habet. Unde nobilis illa Civitas Siciliæ Panormus dicta, quaſi *omnis portus*, vel *per omnia portus*, quòd naves undíque illuc conveniant & confluant. Quare dicere poſſumus obedientiam eſſe Religioſo quaſi portum, qui contra omnia pericula & tentationes ei ſecuritatem præſtat, ut conſcientiâ quietâ ac tranquillâ vitam omnem exigat in lætitia. Virtutes has aliáque bona, quæ ſancta in Religioſorum animis pariț obedientia B. Joannes Climachus gradu 4. ſcalæ cœli paucis deſcripſit. *Obedientia eſt perfecta abnegatio propriæ animæ, & proprii corporis, mors voluntaria, vita ſinè ſolicitudine, navigatio ſine damno, ſepultura voluntatis vita humilitatis & quaſi, ſi quis dormiendo iter faciat. Vivere enim in obedientia nihil aliud eſt, quàm ſuum onus aliorum humeris imponere, natare ſupra aliorum ulnas, & ſuſtentari in aquis, ne mergamur, ſed ſine periculo hoc grande pelagus hujus vitæ & quidem breviſſima navigatione tranſeamus.* Cauſa hujus ſecuritatis ac fœlicitatis eſt illa, quod obediens à Deo per Superiores ſuos regatur, qui neminem ſe ſibi committentem deſerit.

Siciliæ nobilis civitas Panormus quaſi omnis portus ex Græco dicitur.

Obedientia eſt Religioſo quaſi portus ſecuriſſimus, ad quem omnes virtutes ſe recipiunt.

114. Sed ad obedientiam Virginis Religioſæ pulcherrimam formam atque Ideam revertamur. Hanc omnibus numeris abſolutiſſimam extitiſſe, ac proinde pluribus, majoribúſque præmiis digniſſimam, indicat promiſſio illa, quæ mox elogium illud Colli ſubſequitur; *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, Cant. 1. Aureæ hæ Murenulæ ſunt aurium, quibus obeditur, ornamenta. Legunt alii: *Inaures & monilia aurea tibi fabricabimus, cùm minutulis argenteis punctis.* Per inaures aureas porrò ſignificari obedientiam omnem in partem ad inſtar auri flexibilem ac ductilem teſſatur S. Greg. lib. ult. Mor. cap. 10. explicans munera, quæ amici Jobi attulerant: *Et dederunt ei inaurem auream unam: Sicut*, inquiens, *obedientia eſt virtus, quæ per auditum intrat, ut dixit David* Pſal. 17. *In auditu auris obedivit mihi; ita per ornamentum aureum ſatis apertè perfectiſſima obedientia ſignificatur.* Cur autem hæc ornamenta aurium, Murenulas vocet, explicat idem Magnus Doctor in Cant. *Murena piſcis eſt, qui captus vertit ſe in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ Murenula dicitur.* Non contentus ergo Filius ornare Matris obedientiſſimæ collum illud, quo jugum ſuave ſuorum mandatorum portabat, illúdque totum monilibus ac Margaritis circumdare, vult tota ipſa Trias beatiſſima, aures ipſius Virgineas, quas in verba oris Divini tàm ſedulo inclinabat, inau-

Aureæ murenulæ, ſeu inaures ſignificant obedientiam.

Murena piſcis eſt qui captus vertit ſe in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ Murenula dicitur.

B. V. à SS. Trinitate exornatur aureis Murenulis, hoc eſt obedientia, ſapientia, & charitate.

ribus aureis argento vermiculatis exornare, simúlque variis diversarum virtutum ornamentis decorare. Quare Halgrinus Card. Aurum ex quo Murenulæ hæ auriū ornamenta sunt confectæ, ait significare obedientiam, sapientiam átque charitatē, quas virtutes à Sanctissima Trinitate Virgini communicatas asserit. *In auro,* inquit ille, *quia præ cæteris metallis tractabilius est, designatur obedientia. Propter precium significatur cunctis opibus preciosior Sapientia. Fervor quoque charitatis propter colorem igneum notatur in Auro. Dicit ergo Christus: Nos Pater scilicet, Filius & Spiritus Sanctus, faciemus tibi murenulas aureas. Nam ad hæc ornamenta confert Pater, obedientiæ virtutem, Filius, Splendorem sapientiæ, & Spiritus Sanctus dilectionis fervorem, quæ tria velut Virgulæ in catenulis decenti artificio connectuntur. Charitas enim, quæ fervet, jungitur obedientiæ, ne sit pigra. Obedientia, quæ humilis est, jungitur scientiæ, ne sit inflata. Scientia autem quæ dirigat, dilectioni jungitur, ne sit erronea zelatis. Murenulæ autem istæ vermiculatæ, vel distinctæ sunt argento. Nam candor carnalis munditiæ, quem designat argentum, ad venustatem & decorem prædictarum gratiarum accedit.* Sic ille. Idem Halgrinus, & alii Murenulas has censent esse catenulas virgulis aureis argenteísque contextas, quibus collum illud sponsæ Divinæ legis jugo adeò spontaneè subjectum, decoratum est. Atque ita non tantùm monilibus, sed & catenulis, sive torquibus aureis sponsæ singularis obedientia exornata est. Quibus sanè varia virtutum ornamenta declarantur, quibus Divinissimæ illæ personæ gloriosissimæ átque obedientissimæ Virginis non modò collum, quod ad obediendum inclinavit, verùm etiam aures illas, quibus Dei voluntati per Gabrielem declaratæ, obedivit, decorârunt.

Per aurum, quod cæteris metallis tractabilius est, designatur obedientia. Ob pretium significatur sapientia, ob colorem feruor charitatis.

Murenulæ vermiculatæ, hoc est distinctæ argento, datæ sunt B.V. ut significetur puritas & mundities.

115. Cœlius Pannonius Sacri Ord. S. Pauli primi Eremitæ M. S. in Cant. Murenulas ait esse opes cœlestes & mercedem vitæ æternæ. *Cum ergo promittit Sponsæ Murenulas aureas vermiculatas, variegatas argento, promittit opes inæstimabiles, quas oculus non vidit, & spiritualia charismata, promittit & sapientiam cœlestem. Nisi per anogogiæ sensum altius quiddam insinuetur de mercede æterna in patria nostra cælesti; ubi est longitudo vitæ, quæ per catenam auream rectè figuratur; & præmiorum varietas, quæ in variegatione. Sunt námque gloriæ dotes variæ & admirabiles, quæ considerari à nobis pro isto statu nequeunt, quæ consequentur in Arca Domini laborantes, & adjutores in illis, qui grano verbi Dei suppeditantur, ut, cùm in hac vita honorem dignitatis átque austeritatem præseferant, illic majori longè tum honore tum gloria cumulentur. Virtutem námque Comes consequitur honor, quia honor est præmium virtutis, ut dixit Aristoteles. Consequitur autem sicut umbra corpus, honor virtutem, itémque vitam bonam, famæ bonus odor, quæ nec sine Deo est, nec sine operibus bonis.* Hæc Cœlius.

Per murenulas aureas vermiculatas opes cælestes & merces vitæ æternæ intelligi potest.

Virtutem sequitur honor & vitam bonam famæ bonus odor, sicut corpus umbra.

116. Quæ omnia sanè mirum solatium afferre possunt Religiosis, qui sub obedientia assiduè vivunt, siquidem Virgo Beatissima singularis Religiosorum omnium Patrona, & Advocata, quod se in omnibus Divinæ conformavit voluntati, & varia monilia, margaritas, Torques aureas, ac catenulas argento vermiculatas, & murenulas aureas átque inaures preciosissimas, quibus multiplicia Divinarum gratiarum charismata designantur, assecuta est. Hæc enim ipsa virtutum ornamenta, quicúnque in Religione atque obedientia úsque in finem fideles perseverarint,

Talia monilia & murenulas consequentur religiosi, qui in religione ac obedientia úsque in finem perseverant.

Quod ostensum Juveni cuidam, Cisterciense Institutum amplecti decernenti.

tarint, adepturi sunt. Quod ostensum Juveni cuidam Cisterciense Institutum amplecti decernenti, ut scribit Chrysostomus Henriquez in Menolog. Cisterc. & Platus lib. 3. de bono statu Rel. cap. ultimo. Qui, dum de die in diem ingressum in Religionem differret, cœpissetque intepescere, cum ex Compostellana peregrinatione domum rediisset, eadem ipsâ nocte apparuit illi Christus Dominus cum duobus Apostolis Petro & Jacobo. Petrus autem pulcherrimum librum tenebat coram Domino apertum, in quo adolescentis nomen Joannes descriptum erat. Tum Dominus ad S. Petrum Dele, ait, istum de libro meo. Jacobus verò supplicare cœpit pro suo, ut appellabat, peregrino, insuper etiam illius emendationem promittere. At Joannes hoc de se agi videns pavebat & tremebat, novámque vitam in futurum pollicebatur. Dominus autem, quasi illius inconstantiæ minùs credens fidejussorem illius voluntatis postulavit, quem se obtulit S. Jacobus. Inter quæ cùm Juvenis excitatus esset, secúmque hæc admirans rursum obdormiisset, iterum est illi eadem objecta species, idque amplius, quòd illo libro apparuit ejusmodi inscriptio in Canticis: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Ille igitur & hoc jucundo spectaculo, promissóque amabilissimo invitatus, & illis minis exterritus, nullâ morâ interpositâ Cistercium se contulit, ubi magnis in virtute progressibus factis, primùm Abbas bonæ vallis, deinde etiam valentiæ Episcopus factus, verè experiri reipsa visus est, promissionem illam obedientissimæ Virgini factam de monilibus & torquibus, de inauribus, murenulisque aureis, etiam in se pietate Divina locum reperisse.

117. Par obedientiæ suæ sanctitatisque præmium in hac quóque vita consecutus est ejusdem Ord. B. Bertramus Virginis cultui amoríque addictissimus, utpote, qui eam tantopere diligebat, ut non sine magno cruciatu audire posset, si quis de ejus corporali assumptione in cœlum vel in minimo dubitaret. Unde raptus aliquando ab Angelis, non in illusione, ut testatur idem Henriquez, in Menol. 4. Julii, sed realiter, Templum intravit, in quo Deiparam Patriarcharum, Apostorum ac aliorum cœlestis patriæ civium choris stipatam vidit, à qua etiam humaniter exceptus fuit, déque totius rei veritate edoctus. Hic igitur die quadam, ut sese obedientiæ Regliosæ in ea Religione meritò ad æternam beatitudinem prædestinatam intelligeret, ab Angelo in Paradisum deductus Enoch & Eliam conspexit, qui in manib⁹ librum maximum, in quo aureis characteribus Electorum nomina erant exarata tenebant, eíque nomen suum fuit ostensum & dictum. *Nunquam delebitur Nomen tuum de libro hoc.* Quocirca meritò tam de hoc, quàm de quovis Religioso Ordine ipsius tam obedientiæ admirabilibus perspectis emolumentis Thomas de Kempis exclamavit: *O grata & jucunda Dei servitus, qua homo veraciter efficitur liber & sanctus! O sacer status Religiosi famulatus, qui hominem Angelis reddit æqualem, Deo placabilem, Dæmonibus terribilem, & cunctis fidelibus commendabilem. O amplectendum & semper optandum servitium, quo summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum.*

B. Bertramus Cist. Ord. bis raptus in cælum, unâ vice vidit B. V. angelis stipatam, aliâ vice nomen suum libro vitæ inscriptum.

118. Quid de illa Elephantis proprietate dicam, quod fiat cicur, & maximè domesticabilis, ut docet Arles lib. 8. de animalibus, & erga homines mirificè afficiatur? *B. Virgo fuit nobis domestica*, inquit Bustius

Elephas fit cicur instar animalis domestici.

B.V. fuit nobis domestica & omnibus omnia facta.

stius Par. 9. Mar. serm. 2. aff. 13. per morum conformationem. Non enim fuit singularis, licet ob eximiam puritatem Virgo foret planè singularis, sed communis, omnibus se se accomodans; unde omnes in se mulierum status repræsentavit, ut cum omnibus conveniret, convenit cum Virginibus, & ideò prima Deo Virginitatem vovit. Convenit cum Conjugatis, & ideò matrimonium cum Josepho contraxit, convenit cum viduis, & ideò post obitum Josephi vidualem vitam duxit. Denique Virgo nostra adeò nobis domestica fuit, ut videretur per eximiæ suæ in nos charitatis affectum omnibus communis: studuit enim placere Deo, Angelis, atque hominibus. Unde Bern. *B. V. Maria dicitur gratia plena, quia DEO, Angelis, hominibus, grata fuit. Deo per humilitatem, Angelis, per Virginitatem, hominibus per fœcunditatem.*

B.V. dicitur gratia plena, quia Deo, Angelis & hominibus grata.

119. Mira sunt planè, quæ à diversis auctoribus de Elephantis in homines perscribunt amoris affectu, Aldrovandus lib. 1. de quadr. cap. 9. *Apparet naturaliter Elephantes hominibus amicos esse, idq; veteres etiam credidisse manifestè nos docet Cicero. Atque opinio ejusmodi, esse quandam illi belluæ cum genere humano societatem.* Scribit Cadamastus, *hominem, nisi lædatur, non lædere,* Philostratus ait, *ubi semel ad hominem assuescit, ab eo omnia pati, ex eóque in se morum similitudinem transferre, néque aliter quam parvos canes, ex hominis manu gaudere cibum sumere atque ad se accedentem proboscide complecti, eúmque caput intra fauces immittere facilè tam diu pati; quoad homini libitum fuerit.* Sic ille. Ælianus lib. 7. de animalibus cap. 43. *In Antiochia Syriæ urbe,* inquit, *audio cicurem Elephantem fuisse, & hunc cum ad pastiones iret, mulierem corollas vendentem cùm quàm suavissimè aspexisset, tum verò etiam quàm libentissimè in illius conspectu acquievisse atque hujus faciem proboscide tersisse. Mulierem vicissim ex suo artificio illecebras amatorias, corollas videlicet, quas anni tempus permittebat, ita contexuisse, ut quotidie illi quidem sumere operæ pretium, huic verò etiam opus largiri esset. Postea autem quàm Mulier excessit è vita, Elephantus nec pristinæ consuetudinis compos, nec quam amaret amplius videns, tanquam qui amasiam amisisset, in furorem actus est.* De Elephantorum erga suos rectores gratitudine, beneficiorúmque memoria præclarè Seneca lib. 1. de benef. cap. 5. *Officia,* inquit, *etiam fere sentiunt, nec ullum tam insuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem suum vertat. Elephantorum feritatem úsque in servile obsequium demeretur cibus; adeò etiam, quæ extra intellectum atque æstimationem beneficij sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis evincit.* Strabo Autor est à quibusdam Elephantis aurigas suos, qui in certamine ceciderant, ex prælio exemptos, alios ab aliis servatos, cum anterioribus pedibus utero suos subjectos servâssent. Scribit Arianus ab Elephantis Rectores suos in bello cæsos, delatos fuisse ad sepulturam. Mirus est quóque in pueros Elephanti amor. De hoc Aldrovandus hæc habet. *Apud urbem Cochin, quidam Elephas, referente Christophoro Acosta in lacuna quadam herebat, ad quam cùm forte accesissent nonnulli pueri, Elephante conspecto omnes fugerunt, præter unum, qui istic perstitit, eum accedit, Elephas adblandiens quodammodo, & proboscide demulcens, leniter eum corripit, suoque dorso imponit, & per lacunam exspatiatur, deinde illum reponit, quo*

Elephantes mirè afficiuntur hominib⁹.

Elephas Antiochiæ in mulierem corollas vendentem mirè inamoratus.

Elephantum gratitudo erga suos Rectores.

Mirus est Elephanti amor in pueros.

quo apprehenderat loco, veluti lætabundus.

120. Scribit Athenæus ex Philarcho, cuidam Elephanti Inda quædam mulier ministrabat, eíque filium suum, trigesimum diem agentem apposuerit, erga quem adeò mortuâ Matre afficiebatur, ut ab infante separari se non pateretur, & nisi eum videret molestè admodum ferebat. Cum igitur nutrix infantem lactâsset, eum in cunis intra pedes ferè Elephanti ponere consueverat, quod nî fecisset, Elephas pabulum sumere detrectabat, quo præsente per totum diem pabulo sibi apposito vescebatur. Cùm dormiret infans, muscas abigebat, ubi verò lugebat cunas promuscide motabat, pueróque somnum conciliabat. Aliam huic similem historiam de puero narrat Ælianus, ut idem refert Aldrovandus, Additque *eundem Elephantum non modò puerorum, verùm etiam puellarum amore capi*, citátque Plutarchum, qui cùm dixisset, amores multorum animantium existere, alios sævos & furiosos, alios habentes non inhumanam elegantiam, neque invenustam consuetudinem, *talem ait fuisse amorem Alexandriæ Elephanti, Rivalem se Aristophani Grammatico exhibentis. Amabant enim ambo puellam corollas vendentem, & non minus evidenter Elephas. Nam per forum pomarium transiens, semper ei poma afferebat, diúque adstabat & proboscide manûs instar intra vestem insertâ, pectus sensim contrectabat.* Concludit tandem Aldrovandus. *Ex his igitur quæ hactenus dicta sunt constat, Elephantem hominum consuetudine amicè frui optare, eíque in omnibus, modò blandiùs compelletur, nec acerbiùs instes, obsequi atq; ad quodvis paratum esse.*

Mirus Elephantis erga infantem affectus.

Elephanti non modo puerorum, verum etiam puellarum amore capiuntur.

121. Amor hic porrò Elephantorum etiam inter ipsos elucescit, Audiendus hic rursus Ælianus lib. 7. cap. 45. *Audio ex Elephantis eos, qui integri, vulneratorum spicula, & jacula leniter extrahere veluti chirurgos quosdam, & hujus artis peritos.* Idem Ælianus lib. 5. cap. 49. de Elephantorum in suos mortuos amore, sic loquitur: *Elephas cùm alterum perspexerit mortuum, non præterit; quin humum promuscide haustum, velut sancta & mystica quadam ceremonia injiciat, communem naturam miseratus, mortuo parentans, ut, ne aliquid impiè committat; nam hoc quidem ipsum non facere, execrabile ducit, quandóque ad hoc vitandum satis est ei, vel ramum injicere, quo facto abit, communem omnium finem non aspernatus*, circa curam verò Elephantium amorémque, quem erga suos fœtus præseferunt, mira scribit Aldrovandus, ait enim: *Elephantem pullos suos adhuc à partu recentes nunquam deserere, & in illis à periculo tuendis constantissimè permanere, priúsque mori, quam suos catulos deseras. Alias quantus Matrum in hoc genere in sobolem suum sit amor, multis etiam aliunde argumentis constat, hoc verò præcipuè: Cùm in foveam pullum suum incidisse Mater perspexisset, ne minimam quidem moram interposuit, quin vehementi dolore affecta, quanto maximo posset incitato cursu in delapsum Filium præceps ageretur, amboque eodem casu morte occumberent; pullus quidem materno pondere pressus contereretur, illa verò præcipitata caput diffringeret.* Et paucis intercalatis idem Aldrovandus amorem hunc elephanti erga suos parvulos ita prosequitur. *Cùm videret Apollonius Elephantos Indum flumen transeuntes (erant autem circiter 30, & duce utebantur eo, qui inter ipsos minimus erat, majores verò ipsorum super-*

Mirus Elephantorum in se invicem obsequiosus amor.

Erga mortuos suos, & fœtum miram curam habent Elephanti.

super dentium eminentias, teste Philostrato, pullos gestabant, promuscide tanquam vinculo ipsos complectentes) hæc inquit, ô Damis! nullo jubente ea ipsis, naturali quadam prudentia ac sapientiâ faciunt. Vides enim hoc facto Sarcinarum vectores imitari suos, ut deferant pullos, vinculis ne fortè cadant eos complexi. Video, inquit Damis, prudenter sapientérque eos operari. Quid igitur sibi vult insana quorundam solicitudo inaniter quærentium, naturalis, ne sit, an non, erga filios benevolentia? hoc enim etiam Elephanti clamant à natura, ipsis talem benevolentiam datam. Neque id, sicut alia quædam, ab hominibus didicêre. Hi námque cum hominibus non vixerunt, sed naturâ ducuntur, ut ament, quod pepererunt; propterea illis prævident, eósque nutriunt. Deníque missis aliis concludit Aldrovandus: *qui prius aliquam prædam, cibum videlicet repererit, regredi, ut & suos gregales advocet, & in prædæ communionem deducat.* Ex quibus omnibus licet intelligere, quantus hujuscè animalis amor sit ac benevolentia, non modò erga suam prolem, suósque gregales, verùm etiam in homines universos, quæ sanè mirè nobis Virginis gloriosissimæ amabilissimam erga mortales omnes, ac præsertim suos dilectissimos filios, ac clientes peculiari sibi devotione adstrictos, repræsentant indolem planè benevolentissimam.

Elephantorum amor in pullos suos testatur naturalem esse benevolentiã parentum erga proles suas.

Elephantorum amor non solum erga suam prolem suósque gregales verum etiam in homines universos, repræsentat B.V. in mortales affectum.

122. De hoc Virgineæ charitatis in mortales omnes affectu, præclarè Seraphicus Doctor Bonav. in spec. cap. 4. ubi Nominis Mariani deprædicans laudes ita loquitur, nos ad eam imitandam accendens: *Vide charissime quòd Maria affectuosa fuit per charitatem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur* Luc. 2. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione &c. Abiit inquam, ut visitaret, ut salutaret, ut ministraret, Elisabeth. Vide quomodo illa visitatio Mariæ plena fuit charitate. In descriptione enim illius visitationis Maria quater nominatur; in quo charitas Mariæ ad Deum, & ad proximum pleniùs declaratur. Charitas proximi debet haberi, & foveri, corde, ore, & opere. Maria autem charitatem proximi habet in corde, & propterea Maria abiit in montana &c. quid enim eam ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas, quæ in corde ejus fervebat? Legimus quòd Pastores venerunt festinantes ad præsepium, & quòd Maria abiit cum festinatione ad obsequium, & quòd Zacheus festinans descendit ad hospitandum Dominum. Væ ergo tardis ad opera charitatis. Maria item ore charitatem proximi fovebat. Ipsa enim est, de qua ibidem dicitur: Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth. &c. Charitas inquam, proximi salutationibus & aliis charitativis locutionibus semper fovenda est. Unde Angelus salutavit Mariam, Maria salutavit Elisabeth. Filius Mariæ salutavit Marias redeuntes de sepulchro dicens illis Avete. Væ eis qui propter odium salutationem proximo negant. Væ & illis, qui dolosè proximum salutant sicut Judas: Ave Rabbi: O quàm dulciter Maria salutare novit. O Maria digneris nos per gratiam tuam salutare. Et certè ipsa nos libenter salutat beneficio & consolatione, si nos eam frequenter salutamus servitio & oratione. Libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum Ave Maria. Maria item charitatem, non solùm corde habebat, non solùm ore fovebat, sed etiam opere exercebat. Ipsa enim est Maria, de qua ibi dicitur: Mansit autem Maria*

Charitas proximi debet haberi & foveri corde, ore, & opere, talem charitatem exhibuit Maria in visitatione Elisabeth.

Væ tardis ad opera charitatis! non tardandum, sed festinandum est.

Væ eis qui propter odium negant salutationem proximo, aut eundem dolosè salutant.

Maria libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum Ave Maria.

ria cum illa, quasi mensibus tribus, mansit videlicet pro ministerio & consolatione Elisabethæ. Unde Ambrosius: quæ propter officium venerat, officio inhærebat. Item Maria sicut in omnibus charitatem habuit ad proximum, ita super omnia charitatem habuit ad Deum. Ipsa est enim Maria, de qua ibidem dicitur: Magnificat anima mea Dominum. Anima enim quod amat, hoc magnificat, & in hoc exultat. Idcirco Anima Mariæ Deum decentissimè magnificavit, & in Deo firmissimè exultavit, quia DEUM excellentissimè amavit. De cujus amore Hugo de S. Vict. quia in corde ejus amor Spiritus Sancti singulariter ardebat, ideò in carne ejus virtus Spiritus Sancti mirabilia faciebat. Hæc de effusissima Virginis, qua erga omnes afficiebatur charitate, Bonaventura.

123. Quid porrò de amore Virginis materno, quo suos prosequitur, nutrit, fovet, protegítque filios dicam? Hæc sanè, Sarâ illâ unicum illum Isaacum Filium lactante longè est in prolem suâ affectuosior. Unde longè potiori jure, quàm Sara omnibus Matribus in exemplum proponenda est. Qua in re meritò his verbis D. Ambrosii lib. 1. de Abrah. cap. 7. uti possum, qui tractans de Abrahami Conjuge Filium proprium lactante Gen. 21. sic loquitur. *Provocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim Matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent Viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsa Matres lactaverunt, uberibus suis. Atq; ita Christus Filius & Sponsus Virginis, eos filios, quos Mater & Sponsa castissima pietatis suæ uberibus lactat, ac nutrit, teneriori amoris complectitur affectu; tanquam genuinos ipsius Spirituales filios, suósque fratres.*

Potiori jure Maria quam Sara lactans filium suum omnibus matribus, proponenda est in exemplar.

Sicut Matres plus amant filios, quos ipsæ lactant, sic Christus plus amat, quos B. V. pietatis suæ uberibus lactat.

124. Maternum hunc erga se affectum experta est Rachel illa genere Judæa, de qua Henriquez in Menolog 4. May. Cùm enim hæc tenerrimè Nomini Virginis Mariæ afficeretur, illudque pronunciari libentissimè audiret, singularíque amore Dei Matrem prosequeretur, etiam antequam Christianis sacris esset initiata, contigit, ut dum à Presbytero quodam Rainero in rebus fidei erudiretur, ei gloriosissima Cœlorum Regina se se visendam exhiberet, eámque ad fidem Christi amplectendam invitaret. Nec hic materna Virginis stitit Charitas. Sæpissimè enim cùm jam esset Christiana, Ordinémque Cisterciensem ingressa, præsentia ejus cœlesti, alloquióque dulcissimo dignata atque recreata est. Unde Maternam hanc erga se propensionem sentiens, Deíque Matrem locò rerum omnium habens, flexis genibus ei dicere consueverat. *Aliæ hujus Monasterii sorores à Matribus & amicis solatium habent, & gaudium; ego autem paupercula & pupilla, & indigna ad te Dominam, ut cognatam meam, fidenter accedo. Tu sola pro omnibus esto mihi refugium & solamen.*

Maternum erga se affectum experta est Rachel genere Judæa, postea Christiana & Sanctimonialis Ord. Cisterc.

125. Virginem porrò Matrem etiam omnium Christianorum esse sæpius dictum à nobis est. Verè enim ipsi soli titulus ille primigeniæ Matris nostræ Evæ convenit. Mater cunctorum viventium. Deum enim Dei Filium Unigenam Patris genuit, nos in illo omnes spiritualiter generavit. Qua de re præclarè B. Querricus Abbas serm. 1. de Assumpt. *Ipsa unica Virgo Mater, quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eundem unicum suum, in omnibus membris, ejus amplectitur, omniúmque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, Matrem se vocari, non confunditur. Eva vetus illa, non*

Maria Mater cunctorum viventium.

Eva vetus non tam Mater quàm noverca, & interfectrix viventium.

tam Mater quam noverca, quæ filiis ante propinavit præjudicium mortis, quam initium lucis, dicta est quidem Mater cunctorum viventium, sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genitrix morientium; Cum suum generare nil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista implevit mysterium, quæ & ipsa sicut Ecclesia, cujus forma & Mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, qua vivunt universi, quam dum de se genuit, nimirum omnes, qui ex ea victuri sunt, quodammodo regeneravit; Unus generabatur, sed nos omnes regenerabamur; quia videlicet secundùm rationem seminis, quo regeneratio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semẽ carnalis generationis: sic in Christo ante initium propter semen spiritualis regenerationis; Porrò beata Mater illa Christi, quia se Matrem christianorum agnoscit ratione mysterii; curâ quoque se Matrem eis præstat, & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui, cujus viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui gravidam te ô pia Mater, inexhaustâ pietate, reliquit; Ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens, & affluens; & Horto concluso castitatis, fontem signatum charitatis semper abundare faciens, qui licet signatus sit foris, tamen, derivatur, & in plateis aquæ ejus nobis dividuntur.

B. V. nos omnes regeneravit in Christo, qui ex Christi gratia victuri sumus.

Maria quæ se Matrem Christianorum agnoscit ratione mysterii, curâ quoque se Matrem præstat, & affectu pietatis.

126. Quibus in verbis pientissimi Abbatis observandum illud, quòd Virgo sit Mater curâ, & quod Filius in illa fontem charitatis abundare faciat, ut ejus aquæ in plateis nobis dividantur. Verè enim piissima Virgo Maria Mater nostra est curâ affectúque in nos propensissimo, dum ad imitationem Filii curæ est illi de omnibus nostrísque propensissima charitate tam corporis quàm animi necessitatibus succurrit, nos sinu suo fovet, nos defendit, nos protegit. Quare Venerabilis Franc. de Retza Ord. Prædicatorum jubar, ac Viennensis Academiæ olim insigne ornamentum, Tom. 1. M.S. in salve Regina Virginem benignissimam, ipsum sinum misericordiæ vocitare non dubitavit, idque ob benevolentiam inquit, charitatémque suos fovendi. Sicut enim Mater puerum in sinu & gremio suo fovet, lactat, & nutrit, & sicut illa pia Noëmi susceptum puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio. Ruth. 4. 16. & sicut olim præcepit Dominus Moysi Num. 11. 12. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet Nutrix infantulum suum, & defer eum, in terram promissionis.* Et sicut deníque Christus Joanni in sinu suo recumbenti Evangelii fluenta communicavit: sic Beatissima Virgo Maria in sinu misericordiæ suæ omnes fovet, & alit, & lac consolationis ac pietatis in charitate constitutis tribuit; de sinu clementiæ suæ largitur non tantùm creaturæ, sed etiam Creatori beneficia distribuit. Unde Bern. serm. de verb. Apoc. *Maria tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Considera diligenter, & invenies, quod omnia, quæ ad Mariam pertinent, plena sunt pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ. Omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine illius accipiant universi, æger curationem; captivus redemptionem; tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique Trinitas gloriam; Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.* Unde in Orat. ad B. V. Maurilius Rothoma-

Maria sinus est misericordiæ.

Maria omnibus sinum Misericordiæ aperit.

thomagensis sic eam alloquitur: *O Mater pietatis, & indulgentiæ, aperi sinum peccatis, & suscipe mortuos in peccatis, fove eos calore charitatis, lacta dulcedine pietatis, & porta ulnis maternis, piis scilicet suffragiis, & intercessionibus omnem, qui sperat in te dicentem: Reposita est hæc spes mea in sinu tuo.* Job 19.

B. V. cumulus sive acervus misericordiæ.

127. Ob eamdem Virginis misericordiam ac pietatem, quâ clientulos suos præsertim, velut filios amplectitur, vocat eam *cumulum misericordiæ sive acervum.* Quemadmodum enim acervus tritici V. G. dicitur granorum accumulatio atque aggregatio; sic Virgo beatissima cumulus misericordiæ vocitatur, quia in ea simul collectivè quidquid est beneficii, gratiæ, ac piæ subventionis in cujuscúnque necessitatis articulo, à devotè quærentibus collectum reperitur. Quod nobis indicavit sponsus elogio illo pulcherrimo Cant. 7. *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Per ventrem purissimum Virginis ejus pietas & misericordia designatur; Quoniam sicut venter est mollior pars corporis, ita ipsius misericordia est mollissima atque tenerrima, exhibitione pietatis & compassionis. Hinc est, quòd viscera ventre contenta vocantur in scriptura misericordiæ & pietatis compassiva. Unde Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ DEI nostri &c.* Et Apostolus Col. 3. dicit quibuslibet Justis: *Induite vos sicut Electi DEI, viscera misericordiæ.* Et Dominus Jere. 31. ait de pœnitente, *conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor ejus.* Venter igitur, & Mariæ viscera sunt, ejus tenerrima misericordia, quæ acervo tritici & cumulo comparatur. Per acervum tritici Eleemosynæ intelliguntur, quæ pauperibus erogantur secundùm Glossam & Honorium, & per consequens omnia misericordiæ opera. Addiderim ego per acervum tritici ventre misericordiæ Virginalis contentum intelligi beneficia omnia tam ad sustentationem corporis, quàm animæ pertinentia. Ipsa enim Virgo benignissima pro eo, quo humanum genus complectitur, amore, non modò illi panem hunc quotidianum, aliáque necessaria, quibus corpus hoc fragile sustentamus, verùm etiam Panem illum supersubstantialem, Panem cœlestem, Panem Angelorum, frumentum illud Electorum, quo anima ad vitam æternam alitur ac saginatur nobis liberalissimè suppeditat. *Ipsa enim est Clibanus intellectualis,* ut eam Divus vocat Epiphan. lib. de Laud. B. V. *in quo Panis hic cœlestis igne Spiritus Sancti pistus est.*

Per ventrem purissimum sponsæ designatur pietas & misericordia Mariæ.

Per acervum tritici misericordiæ opera & beneficia omnia tam ad sustentationē corporis quā animæ pertinentia.

Maria Clibanus intellectualis in quo panis hic cœlestis igne Spiritus S. pistus est.

128. Misericordia igitur & pietas Deiparæ venter est plenus acervo tritici, corporalibus videlicet ac spiritualibus misericordiæ operibus, quæ illa capiti nostro dilectissimo suo nempè Filio summa cum perfectione exhibendo, eúmque lactando, aliáque pietatis ministeria exhibendo, eadem nobis omnibus, qui ipsius per charitatis unionem sumus membra, exhibuisse visa est. Quemadmodum enim Virgo in contemplatione unica ac perfectissima, sic etiam in actione fuit. Unde Venerabilis Ubertinus Casalius Ord. Seraph. lib. 4. Arb. vitæ cap. 38. utrámque hanc vitam Dei Filium in Matre laudâsse docet, cùm dixit Cant. 4. *Vulnerâsti cor meum soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Quare duplicem hanc unitatem oculi crinis ait esse; alterum lucidissimæ contemplationis, quia tota fuit unita in Filium. Unde fuit summa omnium contemplatrix, propter hoc dicit; In uno oculorum tuorum

Sponsus divinus Dei filius utramque vitam B.V. excellentissimam contemplativam & activam laudibus offert.

rum, id est in unifica attentione omnium tuorum contemplativorum aspectuum. Alteram unitatem docet esse perseverantissimæ actionis. Ipsa enim fuit summa, & quoad quædam sola suo Dilectissimo Filio ministra usque ad finem quousque in Cruce expirans dixit: consummatum est. Unde ad opera sua in honorem & ministerium Filii, & corporis sui mystici unitivè collegit. Propter hoc dicit: *In uno crine colli tui.* Ipsa enim fuit collum immediatè conjunctum Capiti JESU, per quam ei etiam totum corpus jungitur Electorum. Uno ergo Colli crine, intelligitur universitas perfectionis exterioris ministerii. Nam capilli sunt extrinseci, & longi operientes collum. Notatur ergo in summa duplex perfectio in hac sacratissima Virgine, activæ scilicet & contemplativæ vitæ, pro quibus in ipsa perficiendis JESUS singulariter humanatur, & patitur, propter quod in his se dicit vulnerari ab illa.

129. Ut porrò activæ vitæ perfectionem in Virgine meliùs intelligamus notandum monet Ubertinus, *quod sicut nunquam fuit illi similis contemplatrix, sic nunquam fuit similis illi ministratrix, in operibus videlicet misericordiæ. Nam alij,* inquit, *induunt pauperes de lana Ovis, ipsa induit summum divitem de sanguinibus suis purissimis. Alii de panno, illa de corpore suo. Alii pascunt pauperes de pane extrinseco, ipsa pavit DEUM humanatum lacte suo. Alij excipiunt pauperem hominem in tugurio, ipsa suscepit DEUM immensum in corpore suo, cui peregrinanti in terris ipsa facta est hospitium gratiosum. Alij propter DEUM ministrant infirmo; Maria ipsa JESU in pauperculo corpore infirmato affectuosissimè ministravit, ipsum lavando, ipsum fasciando, in præsepio reclinando, in brachiis bajulando. Alij consolantur plorantes homines, Maria parvulum DEUM plorantem, & ipsa cum JESU parvulo compassionata affectuosè, plorans, ipsum dulcissimè consolatur, eique suavi locutione blanditur. Aliqui sunt soliciti, ne aliquid deficiat inopi: Maria solicitissima est ministrare, & manibus laborare, ut subveniat Deo homini pro salute omnium indigentium. In quibus omnibus hæc Martha, quæ interpretatur provocans, vel Irritans, sive Dominans sua actione strenuissima Diabolum provocavit ad bellum, & irritavit ad scandalum, & sibi dominata est in triumphum, ut meritò de ea dicatur: Martha satagebat circa frequens ministerium. Alij incarceratos, & vulneratos homines visitant, eisque compatiuntur dum vivunt, & mortuos sepeliunt. Maria Deo homini JESU, pro nobis capto & ligato, duráque earceratione ligno Crucis affixo, & vulneribus dilaniato tanto dolore compatitur, ut sit etiam Angelicæ linguæ inexpressibile. Et quia juxta Crucem stetit in doloris fortitudine, & nunquam per impatientiam cecidit, idcircò dicitur: quæ stetit, & ait &c.* quæ videri possunt loco citato.

Sicut nunquã fuit B. V. similis contemplatrix, sic nunquam fuit illi similis ministratrix in operibus misericordiæ.

Deipara vera Martha, quæ interpretatur provocans vel irritans, sive dominans.

130. His similia porrò misericordiæ opera, quæ Deipara Dilectissimo suo exhibuit Filio Capiti nostro, eadem & nobis tam spiritualiter quàm corporaliter, tanquam mater amantissima suis apud Filium intercessionibus ac patrociniis exhibet, ut alibi fusiùs explicatum est. *Hæc enim est*, ut inquit Retza, *Regina illa clementissima atque amabilissima Hester, quæ alio nomine Edissa, id est, misericordia vocitatur, ut censet Glossa, de qua dicitur* Esth. 2. *quod habuit misericordiam & gratiam super omnes mulieres, quæ non tantum in misericordia, sed in omni virtutum plenitudine &*

Deipara quæ filio suo exhibuit opera misericordiæ, nobis quoque exhibet.

Deipara Clementissima Esther plena misericordiæ.

ne & gratia, benedicta in mulieribus, & super omnes mulieres, imò super omnes creaturas rationales prædicatur. Cùm enim sit fœmina, naturali propensione ac pronitate fit etiam pia, & misericors necesse est. Fœmina enim molli corde, ut plurimum sunt praditæ, unde cùm quempiam dura ac tristia tolerare vident, statim miserentur. Convenit igitur Virgini ex naturâ suâ misericordia; quare specialiter illa dicere potest ac potiori jure, quàm Job 31. *Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero Matris meæ egressa est mecum.* Quare idem Franc. de Retza docet materna planè pietate, Deiparam in nos ferri, *sicut enim Mater naturaliter ad misericordiam super prole sua movetur, dicente Domino* Isa. 49. *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur Filio uteri sui? sic beatissima Virgo erga omnes bonos ac justos. Ipsa enim omnium bonorum Mater est,* ut ait Salomon Sap. 7. *Sicut enim Eva est Mater omnium viventium vita corporali: ita Maria Mater est omnium viventium vita Spirituali.* Unde Anselm. in Medit. de B. V. eam alloquens. *Sicut DEUS,* inquit, *genuit illum in quo omnia vivunt, sic tu ò flos Virginitatis, genuisti eum, in quo omnia reviviscunt.* Et licet ipsa Domina nostra Virgo manens unicum Filium genuit corporaliter, in illo tamen genuit omnes & regeneravit spiritualiter. Et hoc est, quod de ea Lucas dicit cap. 2. *Peperit Filium suum primogenitum,* indicans habuisse illam secundò genitos non corporales sed spirituales. Quod in Sara nobis figuratum est, quæ licet unicum tantùm Filium Abrahæ carnaliter genuerit, de quo dicitur Gen 12. *In Isaac vocabitur tibi Semen;* per eundem tamẽ Mater totius Israëlitici populi facta fuit. Quemadmodum per Isai. cap. 41. Scriptura Judæos admonuit. *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & Saram, quæ peperit vos.* Saræ huic similis est Maria, quæ unicum Filium pariendo corporaliter, in eo nos omnes genuit spiritualiter, qui omnes sumus Christi fratres. *Ipse enim est*, ut loquitur Apostolus Rom. 8. *Primogenitus in multis fratribus.*

Maria materna planè pietate in nos fertur nec nostri oblivisci potest.

Sicut Sara in Isaaco carnaliter genito Mater extitit Israelitici populi, ita Maria in filio Dei corporaliter genito nos omnes spiritualiter genuit, qui sumus Christi fratres.

131. Spiritualem hanc generationem prævidit Isai. cap. ultimo: cum dixit: *Nunquid pariet terra, aut parietur gens simul?* ubi constat, quòd non quærit de terra hac aspectabili, quia stulta esset quæstio. Quærit autem de terra figurata, quæ irrorata desuper germinavit Salvatorem, simúlque eodem illo die, in momento peperit infinitam multitudinem spiritualium filiorum, Quemadmodum terra germinare solet successu dierum plurimos flores simul & fructus, eadem celeritate Virginea illa terra simul cum exorto in hanc lucem primogenito suo Filio, edidit, simul cum illo innumeras gentes toto terrarum orbe dispersas, eásque veluti membra Christo suo Capiti copulavit; atque ita facta: *Mater est omnium gentium* ut eam appellat S. Aug. idque per Filium omnia generantem. Unde Bernardus: *Meritò in te, respiciunt oculi universæ creaturæ, quia in te, per te, & de te quidquid benigna manus Creatoris creaverat, recreavit.* Ex his omnibus facilè colligimus benignitatem illam Elephanti nòn modò erga suam prolem, suósque gregales, verùm etiam in omnes homines à natura ingeneratam, universorum Sapientissimum opificem dum orbem cum omnibus in eo contentis creaturis ab æterno mente sua Divinissima condere agitaret, in Virginem eam, amabilem indolem transferre cogitâsse, & tandem reipsa in eam contulisse.

Deipara cum exorto in hanc lucem Primogenito suo facta est Mater omnium gentium.

Elephas habet duplex cor, alterum ad amandam prolem suósque gregarios, alterum ad amandos homines.

132. Quare jure dicere possumus, quod de Elephante scribit Ælianus lib. 14. cap. 6. eum duplex habere cor, alterum ad amandum prolem, suósque gregarios; alterum ad amandos homines. Quam duplicem charitatem, in Dei Matre mira cum perfectione reperiri, luce meridiana clariùs elucescit. Ipsa enim affectu materno inprimis suos clientulos ac spirituales, ejus puritatem specialiùs æmulantes filios, deinde mortales omnes nullo habito proborum, improborúmq; discrimine intra suæ pietatis sinum recondit, eósque mirifica prosequitur charitate, quales fuêre potissimum Hebræi atque Gentiles, aliíque peccatores, ac præsertim ipsius inimici. Unde Bapt. Novatus excellentissimam Virginis in proximos omnes fuisse charitatem demonstrare volens Tomo 2. cap. 4. q. 26. pronunciavit sapienter: *Dico charitatem B.V. dum vixit in terris ita se extendisse ad inimicos suos tunc viventes, ut illos actu materno semper diligeret implicitè.* Idque probat luculenter, *quia eadem charitate B.V. diligebat DEUM, & proximum, & consequenter etiam inimicos viventes. Nam & hi erant proximi, quia habebant communicationem non solùm in natura, sed etiam in elevatione ad beatitudinem supernaturalem, & ad ultimum finem participandum. Verùm cùm non semper actum dilectionis explicitum erga illos eliciebat, sed tantùm implicitum; quia hoc ipso, quod B.V. DEUM super omnia amabat, eique in omni genere bonum optabat, & ipsi placita pro viribus procurare cupiebat; implicitè optabat omnibus tunc viventibus salutem æternam, aliáque bona ad hanc consequendam eis necessaria, & exhibebat se paratam, ut data occasione ea procuraret, quatenus hæc erant etiam aliquod bonum DEI, eique placerent. Explicitum porrò habuisse subinde charitatis actum, erga inimicos maximè Judæos Christi Crucifixores, compertum est, dolebat enim, intimísque sensibus afficiebatur de illorum æterna perditione, totiúsque penè illorum stirpis interitu.*

Deipara duplicem charitatem, unà prosequitur suos Clientes, alterâ promiscuè omnes homines,

Deipara dum vixit in terris, inimicos suos tunc viventes semper diligebat saltem implicitè.

133. Quod nobis S. Amadeus Lausanensis Episc. expressit, Hom. 5. de Laud. B.V. *Nec verò quisquam opponat, Judæos exosos DEI Genitrici, eò quòd Filium suum morte turpissima condemnârunt, quos enim morti æternæ appropiare videbat, nequaquam odio suo dignos existimabat, & suggillatione, sed affectu plurimo, sed lacrymis multis, & magna miseratione. Unde tam particeps charitatis, quàm Crucis JESU, assumpsit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulsans. Pater ignosce illis hanc noxam, quia nesciunt, quid faciunt. Hæc vox ejus, desiderium ejus fuit, quo melius aures pulsantur incircumscripti Spiritus replentis omnia, & ubique audientis. Cæterùm quicúnque diligitis Matrem Domini, advertite, & totis affectuum visceribus considerate, quantùm & inimicos Unigeniti plangeret morientis.* Hæc Amadeus. Deníque amorem hunc Virginis erga gentem suam experta est Rachel illa, de qua supra, quam Deipara & sæpiùs invisere & alloqui, ac demum ad fidem Christi suscipiendam hortari pro ingenita sibi charitate non est dedignata.

Deipara [illegible]

134. Quòd autem Deipara etiam alios peccatores dilexerit, eósque ut ad bonam frugem à Deo revocarentur, optaverit, ostendit Joannes Gerson Tract. 9. in Magnificat partit. 3. *Contemplabatur*, inquiens, *aliquando communicantes secum in Eucharistia, peccatores esse, fortè & peccatores sciebat esse aliquos, qui Sacramentum ministrabant, qualis*

Deipara [illegible]

lis fuisse putatur Septimus Diaconorum Nicolaus, sed non cessabat ab hoc, non refugiebat, non se excommunicabat, id est, extra communionem se ponebat, sciens, & recolens dictum Filij sui, qui sumitur in Sacramento. Veni peccatores salvos facere, dum Pharisæorum falsa justitia indignaretur, exprobans & dicens. Hic peccatores recipit. Et iterum ad Discipulos: quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? Contemplabatur amplius, & contemplabatur amplissimo sinu charitatis omnes peccatores terræ, & publicanos & meretrices, quales sæpè præcedunt in Regno Dei. Clamabat cum lachrymis intra Templum cordis sui connumerans exemplo Danielis. Peccatores te rogamus audi nos, miserere nostri secundùm magnam misericordiam tuam, quia peccatores magni sumus. Exemplum itàque dedit nobis quantumcunque videamur justi, ut, quemadmodum illa fecit, ita & nos faciamus. Nemo alium judicet, nemo damnet.

Elephas felle carere dicitur.

135. Ex hoc pio & commiserantis Virginis, in peccatores affectu clarè perspicimus pulcherrimam quóque illam Elephanti proprietatem in ea reperiri, qua dicitur ab Æliano & Aldrovando felle carere. Dulcissima enim hæc communísque in omnes charitas adeò suavis omnibus extitit, ut nullo amaritudinis felle commisceretur. Hinc aptè dixit Sap. 8. Salomon. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium*, siquidem ipsa sponte fatetur se intus & extra, in anima & corpore cum iis omnibus, quæ ab ipsa nobis communicantur, mellea quadam dulcedine esse plenissimam. Internam hanc suam dulcedinem, indicant verba illa: *Spirius meus super mel dulcis*, gratiam illius quóque ab illa dimanantem, quæ ad instar pignoris æviternæ illius cœlestis Hæreditatis nobis ab illa communicatur, dulcem esse, verbis, quæ mox annectit declaravit: *Et hæreditas mea super mel & favum.*

Charitas B.V. nullo felle amaritudinis commiscetur.

136. Denique Sponsus ut eam totam in animo & corpore omni felle carentem, & mellea quadam dulcedine redundantem declararet, in illud prorupit elogium Cant. 4. *Favus distillans labia tua, Sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Unde non immeritò ab Ecclesia ipsa dulcedo vocitata est. Quam dulcedinem vitalem esse vult Franc. de Rezta Tom. 1. M.S. in Salve Regina. *Hanc enim ob causam postquam dicta est Vita, mox adjunctum Dulcedo. Cùm enim vita nostra existentia, aliorúmque omnium sit fundamentum, & dulcedo sit vitæ atque existentiæ nutrimentum, meritò simul connecti debuêre. Quòd porrò dulcedo sit vitæ nutrimentum docuit Aristoteles lib. de sensu & sensibili cap. 11. Vita enim animalis minime conservatur, nisi humidum actione caloris naturalis deperditum, per continuum alimentum restauretur, ac refoveatur. Nihil autem nutritur nisi dulci.* Unde Albertus Magnus in commenta. Tract. 2. cap. 6. *Natura in cibo, non nisi leve & subtile ad se trahit, quod equidem dulce est. Amarum autem & salsum, quia grave & terrestre est, à se rejicit & relinquit, incendendo ipsum, ut patet in urinis & egestionibus animatorum. Quod ostendere nobis voluêre Poëtæ dum Deos, qui inter duos Tropicos solent habitare, cecinere eos nectare potari. Nectar autem quis potum dulcem esse nesciat ita dictum, quòd bibentium linguas nectere atque allicere ad bibendum videatur? Planetæ enim* illi-

B.V. in anima & corpore mellea quadam dulcedine redundat.

illi discurrentes elevant illud, quod est subtile & dulce in stagnis & paludibus, in terris sub Æquinoctiali positis, quo Ægyptii dixerunt nutriri cœlestia. Sic Albertus.

137. Cùm igitur Virgo Beatissima vita nostra post DEum sit, meritò & dulcedo omni amaritudinis felle carens esse debuit, ut vitam illam spiritus, quam nobis ad nostram redemptionem Filio cooperando tribuit, suæ dulcedine charitatis, suavissimâque benignitate velut dulcissimo quodam cibo nos enutriendo conservaret.

138. Hinc est, quòd Virgo Benignissima, Matrem nostram, quæ vitam spiritualem nobis contulit, se esse cognoscens, pollicetur Filio, quem ad culturam animarum evocabat, ut exiret secum in agrum, se illi in ejus membris exhibituram sua ubera, & lacte suo dulcissimo nutrituram etiam eos, qui ex gentilitate ad fidem ejus convertentur: *Veni Dilecte mi*, inquiens, *egrediamur in agrum commoremur in villis &c. ibi dabo tibi ubera mea.* Quæ verba meditatus Quilielmus Abbas sic loquitur: *In Ecclesia gentium dabo tibi ubera mea, quæ & in Ecclesia Judæorum olim tibi dedi. Verè apud Judæos dedi tibi ubera corporalia ad pascendum te, porrò in Ecclesia gentium dabo tibi ubera mea spiritualia ad pascendos tuos. Spiritualiter enim pascam parvulos tuos lacte maternæ pietatis, quæ te olim pavi lacte corporali pro veritate carnis. Deniquè pro eo, quòd tibi sum Mater corporalis, ero tuis Mater spiritualis, materna charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis; materna ibidem curâ nutriens eos, donec úsque in Virum perfectum grandescas in eis, Totum autem hoc faciam, eos tibi assiduè commendando, & augmenta gratiarum eis, piis a te precibus impetrando.* Hæc Guilel.

Deipara in Ecclesia Judæorum dedit ubera corporalia in Ecclesia Gentium conversarum dat ubera spiritualia.

139. Quemadmodum igitur corpora animata dulcedine in vita conservantur; sic Beatissima Virgo, dulcissimo suæ pietatis lacte spirituales suos nutriendo filios, ac clientulos in vita spiritûs sustentanda, auxiliatur. *Initium vitæ hominis panis, & aqua*, inquit Siracides Eccl. 39. Panis in quantum dulcis. *Omnis enim panis dulcis*, ait idem Eccl. 23. Aqua quóque dulcis est. In cujus signum aqua marina propter amaritudinem inepta est ad hominis aliorúmque animantium quadrupedum nutrimentum. Hinc Exo. 15. 23. filii Israël non potuerunt bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ; donec jussu Dei immisso ligno conversæ sunt in dulcedinem. Panem hunc dulcem, quo vitæ nostræ Spiritualis adimus initium, pervenimus ad medium, & in finem úsque in Dei obsequio perseveramus, nobis exhibet Deipara. Unde ipsa Prov. 9. ad Mysterium hoc participandum nos invitans ait: *Venite, comedite panem meum.* Panis hic dulcis, & dulce Manna, est Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ad quod plurimùm ipsa contulit, cùm ex ipsius purissimis sanguinibus, corpus illud sanctissimum, quod speciebus Eucharisticis obvelatur, sit confectum.

B. V. invitat nos ad panem dulcem, & dulce Manna id est SS. Euch. Sacramentum.

140. Quacirca Sacramentum hoc jure Ubera Christi & ipsius Matris Virginis vocitare possumus, quibus fideles omnes, vitam suam spiritualem in hoc exilio, in hac peregrinatione, ne deficiant viribus, sustentantur. Dum enim Deipara suo Filio Capiti nostro lac præbuit, nobis quóque ejus membris præbuisse visa est. Unde Baptista Novatus Ord. Clericorum Regularium ministrantium infirmis Tom. 1. de Emin. Deiparæ Cap. 11. q. 6. Sapienter asseruit: *Deiparam, cùm Christum lactabat,*

Eucharistiæ Sacramentum jure optimo Ubera Christi, & ipsius Matris Virginis vocitare possumus.

ctabat, nobis simul spiritualis alimoniæ lac præbuisse; tum quia ut loquitur S. Martyr Methodius orat. in Hypap. *erat Nutrix cuncta nutrientis*. Tum quia, dum Filium suum lactabat, faciliorem reddebat misericordiæ fluxum in nos omnes. Hinc Richard. de S. Vict. in Cant. cap. 23. Virginem alloquens. *Carnalia,* inquiens, *in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent; & cùm misericordia Dei sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore: & cùm ex te cœpit initium, ejus quoque largitas per te sumpsit augmentum. In te ergò concrevit lac Divinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit: ipsa prius repleta es, & ex te nobis descendit hæc abundantia.* Tum quia deníque lac suum Christo Virgo exhibebat, ut ipse postea illud in sanguinem & carnem suam immutatum fidelibus, instar lactis in Sacramento Eucharistico communicaret. Quod nobis indicavit S. Germanus. *Crateras,* inquiens, *sanguinis Christi interpreteris Mammas Deiparæ, salutare lætitiæ poculum & tutelare ac conservatorium totius generis humani; quia videlicet vitam spiritualem nobis conservat.* Unde Clemens Alex. lib. 1. Pædag. cap. 6. *Verbum dicitur cibus & caro, & nutrimentum, & panis & sanguis, & lac. Qui enim nos regeneravit, proprio lacte nutrit. Quidquid enim generavit, ei, quod generatur protinus alimentum præbet.* Tandem Salvatorem vocat *Mammillam Patris, & beati sunt,* inquit, *qui hanc lactant mammillam.* Idem vocat Christum: *Lac rationabile, quia est Lac & alimentum parvulorum & humilium.* S. Aug. Tract. 3. in Epist. 1. Joan. *Lac nostrum est Christus humilis.* Et Richard. à S. Vict. lib. 2. de Emman. cap. 21. *Christum omnium fidelium lac, mel, vinum, dulcedinem, delitiásque cordis appellavit.*

Salvator mamilla Patris, beati, qui hanc lactant mamillam.

Christus lac, mel, vinum, & dulcedo cordis.

141. Quarè ex his omnibus meritò intulit idem Pater Novatus per Eucharistiæ sacramentum velut lacte non solùm à Christo nutriri fideles sed etiam à Virgine, & per illud in nos transfundi mores, & indolem tum Christi, tum Virginis, cum lactis eæ proprietates esse consueverint, ut lactantis indoles, morésque in lactatum transfundantur, ut nos Disc. 12. Tom. 1. ostendimus.

Per Eucharistiæ sacramentum velut lacte non solùm à Christo nutriuntur fideles sed etiam à Deipara.

142. Ex eisdem colligit præterea, eò quòd in hoc sacramento non solùm à Christo lac Virgineum in carnem & sanguinem ejus immutatum nobis per modum lactis exhibetur, indicari affectum verè maternum, quo sacramentum ipsum tum à Christo tum à Virgine communicatur. Et hinc nos adstringi ad mores tàm Filii, quàm Matris imitandos, eósque summo amore complectendos. Sic enim, ut ipsa per se docet experientia, canes panem lacti ovino intinctum comedentes, mirificè ad ipsas oves amandas excitantur, ut contra sævientium luporum truculentam rabiem defendendas animantur: quantò magis homines hoc cœlesti pane non lacti Virginis intincto, sed ut ita dicam ex ipso efformato, ad ipsius Deiparæ *ovis immaculatæ*, ut eam vocat Gregorius Nicomed Archiep. Hom. de præsent. amorem excitari, & ad ejus defendendum honorem, contra stygiorum luporum, hæreticorum videlicet, cum ore sacrilego dilacerantium furorem animari debebunt.

Canes panem lacti ovino intinctum comedentes, mirè ad ipsas oves amandas excitantur. Quantò magis nos decet ut afficiamur Deiparæ ex cujus lacte pascimur dum Eucharistiam sumimus.

143. Neque verò dulcis panis, & dulce lac tantùm nobis est Altaris sacramentum, verùm etiam dulcis aqua, qua sitis carnalium desideriorum sedatur, qua ignis concupiscentiæ in hominum exardescens cordibus, ac fibris, extinguitur. De hac aqua crediderim locutum Sapientem; *Aqua Sapientiæ potavit illum.*

Euch. sacramentum nobis est aqua dulcis, aqua sapientiæ, lac & ambrosia.

Xxx xxx xx Quæ

Quæ aqua nobis est ad instar Ambrosiæ, quæ cibus potúsque Deorum est, ex Epicureorum, & stoicorum sententia, qui asserebant proborum hominum animas corporibus solutas in Galaxia, sive Circulo lacteo habitare, ibidémque lacte & ambrosia pasci. *Ambrosia porrò* ut scribit Albertus Magnus lib. de Origine animæ. Tract. 2. cap. 16. *est potus prædulcis ex quadam Herba expressus, quæ dicitur Divina, eò, quòd ut fabulantur Poëtæ, eâ Equi solis, aliorumque Deorum pascantur. Unde Ambrosia dicitur cibus vel nectar, sive potus Deorum.* In sententia verò Peripateticorum dulci nectare animæ justorum inebriantur, dum per virtutes morales hîc purgatæ, virtutibus Heroicis ac Divinis suffultæ, summo Bono conjunguntur, ubi admirabiles, purásque consequuntur delectationes, átque ita perfectè fœlices efficiuntur. Quod sanè consonat cum doctrina S. Dionysii Areop. qui scribens ad Titum Epist. 9. ostendit, quòd Divina Sapientia proponit animabus duplex alimentum, solidum, ac liquidum. Moxque subjungit: *Idcircò divina ac spiritualia eloquia & rori & aquæ, & lacti, & vino, ac melli meritò assimilantur, quòd & vivificandi atque fœcundandi velut in aqua; & ad incrementum perducendi, ut in lacte; & recreandi ut in vino; & purgandi simul átque conservandi veluti in melle habeant vim. Hæc enim sapientia Divina accedentibus ipsis præstat affluentiam indeficientium dapum, inundantiam largiens, superemanans atq; supereffundens. Illud nempe veraciter epulari est, átque ideò vivificans simul & parvulos nutriens, & renovans, átque perficiens celebratur. Juxta hanc nempe sacram convivii expositionem, & ipse bonorum Auctor omnium Deus, inebriari perhibetur, propter plenissimam & quæ omnem intelligentiam superat Divinæ epulationis, sive ut veriùs eloquar, bonitatis perfectissimam átque ineffabilem immensitatem. Ebrietas enim hæc in Deo nihil est aliud, quàm plenissima bonorum omnium immensitas, quæ in illo tanquam in causa præexistit.* Hæc Dionysius.

Ambrosia est potus prædulcis ex quadam herba expressus, quæ dicitur divina.

Qui conjungitur summo bono, dulci nectare inebriatur.

Ebrietas in Deo nil est aliud, quam plenissima bonorum omnium immensitas.

144. Ex quibus omnibus colligimus Virginem gloriosissimam humani generis singularem amatricem, nostram non modò Vitam, verùm etiam Dulcedinem, omni felle amaritudinis carentem esse, eáque vitam nostram spiritualem sustentari velut lacte, dulcique pane & aquâ, velut nectare & ambrosiâ in Eucharistiæ Sacramento, quæ vera Divinæ sapientiæ, atque adeò ipsius Virginis Mensa est. (Cùm ab ea traxerit originem) quæ nobis solidum ac liquidum proponit alimentum. Quæ sanè omnia totum nostrum, post Deum in Virginem affectum, ob tot ardentissimi ipsius in nos amoris monimenta meritò sibi vendicant, nosque totos ad illam castissimo amore tanquam Dei omniúmque hominum Matrem amantissimam complectendam accendunt.

Affectus Maternus B. V. in nos, reciprocum filialem amorem exigit.

145. Sanctus Patriacha noster Ignatius, Divino amore ignitus carbo totus accensus, cupiens mortales omnes eisdem Divinis ignibus exardescere, secúmque ad laudem amorémque sui Creatoris pertrahere mirificam, cœlestibúsque affectibus exuberantem contemplationem de Divinis beneficiis composuit, in qua beneficia Creatoris Redemptionis Sanctificationis aliáque peculiaria cuíque personæ communicata docet accuratè mente revolvenda; tum ad motus voluntatis ad amandum Creatorem excitandos, illa sui suorúmque omnium post singula expensa beneficia spontaneâ oblatione, ac dedicatione præscribit medullitus dicendum:

Oratio S. Ignatii, quam subtexuit contemplationi de divinis beneficiis, ad excitandum amorem in nos Divinum, accommodari potest una cum contemplatione ad B. V. quæ Deo cooperata est.

Suscipe

Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, & tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solùm cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. Quæ contemplatio, si ad ipsam quoque Dei donorum omnium, bonorúmque Largitoris Matrem transferatur tanquam eam, quæ mundi recreationi, redemptioni, ac Sanctificationi cooperata est, fieri non poterit, quin eisdem quóque in Divinam Matrem amoris ignibus exardescamus, nosque illi totos, quanti sumus, offeramus, ac devoveamus.

Per partum Virginis rursus creati sumus.

146. Verissimum quippè inprimis est hominem per partum Virgineum fuisse rursus creatum, & in pristinum statum quodammodo restitutum. Cùm enim homo parvus quidam mundus sit, gradus in se omnium entium seu creaturarum, uti essentiam communem cum cœlis, vitam vegetantem cum plantis, sentientem cum animalibus, intelligentem cum Angelis complectens, & hæ creaturæ omnes post primi Parentis lapsum primigenium illum nitorem, decúsque amiserint, cùm homini peccatori, Déique inimico deservire cogerentur, ad quod sese creatas minimè sentiebant. Unde factum, ut humanitate nostra de purissimis Virginis sanguinibus coalita atque unione hypostatica verbo copulata simul creaturæ omnes illâ velut Microcosmo contentæ Sanctificarentur, ad primámque dignitatem, decus ac venustatem revocarentur. Quod mediante Virgine factum fuisse S. Anselmus intelligens in contemp. B. V. ita castissimo ejus amore succensus ipsam allocutus est: *Partus tuus, Domina, Mundum ægrotum sanavit, mortuum resuscitavit. Insidiis & oppressionibus Dæmonum, tenebris peccatorum obvolutus mundus subjacebat, sed sole de te orto illuminatus, eorum laqueos devitat, & vires conculcat; Cælum, sydera, terra, flumina, dies, nox, & quæcunque humanæ potestati vel utilitati sunt obnoxia, in amissum decus se se gratulantur: Domina mea! Beata Maria! per te quodammodo resuscitata, & nova quadam ineffabili gratia dotata, quasi enim omnia mortua erant, cum amissa congenita dignitate serviendi Dominatui, vel usibus DEUM laudantium, ad quod facta erant; obruebantur oppressione, & colorabantur abusu Idolis servientium, propter quod facta non erant. Jam vero eadem quasi resuscitata lætantur cùm jam DEUM Filium tuum, creatorem suum confitentium, dominatu reguntur, & usu decorantur. Nova autem inæstimabili gloria, quasi exultaverunt, cùm ipsum DEUM Filium tuum creatorem suum non solùm visibiliter supra se illa regentem senserunt, sed etiam visibiliter intra se, eisdem utendo, sanctificantem viderunt; Hæc tanta bona per benedictum fructum ventris benedictæ Mariæ mundo provenerunt.* Hæc Anselmus; quibus sanè luculenter ostendit Deiparam plurimùm ad mundi ipsiúsque creaturarum reparationem, DEI Filium pariendo, contulisse, ac proinde totum humanum genus plurimùm ad eam amandam colendámque obligari.

147. Quod si tandem Virginem ad humani generis redemptionem cooperatam fuisse Christo Redemptori consideremus, majoribus longè amoris Virginei facibus accendamur necesse est. Ipsa enim est nova Eva, vetere illa longè & absque ulla comparatione præstantior, quæ Sanctissimæ Trinitatis manibus, verè in adjutorium & auxili-

Deipara cooperata est Christo Redemptori ad humani generis redemptionem.

Sic Maria dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum æterno Patri in sacrificium offerret ipsa Sacerdos simul & Altare.

um secundi Adami de coelo cœlestis mortales redimentis, non autem in destructionem humani generis propriâ suâ malitiâ, uti vetus illa, efformata est. Hæc adeò mundum dilexit, ut quemadmodum loquitur S. Bonav. Unigenitum Filium suum daret, Patríque in sacrificium & Holocaustum offerret, effecta ipsa Sacerdos simul & altare. Unde sicut Christus in Ara Crucis se carnémque suam imò totum Patri immolabat, sic B. V. in corde, pectoréque suo velut altari, animam per affectum compassionis ardentissimæque erga mortales charitatis, ut ajebat Arnoldus Abbas, immolabat. Unde Gerson Cancellarius Parisiensis Tract. 9. in Magnif. *Maria*, inquit, *vespere Jovis sancto, etsi non fuit insignita charactere sacerdotalis officii, dum Judas eum suscepit, nihilominus tunc ante, & postmodum fuit in Regale sacerdotium præ consortibus suis inuncta, non quidem ad consecrandum, sed offerendum hanc Hostiam puram: plenam & perfectam in altari cordis sui, in quo semper ignis ardebat holocausti.* Fuit enim Rubus ardens, incombustus, Maria plus complacuit Deo, plùs humano generi profuit post Christum, benedictum fructum, sive Filium suum, offerendo ipsum Spontaneè in holocaustum in arca cordis sui, ferventissimâ charitate succensi. Quòd si consideremus etiam Filium esse partem Matris, & idem cum Matre, ut loquitur Aristoteles, & carnem spiritúmque Christi unum quid esse cum spiritu carnéque Mariæ, ut idem loquitur Arnoldus, consequitur sanè dum Filium Virgo juxta Crucem, stans DEO Patri velut cor visceráque sua offerebat, obtulisse quóque, átque immolâsse se ipsam pro humani generis salute, ac proinde vel hoc titulo mortalium omnium Redemptricem appellandam esse. Cujus admirandum ac planè singularem in homines affectum toti orbi Christus declarare volens, jam moriturus eam compellans: *Mulier* inquit. *Ecce Filius tuus.* Deinde ad Discipulum; *Ecce Mater tua.* Joan. 19. quibus verbis eximium ac planè maternum illius in nos amorem quo semetipsam una cum Filio DEO Patri immolabat, ut Filii DEI per adoptionem, ac Fratres Christi efficeremur. Charitatem hanc tam ardentem Virginis, quâ, affectu materno se, Filiúmque DEI, Patri in sacrificium, ut Filii DEI, Fratrésque Christi evaderemus, immolabat suspiciens loco citato S. Anselmus, quasi extra se positus exclamabat; *O beata fiducia! ò tutum refugium! Mater DEI est Mater nostra, Mater ejus, in quo solo speramus, & quem solum timemus est Mater nostra. Et quis hunc Maternum in nos amorem, quo se Filiumque Patri pro nostra redemptione consecravit, attentiùs expendens, non totus ejus amore liquescat & fluat?* De hac ad salutem nostram cooperatione Virginis, qui plura volet, consulat Partis primæ Disc. 15. & Disc. 14. ubi fusè ostensum est, morienti Filio, amore nostri Matrem commortuam, & redimenti similiter, ad redemptionem ejus fuisse cooperatam.

Deipara seipsâ etiam, quia unum erat cum filio, pro humano Genere Patri æterno immolavit, atque sic redemptrix dici quadam ratione potest.

148. Quòd si Sanctificationis beneficium, quod nobis ipse Spiritus Sanctus confert, gratiâ suâ donis, ac charismatis nos in Templum suæ Divinæ Majestatis consecrando, consideremus, & huic etiam sanctificationi DEI Matrem cooperari cosuevisse intelligamus, novis certè amoris Virginei flammis exardescemus. Per illam enim omnia dona gratiæ, ac charismata, quibus animæ nostræ à Spiritu Sancto sanctificantur tanquam per aquæ ductum, & aureum quendam canalem nobis communicantur. Unde S. Bernardinus

Sanctificationis beneficio cooperata est Dei Mater, & de facto omnem sanctitatem & gratiam per illam tanquam aquæ ductum accipimus.

dinus Sen. To. 3. p. 2. docens, quanam ratione acquirenda sit charitas donum principale Spiritûs Sancti insinvat mediante intercessione Virginis acquirendam, *quia nimirum Virgo Maria*, inquit ille, *est optima Proxeneta & Mediatrix divini amoris;* Idem Pater Seraph. To. 2. serm. 10. cap. 3. docens, dies B. V. M. Sacros piè colendos ac venerandos, eam dat potissimùm rationem, quòd illâ mediante DEUS nobis sua munera largiatur. *In solemnitatibus etiam B. V. M. feriandum est*, inquit ille, *propter summas perfectiones, quas in se habuit, & nobis Divino munere inspirante participat & confert. Nam omnium gratiarum, quæ ad humanum genus descendunt, sicut DEUS generalis est Dator, & Christus generalis Mediator; sic per gloriosam Virginem generaliter dispensantur. Nam ipsa est collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori ejus mystico communicantur.* Ideò Cant. 7. de ea dicitur: *collum tuum sicut turris eburnea.* Denique idem S. To. 4. serm. 12. cap. 3. dum docet Spiritum Sanctum occurrisse B. V. in cœlos ascendenti, ait: *Ipsam recognovisse fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est corpus mundissimum Filio DEI; ostendisse insuper suis electis expresse, quòd in hac officina, & per eam fabrefecit, quidquid in gratia mirificum operetur, & quòd in hac totum ignem operationis reclusit, quam unquam dare disposuit creaturæ rationali.* Ibidem vocat idem S. Bernardinus: *Deiparam omnium cœlestium thesaurorum Dispensatricem largifluam, pro suæ complacentia voluntatis.* Unde cùm per illam Spiritus Sanctus nobis omnia suæ Divinæ gratiæ dona ac charismata, quibus animæ Sanctificantur, dispenset, jure eam in nostra sanctificatione eidem

Deipara officina Spiritus S.

Deipara omnium cœlestium thesaurorum dispensatrix largiflua.

spiritui Divinissimo cooperatricem esse existimandum est. Atque ita verè dicere possumus gloriosissimam Deiparam sicut Divinarum Personarum proprietates atque attributa in se velut speculo repræsentavit, ita quóque earundem personarum operationes ad extra, uti creationem, redemptionem atque sanctificationem aliqua ratione, eis videlicet in animabus salvandis cooperando expressisse. Quemadmodum enim Pater ab æterno generat Filium, ita & Virgo in tempore. Quemadmodum Pater & Filius spirant & producunt spiritum sanctum; sic & illa quodammodo, dum sua intercessione atque patrocinio, ejus nobis dona atque charismata, ipsiúsque in animas nostras præsentiam impetrat. Unde idem S. Bernardinus To. 4. serm. 6. cap. 8. *Omnia*, inquit, *Spiritûs Sancti dona, quibus vult, quando vult, quomodo & quantum vult, per manus Virginis administrantur;* ideò ibidem docet: *Deiparam jurisdictionem quandam, ut sic dicam atque auctoritatem, in omnem Divini Spiritus temporalem processionem obtinuisse.* Et quis tam hoc eximium sanctificationis beneficium, quo se tot, tantísque gratiarum thesauris locupletatum experitur, mediante, ac cooperante Virgine obtentum considerans diligentius, novis ipsius castissimis amoris flammis non accendatur, eíque se totum dedicet ac mancipet!

149. Jam verò si quis vocationis ad statum Religiosum incomparabile planè beneficium penitùs intueatur, agnoscet etiam in hoc consequendo DEI Matrem suam operam operámque adhibuisse, manúmque adjutricem porrexisse pro eo, quod ejus semper castissima præcordia animarum zelo exardescunt. Nimirum Virgo nostra est Virga illa Moysis, cujus virtute Israël de Ægyptiaca captivitate Tatarei Pharaonis,

Deipara cooperata est ad beneficium vocationis.

Mundíq; hujus immundi, in manu ejus forti, & brachio extento liberatus, in terram lacte & melle cœlestium deliciarum manantem ipsam dico Sanctã Religionem, ac demum hostibus infestissimis nempè concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, ac superbiâ vitæ debellatis, in beatam illam æviternámque patriam introducitur. Atque ita Deipara benignissima adolescentulos sibi addictos, ac devotos ad statum religiosum suâ inspiratione, tacitâque persuasione vocando, Paradisum Religionis, qui emissio ipsius atque plantatio est dicente Sponso Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradisus malorum Punicorum;* amplificare videtur. Verè enim quævis benè regulata atque ordinata Religio nihil aliud est, quàm quidam terrestris, imò & cœlestis Paradisus, verè nil aliud est, quàm Malum quoddam Punicum sub Regia corona, purpuráque protectionis Virgineæ innumeros Dei servos, velut purpurascentia cocco charitatis grana arctissima mutui amoris unione constrictos, complectitur, uti hoc prima Par. Disc. ultimo comprobatum est. Quod nobis etiam insinvare voluisse visus sanctus Bernardus.

Bene regulata Religio, Paradisus, malum punicum sub regia corona.

150. Mira sanè sunt, quæ scriptores varii de varia vocationum inspiratione Virginis factarum recensendo exempla, ac in primis Hiacynthus Chaquetius, memoriæ prodiderunt. Celebris imprimis est vocatio illa ad ordinem Prædicatorum à Virgine facta Reginaldi, Tancredi & Germani aliorúmque. Verùm illa, qua Albertus Magnus ad serviendum Deo in eodem sacro ordine invitatus est longè celeberrima est, quam ita Antonius Flaminius descripsit: Igitur pueritiam transgressus, & sextum decimum ætatis annum agens, Templum, quod frequenter faciebat, semel ingressus, orationi tota mente erat intentus, & gloriosam Virginem inprimis precabatur, ut sibi adesset, & dubium plenúmque discriminis adolescentiæ suæ iter in viam salutis æternæ dirigeret. Adfuit illa continuò, & cœlesti voce allocuta, supplicem suum bono animo esse jussit. Verùm illud præ cæteris monuit, ut relictis vitæ hujus illecebris, tutiorem vivendi modum iniret, & recenter orto Prædicatorum Ordini, quem ipsa nuper à Filio ad sustentandum Christianæ Reipublicæ statum impetrâsset, sese insereret, pollicita fore, ut sapientiâ suâ, quam Divinitùs acciperet, in lumen ingens totius Ecclesiæ evaderet. Quod & factum est. Cujus tam eximio ille beneficio, ut se gratum exhiberet, præclarum illum Tractatum supra Evangelium *Missus est* lucubratus est, quo sanè præclarissima Virginis laudum encomia omnium Virginis studiosorum magna cum admiratione celebravit.

Vocatio celebris Alberti Magni ad S. Ord. Prædicatorum.

151. Non dissimili benevolentia eadem Misericordia Mater Adolescentem quendam Burgundum ad eundem illum sacrum ordinem vocavit, ut testatur Gerardus Lemovicensis 4. Par. cap. 3. Hic cum frequenter eandem rogaret Virginem, ut dirigeret viam ejus, daretque sibi gratiam veniendi ad illum ordinem, qui sibi magis acceptus esset, simúlque speciali quâdam affectione illum usurpabat versiculum: *Notam mihi fac Domina viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam.* Quibus conceptis verbis sæpius in oratione ad Deiparam iteratis, factum est, ut licet magis ad alium quendam ordinem propenderet animo, nihilominus tamen Prædicatorum familiam ingredi Duce Deipara omninò decerneret, velut ordinem, qui magis ea tempestate erat Ecclesiæ DEI necessarius. Itáque quadam nocte per quietem vidit B. V. cum duabus Vir-

Vocatio celebris Adolescentis cujusdam Burgundi ad S. Ordinem Prædicat.

Virginibus comitibus, clarâ luce circumfusam, ad se cum suavissimi odoris fragrantia venientem, quam, dum ita, insolito splendore radiantem, attonito similis conspicit, simul etiam vocem apertè sibi dicentem audit: *Persevera, sicut benè cœpisti.* Quâ cœlesti voce mirum, quantum & Divini solatii animo degustârit, & quam accensis studiis, ad proficiendum in via Domini fuerit inflammatus.

Vocatio celebris B. Gundisalvi ad S. Ord. Prædicatorum

152. De B. Gundisalvo de Amarantho quid dicam. Hic cùm à pueritia peculiari studio amoréque ardentissimo ferretur in Virginem, & hæc ardens in illam pietas, majora in dies caperet incrementa, lustratis prius Terræ sanctæ locis, in quibus humanæ redemptionis mysteria, à salvatore peracta sunt, exactísque eâ in peregrinatione magno in virtutibus profectu annis omnino 14. domum suam in Lusitaniam, pauperrimi hominis schemate, rediit malè acceptus, imò bis à Nepote percussus, cui locupletem Abbatiam cesserat, rediit. Tandem adulta jam ætate solitudinem quandam ad Tamacam fluvium sibi delegit, ubi priorum hominum eleemosynis extructo ibidem sacello ad serviendum Domino, agendámque vitam Magdalenæ, partémque ejus optimam, consedit. Ubi tandem pluribus annis Eremiticam vitam agens secum cogitare cœpit, num ea vivendi ratio Deo, ejusdemque Matri grata, acceptáque esset. Hoc porrò Divinum oraculum dum expectaret, contentissimas preces cum lacrymis ad Deiparam fidelissimam suam Patronam fundit, totáque quadragesimâ modico pane lymphâque contentus perseveravit, ac tandem, festis Paschalibus decurrentibus, una vox illi precibus instanti omnem scrupulum, dubietatem omnem ejus animo sustulit, evulsítque, cum ingens ei cœlitùs affulsit lux, in cujus medio cœlorum Regina, augustissimâ specie, sese illi visendam suggessit, eique ita dixit. *Ex Religiosis ordinibus unum perquire, qui sacrum de me officium seu preces horarias omnes à salutatione Angelica auspicatur, illáque easdem concludit, Hujus tu habitum sume, & Regularem illius instituti vitam profitêre & observa.* Hac voce percepta Deiparæ, Gundisalvus mirè lætus perquirit ex variis Religiosis, quinam tandem sint illi, qui eo ritu salutationis Angelicæ hororariarum precum pensum Deiparæ persolvunt. Dum solicitus hoc indagat, contigit, ut die quadam jam serò in quodam Prædicatorum Monasterio hospitio exciperetur, in quo dum ille úsque ad matutinum solita suâ pietate in preces incumbit, audit Priorem preces horarias inchoantem: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum,* Reliquos verò prosequentes: *Benedicta tu in Mulieribus & benedictus fructus ventris tui JESUS.* Tum eodem planè modo finem facere. Advertit mox Gundisalvus hunc demum esse sacrum illum ordinem à Deipara sibi designatum. Ut porrò cœli ductum certiùs sequeretur rursus Mariam suam Illuminatricem appellat, & num iste ordo sit ille, quem ipsa ei designavit, indicare luce sua non dedignetur. Expedivit illicò Virgo benignissima cœlestem Nuncium, qui ei significaret, illum ipsum ordinem esse Deiparæ gratissimum, in quem, ut ingrederetur, ipsa pridem monuerat. Atque ita tot monitis divinitùs certior factus in Prædicatorem cœtum mox admitti efflagitavit & impetravit. Plura qui volet hujusmodi in ordine hoc exempla, consulat Choquetium cap. 21. cui titulum præscripsit: *Ad prædicatorum ordinem multos allicit átque invitat piissima Mater Maria.*

Novitium deserentem S. Religionem Capucinorum revocat B. V.

153. Non modò Virgo Deipara ad Religiosum statum capessendum homines vocare, verùm etiam ab eo deficientes revocare, in eóque illos stabilire, atque confirmare consuevit. Quod nobis variis exemplis Zacharias Boverius in Annalibus Ordinis Seraphici Capucinorum declaravit ad An. 1605. n. 34. In Aquitaniæ Provincia, inquiens, sacræ Deiparæ benignitas in Novitium enituit, qui cum Matris blanditiis persuasus ad sæculum rediisset, paulò post desertæ vocationis crimen agnoscens, illud lacrymis deplorare cœpit, atque adeò animum ad eam repetendam appulit, ut, cùm se à Capucinis ob priorem instabilitatem repellendum formidaret ad B. V. confugiens, his eam verbis compellaverit: *O Virgo beatissima, quæ potens ab Ecclesia prædicaris, an non Matre mea potentior eris? Quod si illa violenta prece me à Religionis sinu abstraxit; quid ni tu illi me restituere valeas?* Pium hunc adolescentis animum ac vota irrita abire, Virgo clementissima non est passa. Extemplo enim apparens, his eum verbis interrogat. Putásne quòd tua ego Matre potentior sim? Cui ille: O Domina mundi cur non te Matre mea potentiorem credam, quæ potentissima es Dei Mater? Mox beata Virgo: Redi igitur Fili ad Capucinos, & quæ audisti & vidisti eisdem narra, iterúmque te in gremium recipient. Carnalem Matrem relinque, & si mihi fidelis fueris, ego tibi in Matrem & tu mihi in Filium eris. Pergit adolescens, audita narrat, Religioni cooptatur, dignúmque se tanta Matre Filium sua virtute præstat.

Ad Constantiam in proposito ingrediendæ Religionis Capucinorum Belgam quendam animat B. V.

154. Idem Boverius de Belga quodam sat provectæ ætatis Anno 1597. n. 44. scribit, quòd cum Ordinem sanctum Capucinorum summis precibus peteret, nec tamen ob ingravescentem jam ætatem impetraret, animum à Sancto proposito avocare cœperat, cùm nocte quadam orans cœli Reginam ad se venientem cernit, quæ cùm propiùs ad eum accessisset, leviter ipsius genam percutiens: *Cur inquit, pusillæ fidei animum despondes, mentemque à Religionis proposito avocas? Rem constanter prosequere, ac ea potiere.* Qua ille, voce confirmatus, tandem inter Capucinorum Laicos cooptatus, in ea magna cum virtutum laude vitam duxit, extremúmque diem fœlicius absolvit.

Novitius ob surditatem à Capucinorum religione discedere parans à Deipara impetrat plenum auditum, & confirmatur in religione.

155. Eâdem prorsus benevolentiâ, ac charitate Virgo benignissima alteri cuidam Novitio, qui ob surditatem ab Ordine dimittendus erat, ut meminit idem Boverius ad An. 1591. succurrit. Hic enim consilium hoc Patrum subodoratus, cùm præcipua Virginem aliàs veneratione prosequeretur, non priùs è Monasterio egredi voluit, quâm ab ea benedictionem postulasset. Igitur sub primum Auroræ crepusculum in choro ante B. Virginis Iconem procumbens, his illam verbis affatur. *Diva Parens jam Deo ac tibi in hac Religione mihi famulandum proposueram, at quando ob auditûs inopiam religionis causa contractam, ab ea dimittendus sum: ex ea sponte, licet invitus discedo, tuam mihi gratiam ac benignitatem propitiam implorans:* Vix ille postulârat, cùm illam B. V. Iconem pulcherrimis cœli fulgoribus radiantem cernit, cujus aspectu, cum aurium surditate abscedente, animo in vocatione confirmatus esset, Religiosissimè relictis post se pulcherrimis Religiosæ vitæ exemplis, úsque ad mortem vixit.

156. Nec in minima hac societate nostra illustrissimæ hujusmodi per Virginem, ejusdémque inspirationem, factæ ad famulandum Duci nostro JEsu desiderantur vocationes. Simillimis exemplis plenæ omnino

B. Aloysius Gonzaga & B. Stanislaus ad Societatem JEsu vocantur à B. V.

omnino sunt nostræ literæ Annuæ, quæ si libet pro commoditate consulendæ. Interim pauca aliqua de multis hic delibasse sufficiant. Ac in primis B. Aloysium Gonzagam. B. Stanislaum Kostkam à Dei Matre, voce ipsius illa suavissima: *Ingredere in Societatem JEsu*, fuisse vocatos notissimum est, & nos alibi fusius commemoravimus. Part. 2.

Celebris vocatio ad Societatem JEsu Joannis Nunnii.

157. Celebris omnino est vocatio Joannis Nunnii, de quo Auctor Imaginis primi sæculi Soc. lib. 2. cap. 9. ita scribit: Joannes Nunnius, non is: quem Æthiopiæ Patriarcham fuisse diximus (quanquam & hanc Virgini Societas debet) sed alter è Gusmanorum nobilissima inter Hispanos familia, cùm de vitæ statu dubius cœli Reginam, quæ fluctuantibus Cynosura est, suppliciter implorat, illa se videndam præbens: *Visne*, inquit, *Filio meo servire ad defatigationem?* Cùm se velle respondisset; subiunxit Virgo: *Hos ergò* (Fabrum & stradam, quos habebat in comitatu designabat) *nihil hæsitans sequere.* Nec multò post homines per visum oblatos obvios habuit. Dum hæret, ambórumque vultus cum præteritis simulacris confert, attonitum præoccupans Faber, eisdem verbis, *num Christo ad defatigationem servire velit?* interrogat. Ea ille voce, plusquàm qua reretur intelligens, non dubitavit se eis ad perpetuam vitæ, laborúmque, quibus fatigari, recreari est, societatem adjungere.

Celebris vocatio Petri de Anaseo ad Societatem JEsu.

158. Per eamdem Virginem ad societatem JESU, vocatus est Petrus de Anaseo Pervanus, de quo literæ Annuæ 1605. Provinciæ Pervanæ in sede S. Crucis. Hic vocationem hanc suam quodam in libello, ut & alia plura cœlitus communicata dona, sic descripsit: *Singulis Sabbathi diebus præcipuum aliquod à Deo optimo beneficium ob deprædicationem ejusdem Sanctissimæ Matris accepi. Hæc me ad Societatem adduxit, in eadémque conservavit, ubi quæ ipsius causâ senserim, quoniam verbis explicare non possum, silentio prætereo.* Confessario tamen dixit, quoties singularis illius beneficiis recordabatur, quod ægrotans à Sanctissima Virgine accepit (recordabatur verò frequentissimè) toties eamdem pulcherrimam, suavitatis, amoris humanitatísque plenissimam mentis oculis intueri, sicut primò eamdem corporeis viderat, animúmque tum suum dulcedine quadam consolationéque cœlesti plenum relinqui. Atque ita in libello illo hujus rei mentionem faciens: *Juvenis*, inquit, *in periculosissimum morbum incidi, in quo illud accidit, quod gloriosus ipse Deus, atq; egómet scimus, atq; ingrati animi signum firmiter cum divina gratia constituo, pro hujusmodi beneficio singulis Sextis Feriis me diverberare, Sacrum, item Coronam, & quidquid iis diebus boni egero, in gratiarum actionem offerre.* Quâ porrò à teneris annis in B. Virginem esset fiducia ipse eodem in libello adnotavit. *Dum in pueritia mea, irati ob defectus aliquos in me parentes mei animadvertere volebant, accurrebam statim ad Sanctissimam Virginem iratósque parentum animos mitiores redditos inveniebam; idq; ipsum quamdiu literarium frequentavi ludum expertus sum; hoc manè ab amplissima Parente in Templo ipsius, singulis, quibúsque diebus ante ingressum ad scholas petens auxilium; sabbatísque in ejusdem honorem & reverentiam jejunans, mox verò ac in horum aliquo deficiebam; adversi etiam aliquid eo die procul dubio experiebar.* — Fiducia in B. Virginem.

Cornelius à Lapide Vocatur à Deipara ad Societatem JEsu.

159. Eadem Virgo beatissima, velut stella illa Magorum Cornelio à Lapide Dux fuit, ut è mundi hujus mari procelloso in tranquillum partum Societatis JESU ingrederetur,

testatur P. Philippus Alegambe, qui hoc se ex illius scriptis habere fatetur. Postquam enim labores suos imò Martyria in sacris literis, ac præsertim Prophetis explanandis commemorâsset; Mox, inquit, idem Auctor ad beatissimam DEI Matrem conversus, cui se suáque omnia debere, à qua fuisset, indignus ad Sanctam Filii ejus Societatem vocatus, in ea miro modo directus, adjutus, instructus, Martyrii se per eam fieri compotem postulat.

Quid de Thoma Sanchez Viro doctissimo æquè ac pientissimo dicam? hunc Diva Mater insigni planè præmisso miraculo ad societatem JESU vocâsse visa est, cùm ei blæsitatem tanquam notabile ad Societatem ineundam impedimentum sustulit, utpote æviternæ illius Sapientiæ Mater, quæ aperit ora mutorum, & linquas infantium facit esse diseras. De hoc P. Philippus Alegambe in sua Biblioth. Script. Soc. Fama, inquit, est, eum, quo tempore Societatem nostram ambiebat, sæpè à superioribus repulsam passum, quòd impeditioris esset linguæ, Cordubæ ad Templum Sanctissimæ Virginis Mariæ, quód à fonte sacro nomen habet, confugisse, ac multis suspiriis lacrymísque à Deipara Virgine efflagitâsse impedimentum illud, ut aufferret, quo in Societatem admitteretur; atque etiam professum se domum suam non reversurum, nisi, quod petebat, impetrâsset. Quid mulsa? impetravit, & sublato impedimento ad Societatem aggregatus est, cum 16. haberet annum ætatis. Atque à Virgine Sanctissima tanquam verè à fonte sacro, non modò egregium eloquentiæ flumen, suósque conceptus etiam subtilissimos, ut ex ipsius ingenii patet monumentis, explicandi facilitatem, facultatémque, verùm etiam variam, gratiarum, cœlestium charismatum, virtutúmque præclarissimarum rivulos in animum suum tanquam cœlestis Sponsi hortulum derivavit, ut admirandos in via Divini obsequii progressus fecerit.

Mira vocatio ad Societatem JESU Thomæ Sanchez.

160. Mox enim à quo in Societatem ingressus est, ut idem scribit Auctor, altissimos sibi proposuit virtutum fines, ad quos toto pectore incumberet, eósque in ephemerides relatos, non minore, quàm contenderat, consecutus est laude. Nimirum seduli more mercatoris negotiationem spiritualem, cum vitiorum odio, virtutísque amore singulari sic coluit semper, atque exercuit, ut omnem dicendi, docendíque rationem excesserit. Quotidiè quæ negotiationi subjiciebat, proponebat manè, & in libellum secretiorem referebat: diei decursu exercebat, quæ constituerat; certis deníque temporibus à se rationem exigebat, incredibili lucro, atque eo profectu qui ei sanctitatis famam ac venerationis peperit. Totis 45. annis, quibus in Societate vixit, nihil in hoc negotiationis studio remisit, ut qui eum diligentiùs observârunt, vehementer sint admirati, incredibilem ejus in suscepta vitæ ratione constantiam, perpetuúmque tenorem, nullis studiorum occupationibus, aut gravissimorum virorum interventu violatum. Nulla virtutum non ab ipso in summo fastigio tenebatur. Hæc ille; quibus sanè clarè ostendit Deiparam gratiarum omnium fontem, ac Domini virtutum Matrem, opus virtutis, quod in Thoma adolescentulo, cum ad societatem Filii sui, tam admirabiliter vocando inchoârat perfecisse, numerísque omnibus assidua Divinæ gratiæ impetratione ac subministratione absolvisse.

Constans tenor Thomæ Sanchez in Dei servitio.

161. Quis igitur Sacratissimam hanc Virginem non diligat, quis non amplectatur, quæ ad Divinum

nos

nos servitium vocans, tantis cœli donis locupletat, tantis gratiis charismatísque cumulat, ut homines consummatæ virtutis, omnísque perfectionis ideam ad imitandum efformet. Quod opus illa in suis hiscè Partheniis sodalitiis verè virtutis omnis palæstris, ac Gymnasiis inchoat, & sensim mentibus eorum velut Illuminatrix, stella affulgescens, Religionísque pulchritudinem tanquam è vestibulis ostendens ad constanter ac perpetuò Divinæ Majestatis famulandum, suis sacris inspirationibus, velut aureis Gallicani illius Herculis Catenis suavissimè pertrahit, ut quotidiana docet experientia. Ego certè ad gloriam Virginis id asseverare possum, me simul, ac Labaci, dum in literarum versarer studiis, Sodalitium Parthenium, cujus illis annis jacta fuêre fundamenta, sum ingressus, tanto Societatis JESU amplectendæ exarsi desiderio, ut donec voti mei compos efficerer, animi quietem vix reperire possem. Quare jure meritò quatuor illa Divina beneficia Creationis, Redemptionis, Sanctificationis atque Vocationis, quibus communicandis cooperata est, ut diximus Deipara, dicere possumus esse quatuor Paradisi flumina, de loco voluptatis egredientia, quibus Ecclesiæ Pardisus & specialiter Virginis clientuli tanquam Regia quædam Viridaria rore cœlestis gratiæ irrigantur, & virtutibus fœcundantur. Quæ omnia quisquis rectæ rationis trutinâ attentiùs expenderit, fieri non poterit, quin Dei inprimis, deinde Matris ejus castissimis amoribus exardescat.

Deipara tanquam stella affulget mentibus Scholaris Juventutis.

Sodales B. V. suis inspirationibus sacris, trahit ad religiosam vitam.

Quatuor divina beneficia Creat. Redempt. Sanctif. Vocat. Quatuor sunt Paradisi flumina.

162. Quod si eundem DEum, ac Dominum, utì & ejus Matrem Sanctissimam propter nos in creaturis operantes & laborantes quodammodo, quatenus illas in esse suo & operatione conservant, ne pereant, & quasi annihilentur, consideremus, vastissimis certè amoris incendiis concrememur, necesse est. Virgo enim cum Deo creatore suo Atlas quidam est, mundum labantem ac nutantem, sceleribus ipsius sic exigentibus, sustentans, cúmque ab interitu præservans. Quemadmodum enim orbis universus tribus Dei digitis omnipotentiâ videlicet, sapientiâ, & bonitate, appensus in suo esse subsistit (verè enim dixit Apostolus. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*) ita proportione quâdam dicere possumus, nos potentissimis, sapientissimis, & bonitate, charitatéque plenissimis Mariæ apud Filium precibus hunc vitæ halitum, & maximè spiritualem ducere, & in esse tam naturæ, quàm gratiæ cosistere, atque ab æviterno interitu præservari. Hinc S. Germanus Patriar. Constant. Orat. de zona B. V. *sicut continua respiratio non solùm est signum vitæ, sed etiam causa; sic sanctissimum Mariæ Nomen, quod in DEI servorum ore assiduè versatur, simul argumentum est, quòd verè vitâ vivant, & simul etiam hanc ipsam vitam efficit, & conservat, omnémque eis lætitiam, & opem ad omnia impertitur.* Unde inter reliqua privilegia atque præminentias Divæ Virginis, quibus velut stellis sacratus ejus vertex coronatur. Pelbartus de Temisvar Ord Seraph. lib, 11. stell. Par. 2. Secundam numerat Præservationem. *Nam Beatissima Virgo Mater*, inquit ille, *totum mundum à principio creationis humani generis, usque ad finem ejus durationis præservavit in suo esse, & nunc etiam præservat. Imò dico, quod B. V. & ejus Filius est causa totius esse mundi: Et præcipuè propter ipsam Virginem benedictam, ejúsque Natum DEUS creavit mundum, & dedit esse rebus.* Unde concludit: *Omnia ergo B. M. V. meritò deservire obligantur,*

Deipara Atlas quidam est mundum labantem sustentans.

Conservatio mundi in suo esse stella secunda est in Corona B. V.

Propter Christum & Matrem ejus mundus creatus est.

tur, quia nihil creatum fuisset, nisi mundum per DEum, ejusque Matrem reparandum Divina potentia, atque clementia prævidisset; Sicut ergo causa mundi creationis, Virgo extitit, sic etiam & ejusdem conservationis, siquidem apud Philosophos non nisi ratione distinguuntur.

163. Et verò sentiendum omnino Mundum ne corruat, ac pessumdetur à Virgine velut Atlante conservari, ac fulciri precibus ejus assiduis apud Filium sanctorum variorum docemur exemplis, qui meritis atque orationibus suis Mundi Atlantes extitêre. Hinc Cornelius à Lapide docet in illud Malach. 4. *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Sive, ut legit Chaldæus: *Exterminatione*, sive ut Hebr. *Excisione*, quæ omnia æternam maledictionem, & ad ignem gehennalem condemnationem indicant. Docet, inquam, Eliam velut mediatorem mittendum inter DEUM & homines ad impediendum, ne Judex justissimus in terræ habitatores æviternæ damnationis, atque anathematis fulmen vibret. *Disce hic*, inquit ille, *Sanctos illustres, & zelosos esse quasi bases & columnas orbis, qui suis precibus, meritis, & zelo eum alioquin ruiturum in exitium fulciunt, & sustinent.* Tum quia orando manus Deo irato quasi ligant, ne in vindictam prosiliant. Tum quia prædicando sanctéque vivendo peccatores compungunt, impellúntque ad corrigendam vitam. Hi enim sunt quasi Angeli terrestres, quorum mens in cœlis est, qui terrâ celsiores, & Deo quasi fortiores sunt. DEUS enim pluris facit unum insigniter Sanctum, quàm centum communes Justos. Insignes enim Sancti Deo sunt quàm simillimi, ac proinde dignissimi, ut ab illo summo in precio habeantur. Hinc Plato in Theæteto: *Deo nihil est similius, quàm cùm ex hominibus aliquis justissimus est.*

Illustres sancti quasi Bases & columnæ sunt orbis, ne ruat in interitum.

Deus pluris facit unum insigniter sanctũ, quam centum communes Justos.

164. Talis Mediator inter iratum DEUM, & mundum malignum eum velut Atlas sustentans B. Laurentius Justinianus Venetiarum Patriarcha & sustentator, de quo cuidem Sancto revelatum est, DEum civitati indignantem eam perditurum fuisse, nisi precibus sui Sancti Patriarchæ furor divinus aversus fuisset. Ita scribit vitæ ipsius Auctor. Hujusmodi Emesæ, imò mundi totius Atlas, S. Simeon, cognomento Salus, id est, stultus, quod sanctitatem suam stultis operibus quasi obtegeret, cùm tamen plurima præclarè ad Dei gloriam proximorúmque communem salutem perpetraret. Cùm enim Civis quidam Emesenus Hierosolymam profectus se Abbatis Joannis precibus commendaret, ita illi respondisse perhibetur: *Miror te, cum Emesæ habeas Abbatem Simeonem, ad me hominem vilem & abjectum divertere, Nam non ego solus, sed mundus totus indiget ipsius precibus.* Leontius in vita. Similes Ecclesiæ Atlantes fuère SS. illi viri Dominicus & Franciscus, quos in subsidiũ mox ruituri orbis misericordiæ Mater obtulit, uti alibi fusius relatum est, Talis Atlas fuit S. Vincentius Ferrerius Ord. Præd. illustre Sidus, qui centum Christianorum millia, Judæorum 25. millia, Saracenorum octo millia ad Christum convertit, & ab æterna perditione atque anathemate liberavit. Talis Atlas novi orbis Indorum, Japonum, Sinarúmque fuit S. Franciscus Xaverius, totius Orientis Apostolus, quem Thomas Bozius lib. 6. de signis Ecclesiæ, contendit plures Ethnicos ad Christum perduxisse, quàm ab omnibus simul Hæreticis, qui jam inde à Simone Mago eorum primipilo extitêre, & innumerabilia millia

S. Laurentius Justinianus venetiarum Patriarcha Atlas fuit suæ civitatis.

Atlas mundi fuit Simeon salus.

Atlantes mundi S. Dominicus & S. Franciscus

Atlas Ecclesiæ S. Vincentius Ferrerius Ord. Præd.

Atlas novi orbis Franciscus Xaverius

lia conficiunt, fuerint Ethnici, ad legem Christi, qualemcúnque ipsi fingunt, perducti. Hæretici enim id nunquam egêre ut gentes à Christi cultu alienas, Christo adjungerent, sed tantùm laborârunt, ut perverterent Christianos, verísque ac genuinis fidei seminibus spuria zizania superseminarent.

165. Quare jure novus orbis fœlix ac beatus reputandus est, qui post tot myriades annorum tale fulcrum ac columnam sustentantem, ne in sempiternæ perditionis Barathrum prolaberetur, repererit. Quod jam intellexisse visus est S. Ambrosius qui lib. 2. de Cain & Abel in re simili ita disseruit. *Quàm beata Civitas, quæ plurimos justos habet; quomodo benedicitur tota de parte? quàm gaudeo, cùm aliquos mites ac sapientes diu vivere video, cùm Virgines castas, Viduas graves aspicio longævas, velut quamdam incanam Ecclesiæ curiam, prætendant, ipso quodam vultu & specie gravitatis, quòd juvenes revereantur, quòd imitentur, quòd ad omnem morum gratiam colorentur. Similiter cùm aliquis hujusmodi decedit quamvis longa senectute depositus, afficior, quod destituitur grex juvenum muro senili.* Addit idem S. Doctor tales esse quasi Civitates refugij in quas delinquentes se recipere possint. Denique *peritura*, inquit, *urbis, aut malorum imminentium vel facturæ labis hoc primum indicium est, si ei decedant, viri consultores, vel etiam graviores fœminæ. Hinc primum ingruentium aperitur porta malorum.* Sic Ambrosius.

Felix civitas in qua multi sancti degunt, qui sunt murus imò civitates refugij.

166. Quòd si Viri Sancti suis apud DEUM intercessionibus ac precibus Urbium fulcra, calamitatum propulsatio bonorúmque omnium causa sunt: quantò magìs cogitandum nobis est DEI Matrem, ipsam Sanctam Sanctorum, quæ virtutum suarum meritorúmque sublimitate Mons quidam est eminentissimus, super omnium Montium vertices elevatus, quantùm, inquam, magìs cogitandum nobis Montem hunc Virgineum Orbem universum, ne ruat in interitum, sustentare atque ab æterna perditione, sua incredibili misericordia præservare? Quod ostensum olim fuit Divinitus S. Brigittæ, ut ipsa scribit Lib. 1. Revel. cap. 45. ubi Christus tanquam Judex pro tribunali sedens, déque sceleribus variis hominum conquerens, coram Angelis, Sanctísque tam veteris, quàm novi testamenti consultans, quisnam illos, & quali judicio judicaturus sit, introducitur; & illi respondisset: *Sicut totus mundus in principio aquis diluvij periit: sic nunc dignus igne perire, quia abundat nunc magìs iniquitas, & injustitia, quàm tunc.* Tandem, ut sempiternus Judex ostendat, quantùm Matris preces atque intercessio ad sustentandum mundum, ne labatur in ruinam, apud se valeant, ita resolvit: *Quia sum justus & misericors, nec judicium facio sine misericordia, nec misericordiam sine justitia, ideò adhuc semel propter preces Matris meæ, & Sanctorum meorum mittam mundo misericordiam meam. Si autem noluerit audire, tandem severior sequetur justitia.* Hæc ipsa Veritas Christus; quo sanè loquendi modo luculenter ostendit, quo loco Diva Mater, ejusdémque pientissima pro scelerato mundo, ne in æviternam perditionem, imò annihilationem prolabatur, apud se sit intercessio.

Nisi preces B. V. & sanctorum intervenissent, pridem mundus ob sua scelera interiisset.

167. Supra memoratus Pelbartus docet, Protoplastos ob ipsorum scelus, quod in totum genus humanum derivatum est, meruisse non modò expulsionem ex Paradiso, aliásque pœnas tam animi, quàm corporis, quas Divina justitia eis inflixit,

flixit, verùm etiam annihilationem, ob culpæ gravitatem, atque infinitatem DEUM summum infinitúmque Bonum offendentis; verum intuitu Virginis, quæ ex illis oritura, & mundum per Filium ab interitu vindicatura erat, servatos. *Quare ergo*, inquit ille, *DEus pepercit homini, ut æternaliter eum non projiceret, nec in nihilum, ut merebatur, redigeret? nisi propter præcipuam reverentiam, singularissimámque dilectionem, quam habuit ad Virginem beatissimam, quam super omnes puras creaturas prædilexit.* Tandem ita concludit: *Ergo propter istam nobilem creaturam, id est, B.Virginem Mariam, DEUS salvavit primos parentes de prima prævaricatione.* Quod profectò idem in hodiernum usque diem, in quo nimium quantum scelerum omnium colluvies inundavit, eorundemque immunitas orbem universum occupavit, oppressitque, ab infinita DEI in immundissimum hunc mundum, misericordia præstatur.

Deipara columna firmissima nutantis orbis.

168. Quare jure merito Virgo hæc nostra Columna firma nutantis ac labantis orbis appellari potest; quam etiam fortassis ob causam S. Jacobo Apostolo, dum in conversione Hispaniarum modico cum fructu laboraret, columnæ insistens sese ipsius solandi gratiâ Cæsar Augustæ visendam exhibuit, simul eo facto insinuans, se illius orbis populique columnam subfulcientem esse, ne in Infernale Barathrum proruat. Rem ita se habuisse narrat P. Ribadeneira in Vita S. Jacobi, eum in Hispania novem tantum incolas ad Christum convertisse. Qua de causa cùm doleret, simulque timeret, ne ob perfidiam Hispania in Infernum prolaberetur, orationi se dedit, in qua dum perseverat, DEI Mater, dum adhuc Hierosolymis vivebat, choro Angelorum suavissimè canentium stipata ei apparuit, eique benignè dixit. *Hoc in loco ædificabis Ecclesiam eamq; meo Nomine insignies; quia hæc Hispaniæ pars mihi erit devotissima, & ex nunc eam in meam protectionem recipio.* Obedivit promptè Voci Virginis Apostolus, eique pro posse suo sacellum ædificavit, quod in hodiernum usque diem vocatur: *S. Maria de Pilari* sive *in Columna.* Atque exinde secuta est brevi totius Hispaniæ conversio, ostenditque revera Virgo beatissima, se in suam protectionem universam Hispaniam recepisse, simúlque se firmissimam columnam eam sustentantem, ne in interitum rueret, extitisse. Jam igitur quis quæso hæc attentius secum cogitans, tam ferus ac ferreus est, cujus cor amore tantæ Virginis in se perspecto, non emollescat, ardentissimæque ipsius charitatis ignibus non colliquescat.

Deipara columnæ insistens S.Jacobo Apostolo comparuit.

Deipara Hispaniam in suam protectionem recepit, cujus columna esse voluit.

169. Quòd si denique quartum punctum illius contemplationis S. Ignatii de spirituali amore diligenter expendamus, quanam ratione munera & bona omnia cælitus descendunt, ut sunt potentia, justitia, bonitas, scientia, & alia quælibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumscripta, ab infinito illo totius boni thesauro sicut lumen à Sole, & ex fonte aqua derivetur, & cogitemus simul hæc dona, ac bona omnia, gratias omnes, charismata omnia ac virtutes mediante atque intercedente Virgine nobis velut per aquæ ductum communicari, quî fieri potest, ut DEI summi æterníque Boni, bonorúmque omnium fontis Matrem ipsam toto corde, tota anima, tota virtute post Filium non diligamus, nosque totos ejus servitio atque obsequio mancipemus? Aquæ ductum porrò gratiarum è fonte cælestis Paradisi emanantium esse Deiparam Incarnati Verbi beneficio, testatur

Si cogitemus B.V. aquæ ductum omnium gratiarum in nos, quomodo eam non ex toto corde & anima diligemus?

testatur S. Bernardus, qui ad hoc comprobandum integrum sermonem conscripsit, eùmque de Aquæ ductu inscripsit, in quo inter reliqua hæc habet. *Descendit per aquæ ductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis tamen plus, aliis verò minus. Plenus equidem aquæ ductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Advertistis jam, ni fallor quem velim dicere Aquæ ductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens nobis edidit illum sed si non prout est, prout capere poteramus. Nostis enim cur dictum sit: Ave gratiâ plena: Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd necdum intercederet is, de quo loquimur tam desiderabilis aquæ ductus. Altiùs ergo intueamini, quanto devotionis affectu à nobis Maria voluerit honorari, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab ea noverimus redundare: quæ ascendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens Auster ille Divinus, ut undique fluant, & effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum.*

quid in boni est ...arianum ductum ...imus.

170. Néque verò solùm Aquæ ductus cœlestium gratiarum donorùmque est Deipara, sed etiam parvus ille fons cui Regina Esther fuit comparata, juxta somnium Mardochæi, quod ipse explicuit. Est. 10. 11. 6. *Parvus fons*, inquiens, *crevit in fluvium & in lucem solémque conversus est, & in aquas plurimas redundavit.* Ipsa enim est ipso attestante sponso. *Fons signatus, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*, cœlesti, ut eas nobiscum communicet eásque in animas nostras transfundat copiosissimè; unde & propterea dicitur Fons hic in aquas plurimas redundâsse ad arentes & succo gratiæ carentes animas irrigandas. Parvus hic denique fons in lucem solémque conversus est, cùm intimè æviternæ illi luci omnem hominem venientem in hunc mundum, solíque justitiæ per incarnationem unita, in illum quodammodo transformata est, ad mundum universum suæ pietatis, ac misericordiæ radiis illustrandum, suæque ardore charismatis, variorúmque beneficiorum communicatione accendendum. Hinc S. Bern. verbis illis paulò ante commemoratis subnexuit: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc Maris stellam; maris utique magni ac speciosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Solem esse Virginem nostram gloriosissimam suarum gratiarum, variorúmque beneficiorum lumen in universum terrarum orbem transfundens, cœlistus illuminatus cognovit Religiosissimus ille noster Pater Julius Mancinellus, de quo P. Philippus Alegambe in sua Biblioth. *Per Tyrocinii*, inquit *spatium cùm se ad solidam exerceret virtutem, Divinæ mentis illustratione cognovit, haud secus in homines divina manare beneficia per Mariam, quàm luminis hujus, quidquid est à sole, derivari in orbem universum; cujus singulari beneficio magnarum jecit fundamenta virtutum.*

Deipara fons cui Regina Esther comparata, qui ...t in fluviū lucem ...nq; conversus est.

Deipara intimè soli divino unita in illum quodammodo transformata est.

171. Ob hanc tam copiosam luminis in universum orbem communicationem Templi Hierosolymitani Candelabro illi aureo, & lampadi in vertice ejusdem Candelabri oleum, luménque reliquis suis lucernis distribuenti ab Anastasio Niceno Episc. uti ostensum P. 1. D. 16.

Christus Dominus principaliter est lampas in vertice Candelabri Ecclesiæ unde reliqui sancti illuminantur, quod cum proportione quadam de B. V. dici potest.

16. comparata est. Quare quòd S. Augustinus de Christo, qui Principaliter Lampas in vertice candelabri Ecclesiæ, utpote ejus caput extitit, pronunciavit; idem nos proportione quadam dicere paucis immutatis de Virgine possumus: *Sint igitur*, inquit ille, *sub Lampade Lucernæ si illuminari volunt, quandoquidem à se ipsis non habent lumen, sed ab eo, qui à se ipso lumen est, & non ab alio. Sic enim securum habent lumen suum adhærendi illi, quod deficere non potest, & aliis semper sufficit.* Idem Tract. 54. in Joan. *Omnes Sancti* inquit, *lumina sunt, sed credendo ab eo illuminantur, à quo si quis recesserit tenebrabitur. Lumen autem illud quo illuminantur, à se recedere non potest, quia incommutabile omninò est, & ideò tenebræ in eo non sunt ullæ, nec esse possunt.*

172. Adhæreamus ergo & nos toto cordis affectu, huic Virgineo soli, huic lucidissimo Candelabro, atque ardentissimæ Lampadi, huic uberrimo cœlestium donorum gratiarúmque Fonti, nec unquam ab illo recedamus, si copiosissimis ipsius beneficiorum aquis irrigari, si luce perfundi, ejusdémque gratiarum jubare cupimus radiare. Audiendus nobis hic S. Bernardus, qui postquam Deiparam inprimis aquæductum, per quem omnes ad nos gratiæ, ac Spiritus Sancti charismata à Deo derivantur, deinde solem, cujus benignis influxibus & luce ac calore vegetamur esse dixisset, hæc tandem attexuit, quæ nobis omnibus ac singulis procedentibus beneficiis creationis, redemptionis, sanctificationis ac vocationis quibus Virgo tanta erga nos charitate cooperata est diligenter expensis, alta memoria inscribenda est; *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus ac votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui nos totum habere voluit per Mariam.*

Affectus & exhortatio ad amorem in B.V. accendendum S. Bernardi.

173. Cùm igitur Virgo Beatissima Divinum Numen Filij sui in omnibus æmulata, & aquæ ductus sit ipso dicente Eccl. 24. *Ego quasi aquæ ductus exivi de Paradiso;* & Fons gratiarum, ac deníque sol sit radios igneos charitatis ac benignitatis in omnes exsufflans, correspondeamus tam benigno, tam effuso, ejus in nos affectui, donáque nobis communicata ab illa in nos dimanare agnoscentes in eandem gratias ipsi exhibendo refundamus, ut iterum fluant. Offeramus illi nos totos penitus, nostráque omnia ex asse, ejúsque dominio omnem nostram vitam, operationes item nostras universas subjiciamus; dicamúsque medullitus ad Matrem & Filium post singula expensa beneficia, ignitum Patrem nostrum Ignatium imitati: *Accipe Domine JESU, accipe Domina Maria Virgo Mater JESU, accipite, accipite amores mei dulcissimi universam meam libertatem, Accipite memoriam, intellectum, átque voluntatem omnem quidquid habeo vel possideo, mihi largiti estis, id vobis totum restituo, ac vestræ prorsus voluntati trado gubernandum. Vestri amorem solùm cum gratia vestra mihi donetis, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

Oratio & affectus ad B.V. ad imitationem orationis Ignatianæ in contemplatione de Dei beneficiis.

174. Quid jam de illa dicemus Elephanti proprietate, quâ minimam linguam habere ab Altrovando, & aliis perhibetur, proprietas hæc in mentem nobis revocat Sacratissimæ Virginis nostræ loquendi parcitatem. De qua S. Bernardinus Senensis loquens To. 4. serm. 9. Observavit eam septies tantùm in Evangeliis fuisse locutam. Et bis cum Archangelo Gabriele. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et: *Ecce Ancilla Domini fiat*

Elephas minimam linguam habet, unde loquendi parcitas B. V. in mentem revocatur.

fiat mihi secundùm verbum tuum. Luc. 1. Semel cum Elisabetha, cùm ei salutem dixit, de dono, quod Divinitus acceperat eidem congratulando. Quartò cùm Canticum illud, quo Dominum magnificavit modulata est. Quintò cùm ad Nuptias invitata pro vino, Sponsorum verecundiæ consulens Filium interpellavit: *Vinum*, inquiens, *non habent* Joan. 2. Sextò cum Ministris convivii Nuptialis, saluberrimum illud dedit mandatum: *Quodcúnque dixerit vobis facite* Joan. 2. Septimò deníque quando repertum in Templo Filium ita compellavit: *Fili, quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2.

Septem verba quæ B. V. locuta est, totidem sunt flammæ Spiritus S.

175. Quibus brevissimis loquendi modis summam verborum parcitatem mirámque in Deo laudando, ac magnificando dicendi ubertatem, Spiritûs S. edocta magisterio manifestavit. Quæ septem verba ait idem Pater Seraphicus esse dulcissima, & meritò de illis pronunciari posse: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua;* quam dulcedinem in verbis Virginis docet esse ardorem piæ devotionis, quam in ejus anima experimentaliter probat. Unde verba illa septem, ait totidem esse flammas, quæ ex corde Virginis velut ardentissima fornace emanârunt, quam cum Spirtus S. sui amoris ignibus inflammâsset, ejus etiam magisterio divinitus efformata sunt.

Septem verba B. V., quæ habentur in Evangelio, commendantur, à Spiritûs S. dictamine.

176. Unde præclarè Venerabilis Richardus à S. Laur. lib. 4. de Laud. B. V. *Septem*, inquit, *verba Virginis quæ habentur in Evangelio composuit cælestis Artifex Spiritus S. qui eam repleverat, & ideò sicut septem sunt dona Spiritus S. sic & septem verba ejus in Evangelio continentur. Tum parcitatem hanc loquendi docet personis DEO consecratis potissimum imitandam esse. In hoc inquiens, innuitur, quòd Religiosa persona, & maximè Monialis rarissimè loqui debeat. Et tum cum DEO in oratione & lectione; aut cum Angelo, id est, sacerdote Angelicæ & honestæ Conversationis, in Confessione &c. Hæc porrò Septem verba à Spiritu S. commendantur dictamine. Unde ipsa cum Psalmista dicere videtur* Psal. 44. *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis. Scriba iste Spiritus S. est, quasi diceret: quod loquor à me ipsa non loquor, sed à Spiritu S. Nam, sicut manus scribæ movet calamum: Sic Spiritus S. Linguam meam; ita, ut dicere posset cum Parente suo Davide: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Multò ergò fortius loquebatur Spiritus Sanctus per eam, quam repleverat usquequáque. Sicut enim calamus non scribit, quod vult, sed quod scribens vult, sic & ipsa ea verba proferebat, quæ Spiritus S. in corde ejus scribebat, eique dictabat. Calamus hic erat velociter Scribentis, quia Spiritus S. cujus gratia nescit tarda rerum molimina, citò & subitò docebat eam loqui, ac respondere. Et bene dicitur Lingua Mariæ Calamus Scribæ, id est, Spiritus S. Tum quia plenus fuit ex causto coloréque igneæ charitatis, & gratiæ, quæ diffusa erat in labiis ipsius. Tum quia à manu sinistra ad dexteram ducebat lineam, quidquid enim B. V. loquebatur, ad humiliationem sui, ad honorem DEI, ad ædificationem proximi, ad æternitatem denique, quæ signatur per dexteram sua verba omnia referebat.* Hæc ferè Richardus, qui fusè eodem libro eadam verba illa septem Deiparæ accuratè ponderando prosequitur, quem consule.

Lingua B. V. calamus scribæ, id est, Spiritûs S.

177. Observandum porrò Deiparam, uti obiter supra memoravimus, in loquendo cum aliis admo-

Deipara cum aliis in loquendo parca, de Deo, & cum Deo prolixa.

dum parcam fuisse, at verò in extollendis DEI beneficiis, reddendis gratiis, ac Divinæ Majestatis glorificatione longè prolixiorem atque uberiorem, ut patet ex dulcissimo ipsius Cantico, quod velut Psalterium decachordum, quod decem omninò constat versibus, quorum singuli prolixiores penè sunt, quàm reliqua sex illa Virgineo ore prolata verba, quod sagaciter animadvertit idem Richardus: *Et nota,* inquiens, *quòd in Cantico suo prosequens laudes Domini, aliquantulum prolixè locuta fuit, cùm ubique alibi breviter, nec in aliquo verbo effluxit, nisi in laudibus Salvatoris, per hoc nobis innuens, in DEI laudibus prolixè loquendum, imò nunquam tacendum, ut monet* Isa. 62. *qui reminiscimini DEUM, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Et hoc contra eos, qui in choro aliis cantantibus & psallentibus, tacent ut statua aliàs nullo modo linguam cohibere valentes.* Hæc Rich.

178. Quàm porrò grata, quàm suavia, & dulcia hæc Virginei hujuscè Cantici verba Divinæ acciderint Majestati Franciscus de Retza, Ord. Præd. Tomo 2. in Salve Regina fusè explicat, aitque ob hujuscè suavissimi Cantici dulcedinem Deo acceptissimam, Virginem dulcem fuisse appellatam: *Beata,* inquit, *Virgo dulcis est auditui, Musica modulatione. Dulcissimè enim cecinisse traditur, cùm magnificat Domino decantavit: quod ideo ecinit, nè videlicet ingrata pro tot Dei donis videretur, útque suo exemplo cæteros excitaret ad agendas gratias, cùm DEI sentiunt beneficia.*

Deipara dulcissimè magnificat cantavit, ut se gratam Deo exhiberet, & cæteros ad gratias dicendas Deo pro beneficiis excitaret.

179. Hanc porrò Cantici Mariani dulcedinem ab Incarnato verbo, quod ejus Utero delitescebat, derivatam asserit, & ideò nil mirum si Deo hominibusque gratissimum acciderit: Si enim vox & verba salutationis Beatæ Virginis extrinseca, quæ ad Elisabeth protulit, tam excellentis virtutis & suavitatis fuerunt, ut infantem inter materna viscera clausum ad exultationem moverint, & ipsam Elisabeth ad ejus laudes deprædicandas voce magna excitarint, ex quanta dulcedine credendum est verba illius Cantici esse prolata ab ea, quæ Spiritu DEI dulcissimo fuit repleta, intra cujus viscera DEI Patris sapientia latuit incarnata, Eccl. 1. *Fons scilicet sapientiæ Verbum DEI in excelsis.* Unde quia plenissimè intus, quàm suavis sit Dominus, degustavit, de plenitudinis ejus exundantia verba illius Cantici dulcissima memoriam abundantiæ suavitatis illius eructaverunt. Et ideò ut dicit Hugo supra Magnificat. *Nemo leviter verba hujus Cantici putet æstimanda, quæ nimirum de tam profunda conceptione Verbi Dei sunt prolata, neque absq; profunda investigatione dignè possunt penetrari. Nam omne quod dictum est, ab ea, ab illa intima luce summæ Veritatis, cui mens Virginis inhæserat, emanaverunt; nec aliud quidquam dicere potuit, quod non meditando locuta est, sed gustando, quoniam non discurrens per varia cogitatio, sed vivo sapientiæ Fonti, per contemplationem mentis inhærens devotio omnia illa ipsi suggessit.*

Cantici Mariani dulcedo ab incarnato Verbo derivata.

180. Quibus sanè præclarè erudimur, quàm amplissimas supremæ Majestati ex intimo cordis, charitatis inflammati affectu pro tam innumeris beneficiis gratias agere, & omne fastidium tædiumque in DEI laudibus evitare.

Omne fastidium & tædium in DEI laudibus evitandum.

181. Porrò sicut ipsa Virgo gloriosissima tota Deo, ejúsque gratiâ plena fuit, ita etiam benedicta ejus verba, os, ac labia sacratissima, quam ob causam congruè, quod de ejus dilectissimo Filio cecinit David, de ipsa quoque concinere quis potest: Diffusa est gratia in labiis tuis

Os B. V. Flori comparatur.

tuis propterea benedixit te DEUS in æternum Psal. 44. Hinc Petrus Riga in Comment. M.S. super Evangelium Lucæ inter reliquas Virgineæ pulchritudinis laudes, cum de ore ipsius loqueretur, illud amænissimo suavissimóque Flori comparavit.

Florum nobilitas ori contendere puro
Non audet; tantus ridet in ore decor.

182. Odorem autem Floris hujus verborúmque Virginis redolentibus confert unguentis, quæ charitatis gemino, DEI nempè & proximi ardore calefacta, miram fragrantiam exhalabant: Sic enim ille in illud Canticorum 4. Sponsæ elogium: *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata:*

Odor verborum Marianorum redolentibus unguentis confertur.

Virtutes quæ de gemino nascuntur amore,
Sunt unguenta, quibus nares mulcentur odore.
Tales virtutes ubi gratia spirat amorum,
Omnes excedunt alias splendore bonorum.
Nam nihil est virtus, quam non amor ille venustat
Hoc absente bono, nullus bona cælica gustat.

183. Quòd denique sermo Virginis DEO plenus extiterit præclare S. Bonav. in Med. vitæ Christi cap. 3. *Omnis sermo ejus ita erat gratiâ plenus, ut Deus cognosceretur in lingua ejus.* Unde supra citatus S. Bernar. Senensis censuit, eam summo Bono plenam, bona semper verba atque salutifera protulisse. *Si enim bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bona, quis inter puros homines melior homo potest excogitari, quàm illa, quæ meruit fieri Mater DEI? quæ novem mensibus in corde, & in utero novem mensibus hospitata? quis thesaurus melior, quàm ipse Divinus amor, quo fornaceum cor Virginis ardens erat? De hoc igitur corde, quasi de fornace Divini ardoris Virgo beata protulit verba bona, verba ardentissimæ charitatis. Sicut enim à vase optimo vino pleno non potest exire, nisi optimum vinum; & sicut à fornace summi ardoris, non egreditur, nisi incendium fervens: Sic à Christi Matre exire non potuit, verbum nisi summi Divini ardoris atq; amoris. Sapientis quoq; Matronæ est pauca verba, solida tamen atque silentiosa, habere.* Sic Bern.

Deipara summo bono plena, bona semper atque salutifera verba protulit.

184. Ut autem idem cœlestis Sponsus ostendat verba Sponsæ non modò gratum odorem, dulcedinem, verùm etiam lumen in mentibus parere mortalium, eadem favo conferre non dubitavit Cant. 4. *Favus distillans labia tua.* De eisdem Virginis verbis intelligere possemus dictum illud Salomonis. Prov. 16. *Favus mellis verba composita.* Audiendus hîc idem supra memoratus Richar. lib. 4. de laud. B.V. *Septem verba Virginis, quæ in Evangelio continentur, dicuntur Favus mellis: quia sicut in favo est cera, luminis instrumentum, & dulcedo mellis reficiens affectum: Sic in Verbis ejus scientia est veritatis illuminans intellectum, & omnimoda bonitas reficiens affectum. Medicinalia etiam sunt, & conservativa more mellis, quia sanant languores animæ & præservant à peccato. De primo dicitur* Sap. 16. *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus domine sermo, qui sanat omnia. De secundo* Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Sic ille.

Verba Deiparæ favus mellis.

185. Verba denique Deiparæ Vitalia sunt, verbis dilectissimi ejus Filii quàm simillima de quibus Apostolus Petrus apud Joan. 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ*

Verba Deiparæ vitalia sunt, verbis dilectissimi ejus filii simillima.

næ habes. Unde meritò illam S. Mater Ecclesia Vitam consalutat, quia nimirum veram vitam, & naturæ & gratiæ ipsum Christum omnis vitæ Auctorem nobis peperit; Hinc Rutilius Benzonius Episc. Lauret. lib. 1. in Magn. cap. 18. appositè atque eruditè. *Ex illa*, inquit, *tanquam ex Arbore vitæ Christus DEUS, fructus vitæ nobis natus est, juxta illud Ecclesiæ venerabile dictum. Benedicta Filia tu à Domino, quia per vitæ fructum communicavimus. Sic Sergius Hierapolita Mariam appellat. orat. de ejus Nat. Matrem vitæ. Unde per Christum facta est Mater omnium viventium vitâ spirituali, uti supra diximus, sicut Eva vita ab ipso Adamo dicta fuit, quia erat futura Mater omnium viventium, vitâ terrestri & animali. Quod Nomen Evæ impositum illi fuit in figuram & typum Deiparæ, quæ & Christi, qui est vera vita, & omnium, qui in Christo & per Christum regenerantur, & vivificantur Parens futura erat, ut notat Epiphanius contra Hæreses. Sed quid garriunt Hæretici? Nonne Nomen Vitæ apud bonos grammaticos pro moribus accipitur? Terentius in Adelph: Inspicere tanquam in speculo vitas hominum jubeo. Interdum pro instituto, & ratione vivendi. Interdum quoque blandientis vox est, sic Cicero ad Terentiam, obsecro te mea vita. Interdum quoq; dicitur vita, quidquid ad vitam, vel vitæ suavitatem confert; sic alimentum, suavis odor, Spiritus vitalis & animalis recreans, aër ac potus frigidus in æstu vitam nobis conferre dicitur. Sic salubre medicamentum, vitam infirmi, & ludum & somnum puerorum vitam esse asserimus. Omnibus autem hisce modis Deipara quoque nobis vita est. Ejus enim mores sanctissimi, vitáque immaculata nobis norma, & Regula esse debet ad vivendum; ejus preces ac patrocinium, maximè vitam nostram Spiritualem conservant & augent, dumq; ejus Heroicas virtutes & operationes recolimus, summoperè delectamur, jucundissimamque atque suavissimam vitam nostram ex hujusmodi meditatione reddi exprimus.* Hæc Rutilius.

Deipara nobis vita est.

186. Quemadmodum ergo Virgo Beatissima Vita nobis est seipsâ ita quoque ejus verba sacratissima adeò, ut & illa cum Salomone dicere possit Prov. 4. de suis verbis: *Vita sunt invenientibus ea, & universæ carnis sanitas.* Et cum dulcissimo suo Filio: *Verba, quæ locutus sum vobis, Spiritus, & Vita sunt.* Joann. 6. Hinc Bernardinus Bustius ord. Seraphici. in Mar. Par. 2. ser. 5. de Nat. B. V. postquam dixisset, B. Virginem gratiâ fuisse plenam in facie, non modò ratione venustatis, sed etiam honestatis; mox, in verborum ejus miras excurrit laudes, hæc attexens: *Sponsus ejus replevit eam gratiâ in ore: Ille enim dicitur habere os gratiosum, qui nullum eo peccatum commisit. Unde Jacobus Apostolus cap. 1. Qui verbo non offendit hic perfectus est Vir. Sed quis est hic & laudabimus eum? Talis profectò beatus est. Nam Beatus Vir, qui non est lapsus verbo Eccl. 25. Ab hac virtute laudatur Deus 1. Pet. 2. qui peccatum non fecit, neq; dolus inventus est in ore ejus. Ejus quoq; beatissima Mater potest ab hac virtute commendari, à cujus ore nunquam exivit verbum incompositum, aut otiosum. Sciebat enim veram esse Catonis sententiam.*

Verba Mariæ vita sunt & sanitas.

Virtutem primam esse puto compescere linguam
Proximus ille DEO est, qui scit ratione tacere.

Ideò

Ideò ipsa, quæ fuit proxima DEO, optimè ubi opus erat, noverat silere. Noverat item verum quóque esse illud Ovidii.

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa tacenda loqui.

187. *Et ideò omnia ejus verba fuerunt bona, & morigeratissima atque ædificatione plena, ac consequenter gratiosa. Unde de ipsa benedicta Virgine dici potest illud Judith cap.* 11. *Non est talis Mulier super terram in aspectu, & in pulchritudine, & in sensu verborum. Quod patet ex Evangelio, in quo septies locuta duntaxat invenitur, & omnia ejus verba fuerunt sancta & ædificatoria. Unde eam loqui audientes poterant ei dicere: Verba vitæ æternæ habes,* Joan. 6. hæc ille.

De B. V. dici potest illud Judith. cap. 11.

188. Hinc S. Joannes Damascenus Orat. 2. de Dormit. B. V. introducens Cœlites simul, ac mortales, pro B. V. proxima jam morti, in vita retinenda piè decertantes, inter alia Cœlites vitam nostram illam esse agnoscentes, hæc loquentes introducit: *Per te mortis vinculis sumus exsoluti, veni ad nos, ô Domina, vitámque ferens Thesaure. Veni ad nos cupientes, quæ cupiditatem nostram explevisti. Contra verò mortales eandem Spiritûs, vitæq; Thesaurum vicissim eam esse sentientes, ita eamdem interpellabant. Si abis ô DEI Arca, una tecum nobis, qui ob Filium tuum populus tuus sumus, abire liceat. Tu sola nobis consolatio in terra relicta es. Te vivente simul vivere, te moriente simul mori beatum est. Nam nobis tua consuetudine orbatis, quæ tandem vita esse poterit:* Deníque Dionysius Richelius lib. 1. de Dignit. & Præcon. B. V. Art. 21. Mariam totam, quanta est, vitam esse nostram post DEUM intelligens. *Per Mariam ab immortali morte liberor, & ad amissam cælestem, æternámque beatitudinem reducor. Omnis in ea salus per Mariam initiata; pérque Mariæ Filium consummata est.*

Certamen piū cœlites inter & mortales pro B. V.

189. Idem in ejusdem lib. primi Proœmio docet, quòd, quemadmodum Eva toti generi humano causa mortis, sic eidem Maria causa vitæ extitit. *Parisicanda*, inquit, *morbo fuit medela, damnationísque modo redemptionis forma. Ideoq; justâ ac ineffabili æternæ æquitatis censurâ, sicut uno transgrediente, fœminâ consilium, exordiúmque præstante cuncti cecidimus. Sic uno obediente, fœmina cooperante, concipiente, eúmque gignente, ab Infernalis obligatione necis, singuli liberemur.*

Sicut Eva toti generi humano causa mortis, sic eidem Maria causa vitæ extitit.

190. Ex quibus omnibus inferre licet quanta fuerit inter loquelam Deiparæ, & Evæ primæ Matris nostræ differentia, cùm illa ore suo, veluti Tartareo vehiculo mortem amarissimam mundo plurimorúmque malorum Iliadem, Hæc vitam ipsam, eámque dulcissimam, bonorúmque omnium, ac donorum cœlestium Cornucopiam invexerit. Hæc enim Virginis beatissimæ loquendi parcitas, hoc tam altum silentium, Divissimæ illi Dei essentiæ, miras supremæ illius Naturæ perfectiones, atque attributa complectenti, persimile esse videtur. De quo S. Areopagita Dionysius cap. 4. de Div. Nomin. Angelorum ministeria describens ita loquitur: *Illis boni Indoles est indulta, inque manus tributum, quo occultam illam in se ipsa Bonitatem ipsæ in se patefacerent, Angelíque existerent tanquam Divinum silentium nuntiantes, & quasi conspicua quædam lumina, tanquam è vestibulo bonum ipsum in adiitis latens sequentibus declarantia.* Quemadmodum igitur Divina Essentia in se, veluti im-

Differentia inter loquelam Deiparæ & Evæ.

Silentium Deiparæ comparatur cum silentio divino.

Ccc ccc ccc men-

menso quopiam Oceano attributorum, ac perfectionum Divinarum, instar aquarum copiam complectitur, easdémque perfectiones Angeli in se ipsis repræsentantes terrigenis tanquam ora sonantia annunciant. Sic Virgo nostra Donis cœlestibus, Divinísque charismatis repleta, Divinásque perfectiones in se ceu lucidissimo speculo exprimens, virtute silentii, parcitatéque verborum occultabat, easque cùm loquendum erat, ore plusquam Angelico in lucem ad spiritualem hominum utilitatem atque ædificationem depromebat, simúlque eosdem bonis omnibus locupletabat.

191. Quod sanè Divinarum perfectionum in Virgine latitans silentium miram ejus internam declarat pulchritudinem, quam demiratus Sponsus in illud elegantissimum ipsius prorupit elogium Cant. 4. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet*, sive ut legêre 70. interpp. *Extra taciturnitatem tuam.* Per quam interpretes interiorem animi venustatem, exteriorem corporis, virtutúmque in actum externum prodeuntium speciem longè excedentem intelligunt. Ad quæ verba concinnam Delrio noster cum Guilelmo Abbate attexit dilucidationem: *ut non externis virtutibus*, inquiens, *sic nec internis Deiparam mortalium ullus adæquavit. Solus has noverat, qui in utero ejus tot mensibus recubuerat, qui novit abscondita cordium. Latebat alios, & quantum poterat, eas Deipara occultabat. Quantò major erat, tantò se in omnibus humiliabat. Gloriam conscientiæ*, ait Guilelmus, *pia humilitas non evacuando excludit, sed cautè dissimulando paulisper secludit; ut, qui habet excellentiam, tunc verè sit habens, quando est, sicut non habens.* Simili ratione exposuit locum illum Rutilius Benzonius lib. 3. in Magn. cap. 34. Dub. 10. *Juxta interpretum sententiam* inquit ille, *significatur magnam quidem esse oculorum Virginis pulchritudinem, quæ extrinsecus apparet, sed majorem esse pulchritudinem eorum, quæ intus habet, & hujusmodi, ut quamlibet etiam perspicacissimam videndi aciem, imò ipsos oculos Lynceos lateat. Ita etiam Glossa Interlinearis in 1. cap. Cant. interpretatur.*

Sponsus divinus miratur tum externá, tum internam B. V. pulchritudinem.

192. Quam taciturnitatem Virginis cautámque, ac perprudentem dissimulationem virtutum, pulchrè expressit verbis paucissimis S. Epiphanius; *Erat Maria in omnibus rebus honesta, gravis, pauca admodum, eáque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis.* S. Ambros. lib. 2. de Virg. de ejus verborum parcitate ita loquitur: *Erat Virgo corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior.* Denique Nicephorus Callistus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 22. ad verba Epiphanii hæc attexuit. *Dicendi libertate adversus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione, & iracundia.* Utque indicet ejus miram quóque fuisse loquendi suavitatem addit: *Labia florida, & verborum suavitate plena.* Atque hæc de parvitate linguæ Elephantis, Deiparæ loquendi parsimoniam adumbrantis dixisse sufficiat.

Laudatur B. V. à SS. Patribus à suavitate & parcitate verborum.

193. Quid jam de illa Elephanti proprietate, qua propriam umbram metuere perhibetur, edicam? De hoc ita scribit Symocatta quæst. 3. Physicæ apud Doctissimum Novarinum. Elephantum ferunt non prius bibere, quàm aquam proboscide collutulaverit. Non fictum est, quod fertur: exhorret umbram sui in aqua visam Elephas. Quapropter

Elephas horret sui umbra in aqua visam.

pter Indos observare illunem noctem dicunt, quando transfretare volunt hoc animal. Narcisso isti quem fabulæ celebrant exemplo est Elephas, ut suâ ipsius umbrâ declinatâ amores aversetur à natura alienos.

194. Quemadmodum igitur Elephas umbram sui extimescit, sic Virgo beatissima, per tenuem humanæ gloriosæ umbram utpote humillima exhorrebat, cupiens non se sed DEUM in omnibus suis cogitationibus, verbis ac operationibus magnificare atque exultare. Præclarè enim M. Tullius lib. 1. Tuscul. 99. pronunciavit: *Etsi nihil in se habeat gloria, cur expectatur, tamen virtutem tanquam umbra sequitur.* Cùm igitur Deipara omnis virtutis exemplar extiterit, ac speculum, hanc gloriam, velut umbram ex illis consecutam esse necessum fuit, quam illa pro humilitate sua eoque amoris, quo Divinam Majestatem complectebatur affectu, sciens ei soli honorem, gloriamque deberi, multò magis quam Elephas umbram suam detestata est. Unde cùm salutationem illam Gabrielis tot laudibus refertam ab ipsa augustissima Triade compositam atque transmissam audîsset, metuens sibi ab umbra gloriæ soli DEO debitæ, ait S. Evangelista Luc. cap. 1. *Quæ cùm audisset turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio?* Quæ verba trutinans Venerabilis Richar. à S. Laur. lib. 4. de Laud. B. V. *Turbata est,* inquit, *quia audivit se laudari, quod magnæ fuit virtutis, qui enim verè humilis est, de suis laudibus erubescit, & cùm omnes soleant inde lætari, ipsa turbata est, non exhilarata, vel elata exemplo Filii; quem cùm quærerent violare Gentiles, respondit: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.* Joan. 12. *Et paulò post: Nunc anima mea turbata est valdè: Bonum etiam fuisset Ezechiæ, si turbatus fuisset, non exhilaratur ad adventum nuntiorum Regis Babylonis.* Isa. 39. Hinc Glossa. Turbata est ea celsitudine inauditæ laudis. Quæ enim sublimior, excellentiorque laus unquam in terra nostra audita est, & puræ creaturæ ab ipsa sacrosancta Triade attributa, quàm plena gratiâ, quæ est Divinæ participatio Naturæ; Domino universorum consociata, Benedicta in mulieribus, quæcunque ab omni sæculorum exordio, in finem usque sæculi extiterunt, deprædicata fuit?

Suam ex virtutibus consecutam gloriam, magis quam elephas suam umbram detestata est.

Turbata est Deipara cum se audivit laudari.

195. Ad has sine dubio laudes tam eximias se illis indignam reputans, erubuerit Virgo humillima. Unde Cœlestis Sponsus Cant. 6. rubore Virgineo eam suffusam conspicat pulcherrimum ipsi illud attribuit encomium: *Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ absq; occultis tuis:* Quod præconium expendens Guilelmus Abbas apud Delrium in Cant. ita loquitur: *In pudore genarum Dilectus verecundiam piæ Matris commendat. Verecundia humilitati amica est, & comes individua. Non enim humilitas vera est, quæ verecunda non est. Inde est, quod mens verè humilis, ita de laudibus suis etiam veris confunditur, sicut amica superba etiam de falsis laudibus hilarescit atq; extollitur. Quis autem ambigat illam, quæ Imperatorem humilium genuit virtute humilitatis insigniùs effulsisse? Ergo dicam Verecundia ejus insignis fuit. Quia præclara humilitas, non nisi præclaram comitem habere dignata est. Sic de se humiliter, imò humillimè sentiens veras laudes suas à cœlesti sponso sibi superius decantatas verecundè audivit: Et quidem ille intus eam, ut DEUS alloquebatur, atque intra maternam conscientiam tota illa laudantis Fi-*

Ad laudes humillimas erubescit Virgo humillima.

Non est humilitas vera, quæ verecunda non est.

lii vox intonuit, illa verò docta & assueta humiliter ambulare, etiam ipsius veritatis cum sua conscientia loquentis de suis virtutibus testimonium verecundè suscipiebat. Quod considerans & meritò approbans pius Auditor etiam hoc ipsum præclaris laudibus ejus annectit. Sicut cortex mali Punici &c. q. D. Insigne admodum gratùmque mihi est, quod præ multa humilitate rubent genæ tuæ, etiam pro veris laudibus tuis, cùm in occultis tuis, in conscientia tua, ubi laudes tuas loquor, de tuis actibus nihil sit, de quo debeas verecundari, Rubent ergo genæ tuæ absque occultis tuis, quia verecundatur quidem humilitas in te, cùm te laudo, sed tamen in conscientia tua, nulla verecundandi ratio est. Sic ille.

Cortex mali punici verecundiæ Symbolum.

196. Neque verò solùm Virgo Beatissima tam singularium laudum novitate, ac gloriâ, velut Elephas suâ umbrâ exterrita est, verùm etiam aspectu ipsius Angeli adolescentis, ætate floridi schemate se se illi repræsentantis, expavit; suámque planè Virginalem verecundiam, purissimam pudicitiam, amorémque castimoniæ toti mundo manifestavit. Audiamus. Hic Divum Ambros. lib. 2. de Virginibus: *Virgo*, inquit, *quasi viri specie mota trepitavit.* Audiamus & Illyrij Lumen S. Hier. qui Epistola ad lætam: *Ideò forsitan timore perterrita Virgo est, quia virum, quem non solebat aspexit.* Et Epist. ad Eustochium: *Cùm Gabriel viri specie ad Virginem venisset, consternata respondere non potuit, nunquam enim à viro fuerat salutata; & quæ hominem formidabat, cum Angelo fabulatur intrepida.* Damascenus quoque turbationem illam Deiparæ pudicitiæ ac verecundiæ adscripsit Virginali Orat. 1. de dormit B. V. *Virgo Angeli ore commota est, ut quæ cum viris colloqui minimè consuevisset, siquidem Virginitatem sedulò servare constituerat.* S. denique paulò ante memoratus Ambrosius lib. 2. in Lucam trutinans verba Evangelistæ: *Turbata est in sermone ejus. Disce*, inquit, *Virginem moribus, disce Virginem verecundiâ, disce Virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres, propositum pudoris immitari.* Idem S. Doctor lib. 3. de Virginibus, verecundiam hanc commendatam admodum illis esse cupiens, ita differit: *In Virginibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem. An verò mediocre pudoris exemplum est, quòd Rebecca, cùm veniret ad nuptias, sponsumq; vidisset, velamen accepit? Et utique pulchra Virgo non decori timuit, sed pudori.* Et paucis intercalatis: *Virginem mihi prius gravitas sua nunciet pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto & prænuntia integritatis anteeant signa virtutis; non satis probabilis Virgo est, quæ requiritur, cùm videtur.*

B.V. non tantû laudum novitate ac gloria, velut Elephas sua umbra exterrita est, verum etiam aspectu ipsius Angeli.

197. Ex quibus omnibus colligere licet, singularem Virginis nostræ pudicitiam mirámque in illibato puritatis plusquam Angelicæ flore conservando cautelam. Dum enim ad aspectum Angeli specie virili se se alloquentis extimescit, quid aliud agere videtur, quàm quod Elephantus, dum ad umbræ terriculamenta contremiscit? Quo sancto Virginis pavore edocemur, qua diligentiâ ac circumspectione thesaurum castitatis custodiamus, quo horrore minimum quid, quod umbram aliquam, vel speciem, aut vestigium violandæ puritatis præseverat aversari; quibus denique virtutum præsidiis animum obarmare contra carnis titillationes, atque illecebras debeamus. Quod ego sanè optimum armorum genus ad tutandam

Ex B.V. pavore edocemur circumspectè custodire Thesaurum Castitatis.

dam pudicitiam esse reor tum verecundiam, tum fortitudinem, obfirmatúmque voto animum nulli carnali concupiscentiæ unquam assensum præbere. De quibus armis præclarè D. Hieronymus Epis. 140. ad Principiam Virginem Romanam, ubi explicans Psalmistæ apostrophen illam ad cœlestem Sponsum Ps. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, docet quanam ratione, & illa se adversùs impudicitiam armet. *Istum arbitror te locum optime intelligere*, inquiens, *& accinctam Christi gladio militare. Ut autem scias semper Virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates, gentilis quoque error Deas Virgines fingit armatas. Accinxit & Petrus lumbos suos, & ardentem lucernam habuit in manibus suis. Quod autem femur significet opera nuptiarum, docet Abraham, qui uxorem quærens Filio suo, dicit majori domus suæ: Pone manum tuam super femore meo, & adjurabo te per Dominum DEUM cœli. Non dubium quin per eum, qui de ejus semine erat nasciturus. In Cantico etiam dicitur Canticorum: Ecce lectulus Salomonis, sexaginta potentes in circuitu ejus de potentibus Israël, omnes tenentes gladios, docti ad bellum, gladius ejus super femur ejus. Gloria ergo & decore suo sine specie, & pulchritudine Divinitatis suæ, carnis opera mortificans, & natus ex Virgine futuris Virginibus Virginitatis Princeps fuit.* Hæc Hieron.

Virginitas semper gladiũ habet pudicitiæ.

Gentilitas Deas Virgines finxit armatas.

Lectulus Salomonis ab armatis custoditus indicat Virginitatem armatam esse debere.

198. Qua porrò fortitudine carnis cupiditatis resecandæ, quævè temperantia adhibenda Virginibus, Virgo illa inter sydera in circulo zodiaci collocata nos edocet. Sita nimirum illa est, inter Leonem & libram. Castus itáque homo, castáque fœmina inter Leonem vivat, id est fortitudinem & libram id est temperantiam. Exigit enim castitas ut sit perpetua, Leonem à quo custodiatur, & libram in qua cibum, potum, maximè *vini in quo*, ut Paulus ait ad Ephesios cap. 5. *est luxuria*, vestes, colloquia, amicitias, aspectúsque ponderet. Ea deníque custodia cordi corporíque nostro adhibeatur, quam adhibitam fuisse à Sexaginta illis fortibus Israël paulò antè audivimus. Lectulus enim Salomonis sive cœlestis Sponsi floridus, est cor animúsque floribus Virginitatis Angelicæque puritatis redolentibus exornatus.

Signum Virginis in Zodiaco inter Leonem & libram adumbrat castũ inter Leonem fortitudinis, & libram temperantiæ vivere oportere.

199. Et licèt sensibus omnibus summa cum sedulitate adhibenda sit custodia, oculis tamen quæ fenestræ sunt animæ, per quas mors ad illam enecandam ingreditur, vel maximè, curandúmque in omnibus actionibus ac verbis ut modestia ac verecundia elucescat.

Oculi fenestræ animæ præcipuè custodiendæ.

200. Quod vel Ethnicus ille Rex Abimelch qui saram uxorem Abrahami lascivè concupièrat, agnovisse visus est, cùm illi dixit Gen. 20. v. 16. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo; hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes, qui tecum sunt, & quocúnque perrexeris: mementóque te esse deprehensam.* Ubi sapienter Rex ille mira sanè liberalitate erogavit mille argenteos, qui faciebant juxta interpretationem P. Benedicti Fernandii in Genesim, summam quatuor millium Regalium, seu quadringentorum aureorum, ut hac pecuniâ Saræ, ejúsque ancillis emeretur velamen vultùs ad operiendam pulchritudinem, ne sit ea quasi quædam illecebra atque irritamentum libidinis. Sic locum istum aptissimè interpretatus est Hamerius, Rutilius Bonzonius lib. 3. in Magn. cap. 34. D. 12. Lippomanus, Pagninus, & alii ab eodem citati. Quod jure merito fecit Abimelech monendo, ut oris fœminei veletur pul-

Rex Abimelech quadringentos aureos dedit, ut pro Sara & ejus ancillis emeretur velamen vultus ad operiendam pulchritudinem, ne sit irritamentum libidinis.

pulchritudo, quam Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 10. *hominum vocitavit aucupium.* Illâ enim Cacodæmon ad aucupandas animas, easque in Tartarum pertrahendas utitur.

Pulchritudo fœminæ aucupium hominum.

201. Hinc quidam Sapienter mulierem Noctuam esse dixit, quam tenebrarum Princeps, ac Tenebrio ad animarum accupium adhibet. Idem significare voluit Salomon, cum Prov. 6. v. 26. pronunciavit: *Mulier auten preciosam viri animam capit.* Sive ut legit Tigurina: *Mulier autem viro cuncta venatur preciosam animam.* Hunc venandi modum expressit S. Chrysostomus Epist. 3. ad Olimpiadem: *Quemadmodum peritus venator fera captu difficili, potiri desiderans, nullum artis instrumentum immotum relinquit: ad eundem modum ipsam Juvenis pudicitiam perspectam habens, ingenti ad venandum juvenem apparatu utendum sibi esse judicavit. Ob eamque causam nulla libidinis machina erat, quam non moveret.* Et paucis intercalatis hæc attexuit: *Cum autem eum aliquando in domo solum invenisset voraginem jam fodit, escam apposuit, ac voluptatis pennis undiq; expansis, tanquam mediis retibus interceptam Aquilam jam habens, irrepsit, ac sola solum adoritur:* Sic Chrysos. de Venatricis animarum mulieris insidiis. Quare non immerito S. Maximus olim Græcorum Philosophus serm. 39. *Mulierem viri naufragium, domus tempestatem, quietis impedimentum, vitæ captivitatem, quotidianum damnum, voluntariam pugnam, sumptuosum bellum, belluam convivam, solicitudinem considentem, Leænam complectentem, exornatam scyllam, animal malitiosum, malum necessarium appellavit.* Hinc Honorius & Theodosius Imperatores fœminarum consilium adversùs propria earum commoda laborare pronunciârunt, imò & earum consiliorum, verborúmque halitum venenatum esse illud indicat., quòd prima mulier cum serpente locuta est, & serpentem non exhorruit, similis scilicet, similem. Deníque Clemens in Exhort. ad Gen. Nomen Evæ sine aspiratione Mulierem, cum aspiratione autem serpentem significare attestatur, ita ut ne una quidem litera deficere videatur à serpente, ipsum Cacodæmonem repræsentante.

Fœmina noctua est, quam dæmon ad animarum aucupium adhibet.

Mulier venatur Juvenem libidinis apparatu.

Definitionis conglobatæ mulieris libidinosæ, aut malitiosæ.

Verborum fœmineorum halitus venenatus.

Eva, sine aspiratione, mulierem, cum aspiratione serpentem significat.

202. Unde idem S. Pater verisimile existimavit quod à nonnullis traditum est, non fuisse veram uxorem Jobi, quæ illi dixit: *Benedic DEO & morere;* sed Diabolum ejus similitudinem exprimentem. Hinc dixit Apollonius: *Hæc mulier affinitate tangit Diabolum; sicut nec multum refert, an Diabolus in serpente, an verò nunc in muliere loquatur.* Ob hæc aliaque innumera, quæ in mulieribus ad illaqueandas perimendásque animas reperiuntur, mala, Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ centum & duo fœminarum notavit vitia. Addit quidam & sapienter: *Plura fortè omisit.* Quorum malorum Origo est, ipsis innata stultitia planè incurabilis. Qua de causa Politianus existimavit, eò quòd Æsculapius ausus fuerit sanare stultitiam filiarum Præti, à Jove esse fulminatum, quòd rem tam arduam, videlicet stultitiam, ac vanitatem è capite mulierum extrahere attentaverit.

S. Clementi verisimile videtur diabolum speciem uxoris indutum dixisse Jobo: Benedic Deo & morere.

Politianus existimavit Æsculapium à Jove fulminatum, eò quod mulierum stultitiã & vanitatem curare attentaverit.

203. Cavenda igitur quoad fieri potest omnis mulier ac potissimùm pulchra, quæ duo gemini quodammodo sunt scopuli ad deploranda animarum naufragia. Præclarè hoc expressit S. Hildebertus Epist. 57. ubi de muliere formosa loquens: *Procax, inquit, lenocinium est, sub hoc virtuti difficile provide-*

Mulier, præcipuè pulchra, quoad fieri potest cavẽda.

videtur. Caro, Mulier, cumulata infirmitas, & facilis ad ruinam. De omni hoste simul triumphat, cui datur de carne, & forma triumphare. Hæc Hild.

204. Ex quibus intelligimus quantopere hallucinentur Virgines, ac Matronæ hujuscè nostræ tempestatis, sæculíque vanissimæ, quæ peregrinos habitus, morésque, oblitæ antiquæ Germanicæ illius simplicitatis, ac modestiæ, consectantur, & non modò non obvelant oculos, quod Ethnicus ac barbarus Abimelech desiderabat in Sara, Abrahami conjuge, verùm etiam denudant pectus, ostentant ubera, ignémque concupiscentiæ velut follibus accendunt. Audiant hujusmodi farinæ mulieres gravissimum illum Auctorem Tertullianum, qui lib. de velandis Virginibus, adducto exemplo Rebeccæ operientis se, agnito Sponso suo Isaac, luculenter ostendit, quantopere de velandis mulierum vel solis capitibus fuerit solicitus; sic igitur ille: *Oro te, sive Mater, sive soror, sive Filia Virgo, secundùm annorum nomina dixerim, vela caput. Si Mater es propter filios, si soror, propter fratres, si filia propter Patres. Omnes in te ætates periclitantur: Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* Quod velamenti beneficio procul dubio mulieres consequuntur: quoúsque porrò mulieres caput velare debeant, verbis sequentibus edocet: *Mitris & lanis quædam non velant caput sed colligant, à fronte quidem protectæ, qua propriè autem caput est, nudæ.* Quod tamen ipsum viro huic gravissimo non probatur; planè ad confusionem generationis hujuscè nostræ. Unde sic prosequitur: *Aliæ modicè linteolis, credo, ne caput premant, nec ad aures, úsque demissis, cerebro tenus operiuntur. Misereor, si tam infirmo auditu sunt, ut per tegmen audire non possint. Sciat fæmina, quòd totum caput mulier est, limites & fines ejus eò úsque pertingunt, unde incipit vestis. Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta est velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipsæ enim sunt, quas subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet, velamen jugum illarum est. Judicabunt vos Arabiæ fæminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem etiam ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint, dimidiam frui lucem potiùs, quàm totam faciem prostituere. Mavult fæmina videre quàm videri, quas propterea infælicissimas esse dixit Romana quædam Regina, quod adamare magis illæ, quàm adamari possint; cùm sint vel ex alteriꝰ infælicitatis, & quidem frequentioris immunitate fælices, quia faciliùs adamari, quàm adamare fæminæ possint.* Hactenus Tertullianus.

205. Quibus profectò ostendit quantopere mulierum pudicitiæ contutandæ fuerit solicitus, dum eorum capita tantâ diligentiâ velata esse cupiebat. Quid dicturum quæso fuisse arbitramur, si nostrorum temporum mulieres spontè, absque ullo pudore, aut erubescentia, sinus uberáque denudantes conspexisset? Exhorruisset sinè dubio, totisque artubus contremuisset, abominationem hujusmodi, laqueósque à Diabolo textos ad capturam animarum, præsentissimum interitum, conspiciendo. Satis superque hostis hic Tartareus ad nos perdendos invigilat, satis *circuit hic noster adversarius*, ut loquitur Divus Petrus, *quærens quem devoret*, quid opus est, ut illi hujusmodi mulieres vanitate sua atque imprudentia in irretiendis,

Fœminæ, quæ antiquæ & Germanæ simplicitatis ac modestiæ oblitæ peregrinos mores & habitus, irritamenta libidinis assumunt, gravissimè hallucinantur.

Ut fœminæ velent vultum hortatur Tertullianus.

Arabiæ fœminæ ita velant caput, ut uno solum oculo prospiciant.

Fœminæ vaniculæ nostrorum temporũ dæmoni ancillantur ad capiendas animas.

atque illaqueandis amarissima morte afficiendis animabus ancillentur?

206. De his enim Salomonem propriâ edoctum experientiâ locutum fuisse crediderim, cum gnomen illam verissimam pronunciavit: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor illius.* Eccl. 7, 27. Audiendus hic S. Zeno Martyr & Episcopus Veronensis serm. de Continentiâ. *Cum semper insidietur,* inquit, *se non quærentibus Diabolus; æstimate quid faciet invitatus, cui omnes nocendi aditus reserati præstant sine pugna, sine ullo labore victoriam? non enim conabitur redigere in ditionem suam, quæ esse ejus ambivit ancilla.* Sic S. Antistes, clarè indicans fœminam hujusmodi, remoto abjectóque uberum velamine, exuisse atque abjecisse, simul verecundiam ac pudicitiam, vanissimóque illo ornatu se Diaboli Ancillam profiteri, eò quòd in ministerio Cacodæmonum animas decipientium, atque perdentium versaretur. Quam ob causam acerbissima ipsis Inferorum supplicia, nisi pœnitentiam ante mortem egerint, expectanda sunt.

Impudens fœmina laqueus venatorum est, & sagena cor illius, ut testatur Salomon.

Fœmina, quæ abjecto uberũ velamine comparet in publico ancillam se Diaboli profitetur.

207. Si enim pictores, qui obscœnas aliquando, lascivásque imagines temporalis lucelli gratiâ, nullo malo fine pingentes gravissimis Orci torti sunt suppliciis; quid vanissimis hiscè fœminis nuditate sua abominabili animas illaqueantes, post hanc vitam, nisi resipiscant eventurum arbitramur? Rem sanè admirabilem refert P. F. Josephus Sacri Ord. Carmelitani insigne decus To. 1. de virt. Cast. lib. 4. cap. 25. quam totidem ejus verbis ad magis ejus historiæ confirmandam fidem referre libuit. Noscebat quidam nostri Ordinis Pictorem non mali nominis, qui cùm plurimorum Sanctorum effigies in Monasterio dicti Ordinis depinxisset, moriens ibi sepeliri voluit, & pro se Missas dici, oblatâ Fratribus omni eâ pecuniâ, quam laborando suam fecerat, quæ petierat, obtinuit. Nec multis à morte diebus post matutinum Religioso cuidam in Choro oranti apparuit dictus Pictor, flammis omnia circumlambentibus ustulatus, dixítque se mirum in modum cruciari. Rogatus quamnam ob causam, respondit se mox atque spiraverat tribunali supremi Judicis repræsentatum, vidisse animas, quæ suæ damnationis in se causam conjiciebant propter impuram Imaginem, quam aliquando vivens pinxerat. *Inter hæc inquiens, dum tremens circumspicerem, adfuerunt insperato plurimi Beatorum mihi patrocinaturi, ac dixerunt; eam picturam à Juvene factam, cùm rudimenta artis ponerem; postmodum de erratis pœnituisse, & suas effigies expressisse. Ad hæc omnes labores, & laborum fructum, à me oblatum esse eo fine Religiosis, ut illi DEUM per Missæ sacrificium honorarent, animámque abeuntis adjuvarent. Quas ob causas Judicem obsecrabant, ut oculo misericordiæ meam animam respiceret, nec in prædam inimicis traderet. Exaudivit preces supplicum Judex. Jussit tamen in pœnis Purgatorii tamdiu detineri, quoad ea pictura flammis absumatur. Hæc est causa, ob quam, ad te venio, ut scilicet rogem, ut denuncies tali* (hominem nominabat, cujus hortatu eam picturam pinxerat) *ne moram faciat in præstando, quod DEUS jubet. Ut porrò fidem dictis tuis is Eques habeat, denunciabis intra menstruum spatium duos ei filios morituros: quod si pertinax, necdum voluerit obsecundare, sequetur & ipse natos.* Principio restitit Eques. Ergo nati mortui. Hic jam velut evigilans, noluit alterius vindicem DEI manum expectare, imaginem exussit, & vivus ipse egit pœnitentiam. Atque

Pictores lascivas imagines lucri gratiâ pingentes inferni suppliciis torquentur.

Pictor, qui plurimas imagines sanctissimorum pinxit, propter unam in Juventute lascivam pictum damnandus, Sanctorum intercessione misericordiã consecutus, purgatorij flammis circumdatus, petit suffragia.

que ut pro tribunali haberet Advocatos plurimorum Sanctorum effigies suo ære pingi fecit.

208. Affine exemplo huic est illud quoque, quod ad rem hanc nostram confirmandam affert exemplum Alphonsus Villegas. Par. 6. Disc. 67. Narrat enim cuidam assiduè precanti pro anima cujusdam defunctæ apparuisse Apostolorum Principem, cæli Clavigerum ita loquentem: *Hæc anima pro qua precaris gravissimas pœnas in Purgatorio sustinet. Fomentum sui ignis habet vestes elegantiores, quibus ad luxum utebatur. Impetravi à Domino viventi dolorem de culpis illis, eò quòd me, ut Patronum assiduè coluerit; & modò efficiam, ut brevi à Purgatorio eximatur, virtute Missarum, quas pro ea curasti.* Quòd si fœmina hæc ob vestium luxum atque lasciviam, de qua jam egerat pœnitentiam: Si Pictor ille propter obscœnam Imaginem, quod æternæ damnationis aliquibus, nil tale cogitans causa extitit, tam diris Purgatorii ignis cruciatibus, etiam post hujusmodi peccati detestationem tortus fuit, nec ab illis unquam liberari valuit; donec Imago illa abominabilis flammis esset absumpta: & quibus in fœminas hujusmodi sinum, uberáque denudantes desævietur ignibus, quibus lasciviâ suâ etiam præter intentionem tot millenis mortalibus perditionis æviternæ causæ extitêre?

Anima cujusdam fœminæ elegantioribus vestibus ad luxum indui solitæ, ante mortem tamen sincerè pœnitentis in purgatorij flammis detinetur

209. Quocirca ut Divinam ultionem evadamus pudicitiæ, ingenuoque pudori, uti Christianos addecet maximopere studeamus, omnémque minimam impudicitiæ turpitudinisque umbram exhorrescamus, quemadmodum enim gratissima DEO hostia pudor est Virgineus; ita ex adverso nulla Dæmoni gratior victima esse consuevit quàm pudoris amissio, adeò ut meritò S. Augustinus Epist. 202. ad Nectarium pronunciare non dubitavit: *Ut quivis intelligat, quale Dæmonium sit, quod placari aliter non potest, nisi illi non sanguis humanus, sed multò scelestius pudor humanus tanquam immolatus intereat.* Sic Aug. Quod cum perspectum haberent viri Sancti, perfectionis Religiosæ, Angelicæque puritatis studiosi, levissimos atomos atque labeculas, imò etiam nocturna phantasmata, minimum quid denique, quod alicujus turpitudinis aut umbram, aut speciem præseferebat, aversati sunt, agnoscentes minimam quantitatem juxta communiorem Theologorum sententiam in materia sexti Præcepti Decalogi, quæ peccatum lethale non constituat, si homo cum plena rationis operetur advertentia, dari non posse.

Gratissima Deo hostia pudor Virgineus.

Dæmoni verò gratissima victima pudoris amissio.

Sancti viri minimos nævos, qui turpitudinis alicujus umbram referebant, aversati sunt.

210. Eximius prorsus hoc in genere fuit noster Indiarum Apostolus D. Franciscus Xaverius, qui cum Virginalem puritatem à primis adolescentiæ annis ad extremum usque vitæ suæ halitum illibatam conservâsset, uti sacrum ejus corpusculum in calce viva sepultum defossum quartum jam mensem contestatum est: ejusque familiares professi fuerunt nihil se unquam in illo deprehendisse, quod cujuscúnque oculos, aut animum offenderet. Nihilominus tamen ad majorem cautelam, puritatisque augmentum sæpiùs in die diligentiùs conscientiam excutiebat suam, & cœteros ad idem faciendum magnopere hortabatur, in eo perfectæ vitæ Cardinem verti ratus, eamdem ob causam, ubi sacerdotis erat copia, exomologesi sacra utebatur quotidie. Deníque Virginei hujuscè Xaverii pudoris integritatísque testimonium Pater Horatius Tursellinus noster lib. 6. cap. 6. exhibuit: *Insignis,* inquiens, *profectò in illo amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit, adeò ut vel minimas hujus generis labeculas*

las exosus, ipsum horreret libidinis nomen; Quod vel ex eo, quod subjiciam, existimari licebit. Olyssipone profectionis Indicæ diem opperiens cum Simone Roderico in eodem diversabatur cubiculo. Ibi intempesta nocte repente excitatur à somno adeò commotus, ut è naribus magnam vim cruoris profunderet. Ejus deinde rei causam Simonem rogitantem obstinato silentio celavit, quamdiu in Lusitania fuit. Ad ultimum, ubi solvendi advenit tempus, sub digressum in navis angulum cum eo secessit, & sine arbitris: Nunc demum, inquit, tempus est enunciandi, quod toties ex me Simon, frustra es sciscitatus. Quippe hoc ultimum, ut arbitror sum te in hac vita visurus. Scito igitur illa nocte impuram speciem per somnium mihi oblatam, summaq́ vi repellere conanti, tantam illam copiam sanguinis erupisse. Hiscè signis humanísque testimoniis Divinum indicium ac testimonium extincti corporis accessit integritas. Denique idem Tursellinus de Francisci cautela in conservanda tam animi, quàm corporis puritate hæc attexit: *Cæterum Franciscus ut tantum custodiret thesaurum, non castior fuit, quàm cautior. Etsi enim Vir Sanctissimus cælestium rerum contemplationi maximè deditus, excellentisq́ temperantiæ armis tectus, nullo negotio tela nequissimi ignea extingueret, tamen adeò timidus in hoc genere & cautus erat, ut si maximè obnoxius esset libidini. Nunquam cum fœmina ulla, nisi luce palam, & adhibitis arbitris, de rebus utiq́ necessariis collocutus est, ratus mulieres fermè adiri minore emolumento, quàm periculo.* Hæc Tursell.

S. Xaverius usque ad erumpentem copiosè ex naribus sanguinē oblatæ per somnium impuræ speciei restitit.

S. Xaverius quàm castus tam cautus.

211. Pari Virginei pudoris candore floruit in minimæ hujuscè Societatis Viridario Angelicus ille Adolescens Joannes Berchmans Belgii illustre sydus, qui cùm summa tenerrimáque pietate, Hyperduliæque cultu à teneris annis Sacratissimam veneraretur Deiparam, à prima pueritia Virginitatem suam DEO, in honorem Virginis Matris consecravit, ut repertum non modò in Schedis manuscriptis, sed & chartis typo expressis. Eandem rursus exacto primo probationis anno in Societatis Tyrocinio emissis tribus ex devotione votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, iteravit, ut sese Majestati Divinæ, ejúsque purissimæ Matri magis adstringeret, promptissimámque eamdem imitandi voluntatem declararet. Noverat nimirum eam jam trimulam se se in Templo vivam, immaculatámque hostiam consecrâsse; & velut olivam semper virentem ac fructiferam se se in Domo Domini plantâsse. Noverat eam esse Virgam illam Amygdalinam, quam vigilantem Hieremias cap. 1. observavit, cui proinde sese imitatione conformans, quàm primùm ad illam vigilavit, & velut altera Virgula amygdalina suæ Virginitatis purissimum florem in prima illa ætatula germinavit, eidemque magna cum veneratione filialique affectu obtulit.

Joann. Berchman à prima pueritia virginitatem suam Deo in honorem Virginis Matris consecravit.

212. Qua porrò & ipse cautela in conservando flore hoc pudicitiæ usus fuerit præclare ostendit. P. Jacobus Canisius noster in Libello, quem indigitavit Hyperdulia Mariana Berchmanni; dum ita loquitur cap. 11. *Quamobrem ne quo se Berchmannus fortè sacrilegio impiaret, Virginitatem suam DEO, Deiparæq́ devotam servare Vigilia, inedia, oratione, corporis afflictione, reliquaque id genus ascesi studuit servare illibatam.*

Quibus armis custodiverit Berchmanus Virginitatem.

213. Desiderat fortasse quispiam in Adolescente Virgineo, velum aliquod pudoris, quo pulchritudinem faciei suæ ab interna venustate in corpus redundantem, illamque Angelicam quodammodo æmu-

æmulantem, obvelaret? Velum hoc ego crediderim assiduam illam fuisse orationem ad Virginem, quâ instanter postulabat suo exemplo in aliis castimoniæ amorem excitare. Qua de re Canisius. *Neq; contentus Virginea suimet corporis integritate, eamdem suis in proximis incorruptam desideravit, quapropter inter alia nullum non lapidem movit, ne quam forte daret aliis ansam pravæ cupidinis ex aspectu sui. Itaq; 12. salutationum Angelicarum recitatione Virgineam B. Mariæ puritatem meditatus, quotidie eamdem fatigabat, ut & ipse sermone moribusq; afflare aliis posset amorem puritatis, omnémque depellere cogitatum castimoniæ repugnantem; sic ipse videlicet sui aspectu omnem humanis mentibus cogitationum lasciviam depellebat. Quas preces literis commendatas his verbis faciendas conceperat: Beata Virgo impuras aliorum cogitationes suo aspectu pellebat, pete & tu, ut tua conversatione castitatis amorem ingeneres in aliis &c. Quin imò non existimabat se vel esse vel dici posse Filium B. Virginis, nisi vel accuratissimus esset Vigil, custos, tutórque suæ Virginitatis, ut ex hac ejus syngrapha liquet: Si vis esse Filius B. V. Zelator esto tuæ castitatis. Et verò tantus fuit ipse castitatis suæ zelotes, ut per omnem vitam nihil unquam in eo notatum sit, aut gestu solutiùs, aut signis lasciviùs, aut verbo actuve contrarium puritati. Cúmque esset ingenio alioquin jucundo, ac blando, hic semper severissimus extitit. Atque ut gratiâ, comitatéque alliciebat omnes, ita singulari morum verecundia, castitatis amorem in animis, uti diximus, intuentium excitabat, videbantúrque ab oculis ejus quidam quasi radii vibrari, quibus aspicientes ad castimoniam accendebat.* Quod posteà idem

Berchmannus non contentus Virginitatem in se conservare, sed studebat etiã ejusdem amorem in aliis excitare.

Auctor exemplis comprobat, & nos alibi ex Virgilio Cepario retulimus. Quæ sanè omnia indicant sanctos hoscè exemplo Deiparæ pudicitiæ illibatæ studiosos, omnem etiam levissimam impuritatis impudicitiæque umbram generosorum instar Elephantum abhorruisse, se séque totos puritati illi Dei Matris purioris solis radiis, sanctioris Cherubin ac Seraphin, & incomparabiliter reliquis omnibus (ut loquitur S. Ephrem) supernis exercitibus gloriosioris, conformare quàm diligentissimè studuisse. Ultima, missis aliis, Elephanti proprietas est, de qua Ælianus lib. 8. cap. 28. Quòd sues horreat, utpote immundissimum, ac fœculentissimum animal, omnium carnalium, ac luxuriosarum, imò & fatuorum verissimum Symbolum: Quod indicavit Horus, cùm docuit apud Ægyptios quando aliquem hominem sapientem, & stultitiam perosum adumbrare volebant, suem & aversum Elephantum exsculpere consuevisse. Quod perinde erat, atque si rationem à brutali sensu separatum esse ostenderent. Nam ut Elephantus sapientiæ & prudentiæ, inquit Horus, addiderim ego: & castitatis, est Symbolum, ita sus stuporis, atque impuritatis. Hinc paræmia illa celebris: *Sus Minervam.* Unde tantam ajunt inter illos esse antipathiam, ut Elephas vel illius solo audito grunnitu fugam capessere cogatur.

Elephas horret sues, hinc apud Ægyptios Elephas exsculpt' suem aversus, indicabat sapientem stulto oppositum.

Elephas sapientiæ & castimoniæ symbolum ad solũ grunnitum porcorum in fugam convertitur.

214. Hinc sacræ literæ suem impudicæ ac luxuriosæ, stolidæque mulieris imaginem gerere docuerunt. Hinc Salomon de hujusmodi muliere, quæ formæ elegantiam donum DEI, ornamentúmque Naturæ humanæ eximium, sordibus libidinis cœnóque commaculat, loquens, ita illam luculentæ sui aureum circulum nare gestanti conferre non dubitavit Prov. 11. v. 22. *Cir-*

Fœmina pulchra & impudica porcæ similis gestans in naribus aureum circulũ.

culus aureus in naribus suis: mulier pulchra & fatua, sive ut legêre 70. Interpp. *Inauris aurea in nare porcæ, sic mulieri malè prudenti pulchritudo.*

215. Ubi mulier obscœna ac stulta rectè fœculentæ porcæ; ejus verò pulchritudo aureo circulo comparatur. Stultitia porrò,átque obscœnitas rectè in hujusmodi muliere conjunguntur. Hæc enim duo mutuò sese inferunt, luxuries enim, quæ maximè exinanire solet, cerebrum, causat amentiam. Unde ajebat Aristoteles 7. Ethi. quòd vitium hoc etiam Sapientibus furetur intellectum, & hominem in quadrupedem jumentúmque transformet. Quod optimè intellexisse visus est Propheta Regius, cum cecinit Psal. 48. v. 13. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est, jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Rectè verò lasciva mulier cum sue confertur. Tum propter intemperantem libidinem, ut observavit eum in locum Pater Salazar, Tum propter stupidam fatuitatem, sordidámque obscænitatem. Libidinosæ igitur fœminæ sus maximè idoneus typus est. Quemadmodum Sus nullo tempore venerem detrectat, sic nec Mulier, quod tamen in aliis animalibus non facilè est cernere, ut observavit Aristoteles lib. 5. de Hist. animal. cap. 14. ait enim: omnibus anni temporibus coire posse, nec solùm interdiu, sed etiam noctu, aut certè matutino potissimum tempore. Dum asserit cap. 5. de homine, *sunt*, inquiens, *quæ per autumnum etiam, & hyemem coëant, átque pariant. Homini autem maximè temporibus omnibus opportunus est coitus.* Pulchra igitur sed lasciva, ac libidinosa mulier ob innatam lasciviam sus est, quæ pulchritudinem suam velut circulum quendam aureum sordibus luxuriæ commaculat. Quòd si hujusmodi mulieris internam animæ pulchritudinem ab optimo Naturæ Parente illi inditam consideremus animadvertemus profectò adhuc potiori jure dici posse, eam velut suem circulum aureum libidinis caeno conspurcare. Quid enim aliud anima nostra est. Quàm circulus quidam, sive Annulus aureus, ísque pulcherrimus cujus gemma est ipsa augustissimæ Trinitatis Imago à prima creatione ipsi divinitus impressa? Quare præclarè Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 11. *Quemadmodum*, inquit, *aurum polluitur immunditia suis, cœnum rostro suo conturbantis, ita quæ sunt paulò magis luxui deditæ mulieres, si nimiis copiis invidentur ad libidinem, & impudicitiam, probro ac dedecore afficiunt veram pulchritudinem, eam inquinamentis veneris polluentes.* Hanc ob causam Divina lege olim prohibiti erant Judæi vesci carne Suilla; Ideò Novatianus de cibis Judaicis, cùm suem prohibet in cibum assumi, reprehendit utíque cænosam, & lutosam, & gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum suum non in animi generositate, sed in sola carne ponentem. Audiendus hic S. Chrysostomus; qui Hom. 48. in Matth. qui de luxuriæ fœdissimis loquens effectibus: *Quid enim*, inquit, *deliciarum isthæc fœditas mali non inducit? Sues ex hominibus facit, imò verò suibus multò deteriores: Sus enim in luto volvitur, & stercore nutritur: hic verò lascivus homo abominabilem sibi mensam construit, iniquas commixtiones excogitans, & amores nefarios &c.*

Luxuries sapientibus furatur intellectum.

Pulchra sed lasciva mulier sus est, cujus anima circulus aureus.

216. Ex his facilè colligimus, quam meritò Elephantus inter reliqua animalia, & sapientissimus, & castissimus, atque mundissimus naturalem cum sue animali spurcissimo,

Quemadmodum Elephas castissimus sues, ita B. V. detestatur luxuriosos.

mo, stupidissimo átque fœculentissimo habere dicatur Antipathiam. Quemadmodum igitur animal hoc prudentissimum, inter omnia continentissimum, stupidos, immundósque porcos aversatur: Sic Virgo gloriosissima, quæ Turris eburnea, Elephanti osse constructa, à Sponso celebratur, non modò homines lascivos, átque obscænos nimiùm quantum abhorret, verùm etiam de eorum corporibus pollutis exhalatam mephitim execratur. Siquidem ut loquitur Cæsarius Arelatensis Homil. 3. *Si bene & rectè judicas, incomparabiliter graviorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ quàm Cloacæ. Quemadmodum castitatis virtus est redolentissima, ut eam appellat B. Damianus Card. ita luxuria fœtidissima.* Unde Rupertus Abbas ait: *condigno supplicio nempe Sulphure & igne à Deo fuisse punitos sodomitas & Gomorrhæos.* Gen. 19. *quia talem carnis fœtorem miserant ad cælum, rectè de cælo fœtorem igneum vel ignem fœtidum receperunt.* Quòd si luxuriosi fœtorem hunc tam tetrum non sentiunt, nil mirum nobis accidere debet. Homines enim hujusmodi vulturibus similes sunt, de quibus S. Theodoretus in cap. 1. Cant. ita loquitur: *Vulturibus cadavera devorantibus suavitatem exhibent fæda corpora, unguentum verò perniciem: Sic hominibus impiis séque in fæditate peccati volutantibus teter libidinis odor suavissimus, gravis autem ac molesta Christi Disciplina.* Et verò si viri Sancti adhuc in hac vita degentes libidinosorum hominum, velut cloacarum putorem ferre nequiverunt, quantò minùs purissima, átque sanctissima sanctitatis omnis, átque castimoniæ Mater Virginea?

Sodomitæ quia Luxuriâ fœtebant, sulphureo seu fœtido igne puniti.

Lascivi homines vulturibus similes quibus fœda corpora suavitatem exhibent, unguenta benè olentia perniciem.

217. Sensit graveolentiam hanc luxuriæ velut abominabilis cujuspiam Cloacæ castissima in Christi Sponsa simúlque charissima Catharina Dominicani cœli stella fulgidissima, de qua S. Raymundus, qui ipsi erat à confessionibus, hæc memoriæ prodidit. Fiebat aliquando, ut simul ambularemus locis utríque nostrûm incognitis: ibi, cùm homines aliqui splendidissimè vestiti potentes, & divites nos convenirent, Virgo hæc nullo modo poterat illis nec verbum respondere, nec homines illos aspicere. Quòd si instarent vehementiùs, tum illa quasi voce indignabunda: Prius, inquit, conveniebat è flagitiis, vos, & à laqueis Diaboli exire, átque ad vitæ emendationem accedere, tum de rebus Divinis loqui. Erant autem homines vetustis atque infamibus vitiis obruti. Vicè quadam mulier quædam nobilis, sed infamis, occurrit eidem Sanctæ, facie quidem reliquóque cultu corporis pulcherrima, quam illa non modò in os intueri non potuit, sed néque fœminæ ex adverso consistere, sed illi planè tergum obvertere cogeretur. Cùm deinde rogaretur causam: Tantum inquit, ego fœtorem ex illa anima efflantem sensi, ut cuivis alteri hæc graveolentia ex imò stomacho vomitum commovere potuerit.

Catharina Senensis Ord. Præd. lascivorum hominũ graveolentiã sensit ad nauseam.

218. Narrat Surius in vita Euthymii Abbatis To. 1. eum, cùm aliquando prope hominem transiisset, qui tum primum assensum turpi cogitationi, suggestioníque præbuerat, tantum præsensisse fœtorem, ut intelligeret illo tacitæ cogitationis lapsu miseruum illud corpus, seu potiùs cadaver (utpote privatione gratiæ exanimatâ, ut ita dicam animâ) Diaboli factam esse habitationem. Immundus enim hic spiritus fornicationis, horribilem planè fœtorem exhalare consuevit, ut expertus Divus Pachomius à Palladio fuisse memoratur cap. 29. suæ Hist. Cùm enim hic teter Spiritus Ethio-

Euthymius Abbas sensit fœtorem hominis in turpẽ cogitationem consentientis.

Asmodæus horrendum fœtet, expertus Pachomius, qui diabolo sub specie Æthiopissæ colaphum infixit.

Fff fff fff pissæ

pissæ specie ad eum tentandum accessisset, insignem illi, ut procul abigeret, inflixit colaphum, ex eo Ethiopissæ illius contactu tam intolerabilis in sancti viri dextera adhæsit fœtor, ut eum pluribus annis vix eluere potuerit.

219. De intolerabili hoc fœtore Cacodæmonum præclarè S. Chrysologus serm. 17. dum eorum deprecationem ad Christum factam Mat. 5. considerat. *Mitte nos in porcos. Vide* inquit, *ubi Satanas sedem desiderat collocare, de sepulchris in porcos, semel infectus putredine, habitacula fœda & immunda perquirit: sordibus delectatur & cœno, qui utique fœtore criminum, & squallore semper pascitur vitiorum. Sed sic est odor ejus Tartareus, & crudelis, ut eum nec porcorum Natura sufficeret sustinere. Denique demergi in mari & fluctibus maluit deperire, quàm ejus immunditiam pati, & putredinem tolerare.*

220. Notissimus quóque est S. ille Anachoreta, qui cum suo Custode Angelo iter faciens, viso putrefacto cujuspiam animalis cadavere, nihil se fœtoris, quemadmodum Eremita se sensisse ostendit. At vero viso comatulo, comptulóque Adolescente libidinis occultæ sordibus inquinato, tantum fœtorem Spiritus ille Angelicus se hausisse præsetulit, ut nares obturaret. Quod ubi animadvertit Anachoreta, sciscitatus est: Quam ob causam pertranseundo cadaver animalis, nullum horrorem ostenderit, & ad illius tam insignis Adolescentis tantopere exhorruerit. Cui Angelus respondisse fertur: nullum quantumvis abominabile verminosúmque cadaver ita in oculis Divinæ fœtere Majestatis, atque animam gratiæ privatione mortuam, atque exanimatam.

Angelus custos visibiliter apparens nares obturat ad præsentiam compturi & lascivi Adolescentis.

Cadaver nullū ita fœtet, ut lascivus homo coram Deo.

221. Quòd si Angeli virique Sancti tam acuto præditi fuisse creduntur odoratu, ut animarum lethali culpâ exanimatarum fœtorem aversarentur: quid sentiendum tandem nobis erit de ipsa purissima omnium Angelorum Sanctorúmque Regina, omnísque Sanctitatis speculo Virgine Deipara? Quæ sicut & Dilectissimus ejus Filius licet per omnia nobis voluerit similis esse in humana carne, ejúsque pœnalitatibus, & Dæmonis, mundíque tentationibus subjacuerit, hujus tamen vitii nullas unquam pati voluit tentationes, à quibus singulari privilegio, extinctione videlicet fomitis, à primo immaculatæ conceptionis instanti fuit præservata. Néque enim decebat, ut ea, quæ ipsius puritatis, omnísque honestatis fontem mundo in ablutionem omnis peccati, atque adeò, peccatoris, & menstruatæ, ut loquitur Propheta Zacharias, paritura erat, hujusmodi tam fœdi vitii vel tenui halitu hoc omnis pudicitiæ speculum afflaretur. Cujus rei causam universaliter adfert. S. Cypr. lib. de tentatione & jejunio Christi, ostendere volens non debuisse Christum carnis tentatione impugnari, ita loquitur: *Quamvis Diabolus ingressu mentis arceatur, renitente consensu, aliquid tamen de spurcitia sua sibi evomens, abominationum horrore nauseari compellit, sic, ut aliquid Poëticum inseram, temulentus Cyclops illiciti conjugii appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen ejus Ericthonium fundit, & incorrupâ Minervâ, superest tamen deforme monstrum nec omnino affectata scelera in memoria moriuntur.* Ex qua fabella intelligimus vitio libidinis, etiamsi ipsi non præbeatur assensus, & mens nostra velut Pallas maneat incorrupta, tentatione tamen hujusmodi, aliquo modo fœdari. Quare hujus flagitii turpitudinem agnoscens Gentium Apo-

Licet B.V. aliis tentationibus dæmonis extrinsecis fuerit subjecta, ab impuris tamē tentationibus fuit privilegiata.

Cyclops apud Poëtas, illiciti conjugij appetitor licet à Pallade repulsus, in gremio tamen ejus Erichtonium fudit.

Tentatio lasciva, licet illi consensum non præbeamus, mentem tamen aliquomodo fœdat.

Apostolus, non congrediendum cum eo, sed velis remísque sapientissimè fugiendum suasit. *Fugite*, inquiens, *fornicationem.* Unde S. Augustinus Tomo. 9. lib. de honestate mulierum. *Contra libidinis*, inquit, *impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam, nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Honesta enim fuga aut potiùs recusatio certaminis est, cùm quempiam nullius pretii hominem & virtute imparem, indignum, quocum congrediamur, ut in duellis, sive singularibus certaminibus fieri consuevit, contemnimus.* Tanta porrò est luxuriæ vilitas, atque infamia, ut nomen turpitudinis, atque confusionis illi à sacris literis sit attributum, utpote quæ homine ratione prædito, & cum Angelis Deóque ipso intellectum participante, indignissima sit. Unde Doctor Angelicus 2. 2. q. 150. art. 4. ait: *vitium hoc planè esse remotum à ratione humana, utpote brutorum proprium, quæ ad pabulum, & ad corporis delectationes generationémque abjecta sunt.* Hinc S. Judas Apostolus in sua Canonica hujusmodi vilissimos terræ filios appellat. *Fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Et Apostolus Paulus ad Philip. cap. 3. eorundem miserrimam deplorans sortem vocat: *Inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum DEUS venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*

Libido potius fugienda, quā cum illa certandum.

Libido infamiam & confusioné parit.

222. Cùm igitur libido tam turpe atque abominandum sit flagitium, animam hominis Divinam Imaginem, similitudinémque gerentis, tam miserè defœdans, eámque in quadrupedem transformans, quid mirum, si pulchræ dilectionis Mater castissima, eam, ejúsque amatores velut Elephantus fœculentam suem aversetur?

Sicut Elephas sues, ita B. V. lascivos detestatur.

223. Alienissimum hunc, à abominabili fæditate Virginis nostræ animum venustè simul atque aptissime descripsit S. Joan. Damascen. Orat. 2. de, dorm. B.V. qui exhortans suos auditores ad quærendum perennem, atque inexhaustum gratiarum Divæ Virginis fontem, quo à vitiis abluamur, hoc inprimis præscripsit medium. *Proinde curemus, ut mentem memoriamq́ nostram Genitricis DEI promptuarium efficiamus.* Quâ porrò id ratione fieri queat, mox attexit, insinvando nos ipsius illibatam Virginitatem, omníque carentem nævo ac maculâ puritatem, humilitatem cum reliquis ipsius eximiis virtutibus mente animóque revolvere debere: *Quonam autem modo*, inquit ille, *id assequemur? En illum, en Virgineæ ipsius puritatis meditationem atque imitationem: Et Virgo est*, ait S. Pater, *& Virginum amans, pura est, & purorum amans; quocirca si & corporis & animi puritatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur.* Quantam verò illa aversionem à lutulentis hiscè ac Veneris sensûs corporísque illecebris, omníque impudicitiâ, reliquísque vitiis præseferat, ita prosequitur: *Lutum siquidem illa omne fugit, cœnosasq́ affectiones aversatur. Ingluviem execratur, fœdissimæ fornicationis vitiis investa est, ejusdémq; impuras, scelestasq́ cogitationes non secus ac viperarum fœtus abhorret. Sermones fœdos scurrilésque, nec non cantus ac meretricia unguenta detestatur. Iræ tumorem odit, inhumanitatem, ac invidiam simultatésque minimè admittit. Inanem gloriam vanis laboribus sese frangentem respuit, superbiæ fastui animo planè hostili resistit. Injuriarum memoriam tanquam salutis hostem odio prosequitur. Vitium denique omne tanquam lethale venenum execratur. His verò contrariis o-*

Gratiam si quærimus Mariæ, puritati & humilitati studeamus.

omnino delectatur (contraria enim contrariorum medicamenta sunt) jejunio ac parsimonia, psalmorumq; cantu gaudet. Cum puritate, Virginitate ac pudicitia pulchrè illi convenit, sempiternámque cum illis pacem colit, illas ipsius humane ac comiter exosculatur. Pacem animiq; lenitatem complectitur, charitatem, misericordiam, atq; humilitatem tanquam alumnas suas ulnis amplexuq; fovet. Atq; ut rem breviter perstringam, vitio quolibet offenditur, & discruciatur; qualibet autem virtute, ut nota sua peculiari lætatur, tripudiat. Quare si vitia prompto alacriq; animo evitemus, si virtutes omni studio amoréque amplectamur, easq; socias habeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, secúmque bonorum omnium agmen trahet. Christumq; Filium suum, omnium Regem ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet. Hæc S. Damasc. Quæ sanè nobis mirificè ob oculos proponunt tam vehementissimam illam Virginis, quæ illi cum cœnosa libidine velut Minervæ ac Elephanto cum sue volutata in volutabro luti intercedit antipathia: Tum miram illam Sympathiam ac convenientiam, quam cum castitate ejusdemque amatoribus colore consuevit.

Quanta Beatissimæ Virginis cum libidinosis anthipathia, tanta cum castis sympathia.

224. Hinc fit ut suos fidos clientulos castitatis puritatisque tam corporis, quàm animi studiosos peculiari amore complectatur, eísque animum virésque plusquam Herculeas ad fœdissimum hoc monstrum, sue illo sive Apro Erymantheo, quem Alcides monstrorum domitor cepit, atque trucidavit, longè atrociùs, superandum, pro innata sibi benignitate suppeditat, mirificoque perfunditur gaudio, ubi gloriosas à suis clientulis de monstro hoc abominabili cernit victorias reportari. Qua de re audiendus Rutilius Benzonus Episc. Lauret. cultui Deiparæ addictissimus lib. 2. in Mag. cap. 12. ubi de conflictu carnis, ac spiritûs, quo miseri mortales infestantur, deque victoriis, quas opitulante Divina gratia consequuntur, ita loquitur: *Huic autem Victoria Spiritûs in carnem summopere favet pietas, atq; devotio erga Virginem, quæ sicut omni peccato omninò caruit, nec unquam concupiscentiæ tela sensit, nec vel semel à carne tentata fuit: Sic summa misericordiâ succurrit his, qui à carne tentantur, eisq; praestò est, qui ejus auxilium ea in re implorant. Est enim Mater castitatis, est exemplar puritatis, est speculum Virginitatis, imò ipsamet Virginitas. Quapropter eos qui puritati, innocentiæ, & castitati student summopere diligit.* Sic ille.

B. V. Suis clientibus plusquã Herculeas vires suppeditat, ad libidinem monstrum Apro Erymantheo atrocius superandam.

225. Quare Medici spirituales hujusmodi morborum animi curandorum peritissimi, efficacissima remedia præscribentes, hujusmodi ægritudini præsentissimum censent esse antidotum, tam præservativum quàm curativum, & conservativum patrocinium Virginis Matris ardentemque in illam devotionis ac pietatis affectum. Angelicus quidem Doctor Opusc. 18. affert septem remedia contra luxuriam. Primo, carnis videlicet macerationem per abstinentiam, vigilias &c. Secundo, contemplationem Divinorum. Tertio, Orationem. Quarto, studium scripturarum. Quinto, cogitationem Sanctam profugam otii. Sexto, fugam conversationum cum mulieribus. Septimo, Solitudinem.

Præsentissimũ remedium contra tentationes carnis filialis pietas erga B. V.

Angelicus doctor 7. remedia contra libidinẽ adfert.

226. Venerabilis autem Dionysius Richelius lib. de Remed. tentat. Art. 3. præter jam memorata antidota, addit efficacissima esse hæc sequentia. Primo, assiduam Dominicæ passionis Meditationem. Secundo vitii hujus planè belluini vilitatem, atque fœtorem abominabilem expendere. Tertio, Mortis considerationem, nostræque carnis in Sepulchro

Præter supra memorata, alia præscribuntur remedia contra tentationes carnis.

ebro corruptionem. Additque hâc cogitatione quendam ab hoc morbo sanatum, id Attestante Guilielmo Episcopo Parisiensi: *Quidam*, inquit ille, *nostris temporibus accepit Calvariam fœminæ speciosæ, quam quoties tentabatur, aspexit, & ita cessavit ejus tentatio.* Quarto Custodiam sensuum ac præsertim oculorum. Quinto humilitatis studium.

...passionē ...nera ...effica- ...mediū ...carnis ...iōnes ...st quam ...devota ...atio B.V.

227. Verùm licet hæc omnia remedia saluberrima sint, nullum tamen post Christi passionem & vulnera magis efficax esse censuerim, quàm fidelissimum Virginis Matris patrocinium, ac protectionem, uti supra meminimus. Unde idem Vir hic in Deiparam pientissimus, inter remedia Generalia contra vitia post interpellationem Christi pro nobis apud Patrem ostendendo illi latus & vulnera; Addit art. 25. Sextum remedium, quod est: Advocatio, & Oratio, meritum & subventio gloriosissimæ Virginis Deo Patri comparentalis, quæ est Advocata Ecclesiæ, miseratrix, Adjutrix, Mater omnium ad se confugentium, conculcatrix capitis Dæmonum átque in omni necessitatate subventrix. Quare quisquis hoc vitio se se acriùs impugnari animadvertit, primo mane, ubi evigilavit, certamen hoc suum cum spurcissimo Cacodæmone pientissimæ omnis puritatis Matri, ejúsque inprimis Dulcissimo Filio animitus commendet, dicátque cum Seraphico Virginis Psalmista. Psal. 42. *O Domina mea à serpente maligno, & Dracone pestifero libera me, sancta fœcunditas tua disperdat eum, beata Virginitas tua conterat caput ejus, Sanctæ preces tuæ corroborent nos contra eum, Sancta merita tua exinaniant virtutem ejus. Persecutorem hunc animæ meæ mitte in abyssum, puteus infernalis deglutiat eum viventem.* Psal. 107. *Esto umbraculum protectionis in tentationibus nostris, expansio Alarum tuarum defendat nos à devorante.* Idem faciat vel cùm horologium insanare audit, dicátque affectu magno secum ipse Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe. Vesperi denique, dum decumbit, peculiari studio ad ejusdem Virginis recurrat patrocinium. Aderit illa gratiâ opeque suâ præsentissimâ, animámque hujusmodi cum potestatibus tenebrarum strenuam luctatricem luce sua irradiabit, ut eorum technas, fraudésque cognoscat, déque ipsis victoriam reportet.

...us S.Bo- ...turæ ad ...uo gra- ...istendi ...is tenta- ...us im- ...ida.

228. Ipsa enim eorum technas insidiásque à longè odoratur. Unde Cant. 7. 4. dicitur. *Nasus tuus sicut Turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Nam, ut inquit Benedictus Fernandez noster, in cap. 3. Gen. sc. 32. n. 3. *Vel ipsi primores congressus turpium cogitationum ad aspectum Matris DEI purissimum debilitantur, disparéntque.* Quam ille Virginis potentiâ agnoscere se ait in Elogio Sponsi Divæ Matri jam applicato. Dum enim eam Turri Libani comparat, horribilem terrorem vel solo intuitu tenebrarum Principibus illam incutere consuevisse ostendit. Loquitur enim de Turri illa eminentissima ac fortissima, quæ constructa visebatur in monte Libano, ubi terminus erat Regni Judæorum, & unde patebat prospectus in finitimas gentes hostium, maximè in Damascum Judaici Regni invidam & æmulam, quæ hostium oculis átque animis terrori erat, adeóque sua fortitudine, sublimitate propugnaculorum multitudine, armorúmque præsidio perterrefaciebat Damascum ex adverso in planicie campi protentam, ut Damasceni oculos, uti fert fama, in terram demitterent, quoties in conspectum Arcis hujus Libani venirent. Sed hæc Arx Libani umbra duntaxat vanissima est,

Quemadmodum turris Libani terrori erat damascenis, ita, & multò magis, terrori est turpibus cogitationibus dæmonis B. V.

respectu Virginis Deiparæ, quæ Orco terribilis est, non modò ut Turris Libani, sed ut castrorum acies ordinata, ita ut vel ipsos primores stygiorum Serpentum assultus (vocant motus primò primos) nequaquam unquam ad conspectum Virginis se se obtulerint. Nulla enim Virginis mentem vel tenuis umbra inhonestæ, aut alio nomine vitiosæ cogitationis subiit. Armatæ flammis libidinum cohortes Inferni, ut Virginem conspicantur, diffugiunt. Ita suos Virgo Beatissima tuetur, ac protegit, ut, si quos invadat serpens, si quem aut cogitatu aut motu inflamet illecebroso, invocato suavissimo Mariæ Nomine, Virgo Mater accurrens in sinum excipiat, brachiis foveat, ardentem irroret, extinguat incendia Tartari, suâque Virgineâ pudicitiâ corpus, animúmque perfundat. Quid nobis & tibi JESU Filii DEI? clamabant olim Dæmones ait Matt. 5. Non voluntatis inquit S. Hieron. ista confessio est, quam præmium sequitur confitentis, sed necessitatis extorsio, quæ cogit invitos, velut si servi fugitivi, post multum temporis Dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur. Sic & Dæmones Dominum suum in terra cernentes repentè versari, ad judicandos se venisse credebant. Præsentia Salvatoris tormenta sunt Dæmonum. Simile quid dicere possumus de Virgine, quæ post Dominum & Regem, Domina & Regina Mater ipsius, magno terrori est Dæmonibus. Hæc ferè Ferdinandius.

Sola præsentia vel aspectus B. V. non solum propulsat omnem luxuriæ tentationem, sed etiam castitatis amore accendit, ut S. Josephus Mariæ Sponsus propria experientia comperit.

229. Notum siquidem est Virginis Deiparæ vel solam præsentiam, vel solum aspectum, omnem tentationem luxuriæ non solùm propulsare, verùm etiam amore castitatis accendere, uti propriâ edoctus experientiâ Sanctissimus ejus Sponsus Josephus comperit, ut observavit Augustiniani Ordinis sydus Simon de Cassia lib. 2. cap. 22. *Non, ut Abraham Saram,* inquit ille, *præmonuit Joseph Mariam, ut diceret se ipsius esse Sororem, veritus propter ejus pulchritudinem mortem, si se fateretur uxorem; quæ specie sua, & pulchritudine sua Saram, & Rebeccam superavit, nec ipsa sublata est in domum alicujus Ægyptii Regis, ut Sara in Domo Pharaonis. Sciebat enim quod meliùs quàm Sara custodiebatur ab Angelo, & talem gratiam in Matre Virgine DEUS posuit, ut ne propter ejus excellentem pulchritudinem potuisset ab aliquo ob immunditiam concupisci.* Noverat hoc Joseph experimento sui; qui videlicet, licet dies noctésque in eadem domo cum illa versaretur, non modò nulla in se incentiva concupiscentiæ carnalis, quin potiùs incredibilem puritatis amorem in se exardescere indies expertus est. *Erat enim in ea*, ut B. Thomas de Villanova Episcop. ser. 2. de Annunc. ait, *Virgines germinans Virginitas.*

In certamine contra vitium luxuriæ assidua pugna & rara victoria, quia spiritus & caro ætate non sunt pares.

230. Quam etiam ob causam Virgo nostra peculiari protectione clientulos suos, qui contra vitium hoc depugnant, eos sibi similes esse cupiens, fovet uti diximus, átque amplectitur, agnoscens utpote æternæ sapientiæ Mater, quàm difficilè sit hujusmodi certamen, in quo *assidua pugna*, ut loquitur S. Hieron. *& rara victoria.* Cujus rei illa ratio est, quia Spiritus & caro, inter quos certamen istud intercedit ætate non sunt pares. Caro enim septem annis átque ampliùs senior est, quàm sit Spiritus, siquidem statim cum homine nascitur, & mox suas vires exerere, atque exercere incipit. Quod non contingit Spiritui, qui non nisi post septennium circiter ratione, bonum à malo discernente, uti consuevit. Unde quemadmodum inter duos luctatores se se complectentes, suasque vires exerentes, is qui major est, superat

perat minorem, ita contingit inter carnem & Spiritum. Cùm igitur Virgo Beatissima à primo suo purissimæ conceptionis momento perfectissimo rationis usu, speciali privilegio à Filio fuerit donata clientulorum suorum infirmitati, quibus caro, utpote antiquior prædominatur, compatitur, eisdem manum, ut contra hostem prævaleant, porrigit adjutricem. Quam ob causam jure meritissimo quivis castitatis conservandæ studiosus ad hanc Turrim eburneam, de qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, ad omnia vitiorum monstra prosternenda, confugiat. Armabit illum Virgo pudicissima, omnium virtutum panopliâ, ac præsertim scuto fidei, in quo facilè poterit ignea tela nequissimi, concupiscentiæ fomitem in nobis accendentis, extinguere, deque tàm potenti hoste toto pene Orbe dominante gloriosissimum Triumphum reportare.

B. V. confugientem ad se clientem armabit scuto fidei, in quo facilè superabit ignea tela Dæmonis concupiscentiæ fomitem in nobis accendentis.

231. Agnoverat tutissimum refugium in omni tentatione & quovis tam animi, quàm corporis periculo esse Deiparam Venerabilis Thomas de Kempis Orat. 4. ad B. V. cum illam pientissimo affectu ita allocutus est: *O Maria quando omnes cœli portæ clausæ sunt, & ad DEUM undique mihi accessus denegatur propter peccata mea; quando omne consilium, & robur mentis à me recedit, & in nulla re me ipsum juvare possum: quando tædium præsentis vitæ, & anxietas cordis me ita constringit, ut penè nihil in hoc mundo libeat: Quando sol lætitiæ in noctem transit pavoris, & molestiæ: quando cœlestis subtrahitur consolatio, & gravis imminet desolatio: quando venti tentationum & adversitatum insurgunt, & motus passionum sese erigunt: quando hæc omnia veniunt super me, ubi fugiam, & quò me vertam, nisi ad te benignissimam Consolatricem pauperum? Et quorsum respiciam ut portum attingam salutis, nisi ad præclarissimam maris stellam, semper fulgentem, & nunquam sui luminis gratiam abscondentem? O Maria dilecta & dulcis Mater, tu es ista præclarissima maris stella, quæ universos in te respicientes, & ad te clamantes consolaris, & ad portum tranquillitatis citiùs perducis. Ad te ego confugio; & à te juvari suppliciter exposco; quia quidquid volueris à Filio tuo facilè impetrabis. Si tu ò gloriosa Domina pro me fueris, quis stabit contra me? Et si mecum gratiam feceris, quis est, qui me repellere queat? Expande nunc igitur brachia tua super me, ut fugiam sub eis. Dic animæ meæ: Advocata tua ego sum, noli timere. Sicut Mater consolatur Filium, ita & ego te consolabor. Vox tua est hæc ò dulcis Maria! quis det cordi meo eam semper audire?* Sic ille. Pari fiducia homo cùm se obscœnis cogitationibus vexari, ardentibus concupiscentiæ facibus accendi sentit ad eamdem Virginem recurrat, eamque obsecret, ut pietatis suæ rore velut Aurora purissima ignem libidinis corde exæstuantem restinguat, rerum cœlestium divinarúmque, & maximè sui, Filiique dilectissimi amore succendat. His enim degustatis amoribus, omnis carnalis amor funditus extinguatur necesse est.

Affectuosa oratio Thomæ de Kempis, tempore tentationis ad B. V.

232. Doctrinam hanc suam Vir hic Virginis cultui addictissimus insigni confirmavit exemplo serm. 21. ad Novitios: *Quidam*, inquiens, *scribens in cellâ libros sordidâ cogitatione molestabatur, quod indignè ferens statim surrexit è cella exiturus, ut vexationem hanc evaderet. Verùm antequam egrederetur DEO inspirante ad B. V. Imaginem, quam apud se habebat, & identidem salutare solebat, convertit oculos.*

Quam potens & prona sit B. V. ad præstandum auxilium contra tentationes, exemplo confirmatur.

culos. Et illicò flexis genibus, junctis manibus, devotè salutatione Angelicâ eam veneratus est. Et ecce, continuò adfuit illi gratia Divina, subveniente illi piâ Dominâ nostrâ Mariâ cum nobili prole sua benedicta. Nam attentè salutatione illâ recitatâ, ad finem illius mox in semetipso sentit DEI virtutem, átque ab omni noxa ac tentatione quietem, mirámque animi tranquillitatem. Quam nactus obstupuit de tam celeri exauditione, cognovítque magnam Angelicæ salutationis utilitatem, átque energiam, contra quamlibet hostis impugnationem. Unde Deo intra se referens gratias ajebat? Nunc scio verè, quia potens est Domina nostra S. Maria juvare, & eripere omnes clamantes ad se.

Quam efficax sit salutatio Deiparæ contra insidias dæmonis per quietem ostendit B.V.

233. Hanc porrò tentationem carnis, quam evaserat sequenti nocte per quietem ei B. V. manifestare visa est. Videbatur sibi per hortum pomarii remotis arbitris transire, sibíque Satanam occurrere ad eum in fugam vertendum, átque exterrendum, quo viso, ipse fugam mox arripuit, & cum septa monasterii transilire non auderet, in fossam quandam profundam, limosáque aquâ plenam sibi cecidisse videbatur. Cúmque jam mergi cœpisset, nullúmque auxilium adesset ad solitam salutationem Deiparæ tanquam ad sacram Anchoram confugit, ad cujus finem animadvertit se luto fœcis, & laqueo mortis ereptum. Unde de lectulo consurgens resolutus in lacrymas præ gaudio sæpissimè átque attentè flexis genibus pro gratiarum actione eam salutavit iterando. *Ave MARIA:* ad cujus finem hæc verba addidisse memoratur: *Ave Maria dulcis Domina nostra, gratia plena Dominus tecum, misericordiæ porta.* Noverat nimirum se tentatione illâ carnali in lacum miseriæ, lutúmque fæcis quodammodo, impellente Dæmone concidisse, sed ope Virginis assensum hosti negando illibatum animum ab omni noxâ conservâsse; Adeò memor gratitudinis Divinam Matrem tanta cum pietate salutavit. Sit igitur omnibus puritatis amantibus contra venereas titillationes hæc salutatio Angelica antidotum præsentissimum quo hujusmodi venena pellantur; ac sues illi ex inferno cænosi, Elephantina virtute, Mariana inquam castitatis tutela, ac patrocinio profligentur.



DISCUR-



DISCURSUS VIGESIMUS TERTIUS.

VIRGO DEIPARA CERVORUM NONNULLAS PROPRIETATES REPRÆSENTAT.

1.

Inter varia, quæ insignis Vir ille pietate in Deiparam clarissimus, suis in devotissimis opusculis Thomas de Kempis in ejusdem gloriam pronunciavit, illud sanè censendum non vulgare, cùm post varia Nominis ipsius elogia hæc attexuit Orat. 4. ad fin. *ô Sacratissima, & omni laude dignissima MARIA. Tu porta Cœli, tu Janua vitæ, tu Templum vitæ, tu Templum DEI, tu sacrarium Spiritus Sancti. Quidquid igitur pulchritudinis, & amœnitatis in creaturis cerno, quidquid magnum, & virtuosum in Sanctis DEI considero, totum tuæ generosæ celsitudini aptare desidero. Quia dignum est, ut me cum omnibus creaturis ad tuam perpetuam laudationem transferam, quam in specialem Matrem, ac fidelissimam Advocatam mihi elegi, nunc, & post hanc vitam, Ad benedicti Filii tui gloriam promovendam.* Ut igitur & nos pro modulo nostro Deiparam Virginem in omnibus creaturis, quòad fieri potest, aliquo modo laudemus, Cervorum hìc Naturam proprietatésque consideremus, quas Virgo nostra mirificè, & majori longè cum perfectione in se expressit.

Ingressus ad discursum, & laudes Virginis Beatissimæ.

2. Ælianus lib. 6. de Hist. animal. cap. 12. ait Cervos cum serpentibus depugnare quàm acerrimè. *Mirifico*, inquiens, *munere naturæ cervus serpentem funditus vincit; neque enim ipsum, tametsi hostis in latebram abditus, effugere potest. Etenim ipse naribus suis in serpentis cavernam incumbens vehementissimè inspirat, & Spiritu suo quasi amatorio quodam alliciens extrahit, invitúmque profert. Si quis autem Cervi cornua in pulveres redigat, eósque in ignem conjiciat, fumus indè nascens undique serpentes, ne illius quidem nidorem sustinentes, fugat.* His hæc addit Gillius cap. 11. *mutuo inter se odio omne serpentium, cervorúmque genus flagrat inexplicabili, serpentem cervus longè, latéque inquirens, tandem in illius vestigia, longis flexionibus apparentia, jucundè pervenit, naribúsque ad cavernam admotis, ad pugnam pugnare nolentem ipsum profert. Serpens extractus in altum tollit collum, & crepitu dentium horribilis est, & acerba sibila anhelat: contra cervus ridenti similis è vestigio inaniter pugnantem, & cervi colla, ac cornua circumplicantem in sexcenta frusta lacerat.*

Cervorum cum serpentibus odium & certamen.

3. Similem prorsus pugnam cum Tartareis serpentibus in hodier-

 num

num usque diem dilectissimum suum imitata Filium init Virgo gloriosissima. Unde Psalmus 21. in quo agitur potissimùm, de gloriosa Christi Resurrectione habet inscriptionem: *Pro susceptione Matutina*, sive ut ex Hebraico vertunt aliqui: *pro Cervo, vel cerva, sive stella matutina.* Ajoleth enim significat & cervam, & Stellam. *Ipse enim*, ut docet Card. Bellarminus, *comparatur Stellæ, quia resurrexit plenus gloria, accinctus lumine, sicut vestimento:* & de se dicit Apoc. ultimo. *Ego sum Stella splendida & matutina.* Ipse quoque similis est cervo. Tum quia cervo nil nocent animalia venenata, imò ipse halitu suo serpentes de cavernis educit, & occidit. Christus autem Spiritu oris sui interficiet impium, & nil nocuerunt ei omnes iniquorum persecutiones. Tum etiam quia cervus velocissimè salit in altissimos montes. Ipse enim die Resurrectionis velocissimo saltu ab Inferis, & à morte ad vitam immortalem ascendit. Tum denique quia Cervus dicitur arte quadam naturali â senio se defendere, & vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab interitu vindicare, ùt scribit Gilbertus Ser. 14. in Cant. Christus autem arte omnipotentiæ, & sapientiæ suæ verè corpus suum jam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Cerva porrò dicitur Christus, quia Resurrectio propriè ad carnem spectat.

Christus stella & cervus in resurrectione sua.

4. Hæc eadem proportione quadam de Divina ejus Matre dici possunt. Ipsa enim triduo illo mortis Christi mœrore tristitiæque tenebris ipsi consepulta quodammodò fuit; at verò ipso mane è sepulchro ad instar stellæ matutinæ, solisque radiantis totum orbem illuminantis, resurgente ipsa quoque juxta Nominis sui etymon velut stella Angelis, sanctorúmque Patrum animabus illuxit, orcùmque universum unacum Filio consternavit, debellavitque. Quod illa bellum cum Tartareis illis colubris semper ad hunc usque diem ad tuendam militantem Ecclesiam, suósque fideles clientulos ab eorundem insidiis eripiendos admirabili magnanimitate prosequitur.

Deipara stella & Cerva.

5. Bellum hoc castissimæ hujus Cervæ futurum semper cum teterrimo illo orci Colubro, ejúsque sive membris, sive asseclis ipse Creator prædixit à principio Gen. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Cujus belli atque Discordiæ causa proxima est inæqualitas, sicut amicitiæ, atque concordiæ æqualitas, quæ vera amicitiæ Mater perhibetur. Inter æquales enim amicitiæ facillimè coalescunt. Quanta porrò inæqualitas sit inter Virginem, & orci Colubrum, inter Filios Virginis, ejúsque clientulos, & inter Filios Diaboli, ac reprobos, nemo non videt. Virgo enim syncero in Deum, hominésque amore fertur, uti & ejus spirituales Filii: Contra serpens Tartareus immortali in DEUM odio, hominésque universos invidiâ assiduè exardescit. Virgo mentem suam in bono obfirmavit, factáque est omninò impeccabilis, eamdémque voluntatis, vel ei similem firmitatem, gratiam efficacem impetrando sibi devotis communicat. Callidus ille serpens fraudulenter, ac rectè primam mulierem seduxit, & in mortem induxit. At verò secunda mulier felicior Eva, antiquæ penitus opposita, aperto Marte cum semine ex prole sua cum eodem venenato hoste conflixit; eúmque tanquam vilissimum vermiculum pede suo contrivit. Quam gloriosissimam Victoriam ab imbelli muliere de antiquo serpente reportatam considerans Cajetanus ita ipsi insultare non dubitavit. *Noli, ô serpens, putare ex eo, quod superâsti mulierem, te habiturum Dominium super universas mulieres. Nam quam-*

Inimicitiæ & bellum Deiparæ, servorúmque suorum, & ejus causa adversus serpentem stygium.

quamvis mulier ipsa imbecillis sit; ego tamen ponam inter mulierem, & inter te odium inimicitiæ, ut habeat te non in Dominum; sed in inimicum, ut non pareat tibi; sed hostem te sentiat, ut hostem caveat, ut odio te prosequatur. Et hoc impletum in mulieribus Sanctæ vitæ, non ex propriis mulierum viribus, sed ex divino dono, quo posuit in animis earum odium, non qualecunque, sed omnis generis inimicitiæ. Propter hoc enim dicitur inimicitias in numero plurali inter ipsas, & serpentem Diabolum. Non sufficit inimicum esse Diabolo, quoad ea, quæ sunt fidei ac spei; sed oportet inimicum esse secundùm omnes partes, secundùm ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, & reliquorum sanctorum officiorum. Hæc Cajet.

Idem argumentum.

6. Ex quibus sanè colligimus, quantoperè Virgo Beatissima cum suis spiritualibus Filiis sit inimica Diabolo, siquidem ipsa est omnium virtutum collegium, omnis sanctitatis arca, ipsímque absolutissimum puritatis omnis compendium, omnium deniqùe Divinorum Attributorum immaculatum speculum, quam illa Cœlestem mundiciem, cum suis participans clientulis eos teterrimis, ac spurcissimis Orci tenebrionibus reddit formidabiles.

In his inimicitiis Dei sapientia elucet, & exercetur humana virtus.

7. Has porrò inimicitias assiduúmque bellum inter hanc Virgineam Cervam colubrósque Acherontæos universorum Creator ad suam sapientiam demonstrandam, virtutémque nostram exercendam de industria posuit, ut ex malis bona pro infinita sua bonitate eliceret, nósque à malitia, ac versutia Diabolicæ fraudis præservaret. Unde Procopius: *Mirùm sanè videri posset*, inquit, *quòd DEUS bonus inimicitias mutuas posuit. Sed mirari, desinemus, si reputemus simplicem non mediocre damnum accipere ex consuetudine, & familiaritate mali, oportet igitur hujusmodi inimicitias constitui, ut simplex prudentior factus illud salutare dictum proferat: Non enim ignoramus ejus cogitationes. Quibus enim de causis pax damnosa est, ob easdem utile existimatur bellum; Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Quemadmodùm enim ex parùm salubribus locis aër homines afflans clandestinos morbos suo afflatu hominibus concitat: Sic usuvenire solet ex pravis colloquiis, & commercio pessimorum hominum.* Ita Procopius.

8. Quæ sanè pia Procopii cogitatio mirificè nos ad Divinæ Bonitatis accendere jure merito deberet amorem, siquidem nos suæ Divinissimæ Matris æquiparare voluisse visus est dignitati. Unde Bernardinus Bustius Ord. Seraphici lib. 12. Marial. serm. 2. inter varias excellentias, sive prærogativas Virginis numerat vigesimam septimam, hasce inimicitias cum stygio serpente, ejúsque capitis contritionem. Quid enim excellentiùs, ac gloriosiùs, quàm hominem ex terra lutóque compositum cum spiritu confligere, déque eo, ope divina triumphare? Quid deníque ipsi Virgini tam honorificum accidere potuit, quàm superbissimum totius olim Angelicæ Hierarchiæ Primatem, qui extollebatur super omnia, & super altitudinem nubium, atque astra Cœli exaltare solium suum, similísque altissimmo esse attentavit, unius mulieris imbecillitate, atque humilitate coërceri, domari, omnésque virulentas ejus vires elidi. Qua in re universorum Dominus id egisse visus est cum superbissimo Inferorum hoste, quod strenui Bellatores ab aliquo terræ filio ad singulare certamen provocati, hi enim per contemptum arreptâ Virgâ aliquâ, fragilíve cannâ, imò mulieris colo per contemptum adversarium abigunt.

In his inimicitiis elucet bonitas Dei & Deiparæ singularis excellentia.

9. Talis Virga extitit Virgo Deipara, quæ cum nobilitate Regii san-

Deipara humilis Virga, quâ DEus usus est ad vincendum draconé.

guinis, & longè sublimiori, nempe cælesti, ac Divina instar stellæ relucceret; humilitate tamen suâ facta est Virgula egrediens de Radice Jesse, quæ posteà à Domino exercituum assumpta ad instar clavæ ferreæ Tartarei Draconis caput contrivit, omnémque ejus potentiam devastavit. Quod nobis indicavit Moyses Num. 24. 17. cùm Balaam Ariolum ita vaticinantem introducit. *Orietur stella ex Jacob, & consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabítque omnes filios Seth.*

Deiparæ singularis in conterendo draconis capite virtus.

10. De hac ab humillima de antiquo serpente reportata victoria præclarè S. Bern. Hom. 2. super Missus. *Quam*, inquit, *tibi aliam DEus prædixisse videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem. Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi, quod sequitur. Ipsa conteret caput tuum; cui servata est victoria hæc nisi Mariæ? Ipsa procul dubio contrivit caput venenatum, quæ omnimodam suggestionem maligni tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum, quam vero aliam Salomon quærebat, cum dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? Noverat quippe Vir sapiens hujus sexûs infirmitatem fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen legerat DEum permisisse, & ita videbat congruere, ut qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans ajebat, Mulierem fortem quis inveniet? Quod est dicere: si ita de manu fœminæ pendet nostra, & omnium salus, innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, fortis omnino ut provideatur necesse est, quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed Mulierem fortem quis inveniet? Ac nec hoc quæsiisse videatur desperando, subdit prophetando. Procul & de ultimis finibus precium ejus. Hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de Terra, sed de cælo, nec de cælo proximo terris precim hujus Mulieris fortis, sed à summo cælo egressio ejus.* Hæc Ber. Quia nimirum ejus opifex sapientissimus cœlum Empyreum inhabitans eam sibi in Matrem efformando, eámque variis virtutum, gemmis, ac prærogativorum eximiis monilibus decorando, ejus precium inæstimabile, dignitatem incomparabilem, Majestatem incomprehensibilem reddidit. Adeò ut Rutilius Benzon. Episc. lib. 1. in Magn. cap. 24. dixerit operi postremo in creatione mundi, quod in creatione hominis consummatum est, nequaquam adjectum esse: *Et erat bonum*; cùm inter opera naturæ adhuc majus bonum expectaretur, nempe Deiparæ, & Christi ejus Filii procreatio, & generatio. Unde rebus omnibus jam creatis addidit Moyses Gen. 1. v. 31. *Vidítque DEus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Cum antè ad rerum singulis diebus factam creationem non fuerit additum: *Valdè.* Quod ideò factum arbitratur Benzonius, quia creaturæ omnes, ac præsertim rationales in uno homine Christo essent Deificandæ, & in Maria ejus Matre exaltandæ. Quocirca rectè, inquit, Deiparæ applicari potest illud, quod habetur Joan. 7. *Opus unum feci, & omnes miramini.* Quam sane DEI opus multis imò omnibus virtutibus ornatum ac locupletatum extitit. Fuit enim Maria Fide dives, spe plena, charitate perfecta, Virgo perpetua, Humilis, Misericors, Prudens, Modesta, Benigna, Fortis, Sapiens, Pauper, Patiens, virtute denique præcellens omnes. Quæ ille omnia ac singula sacræ paginæ testimoniis confirmat. An non hæc attentè considerata facilè nobis declarant, procul & ab Empyreo precium Virginis planè inæstimabile, cùm opus sit Divinum, esse petitum? ac proinde minimè mirum esse tantis viribus, ac fortitudine planè Divina ad

ad Stygium Draconem cum ejus asseclis debellandum prædiram fuisse.

Humilitas & castitas Deiparæ victrix superbiæ & luxuriæ draconis.

11. Atque uti Cœlestis hujus Heroinæ fortitudinem robúrque magìs perspiciamus, singula hujus Divinæ prædictionis verba ad serpentem dicta attentiùs consideremus. *Ipsa conteret caput tuum.* Caput Tartarei colubri ut dixit paulò antè Bern. esse suggestionem superbiæ, atque luxuriæ censuit, quam illa, utpotè pudicissima Virgo, atque humillima contrivit, ità, ut ne hujusmodi vitiorum motus primo primi conspectui ipsius sacratissimo auderent comparare. Unde Fulbertus Episcopus: *Quid est caput conterere? nisi Principalem Diaboli suggestionem resistendo superare.*

Deipara potestatem Dæmonum contrivit per partum suum benedictum.

12. Bernardinus Bustius alterum Infernalis serpentis caput ait loco citato, esse ipsius Potestatem, quam ipsa per Filium contrivit, sicut per eundem omni Dominio, quod sibi in mundo usurpârat, spoliavit, dum ipsum in hanc lucem partu suo Virgineo edidit. Unde hic Orci tenebrio, in oraculo Delphici Apollinis delitescens, post partum Deiparæ Augusto Cæsari ipsum consulenti fateri compulsus est.

Me Puer Hebræus, Divos DEus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristémque redire sub orcum;
Aris ergo dehinc tacitus discedite nostris.

Hinc Filius hic Virginis Joan. 12. ajebat: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Astutia & sapientia terrena animalis, & diabolica per Deiparæ paupertatem, castitatem, & humilitatem contrita.

13. Caput quoque serpentis esse docet idem Bernardinus venenatam Cacodæmonis astutiam, quæ in tria alia dividitur capita, nempè sapientiam terrenam, animalem, Diabolicam, de qua S. Jacobus cap. 3. in sua Epist. At vero Virgo beatissima insipientissimam hanc Dei inimicam sapientiam antiqui hostis superavit, eique omnes aditus præclusit. Unde S. Damascenus de hóc Virgineo loquens Paradiso secundo Adæ præparato Ser. 1. de dormit. Deiparæ loquens: *Cui Paradiso,* inquit, *non patuit serpenti aditus, sicut patuit Paradiso terrestri.* S. Hieronym. denique de Assumpt. omnem serpentinam astutiam ab animato hoc Paradiso longè abfuisse luculenter attestatur: *Hortus,* inquiens, *deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicq; conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus.* Hæc est hortus conclusus, fons signatus, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec penetravit fraus inimici, sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum generibus sublimata. Nunquam inquam fraus, & astutia hæc serpentina, sive stygia hæc sapientia. Nam terrenam illam sua paupertate; animalem, carnalem, Virginitate sua illibata; Diabolicam, hoc est superbam, Diaboli videlicet superborum Regi propriam, profundissima humilitate contrivit, adeò, ut vere dicere jure possimus illud, quod Assyrii â Juditha de capitato Holoferne prædicarunt Judith. 14. *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis.* Quemadmodum enim magna foret Confusio viro cuipiam fortissimo, molis planè Giganteæ, si ab aliqua puella aut vinciretur, aut vinceretur. Sic in Tartarei Tyranni domo magna confusio ac consternatio omnium ejus asseclarum facta est, cùm Virgo tenella DEum paritura, eorum Principis contrivit caput, omnémque ejus Regni potentiam fregit, ac delumbavit. Quod in hodiernum usque diem assiduè facit pro nobis apud Filium suis orationibus, solita sua charitate stimulante, intercedendo. Quare ad solatium nostrum, ut pusillanimitatem nostram erigat, dicere potest, quod Judith

de superbissimo Holoferne Jud. 9. *Percutiam eum labiis charitatis meæ, Labia enim charitatis Mariæ*, inquit paulo ante memoratus Bernardinus. *Sunt ejus orationes, quas pro nobis ex intimo cordis amore effundit.* Quare meritò illi dicere possumus, quod Ecclesiasticus in humani generis persona: *Tolle adversarium, & affige inimicum, qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem. Contere caput Principis inimicorum nostrorum.* Eccl. 36. v. 9. 10.

Innocentia & immaculata Deiparæ puritas contrivit caput Draconis.

14. Denique S. Bonaventura, ut ostendat Deiparam cujuscunque peccati suggestionem, quam etiam serpentinum caput appellat, contrivisse, ut pura atque immaculata in se purissimo filio candori lucis æternæ, ipsique Divinæ Bonitatis immaculato speculo dignissimum domicilium præpararet ita loquitur in 3. D. B. art. 2. q. 2. *Hoc decebat Advocatam humani generis, ut nullum haberet peccatum, quod suam conscientiam remorderet. Unde audivi narrari, quod ipsa cuidam personæ revelavit, quod non reprehendebat eam cor suum in omni vita sua. Congruum erat ut B. V. M., per quam aufertur nobis opprobrium, vinceret Diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Quare de ea exponit tam Bernardus, quam Augustinus illud: Ipsa conteret caput tuum. Si ergo suggestio est caput Diaboli, nulla suggestio ingressum, vel locum habuit in mentem Virginis.* Hæc Bonav. De puritate immaculata Deiparæ, de qua apposite quidam cecinit.

Ergo DEI Matrem fœdent contagia culpæ?
Hoc caput est anguis; sic teret illa caput?

15. Alii caput serpentis ajunt esse superbiam; siquidem Siracides Eccl. 10, 15. *Initium omnis peccati superbia.* Quod enim primi peccati, quod commissum in cœlesti Paradiso fuit ab Angelis, aliud principium atque origo extitit, quàm superbia, qua Divinis imperiis subdi detrectarunt? Quod etiam initium peccati Protoplastorum fuit in terrestri Paradiso quàm eadem superbia, qua suggestione serpentis Divina jussa ausu temerario transgredi per summum nefas, ut voluntati propriæ atque cupiditati indulgerent, attentarunt? Qua mentis suæ elatione quantam, quámque ingentem malorum Iliadem in mundum invexerint, ex sequentibus Siracidis verbis colligimus. *Qui tenuerit illam* nempe superbiam, *adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.* Quod quam verum sit, miserum genus humanum, mortales omnes exules Filii Evæ gementes, & flentes experimur, & plenitudinem horum maledictorum, quam nobis Evæ superbia peperit, assiduus penè lacrymis, ac cordis angoribus contestamur.

Superbia primum draconis caput, ruina Angelis, & primo homini.

16. Hoc tamen Infernalis colubri mortiferum caput profundissima sua humilitate Virgo nostra contrivit, & velut nova viventium Mater antiquæ illi Evæ tota opposita, auream quandam cœlestium benedictionum Cornu-copiam nobis apportavit, ita ut revera prædicare de ipsa etiam possimus, quod de Filio pronunciavit Apostolus. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Cœlestibus.* Et licet à primo ipsius Virginis in hanc vitam ingressu caput illud superbissimum sæpius, dum viveret, gloriosissimè contriverit, ita ut ejus vitæ universæ decursus nil aliud fuisse visus sit, quàm Tartarei serpentis triumphus, contrivit tamen superbissimum ejus caput vel maximè, cùm ab Angelo consensus ejus in Verbi Incarnationem, qua humani generis salus erat instauranda, & Orci Tyrannis crudelissima in mortales omnes destruenda, postulatus est. In quo ubi Virgo veræ humilitatis Prototypon: *Ecce Ancilla Domini*

Superbiæ caput Deiparæ humilitas contrivit, præsertim in salutatione Angelica

mini fiat mihi secundùm verbum tuum, pronunciavit, tumidissimum illud totius orci caput contrivit, penitúsque ejus vires annihilavit, ut amplius illam vel â longè aspicere suæ superbiæ usque ad sedem Incarnati Verbi se se erigentis adeò contrariam non auderet. Cùm enim ille summum Principatum super omnes Angelorum Hierarchias obtineret, & creatori suo ingratus ei subesse, ac famulari detrectaret, audiens Virginem ad eminentissimam super omnem creaturam, etiam Angelicam Divinæ Maternitatis dignitatem evectam, adeò nihilominus abyci ut se se Ancillam universorum Domini appellaret, tam profunda nimirum humilitate fastuosissimum ejus caput confusum, contritum, ac conquassatum est. Tum quia â Virguncula Adæ Filia humilitate, omniúmque gratiarum ubertate vinceretur. Tum quia illius sui decoris lapidúmque preciosorum operimento, quo ipsius eximia perfectio designabatur, omnibúsque suis spoliis exutus, eamdem velut omnium creaturarum, Angelorúmque Reginam iisdem, aliísque longè præstantioribus convestitam, atque exornatam animadvertit.

17. Quæ, qualia extiterint, ex S. Bernardi oratione verba illa humillima Virginis serm. 4. super Missus, expendentis facilè colligimus: *Semper esse solet*, inquit ille, *gratiæ Divinæ familiaris virtus Humilitas. DEUS enim superbis resistit; Humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergò respondetur ut sedes gratiæ præparetur. Ecce inquit Ancilla Domini. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit! Mater Domini eligitur, & Ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non est magnum esse humilem in abjectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Sic S. Bernardus: in cujus verbis consideranda illa potissimùm: *Humiliter respondetur, ut sedes gratiæ præparetur.* Sedem hanc vallem quandam profundissimam esse sine dubio oportuit, in quam omnium eminentissimarum creaturarum gratiæ, maximè eæ, quæ in Angelis etiam apostatantibus reperiebantur, influxerunt.

Humilitatis Deiparæ excellentia inter ipsas Matris Dei honores.

18. Quod intellexisse visus est David, cùm cecinit Psal. 103. v. 10. *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ, Rigans montes de superioribus suis.* Dei Filius bonorum omnium principium, fons ille sapientiæ, verbum Dei in excelsis Eccl. 1.5. in monte eminentissimo, sinu videlicet erat Patris æterni, ad quem nemo accedere poterat; illo volucres cœli, sancti solummodo Angeli fruebantur. At postquam Virgo humilitate sua in corde, animóque suo profundissimam vallem, ceu locum gratiæ capacissimum præparavit, tunc Fons ille Divinus in excelsis ex sinu Patris in sinum Matris se se demisit. Et qui ante solos Angelos irrigabat, ac recreabat, modò mortales omnes, etiam illos, qui antè more belluarum, ferarúmque vivebant, explevit. De quibus idem Psalmista ver. 11. *Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua.* Atque ita Virgineæ humilitatis ubi repleta est vallis Divini verbi fonte illo exuberatissimo, bonis omnibus universa repleta, ac recreata fuit creatura, & humanum genus â durissima, atque superbissima Acherontæi Tyranni captivitate vindicatum est.

Deiparæ profunda humilitas traxit DEum in terram tanquã aquas in valles ad salutem hominum.

19. Hæc porrò Humilitas, quam verbis illis præsetulit Virgo nostra, tanta fuit, ut scabellum pedum universalis omnium Domini esse cupierit, & cum Abigaile ipsius servorum pedes abluere. Hinc Arca testamenti, quæ pulcherrimus Dei-

Humilis Deipara, arca vetus, scabellum Domini, Draconem contrivit.

paræ Typus extitit, Divinorum pedum scabellum non semel in sacris litteris vocitatur. Jerem. Thr. 2. *non est recordatus scabellum pedum suorum.* Psal. 89. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est,* & 1. Paral. 28. *Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requiesceret Arca fœderis; & scabellum pedum Domini Dei nostri.* Unde factum jure meritissimo, ut, quæ se infra pedes Domini tanta animi submissione, abjecerat, seséque humillimam vallem effecerat, omnium donorum cœlestium, gratiarúmque redundarit, & turgidissimum illud Tartarei colubri velut abjectissimi vermiculi, pedibus suis, caput protriverit.

Deipara humilitate omnẽ creaturam transcendit.

20. Profunditatem hanc Virgineæ humilitatis antiquo serpenti adeò execrabilem agnovit S. Bernardinus Sen. Tom. 1. serm. 51. art. 1. cap. 2. cum dixit: *Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ.* Nec insuper alicui puræ creaturæ in hoc sæculo est datum tantum gustare nihilum creaturæ, nec tantum se humiliare, & annihilare sub *volito* Divinæ Majestatis, cujus modestiæ proximam radicem, atque originem, quasi intento digito, nobis ostendit, cum dixit: Art. 3. c. 2. *Virgo continuè habebat actualem relationem ad Divinam Majestatem, & ad suam nihileitatem.*

Deiparæ humilitas fuit sui exinanitio, & gratitudo ergaDei dona.

21. Duplicem hanc humilitatis Venerabilis Dionysius Richelius, lib. 3. de Dignit. & præcon. Deiparæ art. 21. nobis luculenter ostendit. Postquam enim humilitatem descripsisset verum, & ordinatum esse sui contemptum, eámque in veritate fundari, & B. V. non ex eo sese humiliâsse, quòd se peccatis, culpísque fateretur obnoxiam; sed eam potiùs habuisse humilitatem, quæ hinc proficiscitur; quòd se homo ex se nihil esse, nihilque posse, & in bonis omnibus á Deo cernit dependere, & illam etiam, quæ ex Divinæ celsitudinis consideratione procedit, ubi, inquam, præmisisset, ita prosequitur: *Innotescit itáque, si ritè intelligo, quoniam quò Virgo excelsa se secundùm id, quod ex se erat, & esse Deo se deserente poterat, pleniùs agnovit, ipsámque demum Divinæ superexaltionis dignitatem præclariùs, ac profundiùs penetravit, impensáque sibi Divinitus beneficia de condigno minimè promeruisse consideravit, eo utique humilior fuit. Sciens etiam omnem Bonitatem, atque virtutem desuper fuisse sortitam, & in singulis his se à Divinæ manutenentiæ Bonitate assiduè magis dependentem contemplans, quam à fonte dependeat rivulus, vel à sole radius, magis magísque sese abjiciebat.* Accedit deníque, quòd Virgo gratissima semper suo Creatori pro sibi collatis beneficiis extiterit. Gratorum autem, & electorum animorum ait ídem Dionysius, proprium est, ut, quò à Deo plura suscipiunt, magísque exaltantur, eò se profundiùs humilient, divinísque muneribus se indigniores arbitrentur. Igitur quò gratiarum dona Mariæ impertita incomparabiliora fuerunt, eò se illa vehementiùs exinanivit. Deníque adorandâ jam prole fœcunda, ad Elisabeth properat, eámque prior salutat. Non sprevit Regis Genitrix servi Matrem invisere, ipsíque ministrare. Præterea dum eam ut Dei Matrem laudibus extolleret Elisabeth, Dei honorem sibi deferri sancta renuens in Dei mox laudem, ipsiúsque gratiæ affectuosam confessionem prorupit: *Magnificat* concinendo.

22. Ex qua Divinæ Majestatis, à qua veluti fonte tot gratiarum flumina in se dimanasse sensit, exaltatione, suíque nihili, atque imbecillitatis agnitione, abyssus quædam, si loqui fas, immensa in anima Virginis reserata est, quam immensitate qua-

Humilitas profunda Deiparæ omnibus gratiis meruit repleri.

quadam donorum Cœlestium vicissim compleri oportuit. Unde Richardus de S. Victore cap. 26. in Cantica: ut ostenderet eam non modò omnis actualis peccati caruisse maculâ, extinctúmque fuisse omninò in ejus anima omnem peccandi fomitem, verùm etiam Angelicam ademptam in terra puritatem, & Dei similitudinem in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione, omnem hanc divinorum bonorum charismatúmque copiam in Virginem velut profundissimam vallem, imò abyssum defluentium soli ipsius præclarissimæ adscripsit humilitati: *Et quia*, inquiens, *Humilitas locus est gratiæ Dei, adeò ut tantum gratiæ capax sit aliquis, quantum fuerit humilis, sicut virtute hanc perfectè & totam possedit, ita totam ea gratia implevit, totamq́ decoravit.*

Excellens super omnes sanctos Deiparæ humilitas stygium serpentem contrivit.

23. Atque ut ostendat idem hic Parisiorum olim doctissimus Theologus, Humilitate hac Virginea, Divináque sua pulchritudine nulli Sanctorum prorsus comparabili tot donis cœlestibus in animam, corpúsque Deiparæ redundante, contritum fuisse stygii serpentis caput superbissimum, hæc annectit: *Tota ergò pulchra meritò dicitur, quia pulchra facie fuit, pulchra mente, & corpore, quæ etiam ipsis Principibus tenebrarum terribilis fuit, ut ad eam accedere, eámque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & fervor devotionis, stupebant immunem à peccatis. Nemo enim tam Sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum præter ipsam. Luna enim, quæ nocte splendet, & stellæ non sunt mundæ in ejus comparatione, id est, hi qui vita sanctitate lucent ut Luna, vel stellæ in nocte hujus vitæ, obtenebrantur in ejus comparatione. Obtenebrantur enim stellæ, id est, sancti caligine humanæ culpæ. Sed B. V. tota pulchra fuit, quam totam illustravit, & perfudit sol justitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.*

Deiparæ ex triumphato stygio serpente per humilitatem Victoria, & gloria.

24. Tandem pulchritudine hac sua spirituali ex profundissima radice humilitatis, ac puritatis internæ pullulante, eam Regni Cœlestis coronam, victoriámque de colubro infernali Christi fideles ab ejus fraudibus defendendo reportâsse agnoscens ita concludit. *Quia igitur tam pulchra, & multipliciter decora, meritò de Libano vocatur, id est de candidatione. Quæ etiam coronanda dicitur de capite Amana, Sanir, & Hermon, de Principe videlicet hujus mundi principante mundi amatoribus, & per immunditiæ factorem, sive per alia peccata à Deo separatis, hunc mundi Principem, & caput iniquorum Beata Virgo superavit, calcavit, & vires ejus contrivit, dum perfectam munditiam servavit in corpore, & Humilitatem in corde: ut nullum locum rependi vel in pectore ejus, vel in mente habere potuerit. Mulier ista verè fortis fuit, cujus precium procul est, & de ultimis finibus, eum pariens qui fortem Armatum debellaret, atrium suum, id est, mundum pacatè possidentem. Quæ Beata, dum ab eorum cordibus, quos vel apertè sæviendo dejecerat, vel occultà, & varia fraude tectus deceperat; meritis, & intercessione sua liberavit, de cubilibus, seu montibus Leonum, atque Leopardorum coronari perhibetur.* Hactenus Richardus.

25. Altero quóque humilitatis actu Virgo Deipara caput Colubri Infernalis contrivit, jure Mater Domini Dei ab Elisabetha appellata, benignissimo aspectui Divinæ Bonitatis sese illi tanta liberalitate communicantis, & non suis meritis attribuit: *Quia respexit Humilitatem Ancillæ suæ.* Quæ verba Jacobus de Valent. Episc. Christopolit. in Magnificat. Considerans Virgineæ hujus Humilitatis fundamenta solidissima iis, quæ

nobis Richelius detexit, similia indicavit: *Advertendum*, inquiens, *quod, sicut superbia est initium omnis peccati, malorúmque omnium; ita humilitas est Principium, & radix omnium virtutum, bonarúmque operationum. Unde humilitas dicitur ab humo, quod est terra, quæ est elementorum infimum. Et sic dicitur virtus quædam, quâ quis cognoscit, & considerat se ipsum, naturam scilicet suam, primámque originem, & non secundùm fortunam præsentem, quam habet. Et talis habebit duplicem respectum; alterum ad DEUM, à quo habet bonam naturam per creationem, & omne bonum per gratiam. Alterum ad primos Parentes, à quibus traxit omne malum per culpam. Et sic talis cognoscet quòd ex se, suâq; naturâ corruptâ non habet nisi malum, & peccatum, & non potest habere aliquid boni, nisi à Deo; quæ cogitatio pariat homini contemptum sui, & amorem Dei tam eximii benefactoris, necesse est.* Sic ferè pius Antistes.

Deiparæ humilitas omnia sua Deo attribuentis.

26. Atque ita cogitationes hujusmodi mente Virginis assiduè agitatæ, quemadmodum illam ad abyssum sui nihili deprimebant; ita veluti vivacem flammam, sphæram suam intelligibilem, quæ DEUS est, petentem ad ipsum quàm ardentissimè diligendum erigebant, majoribúsque in dies Divinæ gratiæ muneribus cumulabant.

Deiparæ ex humilitate ardens in Deum amor.

27. Quibus sanè cùm Virgo modestissima ob solam humilitatem sese divinitùs exornatam, & ad tam sublimem Dei Matris dignitatem evectam Incarnati verbi omnipotentiâ; sicut Apostatantes Angelos ob superbiam depressos, & rudentibus Inferni cœli sedibus detractos agnosceret, grata pro tanto munere ita modulata est: *Fecit mihi magna, qui potens est: Et Sanctum Nomen ejus. Fecit potentiam in brachio suo? dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Quæ verba, ait Idem Jacobus de Valentia: primò verificari de superbis Dæmonibus quos DEus in principio dispersit, & deposuit de sede cœlesti. Cum enim Lucifer supremus omnium Hierarchiarum cœlestium spirituum Princeps esset à Deo inauguratus, & vidisset sedem quandam suprà se à Dextris Dei, in potioribus videlicet bonis totius gloriæ, super omnes Angelorum Ordines pro Humilitate Christi Divino verbo Hypostaticè socianda, & ab omnibus etiam sibi subditis Angelis cum ejus Matre sacratissima adoranda præparatam, indignatus hominem sibi, Angelísque suis præponi, superbia turgidus Regale illud Christi solium sibi usurpare attentans cum quampluribus Angelis in seditionem versus elato corde animóque dicebat: *In cœlum conscendam, supra astra cœli,* omnes videlicet Angelorum Hierarchias á Dextris DEI, *exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti,* hæreditate scilicet Christi; *ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Isai. 14. v. 13.

Deipara in Cantico suo prædicabat ruinam luciferi superbi, & humilitatem suam respectam à Deo grata agnoscebat.

28. Ob quem adeò intolerabilem mentis ejus tumorem evenit illi, quod subjecit Isaias: *Veruntamen ad Infernum detraheris in profundum laci, Detracta est ad inferos superbia tua.* Unde meritò à sanctis Angelis derisus ibidem perhibetur. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, corruisti in terram.* Verè corruit omnipotentiâ verbi, DEUS enim Pater fecit potentiam in brachio suo, in verbo suo, per quod facta sunt omnia, præcipítque Michaeli, & Angelis ejus, ut Luciferum cum ejus asseclis de cœlo in Infernum præcipitarent. Atque ita illicò factum est prælium magnum in cælo, ùt scribit Apostolus Apoc. 12. v. 7. Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, nempè Lucifero (qui ex supremo mani-

Luciferi superbi in cœlo prælium, & casus.

maximo Angelo ob intolerabilem illam suam superbiam, qua divinæ detrectavit se subdere voluntati Dei, sedémque Christi affectare ausus est) in venenatum serpentem, Draconémque conversus est. Tandem hujus atrocissimi prælii eventum ità conclusit Joannes. *Et Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, néque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum eo missi sunt.*

Superbi Luciferi Vindex Christus.

29. Et sic Patet, inquit, piissimus Antistes, qua ratione Christus jam in principio fecit potentiam in brachio suo, & dispersit de cœlo Dæmones superbos in mente cordis sui, quia tunc eos velut potentes, déque potentia sua insolescentes deposuit de sede Christi, quam temerè in suo capitè usurpare præsumpserint.

Humilis Deipara exemplo filii cum suis clientibus invidum superbi serpentis caput conterit.

30. Notat porrò idem Valentia malos Apostatantes Angelos non solùm usurpare voluisse Imperialem illam sedem Christi in potioribus Bonis Patris præparatam; sed etiam sedem Virginis, quam viderant præparatam in potioribus bonis, & â dextris Filii ejus super omnes Angelorum Hierarchias. Et hæc fuit prima causa invidiæ eorum contra Christum, & Matrem ejus. Altera fuit, quod præviderent nonnullos homines adeò per gratiam, meritáque Christi exaltandos, ut eis in gloria essent coæquandi. Cui Divinæ dispositioni superbi illi, invidíque spiritus adversantes DEI Patris omnipotentis brachio, nempè Christo dispersi sunt mente cordis sui, eorúmque locò, ut ruinæ cælestis Hierusalem repararentur, homines humiles Christi, ejúsque Matris animi demissionem sectantes in sedes ipsorum repositi sunt, sicque impletum est etiam illud, quod vaticinatus est David de Christo Dæmonum triumphatore Psal. 109. *Dominus à dextris tuis confregit in die ira sua Reges*, id est, Principes tenebrarum; aëreásque potestates, ac denique illud. *Judicabit in nationibus implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Cujus exemplum Virgo Mater secuta in hodiernum usque diem nequissimorum spirituum velut virulentorum serpentium conquassat, conteritque capita, réque ipsa ostendit, se verè Cervam esse lectissimam cum Colubris assiduè decertantem, horridáque bella gerentem, déque ipsis gloriosè triumphantem.

31. Unde fit, ut hisce malignis Orci colubris omnes non modò actiones; verum etiam ipsa ejus verba summum pariant horrorem, atque perturbationem. Unde Rutilius Benzonius Episc. Lauret. lib. 1. in Magnificat cap. 21. inter varia Dæmonum flagella, quibus ad eos effugandos ex corporibus humanis exorcistæ uti consueverunt, reponit verba Virginei Cantici sacratissima, & maximè illa, quæ paulò antè memoravimus. *Contrivit autem serpentem Virgo*, inquit ille, *non solùm Christum parturiendo, sed etiam proferendo verba Cantici Magnificat, in quo potentiam DEI recolens superborum dispersionem, depositionem potentûm de sede ambitionis, & exaltationem humilium prædicat, & profitetur.* Quo humillimæ Virginis cantico quantùm urantur atque affligantur, luculentissimis declarat exemplis. *Verum*, inquiens, *hoc ipso cantico à Spiritu S. dictato, & ab ipsa Virgine per singula verba expresso, & prolato Dæmones torqueri, & fustigari quotidiano experimento & observatione didicimus Laureti, & præsertim dum illa verba in Dæmonum adjuratione dicuntur: Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam &c.* & in illis: *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles. Quidam Dæmon voluit hunc versiculum variare, dicendo. Et exalta-*

Cantico humilis Deiparæ fugatur Dæmon superbus.

vit humilem, volens fortè Sanctis derogare. At dum illi Exorcista opponeret (erat hic Cardinalis Dietrichstain) tertiam partem stellarum Luciferum secum traxisse, & omnes superbos Angelos è cœlo pulsos fuisse, & eapropter omnes justos, exaltatos ac proinde dixisse: Et exaltavit humiles: tandem confessus est: humiles tantùm, fide, spe, & charitate præditos, illas sedes cœlestes obtenturos, quas ob superbiam ipsi perdiderant. Iterum autem dixit se Humilium esse caput, ac proinde super Angelorum choros exaltatum, quo dicto discessit. Igitur cùm in hoc Cantico malorum Angelorum expulsio è cœlo memoretur, meritò ad ejus recitationem angustia, & tristitia affecti tremunt, timent, & perhorrescunt. Hæc Benzon.

32. Quantopere porrò Dæmones non modò verba Virginis ore ipsius sacrosancto prolata; verùm etiam hominum etiam sceleratorum orationes ad ipsam pro sui â malorum geniorum insidiis defensione fusas perhorrescant, innumeris declarari posset exemplis, quibus, quia pleraque obvia sunt, prætermissis illud, quod P. Valerianus Magni Cappucinus Ord. Seraphici in Vita D. Matthæi Bassii lib. 8. Judicii Cathol. cap. 23. memorat, hìc adscribere visum est. Erat Venetiis Curiæ Ducalis advocatus, qui per fásque, nefásque ingentes sibi Divitias coacervârat, erátque verè ex illis, de quibus eorúmdem Cappucinorum Frater conversus in sua simplicitate pronunciavit. Multi sunt advocati, pauci vero electi. Habebat hic simium domesticum, qui plura domûs ipsius magna dexteritate obibat ministeria, sternebat lectum, mensam instruebat, verrebat conclavia, pulsanti ostium aperiebat, perquirebat, quemcunque Dominus desiderâsset, erátque in his omnibus functionibus mirè jucundus, semper celer, & expeditus. Inierat Advocatus hic ex occasione quadam Deo ità disponente amicitiam cum Viro Religiosissimo Matthæo Bassio Cappucino, quem etiam vice quadam invitavit ad prandium, ante mensam, uti fit, cum variis de rebus discurritur, hospes ità Patrem affatur. *Est mihi simius in domo, qui æquare videtur hominis ingenium, unica loquela eum à nobis discernit;* tum seriem ministeriorum illius enarrat. Ad quem Pater: *Vereor, amice mi! simium hunc ea specie personam occulere haud amicam tibi. Videam illum.* Et ex voce Hospitis excitus non adest, cùm ante ad primam Heri vocem se mox sistere esset solitus. Sed nec diutius perquisitus reperitur. Tandem diligenti per conclavia, factâ inquisitione, repertus est in angustiore Angulo sub lecto. Dum eum famuli inde elicere conantur, minatur ille ungue, ac dentibus ei, qui se inde extrahere tentâsset. Imperavit mox Pater. *Huc te siste Infernalis Bellua in Nomine Domini nostri JEsu Christi.* Statim ad vocem hanc officiosissimus ille se stitit simius. Cui Pater. *Præcipio tibi in virtute omnipotentis, ut prodas, quis sis.* Respondet ille. *Sum Diabolus*, subjecit Pater: *Quo consilio, quóve jure sub simii specie impendisti tam accuratum, longúmque famulitium viro huic. Rapturus*, inquit, *ejus animam ad orcum, ubi primùm dormiturus neglexisset se commendare Deiparæ; tam scelestus est ille, tam cœlestis est illa.* Auditis his nimirum Advocatus cohorruit, artubúsque omnibus contremuit. Mox ad Nomen Mariæ sæpiùs ante hac invocatæ, velut ex veterno excitatur, nováque lux menti, & cordi spei dulcissimum solatium oboritur, intelligítque esse Beatæ Virginis pientissimæ singulare beneficium, quòd jam pridem Cacodæmoni in prædam non cesserit. Atque ita in tantæ Benefactricis, Patronæque potentissimæ amorem mirificè exardescens, tam insignis

Diabolus sub specie simiæ servus Advocati cujusdam scelerati, illi nocere nequiit ob recitatam quotidie salutationem Angelicam.

insignis ejus patrocinii probè conscius, eam magno pietatis affectu obsecrabat, ut sibi porrò apud Filium propitia esse pergeret: *ô omnium, ajebat, clementissima! egone oscitanti salutatione exhibita id beneficii à te promerui, ut à te contra antiqui serpentis protegerer machinationes, atque insidias, tuáque ineffabili benignitate ab æviterna perditione liberarer? En modò tuis pedibus, pœnitens peccatorum, quàm humillimè advolvor. Miserere contrito, & omnia mea peccata detestanti, quæ miserta es tanta cum pietate peccanti.* Tum ad Patrem conversus. *O Pater! o Pater!* inquit, *abige Belluam hanc, & dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* His auditis Pater ad Cacodæmonem *Tibi nil amplius juris est in hominem istum: vivit ille sub Reginæ cælorum patrocinio. Proripe te hinc,* simulque mandat, ut læso nemine perrumpat parietem in sui abscessûs signum. Vix hæc prætulerat, cùm ecce in pariete latum foramen ad viam publicam apertum cernitur. Quod, licèt postea obturari sæpius curavit Advocatus, id tamen semper denuò aperiebatur. Qua de re cum suo spirituali fuisset conquestus Patri, Diabolo ad se rursum regressum patere, bono illum animo esse jussit, nil juris esse Dæmoni in eos, qui peccatis per pœnitentiam expiati ei nuncium remisissent, simúlque mandat foramen illud occludi lapide, cui boni Angeli insculpta esset effigies, futurum inposterum, ut malus Angelus ampliùs foramen illud perrumpere non auderet. Visitur hic lapis Venetiis in domo Advocati illius in hodiernum usque diem. Unde Vicinus huic domui Pons ab effigie boni Angeli Pons. S. Angeli dictus est.

33. Quòd si modicum illud obsequium sceleratì illius Advocati, quod Virginem salutando, séque ejus patrocinio, antequam decumberet, commendando deferebat, eum à Tartarei draconis faucibus, sempiternáque damnatione eripere potuit, quam, quæso, gratiam inituri sunt apud eandem benignissimam Virginem, quam defensionem, ac protectionem contra antiqui serpentis technas, ac fraudes obtenturi ij, qui sanctissimos ejus mores, virtutes præclarissimas, purissimámque ejus vitam imitantes, totos se se ejus servitio, obsequióque manciparunt? His certè singulari ratione Virgo in omni eorum tentatione, & cum stygiis illis tenebrionibus dimicatione velut pientissima Mater assistet, & pro eis depugnando eosdem in fugam convertet.

Deiparæ patrocinium erga sui imitatores.

34. Cujus gratiæ ut compotes evadamus, nos præsertim Religiosi, observandum omninò, quod devotissimus Virginis Thomas de Kempis Suadet sermo. 23. ad Novitios. *Maria,* inquit ille, *erit tibi, Mater fidelis, esto tu filius bonus & servus ei devotus ad omne bonum paratus.* Vis facere, quod placet B. Virgini? sis humilis, patiens, sobrius, castus, verecundus, fervidus, mansuetus, internus, mente devotus. Raro sis extra, lege, scribe, sæpius ora. Servitium Mariæ nec longum esse debet, nec onerosum. Delectabile est, & lætabundum tali Dominæ corde, & voce famulari. Nam absque notabili retributione non erit, quantumcunque modicum in ejus honorem impensum fuerit. Parva obsequia humilis Mater non aspernatur, modica oblata pia Virgo libenter acceptat: Cùm spontè & devotè offeruntur. Novit, quòd Magna dare non possumus, neque impossibilia exigit à Servulis suis misericors Domina, mansueta Regina. Nescit nobilis illa Natura indigentibus non misereri, quæ misericordiam peperit orbi universo, O quàm gratiosè recipit fideliter sibi servientes, quæ tam frequenter con-

Stimuli ad religiosos, ut venerentur, & imitentur Deiparam.

vertit monitis suis, & miraculis evidentibus miserè in sæculo viventes. Quot fuissent æternaliter condemnati, vel in desperatione permansissent obstinati, nisi benignissima Virgo Maria pro eis interpelâsset ad Filium?

35. Dignè ergo de ea dicitur, quod sit miseratrix miserorum, & auxiliatrix omnium peccatorum. Non nostra quærit, nec nostris indiget, cui cœlestia ad nutum famulantur. Amat nostrum bonum, cùm à nobis exigit servitium, cupit nostram salutem, cùm postulat sibi exhiberi laudem. Et quando Nominis sui memoriam celebrari conspicit, indè quærit occasionem benefaciendi nobis; delectatur enim servitoribus suis rependere vicem. Valdè fidelis est in promissis, & largissima in donis, plena est deliciis, & semper Angelorum fruitur concentibus: attamen hominum servitiis jucundatur, ut honor DEI, & salus multorum latiùs inde propagetur. Flectitur lacrymis miserorum, compatitur doloribus tribulatorum, succurrit periculis tentatorum, inclinatur precibus devotorum. Ut ostendat denique vir hic religiosissimus quantopere Deiparæ clientuli ejus obsequio adhærentes ipsius patrocinio, Nominísque ejusdem sacratissimi invocatione, adversùs omnes Cacodæmonum insidias, eorumdémque serpentinas fraudes, ac technas protegantur, hæc attexit: *Si quis inhæsitanter, ac humiliter ad eam confugerit, & dulce, ac gloriosum Nomen ejus invocaverit, vacua manu ab ea non recedit. Habet adhærentes plurimos, & ipsi obediunt Angelorum chori, quos mittere potest in solatium destitutorum. Dæmonibus imperat, nè aliquem molestare audeant, qui ejus ditioni se subjicit, & curæ. Expavescunt cœli Reginam Spiritus maligni, & diffugiunt audito Nomine Sancto ejus, velut ab igne. Horrent Sanctum, & terribile Nomen Mariæ, quod Christianis est summè amabile, & ubique celebre. Non possunt apparere, nec sua ludibria exercere, ubi noverint clarere Nomen S. Mariæ; tanquam Tonitru de cœlo factum; Sic prosternuntur ad S. Mariæ vocabulum, & quò sæpius illud profertur, ac desiderabilius invocatur, eò citiùs, & longiùs ipsi fugantur.* Sic ille.

Pietas & misericordia Deiparæ.

36. Ex quo piissimi hujus in Deiparam Religiosi discursu colligimus augustissimum Mariæ Nomen ad conterendum Tartarei serpentis caput, omnémque ejus potentiam evertendam validissimum esse præsidium. Audito enim hoc Nomine venerando, uti ridet cœlum, terra lætatur, & Angeli congaudent, quemadmodum scribit sapiens Idiota c. 5. in Cant. B. V. Sic Dæmones contremiscunt, & Infernus conturbatur. Vident enim Cœli Reginam Sanctorum exercitibus Angelorum stipatam mox mira celeritate ad Nomen hoc invocantes sublevandos ac defendendos festinantem, unde ad tantæ Majestatis splendorem ac præsentiam totus cohorrescat Infernus necesse est. Unde idem hic Religiosus Mariani Nominis, ejusdémque memoriæ laudes ac divinos planè fructus ita prosequitur: *Angeli Sancti, & Spiritus justorum lætantur & congaudent devotioni fidelium, eò quòd tam libenter & sedulò frequentant memoriam S. Mariæ, cujus honorabile Nomen in omnibus patet finibus Ecclesiarum, quæ ejus Nomini specialiter sunt dedicatæ.* Et congruum sanè, & dignum est præ cunctis Sanctis DEI honorari Matrem â terrigenis, quam universitas Angelorum veneratur laudibus excelsis. Mariæ itaque Nomen fidelibus omnibus venerandum, devotis semper amandum, Religiosis amplectendum, sæcularibus commendandum, peccatoribus prædicandum, tribulatis insinuandum, in periculis omnibus invocandum. Atque ut majori cum fiducia ad tam Sancti, & Dæmo-

Deiparæ Nomen tremendum Orco, jucundum Cœlo, terræ salutare.

Dæmonibus terribilis Nominis recurramus invocationem. Matris Dei apud Filium miram collaudat auctoritatem, imò omnipotentiam, quâ, quidquid pro nobis postulat, impetrare consuevit. Undè ita concludit. *Ipsa est propinquissima Deo, & clarissima DEI Filio nato suo JESU benedicto, potens fiducialiter intercedere pro fidelibus Adæ filiis, ut ignoscat eorum delictis, & succurrat in periculis. Nam cùm opportunitas se præbuerit, non tardat in auribus Filii sui verbum bonum proloqui, & misericordiam impetrare indigentibus. Exaudietur autem promptissimè in omni causa sibi commissa, pro singulari sua reverentia, quoniam benignus ejus Filius JESUS auctor salutis generis humani nil negans eam honorat. Quapropter quilibet fidelis, & devotus cupiens mundi naufragia evadere, æternæq; Salvationis portum attingere, confugiat ad Dominam nostram S. Mariam, cujus ineffabilis pietas miseris sapit dulcius, & fortiùs inhæret, ut meritò de ea abundantiùs præsumere liceat. Revera ab infantia crevit cum ea misericordia, nec eam jam reliquit in cælo, ut pauperum suorum obliviscatur. Sed uberiùs eam, ac dulcius implevit. Et licèt omnium sit altissima, atque fælicissimis circumamicta gaudiis, non est tamen humilitatis suæ oblita, per quam meruit dignissimè super omnes sublimari. Ideóque novit ad minimos servulos suos dignanter se inclinare, gaudens Advocata miserorum fieri, atque orphanorum Mater appellari.* Hæc Thomas, quæ fusiùs hic referre libuit, ut magnam spem, ac confidentiam erga pientissimam hanc misericordiæ Matrem, Reginámque in cœlis, in terra, infernóque toto potentissimam concipiamus, ad eámque tanquam ad Asylum, tanquam Urbem refugii in omnibus miseriis, calamitatibúsque nostris, ac præsertim infernalis serpentis tentationibus, insidiis, ac fraudibus securissimè maxima cum alacritate confugiamus.

37. Experiemur sanè eam Cervam pro nobis cum stygiis hisce colubris strenuè depugnantem vel solo halitu, afflatúque dilectissimum suum imitando Filium, qui, uti loquitur Apostolus spiritu oris sui interficiet impium, omnium videlicet impiorum caput virulentum enecantem, déque illis gloriosissimam victoriam reportantem. *Deiparæ Cervæ pugna & victoria adversus serpentem pro filiis suis.*

38. Néque verò solùm ipsa Virgo in nostris tentationibus, insidiísque Dæmonum serpentis caput conterit; verùm etiam ipse Christus Dominus ejus Filius, & quidem principaliter tanquam eorum legitimus Dominus. Unde ex Hebræo textu legitur. *Ipse conteret caput tuum.* Verè enim Christus, dum superbiam potentiámque Dæmonum, quam sibi in mundum, ejúsque amatores usurpârunt, debellavit, eorum capita contrivit. Unde Messiæ gloriosam hanc dominationem in medio inimicorum suorum ipsos perdomando, atque conterendo cernens, hoc illi epinicium modulatus est Psal. 73. *tu contribulasti capita Draconum in aquis, tu confregisti capita draconis.* Quæ verba, licèt literali sensu de triumphato Pharaone cum omnibus Ægyptiis â supremo Imperatore Deo in mari rubro intelligantur; mystico tamen, & â S. Spiritu Divinitus etiam intento intelliguntur de ipso Christo mundi Salvatore, déque Satanica Tyrannide hominum liberatore. Qua de re Audiendus S. Augustinus in illum Psalmi locum. *Intelligimus Draconem omnia Dæmonia sub Diabolo militantia. Quem ergo singularem Draconem, cujus caput confractum est, nisi ipsum Diabolum intelligere; confregit caput Draconis; illud est initium peccati, caput illud est, quod accepit maledictionem, ut semen Evæ observaret caput serpentis* *Christus B. V. filius conterit caput Draconis.*

tis. Admonita est, enim Ecclesia caput serpentis devitare. Tanquam caput serpentis initium omnis peccati superbia. Confractum est enim caput Draconis, confracta est superbia Diabolica. Contrivisti capita Draconum, Dæmoniorum superbias, à quibus gentes possidebantur, contrivisti super aquam, quia eos, quos possidebant, per Baptismum liberâsti.

39. Et licèt gloriosissimus hic Tartarei Draconis Triumphator à primis mundi incunabulis, cùm Luciferum ejúsque asseclas apostatantes Angelos de cœlo in abyssum Inferni deturbando, semper postea totius sanctissimæ vitæ decursu victoriam retulerit, retulit tamen vel maximè, cùm mortem in ligno crucis oppetiit. Tunc enim mortem ipsam moriendo vicit, & qui in ligno quondam vincebat, in ligno victus est, ac denique perditam â Protoplastis vitam nobis resurgendo reparavit. Dum enim Calcaneo Christi, id est, extremitati vitæ ejus, mortem illi per Judæos inferendam insidiatur, ab ipso contritus, ac gloriosissimè triumphatus est. Unde Eucherius ita huic nequam capiti nefandissimo insultat: *Tu eum supplantabis, ut moriatur, ille autem victor resurget, & caput tuum conteret, quod est mors, sicut à Davide prædictum est* Psal. 90. *super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Aspidem dixit mortem, Basiliscum peccatum, Leonem Antichristum, Draconem Diabolum.* Sic Eucherius, de qua victoria Salvator sibi probè conscius ajebat Joan. 14. *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Itáque dum vitæ Christi Draco hic nequissimus molitur insidias, eúmque perdere tentat, ipse funditùs periit, intolerabilíque illâ suâ potentiâ, atque Tyrannide exutus est. Hinc Cardinalis Cajetanus: *Contritus est Christus Dominus à Diabolo secundum personam naturalem in calcaneo, hoc est, in infima sui parte, in corpore possibili affectus passione, & morte juxta illud: hæc est hora vestra & potestas tenebrarum, verum de sepulchro effractis adamanteis Inferorum vectibus, ac portis resurgendo, sanctorum animas à tam diutina captivitate de lacu illo, in quo non erat aqua, ex horum, quodammodo Draconum faucibus eripiendo, eosdem contrivit, ac pessumdedit.* Verum Cervum illum matutinum cum serpentibus depugnantem, cùm olim David supra memoratum illum Psalmum: Pro Cerva, seu stella matutina; columnæ ad memoriam ipsius Nominis sempiternam inscripserat, se esse declaravit

Christi mors & resurrectio contrivit caput Draconis.

40. Has porrò insidias quas Christo totius humani generis capiti molitus est, easdem quóque ejus membris, ejúsque semini spirituali, electis videlicet ipsius, Matrísque Virginis Filiis in hodiernum usque diem, ac præsertim circa postremum vitæ terminum molitur, ut cum morte corporis, animæque per secundam mortem, quæ accidit peccato consentiendo, detrimentum patiantur.

Diaboli insidiæ in Christi fideles præsertim sub morte.

41. Et hoc est, quod universorum Dominus nobis ad cautelam prænunciavit serpenti; *Ipse, & Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius:* Quod non modò de Christo Domino, verùm etiam de ipsorum spiritualibus Filiis accipiunt Patres. Quare unusquisque eorum queri potest coram DEI Filio, ejúsque Matre cum Propheta Psal. 55. *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Quæ verba B. Theodoretus expendens: *Manifestavit,* inquit, *per hæc dicta dolos ipsos, & insidias, & fraudes.* Itáque si serpens totâ vitâ in dolis hominum saluti struendis invigilat, multò magis, quidquid dolorum, insidiarùmque habet, in

Idem Argumentum.

vitæ

vitæ ejus extrema periodo effundet, ut calcaneum mordeat.

Periculum insidiarum sub mortem maximum.

42. Et hoc est, quod tantopere Sanctissimus Propheta formidabat David, cùm secum ipse dispiceret, quid tandem illud esse potest, quod ei in extrema illa mortis hora terrorem incuteret Psal. 48. *Cur timebo in die mala?* sive ut legit Hebræus; *in die mali, sive malitiæ*, quando videlicet omnis mali, malitiæque author maximè insidiabitur. Sive ut legit Symmachus: *Afflictionis*. Sive ut vertit Chaldæus Paraphrastes, *in die tempestatis malæ*. Unde ita circumloquitur: quare timebo in die tempestatis malæ, nisi quando reatus peccati mei circumdabit me? vel nisi quando reatus peccati mei in fine meo circumdabit me, nempe in extremo Judicio. Heu me! quàm terribilis futura est ultima illa hora, qui dies mali, dies malitiæ, calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & turbinis, dies tempestatis malæ? quàm formidabilem diem vitæ anteactæ iniquitates tanquam circumdato ingenti vallo, ne usquam sit effugium, me obsidebunt. Sed sensus longè facilior est, si locum hunc de morte intelligamus. *Per calcaneum*, inquit, S. Hieronymus Psal. 55. *intellige finem vitæ*, quemadmodum enim calcaneus postrema est pedis pars, sic mors est hominis vitæ. Quid igitur faciendum, nè in illo discriminis plenissimo instanti antiquus veterator mille artifex insidietur calcaneo nostro, illúmque diffuso teterrimo peccati venereo arrodat?

Remedium evitandi Dæmonis insidias.

43. Amplectendum omninò sapiens illud consilium S. Ambrosii lib. de fuga sæculi cap. 7. *Non ergò ambulemus in terrenis, & sapiens nobis nocere non potest. Sumamus Evangelicum calceamentum, quo venenum serpentis excluditur, morsus ejus hebetatur, ut simus calceati pedes in Evangelium pacis Eph. 6. Et fortasse ideo Moyses jubetur solvere calceamentum pedum suorum, ut sumeret calceamentum Evangelii.* Huic consilio Ambrosii consonat illud, quod S. Gregorius Nyssenus Tract. de orat. Dominica annotavit ad illa verba Patris, cùm in gratiam prodigum recepit Filium: *Date calceamenta in pedibus ejus*. Luc. 15. *Munit*, inquit ille, *pedes calceamentis, ne nudo calcaneo capiti serpentis appropinquans in morsum incidat.*

Religiosa vota, quæ sunt calceamenta Evangelica, optimum sunt remedium contra Dæmonis insidias.

44. Calceamenta hæc Evangelii, licèt omnia Christi præcepta, omnem salutarem ejusdem doctrinam esse, dicere quis possit, crediderim tamen vel maximè intelligi Evangelica consilia, Paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quibus Religiosi ad mundum, carnem, satanámque supplantandum, ut sub pedibus conterendum se se Deo adstringunt, eíque omnia bona externa, ùt possessiones, divitias, honores, aliáque bona fortunæ, carnis voluptates, ac delicias, voluntatis deníque libertatem universam consecrant. Quod sanè etiam alii, qui Religiosi non sunt, possunt facere, dum in mundo viventes, non ea, quæ sunt mundi sectantur, se séque charitatis officiis impendunt, & divitiis affluentes ad illas tamen cor non apponunt. Siquidem ex S. Jacobi sententia cap. 1. Epist. Canon. *Religio munda, & immaculata apud DEUM, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

Securitas votorum religiosorum in morte ex patrocinio Christi, & Deiparæ.

45. His calceamentis Evangelicis quicúnque in postrema illa mortis periodo fuerit calceatus, non erit sanè, quòd calcaneum suum ab Infernali serpente arrodi posse pertimescat, siquidem ipsius Christi, ejúsque Matris calceamentis, cœlestibus nempè virtutibus, quæ in sacrosancto Evangelio resplendent, est præmunitus. De quibus profectò calceamentis dici potest, quod de benedicto in Filiis Aser ei benedicens pro-

Mmm mmm mmm nun-

nunciavit Moyses Deut. 33. v. 25. *Ferrum, & æs calceamentum ejus.* Cujus calceamenti, quanta vis olim, in Christo sine dubio, ejúsque Matre futura sit V. 27. annexuit: *Ejiciet à facie tua inimicum, dicétque contere-re.* Dum enim DEUS Pater *egredi fecit Diabolum ante pedes Christi Triumphatoris*, ùt loquitur Abacuc cap. 3. quid aliud facere visus est, quàm ejicere â facie ejus inimicum, eíque dicere: conterere pedibus videlicet Christi, ferro, æréque Divinæ virtutis calceatis. Ejusdem virtutis sive crepidas, sive cothurnos habuisse visa est Deipara. Siquidem illi apud Ezech. per Dominum dicitur. *Calceavi te hyacintho*, lapide videlicet cœlestis Coloris, Cœlum ipsum in se repræsentante. Quos sane Cothurnos lapide tam precioso confectas mirificam habuisse vim conterendi caput serpentis, cui olim prædixit Domínus: *Super pectus tuum gradieris;* & terram comedes, id est, homines terrenos cœlestia aspernantes, *cunctis diebus vitæ tuæ*, Gen. 3. v. 14.

46. Quare, ut horâ illa mortis omnium terribilium terribilissimâ securi ab insidiis Tartarei hujusce colubri calcaneo nostro insidiantibus esse possimus, ad JESUM, ejúsque piissimam Matrem Mariam, dum vivimus, recurramus, eorum virtutibus pedes affectuum nostrorum calceamus, ac præmuniamus, eísque summa charitate adhæreamus, nec unquam â castissimis eorum amplexibus separemur. *Omni hora*, inquit Thomas Kempensis serm. 23. ad Novitios, *JESUS & MARIA implorandi sunt, qui ab hostibus mentis, & corporis nos defendunt, & suis servitoribus æterna gaudia conferunt. In qualibet necessitate ad JESUM, & MARIAM recurre, omnem gravitatem tuam eis expone, confitere delicta, deplora commissa, pete veniam, arripe pœnitentiam, spem resume, emendationem promitte, & de auxilio eorum gratiæ bene confide. Libenter annuent votis supplicum, non despiciunt gemitum pauperum. Tu tantummodò cave illorum offensam, & illi optanti tibi non negabunt subsidia. Tu debitam illis exhibe reverentiam, & illi curam tui adhibebunt in extremis tuis firmissimam.*

In vita adhuc pro felici morte invocandi sunt precibus, & imitatione Christus cum Deipara.

47. Unde Pater noster Sebastianus Barradius, Vir Deiparæ cultui addictissimus lib. 4. Concord. Evang. cap. 13. cùm dixisset, Christum Dominum, ejúsque Matrem esse misericordiæ abyssos, & misericordiæ Virgineæ abyssum, alteram illam Filii abyssum invocare, ut nostri, in nostris necessitatibus, miseriísque misereatur; ejúsque unam intercessionem adversùs nos peccatorum scripta mille chirographa delere posse (quod de una Matris suæ lacryma ad multas delendas Epistolas olim Magnus pronunciavit Alexander) cum inquam hæc præmisisset, mox attexuit: *Omni quidem tempore opem, ut ferat, oranda est excellentissima Advocata, maxime verò ut animam exhalantibus succurrat. Nocti enim mors similis est. At noctes sunt caliginosæ quædam, tonitruis, ac tempestate horridæ; stellarum aliæ, Lunæq; splendore illuminantur placidæ, & serenæ, obscurissima nox est impii hominis mors; quippe quæ obscurissima scelerum caligine involvitur, & horrenda Dei damnatis sententia velut tonitru, sævâque suppliciorum tempestate personat. Justi verò mors noctis instar est placida, ac serena, quam mille bonorum operum astra illustrant, Virginísque sanctissimæ advocatio veluti Lunæ splendor maximè illuminat. Non potest nox esse obscura, quam Luna hæc illuminàrit: Ideóque Ecclesia de hac hora solicita semper orat. Ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. In Cœlo Astrologi inter Leonem, Librámque Virginis signum interponunt. Nos vero inter Leonem* de

Deipara Luna lucet nobis in caliginosa mortis nocte.

de tribu Juda, Christum in hora mortis Judicem, & Libram illam Judicii terribilem, qua omnes cogitationes nostræ, opera, verbáque examinantur, non Virginis signum, sed Virginem ipsam Judicis Matrem multis precibus advocatam interponamus. Unde S. Ephrem, in orat. ad B. Virginem. *Adsis mihi semper Virgo misericors, in præsenti quidem vita feruens auxiliatrix, ac in supremo vitæ momento animam meam conservans, & tenebrosos malorum Dæmonum aspectus ab ea procul abigens. In terribili autem die Judicii ab æterna damnatione me liberans.* Hæc Barradius.

48. Quod sanè sapientissimum ipsius si amplectamur consilium, & ea S. Ephræmi Virginem deprecandi quotidie utamur formulâ, mortis nostræ nox erit minimè obscura; sed Luna hæc Virginea, radiantibúsque beatorum Angelorum, sanctorúmque Dominam ac Reginam suam comitantibus astris illuminabitur, atque ita ejus luce, ac favore præventi, atque protecti cum S. Levita Laurentio in terribili illo mortis instanti dicere poterimus: *mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Luna enim hæc Virginea cum reliquis Cœlitum syderibus, quos illa sydereæ coronæ specie in capite gestat, tenebras peccatorum nostrorum, satanicarúmque tentationum, nec non carnis, mundíque technas, insidiásque deteget, effugabítque, lectulúmque nostrum velut castrorum acies ordinata ad nos protegendos circumdabit, itérque tutissimum ad Beatam Patriam nobis sternet. Audiendus hic Innocentius III. Ponti. Max., qui Ser. 2. de ass. B. V. de luce hac Virginea mortis nostræ, scelerúmque, ceu noctis obscuræ tenebras illuminante disserentem. *Ipsa Virgo,* inquit, *est aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata, Luna lucet in nocte, Aurora in diluculo, sol in die. Nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia; qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit eam, & non est exauditus ab ea? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis, & Sanctæ spei. Qui vero ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad satisfactionem illuminet. Quis enim devotè invocavit eam, & non est devotè exauditus ab ea. Ipsa est Mater pulchræ dilectionis & Sanctæ spei.*

Deipara in culpæ nocte jacentibus est Luna, in diluculo pœnitentiæ versantibus aurora, in die gratiæ peregrinantibus sol est.

49. Quia verò militia est vita hominis super terram (nam mundus positus est in maligno, caro concupiscit adversùs spiritum, oculus deprædatur animam, mors ingreditur per fenestras, nec est nobis colluctatio tantùm adversus carnem, & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus, adversus rectores tenebrarum harum) quicunque sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à Dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto & de Sion nos tueatur.

Deipara totius hujus vitæ militiæ perfugiũ.

50. Et sane tuebitur, mittetque cœlitus auxilium, imò ipsamet promtpa hilarísque adveniet, & velut Gallina pullos sub umbra alarum protectionis, patrocinijque sui colliget, nósque à Milvis illis, Leonibúsque Tartareis rugientibus, ac præparatis ad escam defendet; Aderit in ipsa mortis nostræ nocte tanquam mulier illa Apocalyptica, Lunâ calceata, sole justitiæ amicta, stellis 12. coronata, mentísque nostræ tenebras, stygiósque illos tenebriones, nigrantem caliginem teterrimis suis faucibus ad extinguendam in nobis lucem fidei potissimùm, imò & omnium virtutum exhalantes. Aderit tunc velut Mu-

Fortitudo Deiparæ in subveniendo afflictis

lier illa, atque Heroina fortis, quam tanto studio, atque anxietate inquirebat Salomon Prov. 31. *Mulierem fortem quis inveniet?* Aderit nobis cum dilectissimo suo Filio, quem ulnis gestans clientulos suos visitare consuevit. Atque ita duobus quasi fortaliciis sive præsidiis, ac turribus undique communiemur Dei Filio videlicet, Matréque ejus Divinissima ipsi fortitudine quàm simillima, quos jure in illo tam horribili mortis discrimine Italico Idiomate vocare possumus, Due forti, sive duo propugnacula adversùs Tartareos hostes nobis erecta.

Quis similis Deo in fortibus?

51. Quærebas olim magne serve Dei Moyses Exo. 15. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia. Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo; quem redemisti, & portasti eam in fortitudine tua, ad habitaculum Sanctum tuum.*

52. Conquiescat jam tandem ô Moyses, & Salomon solicitudo, & anxietas vestra, in acquirenda persona aliqua forti, Deóque simili in expugnando Pharaone Tartareo, Ægyptiisque ejus teterrimis, cruentísque asseclis, ac commilitonibus, in liberando denique de crudelissima ipsius, Tyrannicáque servitute humano genere. En fortissimi Dei exercituum Mater uti fortitudine, ita reliquis virtutibus simillima ipsi data in hac gloriosa redemptionis nostræ expeditione in plenitudine illa temporis optabilissima de qua Apostolus Gal. 4. *Cum venit plenitudo temporis, misit DEus Filium suum factum ex Muliere;* Muliere, inquam, forti, quam inquirebat Salomon, à qua Humanitatem, velut fortissimam Panopliam mutuatus, sicut ipse, sic & Mater ejus purissima adversus infernorum cohortes fortis, atque inexpugnabilis, imò formidabilis reddita est, ut vel solo ipsorum audita nomine, totus Orcus contremiscat. In hisce duobus fortibus, ceu Fortaliciis universæ spes nostræ, totum robur, & fortitudo nostra universæ quidem vitæ nostræ decursu, verùm multò magis in extrema ejus periodo desigendum.

Deipara est similis Deo & Christo Filio suo, quantum creatura assimilari potest.

Josephi Ægyptiaci spes in forti Deo, figura nostræ in Deipara & Christo.

53. De Joseph Messiæ figura loquens in sua benedictione Jacob Patriarcha moriens. Gen. 49. 24. *Sedit in forti arcus ejus,* hoc est robur, ac fortitudo ejus in DEO forti collocata fuit, ità, ut & ipse cum Davide spe, fiduciáque plenus modulari potuerit: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, DEus meus adjutor meus, & sperabo in eum.* Psal. 17. Idem faciamus & nos in duobus hisce fortibus, ac propugnaculis JESU, & MARIA robur, fortitudinémque nostram, dum cum morte, Tartareóque Dracone depugnamus, collocemus.

54. Dicamus ad Agonothetam nostrum, bonum JESUM, in virtute ejus Nominis velut Turri fortissima confidentes: *Esto nobis Domine Turris fortitudinis à facie inimici:* Dicamus cum S. Germano Constantinopol. Patriarch. Orat. de præsent. B. V. *Tu Domina, tu Dei Mater, tu meum refugium, vita, & defensio, arma, & gloriatio, spes, & robur meum.* Habes concurrentem cum tua voluntate potentiam, ut quæ sis Mater Altissimi. Dicamus denique cum Seraphico Virginis Psalmista ad Virginem Deiparam, cujus similiter nomen nobis est Turris fortissima, dicamus inquam Psal. 53. *Domina in Nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me. Ut non noceat mihi calliditas inimici, sub umbra alarum tuarum protege me.* Et Psal. 60. *Exaudi Domina orationem meam, super firmam petram stabilias*

Christus & Deipara turres fortissimæ contra hostes.

mentem

mentem meam. Esto mihi turris fortitudinis, me tuearis à facie crudelis Vastatoris. Ut castrorum acies sis illi terribilis, & vivus corruat in profundum Inferni. Tu enim es rutilans, & decora, nubes rorifera, & consurgens Aurora. Pulchra es, & clara, ut Luna plenissima, & tanquam Sol refulget sacer aspectus tuus. Quibus profectò verbis ostendit Deiparam non solùm contra Tartareum hostem Fortalicium, ac præsidium in hora etiam nostræ mortis, verùm etiam quasi Lunam solémque esse, noctem illam nostri ex hac vita exitûs periculosissimam irradiantem, & tentationum, errorúmque caliginem depellentem. Adeò ut & illi sicut & Filio jure concinere possimus cum Moyse: *Quis similis tui in fortibus, Domina quis similis tui?* magnifica in sanctitate; Siquidem Sanctum Sanctorum ad nos Salvandos patiens magnificâsti Nomen tuum, factáque es terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia. Dux facta es in misericordia populo, quem cum Filio de captivitate Orci redemisti, redemptúmque portas in fortitudine tua ad habitaculum Sanctum Filii tui.

55. Hanc plusquam Heroicam Virginis nostræ gloriosissimæ fortitudinem Venerabilis Dionysius Richelius contemplans lib. 3. de præcon. & dignitat. B. V. art. 11. totus quodammodo extra se positus exclamavit: *ô sacra Maria, ne dum fœminarum, & virorum quoque fortissima, per quam Inferorum sunt claustra confracta, portæ æreæ contritæ, vectes ferrei disrupti, quæ proprio inprimis animo, cunctísque ejus motibus eatenus dominata es, ut nunquam rectissimæ rationis censura fuerit rebellis; quæ aëras potestates tam inclyto dejecisti triumpho, ut jam caderent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, neque tibi amplius appropinquare auderent; quin potius spiritualium in te cernentes catenam, ordinémque virtutum territi, atque ad fugam se adhortantes dicerent: Castra Dei sunt hæc, fugiamus Israëlem. Eis namque terribilis eras, quemadmodum hostibus castrorum acies ordinata. Nec miror, ô Domina, summis quoque Angelorum robustior, si sic fortitudine pollebas, quoniam Dominum virtutum Christum Regem, qui Patris virtus est, cuncta sustentans, protulisti.* Sic ille.

Deiparæ adversus infernales spiritus fortitudo.

56. Fortitudinem hanc planè Divinam Christi, ejúsque Matris adversùs hostes Tartareos adumbravit magnanimus ille Barac, qui fulgur interpretatur, & Debbora Prophetis Israëlis generosissima, quæ Apis dicta. Quæ figura, ut clariùs elucescat, nobísque verò hujus veritatem expressiùs repræsentet, altiùs repetenda est. Cùm Israëliticus populus maximo in discrimine ob circumjacentes hostes versaretur, in summa rerum desperatione Barac, & Debbora cum duabus tribubus Nephtali, & Zabulon obtulerunt animas suas morti in regione Nerome, ut cecinit ipsa, Judic. 5. Quia illæ tribus, ut habet Glossa interl. cæteris tribubus deficientibus, obtulerunt se ad pugnandum pro DEI populo exarmati quodammodo adversùs Cananæos, hostes validissimos, & Sisaram eorum ducem bellandi peritissimum, qui inter reliqua habuisse dicuntur nongentos falcatos currus, cum militum innumerabili penè multitudine. Quòd porrò duæ illæ tribus quasi inermes pugnârint adversùs Cananæos; Debbora ipsa Testis oculata fatetur in suo cantico Jud. 5. *Cessaverunt fortes in Israël, & quieverunt, donec surgeret Debbora; nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit. Clypeus, & hasta si apparuerint in 40. millibus Israël.* Ubi observanda notatio Glossæ. Interlin. *Inermes fecit fortes & triumphales.* Nova bella, quia nec clypeus, nec hasta inveniri

Barac, & Debbora Sisaræ victores fortitudinis Christi, & Deiparæ adversus orcum figura.

poterat in Israël, quia Jabin Rex Chanaan abstulerat eis arma. Observandum porrò, quod notavit Lyranus illud: *Si;* in Hebraico idem significare, quod, *Non.* Itaque Barac, & Debbora cum suo pertenui exercitu, absque Clypeo, & hasta de chananeis duce Sisarâ, virtute planè cœlica, ac Divina pugnârunt, victoriámque gloriosissimam retulerunt. Atque hæc sunt nova bella, de quibus cecinit Debbora, quæ elegit Dominus. Verè nova bella, eò quòd, ut loquitur Rupertus, de inermibus fortes & victoriosos fecerit. Nam, ubi præsidia desiderantur, de cœlo divinum omninò præsidium expectandum est, uti in hoc bello factum fuisse Debbora modulata est, cum dixit: *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Qua vero ratione id factum fuerit, declaravit idem Ruperus: *In quadraginta millibus Israël Clypeus, & hasta inveniri non poterat, idcircò Dominus de cœlo lapidibus, grandinis, & igni dimicavit pro eis contra hostes suos. Stellæ Angeli intelliguntur, qui de cœlo contra Sisaram pugnaverunt.* Similia planè miracula in omnibus adversitatibus ac periculis expectanda nobis in hodiernum usque diem, dummodo in JESUM, ejúsque Matrem fortitudinem nostram, & fortalitia nostra spem fiduciámque collocemus. Illorum auspiciis, mihi credite, longè faustioribus, quàm Barachi, & Debboræ, si contra Tartareos hostes signa conferamus, certam victoriam, triumphúmque reportabimus. *Ad victoriam,* inquit S. Ambrosius, *hortatur Mulier,* de Debbora loquens, *in manu mulieris est summa victoria, Barac produxit exercitum, Jahel cepit triumphum.* Sic ille.

57. Hæc nimirum sunt bella nova, & inexpectata admiranda, & prodigiosa, verè hæc bella nova jure merito appellanda sunt, in quibus mulieres sexûs fragilis, ac imbellis, & ad instar Cervæ meticulosus, ac inermis cum tot millibus armatorum decertat, ac triumphat. Celebres fuêre quondam, atque bellicosæ Amazones, ac præsertim earum Regina Penthesilea, quæ assidua validissimorum armorum tractatione atque exercitatione hostibus fuêre formidabiles. Verùm earum bella cum imbellium mulierum veteris testamenti nullo modo conferenda sunt; hæ enim non armorum fretæ vi, aut robore; sed divino potiùs suffultæ præsidio, aut nullis, aut propriis hostium, aut admodum debilibus armis usæ, exercitus innumerabiles alienigenarum fuderunt, triumphârunt. Et hanc ob causam hujusmodi mulierum cum immanissimorum hostium in tot centenis falcatis curribus gloriantium dimicationes, nova bella ab ipsa gloriosissima Heroina Debbora ita canente vocitantur: *Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit.* Inter quæ mulierum pugnantium nova bella, prima omnium ipsa Debbora cum Baraco reponenda est, quæ inusitato pugnandi modo, suis auspiciis, suóque aspectu, ubi hinc inde bellatorum phalanges classicum insonuerunt, cœlo, cœlitibúsque ipsis Angelis pro eis pugnantibus Chananæorum legiones absque clypeo, ense, & hasta profligârunt.

Antiqui testamenti mulierum contra Israëlis hostes fortitudo, & victoriæ.

58. Altera Mulier, quæ novo bellandi modo de hoste triumphando Deiparam Virginem repræsentavit, fuit Jahel, quæ prudentia, sagacitate, dissimulandíque modo admirabili fugientem ex prælio Ducem Chananæorum Sisaram recepit hospitio, soporatúmque lacte interfecit, clavo in barbari caput adacto. Unde mira gestiens lætitiâ Prophetis debbora in suo Cantico in ejus laudem ità modulata est. *Benedicta inter Mulieres Jahel, uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo. A-*

Jahel Sisaram fugientem occidens secunda figura Deiparæ.

quam

quam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum. Sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans. Inter pedes ejus ruit, defecit, & mortuus est. Volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis, & miserabilis. Tandem totum Epinicium ad universorum Dominum Apostrophe facta ità sapientissimè conclusit: *Sic pereant omnes inimici tui Domine, qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.*

Tertia figura Deiparæ mulier Abimelechi caput fragmine molæ infringens.

59. Tertia Mulier, quæ nova bella gessit in figura Dei Matris, fuit illa, quæ fragmen molæ Abimelechi ad arcem Theber oppugnandam adventantis capiti illisit, & confregit cerebrum ejus. Jud. 9.

Quarta figura Deiparæ Juditha contra Holofernem.

60. Quarta deníque Mulier novo pugnandi modo hostes Israëlis expugnans fuit Judith vidua, quæ specie, & pulchritudine suâ, mira quoque loquendi, agendíque suavitate superbissimum illum Assyriorum Ducem Holofernem, caput ejus proprio ipsius acinace demetendo superavit, immanémque illum ipsius exercitum fugavit, atque delevit.

Applicantur hæ figuræ ad Deiparam.

61. Quæ sanè omnes Heroicæ, ac Gigantei planè animi Mulieres contra formidandos exercituum validissimorum Duces, ac capita bellando, eorumdémque caput sive gladio obtruncando, sive clavo, lapidéque conterendo vivæ, expressæque figuræ extitêre fortissimæ illius Mulieris in Mulieribus omnibus benedictæ, quæ unacum Filio, ipsius nempe adiuta virtute Acherontei illius serpentis caput virulentum contrivit, totúmque humanum genus ab ipsius Tyrannide tam immani, támque diuturna liberavit. Inter pedes ejus verè ruit, defecítque, & ad instar Sisaræ confracto capite omnis illa ipsius violenta vis, robúrque extinctum est. Inter has tamen Mulieres præcipua vel maximè Debbora veneranda est, quæ auxilio Barac exeadem cum illa tribu Nephtali oriunda, formidandum illum exercitum Cananæorum Regis Jabin, sola cœlitus ope divinâ adiuta, absque hasta, & clypeo ad internecionem delevit, ínque libertatem pristinam Dei populum restituit. Pro quo tam singulari Dei beneficio carmen laudis, & gratiarum actionis mirificâ perfusa lætitia, & gaudio cecinit in hunc modum intonando.

Deipara vera Debbora in fortitudine & cantico.

62. *Audite Reges, auribus percipite principes, Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israël.* Judic. 5. 3. idem hoc præstitisse vidimus Deiparam, quæ certè tunc vel maximè Tartareos hostes debellavit associata suo dilectissimo Filio, velut Debbora Baraco, cum Divinissimo obumbrante Spiritu Natum concepit altissimi, totiúsque generis humani saluti prospexit. Unde S. Bernardinus Senen. Tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 2. *Virgo per hunc consensum in Incarnationem Filii,* inquit, *omnium electorum salutem viscerosissimè expetiit, & procuravit, & omnium salutatione per hunc consensum se singularissimè dedicavit, ita ut ex tunc omnes in suis visceribus bajularet, tanquam verissima Mater Filios suos.* Quo sanè etiam Materno affectu Debboram eamdem mirificè expressit, quæ Maternæ hujusce suæ in Israelitas pietatis probè conscia inter reliqua in suo cantico itá cecinit. *Cessaverunt fortes in Israel, & quieverunt, donec surgeret Debbora, surgeret Mater in Israel.* Deníque concepto Dei Filio hostiúmque Infernalium portis subversis, virtute operante omnipotentis Verbi, quod utero gestabat, canticum illud suum canticorum omnium dulcissimum Dominum universorum tam eximiæ victoriæ primarium auctorem magnificando tota plena spirituali jubilo modulata est. Quod reverà

canticum, quia pulcherrimas Divinæ Omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, ac Misericordiæ laudes complexa est, potiori jure, quàm Debboræ & Barac carmen, Eloquia pulchritudinis appellandum est. Sic enim Jacob Patriarcha jam moriens Gen. 49. De Nephtali, ex cujus tribu Barac, & Debbora extitêre: vaticinatus est, *Nephtali cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* Quibus profectò verbis S. Patriarcha insinuare voluit Baracum, Debborámque, & in earum typo Christum, ejúsque Matrem ad instar cervi, & cervæ in mundum hunc emissos adversùs Tartareos serpentes depugnâsse, & ambos simul, Filio inprimis suggerente dedisse Deo eloquia pulchritudinis, pulcherrimas videlicet DEI laudes, & gratiarum actiones Divinæ exhibuisse Majestati.

Deipara vera Debbora ex Nephtali, quod est cervus emissus pugnans contra Stygios serpentes.

63. Quemadmodum igitur Debbora de tribu Nephtali oriunda emisso cervo de serpentibus triumphanti & eloquia pulchritudinis depromenti â sancto illo Patriarcha, sic & B. V. eidem cervo longè potiori jure comparatur. Quemadmodum enim ad conspectum Barac, & Debboræ, *perterruit Dominus Sisaram*, ùt sacer loquitur textus Jud. 4. *& omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii in tantum, ut Sisara de curru desiliens pedibus fugeret, & Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum, & omnis hostium multitudo, usque ad internecionem caderet.* Sic sanè Virgo potentissima cum Filio fulgure planè formidabili, quod ipsa velut nubes utero conclusum gestabat, solo suo aspectu hostium stygiorum exterret phalanges, Orci serpentes ad internecionem deleti; adeò ut jure merito B. Petrus Dam. serm. 2. de Nativitate eam vocaverit: *Singularem malignorum spirituum terrorem, specialem Civium beatorum amorem.* Unde Rupertus elogium illud Sponsi explicans: *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 6. v. 3. *Sicut amicis*, inquit, *decora, & amabilis, ita hostibus pavenda est atque terribilis.* Hæc etiam in parte se veram Debboram esse indicans, quæ Apis interpretatur, quemadmodum enim hæc dulce mel, acerbúmque aculeum continet; ita Virgo nostra suis dilectissimis Filiis ipsa dulcedo mellea, Tartareis verò hostibus, aliísque suis inimicis amarissimus est aculeus:

64. Vocetur ergo Deipara sicut Debbora Nephtalitis cervus emissus ob victoriam tam gloriosam, tam in primo suæ immaculatæ Conceptionis momento, caput Infernalis serpentis conterendo, quàm totius vitæ suæ decursu, ac in primis in extremo mortis nostræ articulo de Acheronteis colubris reportando.

Idem argumentum concluditur.

65. Quem Virginis favorem planè singularissimum, in quo summa nostræ salutis consistit, ut consequi valeamus, consilium illud Salomonis amplectamur, & Deiparam tanquam Sponsam castissimam, & amantissimam Matrem diligamus, ejùsque pietatis lacte velut parvuli nutriamur, sic igitur ille Prov. 5. v. 19. *Lætare cum muliere Adolescentiæ tuæ, cerva charissima, & gratissimus Hinnulus. Ubera ejus inebrient te omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter.* Quæ verba attentiùs ponderans Guilelmus apud Delrium, pro suavi illo, quo in Virginem Matrem semper ferebatur affectu, ita loquitur: *Habet pia Mater & spiritualia ubera, quibus nimirum datum est illi adoptivos Fratres Filii sui spiritualiter nutrire. Et de his quidem uberibus ejus potest intelligi, quod in proverbiis dicitur de cerva. Cerva enim charissima est, quæ habet gratissimum Hinnulum. Maria scilicet, quæ peperit JESUM. Cerva ista magnorum planè, nobiliúmque*

Deiparæ cervæ ubera lacte, & vino fluentia cum hinnulo filio suo amanda.

quæ cervorum filia est, quorum unus: Quemadmodum, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEus* Psal. 41. *Magnus ibidem nobilisque cervus fuit Abraham, a quo exortus est, magnorúmque successiones cervorum deduxit Mathæus usque ad cervam charissimam, de qua natus est Hinnulus gratissimus, id est, usque ad Mariam, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus. Ubera, inquam ejus inebrient te, omni tempore & in amore ejus delectare jugiter. Bis dicitur, ejus unum refert ad cervam charissimam, alterum verò ad gratissimum Hinnulum. Sic ubera ejus, cerva charissimæ inebrient te omni tempore, & in amore ejus, gratissimi Hinnuli delectare jugiter. Nempe parum est amore gratissimum Hinnulum, nisi in amore ejus delecteris; cum sit & amor crucians magis, quàm delectans. Et parum est delectare in amore gratissimi Hinnuli, nisi & jugiter delecteris; quia nimirum delitiæ charitatis, cùm interpolantur, etiam minorantur. Ut autem uberibus Cervæ charissimæ jugiter inebrieris, in amore ejus Hinnuli necesse est jugiter delecteris. Nutriebant illa corporalia Cervæ charissimæ Ubera gratissimum Hinnulum, sed non inebriabant, quia non vinum, sed lac dabant. Porrò spiritualia ejusdem piæ Matris ubera, quibus non ipse Hinnulus, sed fratres ejus nutriebantur vino, vim inebriandi habent. De his ergo dictum est piæ Matri: Erunt ubera tua sicut botri vineæ. Planè illa quotidie materna solicitudine, parturiens infirmiora membra Hinnuli sui, donec plenius Christus informetur, neminem à sua pietatis sinu repellit; sed potius invitat, & attrahit universos. Omnes, ait, pusillanimes venite ad ubera mea, & sugite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac; Et non tantùm refocillemini, sed etiam usque ad sobriam jucunditatem inebriemini. Et primùm quidem de uberibus ejus sugite lac consolationis, deinde ubera ejus assimilentur botris, ut bibatur ex eis etiam vinum inebrians Sanctæ exultationis.*

66. *Multi siquidem de peccatis gravioribus emergentes, & adhuc pro recentibus plagis ægram habentes conscientiam ad ubera piæ Matris opem ejus flagitando confugiunt; ac primò quidem, ne abundantiori tristitiâ absorbeantur, pia interventione consolationis munus suscipientes, de uberibus pietatis ejus quasi lac sugunt, & nondum ubera ejus assimilantur botris. Postea verò sanctâ paulatim conscientiâ per fructus dignos pœnitentiæ meritis, & intercessione ejus de certitudine veniæ exhilarantur, & tunc de uberibus piæ Matris úsque ad oblivionem veterum delictorum Sanctæ exultationis vino inebriantur, sicq; facta sunt ubera ejus botri vineæ. Item plurimi pressuris tribulationum laborantes ad ubera piæ Matris properant, id est, opem Genitricis Dei, & Domini nostri implorant. Et primò quidem per interventum ejus refocillantur, nè malis frangantur, postea verò ab ipsis tribulationibus, illâ eripiente, feliciter emergentes sanctâ jucunditate inebriantur. Primò itáque de uberibus ejus lac sugunt necessariæ consolationis, deinde & vinum sanctæ congratulationis; & sic ubera ejus assimilantur botris.* Sic ille de Virginea hac cerva ejúsque castissimis uberibus, quibus & Filium suum, veluti dilectissimum Hinnulum, & reliquos Filios hominum tanquam suos spirituales Filios nutrire, consolari, exhilarare, ac demum sanctè inebriare Divino amore impetratâ illâ omnium peccatorum veniâ consuevit.

Deiparæ cervæ ubera lacte & vino fluentia in peccatores & afflictos.

67. Quod porrò Virgo Deipara Cerva nostra charissima cum stygiis serpentibus, maximè in hora mor-

Validas Dæmonum in morte infestationes redivivus explicat.

tis pro nobis, ne nos in fraudem, errorémque aliquem potissimum nostræ fidei inducant, seducántque, strenuè pro nobis decertet, innumeris confirmari posset exemplis. Eorum validas impugnationes, ac machinas dolos technásque moribundis admotas egregie descripsit S. Cyrillus Patriarcha Epistola ad S. Augustinum citatus à Pelbarto lib. 10. Stellari Par. 1. art. 2. ubi ita loquitur: *Cum tres mortui fuissent juxta tumulum S. Hieronymi resuscitati, quamdiu vixerunt, postea sine intermissione flebant. Unum eorum aliis præsentibus Cyrillus interrogavit, cur tam dirè lacrymas incessanter emitteret? Cui ille respondit: Si quæ sum expertus, Cyrille non ignorares, tibi semper inesset causa fletûs. Cùm ille causam obrogaret, subintulit: Anima mea adeò graviter, & acerbè à corpore resoluta est, ut hoc mens non capiat humana, nec ego, nisi certa experientiâ didicissem, credere valuissem. Quia omnis dolor, atque angustia, quem sibi imaginari posset homo, nihil æstimatur respectu illius angustiæ. Tanta enim adveniente mortis horâ nefandorum spirituum adfuit multitudo, ut omninò dinumerari non possent, quorum species talis erat, ut nihil horribilius, nil perniciosius cogitari possit. Potiùs enim quilibet hominum flammis ardentibus comburendum se exponeret, quàm informium illarum formarum visionem, vel ad unicum ictum oculi toleraret. Hi igitur ad me veniendo omnia, quæcunque contra DEUM perpetravi, ad memoriam revocabant, suadendo, ut de Dei misericordia desperarem. Heu! cur non advertunt mortales, quibus hoc eveniet, quod tunc mihi, ut non peccarent. Si ergo causam mei fletûs interrogas, timor pœnarum est, quæ peccatoribus justè infliguntur. Quare non miseris si plango; cùm potius, si non plangerem, vehementer admirari deberes.* Hæc & alia idem prosecutus est.

68. Quibus, ut nos ad fiduciam ad B. V. in morte habendam excitet idem Religiosissimus Pelbartus, hæc attexit. Contra hanc triplicem anxietatem in morte hominum DEUS contulit B. Virgini in ejus morte triplicem similiter, eámque maximam gratiam, qua eam speciali privilegio honorificavit. Prima fuit, quòd ipsam mori sine dolore cum suavissima dulcoratione voluerit. Secunda, quòd eamdem sine mœrore cum lætissima consolatione, ac demum, quòd sine ullo timore cum certissima salutis assecuratione de hujus corporis ergastulo fœlicissimè eduxerit. Quas gratias Virgo nostra pro innata sibi benignitate, pro cujúsque meritis suis fidis servis, ac clientulis in hodiernum usque diem communicat. Quare meritò idem in Deiparam pientissimus Pelbartus ibidem docet, ut si, qui gratiam benè, & cum securitate conscientiæ, spiritualíque solatio moriendi obtinere desiderant, ad Virginem ejúsque patrocinium, tanquam ad Asylum præ omnibus reliquis sanctis recurrant, desideriorum suorum facilè compotes evasuros. Propterea legantur alii promeruisse in morte cœlestem consolationem, inquit ille, per alicujus, vel aliquorum sanctorum, aut sanctarum patrocinationem, quibus in hac vita devota servitia exhibuerunt. Quod certè super omnes sanctos potissimum B. V. Maria potest, & solet erga sibi devotos facere. Unde ipsa specialissimè ab Ecclesia invocatur, ut in hora mortis subvenire dignetur. *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Tandem hac coronide verè aurea, & imis mortalium omnium cordibus infigenda concludit. Ergo utilissimum est B. V. Mariam in Patronam eligere, cuilibet homini, eíque devotiùs famulari, atque

Deipara nullas in sua morte angustias experta est; ejus auxilii in morte efficacia super omnes sanctos.

quæ in hora mortis se ipsum eidem humiliter commendare. Hæc ille.

69. Vidit hæc terriculamenta Dæmonum, quibus moribundos infestare consueverunt, B. Theodardus Ordinis Cisterciensis operis domestici Adjutor in Deiparam pientissimus, qui, cùm in Vigilia assumptæ in Coelos Virginis in triclinio cum reliquis Fratribus mensæ accumberet, Ingemiscens ubertim flere cæpit; post paululum verò modestè ridere. Hujus rei causam posteà quæsitus respondit, vidisse morientem quendam Monachum in Monasterio quodam, supra cujus tectum plures comparuère Dæmones, quàm erant tegulæ dormitorii, & hoc fuisse, quod sibi lacrymas elicuit. Posteà verò cum dato signo fratres ad commendationem animæ accessissent, maligni illi spiritus turmatim sese comprimentes fugam arripuerunt; & hoc illi risum & gaudium excitâsse. Addidit insuper, cùm ad illa verba ventum esset. *Subvenite sancti, occurrite Angeli Domini suscipientes animam ejus &c.* Vidisse se 11. millia Virginum Sodalicii S. Ursulæ Fratri illi, quibus devotus in vita extitit, occurrentium, quarum precibus sorti electorum adnumeratus est. Fuerit etiam ibi sine dubio Virginum, sanctorúmque omnium Regina singularis Ordinis Cisterciensis Protectrix, & in hujusmodi periculis auxiliatrix, velut de coelo emissa cervâ cum Tartareis illis colubris fortiter dimicans, eamque sanctam animulam de faucibus eorum ereptam secum ad coelos in triumphum deducens. Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterc. 14. Januarii.

Cisterciensis quidam à Dæmonum insidiis securus moritur sub patrocinio Deiparæ, & sanctarum virginum ex Societate Ursulæ.

70. Quo in discrimine Heroina hæc fortissima, atque divinissima id contra Infernales hostes præstare videtur, quod scribit Æneas Sylvius in Asia cap. 74. fecisse Virginem quandam ex Insula Lesbo, cujus, cùm oppidum Turcarum exercitus validè oppugnaret, murique partem machina bellica dejecisset, factáque clypeorum testudine irrumpere in oppidum properaret, nec oppidanis animus esset ad ferendum impetum, aliis deditionem, aliis fugam meditantibus; mox Virgo adfuit virilibus armis inducta, quæ salutem patriæ peperit. Adhortata enim cives ne hostem metuerent, primam se Turcis objecit, & nonnullos obtruncavit, cujus ingentes ausus, virilémque magnanimitatem admirati oppidani, & ipsi animum resumentes tantam hostium stragem ediderunt, quantam vix credere quispiam posset, ùt scribit Spondanus ad Annum 1457. n. 15.

Virginis in Lesbo oppidum contra Turcas defendentis fortitudo.

71. In eodem hoc mortis discrimine, extremáque nostra quasi desperatione eadem hæc Virgo gloriosissima præstare videtur id, quod Joanna illa Tullensis, aliàs Aurelianensis, à Thoma Bozio lib. 8. de Signis Eccles. cap. 7. Gallis præstitisse memoratur. Hi enim post obitum Caroli Sexti Francorum Regis Anno 1422., cùm omnia sui Regni munitiora loca, ac præsidia ab Anglis essent occupata, & Carolus VII. bis acie fusus esset, résque Gallorum in summam essent desperationem adductæ, déque ipsis omninò actum esse videretur. Ecce Joanna Puella Annorum 18. ad Carolum venit asserens: se à Deo missam, ut Aureliam obsidione liberet, útque eum Rhemis ad unctionem sacram perduceret. Ivit illa ad liberandam Aureliam Regis jussu cum exigua militum manu, eámque liberavit, commeatúmque importavit. Processerat hæc admirabili cum magnanimitate armis fulgentissimis contecta equo insidens, signum militare candidi coloris, in quo Christi Imago lilium manu gestantis conspiciebatur, gestabat, & spectantibus hostium copiis urbem cum commeatu intrepidè est ingressa, Angelósque, ut ab obsidione recederent, prius monitos, nec obsequentes 6. Kalen. Jan.

Joanna Aurelianensis in Gallia adversus Anglos fortitudo, & victoria.

 1429.

1429. adorta profligavit. In ipso ardore pugnæ ictu sagittæ vulnerata inter humeros, ac collum, neque pedem retulit, neque obligari vulnus est passa, quin acerrimè prælians hastâ, gladióque multos hostium prostravit. Multas deinde urbes bello eadem felicitate, ac fortitudine recepit, Anglósque pluribus præliis fudit, Regémque Rhemos ad Sacram inaugurationem suscipiendam per medios hostes viriliter perduxit; & Gallorum res omninò accisas, oppressas, ac perditas sublevavit, erexit, & in pristinum robur, statúmque virtute planè divina restituit. Quod indè colligere planè licuit, cùm enim postea in manus hostium devenisset, eámque odio inflammati, tanquam magicis artibus instructa res tantas perpetrasset, per summum nefas, igne concremandam tradidissent, Romanus Pontifex Callixtus III. non absque Numinis divinioris afflatu causæ illius cognitores constituit Archiepiscopum Rhemensem, & Parisiensem, qui innumeros testes omni exceptione majores super ejus innocentia, modestia, castitate, & religionis puritate examinârunt, eámque innocentissimam compererunt, ac pronunciarunt. Hujus causæ acta servantur adhuc in scrinio Parisiensis Ecclesiæ, ùt testatur Papirius Massonus.

72. Denique Francorum Reges tanti beneficii sibi â Deo ter optimo Maximo per hanc tam generosam Virginem collati memores ei statuam æream ad memoriam ejus Nominis sempiternam Aureliani erexerunt. Quòd si unius Terræ Filiæ auspiciis tanta de hostibus victoria, támque illustris reportata est; ecquid tandem fiet ipsius DEI Matris mulieris fortissimæ, quæ celestem illum, immensúmque virum, Gigantémque circumdedit? Illius certè vel solo audito Nomine cohorrescant, & ad instar fumi evanescant, necesse est.

73. Memorabile planè est hac in parte, quod Antonius Franciscus Cardine noster in Relatione Japonica ad Innocent. X. Pont. Max. Posteritati de novellis illis Christianis cum Orci serpentibus, auspiciis Christi, ejúsque Matris dimicantibus commendavit: Refert igitur ille post mortem cujusdam gentilis cum Christiano quodam habitantis sequenti nocte tumultus horrendis mixti vocibus ad prælium invitantibus fuisse auditos. Ad quos Christianus mox se se ex lecto proripit, & ad oratorium suum currit, accendit candelas, genua flectit, Deóque se se, ejúsque Matri commendat. Interim retrò se convertens videt cubiculum sorditis, teterrimísque refertum animalibus, & sine dubio horrificis serpentibus, aliísque monstris, quæ in voces has eruperunt: Non venimus huc ad te devorandum, frustrà hos facies apparatus, gratis tanta machinaris. Quibus auditis ubi Christianus vidit eos nil agere, sed loqui tantùm, resumpto Spiritu animóque respondit, se non habere arma, â quibus illi sibi timere possint, neque se aliter defendere posse, quam dulcissimis JESU, & MARIÆ Nominibus. Quare si potestas vobis â DEO data est, inquiebat, me præsentem jam devorate. Subitò, atque hæc Christianus pronunciavit, dehiscens terra Tartareas illas belluas igne circumdatas absorbuit. His visis Christianus Divinæ benignitati, & Divinæ Matri suæ adjutrici ob relatam de informibus illis larvis victoriam gratias persolvit, simúlque postea Patri nostro retulit, se jam perindè metuere Cacodæmonem, ac leve folium, paleámve.

Japon Christianus Stygios serpentes sacris JEsu, & Mariæ nominibus fugat.

74. Parem gratiam, animique fortitudinem in extrema illa vitæ periodo impertitur Virgo clementissima suis clientulis, cùm eos mortis, Dæmonúmque spectris, larvísque horrificis terreri, ac perturbari animadvertit. Quod experiri meruit Adolphus

Adolphi Comitis Holsatiæ sub Deiparæ patrocinio mors secura, ejus humilitas mundi, & sui despicientia.

phus Ord. Seraphici virtute humilitatis, suique despicientiâ celebris, qui comitatu Holsatiæ, mundíque pompis posthabitis, ac proculcatis, postquam fæliciter, ac prosperè res suas in tanto gubernando Principatu pluribus annis ad maturam jam ætatem gessisset, maximisque honoribus à Friderico II. Imperatore esset ornatus, tandem Religiosus effectus, omnibus præclarissimarum virtutum exemplar extitit. Inter alias narratur illud illustre admodùm, quòd, cùm Monasterium sui ordinis in oppido Kiel erexisset, ibíque operariis aliquando per æstum laborantibus potus ac refectio defecisset, amore proximi accensus, lac ostiatim emendicârit. Dum procul illud ad operas defert, ecce tibi in duos suos Filios Joannem, & Gerardum, quibus Holsatiam diviserat, obvios sublimes in phaleratis equis insigni stipatos famulitio habet. Quibus visis cùm humanum quidpiam in se sentiret, ruboréque suffunderetur, mox ille hydriam lactis suo imponit capiti, eámque supra se totam effundit, ac semetipsum generosè increpando, in verba illa tanto servo DEI digna erupit: *Infelix erubuisti Christi paupertatem bajulando lac in manibus? nunc vel in capite ostende, quid portaveris.* Ob quem tam Heroicum humilitatis actum, aliósque quam plurimos crediderim illum adeò gloriosissimæ Cœlorum Reginæ, Ancillæ Domini humillimæ complacuisse, ut ipsum posteà inter mortis angustias, Dæmonúmque terriculamenta trepidantem innumerabilium Angelorum stipata comitatu pro ingenita sibi suavitate invisere, atque ità affari non fuerit dedignata: *Quid habes Fili? quid times? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam Filius meus, cui fideliter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ.* Quibus ille Virginis verbis, aspectúque adeò recreatus est, ut omnis mortis horror in ingentem lætitiam fuerit conversus, ùt scribit Bzovius Anno Christi 1239. n. 14.

75. Nec contenta Virgo Deipara à dilectis sibi servis, ac clientulis in extremo agone constitutis terrorem mortis, aliáque Cacodæmonum terriculamenta propulsare, eosdem mirâ quoque perfundit lætitiâ, déque illo suo, quo moriens cœlitùs cumulata fuit, gaudio cum eisdem liberalissimè communicat. Nimirùm de illa moriente vaticinatus est Parens ejus Salomon. *Et ridebit in die novissimo.* Quæ verba expendens attentiùs Pater noster Salazar Comment. in cap. 31. Prov. n. 157. ita loquitur: *Non Sardonico risu, & ficto, sed verè atq; serio risit, & triumphavit Virgo Sacra, mortem expectans.* Ità enim decebat, ut, quæ servos suos morientes risu, & gaudio perfundere solet, ipsa tunc rideret, vel potiùs irrideret mortem. Hæc eadem verba similiter interpretatus est Cornelius à lapide: *Virago hæc,* inquiens, *probè, & strenue operata est omne bonum per omnem vitam; quare in morte bene sibi conscia, & sperans præmia cœlestia, non tristabitur, sed ridebit, & exultabit, canétque cum Simeone, & cum S. Maria Ægyptiaca cygneum illud: Nunc dimittis servam tuam Domine, &c.* Hujus porrò risus jucundissimi causæ fuêre nec exiguæ, nec paucæ, ego verò potissimam illam fuisse censuerim dilectissimi ejus Filii ipsam ad cœlum invitantis, ac deducentis præsentiam; cujus cùm illa amabilissimam eam vocem audiisset: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis;* quanto fuerit delibata gaudio, quæ mens concipere, quæ lingua eloqui valeat? De hoc ipsius jucundissimo risu, & gaudio ad dulcem vocem sponsi percepto ita S. Ildephonsus ser. 3. de Assumptio. *Hodie B.V. vocata processit ad immarcescibilem de manu Domini cum pal-*

Deiparæ in morte sua gaudium, & exultatio: communicat hanc suis morientib' filiis.

Ppp ppp ppp   ma

ma Virginitatis percipiendam coronam. Hodie in throno Regni suscepta est, & resedit. Hodie thalamum intravit, quia simul virgo, & sponsa fuit. Hodie siquidem audivit vocem illam blandientis à sede majestatis: Veni electa mea, & ponam te super thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. Ad quam sanè vocem credimus, quòd gaudens, & exultans dissoluta est beata illa anima, ac perexit ad Dominum; ubi facta est ipsa thronus, quæ fuerat in carne Templum Divinitatis, tantò speciosior præ cunctis, & sublimior, quantò & gratiâ gloriosior refulsit. Cùm igitur beata illa Virginis anima gaudens, & exultans dissoluta fuerit à corpore, quocum tam suaviter, absque ullo unquam rebellionis vel minimæ motu vixerat, eámque ipse ejus dilectissimus Filius emigrantem summo exceperit gaudio, eíque manum suam ad innitendum, utpote Matri dignissimæ porrexerit, quis dubitare poterit? quia eadem hæc Virgo de suis hisce mirificis cupediis, ac deliciis, quibus nimium quantum affluebat cum fidis sibi servis, ac clientulis sit participatura, atque effectura, ut & ipsi rideant in suo die novissimo, & ora ipsorum dulcissimo impleantur jubilo. & cum illa quoque vicissim illud concinant, quod eam cecinisse ait B. Petrus Cardinalis Damiani ser. de Assumpt. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

76. Communicavit de suis hisce cœlestibus gaudiis, ac cupediis Virgo pulchra, decora, & charissima in deliciis cum illo suo dilectissimo Filio Francisco à Puero JESU Carmelita, qui licèt antè gravissimis ex morbo cruciatus fuerit doloribus, ubi tamen in Natalitiis Festis sui Pueri JESU illi ex hac vita migrandum fuit, postquam in ejus præsentia duodecim pauperibus frugale epulum, quod ille quot annis eisdem diebus in honorem sui Parvuli (qui cùm esset dives, pro nobis pauper fieri voluit, ut nos ejus paupertate divites essemus) apparare erat solitus, fuisset exhibitum, totus in jubilum, lætitiámque conversus, piissimas cantiones tam in honorem JESU Pueri, qui amore nostri se se exinanivit formam servi accipiens, gloriámque suæ Majestatis mortalitatis nostræ sacco contexit, quàm ejus Matris sanctissimæ, quæ illum Regio humanitatis nostræ paludamento vestivit, ei medullitùs congratulans, quòd ad eminentissimam Divinæ Maternitatis Dignitatem fuerit evecta. Unde Vir piissimus vocem in cantus formare, manibus plaudere, earúmque complosioni natalitios hymnos, uti semper aliàs diebus illis consueverat, associare cœpit, omnésque ad laudes Puero Matríque modulandas, & cunas crepundiáque Salvatoris celebranda excitare. Inter hæc moribundi DEI servi gaudia affertur opere hieroglyphico effigiatus Virginis Filius Puerulus JESUS Schemate Pastoritio mitam toto ore, oculísque pietatem spirans, amorísque sui castissimi igniculos in spectantium animis efflans. Accepit hunc ille mox in ulnas suas, velut alter Simeon & desideriorum sanctorum circa præcordia æstuantibus flammis ea protulit, quæ animus divino amore inebriatus eructanda suadebat. O mi JESU! ô mi Parvule! aiebat bonus senex, ipse nosti jam pridem qua affectûs, pietatísque teneritudine dies hosce Natali tuo sacros colere, qua solennitate tua hæc sacra incunabula fasciásque hactenùs venerari assueveram. Utinam! ô utinam! quem amas, amodò possideas, & quem hodie de corporis hoc ergastulo non evocas, luce crastina digneris evocare. Tum ad circumstantes conversus firmissimam se in eo Puero Divino habere fiduciam professus est, quòd se se die sequenti in

Francisco à puero JEsu Carmelitæ sub mortem lætitia, & affectus in Deiparam, & filium ejus.

in cœlum esset evocaturus; quod & factum omninò est. Interea dari sibi postulavit Christi de cruce pendentis effigiem, quam ille complexans, ejúsque plagas piè contrectans, ac deosculans, bonam illius diei partem contemplatione suspensus exegit, in cujus etiam amantissimis amplexibus lætitiâ plenus purissimam animam, quam in Christi vulneribus defixisse visus fuerat, exhalavit. Cùm enim paulò ante mortem quidam ex Fratribus Puerum JESUM illi rursus videndum exhiberet. Francisce, inquiens, ecce quomodo Puer JESUS amicum suum visitare dignatur! Ad quæ verba aspexit illicò Franciscus, & in Puerum defigens intuitum: Ergóne ipse est, inquit! Videte, quomodo secundum id, quod eram in eo, non ampliùs cognoscebam eum in vita ipsius. lib. 1. cap. 38.

77. Similia gaudia cum Patre nostro Bernardino Realino moribundo comunicavit affatim, utpote amantissimo suo Filio, ac clientulo à primis pueritiæ annis Virgo benignissima. Hic enim cum sacro ipsius immaculatæ Conceptionis die cœlesti fonte tinctus esset (liceat paulo altiùs mihi viri hujus in Divinam Matrem repetere studia) & posteà ejusdem munere Angelicâ castitate eadem visibili specie sibi apparente modo planè singulari donatus, adeò purus extitit, ut exindè per totam vitam nullam sensûs, carnísque rebellionem, imò ne phantasma quidem, illusionémve impuram expertus fuerit. Quibus ab amantissima Patrona sua tam singularibus acceptis beneficiis gratissimum se semper exhibuit, eámque ùt Patronam suam cliens agnovit; unde ipsa novis semper beneficiis cum sibi obstringens catenâ quadam amoris emancipatum ducebat, adigebátque, ùt tantò illius favori parem animi gratitudinem reponeret. Mira planè sunt, quæ de Virginis Matris favoribus ipsius vitæ auctor perscribit, quantísque eum, dum viveret, cœli perfuderit gaudiis, ac solatiis. Unde cap. 16. ita prosequitur: Nec desiit deinceps Miserationum Mater hisce, ac similibus eum favoribus cumulare, quos inter merito numerari potest is, quem anno 1598. cum de nocte decumberet, consecutus est. Invisit enim eum benignissima Mater, ac Infantulum suum illius ulnis excipiendum porrexit: liquescebat nimirùm tum illius anima diffluens suavissimis lacrymis, dum brachiis stringeret, suóque admoveret pectori preciosissimum hunc cœli thesaurum. Adfuit interim, ut lumen inferret, Excitator, qui, cùm vultu planè accensum, lacrymísque perfusum cerneret, quid acciderit ei, rogat. Ille verò cœlesti dulcedine ebrius continere se nequibat, quin exclamaret: O Frater charissimè! si tibi contingeret videre, quæ vidi, ô gratiam! ô favorem singularem! Virgo Virginum hîc mihi adfuit cæruleâ indutâ Pallâ, ulnísque meis Infantulum suum JESUM reposuit. O conspectum beatissimum! ô cœli delicias! Has illa porrò delicias, Virginísque jucundissimam præsentiam non modò eo tempore, sed sæpiùs totius vitæ suæ decursu, quod ex ipsius ore satis constitit, per longo tempore eam sua præsentiâ, singularibúsque benevolentiæ argumentis illum fuisse solatam. Unde, cùm ageret quandóque cum Fratre quodam solito suo candore, ac nativa simplicitate familiarissimè, ità Beatissimam Virginem, illius vestes, habitúmque oris, corporísque lineamenta exprimere visus est, atque si eam coràm, atque ob oculos habuisset. Unde Adjutor confidentior factus, an eam aliquando in somnis vidisset? interrogat. Is eodem candore: Non in somnis, inquit, at vigil, ùt modò sum; quod & Patri Spinello tum Provinciali ultimis vitæ suæ annis asseruit, dum ab eo rogatus respondit, se eam hoc modo non

Bernardini Realini familiaritas, ac devotio erga Deiparā: & hujus erga *illum præsertim sub mortem favores.*

semper, sed ferè semper corãm intueri. Quæ continua penè, jugísque Virginis deliciis affluentis præsentia, quantis illum cumulârit gaudiis, ac solatiis, quis edicat? quis calamus ipsius spiritûs cupedias describat, Certè ejusdem vitæ Auctor intimos sancti hujus viri sensus penetrare dum conatur, ita prosecutus est: De Virgine cùm loqueretur, suavissimo illius lacte os, ac lingua illi fluere videbatur. Quòd si pulchritudo humana tantum in animis hominum potest, ut eos vinculis quasi quibusdam alliget, & ad se pertrahat, quid sentiendum de hac divina inexhausto beneficiorum fonte cumulata? Rectè igitur cum Patrono suo S. Bernardino Senensi hic cliens exclamare quoque poterat: Hanc amicam mihi exquisivi ab adolescentia mea, cujus dulcissimum Nomen mel illi erat in ore, in auribus suavissima harmonia, in animo vera illius lætitia, & exultatio. Quod si vir hic in Virginem pientissimus totius vitæ suæ decursu penè continua illius cœlestibus gaudiis refertissima perfruitus est præsentia, quantò magìs in postrema vitæ suæ innocentissimæ transactæ catastrophe:

Odor cœlestis ex Lectulo Realini totam domum implens.

78. Illius nimirùm præsentiæ indices fuère cœlestes illi odores, quibus paucis ante ejus obitum diebus ipsius corpus, totum ejus conclave, lectulus vicináque cubicula fragrabant. Sparsa siquidem erat non absque fundamento fama, inquit ipsius vitæ Auctor cap. 22. conspici circa caput ejus micantes radios, & è corpore cœlestis illius sponsi Horto amœnissimo suavissimam affundi præsentibus odoris fragrantiam. Sensim odor hic circa lectum se se diffundere cæpit, atque ità subitò se se extendit, ut non modò cubiculum istud, sed & vicina cubicula, & ambulacra impleret, non secùs, atque exorto vere suaviori spirante aurâ aureorum malorum flores gratissima odoris fragrantiá aërem imbuere solent.

Odor hic à Deipara extitit.

79. Cujus tam inusitati támque suavis odoris causa sine Dubio alia esse non potuit, quàm augustissima sacratissimæ Virginis præsentia. Nimirùm illa cœlestis Sponsi Hortus est Paradisiacus, virtutum suarum veluti amœnissimorum florum, divinum odorem clientulis suis in acerbissimis illis mortis angustiis præsertim, suaviter inhalans. O quam præclarè S. Amadeus Episcopus Hom. 2. in hujus benignissimæ Matris verè horti deliciarum animati laudem pronunciavit: *Mariæ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, & quò favens se verteret, Paradisus erat: Emissiones tuæ, ait Sponsus, Paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus &. Habet quippe Paradisus gloriosa Virginis mala punica in varietate virtutum fructus pomorum in perfectione operum. Habet & Cyprum cum nardo, illam fertilem uvarum, hanc miri odoris herbam aromaticam ob sobriam ebrietatem sensuum, & suave fragrantem opinionem virtutum.* Sic ille.

Beneficio Deiparæ cubiculum moribundi Realini triduo liberũ est ab omni musca.

80. Ejusdem Virginis sanctissimæ crediderim singulari favore evenisse Bernardino id, quòd idem ipsius vitæ Auctor commemorat: Fuère, inquiens, qui assererent tribus illis diebus continuis nuspiam ibi, vel muscam illam visam esse, tametsi vicina iis cubicula scaterent. Id prœmium illius tolerantiæ existimârant, qua similium animalculorum in vita molestas punctiones absque eo, quòd illa abigeret, perferre consueverat.

Realini sub mortem à Deiparà visitati affectus, & pietas.

81. Adfuisse porrò Deiparam, quod rei caput est, Bernardino clienti suo dilectissimo ipso ejus mortis die, qui ipsius Visitationi sacer extitit, cúmque amantissima sua visitatione gratiarum plenissimâ fuisse dignatam, ostensum fuit Joanni Thomæ Santari Notario publico in lecto decumbenti; illius siquidem oculis ad instar elegantis picturæ subjecta fuit species Beatissimæ Virginis cum gravitate qua-

quadam, ac Majestate Filiolum ulnis deferentis; Cujus latus dextrum stipabat S. P. Ignatius Societatis nostræ Auctor Is. P. Realinum ad pedes suos abjectum Matri Virgini sistere, ac offerre videbatur, quem illa haud gravatè admittebat. Deníque senem hunc optimum in extrema illa hora Beatissimæ Virginis perfruitum visitatione, jucundissimáque ejus præsentiâ, illud argumento esse potest, quòd cùm dies Sabbati, in quo visitatio Dei Matris incidebat, advenisset, P. Antonius Beatillus illi admodum familiaris, addictúsque agens cum eo de tempore, quod toties, ac tot: tantísque votis exoptabat, dixisset ipsi congratulando, quòd sanctissima Mater, hoc die eum ad se adducere dignaretur; mox ad amantissimi Nominis Mariæ pronunciationem aure perceptam, exultare illi cæperit animus, natare oculi lacrymis præ cœlesti gaudio; collectis denique omnibus, quas habebat viribus summo cum pietatis, ac amoris affectu exclamarit. O Domina mea sanctissima! Quæ ultima fuêre verba ab eo distincta voce prolata. Tandem ab invocatione Cœli Reginæ, ac miserationum Matris ad vulnera servatoris se convertit. Cùm enim ad eum Confessarius illius accessisset, signis, ùt melius potuit, ultimam confessionem instituere voluit; qua absoluta, arreptâ manibus Christi Cruci affixi Imagine animo verè contrito eam exosculatus est, ac dein eam suis manibus ad pectus appressit, ut quasi hoc illi signaculum pectoris, ac brachiorum esset, cum qua ille placidè, ac quiete usque ad mortem decubuit. Ostendebat tamen labiorum motu se se cum Deo agere continenter. Nam singulari pietate, obtutu in Christi Cruci affixi Imaginem, defixo oculo ad instar Heliotropii ad huncce animi sui solem, dum vel minimùm ab eo, qui manu tenebat, moveretur, convertit.

82. Similem pietatis affectum experiebatur sine dubio, dum ab adstantibus lectulo sociis sacratissima JESU & MARIÆ, Nomina, quibus in vita adeò addictus extitit, sæpius ingeminarentur. Siquidem jam sæpius commemoratus ipsius vitæ Auctor cap. 16. ità memoriæ tradidit: Deníque nihil illi in ore frequentius, quàm duo illa altissima, ac sacratissima Nomina JESUS, & MARIA, ab hisce, quidquid scriberet, inchoabat, hæc, quòd conclusisset in pectore, promovebat in thesauro suo, hæc lae Pueris, adultioribus Duces, pugnantibus secura, ac victricia arma, contra insultus, vimque inimicorum Turrim fortissimam esse debere contendebat. Atque hanc causam reor, cur in quibusdam Imagunculis illius impressis expressa cernantur duo hæc veneranda Nomina JESUS, & MARIA. Sic ille.

Realini erga sacra JEsu & Mariæ nomina propensio; & ex iis in morte pronunciatis solatium.

83. His igitur sanctissimis, ac securissimis ducibus Bernardinus in hoc suo de hac vita transitu associatus, quod tantopere, dum viveret, desiderabat, idemtidem illud ingeminando, literísque mandando pro infirmitatum variarum amuletis: *JESU MARIA Sia in nostra compagnia;* felicissimè, magnáque animi sui voluptate, ac gaudio de lætitia suæ Dominæ clementissimæ in morte participans, post tot laborum in via Divini obsequii exantlatorum æstum deductus in refrigerium ad beatam patriam, uti speramus, securus pervenit.

Mors Realini à Deiparâ solatiis repleta.

84. Claudamus tandem hanc benevolentissimæ Virginis in morte suorum clientulorum assistentiam, eísq; impensas animi consolationes, mentísque refrigeria illustri plane agone Patris Nostri Nicolai Fucunangæ Geyan Japonii, qui, uti scribit P. Philippus Allegambe de script. Societ. inaudito tormenti genere Nanga-Sachii extinctus est, ætate jam propè decrepita quadragesimo quinto post

Nicolaus Fucunanga Geyan è Societate JEsu in Japoniæ scrobe pendulus visitatur & aquâ refocillatur à Deiparâ

anno quàm fuerat societatem amplexus. Pedibus enim ad furcam suspensis, manibus post tergum revinctis, media corporis parte in scrobem depressâ, quam duplex tegebat tabula, nè quid hauriret auræ, vel lucis, acerbissimè tortus est. Cùm ita triduum jejunus in tanta dolorum immanitate pependisset, â Deipara, ùt ipse fassus est, frigidâ subinde recreabatur, cujus plenus Cyathus in fossa repertus est. Aliquandò etiam per noctem, ab eadem sine dubio, solvebatur vinculis, deponebatúrque ad quietem. Tandem attonitis hujusmodi spectaculo Ethnicis, lætus exspiravit.

Deiparæ sub mortem in consolando clientes suos benignitas.

85. O Admirandam Deiparæ Virginis propensissimámque ad benefaciendum suis clientulis, eisdémque solatia in tribulationibus impertiendi propensissimam indolem! Ostendit revera huic fidelissimo suo servo in tanto persecutionis ardore Virgo se esse fontem hortorum, puteum aquarum viventium, ac refrigerantium. Ostendit denique se quietem esse laborantium, ut eam vocavit Albertus Magnus, & omnium auxilio destitutorum unicam adjutricem, mœstorum consolationem, & omnium salutem, captivorum redemptionem, & liberationem, quemadmodum illam sanctus vocitavit Ephrem.

Deiparæ favor clientibus suis sub mortem exhibitus.

86. Quapropter P. Benedictus Fernandes in cap. 33. Gen. Se. 4. n. 15. de hujusmodi favoribus â Deipara sibi devotis Servulis circa mortem præcipuè exhibitis, ita loquitur: *An non plenæ sunt historiæ ijs exemplis, præcipuè amoris ac favoris, quem Beatissima Dei Mater sub mortem jam laborantibus suis servis pauperculis præstare visa est, sæpenumero Religiosos homines Domina mundi ægrotantes invisit, moribundis adstitit, communis omnium Religiosorum Patrona ac Mater, & trepidantes horrore exitûs confirmavit. Quid,* inquiens, *timetis Filij? aut cur ob imminentem mortem discruciamini? Venite securi, quoniam DEus Filius meus, cui fideliter in paupertate, atque in laboribus servijstis, vos in cælestis Regiæ thesauros introducet. Non audientur quidem foris hæc Virginis verba, non corporeis auribus insonabunt; sed interiori tamen sensu animæ profectò excipientur. Idcircò enim ex recordatione Virginis Beatissimæ, átque ad ullius auditum, pronunciatúmque Mariæ Nomen sic moribundi recreantur, ut omnis horror mortis in ingentem lætitiam convertatur, cantandóque potiùs, quod non semel vidimus, quàm ejulando â terra in cœlum, â præsenti vita in beatissimam æternitatem discedant.* Sic ille cantando DEI laudes obiit Gerardus; quod quidem assistenti Fratri sanctissimo Bernardo visum est haud dubiè miraculum; Videre exultantem in morte hominem, insultantem morti; *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? jam non stimulus, sed jubilus, jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* Serm. 26. in Cant.

Deiparæ castissimæ cervæ cum serpente Stygii impuritate pugna quam Tobiam Raphaël docuit.

87. Sed, unde digressi sumus, jam tandem revertamur, & charissimæ, Virgineæque Cervæ nostræ Mariæ cum Tartareis Colubris pugnas, ac dimicationes prosequamur. Has licèt illa cum omnibus assiduè habeat, habet tamen potissimùm utpotè Virgo Virginum purissima cum spurcissimo illo fornicationis, ac impuritatis spiritu Asmodæo, qui septem illos viros Saræ, qui solius libidinis explendæ causâ velut equus, & mulus ad eam accesserant, ùt ipsemet Angelus Raphaël Tobiam edocuit Tob. 6. v. 16. 17. *Audi me,* inquiens, *& ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potes Dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut DEUM a se, & à sua mente excludant, & suæ libidini vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus,*

tellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.

88. Quod si idem hic Angelus in Tobiam, universámque ejus domum benevolentissimus, Dæmonium hoc impurissimum, ac ferocissimum septem illorum virorum homicidam domare adeò potuit, ut sacræ literæ de illo dicant Tob. 8. v. 3. *Tunc Raphaël Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illud in desertum superioris Ægypti:* quantò magis potentissima Angelorum omnium Regina manu illâ suâ, quam misit ad fortia, & brachio, quod divina virtute roboravit, apprehendet idem illud spurcissimum monstrum, & ignitis, adamanteísque catenis in profundo infernalis Barathri religabit, nè hominibus sibi, suóque servitio mancipatis nocere valeat.

Deiparæ major potestas in Asmodæum, quam Raphaëlis.

89. Varia quidem arma contra abominabilem hunc spiritum adeò generi humano infestum à viris spiritualis militiæ peritis assignari consueverunt, ut supra ostensum est ex Dionysio Richelio, & D. Thoma Angelico; nulla tamen panoplia undíque nos obarmans, ac circumdans, post sacrosanctam Eucharistiam, in qua verum Christi Salvatoris corpus de Virgineis Mariæ sanguinibus coalitum continetur, efficatior est, quàm Deiparæ Virginis patrocinium, ac protectio. Atque inprimis quòd sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum præsentissimum ad incentiva libidinum extinguenda sit amuletum, evidentissimum est. Si enim incenso jecore piscis (quem censet P. noster Serrarius cum Vallesio esse illum, qui à Plinio dicitur Callionymus, & Uranascopus lib. 32. cap. 7.) cujus fel oculorum albuginibus inprimis salutare est, ut testatur idem Angelus, fugatur dæmonium; quantò magis Eucharistia, in qua continetur Christus verus Callionymus, piscis pulchri Nominis, JESUS, cujus fel, quod ipse in passione potavit, atque adeò universi ejus cruciatus, quos amore nostri perpessus est, mentis nostræ oculis inprimis salutare, atque efficacissimum collyrium ad avertendam potissimùm spiritualem cæcitatem est. Unde ipse Christus ad fel hoc, omnémque ejus mortis amaritudinem, qua amoris universi limites excessit, identidem considerandam nos invitavit apud Jeremiam Thren. 3. v. 19. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis.* Cui nos utique tam eviscerati amoris memores respondere debemus. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea hæc recolens in corde meo.* Audiendus hic D. Prosper lib. de Promissionibus, & Prædictionibus Par. 2. cap. 39. qui de hoc pisce, ejúsque mysteriis loquens: *Mysticum,* inquit, *actionis hujus hoc est, quòd ex interioribus piscis & Dæmon fugatus est, & Tobias illuminatus. Hoc agit piscis magnus ex passione sua Christus, purgans Mariam, à qua expulit septem Dæmonia.* Ἰχθὺν *namque Latinè piscem, Sacris literis majores nostri hoc interpretati sunt ex Sibyllinis versibus colligentes quod JESUS Christus Filius DEI Salvator piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & pascimur.* Sic ille.

Arma contra libidinem primò Christus in Eucharistia piscis ad instar Callionymi, cujus jecur fugat Dæmonium.

90. Quod porrò S Raphaël jecur piscis adhibendum potissimum ad impurissimum effugandum Asmodæum præcipit, id omninò egit congruè. Cum enim, ùt canit ille:

Jecur piscis ad fugandum Asmodæum à Raphaële adhibitum.

Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Meritò jecur, ac cor sedes amoris castissimi JESU ad profligandum Asmodæum, qui jecur, ac præcordia nostra impuri amoris ignibus succendit, erit efficacissimum. Sic enim velut clavo clavus propelletur. Unde S. Ambrosius in Hymno diei Sabbati ad Matutinum orabat.

Lumbos, jecúrque morbidum,
Adure igni congruo;
Accincti ut sint perpetim
Luxu remoto pessimo.

91. Quare P. Serrarius in cap. 8. Tob. quæst. 26. inter varios modos, ac machinas quibus in fugam agitur Asmodæus, ut ne rimula quidem ulla ad nos pateat, ait esse Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ. Hæc enim hostis cuniculos omnes refodit, strages restaurat, vulnera persanat, ista robur membris novum inspirat à laboribus, & asperitatibus omnibus invictos præstat, adversariis verò admodùm terribiles efficit. Hinc S. Chrysostomus Hom. 61. ad pop. Antioch. ubi præmisisset Christum voluisse semetipsum nobis immiscere, & corpus suum in nos contemperare, ut unum quid cum illo efficiamua, & de purissima, castissimàque ejus complexione participemus: mox hæc, ut nos ad strenuè cum impurissimo Asmodæo hoc sacramento velut panoplia circumdatos dimicandum excitet, attexuit: *Tanquam Leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente revolventes, & charitatem, quam nobis exhibuit. Tum de Eucharistici sanguinis particulariter virtute, atque energia loquens: Hic Sanguis floridam nobis reddit Regiam Imaginem hic decus indelebile, hic animæ generositatem tabescere non permittit, eam irrigans jugiter, & nutriens, statim in animum magnam quandam inducit virtutem. Hic mysticus sanguis Dæmones expellit, & procul esse facit; ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Ubi namque Dominicum viderint sanguinem, Dæmones quidem fugiunt, concurrunt autem Angeli. Hic Sanguis effusus omnem terrarum orbem abluit. Multa de hoc sanguine B. Paulus Epist. ad Hebræos sapienter disseruit: Hic Sanguis adyta mundavit, & Sancta Sanctorum. Si verò figura ipsius, tantam habuit virtutem, & in Hebræorum Templo, & in Ægypti medio superliminaribus unctis; multò magis veritas. Si mors umbram ita perhorrebat, quomodo quæso veritatem ipsam non extimescet? Hic est Salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro clariorem animam facit.* Sic ille.

Sacramentorū pœnitentiæ & Eucharistiæ efficacia, contra impurum Asmodæum.

92. Porrò, cùm Asmodæus hic tanquam Leo rugiens circumeat, quærens, quem devoret; & Leones ignem nimiùm quantùm perhorrescant, cogitandum vobis relinquo, quantum divinus hic amoris ignis, qui Eucharistiæ perceptione in cordibus nostris exardescit, terrorem illi incussurus sit?

Asmodæus tanquam leo circuens ab igne Eucharistico deterretur.

93. Tandem fonti perenni aquæ gelidissimæ Sacramentum hoc conferens idem Chrysost. monet omnes æstu cupiditatum carnalium accensos ad illud accedere, ut Sitim relinquant. *Si quis æstuat,* inquiens, *ad hunc veniat fontem, & æstum refrigeret, nam & Siccitates resolvit, & cuncta refovet inflammata non à sole, sed jaculis ignitis. Hic fons est, veritatis radios effundens, fons luminis. Huic & supernæ potestates assistunt, in fluentorum respicientes decorem, & inaccessibiles admirantur Splendores. Sicut enim auro liquescente, sive manum, sive linguam aliquis immittat eam statim auream reddit, ita & hoc Sacramento proposito pretiosam reddunt animam. Efservet quidem fluvius igne vehementius, sed non comburit, sed tantùm abluit, quidquid acceperit, atque contigerit.* Hæc Chrysostomus; Quibus sanè ostendit non modò nos de impurissimo Tenebrione Asmodæo virtute Eucharistiæ communitos triumphare, verùm etiam omnem libidinis æstum in anima nostra extingui, no-

Eucharistica aqua viva temperat ardorem libidinis.

novísque divinæ gratiæ splendoribus irradiari, divitiis cœlestibus locupletari.

Eucharistia roborat nos in tentationibus carnis.

93. De hac Asmodæi virtute Sacramenti Eucharistiæ reportata victoria audiendus etiam S. Cyprianus, qui serm. de Nativ. Christ. *In Parvuli hujus Nomine*, inquit, *cum hoste antiquo congredimur, & fortis armatus superveniente fortiore de atrio antiquitus possesso potenter expellitur, & præsumptæ infestationis audaciæ silentium imperatur. Defectus carnis nostræ, quæ à primitivis fæcibus originalis mali infecta languerat, ex Christi carne redditur fortitudo, & Sacramentorum communicatio, per quam illius corporis Synceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo, & Diabolo, & de nobis ipsis victoriâ potiamur, & Sacramentali gustu vivificis mysteriis inhærentes una caro, & unus Spiritus simus.* Ex qua sanè intima cum Salvatore nostro unione, id consequimur, ut mira virtute corroboremur in interiori homine, & nullas Tartareorum hostium insidias perhorrescamus. Hæc enim est mensa illa, de qua Regius Propheta Psal. 22. *Parâsti in conspectu meo mensam, adversus omnes, qui tribulant me. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et alibi hujus Salvatoris potissimi præsentiâ confirmatus hilaris canebat: *Si consistant adversùs me castra, non timebit cor meum, si exsurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.*

Eucharistia fugat ab homine omne peccatum.

94. Denique S. Bernardus Ser. 1. de cœna Domini sanctissimo huic Sacramento tanquam fontali origini vitiorum omnium, quæ Dæmones in mortalium animis accendere consueverunt, extinctionem attribuit: *Duo enim*, inquit ille, *hoc Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in illo; & gaudeat, quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem.*

Effectus ulteriores Eucharistiæ.

95. Similes sacrosanctæ Eucharistiæ effectus longè ante Bernardum recensuit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 17. *Sedat*, inquiens, *cùm in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu; imò & præservat, nè cadamus in profundissimam, ac fidelissimam illam impellente, atque insidiante Asmodæo, luxuriæ voraginem, à qua nisi mortales omnipotentis manu, gratiâ ipsius nempè efficaci semel lapsi extrahantur, ad fundum Orci proruant, necesse est.*

Deiparæ magna vis ad tuendam castimoniam.

96. Quòd si Virginea caro Christi ex purissimis Mariæ Virginis sanguinibus, operante Spiritu Sancto compaginata, tantâ adversus Asmodæum, ejúsque impurissimas suggestiones pollet energiâ, eâdem quoque pollebit & Mater ejus sanctissima, in rebus penè omnibus Filio simillima, cujus vel solus castissimus aspectus ad omnem castimoniam se piè intuentes, uti supra discurs. 4. De Cedro fusè ostendimus, accendebat, & divinam impetrando gratiam puritate, mentis, corporísque aliísque spiritus Divinissimi Charismatis exornabat.

Imago Deiparæ conspecta efficax adversus animæ hostes præsidium.

97. Et verò si profanæ, atque impudicæ icones affectu libidinoso conspectæ eam vim aliquando habuisse memorantur, ut conspicientes hospitium, mancipiúmque maligni spiritûs effectos misertimè exanimârit, ac contrucidârit: Quantò magis

è contrà purissimæ Virginis Matris Dei Imago Spiritu Sancto, qui per essentiam ipsa est bonitas, ipsa Sanctitas, intuentes replebit, eósque divinis ejus donis affatim locupletabit.

Diabolus obsidet guttur juvenculæ Arabis per 70. dies post conspectam veneris imaginem.

98. Quod porrò impuræ Imagines miserabiles illos effectus aliquando produxerint. Testis est S. Prosper lib. de dimidio temporis cap. 6. ubi ita loquitur. *Nostris temporibus, Aspere, vico Carthagine constituto, hoc signum Diabolicum monstruosúmque, quod illic accidit, quis illius patriæ civis ignorat! Quædam juvencula Araba natione Ancillæ DEI habitum gestans, cùm in balneo lavans simulachrum quoddam Veneris impudicè respiceret, & se ipsam, eique se consimilans domicilium se Diabolo præbuit; statim ille Leo, qui rugiens circuit, quem quærebat, invenit. Meatus igitur gutturis ipsius occupans nullum cibum, nullúmque potum trajiciens per septuaginta ferè dies, totidémque noctes jejunium sibi Diabolus, ex capto possessóque vate exhibuit.*

Militem è caupona impurã iconem ementem occidit Diabolus.

99. Huic simile affert exemplum Nicolaus Serrarius Noster in cap. 7. Tob. Quæst. 20. Nostris temporibus, inquit, non ità pridem vir fide dignus accidisse narrabat, ut obscœnam in caupona quadam parieti affixam Imaginem miles contemplatus, eam sibi â caupone vendi postularet, quam cùm emptam revellere, secúmque aufferre vellet, confestim eodem in vestigio â Dæmone miser humi afflictus, & occisus est. Sicut igitur turpis, obscœnáque Imago libidinosè conspecta hominem Cacodæmonis mancipium, hospitiúmque efficit: Sic purissimæ Virginis Icon peculiaris pietatis affectu culta, eundem â mentibus, animísque procul amandat, nósque sanctissimi Spiritûs, ejúsque donorum constituit habitationem.

100. Quare quicunque Tartareos hostes, & in specie obscœnum Asmodæum è domicilio præsertim pectoris sui cupit abigere, & Divinissimæ Matris virtutibus, puritate videlicet, humilitate, patientiâ, charitate, aliisque cælestibus gratiis animum suum decorare, ipsius sacratissimam effigiem domi suæ, tanquam lucidissimum speculum, asseruet, in eámque sæpius magno pietatis sensu oculum suum intendat, præsertim cum impuræ cogitationes, & carnis sensúsque titillationes, fœdi Asmodæi suggestione excitatæ, animum divexant, ac perturbant. Faciat illud, quod Jacob Patriarcha olim fecisse memoratur Genesis cap. 30. 37. Hic enim Virgas ex amygdalis & Platanis in canalibus, ex quibus potabant greges, collocabat, ut, cùm venissent ad bibendum, ante oculos Virgas illas haberent, & aspectu earum conciperent.

Contra tentationes Asmodæi sæpius intueatnur Iconem B.V. Jacobum imitati Patriarcham, qui virgas amygdalinas & Platani gregi suo ob oculos posuit.

101. Collocemus & nos semper ob mentis nostræ saltem oculos vivam spirantemque Divæ Virginis Imaginem, ejus virtutibus velut pulcherrimis coloribus expressam, ut ei similes virtutum, divina adjuvante gratia, spirituales foetus pariamus. Sic Imago Virginis nobis Virga amygdalina, quæ vigilantiæ diligentiæque Symbolum est, ut eam intuentes ad sedulitatem, in Dei inprimis, deinde ad ipsius obsequium accendamur, & virtutum flores bonorúmque operum gratissimos fructus, uti amygdalus ante omnes arbores, maturè ac properè germinemus, magnísque passibus viâ divini servitii procedamus.

Maria virga amygdalinæ comparatur: ejus virtutum imago intuenda, ac imitanda proponitur.

102. Sit eadem Imago Virginis nobis Virga Platani, quæ uti alibi diximus, habet folia lata ad instar scutorum átque peltarum, adeò; ut tota hæc arbor in umbram protectionémque mortalium â Deo condita esse videatur, & meminerimus, dum eam intuemur, in stygiorum hostium, ac præsertim Asmodæi, suis tentationibus, ceu validissimis machinis nos impe-

Maria est Virga Platani, ad eam in tentationibus recurrendum

impetentium, aggressionibus, ad patrocinium, præsidiúmque Virginis, tanquam umbram Platani, & Turrim fortitudinis confugere à facie inimici.

Beata Maria quasi Platanus.

103. Audiendus hìc Religiosissimus ac in Deiparam pientissimus P. Benedictus Fernandez noster, supra citatus comm. in cap. 30. Gen. Se. 12. n. 15. Quæ de Virga illa Platani à Jacobo in canalibus collocata loquens. *Sed quænam*, inquit, *isthæc Virga Platani est, nisi Virgo beatissima Dei Mater? De se ipsamet loquitur Virgo: Quasi Platanus exaltata sum juxta aquas in plateis*, Eccl. 24. Qui locus, etsi de divina sapientia sit, Virgini tamen Deiparæ ab Ecclesia solet accommodari. Et quidem Platanus, ut facilè patebit consideranti, patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum & peltarum. Est enim Dignissima Dei Mater verè Platanus patulis diffusa ramis, quibus universum genus humanum abscondit, & protegit. Perfugium illa est defensióque fidelium: illius servi, quíque in ejusdem protectione secum commorantur, infinitis circumdantur scutis. Nulla est calamitas, labor nullus, periculum nullum, hostis nullus, quo fideles Christi, dum vivunt, affligantur, divexentur, impugnentur; contra quem incursum, malúmque mille non se se offerant confugientibus ad Virginem, ejúsque opem implorantibus scuta peltæque. Multo plura in Platano folia & scuta in Virgine, quam contra nos mala, pericula, incursus, hostes. O te fœlicem, qui Virgini Deiparæ servis, illam laudes, prædicas, imploras! Scutis circumdabit te Majestas & pietas ejus, periculis in vita & in morte insultabis: Securus ex hac tandem in vitam evades sempiternam, quod pluribus sanè contigit, qui Virgineæ Iconis colendæ, ejusdémque virtutis æmulandæ studiosi extitere.

Ludovici pii in B. Virginẽ pietas, & felix obitus.

104. O si tenerum illum in nobis pietatis experiremur sensum, quem Ludovicus Pius, Caroli Magni Filius, Galliarum Rex, ac postea Imperator, erga Iconem Deiparæ Virginis expertus est. De hoc Pater Jacobus Rinaldus noster in vitis Sanctorum Galliæ Par. 2, cap. 1. ita memoriæ prodidit: Duplici Diademate virtutes omnes in capite suo coronavit. Præcipuè verò pietatem, qua DEum & B. Virginem ita coluit; ut Deo cor, oculos Virgini consecrarit. Tam enim in DEUM exarsit; ut in oratione pio sæpè maduerit imbre, & diutiùs immoratum fuisse, vitio sit datum. Tam Virginem Matrem dilexit; ut in oculis ejus Icunculam, quam secum, quocúnque pergeret, curabat deferri, semper habere voluerit. Unde accidit, ut in venatione orare cupiens B. Virginis Imaginem, quam ejus Sacellanus deferre consueverat, arbori jusserit affigi, sed absoluta oratione, equum subito conscendit Sacellanus, immemor Icunculæ, quoad postridiè iterum Regi proponenda fuit. Redit citus ad locum, in quo reliquerat, refigere conatur, nec valet. Cujus miraculi certior factus Rex, & in somnis à Deo monitus; ut eodem in loco Templum construeret; parvit, & Hildesheim est vocatum, ut scribit Albertus Cranzius lib. 1. Metrop. cap. 10. Quâ singulari Planè in Iconem Marianam, ac præsertim ejus Prototypon Virginem ipsam, eximium illud fœlicissimæ, ac jucundissimæ mortis beneficium illum consecutum fuisse arbitror. Nam cùm quadraginta sex ante mortem dies nullum alium admisisset cibum, præter sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; ut eo solo vesceretur, cui soli vivebat Christo, tandem sub illorum dierum finem sol Eclipsim passus, eum luxisse visus est, morientem, dum non luxit, ut idem loquitur Rinaldus. At contra obiens Ludovicus, fecit, quod in scena spectator, peractâ fabulâ lepi-

dissimâ: quod in portum ejectus tempestate Nauta, facit. risit. Intuens enim cœlum, nihilo à ridente differre videbatur. Quis autem risum teneat, tot & tantis defunctus periculis, & in æterna jam penetraturus gaudia? Si periisset, non risisset. Perire porrò minimè poterat, qui patrocinio ac protectione Deiparæ, velut scuto adamantino, erat obarmatus.

B. Virgo tutū est, contra tentationes Præsidium.

105. Quare quod olim universorum Dominus Abrahamo eum consolans dixit Gen. 15. *Ego protectos tuus.* Sive ut legit Hebræus. *Ego scutum tuum*, idem quoque & Ludovico & nobis omnibus adversus Orci Tenebriones, ac præsertim putidissimum Asmodæum, cujus tela ignita maximè sunt, depugnantibus, dicere potest totius universi Domina ac Regina, addita S. Chrysost. paraphrasi Hom. 36. in Gen. *Ego qui à periculis Ægypti te liberavi, ego qui indies magis ac magis omnibus te clarum ostendo, ego protego te, ego scuti vice tibi ero, ego pro te certo, ego propugnatrix fio, Ego curam gero, ego omnia difficilia, facilia tibi reddo, ego protego te.* Quis igitur sub tam ingenti, ac impenetrabili Divinæ Matris, Matris misericordiæ scuto securus non conquiescat? quis contra, Tartareos hosce humani generis hostes, in protectione tantæ Reginæ commorans, quæ nos benevolentiâ ac misericordiâ suâ, velut Ajacis Herculisque scuto undique circumdat, ac coronat animos non resumat? Quis in ipsa morte non rideat? licèt enim ab hisce animæ nostræ hostibus, ut scribit S. Hildebertus Epist. 59. nemo unquam nocendi inducias extorsit, & cum his nobis sit quotidianus, & anceps congressus atque ex his sit innumerum vulnus, nec ex facili promittens; & sub his sit casus frequens, & respiratio difficilis, de his deníque rara & nunquam secura victoria; nihilominus tamen protectionis clypeo Bellatricis hujusce Virginis munitus, exultans ac pene triumphans clamat ipsius Psalmista Seraphicus, confiditque se ab illa & in vita & in morte protegendum, dum ita Psal. 30. modulatus est: *In te Domina speravi, non confundar in æternum. In gratia tua suscipe me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum, consolatio mea. Ad te Domina clamavi; dum tribularetur cor meum, & exaudisti me de vertice collium æternorum. Educas me de laqueo, quem absconderunt mihi, quoniam tu es adjutrix mea. In manus tuas Domina commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem ultimum meum.* Idem concinet, quisquis ad patrocinium protectionemque Virginis, velut Turrim Davidicam in omnibus spirituum immundorum impugnationibus confugerit, propriâque edoctus experientiâ, intelliget Deiparam charissimam nostram esse Cervam, pro nobis in omni nostra necessitate cum Tartareis serpentibus depugnantem.

106. Quocirca qui malignorum hostium ac præsertim Asmodæi variis tentationibus insidiisque appetuntur, Christum Dominum, hominum benignissimum exorent Salvatorem; ut se divinissimæ suæ, quam arctissimo Charitatis vinculo conjungat, uniatque Genitrici; quo de ejus puritate castimoniaque illibata participantes, sensualitatem brutasque affectiones domare valeant. Si quidem de illo in persona Judæ Patriarchæ prædictum est â Jacob ejus Parente optimo Gen. 49. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô Fili mi, asinam suam.* Quid enim per asinam ejusque pullum, quàm homo effrenatæ libidinis indicatur? cùm animal hoc in luxuriam sit effusissimum, ut variis sacrarum literarum testimoniis evadit manifestum. Quod tamen, si ardentioris pietatis affectu Viti illi Virgineæ, quæ de se ait: *Ego quasi vitis fructificavi suavita-*

In tentationibus præsertim impuris ad Deiparam confugiendū.

vitatem odoris: fuerit alligatum, religabit quoque fœdissimum illud Dæmonium Asmodæum, déque illo, tanquam de superato hoste, reliquísque ejus asseclis, triumphabit.

Quàm formidabilis sit Dæmoni cultus imaginis Deiparæ exemplo confirmatur.

107. Quod sanè luculenter patuit in solitario illo viro religiosissimo, cultuíque Deiparæ addictissimo, cujus meminit secunda Nicena Synodus Act. 4. in qua cùm de cultu atque adoratione Imaginum Christi ejúsque Matris ac sanctorum ageretur, ex Sophronii Episcopi Hierosol. lib. 8. lectum fuit coram Patribus: Dixit Theodorus Abbas Æliotes, quòd erat quidam inclusus in Monte Olivarum pugil egregius, oppugnabat autem eum Dæmon Scortationis (ipse videlicet impurissimus Asmodæus,) quodam itáque die cùm vehementer insultaret illi Dæmon, senex lamentari cæpit, dixítque Dæmoni: quousque non relinques me? Absiste posthac à me, jam enim mecum consenuisti. Tunc Dæmon, oculari aspectu videndum se illi exhibens, dixit: Jura mihi, quod ea, quæ tibi dicam, nemini significabis, & non amplius tecum pugnabo. Et juravit illi senex per eum, qui in altissimis habitat se nemini dicturum; Tum illi Dæmon dixit: Imaginem istam, si nolis me tecum luctari, cave amplius adores. Habuit autem Imago figuram Dominæ nostræ Deiparæ V. Mariæ gestantem JESUM Christum. Cui inclusus, Apage, inquit, res erit mihi curæ. Sequenti autem die rem Abbæ Theodoro Æolitæ significavit. Senex autem incluso dixit: Verè Pater delusus es, quod Dæmoni jurasti, hoc unum benè fecisti, quod confessus es. Profuerit autem tibi, ne sinas ampliùs in hac civitate lupanar, neque egrediaris, quin adores Christum JESUM Dominum nostrum, cum Matre sua in Imagine, confirmatóque eo ac animato pluribus verbis ad proprium locum discessit. Dæmon autem illi iterum apparuit, dixítque: quid agis maledice! nunquid jurasti mihi, nemini te dicturum? quo pacto autem hoc effutiisti? Dico tibi maledice, in die judicii tanquam perjurus condemnaberis. Inclusus mox respondit: Quod juravi, juratus sum, quódque pejeravi, novi. Verùm Dominum meum & Creatorem non abjuravi, te verò non audio. Hæc Sophron. quibus clarè ostenditur, quantopere fœdissimus Asmodæus purissimæ Virginis Imaginem ejúsque cultum, venerationémque perhorrescat, cernens omnes suas tentationes, quibus ipsius devotos impetit, plumbea esse spicula, quæ in ejus protectione ac patrocinio, velut in adamantino quodam umbone, impacta retunduntur, animíque eorum ab omnibus impuris suggestionibus, ceu igniteis sagittis, illæsi ad solum aspectum immaculatæ Virginis conservantur, atque ab omni impuritate liberantur.

Imago Polemonis Philosophi vim habuit ad mulieris cujusdam impuritatem coërcendam inde vis imaginum Deiparæ infertur.

108. Quod sanè minimè mirum nobis videri debet, si enim Polemonis Philosophi Imago, à meretricula quam se se prostituente conspecta, illam à scelere perpetrando avertit; quantò magis ipsius sanctissimæ ac purissimæ DEI Matris! De illa porrò Polemonis effigie in eodem Niceno concilio, dum de comprobanda utilitate sacrarum Imaginum Christi, B. V. aliorúmque sanctorum Act. 4. ageretur, lectum fuit Carmen S. Gregorii Theologi Nazianzeni à Cosma Notario, & Cubiculario, ex sermone de virtute desumptum, quod ita sonat.

Nec Polemon mihi tacebitur,
Res mira hæc multorum verbis claruit:
Hic priùs erat utique non Sobrius,
Turpísque valde voluptatum servus:
Sed postquam amore honesto se occupavit,
Consiliarium nactus, non novi satis quemnam.

An prudentem aliquem, an se ipsum, confestim
Usque adeò affectionibus visus est Superior,
Ut quoddam ponere cogar illius factorum mirum.
Scortum intemperans aliquis ad se vocarat Juvenis;
Illa vero ubi prope limen pervenisset,
De quo in Imagine Polemon prospiciebat.
Inspectâ illâ (erat enim veneranda)
Spectaculo victa mox recessit,
Ut vivum reverita Pictum.

109. Qam Imaginis hujus tam admirabilem historiam, ubi sanctissimi Concilii audiêre Patres, mirificè narrationem illam Nazianzeni approbârunt, ac inter reliquos Basilius Ancyræ Episcopus dixisse fertur: *B. Gregorius Pater Divinus mirandam existimavit Polemonis effigiem.* Cujus existimationis dedit rationem Constantinop. Patriarcha Tharasius. *Etenim,* inquiens, *continentia ex ea orta est: Nisi enim Polemonis effigiem scortum vidisset, ab improbitate non destitisset.* Nicephorus deníque Episcopus Dyrrhachii ita conclusit: *Mirifica illa Imago, & digna contemplatione, quia mulierculam à delicto turpitudinis vindicavit.*

Suadetur ob oculos habenda imago Deiparæ in tentationibus.

110. Quantò igitur magis admirabilis, omníque veneratione dignissima erit Imago Deiparæ, quæ solo suo aspectu æstum libidinis velut frigidâ extinquit? Asmodæum in fugam agit? ínque suorum clientum præcordiis puritatis castimoniæque amorem accendit? Hanc igitur velut Platani Virgam, ut diximus, præ oculis semper habeamus, huic velut fœcundæ viti jumentum hoc corporis nostri ad libidinem effusum, castissimi amoris vinculis alligemus, & omnibus carnis illecebris facilè superiores evademus.

Necessitas colendi Deiparā explicatur per vaticinium Jacobi de pullo.

111. Obsignemus Discursum hunc cum P. Benedicto Ferdinando nostro, Virginis Audiosissimo, qui Vaticinum illud Jacobi de pullo & Asina, vineæ vitíque aligata, enucleans comment. in cap. 49. Genes. Se. 12. n. 25. ita loquitur: *Quænam ista vinea, nisi de qua vitis enata est? Virgo Mater Christi Dei, ac Domini omnium. Quid quæso fieret pullo, nisi alligatus teneretur? Quid Christianis fieret, nisi Virginis Beatissimæ Dei Matris subsidio fulcirentur? Hæc Sacra fidelium anchora, Christianæ Ecclesiæ robur, ac perfugium. Prò quantum Virgini Deiparæ omnes debemus! quod pro nobis omnibus, quod pro universa Ecclesia Catholica, quod pro fidelium incolumitate, semper in Deo filio suo propitiando, átque invocando occupata est, quod iracundiæ divinæ manus & tela continet à nobis, quod horribiles pœnas jam diu debitas sceleribus nostris deprecatur; quas si statim, ut peccatum commisimus, subire cogeremur, quid nos, quid Civitates, quid Regna, quid omnino Christianorum cœtus, vitáque esse posset? Felix & nimium felix, cui Dominus tantam gratiam donavit, tam præclarum contulit beneficium; ut illum vineæ suæ alligaverit, ut illi pium quemdam, & filialem affectum impresserit ergaVirginem! Etsi pullus, etsi luxuriosè perditéque vixerit; Si tamen ablutis vitiorum sordibus ad Virginem Deiparam confugerit, gratiam Dei, quam offenderat, & amiserat, inveniet, & sempiternam deníque salutem hauriet à Domino.* Uniamur ergò & alligemur, maximóque semper charitatis affectu adhæreamus Virgineæ huic viti nostræ, quæ vel solo Heroicarum virtutum suarum odore stygios effugat serpentes, certóque nobis persuadeamus, nos ulla tentationum quantarúmcunque vi à Charitate Christi separari posse.

112. Ve-

Neglectus imaginis Deiparæ colendæ, obsessione Dæmonis punitur. Qui per cultum ejusdem iterum expellitur.

112. Veniat nobis in mentem id, quod scribit P. Joannes Bonifacius noster lib. 5. Hist. Virg. cap. 1. quod totidem verbis referre libet: Dono dederat Sacerdos noster cuidam, inquit ille, ùt haberet stimulos ad fundendas preces, Dei Matris Imaginem; quod, cùm is facere die quodam detrectat, an obliviscitur? sequenti nocte, inspectantibus uxore, & filio, â furenti Dæmone corripitur, tanquam ad Inferos pertrahendus. Initium ille recitare Symboli Apostolici cæpit; sed nihilo magis mitigatus est Diabolus, afferens causam, quod Sacerdotis sprevisset imperium. His admonitus, redit in memoriam Imaginis, quam acceperat, expromit, exosculatur, addit preces non sine affectu. Eam Imaginem Dæmon cum visu perferre non posset, celeri fuga se se proripuit, Scintillas & Sulphur, fœda corporis vestigia, post se relinquens. En quantopere stygius serpens vel solam Deiparæ umbram perhorrescit. Quis ergo adeò vecors est; ut ad ejus protectionis patrociniíque umbram non confugiat?

Dæmon in impuris imaginibus vim ad nocendum habere exemplo ostenditur: inde vim Divinam in imaginibus sacris adesse eruitur.

113. Porrò sicut Cacodæmon immaculatæ Virginis nec ferre, nec intueri potest Imaginem; Ita spurcissimæ Veneris adeò amat, ùt in illa tanquam in domicilio proprio inhabitet. Rem planè stupendam, horrendámque hoc in genere recenset Baronius, Tom. 7. Anno Christi 564. ex Eusthatio, qui præsens aspexit: Juvenis quidam, inquit, arte pingendi peritus, eam in domo Chrysaphij piæ memoriæ, in ipsa Civitate Amasenorum exercebat. Hic aliquando vetere in pariete Veneris picturam delebat, ùt historias pias reponeret. Volebat enim Vir ille ex domo sua superiore Archangeli oratorium facere, ex inferiore autem oratorium Sanctæ, immaculatæ Dominæ nostræ, Genitricis Dei, & semper Virginis Mariæ. Cùm igitur Pictor fœdam impudicæ Veneris historiam evertisset, Dæmon, qui illi inhærebat, artificis manum sic invasit; ut inflammata tumesceret, & gravi vulnere affecta, necessariò amputanda videretur. Quare cùm periculum aspiceret, utile cæpit consilium, & ad virum Sanctum Euhychium confugit, ut per ipsum â Deo auxilium impetret. At ille, cùm pro ipso DEUM orâsset, unxit dexteram ejus manum, quæ inflammatione, ut ulcere laborabat, oleo sancto; quod videlicet ex sanctæ puræque Dei genitricis, & perpetuæ Virginis MARIÆ, Dominæ nostræ veneranda Imagine scaturire solet Sozopoli, in Nomine Domini nostri JESU Christi. Idque fecit tribus diebus, & manus ejus divino auxilio convaluit, atque alteri similis reddita est. Et quo in loco Pictor vulnus acceperat, in eo memoriæ, & grati animi declarandi causâ, sancti viri depinxit Imaginem; ut manus quæ curationis beneficium acceperat, Medicum suum secundum JESUM testaretur. Hæc ex Eusthatio Baronius. Quibus hæc memoriæ dignissima, imísque fidelium, ac præsertim Virginis clientulorum fibris, ac medullis cordis insigenda subjungit. Quibus & discursum hunc terminamus. *Hic velim attendas Lector, non tantum editum Divina virtute miraculum, sed etiam patefactam latentem ipsam veritatem, si quis eam ab exemplis deductam accipere velit. Si enim in profanis, inhonestísque imaginibus inhæsisse cognita est ad nocendum, DEO permittente, vis inimica; utique vel ex his discas, in sacris DEO dicatis Imaginibus non deesse Divinam ad beneficia præstanda virtutem; & sicut illæ Christianis obesse solent, ita & istas consuevisse iisdem esse proficuas.*

Hæc Baronius.

DISCURSUS VIGESIMUS QUARTUS.

VIRGO DEIPARA LEÆNA DE TRIBU JUDA.

Deipara Leænæ comparatur, cujus natura Epiphanius perpetuam Virginitatem Mariæ contra Antidicomarianitas Hæreticos propugnat.

I.



Anctus Epiphanius Constantiæ in Cypro Episcopus lib. 3. contra Hæres. cap. 78. disceptans contra Antidicomarianitas Hæreticos, qui cum Collyridianis extrema secuti, sicut illi nimiis Deiparæ laudibus indulgentes Deam illam effecêre: sic hi eamdem vituperantes atque insectantes, inter reliquas horrendas blasphemias, quas ore impurissimo contra ipsam evomuêre, blaterare non dubitârunt, illam post editum huic mundo, illibatâ intactâque sacrosanctâ ejus virginitate, salvatorem, alios filios, secundum carnem cum Josepho suscepisse. Quam ille impiissimam, in purissimam Virginem jactatam contumeliam, variis, iisque luculentissimis confutat argumentis. Postquam enim de ipsa 2. 11. præmisisset, *sive igitur mortua sit, nescimus, sive consepulta sit, non tamen ullam est conjunctionem corporis experta. Absit, ut hoc existimemus. Quis enim est qui furorem sibi, & insaniam adsciscens, tantam B. Virginis contumeliam velit imponere, & os suum adversus illam attollere? laxare linguam? ad pestiferam illam pronunciandam sententiam labra deducere? pro laudibus ac præconiis probra contumeliásque comminisci? Sacrosancta insultare Virgini? vas illud denique omni honore prorsus afficere?* Ubi, inquam, hæc contra nefarias illos Deiparæ hostes dixisset, tandem purissimam ejus Virginitatem, etiam post natum in tempore Dei Filium, quem Pater æternus ab omni generavit æternitate, probat exemplo Leænæ, quæ ut nonnulli rerum Naturalium scriptores referunt, post primum effusum in lucem fœtum, nullum amplius coitum admittit. Illius verba sunt hæc: *Quod si & aliunde rationes transferre liceat, quid rerum natura ipsa ferat, paululum consideremus. Leænam itaque ferunt non nisi semel parere, cujus rei hanc esse rationem, quod animal istud colore fulvum validissimo robore sit, átque ut uno verbo dicam, Regia quadam dignitate cæteris antecellat. Porrò ex uno Conjuge concipiat, fœtúmque sex & viginti totos menses in utero gerat: adeò; ut ille præ longinquitate temporis, adultis dentibus omnibus atque unguibus, cum justa corporis statura præditus sit, antequam in lucem prodeat; átque & claviculares, quos vocant, & caninos dentes, ac molares habeat, & alia omnia, quæ animali huic à Natura concessa sunt. Dum igitur Matris utero continetur subsultando, movendóque se se, aut alio quovis modo Matris uterum laniare unguibus,*

ac discerpere narrant. Quare cùm ad partum Mater venerit, eadem illa die ab omni parturiendi conditione ac molestia ventrem illius liberari. Siquidem in ipso partu uterum simul ac Matricem excerni, naturalium rerum indagatores asserunt, adeò; ut nulla imposterum Veneris cupiditate tangatur &c. Tum ad Deiparam, ejúsque semper inviolatam Virginitatem comprobandam, narrationem hanc aliqua ex parte (omnis enim similitudo claudicat) transferens, ita philosophatur: *Quæ quidem ex narratione ad id de quo agimus similitudinem quandam licet transferre, quæ utilitatem potius, quàm damnum aliquod continere videatur. Etenim si Catulum Leonis Judam Jacob nominans, Christum quadam sermonis figurâ adumbravit* Gen. 49. *cum eoque illud ex Joannis Apocalypsi congruit.* Cap. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, & de stirpe David: cum Leoni Dominus assimilatur, non naturâ quidem, sed similitudinis, adumbrationísque gratiâ, quòd Regia quædam insit in Leone dignitas; sitq; animalium omnium audacissimum ac ferocissimum, & in cæteris omnibus aspectu jucundissimum; non absurde Matrem ejus Leænam appellabimus. Qui enim Leo generari potest nisi Mater ejus Leæna nominetur? Cæterùm uti Leænæ secundò non parit: ita sacrosancta Virgo Maria alterius partûs expers fuit, ac nullum corporis commercium exercuit.* Hæc Epiph. qui, ut clarè patet, similitudinem inter Leænam & Virginem in eo solùm posuit; quod unicum fœtum edat. Neque enim partus iste inquit P. Salazar noster cap. 28. n. 17. in def. Concept. Matris divulsit, aut incidit viscera; absit, nam ea in re deficit similitudo. Quin imò ita ex ipsa in hanc lucem prodiit; ut claustra pudoris inviolata, & intacta dimiserit. Est ergò Virgo Leæna solùm nomine, quia unum parit.

2. Quare idem S. Epiphanius, ut S. Joseph castissimum Virginis sponsum, ab omni filiorum generatione impuritatísque suspicione liberet, docet, S. Jacobum Fratrem Domini, quem Antidicomarianitæ Filium Josephi, ex Maria susceptum ore sacrilego blaterantes, somniabant, fuisse Nazareum, & Virginem. Unde infert: *Si Josephi liberi Virginum ordinem illum, & Nazareorum officium sectabantur: quantò magis senex ille omni veneratione dignissimus castam, & intactam Virginem conservare noverat, & ei Vasi singulari, quemdam honorem deferre, quod salutem hominum aliquando continuerat? sed & natura documento nobis esse potest; quòd & affecta in ætate foret, & natu grandior; magnus inter viros, moribus fidelis, ac specie ipse Religiosus; de eo quippe testatur Evangelium: Hominem fuisse timentem DEUM, qui idcircò clàm conjugem dimittere statuisset.* Et paucis intercalatis, S. Josephum ab omni hujusmodi impuritatis suspicione liberare, pergit, ex miris circumstantiis Nativitatis Christi, stupendísque prodigiis, quæ in illa contigerunt. *Quis Josephum ejus Patrem arbitretur, qui tam horrenda spectacula vidisset, puta Angelos nascenti Filio Dei stipatorum ac satellitum officia præstantes, ac de cœlo cantantes. Gloria in altissimis Deo &c. cùm Pastores insuper ad eam speluncam, in qua Christus natus erat, accessissent, eamdémque nunciâssent; cùm hæc inquam tam admiranda prodigia ac miracula Josephus audiret, fieri ne potuit, ut Sancto illi corpori, in quo DEUS habitaverat, per summam ignominiam illuderet? quo quidem ex corpore suscepta à Dei verbo hominis est Natura contracta. Unde & sancta illa & incorrupta caro fabricata est, & cum Salvatoris Divinitate conjuncta, ut Angelus testatus est: Spiritus S. superveniet in te,* &

Asserit ulterius S. Epiphanius Beatissimæ Matri, & Divo Josepho perpetuam Virginitatem diversis rationibus.

& virtus altissimi obumbrabit tibi &c. Quamobrem quo tandem pacto cum tanta talique Virgine Maria copulari ausus esset?

Confutatur fundamentũ assertionis Antidicomarianitarum, contra Virginitatem Deiparæ: admonentur Catholici ad eam colendam.

3. Unde illud quod iidem objiciebant Hæretici. *Non cognovit eam, donec peperit Filium suum;* Cognitionem illam non de carnali copula, sed notitia Marianæ excellentiæ, quam maximè post tam gloriosum Filii Dei, illibatúmque partum cognitione sua complexus est, dici. Sed ideò cognovit; quòd cui divinitus honorem haberi viderat, eamdem honore prosecutus fuerit. Neque enim illam tanto splendore ac gloria præditam putaverat, donec è Muliere natum Dominum animadvertit. Tandem universam hanc contra impurissimos hosce blaterones disceptationem, Mariam tanquam Domini universorum Matrem, & sanctam omnium sanctorum sanctissimam honorandam, utpote cujus honor in ipsum DEUM redundat, esse docens ita concludit: *Sileant igitur homines isti, qui ea sibi fingunt quæ perniciem magis, quàm utilitatẽ ipsis afferunt. Sed iste quæso facessat error. Quicunque Dominum, honorat & sanctum, qui ignominiâ sanctum afficit, eamdem & Domino suo ignominiam imponit. Sit in se Maria sanctissima illa Virgo, vásque illud sacrosanctum. Ejusmodi verò pestifera, atque exitialia dogmata nullum nobis fructum afferunt, nósque adeò honorificentiùs de ea sentire par est. Ergo nos ipsos curemus, rerum nostrarum satagamus, neve, quæ nostri propria sunt, in sanctis proferamus, aut ex nobis ipsis, quæ ad illos pertinent, metiri velimus. Quippe nonnulli sunt, qui cùm ad luxum, & delicias effusi sint, & perniciosam mentem conceperint, jure, an injuriâ? Sanctos iisdem fœditatis maculis aspergere conantur; quo pravo imbecilloque suo animo, honestum aliquem colorem, speciémque conquirant.* Sic ille.

Hæreticorum moderni temporis in impugnanda Virginitate Deiparæ impudentia.

4. Et hujusmodi farinæ fuêre calamitosissimis illis superioris sæculi, & hujusce nostri etiam præsentis Lutherus, & Calvinus cum suis asseclis: qui, cùm in omnem libidinem fuerint effusissimi, DEI Matrem alijs mulieribus consimilem, imò spurcissimis suis conjugibus parem, nullóque peculiari honore prosequendam, utpote quam Christus non semel increpuerit, & mulierem indignabundus appellârit. Unde non defuêre in his bellorum acerbissimorum, quæ ab hæreticis contra Catholicos geruntur, turbinibus, qui in templorum direptionibus, cùm statuas Christi Domini, ejúsque Matris aliorúmque Sanctorum sexcentis contumeliarum affecissent generibus, Sanctum Joannem Evangelistam Virginem, Virgini Matri Speciali privilegio in Filium traditum (quod referre horret animus, hæret lingua, ipsúmque corpus totis artubus contremiscit) per summum nefas inter se turpiter conjungere non dubitârunt. O Admirabilem DEI longanimitatem atque patientiam, qui olim igne, Sulphure, fulminéque de cœlo ruente, & terra dehiscente impios in Infernum detrusit, jam in suam Majestatem, Divinámque Matrem tam enormiter injurios suffert, & tolerat.

Miranda Deiparæ in suos calumniatores, si fortè resipiscant, longanimitas.

5. O Stupendam Virgineæ hujus Leænæ mansuetudinem, quæ, cùm hujusmodi sceleratos pro ea, qua pollet Divinitus sibi communicata omnipotentia, perdere ac pessumdare omnino possit, & dicere cum Filio Oseæ 13. v. 7. *Ego ero eis quasi Leæna, sicut pardus in via Assyriorum occurram eis, quasi ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum, & consumam eos ibi, quasi Leo.* Nihilominus pro innata sibi benignitate ac facilitate suffert, ac dissimulat, si fortè aliquando resipiscant, & ad pœnitentiam convertantur. In illos enim, quorum desperatâ est pœnitentia, inque sua obstinatione perse-

verant.

verant, omnino terribilem ac formidandam se Leænam esse ostendit, quod quàm plurimis declarari potest exemplis, ut etiam superiori Discursu comprobatum est.

Terribilis est in eos, de quorum desperatum est pœnitentia. Confirmatur exemplo Anatolij.

6. Unum alterúmve hic indicasse brevitatis gratiâ sufficiat. Primus sit scelestissimus atque impurissimus Anatolius Christi Domini, ejúsque Matris inimicissimus. De quo Baronius ex Evagrio Tom. 7. Anno 550. Fovebat hunc Tiberij Christiani Imperatoris, Justini Junioris Collegæ Præfectus Aulæ, vir bonus quidem ille, sed scelerum perfidiæque Anatolij minimè conscius. Hic tandem confessus est Deiparam Virginem sibi apparuisse, gravitérque expostulâsse, quòd Anatolij defensor, & amicus esset; Quoúsque inquiens defendis causam Anatolij, qui tum me, tum Filium meum tantis onerat contumeliis? Interea venit fama ad Imperatoris aures, Anatolium, dum Antiochiæ diversaretur, nefariis Deorũ Sacrificiis operam dedisse, & Sacrosanctâ Christianorum mysteria & linguâ & manu polluisse. Quibus auditis pius Princeps, mox Anatolium comprehendi jubet, & Cônstantinopolim ad se vinctum catenatúmque perduci. Ubi in urbem appulit, illico in custodiam detruditur, in qua cum sanctissimæ Virginis Deiparæ, de funiculo ad solatium captivorum suspensa videretur Imago, Impiissimus Anatolius manibus post terga revinctis, multis spectantibus ei supplicabat, inque Virginis Iconem sæpius simulata pietate oculos conjiciebat, ut suam causam Cæsari probaret, & maturæ in melius vitæ testes haberet.

B. Virgo Anatolium simulata pietate precantem, aversâ in imagine facie repulit; apparensque, alios fideles in eum concitat.

7. Verùm Imago illum velut Sacrilegum detestata, & ut Deo invisum coarguens, penitus oculos ab eo avertit. Spectaculum planè horribile, & sempiternæ memoriæ prodendum, inquit Evagrius; quod è præsidiariis militibus, & ab iis, quibus ejus custodia commissa fuit, visum est, & ab his omnibus aliis divulgatum. Apparuit item Deipara reipsa nonnullis aliis fidelibus, eósque contra scelestum illum concitavit, inquiens, Anatolium Filium suum contumeliis afficere.

Anatolium ab Imperatore in crucem actum in audito exemplo lupi è cruce deturbant; & membratim dilaniatum devorant.

8. Quibus cognitis, Imperator Anatolium primùm in Amphitheatro bestiis exponi jubet, ut ab aliis præfocaretur, & deinde ageretur in Crucem. Nec hic ejus suppliciorum finis. Nam lupi sceleratum ejus cadaver in terram è cruce deturbantes (quod antè nunquam visum vel auditum) membratim dilaniatum crudeli pastu devorârunt. Hujus nequissimi hominis impietate censet idem Baronius, justo Dei judicio Antiochiam, ubi tot perpetravit scelera, ingenti quassatam fuisse terræ motu, cum quamplurimorum privatorum, publicorúmque ædificiorum ruina. Atque ita miserabilis hic, in Dei Matrem, Divináque omnia injuriosus interiit homuncio; in quo plectendo Virgo Deipara nostra, licèt aliàs mansuetissima, se Leænam justè sævientem ostendit.

Blasphemi in Deiparam à malis spiritibus corripiuntur.

9. Eadem Virgo indignationem suam in sui contemptores justissimam ostendit Anno 587. ut scribit Baronius Tom. 7. ex Cedreno, dum eos Tartareis Leonibus cruciandos ac divexandos tradidit. De quibus ita Baronius: Eodem Tempore Græci quidam in domo cujusdam prandentes eò prolapsi sunt, ut in Virginem Deiparam convitia atque execrationes jacerent. Horum reliqui illico â malis correpti spiritibus pœnas dederunt. Dominus autem domus illius per somnium vidit adstare sibi Deiparam, quæ alloqui ipsum non dignata, pedes ejus virgulâ, velut notis impressis; circumscripsit. Ille autem præ dolore statim evigilans, pedes suos incisos invenit, gestatus in publicum, ibíque expositus justum Dei Judicium, & inculpatæ Virginis

Deiparæ contra se indignationem professus est.

Blasphema in Deiparam mulier & ejus festi contemptrix, prævijs alijs pœnis, repentinis doloribus ad mortem deducitur.

10. Neque verò superioribus sæculis, verùm etiam Anno videlicet 1600. hujus Leænæ in impiissimos Nominis sui blasphematores apertissimæ visæ sunt vindictæ. Exemplum unicum commemorâsse sit satis, quod Joannes Bonif. lib. 5. de Hist. B. V. cap. ultimo refert ex literis P. Melchioris Trevinii Pragensis Collegii Rectoris. In urbe inquit, Zamora quædam Matrona genere quidem nobilis, sed hæresis tam perditæ; ut Sabbathi diem & sibi & suis vellet esse feriatum: contra Dominicum profestum & operosum. Extra urbem huic erat villæ possessio, ad quam ipso Annunciantis Angeli die, cùm proficisci pararet, domestici iter dissuadent, diei Christianis Religiosissimi sanctitate propositâ. Mulier offensa, Deiparam, cujus inclytas ferias famuli objecissent, verbis lacessere, unam ex multis dicere, eidem se sanctitate parem esse (ô os execrandum & pice sulphuréque Tartareo dignum!) jactare. Igitur ad villam egressa, cùm jam parum viæ restaret, equi rhedam trahentes, tam fixis hæsêre vestigiis; ut ad progrediendum vis nulla coëgerit. Itaque Rhedario nequicquam incitante, nihílque, neque voce & clamore, neque flagello proficiente, improba mulier, dum equi perstant immobiles, exit ex Rheda, & tantisper declinat â via, ut naturæ obtemperet, & alvum exoneret. Se purgantem interim ingens & validus ventus repente deturbat, & mulieris faciem in corporis egestas sordes impingit, & cùm os sacrilegum immundis fœcibus inquinâsset, post ingentes editos clamores, spurcam animam egit; dolore trahente. Videte Leænæ nostræ de impiissima hac muliere acceleratam ultionem.

11. O quàm præclarè hìc quadrat huic fœminæ hæreticæ dictum illud Epiphanii lib. 3. contra Hæres. 79. *Omnis hæresis mala mulier est. Non ergo mirum, quod Virgo quæ universas hæreses interemit in universo mundo, etiam pestilentem hanc hæreticámque belluam, tanquam generosa Leæna tam ignominiosa morte peremerit.* Quid porrò illam facturam in diei judicii contra hujusmodi impios nobis cogitandum est? Sæviet omnino ad instar cujusdam Leænæ oculísque terribilibus, flammam ignis spirantibus eos aspiciet, & consternabit. Unde Rutilius Benzonius oculos Divæ Matris cum oculis Christi, qui sunt tanquam flamma ignis, conferens, ita loquitur: *Sic quoque oculi Deiparæ suo modo flamma ignis appellandi sunt; cum illa sit illuminatrix, & tanquam lucerna ad illuminandum omnes fideles exposita in altissimo Candelabro in Ecclesiæ loco: quin etiam electis est Deipara flamma ignis, ad calefaciendum illos amore virtutum & sanctitatis. Reprobis autem ad terre faciendum juxta illud* Job. 7. *oculi tui in me, & non subsistam. Ira enim oculis declaratur, quibus aspectu severiori peccatores obstinatos Deipara respicit. Erit enim illis terribilis, ferox & timenda in novissimo die.*

Deipara nunquam Leæna suis contemptoribus, in die Judicii erit terribilis.

12. Illa quoque Leænæ proprietas Virgini Reginæ Cœlorum gloriosissimæ convenit, quod apertis oculis dormiat. Qua de re Gyllius lib. 2. de anima. cap. 3. oculis apertis, inquit, solum Leonem nasci Democritus ait, alii observarunt, eum, cùm dormit, caudam movere, ut ostendat se non omnino dormire, uti cætera animalia. Quod ipsum Ægyptii se observâsse gloriantur, Leonem videlicet â somno invictum esse nempe qui semper vigilet. Idcirco hunc soli eos comparare existimo, quòd sol laboriosissimus ad nullum temporis punctum versari intermittens, circum orbem terræ ab instituto cursu nunquam conquiescit: cui rei Homerum

Leæna aut nunquam aut apertis oculis dormiens, comparatur Deipara, semper per vitam absque ulla somni interruptione ad Deum amore, & contemplatione vigilans. Confirmatur P. Suarez similitudine dicta ab Angelis.

merum testem afferunt, cùm solem dicit operum & laborum quietem nullam habere. Qua sanè proprietate mirificè, assidua illa Beatissimæ Virginis nostræ, absque ulla etiam somni interruptione, nobis miraculosa repræsentatur contemplatio, de qua ipsa loquitur in Cantico amoris cap. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et sanctus Ambrosius lib. 2. de Virginibus varias virtutes eis in Deipara, veluti in speculo, imitanda proponens, hanc continuam indefessámque ejus in Divinis contemplandis, actibúsque charitatis, aliarúmque virtutum eliciendis proponit vigilantiam: *Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit; & tamen, cùm quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat.* Hinc Petrus Canisius noster, Germaniæ Apostolus, lib. 5. de Deip. cap. 1. his aliísque fundamentis nixus præclarè pronunciavit: *Cujus vita jugis & continua quædam fuit contemplatio.* Unde colligit P. Suarez illam assiduè actus Divini amoris quasi absque ulla interruptione elicuisse, & merita meritis assiduè cumulando, ad summam, & ut ita dicam, penè immensam gratiæ perfectionem, & intensionem, nostro concipiendi modo, pervenisse. Cujus rei illam affert rationem. *Quia Angelis Sanctis*, inquit ille, *datum est; ut ex quo in primo instanti suæ creationis conversi sunt in DEUM, nunquam ab illius actuali amore cessaverint; sed hoc donum maximè pertinet ad perfectionem charitatis, & Sanctitatis, ergo credi potest communicatum esse B.V. tanquam eorum Reginæ, longe videlicet excellentiori modo.* Addit insuper rationem aliam. *Quia si probabile est uti revera est, B. Virgini datam esse aliquam scientiam seu cognitionem per se infusam, vel toto, vel majori vitæ suæ tempore, qua uti posset, sine conversione ad phantasmata, facilè intelligimus, etiam in somnis potuisse illâ scientiâ uti, & consequenter meritoriè per voluntatem operari; quia hæc non pendet a corpore, si intellectus sit expeditus ad cogitandum, & proponendum objectum.* Quis igitur dubitare poterit? quin B. V. assiduâ, in divinorum contemplatione, vigilantia maximum ac infinitum quoddam divinæ Charitatis meritorúmque sortita fuerit augmentum.

13. Hinc Venerabilis Dionysius Richelius lib. 2. de dignit. & Præcon. B. V. art. 17. Virginem Sapientissimam mysticam Theologiam â Filio didicisse docuit, ac proinde DEI cognitionem clariorem in terris habuisse præ cæteris, & consequenter majoribus divini amoris flammis in dies exarsisse, utpote quæ ab omnibus rebus terrenis fuerit abstracta, & divinis dumtaxat magna animi tranquillitate intenta: *Nempe*, inquit ille, *quò sanctissimæ ipsius mentis tranquillitas stabilior, quò sapientia clarior, quò amor æstuantior, quò libertas absolutior, & omnis in ea gratia copiosior; eò perfectionem hanc DEI formem atque altissimam, mysticæ videlicet Theologiæ, sive scientiæ infusæ plenius sortita est. Præterea cum fuerit Mariæ humilitas profundissima, atque perfecta seipsam, & quod supra se est, clarissimè ac eminenter agnovit. Adeóque uti nullius humilitas ipsius æquari potest humilitati: Sic quoque omnibus ipsa æternæ naturæ Majestatem, incomprehensibilitatem, simplicitatem, ac bonitatem, beatitudinémque excellentius atque limpidius contemplata est.*

Perpetuo in Deum amore exarsit DEIpara.

14. Ex quibus omnibus art. 18. colligit, potiori jure, quàm Moysen aut Paulum beatifica visione subinde ad breve tempus, dum adhuc in terris viveret, fuisse perfruitam. Benevolentia enim illa DEI Creatoris singularis, qua eam complectebatur, facilè

Beatissima Virgo subinde in vita, Beatifica visione fruebatur.

Uuu uuu uuu

cilè hanc ei gratiam, utpote sibi præ omnibus dilectissimæ concesserit: *Amor enim major*, ut inquit idem Dionysius, *intimiorem unionem efficit, pluraque bona dilecto impendit. Quomodo ergo ei hanc gratiam DEus non præstitisse credendus est. Quam præ cunctis ineffabiliter elegit, atq; dilexit? ad hæc quid mirum, si in hac quoque vita DEus prælectæ Virgini ipsam suam essentiam dedit per speciem intelligere, cujus, atque ex qua, ipse naturam veram dignatus est assumere. Si ipsa dedit DEO, quod ipsa est, cur ei non dedisset DEus intelligere, quod ipse est? Constat etiam, quoniam credita & visa ardentiùs concupiscuntur, quàm credita dumtaxat. Desiderium namque seu amor in cognitione universis DEUM ardentiùs semper, ac præcordialiùs concupivit, ac dilexit; sic prorsus pleniorem ejus notitiam sortita fuerit. Viator autem, qui vel semel DEUM per essentiam vidit, etsi non semper postea in ea perfectione perseveret, semper tamen pleniùs DEUM his, qui nullum usquam per speciem viderunt, agnoscit, ferventiorque permanet. Itaque si Maria Deum continuò clariùs noverat, æstuantiùsque amabat eum, nisi fallor, vel aliquando omnibus excellentiùs vidit. Probant denique veritatem hanc ex similitudine Matris ad Filium, quam in omnibus penè præseferre visa est: Præterea,* inquit, *in omnibus naturæ & gratiæ muneribus adorando Filio simillima erat Mater mundissima. Filius autem ejus à conceptionis suæ momento, etiam secundùm assumptam naturam extitit comprehensor, non tamen ita sicut Divinus intellectus. Igitur in hoc quoque præ cæteris similior censenda est Mater Virginea. Nec alienum reor, si, quod animæ Filii indesinenter impertitum est, menti etiam Matris purissimæ Sanctissimæque; aut semel, aut quandoque, aut certè ubertim concessum quis asserat.* Hæc de perfectissima Deiparæ contemplatione cœlitibus simillima Dionys.

15. Idem sensit Rutilius Benzonius Episc. Laur. lib. 1. in Magn. cap. 7. qui licèt Moysi & Apostolo Paulo beatificam pro præsentis vitæ statu divinæ essentiæ visionem negaverit, illam tamen gloriosissimæ Deiparæ ultro libens volénsque concedit, *illúdque*, inquiens, *gratissimum est mihi asserere, nec sine congrua ratione, nulli mortalium communicatam fuisse Divinæ essentiæ visionem & fruitionem, in terris nisi B. Virgini, quam ex titulo Maternitatis Divinæ hoc speciale privilegium aliquando habuisse; & præcipuè in die, quo peperit Salvatorem, piissimum est credere, quod etiam placuit Cypriano Ser. de Nativ. & aliis.* Idem Benzonius lib. 2. cap. 13. verba illa Virginis enucleans. *Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Ait, *Albertum magnum docere, in ea exultatione Deiparem non solùm DEI essentiam vidisse, sed etiam in ea cernenda, & intuenda tantam perspicacitatem, & tam vehementem luminis splendorem habuisse; ut asserat, non solùm sicut Paulum, sed multò perfectiori modo, quàm illum, DEum conspexisse. Cujus rei eam dat rationem, quod Paulus stupefactus, nesciens scilicet an in corpore, vel extra corpus esset, DEum vidit. Deipara verò absque ullo stupore & cum maxima delectatione, jucunditate atque dulcedine perfruita dixit, & exultavit. Sicut enim puritas & innocentia Virginis tum Paulum, tum aliorum viatorum longo intervallo sanctitatem superabat, sic etiam lumen, quo DEum vidit omnia alia lumina, quibus fortè non nulli eum viderunt, in perfectione superare affirmandum est.* Sic Penzon.

Deiparam in nativitate Christi, tum aliàs, Beatifica visione fuit perfruita.

16. Neque verò Leænæ, somnium ille apertis oculis jugem vitam contem-

Deiparæ vita activa, dormienti oculis apertis Leænæ confertur, & sollicitudo, quam nunc gerit pro Ecclesia.

templativam indicat Virginis, verùm etiam illi sociatam Activam. Quod nobis verba illa Virginis, superiùs memorata, indicant: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ considerans Joan. Cardinalis Halgrinus. *Duas hic vitas*, inquit, *in se ostendit, quas per mel & favum designaverat Filius: dicit ergo. Ego à curis hujus sæculi quieta, dormio in sinu dilecti mei, in contemplatione DEI; sed quia amore langueo per amorem proximi, cor meum vigilat ad opera charitatis: Potest tamen quod dicit: Cor meum vigilat, ad illam solicitudinem referri, quam etiam nunc gerit pro Ecclesia. Nam licet in se ipsa dormiat & requiescat, pro nobis tamen est piè solicita, in precibus ad Filium, & in defensionibus contra inimicum.*

B. Virgo perfectissimè post Christum, vitam activam contemplativæ conjunxit.

17. Quam vivendi rationem Virgo beatissima à dilectissimo suo, cui semper adhæsit, didicit Filio, de quo S. Hidelbertus Episc. Turonensis Epist. 37. *Christus* inquiens, *nunc docens in campestribus, nunc in montibus orans, suis eos figurabat studiis, in quibus sic invicem præscriptæ consonant professiones; ut nec actio contemplationem, nec contemplatio strangulet actionem.* Unde Rupertus Abbas lib. 5. in Cant. utriusque hujus vitæ, ait Deiparam obtinuisse Magisterium ac principatum, quod contemplativam activámque vitam viventium Princeps atque Antesignana; & in utroque vitæ genere Magistra fuerit peritissima, adeò; ut post dilectissimum ejus Filium nemini mortalium æquè licuerit utramque hujusmodi vitam simul ita Sanctè conjungere, atque Virgini Deiparæ. Sed verba ipsa viri Religiosissimi audiamus, qui ubi vocem illam jam sæpius commemoratam Virginis. *Ego dormio &c.* præmisisset, mox hæc subjunxit: *Ecce hic ô Maria beatissima, ecce hic nobis quasi per speculum in ænigmate sublucet vita tua, vita inclyta, qua cunctas illustras Ecclesias. Totus ferè hujus capituli sensus ad illud pertinet, quod in te latet, & supra nos est, uti dicebat dilectus: Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet. Admoveamus ergò hoc speculum, & diligenter oculis cordis exinde contemplemur; ut saltem aliqua ex parte cognoscamus sanctissimam conversationem tuam. Dicis: ego dormio &c. quid hoc est aliud, nisi illud ipsum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui sapientia DEI: In omnibus requiem quæsivi. Et quid hæc sunt: Nisi optimam partem elegi, relictis cunctis solicitudinibus & curis sæculi. Et quidem multæ filiæ, sive multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt, sed tu dormitionis hujus totum obtines magisterium, & vigiliarum cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Psalmo loquitur Dilectus: Vacate, & videte, quoniam ego sum DEus. Hoc namq; idem est, ac si diceret: vos dormite, & cor vestrum vigilet. Sic Pater tuus Jacob, quando dormivit, tunc cor ejus vigilavit.* Gen. 28. Eadem Virgo beatissima formam quoque vitæ Activæ se se nobis exhibet, dum paulò post hæc attexit: *Surrexi ut aperirem dilecto meo; manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei myrrham probatissimam; pessulum ostii mei aperui Dilecto meo.* Ubi audienda elegans admodum paraphrasis ejusdem Ruperti: *Surrexi inquam, quomodo enim diutius dormire, aut post obdormiscere potuissem? Surrexi, operam dedi, ut aperirem dilecto meo, ut cum Apostolis Christi, utique dilecti mei, dictis & factis proficerem currenti Evangelio: Nam hoc est, quod dico: Manus meæ stillaverunt myrrham primam, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Oportebat namque, ut maximè relictis credentium, atque Apostolicam vitam imitantium viduis, manifestum*

darem exemplum omnis mortificationis vitiorum, normamque in propatulo mox venturis, novamque eatenus inauditum exemplum, eo suscepturis Sanctæ Virginitatis propositum. Ait denique se silentium rupisse ad docendum alios legem vitæ & disciplinæ. Hoc enim est, pessulum sui ostii aperire. Pessulum ostii mei, inquit Rupertus, *aperui, hoc est clausuram oris mei. Quid namque per pessulum, nisi silentii signatur firmamentum. Pessulum ergo ostii Dilecto meo aperitur, cum indictum ori silentium, propter Christum resolvitur, ut audientes ædificentur.* Hæc Rupertus. Ex quibus omnibus Virgineæ hujus, atque generosissimæ Leænæ tam contemplationis suavissimum somnum, quam activæ vigilantiam, ac solicitudinem, in erudiendis, instruendísque proximis licet colligere, atque imitari.

Deipara similis est Leænæ, supplicibus, & prostratis parcenti.

18. Nec illa Leænæ de tribu Juda deest proprietas, quam memorat Plinius lib. 8. Natur. Hist. cap. 16. & alii. Sic enim ait: *Leoni tantùm ex feris clementia in supplices; prostratis parcit; & ubi sævit, in viros prius, quàm in fœminas fremit.* Hinc Claud.

Obvia prosternas, prostratáque more Leonum Despicias.

Leonis clementia exemplo Androdi asseritur.

19. De hac Leonis clementia præclarissimum scripsit exemplum Gyllius lib. 2. de Natura animalium cap. 5. cùm à senatore Romano servus, cui Nomen erat Androdus, aufugisset, quia facinus quoddam nefarium admisisset, & tandem in Africam venisset, relictis urbibus in desertissimam processit regionem, ibique, cùm ardore solis torreretur, speluncam subiens, ab æstu requiescebat; Hæc autem spelunca Leonis erat cubile. Posteaquam autem ex venatu Leo summo cum dolore, quo laborabat ex pede, transfixo stirpe præacuta, revertisset, atque in juvenem, qui intra specum abdebatur, incidisset, ipsum leniter aspexit, ac blandiri cæpit, pedémque porrexit, & quoad poterat, stirpem sibi extrahi rogabat. Ille primò pertimuit, deinde ubi mansuetam vidit belluam, & pedis morbum cognovisset, tum id, quod pedem vexaret, evellit, tum verò dolore liberavit. Qua curatione Leo delectatus, illum hospitaliter & amicè tractando, & quæ venaretur cum illo communicando, præmium salutis persolvit. Is quidem incoctis, ut Leonum mos fert, pascebatur; ille verò assis vescebatur, communíque utriusque mensâ secundum suam quísque vivendi rationem utebatur. Itaque totum triennium ibi Androdus ætatem duxit. Cum tandem hujusmodi habitationis illum tæderet, â Leone discedens vagari cœpit. Cúmque, ubi esset, intellectum fuisset, comprehensus est, Romámque vinctus ad Dominum deductus. Itaque ad bestias damnatus est, ut ab eis vivus distraheretur. Tunc verò fortè acciderat, ut forte is Leo Libycus caperetur, & in theatrum simul cum Androdo immitteretur. Quem Leo mox ut suum benefactorem agnovit, suavitérque illi blanditus est. Et totius corporis inclinatione ad pedes hominis se abjecit. Androdus tandem suum hospitem recognovit, & Leonem tanquam peregrè venientem amplexatur. Interea, dum Pardalis Androdum invadere aggrederetur, Leo illum, qui ei nuper salutem attulisset, ab hujus laniatu servavit, Pardalímque laceravit. Spectatores hìc incredibili, uti par erat, tenebantur admiratione. Qui autem spectacula exhibebat, Androdum accersivit, ab eóque totam rei seriem cognovit. Hac re in populum evulgatâ, mox omnes clamorem sustulêre, omnísque consessus multiplicem plausum dedit, censuítque, & homini ipsi, & Leoni esse lárgiendam libertatem. Sic ferè Gyllius.

Confertur Leonæ clementia, clementiæ Deiparæ.

20. Ex qua narratione sanè jucundissima, cum ferocis aliàs animalis ad-

admirabilis planè gratitudo, tum clementia singularis elucescit. Quæ, si quæ virtus alia in Virgine nostra pientissima, ab Ecclesia *Virgo clemens* vocitata, potissimùm semper enituit. Si enim Clementia, Auctore Seneca Philosopho lib. 2. de clem. cap. 3. *est temperantia animi in potestate ulciscendi;* Si, inquam, hæc est virtutis hujus natura; in quo, quæso, post DEUM, supremum omnium Creaturarum Dominum, magis, quàm in ejus Matre pientissima domicilium suum fixit? *Cùm enim à Filio ei communicata sit potestas omnis in cælo & in terra,* ut loquitur B. Petrus Card. Dam. Ser. 1. de Nativ. & Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B. V. & ab omnipotenti Filio ipsa quoq; omnipotens sit effecta, adeò; ut verè dicere possit cum eodem Filio. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra.* Consequitur sanè illi concessam quoque facultatem ulciscendi quæcunque hominum peccata, ac scelera.

Mariæ clementia in eo elucescit, quòd peccatoribus supplicibus parcat gratiámque reconciliet, quos punire posset, pro potestate à Deo sibi concessa.

21. Quæ tamen illa, pro innata sibi pietate ac clementia, cùm nos, precésque nostras coram illa humiliter prosternimus, dissimulat, ac conniventibus quodammodo aspicit oculis, calentissimísque apud Filium agit precibus; ut nobis gratiam ad resipiscendum, & ad agnoscendam turpitudinem criminum, ut ea cane pejus & angue execremur, largiatur.

Beatissimæ Matris clementia ostenditur: cùm juxta Senec: clementia sit lenitas superioris adversus inferiorem in pœnis constituendis.

22. Quòd si clementia est lenitas superioris adversùs inferiorem in constituendis pœnis, ut idem docet Seneca; quis dubitabit DEI Matrem supremámque totius universi Dominam clementissimam esse, utpote quæ Mater, & etiam Regina misericordiæ est, & nominatur, *omnibus præbens,* ut loquitur S. Bernardus, *Lac & Lanam?* Licèt igitur superior omnibus creaturis sit, & suprema, ut eam vocitat Joannes Gerson, etiam respectu Angelorum Hierarchias; nihilominus tanta est ejus clementia, ac lenitas erga nos subditos, ut nullas peccatis nostris alias debitas pœnas imponat, ac constituat, sed peccatores omnes, ac præsertim eos, qui ex fragilitate labuntur, suo pallio, quod S. Brigitta vocat, ipsius misericordiam, benignissimè contegat. Novit enim se peccatorum beneficio, ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem esse evectam.

Seneca, crudelissimi Ceteroquin, Neronis Cæsaris, cùm ægrè ad constituendam alicui malefactori pœnam induceretur summè clementiam deprædicat.

23. Mirificè olim Neronis Cæsaris, aliàs crudelissimi à plerisque, maximè verò ab ejus Præceptore Seneca deprædicata est clementia, quòd tam ægrè ad constituendam scribendámque in quendam malefactorem pœnam, induceretur, adeó ut idem Seneca se, ad scribendum de clementia ipsius, occasione ea impulsum fuisse fateatur. Sic enim ille cap. 1. lib. 2. *Ut de clementia scriberem, Nero Cæsar, una me vox tua maximè compulit, quam ego non sine admiratione, & cùm diceretur, audiisse memini, & deinde aliis narrâsse. Vocem generosam magni animi, magnæ lenitatis, quæ non composita, nec alienis auribus data, subitò erupit, sed bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medio adduxit. Animadversurus in latrones duos Purrus Præfectus tuus Vir egregius, & tibi Principi notus; exigebat à te, scriberes, in quos & ex qua causa animadverti velles. Hoc sæpè dilatum, ut aliquando fieret, instabat. Invitus invito cum chartam protulisset, traderétque, exclamasti: Vellem nescire literas.* Quam vocem clementiæ lenitatísque plenissimam, quanti hic Philosophorum sapientissimus æstimarit, insigne illud ipsius declaravit epiphonema, cum exclamarit: *ô dignam vocem? quam audirent omnes gentes, quæ Romanum imperium incolunt, quæq; juxta jacent dubiæ libertatis, quæq; se contra viribus aut animis attollunt! ô Vocem in concionem omnium mortalium mittendam, in cujus verba Principes, Regésque jurent! ô vocem publica generis humani innocentia dignam,*

cui redderetur antiquum illud Sæculum!

Celebratur inde clementia Deiparæ.

24. Quod si unica vox clementiæ Neronis, mortalium crudelissimi ore deprompta tantam orbi peperit admirationem; & quam, DEus immortalis, supremæ totius mundi Dominæ ac Reginæ, in cujus lingua semper lex est clementiæ, non solùm verba, verùm etiam facta luculentissima erunt paritura.

Nos Maria Deo reconciliat, ut quondam mulier Thecuitis Absolonem Davidi.

25. Celeberrima fuêre olim Thecuitis illius verba ad Regem David pro Absolone Filio deprecantis, cùm enim hic summam Parentis indignationem incurrisset, ob interfectum Ammon Fratrem, fugissétque in Gessur iram Patris, mulier quædam, è Thecua, sapientissima scitè parabolam quandam â Joab instructa concinnavit, qua Regem ratione prorsus admirabili, ut parceret Absoloni sanguinario, ad clementiam flexit. Inter reliqua porrò ejus verba sapientiæ lenitatísque plenissima, illa sunt memoriâ digna, quibus, ut vita Absoloni â Rege condonaretur, persuasit. 2. Reg. 14. n. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans, ne penitus pereat, qui abjectus est.* Quæ verba tantum pondus, ac momentum apud Regem habuerunt, ut eum in Hierusalem in domum suam salvum incolumémque redire permiserit. O quoties nos miseri mortales Patris æterni velut ingrati ac scelerati Filii indignationem, ob animam velut supremi Regis lethali culpa enectam filiam incurrimus. O quoties ab irati Judicis facie, ne in furore ejus arguamur, atque obruamur, nobis profugiendum est! Tunc nimirum Virgo clementissima pro nobis tanquam profugis perditísque Filiis, solitâ sua sapientiâ, apud iratum Judicem intercedit, ut nos in æterni Patris gratiam reducat, & in cælestem tandem Hierusalem introducat.

Maria præcipuè refugium est in necessitatibus publicis. Confirmatur exemplo Melitæ intercessione Deiparæ â Turcarum obsidione liberatæ.

26. Quod licèt vel semper, vel ut plurimùm faciat Virgo benignissima in privatis cujuscúnque hominis necessitatibus; id tamen in publicis præstat vel maximè, cùm animadvertit scribi contra nos amaritudines, & consumendos nos videt peccatorum nostrorum innumera multitudine. Experti sunt benignitatem hanc Deiparæ, Equites Melitenses, cùm Anno 1565. ut refert Spondanus, quatuor mensibus â validissima Turcarum classe fuissent obsessi, ac tandem peculiari beneficio ac clementia Virginis, ejus die Natali liberati. Quam miraculosam liberationem totam penitus Spondanus ad Annum illum 1565. n. 11. patrocinio ac protectioni Deiparæ adscribere non dubitavit. Postquam enim præmisisset, Turcas septuaginta octo mille emissiones muralium tormentorum explosisse, facta is millium suorum militum jactura; navalis turbæ octo millium; hæc attexit: In confirmationem porrò hujus cœlestis auxilii, narrat Viperanus, sermone vulgatum fuisse, cuidam Capucino magnæ sanctitatis viro, tunc in Insula existenti, cùm divinis precibus insistens extra sensum positus fuisset, oblatam ei visionem, qua Christus Dominus inter Matrem, & Joannem Baptistam constitutus dicere, se Matris suæ, & B. Joannis, ac reliquorum Sanctorum, itémque piorum hominum precibus commotum, in Melitensium equitum salutem oculos intendisse, quos alioqui ob pravos mores neglectámque Religionem castigatos vellet. Tum mandari sibi Magistrum convenire, cúmque bono animo esse jubere, monerėque, ut posthac Equites ad sanctitatem morum, pristinámque virtutem, ex omni turpitudine vitam revocarent, caveréntque studiosè, ne quid pejus deinceps sibi ex corruptis moribus, sceleribúsque contingeret. Capucinum quæ vidisset & audisset Magistro exposuisse; cúmque exinde non humanis subsidiis, quæ nimis sera

ſera viſa ſunt, ſed opi divinæ liberationem acceptam retuliſſe. Quin imò addit idem Author, ſe quoque à nonnullis audiiſſe, Turcas pugnando interdum fœminæ cujusdam aſpectu, veſtimentis albis indutæ, interdum ſylveſtris cujusdam, & pellibus induti hominis, interdum etiam candente quadam columba, quaſi divino quodam Numine perterritos fuiſſe. Unde Melitenſium Equitum Magiſter ob tantum beneficium ingrati animi conteſtationem poſt diſceſſum hoſtium ſolemnem ſupplicationem decrevit; ut ſicut à precibus, & oratione 40. Horarum ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ publicam expoſitionem, propugnationem incæperunt; ita de hoſtium propulſione divina magis potentia, quàm humanis viribus facta, gratias immortali DEO redderet. Quod & paſſim per Italiam, & Romæ in primis factum eſt. Atque ut magis gratos ſe DEO ejúsque Matri exhiberent, idem Magiſter cum aſſenſu procerum Ordinis, in memoriam perpetuam accepti beneficii per adventum auxilii die Nativitatis B. Virginis ſtatuit decreto perpetuo, ut is dies per omnes Religionis Eccleſias cum ſolemni ſupplicatione celebraretur, & ſermone in laudem Virginis, quo hæc enunciarentur populis, diéque præcedenti cantaretur Miſſa pro defunctis omnibus, qui eo bello cœſi fuiſſent. Ac denique ſingulis annis in conventu Melitenſi maritarentur ſex pauperes Virgines.

Quàm efficax ſit Mariæ intercesſio, quantáque ejus clementia, ex verbis Chriſti, tum ipſius Deiparæ ad Sanctam Brigittam, declaratur.

27. Ex qua ſine dubio viſione diſcimus, quam efficax divæ Matris ad ſalvandum mundum patrocinium apud Filium ſuum univerſorum Judicem eſſe conſueverit. Quare meritò idem Chriſtus apud S. Brigittam lib. 6. Revel. cap. 26. poſt varias querelas contra Eccleſiaſticos, totiúsque Eccleſiæ ruinas commemoratas, tandem ad finem capitis hæc addidit: *Verè Eccleſia mea longè receſſit à me, in tantum; quod, niſi preces Matris meæ intervenirent, non eſſet ſpes miſericordiæ.* Quam ob cauſam ipſa Virgo Sacratiſſima, ſe arcam fœderis mundum cùm Deo orationibus ſuis pacificantem apud eamdem S. Brigittam appellat lib. 4. Revel. cap. 78. *Ego jam ſto ſuper mundum*, inquiens, *cum oratione mea aſſiduè ad meum chariſſimum Filium, ſicut Arcus ſuper nubes cœli, qui ad terram inclinari videtur, & ambobus finibus ſuis eam tangere. Per Arcum enim meipſam intelligo. Nam ad habitatores mundi me inclino, ſcilicet tangendo utroſque bonos & malos continua oratione mea; ad bonos, namque me inclino; ut ipſi, in iis quæ S. Mater Eccleſia præcipit, ſtabiles efficiantur; Ad malos autem; ne in malitia ſua habeant proceſſum & deteriores fiant.*

Beata Virgo, pro omnibus tam bonis, quàm malis intercedit. Confirmatur viſione cujusdam pueri.

28. Hæc Virginis pientiſſimæ pro toto mundo, pro bonis æquè ac malis potentiſſima apud Filium interpellatio, variis exemplis apud varios Auctores comprobata eſt, utì videre eſt apud Juſtinum Michovienſem To. 2. in Litan. Lauret. Diſ. 275. n. 10. Ex quibus aliqua hìc breviter commemorare libet. Inter alia celebre eſt illud, quod ſcribit Vincentius Belluacenſis in ſpeculo Hiſt. lib. 27. cap. 4. de puero undecim annorum lue ſacri ignis infecto, qui anno 1128. ſueſſionis Urbe Galliæ in Eccleſiam Deiparæ cum aliis centum & ſex eâdem lue percuſſis introductus; ad ingreſſum proceſſionis quæ fiebat pro gratiarum actione, in vocem prorupit, qua narrabat ſe vidiſſe DEI Matrem pro populo ſupplicantem, ut dignaretur DEus hunc morbum à populo avertere; & hoc reſponſum à Filio accepiſſe. *Mater, tu es maris ſtella, fiat omnis voluntas tua.*

Idem puer conqueri Mariam de vilitate templi ſui ſueſſionenſis videt, mináque propterea populo mala eventura.

29. Idem S. Antoninus Archiep. Florent. Par. 2. Hiſt. Tit. 16. cap. 14. 92. confirmat, qui ſupra commemoratis hæc attexit. Dum conquereretur eadem Virgo ſuper domo ſua, templo videlicet ſueſſionenſi, quæ vilis & abjecta erat præ cæteris, audi-

vit à Filio suo, quòd & de trans mare, & de trans Rhenum curaret afferri pecuniam, qua domus ejus ædificaretur, & in omnium intuentium oculis claritate magna & gloria illustraretur; populo etiam suessionensi mala evenire, ex parte DEI prædixit, quia suæ Genitricis Ecclesiam non reficeret. Unde multos ex eadem Urbe ignis Sacer invasit & absumpsit.

Idem puer paulò post se moriturum asserit, quod evenit.

30. Idem puer paulò pòst se moriturum prædixit, & sic evenit; Non enim mensem supervixit. Mirùm autem valde erat, quòd Puer hic ab initio mundi omnem historiam retexens totam narrationem suam rhythmicè cursim dirigebat. Textum Evangelii & acta Domini ita ordine recensebat; ac si ex libro legeret, & ab aliis dictata pronunciaret. De Jósepho quoque viro B. V. inter cætera dixit: Qui tenet sceptrum Virgæ florentis, custos erat gloriosæ Puellæ. Hæc narrabat clausis oculis, tanquam lucem hanc transitoriam perosus. Ejus mortui corpus tantâ gratiâ perfudit DEus; ut candore & claritate vultûs Angelicum nescio quid & Divinum præferret. Hæc Anton. quæ ad verbum ferè referre libuit ad hoc tam Sancti Pueri, de misericordia & clementia Deiparæ, in genus humanum adeò luculentum roborandum testimonium.

Deiparæ in omnes clementia, & efficax intercessio: declaratur visione Guilielmi Monachi Cisterciensis.

31. Aliud Virgineæ clementiæ refert exemplum Cæsarius lib. 12. cap. 58. quod se accepisse scribit à 12. Abbatibus è Capitulo generali revertentibus. Ait igitur Guilelmum Monachum Cisterciensem in Claravalle in oratione extra se positum aliquando, ad Christi tribunal constitisse, ibíque à dextris throni vidisse Angelum tubam tenentem, qui à Judice clangere dum jubetur, totus mundus velut arboris folium contremuit. Cùm porrò, secundò à Christo jussus, eandem tubam inflare vellet, mox pientissima misericordiæ Mater, secundo illo tubæ sonitu sciens orbem collapsurum ac interiturum, cæteris cælitibus conticescentibus, ad Filii pedes accessit, obsecrans ut sententiam differret, mundóque parceret. Cùm porrò Christus totum mundum in maligno positum assereret, & non modò Sæculi homines, verùm etiam Religiosos, Clericos æquè, ac Monachos peccatis suis Divini Numinis iram provocare, proinde nullo modo sententiam differendam judicaret; rursus Virgo pientissima institisse perhibetur apud Filium, ut saltem in gratiam sibi devotorum Patrum Cisterciensium veniam daret. Qua Matris pia supplicatione placatus Filius mundum ab interitu liberavit.

Divæ Virginis in omnes clementia, alia historia ostenditur.

32. Idem Cæsarius aliud Marianæ clementiæ narrat exemplum lib. 7. cap. 2. dum memorat quadam in Ecclesia Iconem Deiparæ tam largo sudore maduisse, toto spectante populo; ut sudoris guttæ non minori admiratione, quàm omnium horrore, matronarum peplis extergeretur. Aderat tunc ibi quidam à maligno genio obsessus, qui illius tam stupendi ac prodigiosi sudoris rogatus causam, respondit: Quid statis admirantes? Filius Mariæ ad feriendum, percutiendúmque mundum manum extenderat. Quam nisi Mater continuisset, mundus jam minimè subsisteret. Sudor porrò ille adeò effusus vehementem Divæ Matris cum Filio luctam indicat, atque resistentiam, quam olim in lege veteri, Hebræorum sceleribus ad iracundiam provocatus, desiderâsse videbatur, cùm expostularet cum Ezechiele cap. 13. 5. *Non ascendistis ex diverso neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.* Quam sanè hominum, in placando severissimo justissimóque Judice, negligentiam jure merito deploravit olim Isaias, dum ipsum alloquens ingemiscénsque ajebat: cap. 64. 7. *Non est, qui invocet Nomen tuum, qui consurgat & teneat te.* Et ita quidem accidit, antequam Virgo nostra clementissima, ac piissima misericordiæ Mater

Mater in lucem prodiret. At verò postquam increatam illam misericordiam Virgineo suo utero continuit complexáque est, postquam manus ejus pannis involvit, fasciísque strinxit, piam quandam violentiam ipsi intulisse visa est. Unde in Canticis cap. 3. gloriabatur: *Tenui eum, nec dimittam.* Quæ verba considerans Card. Halgrinus docet esse Deiparæ suo potissimùm Judaico populo miserentis, próque ipsius salute cum Filio quodammodo decertantis: *Ostendit B.V.* inquit ille, *quòd iratus erat Dominus contra vineam suam, plebem videlicet Judaicam, quæ conversa erat in amaritudinem, & fecerat labruscas, cùm facere debuisset uvas. Ait ergo: Tenui eum, ne vineam suam dissiparet omnino. Et subdit, nec dimittam sed continua precum constantia furorem ipsius retinebo. Non dimittam ergo eum, sed semper tenebo, & instabo precibus, donec introducam ad Matrem sive Genitricem meam plebem Judaicam; & per fidem habitet ibi, tanquam in domo, vel cubiculo suo proprio.* Sic Halgrinus.

Christi Judicis ira orationibus hominum placatur.

33. Hugo verò Card. de S. Caro charitatem hanc pientissimam in protegendis â Judicis furore mortalibus extendit non modò ad Judæos, verùm etiam ad omnes omnino homines: *Tenetur Christus* inquit, *instantia orationis. Sic tenuit eum Moyses.* Exod. 32. *Cum dixit illi dominus: Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, Moyses autem orabat dominum DEum suum.*

Deus subinde ob gravitatem scelerum, nec à sanctissima Matre sua placari vult: ostenditur visione Abbatis Georgii, partisque subsecutis.

34. Etsi porrò teneatur ut plurimùm Christus suæ dilectissimæ Matris precibus, atque intercessione, justissimámque suam indignationem irámque subinde mitiget, quoties illa Sanctissima pietatis monimenta, purissima nempe ipsius intuebatur ubera, ex quibus lac pietatis clementissimámque suxit, imbibítque indolem; nihilominus tamen contingere potest, ut adeò enormia mortalium sint scelera, ac flagitia, ut quantumvis se totam ad ejus placandum furorem justissimum impendat, aut modicum aut nihil omnino proficiat, uti Sophronius Hierosolymorum Episcopus in suo Prato Spirituali cap. 50. ostendit. Quod quidem ejus opus insigne II. Nicena Synodus Act. 4. mirificè laudavit. Sic igitur ille: Scytopoli convenimus Abbatem Anastasium, narravítque nobis de Abbate Georgio incluso, dicens: Cùm quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum (ea quippe tum mihi injuncta fuerat, ut excitarem Fratres ad collectam) audivi plorantem senem, profectúsque ad illum rogare cæpi: Quid habes Pater, quia sic ploras? Ille verò nihil mihi respondit. Rursus cùm rogarem illum, ut causam fletûs mihi aperiret, ingemiscens, & interno corde suspirans ait: *Quomodo mihi â fletu temperem, cùm Dominus noster JEsus Christus nobis reconciliari nolit. Ego enim, fili, videbar mihi assistere cuidam super excelso residenti. Multa verò millia circa illum erant orantium illum, atque deprecantium, qui illorum precibus flexus non est. Posthac accessit ad eum mulier purpura induta, procidítque ante illum & ait: vel propter me placare Fili. Ille verò nihilominus inexorabilis mansit: atque idcircò ploro, & ejulo, verens quod futurum est.* Hæc mihi dixit Abbas Georgius quintâ illucescente feriâ Cœnæ Domini. Sequenti verò, id est, Parasceve, horâ diei nonâ repentino, magnóque terræ motu corruerunt urbes maritimæ Phœnicis. Hæc Soph. Ex quibus facilè colligimus, quî fiat, ut hac nostra tempestate, qua Ecclesiæ hostes, Calvini, Lutheríque asseclæ tot horrida cruentáque bella gerentes, omnia humana divináque jura proculcantes, tot victorias reportârint, non obstantibus tot Catholicorum oblatis DEO per Virginem Matrem votis, ac precibus.

35. Unica enim illa causa hic sub-

Noſtra ſcelera in cauſa eſſe videntur, quòd non obſtantibus tot Catholicorum per Mariam Deo oblatis precibus, hæreſes incrementa ſumunt. Nec eſt, quòd fidem ſuam tanquam veram, ob felicitatem, & augmentum prædicentur. Quoniam felicitas Chriſtianorum non in amplorum regnorum poſſeſſione, ſed in gratia Divina conſiſtit.

ſubeſſe videtur, graviſſima nempe peccata noſtra, quibus Eccleſiæ Filii, qui virtutis omnis, Sanctimoniæque eſſe debuerant Speculum, ut acatholici eorum exemplo permoti ad orthodoxam converterentur fidem, Divinam Majeſtatem offendentes, vehementiſſimam ipſius indignationem adverſùs ſe concitârunt, adeò, ut ipſa dilectiſſima ejus Mater in eo placandò fruſtra quodammodo hactenus deſudâſſe viſa ſit. Licèt etiam credibile admodùm ſit, quòd, niſi Clementiſſima pro Eccleſia Catholica in tantis hiſce calamitatibus intercesſiſſet Deipara, ſéque ut murum pro domo DEI oppoſuiſſet, longè gravioribus, juſto DEI judicio flagellis fuiſſemus attriti, atque conſumpti. Unde ſperandum, ubi hæc peccata fuerint juſtis pœnis expiata atque deleta, gravem illam in Catholicis juſtiſſimi Judicis indignationem dilectiſſimæ Matris ejus interpellatione in lenitatem, manſuetudinem paternámque miſericordiam convertendam, ita ut verè cum Regio Pſalte aliquando modulaturi ſimus Pſal. 102. 13. *Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus.* Ac proinde invalidi ad tantam hoſtium Infernalium potentiam noſtris viribus ſuperandam atque infringendam. Quare non eſt, quòd hiſce ſuis proſperis ſucceſſibus, blandientíſque fortunæ inflati favoniis ſeſe offerant, atque intumeſcant, pleníſque buccis concrepent acatholici, eorum demum veram, rectámque fidem eſſe, cui DEUS tantopere faveat. Hæc enim omnia majorem illis damnationem juſtiſſimo DEI judicio paritura ſunt. Siquidem vera Chriſtianorum proſperitas, ac felicitas, non divitiæ, non amplæ terrarum urbiúmque poſſeſſiones, non honores, non Regna, ac imperia, quæ tam bonis, quàm malis communia eſſe conſueverunt, ſed Divina gratia eſt; qua verè animus noſter, dum hanc vitam vivit, ita beatur, ut hìc æviternæ beatitatis, ac gloriæ jucundiſſima gaudia prælibare videatur. Quare vel ipſi gentiles falſorum DEorum cultores conſurgent in Judicio adverſùs hanc generationem peſſimam, imo genimia viperarum planè peſtilentiſſima, nempe Lutheri & Calvini, qui ea, quæ illi flocci, nihilíque fecerunt, hi tantopere ſtupeſcunt atque admirantur, eorúmque causâ tam horrida bella cum tanta támque enormi effuſione ſanguinis ad omnimodam Catholicorum deſtructionem, deprædationem, atque interitum machinantur. Certè M. Tullius in ſomnio Scipionis, dum eum è cœlis hæc inferiora deſpicientem introducit, Terram hanc univerſam, pro qua mortales adeò ferè, ac immaniter dimicant, ac præliantur, inſtar eſſe puncti reſpectu univerſi arbitrabatur, eíque adeò parva viſa eſt, ut eum Imperii Romani puderet, ac pœniteret, ut loquitur Cicero.

Catholici [illegible] cturam [illegible] poralium [illegible] le tolerant, expectatione cæleſtium.

36. Unde ferventes Catholici bonorum ſuorum rapinam, Dominiorum everſionem, omniúmque rerum temporalium diſpendium ſusque déque ferre conſuêrunt, præ deſiderio atque expectatione cœleſtium, æviternæque illius felicitatis, quæ nullo caſu, nullis fortuitis eventibus amitti poteſt; imò hiſce calamitatibus attriti gaudent, & Deo creatori, tanquam pro beneficiis gratias agunt, primorum illorum Chriſtianorum fervorem fidei, charitatíſque æmulantes, de quibus S. Apoſtolus Paulus ad Hebr. 10. 34. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes, vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Concludit tandem, animátque eoſdem ſpe bonorum ſupernorum quæ nullis inconſtantis fortunæ caſibus interire poſſunt: *Nolite itaque,* inquiens, *amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem DEI, facientes reportetis*

pro-

promissionem. Quæ salutaria monita pij Catholici sibi dicta esse persuadentes gaudent in tribulationibus hisce omnibus, & interim à precibus ad DEum, ejúsque Matrem fundendis non desistunt, sperantes Divini Numinis iram hanc tandem in misericordiam convertendam, & tot Matris preces exaudiendas, pro ea, qua Filius tam dignam Matrem prosequitur, charitate ac reverentia.

Deipara precibus Catholicorum inducta Leænæ naturam induet, ad disperdendos Hæreticos.

37. Imò sperant Divinam Matrem tot horum impiissimorum hominum blasphemiis gravissimísque injuriis provocatam mitissimum illum suum, placidissimúmque genium in Leænæ naturam, ad eos disperdendos, quò tandem in eam injurii atque blasphemi esse desinant, conversuram. Atque ita eveniet fortassis illis, quod Prophetæ illi in libro 3. Regum cap. 13. 26. qui *quia inobediens fuit ori Domini, tradidit eum Dominus Leoni, & confregit eum, & occidit juxta verbum Domini.*

Maria Leænum more, uti in devotos benignissima est, ita injurias sibi illatas ulciscetur.

38. Idem inquam eveniet iis, qui tam atrocibus tot annorum bellis orbem Christianum permiscentes Deiparam offendunt, quæ sicut in illos, qui se ei officiosos atque obsequiosos exhibent, benignissima est, ut in suprà memorato Leonis exemplo patuit, ita in eos, qui eam aliqua afficiunt injuriâ, Leonis illius assumit naturam, de quo idem Petrus Gyllius lib. 2. de natura animalium cap. 4. Sic loquitur: Eum, à quo injuriam acceperit Leo, probè novit ulcisci, & quamvis ex eo ipso non statim ultionem ceperit, tamdiu tamen post iram retinet, quoad pœnas pro maleficio sibi illato sumpserit. Cui rei est testimonio Jaba Maurus. Is cùm aliquando iter per desertam regionem faceret, ut gentem quæ à se recessisset, sub jugum rursus mitteret, è suo comitatu quispiam cum præstanti nobilitate tum egregiâ pulchritudine adolescens rei venatoriæ non imperitus, Leonem casu, secundùm viam animadversum sagittâ appetens, vulnus ei, non tamen mortem intulit. Vulnere is accepto statim se subduxit. Tum ille qui vulnus ei inflixerat, unâ cum cæteris discessit. Anno vertente Jaba rebus, ad quas cum exercitu profectus fuerat, præclarè gestis, eâdem viâ regressus est ad eum locum, ubi antè Leo vulnus acceperat. Is sanè, etsi in magna hominum multitudine erat adolescens, ab invadendis tamen reliquis suum impetum cohibuit, illum solummodo, qui se ante annum læserat, corripuit, & furorem acerbissimum, quem tamdiu servârat, in illum ipsum adolescentem effudit, & simul dilaceravit, nec illum quispiam ab hac potuit calamitate vindicare; sed gravissimâ Leonis irâ perterrefacti, quà potuerunt fugam quæsiêrunt. Sic Gyllius.

Timendum est ne, Virgo tot Injuriis lacessita in sceleratos Hæreticos insurgat.

39. Ita nimirum timendum est, ne Virgo nostra tot sceleribus & impietatis abominationibus lacessita, quas illa altâ repostas tenet mente, utpote dilectissimi Filij sui honoris, gloriæque, nec non Ecclesiæ Sanctæ tuendæ atque amplificandæ amantissima, timendum, inquam, ne sceleratos hujusmodi, nil tale cogitantes disperdat, quemadmodum suprà variis comprobatum est exemplis.

Confirmatur exemplo Constantini Copronymi, cum Guilelmi Drurii Hiberniæ Proregis.

40. Quocirca in tantis Ecclesiæ calamitatibus & Christianæ Catholicæque Reipublicæ afflictionibus tota post Christum spes fiduciáque nostra in Deiparam nobis collocanda est, sperandúmque, fore, ut aliquando contra hosce catholicæ Religionis perduelles furorem suum velut Leæna de tribu Juda effundat, eósque adhuc in hac vita dirissimis Orci mactet cruciatibus, ut contigit Constantino Copronymo, qui propter immane odium, quo in Christi, B. V. Sanctorúmque flagrabat imagines, fateri compulsus est, se viventem adhuc Inferni tormenta experiri. Idem evenit Guilelmo Drurio Hiberniæ Proregi, infestissimo Catholicæ Religionis, ac præsertim Deiparæ hosti, utpote qui Re-

ginæ Angliæ (quam in Kalendario, expuncto B. Virginis Nomine, repositam voluerunt) primatum in Ecclesia acerrimè defendebat. Is enim, postquam in Catholicos variis, iisque crudelissimis suppliciis desævìisset, tandem in castris dum esset, in morbum adeò gravem incidit, ut quemadmodum scribit Spondanus ad An. 1579. n. 13. altâ & intelligibili voce clamârit, se tormentis Inferni cruciari, putri adeò morbo, ut nemo ei auxilium præbere posset, tandémque die 14. â nece, quam Martyribus è S. Francisci familia intulerat, fœtidam animam exhalârit.

In præsentibus Ecclesiæ tribulationibus ad Deiparam confugiendum.

41. His aliisque exemplis animati in præsentibus Ecclesiæ tribulationibus confugiamus ad Virginem; quæ, ut ait Euthymius orat. de Zona B. V., est nobis ad indeficientem proposita opem & Salutem. Unde magna cum fiducia illam sic alloquitur: *Respice igitur, ô Domina, servos tuos, in te enim omnem spem nostram collocavimus, & in te vivimus, gloriamur, & sumus. Scimus autem fore, ut in hac nostra non frustremur expectatione; tua enim sumus Hæreditas. O Virgo, ad te manè surgere, & confugere nunquam nos piguit. Opem enim licèt non statim, at in tempore opportuno, uti divinæ placitum fuit voluntati, semper attulisti, & Christianitatem, quæ est ampla tua hæreditas, pessumdari nunquam permisisti; Sed Ecclesiam labantem, tuâ protectione ac patrocinio vel Atlanteis humeris sustentâsti, nec permisisti unquam ut Tartareus hostis, & portæ Inferi adversus eam prævalerent. Solo enim vel nomine tuo Sacrosancto audito cohorrescunt.* Nôrunt enim, quod Achærontei colubri eorum Principis caput jam inde â primò immaculatæ tuæ Conceptionis instanti contriveris, omnémque ejus potentiam virésque eliseris.

Tota Ecclesia Catholica sub Pallium Mariæ confugit, &c.

42. Quid mirum igitur, quòd omnis Ecclesia cum S. Augustino clamet, ad protectionis pallium confugiendo. *Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove debiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicúnque colunt tuum Sanctum Nomen.* Quod sanè dum faciunt, gratos se Deiparæ pro innumeris beneficiis, ac præsertim pro eo planè singulari, quòd Tartareum Tyrannum triumphârit, ejúsque omne robur infregerit, seséque Leænam validiorem longè stygio Leone illo, qui circumit quærens, quem devoret, ostenderit. Unde jure merito, toto terrarum orbe peculiaris illi cultus, ac veneratio, tanquam mundi totius de tantis calamitatibus, ac Orci oppressionibus liberatrici, exhibetur.

quæ gratias refert, quòd Tartarei Tyranni robur infregerit.

Ambraciotæ Leænam quòd Tyrannum suum discerpserit, adorant, hinc quantum Mariam venerari debemus, quæ nos de Dæmonis potestate liberavit, infertur.

43. Rem admirandam planè scribit Ælianus lib. 12. de animal. cap. 40. *Ambraciotæ*, inquiens, *Leænam adorant, quòd Tyrannum suum lacerâsset, & distraxisset, idcircò ut suæ libertatis Vindicem summâ religione colunt.* Quod si cæca gentilitas Leænæ Liberatrici, quod eorum discerpsisset Tyrannum, tantos honores detulerunt, & quid faciendum nobis erit? quo cultu, qua religione, qua adoratione, Virgo DEI Mater, Generosissima hæc Leæna de tribu Juda erit prosequenda, quæ Tartareum illum Tyrannum totum genus humanum longè immaniùs, quàm Pharao opprimentem contrivit? & animas simul, ac corpora â crudelissima ejus oppressione liberavit.

Deipara & ipsum infernum dominium suum exercet, proinde colenda.

44. Quare Sancti Patres, ac Theologi inter reliquas rationes, ob quas colenda & adoranda sit Deipara, illam non inter postremas adferunt, quòd universorum Domina, ac Regina â DEO constituta sit, & Dominum suum non modò in cœlo, verùm etiam in Inferno ostendat, Cacodæmones, ne illam suam antiquam in genus humanum Tyrannidem exerceant, coërcendo. Unde S. Bonaventura in Spec. cap. 13. postquam multa de amplissimo hoc Virginis universi

universi totius Reginæ Dominio disservisset, tandem hoc subjungit: *Maria est Domina Dæmonum in Inferno, tam potenter eis dominans, ut de ipsa cani possit: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.* Hæc Virga, Virgo Maria Virga virtutis est contra inimicos Infernales, quibus magnâ virtute dominatur, & ideò domina tam magna, tam magnæ virtutis meritò à nobis amatur, meritò à nobis laudatur, meritò à nobis exoratur, ut nos contra inimicos istos tueatur. Hinc Seraphicus Bernardinus Senensis verba illa æviternæ sapientiæ, ejúsque Matris contemplans Eccl. 24. *Profundum abyssi penetravi.* Ser. 3. de Nom. B. V. art. 2. cap. 2. ità loquitur: *B. Virgo Dominatur in Regno Inferni, non enim tantùm dominatur dæmonibus, qui in Inferni superficie sunt, nec tantùm mediocribus, qui quasi sunt in medio, sed iis maximè, qui sunt in profundo. Unde non ait: Penetravi superficiem, seu medium; sed, profundum abyssi.* Proinde competit ei Nomen Dominæ, secundùm enim Catholicam & Propriam: *Dominus* vel *Domina* dicitur, quasi *domans manus*, quia ipsa domat Dæmonum manus, ac potestates, ne nimirum in animas ad libitum sævire possint. Ob quòd sanè tam plenum in omnes Dæmones Dominium ad mortales omnes ab eorum immanissima Tyrannide sive liberandos sive præservandos, summo cultu, summáque post DEUM veneratione atque adoratione dignissima est.

Ob tantam in omnes potestatem Mariæ cultus Hyperduliæ defertur.

45. Hinc communi Ecclesiæ consensu cultus illi Hyperduliæ deferri consuevit, secundùm quam, ut loquitur Doctor Angelicus 22. q. 10. ar. 4. ad. 2. maxima exhibetur reverentia homini ratione affinitatis, quam habet ad DEUM, cùm, quoniam maximam B. V. habet supra omnes affinitatem cum Deo, cum propria operatione, ut docet Cajetanus, attigerit fines Divinitatis; imò ipsam personam DEI; quia concepit, peperit, & nutrivit DEum, ideò absque dubio debetur ei potissima post DEUM adoratio, quæ ab omnibus aliis specie distincta sit. Quod præclarè Rutilius Benzonius Episc. Lauret. lib. 2. in Magn. cap. 22. dub. 9. declaravit. Sicut Deipara, inquiens, in cœlo peculiarem thronum habet beatitudinis, ab omnibus aliis beatis distinctum, & in terris peculiarem habuit dignitatem, & singularem excellentiam super omnes creaturas in propria persona: Sic etiam debetur illi honor quidam singularis, & cultus Religiosus; non quidem universalis & communis; sed proprius, specificè distinctus ab aliis. Contendunt nonnulli Theologi Deiparam ratione conjunctionis & contactûs ad Christum, adorandam esse, adoratione Latriæ, majori saltem cultu, quàm crux; licet minori quàm Humanitas Christi; affirmat tamen Medina, & benè, illustriorem & honorificentiorem cultum absolutè tribui B. Virgini, cùm Hyperduliâ adoratur, propter excellentissimas ejus virtutes, quàm cùm adoratur latriæ cultu ex contactu, seu conjunctione ad Christum. Illa enim est absoluta adoratio, quæ personæ subsistenti, ut sic debetur & convenit; hæc autem est diminuta; & propter aliud; ex adjuncto enim nempe ratione conjunctionis hæc illi competeret. Quod etiam probatur ex Luc. cap. 11. *Beatus venter:* Et Matth. 12. *Ecce Mater tua, & fratres tui; Quicunque enim fecerit voluntatem &c.* Ex quibus verbis omnes Sacri Interpretes concludunt, Deiparam ex Christi sententia feliciorem & beatiorem fuisse ex ratione, quòd voluntatem DEI super omnes creaturas adimpleverit, quàm ex eo, quòd Christum Dominum gestaverit, & lactaverit. Quod etiam probat ex S. Augustino lib. de S. Virginitate cap. 3. ubi ait, fœliciorem fuisse B. Virginem fidem Christi percipiendo, quàm conci-

 piendo,

piendo carnem Christi. Hæc Benzonius.

Mariam venerari debemus, quòd Dæmoni potestatem nobis nisi volentibus, nocendi ademerit.

46. Hanc igitur Virginem gloriosissimam de toto genere humano adeò bene meritam peculiari semper cultu, & singulari prorsus veneratione Hyperduliæ videlicet super omnem Angelicam humanámque creaturam post humanitatem Christi magnâ grati animi significatione, veneremur, siquidem illa nos velut Leæna de tribu Juda de Sathanæ Tyrrannide vindicavit, ejúsque omnem potentiam, ut nihil nobis inposterum nocere possit, nisi volentibus, enervavit. Si enim Judith summo in honore ac veneratione à populo Israelitico habita est, quòd caput impiissimum Holofernis amputaverit, & in specie Achior, qui ubi truncatum caput vidit Holofernis, *cecidit in faciem suam super terram, & æstuavit anima ejus*, ut sacer textus loquitur. *Postea verò, quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes ejus, & adoravit eam, & dixit: Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit Nomen tuum, magnificabitur super te DEUS Israel.* Jud. 13. feciamus id etiam, quod fecit Joakim summus Pontifex cum universis Presbyteris suis, qui benedixerunt eam omnes, una voce dicentes: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum &c.* Jud. 15.

Deducitur id exemplo oppidi Thebes, quod gratum mulieri ob necatum Abimelech lapidem super ejiciat.

47. Quòd si oppidi Thebes incolæ Mulieri illi grati extitêre, eámque vehementer suspexêre, quòd caput infestissimi hostis Abimelech lapide confregerit: *Ecce*, inquit Sacer textus, *Una Mulier fragmen molæ desuper jaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Jud. 9. quantò magis huic gloriosissimæ Heroinæ omnis honor deferendus est, quæ sui Filii virtute antiqui serpentis crudelissimi mortalium omnium Tyranni caput contrivit? Agnovit idipsum in Muliere illa B. V. Maria B. Andreas Augustinianus lib. de laud. B. V. M. S. ut videre est apud Doctissimum Novarinum dicens: *Tu Virgo lapide angulari Christo Diabolum occidisti.*

Ad glorificandam Deiparam pro tanto beneficio nos mutuò accedamus.

48. Proinde tanti beneficii memores cum Seraphico ipsius Psalmista Bonaventura ad eam laudandam & glorificandam nos mutuò accedamus, concinendo: *Afferte Dominæ nostræ Filii Dii, afferte Dominæ nostræ laudem & reverentiam. Benedicant tibi cæli & terra, mare & orbis terrarum. Convertere ad me & vivifica me Domina, de portis mortis reduc me. Propter imperium tuum & magnificentiam Dexteræ tuæ contere & dissipa omnes adversarios meos. Et ego offeram tibi sacrificium laudis, & gloriam tuam devotiùs exaltabo. Exultate cæli, & jucundare terra, quia consolatur Maria Servos suos, & Pauperum suorum miserebitur* Psal. 28. & 29.



DISCUR-

DISCURSUS VIGESIMUS QUINTUS.

VIRGO DEIPARA OVIS MITISSIMA.

B. Virgo ovis illa Esdræ l. 4. c. 5. præsignata, est, quæ Agnum Divinum peperit.

1. Magnus ille sacerdos Esdra lib. 4. cap. 5. inter unicas illas ac mysteriosas DEI creaturas, quibus dixeram Tom. 1. D. 22. n. 5. figuratam fuisse Deiparam, memorat etiam ovem. *Ex omnibus*, inquiens, *plasmatis pecoribus providisti tibi Ovem unam.* Hinc S. Gregorius Nicomed. Archiep. orat. de Præsent. B. V. *vocat illam Agnam immaculatam.* Hinc Petrus Plesensis Archidiaconus Bathoniensis serm. 1. de Adv. postquam dixisset Virginem Beatissimam per Probaticam, id est, ovinam esse Piscinam figuratam, mox hanc rationem attexit: *Ipsa enim non solum ovina propter simplicitatem, & innocentiam dici potuit, sed etiam ovis. Agnum enim peperit, qui tollit peccata mundi.*

Deipara Eva melior, Christum divinissimum Adamū vellere mortalitatis velut Agnum induendo nobis vitam æviternam peperit.

2. Qua in re Virgo Beatissima, sicut in reliquis penè omnibus, sic hoc etiam in parte DEum imitari visa est. De illo enim post peccatum Adæ ita Moyses loquitur Gen. 3. v. 21. *Fecit quoque Dominus DEUS Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Quemadmodum enim universorum Dominus Adamo post lapsum ex mortuorum animalium pellibus vestem composuit, eâdémque eundem induit: Sic B. V. secundum Adamum de Cœlo cœlestem humanitatis seu mortalitatis nostræ veste circumdedit, ut nos ab æterna morte liberaret. Quare S. Epiphanius lib. 3. contra Hæreses. 78. cùm docuisset, Evam viventium Matrem adumbrâsse in aliquibus B. Virginem, variámque inter utrámque antithesin posuisset, adfert quemdam sacrarum literarum locum: *Quis dedit mulieri sapientiam aut variegandi scientiam?* dixissétque, hoc de duabus fœminis fuisse dictum; mox hæc subiunxit: *Etenim Eva illa prius sapiens Mulier, Adamo, quem ipsa nudaverat, aspectabilia quædam vestimenta contexuit, quippe hujusmodi labore est damnata. Quod enim nuditas ejus operâ aperta fuerit, hoc eidem negotium datum est, ut ad externam nuditatem tegendam corpus istud, quod sensibus expositum est, veste contegeret. At Mariæ divinitus illud obtigit, ut Agnum nobis atq; ovem pareret, cujus ex splendore ac gloria, tanquam è vellere per ejusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter est confecta. Aliud quoque in utrâque, in Eva scilicet, ac Maria considerari potest, & quidem admiratione dignum. Siquidem Eva generi hominum mortis causam attulit, per quam mors in orbem terrarum est invecta. Maria vitæ causam præbuit, per quam vita est nobis ipsa producta. Ob id filius Dei hunc in mundum advenit. Unde mors accidit, vita illuc accessit, ut in mortis locum vita succederet, & illatam à muliere mortem; ille ipse, qui è muliere, vita ut esset nostra, natus erat, excluderet. Quoniam verò, cùm adhuc Virgo Eva in hortis degeret, per contumaciam apud DEum offenderat, ideò gratiæ plena à Virgine manavit obe-*

dientia, postquam circumfusi corpore Verbi, sempiternæq; vitæ de cœlo est nunciatus adventus. In quibus Epiphanii verbis duo notanda occurrunt: Inprimis quòd, sicut DEus vestes pelliceas Adamo fecit, & Evæ scientiam ad illas consuendas & concinnandas tribuit, siquidem illa fuit causa, ut maritus innocentiæ vestem exutus, animalium mortuorum pellibus in peccati pœnam amiciretur, suámque nuditatem tegere cogeretur. Sic Mariæ Spiritûs Sancti cœlesti virtute, per ejus obumbrationem datum fuit, ut humanitatis nostræ vestem de purissimis suis sanguinibus verbo incarnato contexeret atque concinnaret. Alterum est, quòd sicut Eva & se, & Adamum primigeniæ justitiæ veste spoliando, mortem & ipsa, & Adamus, & in illo nos omnes induimus: ita Maria alterum Divinissimum Adamum pelle, ac vellere mortalitatis nostræ velut Agnum induendo, toti mundo vitam peperit æviternam.

Vellus mortalitatis nostræ, quo Agnum Deipara Virgo tanquã mundissima ovis induit, Pallio Eliæ comparatur.

3. Vellus hoc, quo Agnum tollentem peccata mundi mundissima ovis nostra induit, mysteriis est planè refertissimum, quod jure pallium Eliæ, in cœlum curru igneo proficiscentis, Elisæo relictum 4. Reg. 2. appellare possumus. Hoc enim Pallium ut Theodoretus docet Q. 8. in 4. lib. Regum 2. erat pellis ovina, scilicet ex pelle, vellereque ovis amiculum instar pallii; post venerabile enim sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, quod etiam pallium Eliæ dici potest, quo infamis illa per peccatum causata nostra nuditas contegitur, B. Virgo veri Eliæ pallium est, duplicem nobis Spiritum figurati Eliæ, quem Elisæus postulaverat: *Obsecro*, inquiens, *ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* v. 9. communicans. Siquidem Virgo est mulier illa fortis, ac sapiens, de qua Salomon Prov. 31. *omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Cùm enim Incarnatum verbum ejus in utero novem mensibus delitesceret, quid aliud videbatur? quàm Elias quidam ovina pelle contectus, duplicem illum Charitatis Spiritum Matri impertiens, ut eundem postea nobis suis clientulis, sub protectionis ejus pallio degentibus vicissim communicaret?

Christus ex Deipara natus, Elias est, ovina pelle circumdatus.

4. Idem quoque Dei Filius, amiculo mortalitatis nostræ vestitus, cùm ex ejus purissimo utero prodiit, & in terris visus, ac cum hominibus conversatus est, quid aliud videbatur? quàm idem Elias ovinâ pelle, quam ipsa, è suis castissimis sanguinibus ac visceribus ceu vellere candidissimo contexuit, circumdatus:

Felices, ac securi contra omnes cœli injurias clientes sunt, qui sub Pallio Mariæ vivunt.

5. O fœlices, ac fortunati omnes Virginei clientes, qui sub ejus securi degunt protectione ac patrocinio. Hoc enim ipsius pallio, contra omnes cœlorum, temporúmque injurias bonis omnibus locupletati contegi videntur. Quare meritò P. Benedictus Fernandez cultui Deiparæ addictissimus in cap. 27. Gen. Se. 2. n. 11. hujus Virgineæ protectionis fructus, sub hoc ovino pallio considerans, piè exclamavit. *O pulchrum ac preciosum pallium, quod ex illa candidissima & mitissima ove, quæ Agnum Dei peperit, nobis è Cœlo demissum est, simul cum duplici spiritu, id est, duplicato præsidio Mariæ, ad bona tum corporis tum animi, & tam in vita quàm in morte! Quis hoc protectus pallio domui suæ à frigoribus nivis timeat? Quis non totus æstuet? Siquidem duplici amoris & Filii & Matris veste contegitur. Quisquis enim sub pallio Virginis benignè amantérque fovetur, mirificis, úsque dulcissimis charitatis utriúsque, DEI videlicet ac proximi, caloribus liquescat, necesse est.*

Confirmatur exemplo P. Bernardini Realini S. J.

6. Hoc Deiparæ contectus pallio, Pater noster Bernardinus Realinus summa hyeme non timuit sibi à frigoribus nivis, nec à trucibus Aquilonis flatibus. Cùm, uti scribit ipsius vitæ auctor cap. 16. constet, eum duos de octoginta natum annos obtinuisse à suis moderatoribus ut non aliâ per totam hyemem veste indueretur, quam

quam eâ, quam æstate totâ gestârat, idque in amorem ac memoriam frigoris illius, quòd salutis humanæ Auctor in stabulo Bethleemitico infans tulit. Quamobrem cùm nocte Natalis ejusdem, confessionibus in Templo excipiendis esset occupatus, ita frigore, quod tum temporis sæviebat, subitò obriguit, ut tremore quodam insolito, qui per reliquam deinceps vitam illi adhæsit, illud ipsum monstrare coactus fuerit. Quod inaudiens P. Rector, in cubiculum suum se recipere illum jussit, inibíque se calefacere. At igne materiali ad id minimè opus fuit. In cubiculum enim ut venerat, cœleste illud secum meditari mysterium cœpit. Iterúmque (quod & aliàs sæpius fecerat) in ulnis illius Virgo Mater infantulum suum deposuit, cœlestibus geniis suavissimum melos accinentibus. Dimidiam fermè horam tenuerat hæc optimi, ac sancti senis voluptas, cùm ex adjutoribus unus de superioris mandato, cubiculum, ut inibi ignem extrueret, ingressus illúmque conspicatus hæsit attonitus situ cum minimè consueto, ac apud se non esse animadvertens, subindéque exclamare: Adhuc pauxillum, ô Domina, adhuc pauxillum. Hisce verbis Sanctissimam Matrem charissimum suum depositum reposcere, quo se se satiare ille non poterat, significans. Quid animo illius factum sit nescimus, at illud certum, per totam deinde hyemem eum frigoris omnis fuisse expertem, cœlesti illo Infante tantum caloris pro tantillo frigore, quod perpauco tempore sustinuerat, rependente.

Item exemplo B. Mariæ de Oegnies.

7. Hoc eodem Virgineæ charitatis ac protectionis contecta pallio B. Maria de oegnies acerbissima brumæ sævientis vix sentire visa est frigora, intus vehementi illo, quo ferebatur in Deiparam, ejus in præcordiis æstuante affectu. Scribit enim ejus vitæ scriptor Cardinalis de Vitriaco inter alia præclarissima, quæ in honorem Dei Matris facinora perpetrabat, illud fuisse non vulgare, quòd ipsa quotannis Ecclesiam oegniacensem Deiparæ Sacram ad duo milliaria dissitam Cœlo rigente frequentabat; & illo die ac sequenti nihil prorsus edebat, totámque noctem in Ecclesia pervigil exigebat; qua in via flexuosa ac difficili nec illi satis cognita, lumine quodam præeunte, & Angelis eam dextra, sinistráque sustentantibus, nunquam errabat, & inter imbres interdum è cœlo ruentes divinitus intacta domum redibat. Ubi intra diei & noctis spatium, millies & cênties flectens genua, salutabat Deiparam, & hoc salutandi officium ad quadraginta dies continuabat hunc in modum. Primum sexcenties flectebat genua sine intermissione, deinde integrum Psalterium stans legebat, & ad singulos Psalmos, flexis genibus Deiparæ salutationem Angelicam offerebat. Tum tercentis vicibus ad genuflexiones singulas Virgis in se animadvertebat, & tribus ultimis ictibus copiosum è corpore sanguinem eliciebat. Tandem quinquagies flexis simpliciter genibus, Sacrificium hoc consummabat.

Qui sub Pallium Mariæ confugit, frigus corporeû non sentit.

8. En quantis Sancta hæc mulier, sub pallio Virgineæ charitatis commorans, cœli æstuavit ardoribus, qui eam à se alienatam quodammodo, adeò insensibilem reddidêre, ut nec frigus, nec alia corporis incommoda, dolores, ac ærumnas, persentisceret. Nimirum amor ut ait S. Dionysius Areopagita, cap. 4. de div. Nomin. *amantem extra se ponit, & eum quodammodo in amatum transfert.* Unde quid mirum, si in DEum, qui ignis consumens est, ejúsque Matrem, quæ Rubus ardens incombustus est, translatus homo, Divinæ charitatis ignibus exardescat, omnibúsque miseriis, ærumnísque hujusce mortalitatis superior evadat?

Maria sole amicta est, unde Divino hoc calore fruuntur, qui sub Pallio ejus confugiunt.

9. Pallium porrò hoc Virgineæ protectionis calidissimum esse ostendit S. Joannes Apoc. 12. cùm eam sole amictam contemplatus est. Unde consequitur, eos quoque Divino

hoc ejus calore perfrui, quicúnque sub hoc ejus solari pallio, ejus videlicet tutelâ absconduntur. Unde de hoc solari Virginis sive pallio, sive amictu S. Bern. Scr. de verb. Apoc. Postquam dixisset, longè ampliori ac Diviniori igne füisse accensam, quàm Seraphinos, quàm Isaiam, cùm ejus purificata ignito calculo fuêre Labia; hæc subjunxit: *Longe verò aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè, ac calidissimus hujus Mulieris amictus; cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dicam tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minùs lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimū liceat suspicari.* Hæc Bern.

Imperatrix Maria Ferdinandum IV. B. V. Lauretanæ devovit, & infantis auream Iconem Lauretam misit, ut ad statuæ Lauretanæ dexteram sub pallio Beatissimæ Virginis collocaretur, quod factum est.

10. Fœlices proinde, ac fortunati censendi sunt illi, qui hoc amplissimo Sacratissimæ Virginis conteguntur pallio: Hi enim mirifico DEI & proximi calore, sive charitate, quâ vera nostra fœlicitas continetur, ferveant necesse est. In horum meritò numerum accensendus videtur omnino Ferdinandus IV. Hungariæ Boemiæque Rex, qui cum Anno 1633. Sub ipso felicissimo Natæ Virginis signo esset in lucem editus, pientissima ejus in Virginem Mater Imperatrix Maria, ipsum Lauretanæ Deiparæ totum consecravit, vovítque ejus effigiem purissimo auro conflatam, se se ad Sanctam illam Ædem transmissuram. Quod & factum est, addito torque pulcherrimo de collo dependente 14. adamantibus composito; in cujus medio emicat adamas clarissimus cæteris grandior. Anno porrò 1635. 25. Julii preciosum hoc munus librarum decem, & unius unciæ detulit Lauretum Dominus Comes Nicolaus Draskovich Cæsareæ Majestatis Commissarius. Cui oblationi cùm ego quoque interfuissem, actum est, ut Infans hic ad dexteram statuæ sub Pallio Virginis Sanctissimæ collocaretur. Annuit illico sanctæ Domus Gubernator. Quo in loco in hodiernum usque diem collocatus visitur. Uti mihi à Viro fide digno Societatis nostræ Laureti commorante dum hoc anno 1647. quo Rex annum ætatis 14. explevit, lucubrationes nostras prosequeremur, perscriptum est. Quare nobis bene omnino sperandum, fore, ut Rex hic quem hodie regnans Ferdinandus III. ejus Parens adeò gratum acceptúmque habuisse dicitur, ut eum tanquam è cœlo lapsum acceptârit, sperandum, inquam, fore, ut idem hic Rex sub tam felici natæ Virginis horoscopo in lucem editus, ipsique dicatus, súbque ejus tutelæ pallio constitutus longè felicissimus ac fortunatissimus sit evasurus, ita, ut illi meritò accinere possimus.

O Sydere dextro
Edite, magna tibi superum indulgentia favit.

B. V. Ovibus ponticis felle carentibus simillima.

11. Jam ad ovis proprietates veniamus, quæ mirifice in Virgine beatissima elucescunt. Ac inprimis mansuetudo, quæ maximè in Virginea hac ove emicabat. Hæc enim ovibus illis Ponticis felle carentibus videbatur simillima, de quibus Petrus Gyllius lib. 6. de Hist. anim. cap. 36. Hæc virtus porrò Deiparam Virginem misericordiæ Matrem decuit: Unde Dionysius Richelius lib. 3. de Præcon. & dignit. B. V. art. 19. ita ipsam alloquitur. *Hæc te virtus, ô Maria eminenter decebat.* Etenim quemadmodum mulierem ira singulariter inficit, turbat, ac dehonestat; sic penitus mansuetudo eam eleganter nobilitat. Quòd porrò fœminam ira non deceat, docet sapiens: *Omnis plaga tristitia cordis est, & omnis nequitia, nequitia mulieris. Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Potissimum igitur mansuetudo hunc fragilem, ac per naturam defectibilem condecet sexum. Quod si in viris præclaris virtus hæc resplenduit, quantò

quantò magis in Deifica, & incomparabili Maria! De Moyse sanè scriptura Num. 12. testatur: *Et erat Moyses mansuetus super omnes homines, qui habitabant in terra;* Cujus quanto major mansuetudo in tolerandis aliorum injuriis extitit, tantò gravius easdem justus Judex plexuit. Quò enim mansueti vindictam minùs exigunt, atque erga injuriantes dulciores sunt, eò illorum injuriam Deus justissimus horribilius ulciscitur, quod in Dathan & Abyron, inimicis Moysis, elucescit, quos terra vivos absorbuit. Sic omnino quò Deifera Maria est Mitior, eô utique in ipsius offensis Judex ejus Filius est magis tremendus. Itaque tremenda est (seu potiùs reverenda ac respicienda) nimis Maria, quoniam ultionem pro ipsa districtissimus Judex assumit, quippe, qui ne minimam quidem mitissimæ illatam Matri offensam impunitam relinquit. Quod nos supra variis exemplis comprobavimus.

Exhibuit mansuetudinem suam in passione Filii sui.

12. Prosequitur inde Virgineæ hujusce mansuetudinis laudes, quas Deipara maximè in passione ac morte Filii eam æquissimo animo tolerando consecuta est. *Etenim sceleratissimis illis Dilecti sui Crucifixoribus non jam irascens; sed compatiens fuit*, inquit Dionysius, *quippe quæ patienti Filio in charitate & mansuetudine simillima extitit, & humanæ redemptionis mysterium, dispensationémque agnovit. Unde mens ejus mitissima, dulcissima, atque amabilissima fuit. Non poterat mens illa mitissima iram amaritudinémque concipere, aut malum pro malo reddere; quin imò, cùm esset ipsa proximorum charitate ardentissima, cœcis atque errantibus vehementer condoluisse censenda est.* Tandem concludit ad Mariam tanquam misericordissimam advocatam; & mitissimam Mediatricem recurrendum, & sub ejus protectionis umbra quiescendum.

13. Quàm porrò Virgo gloriosissima hac in virtute excelluerit Bernardinus de Bustis Par. 4. Marial. Ser. 7. partic. 2. ostendit variis argumentis ac definitionibus mansuetudinis, quæ Virgini mirificè congruunt. Ac inprimis ex Alberto Magno. Hanc virtutem mititatis seu mansuetudinis, inquit ille, fuisse super omnes viatores excellentius, in B. V. probat Albertus, eò, quòd illi Ecclesia concinat: *Virgo singularis, inter omnes mitis.* Quòd, si mites etiam dicuntur ij, qui malis moribus dominantur, summè profectò mitis extiterit Virgo nostra, quæ malis moribus modo perfectissimo dominata est, cùm dominium hoc absque pugna interiori fuerit, qua mortales reliqui carere non possunt. Noverat nimirum Virgo beatissima veritatem illam, quam postea S. Bernardus enunciavit:

Omnes mansuetudine excelluit.

Mitibus & gratis nemo nocere potest.

Item illam ejusdem:

Mitia pacificam pariunt præcordia mentem.

Unde factum, ut perfectissimam mansuetudinem præ mortalibus reliquis consequi studuerit.

14. Quòd si mansuetudo in eo consistit, ut docet Glossa, ut virtute hac præditus nec irritet, nec irritetur, nec noceat, nec nocere cogitet; sanè mansuetissimam improportionali planè excellentia inter viatores omnes Deiparam fuisse oportuit: Quem enim Virgo amabilissima suavissimis suis moribus irritare unquam potuit, cui nocere, *quæ non sibi, sed totius humani generis bono nata fuit*, ut ait Damascenus? quin potius dicendum, eam ideò fictam, & factam à supremo opifice fuisse, ut justam sempiterni judicis iram in mortales sævientem placaret, eúmque perdito mundo reconciliaret, ac proinde omnibus prodesset.

B. V. suavissimis moribus suis nemini nocuit, nec nocere potuit.

15. Ob quam singularissimam in omnes beneficentiam B. V. Soli à Bernardo, aliísque Patribus comparari con-

B. V. Sol beneficentiæ & mansuetudinis.

consuevit. Hinc Synesius lib. de Regibus, ita de Principibus ac Regibus, qualis gloriosissima Maria Regali progenie Davidica orta extitit, loquitur: Princeps cùm in bonis conferendis liberalitate sit prædictus, tum nihilo magis ea re defatigandus est, quàm Sol in stirpes atque animantia suos effundens radios. Neque enim lucere laboriosum est ei, utpote cujus in natura splendor, & fons ipse luminis continetur. Hoc ostensum est in Achaz Horologio, Regi Ezechiæ moribundo 3.Reg.20. Sole retrocedente & longiorem diem efficiente. Ut tacitè Dominus per Isaiam ostenderet, eamdem esse debere rationem vitæ Regiæ & cursus solaris. Sicut enim sol nescit sibi vivere, nescit ad mortalium necessitates sublevandas ad instar Gigantis non currere, ac festinare. Sic Rex velut sol, vel ut dies universos sibi subjectos festinet illuminare, eísque prodesse. Unde unigenitus DEI Filius ut ostenderet se præclarissimam hanc omnibus benefaciendi, & nemini nocendi indolem habere ad genus humanum redimendum salvandúmque adveniens: In hoc Virgineo animatóque sole velut sibi simillimo tabernaculum suum posuit.

B. V. omnes mansuetudine excelluit.

16. Quòd si demum Christus Dominus adeò mitis extitit, ut se in mititatis, aliarúmque virtutum prototypon ad imitandum proposuerit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. & si Mater ejus sicut in donis naturæ, sic in donis gratiæ, & in omnibus penè conformis extitit; dicere sanè poterimus, ovem hanc mitissimam ab hoc mansuetissimo Agno omnibus numeris absolutissimam mansuetudinem didicisse, eámque ipsum Moysem mortalium omnium, qui ea tempestate vixerunt, mansuetudine multis parasangis transcendisse, non modò illius generationis homines, verùm etiam omnium antè & retro sæculorum. Quia reverà, uti idem loquitur Bernardinus, *Beatissima Virgo non cadit in numero aliorum; quia non est una de omnibus; sed est super omnes.* Unde tantam mansuetudinis eminentiam obstupescens idem in Virginem pientissimus Pater jure meritò exclamavit. *O Virgo mitissima! profectò tu es illa, quæ tua mansuetudine meruisti super omnes à DEO amari. Cùm enim similitudo sit causa dilectionis, non est mirandum, si DEus, cui dicit Psalmista. Quoniam tu Domine suavis, ac mitis, tantùm dilexit te, & exaltavit. Prædictum enim fuerat de depressione Dæmonum superborum, déque tua exaltatione* Eccl. 10. *Sedes Ducum superborum destruxit DEus, & sedere fecit mites pro eis. Tu es illa mulier mitissima, quæ super omnes viatores à Spiritu S. de omnibus ad salutem pertinentibus fuisti edocta, ut idem canit Psalmista. Docebit mites vias suas.*

17. Quòd si mansuetudo refrænat passionem iræ, ne frangat, & contra rationem aliquid agat. Unde glossa in illud Jacobi 1. *cum mansuetudine suscipite insitum verbum,* ait: *mansuetudo est contra iram;* sequitur profectò B. Virginem, quia minus habet de ira utpote ovis sinè felle, mirificè mansuetudine super omnes excelluisse. Observavit nimirum Virgo Deipara monitum illud Sapientis Eccl. 3. *in mansuetudine perfice opera tua, & super gloriam hominum diligeris.* Hinc sanè tantus ubique gentium amoris affectus in DEI Matrem, ob singularissimam ejus mansuetudinem, merámque tranquillitatem enitescit. Hac virtute Virgo omnium corda ad se trahit, hac virtute Regiam suam illam Majestatem conservat, cunctísque se reddit amabilem. *Nihil enim tam peculiare est Regiæ Majestati, quàm mansuetudo,* ut ait Imperator Justinianus. Cùm ergò Virgo Sanctissima tam amabilis, atque desiderabilis Regina omnibus extiterit, mansuetissimam illam esse oportuit.

B.V. hominum corda mansuetudine ad se trahit.

18. Quòd si denique ex sententia

B. V. ob singularem mansuetudinem ad maximam gloriam & gaudium cœleste à Filio suo promota est.

tia B. Alberti Magni Tract. super Missus cap. 126. mansuetus, & tractabilis est ille, qui habet bonos mores, est omnibus conformis & conformabilis, in his quæ fieri possunt secundùm DEUM, mansuetissima certè fuerit Divina Mater, quæ, ut ait S. Bernardus: *Omnibus omnia facta est, omniúmque miserias amplissimo miseretur affectu.* Unde ob eximiam hanc ejus mansuetudinem à DEO in suis orationibus ac supplicationibus super omnes alios sanctos exaudiri meruit. Filius enim ejus est DEUS ille benignissimus, cui humilium & mansuetorum semper placuit oratio. Judith 9. Denique ob mansuetudinem hanc ejus rarissimam, sicut & ob humilitatem à DEO suo suscipi, & ad eminentissimum post Christum thronum gloriæ exaltari meruit, siquidem ejus Filius est ille *suscipiens mansuetos Dominus.* Ps. 146. Et ille *qui exaltat mansuetos in salutem.* Psal. 149. Si etiam *mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis super eam.* Ps. 36. Hæreditaverit præ cæteris abundantiùs sine dubio Divina Mater beatam illam terram viventium, & delectata fuerit & etiam nunc copiosiùs delectatur in multitudine pacis illius, quam mundus dare non potest; pacis illius, quæ exsuperat omnem sensum quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Atque ita ob eximiam hanc inter reliquas virtutum DEI Mater super omnes etiam Seraphinorum ac Cherubinorum Hierarchias in Cœlesti Patria à dilectissimo suo Filio ad solium sibi in cœlo vicinissimum deducta est, juxta Davidicum illud vaticinium Psalm. 44. *Propter veritatem, mansuetudinem, & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Unde aptè Thomas de Kempis in consolat. Pauperum dixit, *Nemo tam quietè vivit in Congregatione, tam lætanter ex hoc mundo migrat, quàm verè mitis, obediens, & humilis corde, renuncians perfectè omni propriæ voluntati subditus DEO, & hominibus propter DEUM.*

19. Neque verò solùm Virgo beatissima ovis est propter mansuetudinem verùm etiam propter simplicitatem. Hinc idem Bernardinus Par. 9. Serm. 2. Assimil. 15. *Habuit simplicitatem ovinam B. Virgo*, inquit: *Ovis enim nullum lædit; Sed omnibus servit, quin lacte suo nutrit, carne pascit, ac de lana vestit: Similiter B. Virgo nullum unquam læsit, nos suis nutrit doctrinis, pascit meritis, & suis vestit exemplis.*

B. V. ovicula simplex.

20. *Nutrit Item lacte suæ devotionis; Pascit carne Filii sui, quam ipsa generavit. De qua ipse ejus Filius* Joan. 6. *Caro mea vere est cibus. Vestit demum nos vestimento gratiæ in hoc Sæculo, & gloriæ in futuro.* Sic Bustius.

B. V. mortales pascit & vestit.

21. Nec hisce vestibus vestire suos Clientulos contenta, vestit illos etiam vestibus diversarum virtutum, uti simplicitatis, patientiæ, charitatis, &c. contextis. Hinc Venerabilis Richardus à S. Laurentio lib. 2. cap. 1. *De triplici*, inquit, *materia conficit etiam nobis vestes, ex lana, tribuens nobis virtutem Simplicitatis. De corticibus herbarum, hoc est, de lino, dans patientiam tribulationis, id est, ad tribulationes sustinendas. De visceribus vermium, ministrans nobis viscera pietatis, quando scilicet de eo, quod visceribus nostris subtrahimus, de cibo & potu nostro pauperum viscera recreamus. Et hæc est preciosior reliquis, sicut vestis serica aliis vestibus preciosior. Largitur nobis etiam vestem Polymitam, id est, diversis virtutibus velut filis distinctam. Idem enim est Polymitus, quod multicolor secundùm* Isid. lib. 19. Etymol. *atque ita vestit nos purpura disciplinæ, bysso castimoniæ, hyacintho cælestis conversationis, cocco geminæ dilectionis. Et ex hujusmodi filis contexitur vestis polymita. Qui enim operibus unius tantùm virtutis*

B. V. vestimentum virtutum suis præbet.

 studet,

studet, ut soli castitati, vel soli pietati, vel soli abstinentiæ, vestem habet unius coloris, sed hoc non sufficit Virgini gloriosæ, nisi sint amici & domestici ejus, exemplo ipsius circumamicti varietate. Iidem ejus domestici per orationes & exempla Mariæ acquirunt illa vestimenta, quæ enumerat Apostolus ad Coloss. 3. 12. *Induite vos inquiens, sicut electi DEI Sancti, & dilecti viscera misericordiæ, id est, vestimenta calida, benignitatem largam videlicet; humilitatem, scilicet levia; modestiam, scilicet bene composita; patientiam, scilicet fortia; quasi de panno bene conserto, & firmiter texto; supportantes invicem, & donantes vobismetipsis. Sicut & Christus donavit nobis. Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis, procurando videlicet, ut vestimenta nostra sint bene colorata; quia Charitas est forma virtutum quæ deaurat, & colorat virtutes; & sint bene consutæ per dilectionem, quæ est vinculum perfectionis.*

vestit servos suos vestimento virtutum.

22. *Ecce varia paria vestimentorum, quibus qui modò adornantur, adjungi merentur novem Ordinibus Angelorum. Et his omnibus adornat B. V. domesticos suos, quibus ipsa adornata est; vestit denique servos suos bysso innocentiæ, & simplicitatis, sindone castitatis, & purpura charitatis. Propter hoc de ea dicitur* Prov. ultimo. *Byssus, & purpura indumentum ejus quibus scilicet ipsa induta est, & servos suos quoque induit. Eadem sindonem fecit & vendidit. Sindon significat novitatem Sanctæ conversationis; hanc nobis facit Maria, tribuens gratiam castitatis, à qua incipit conversatio Sancta. Hanc porrò vestem tunc nobis vendit, quando eam nobis largitur, & inde à nobis dignè glorificatur. Ut tandem hujusmodi vestimenta meliùs aptentur Servis suis, confert unicuique Zonam, sive cingulum temperantiæ, pravos motus refrænantis. Unde sequitur. Cingulum tradidit Chananeo, quod interpretatur. Æmulator, vel Zelotes, sive negotiator, bonorum videlicet cælestium, vel commutatus à vitiis, nimirum ad virtutes.* Hæc Richardus de vestibus, quibus B. V. suos fideles amicos vestire consuevit.

B. V. obediens ovicula.

23. Neque verò virgineæ hujus Ovis velleribus preciosissimis vestimur, verùm etiam obedientia ipsius singulari erudimur. Obedientia enim mirificè in ovibus elucescit. Hinc Petrus Gyllius lib. 6. Hist. animal. cap. 35. *Omnium maximè animalium oves ad parendum faciles sunt. Etenim ad verba Pastoribus obediunt, & canibus obtemperant. Luporum insidiis minus idcircò patent. Arabes dicunt, ovium greges apud se musica plus sanè, quam cibo pinguescere.* Hæc ille.

Perfectissimam habuit obedientiam.

24. Unde Salvator de obsequentibus sibi loquens Joan. 10. *Oves,* inquit, *meæ vocem meam audiunt.* Unde quid mirum eas suavissima vocis Christi musica, adipe & pinguedine devotionis repleri, eidémque summa cum promptitudine obtemperare? Una ex hisce ovibus, ac planè singularissima fuit Virgo Maria, in qua velut in speculo perfectissima repræsentatur obedientia: Vnde sæpius memoratus Bernardinus magna obedientia est audire vocem DEI præcipientis; major audire vocem DEI consulentis; sed maxima est audire vocem DEI inspirantis. Beata autem Virgo tanquam bona Ovis DEI omnibus hisce vocibus obedivit. Præceperat enim Dominus, ut ter in anno festa solemnia celebrarentur, ut patet Exod. 33. & omnes Hierosolymam ascenderent, ac templum visitarent, in Festo scilicet Pascæ, Pentecostes & scenopegiæ. Quod præceptum ipsa diligentissimè observavit. Vnde puerum suum duodennem secum duxit Luc 2. Obedivit ovis hæc etiam consulenti Domino, cùm enim Virginitatem servare sit consilii, & non præ-

præcepti, ut docet Apostolus 1. Cor. 7. *de Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do &c.* Hoc illa consilium lubens, votum Virginitatis DEO offerendo complexa est. Obedivit denique DEO inspiranti. Cum enim Gabriel illi adventum DEI Filii in ejus uterum, & illa tam grandia, támque insolita, scilicet quòd Virgo conciperet, quòd DEum pareret, &c. nuntiâsset, & res tantas omnem naturæ ordinem excedentes, non tam facilè posset credere, interiori inspiratione Divina erudita, facillimè aquiescens continuò obedivit, cùm dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi &c.*

Ad crucem dilecti Filii sui ostendit se oviculam obedientissimam.

25. In Filii quoque passione stans juxta crucem Virgo sanctissima ostendit, se ovem obedientissimam, cupiens in illa ara Crucis semetipsam quoque unacum Filio offerri. Unde P. Arnoldus Abbas Tract. de laud. B. V. *Mater Christi se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat.* Omnino tunc erat una Christi, & Mariæ voluntas unum holocaustum, ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Sciens enim se in figura primæ Matris nostræ Evæ datam in nostræ salutis Adjutorium, secundo Adamo, corde animóque ac mente tota se in Ara Crucis velut ovis innocentissima cum Filio ad redemptionem nostram in sacrificium obtulit, ídque amore illo in Filium vehementissimo, atque insuperabili fecit. Unde Pelbartus de Temisuar Pannonius lib. 9. stell. Par. 2. ar. 2. explicans illud Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio:* sicut inquit, mors â nullo perimitur, sed ipsa est tam fortis ut omnia perimat; sic Mariæ dilectio omnia consumpsit, dura, sicut infernus, qui tam durè tenet, quem semel accipit, ut nunquam dimittat. Sic Maria nunquam â dilectione Christi avelli potuit: hinc subditur: Aquæ multæ, id est, tribulationes, & pœnalitates hujus vitæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina, id est adversitates obruerunt eam. Nam, cùm omnes Discipuli relicto JESU fugissent, ipsa B. V. usque ad mortem Christo patienti adstitit, & cum ipso in corde per gladium doloris vulnerata semetipsam cum Filio in Holocaustum pro mundi asserenda libertate DEO Patri ultro consecravit. Qua in re (liceat hìc sacra profanis admiscere) dicere possumus, quod de ovibus Erycinæ veneris quæ sponte ad aram, ut sacrificarentur, accurrebant, memoriæ ex Æliano prodidit Doctissimus Causinus lib. 7. Hierogl. cap. 89. singulis per totum annum diebus, inquit ille, tum incolæ tum peregrini sacrificant. Ara maxima sub dio est, quæ cùm multa subinde sacrificia recipiat, non die tantùm toto, sed etiam nocte ardet. Et mirum est, illam ita splendere igni, cùm nulla subsit pruna, non cinis, non ulli titiones, sed rore sit plena, & recentibus herbis, quæ subinde singulis noctibus in ea renascuntur. Porrò victimæ de pecorum gregibus sua sponte accedunt, & aræ adstant. Ducit autem illas primùm Deæ vis, deinde voluntas sacrificantis. Nam si ovem sacrificare libuerit, en tibi ovis ad aram adstat &c. Talis planè ovis extitit Virgo Deipara, quæ aræ Crucis Filii ad commoriendum illi adstitit.

B. V. per oviculam in aure aurea ornatam, & Jobo post tribulationes ab amicis oblatam significatur.

26. Ovina hæc Virginis nostræ purissimæ obedientia videtur significata per Inaurem illam auream, quam amici Jobo post ingentem illam ipsius tribulationem obtulerunt cap. 42. *Et dederunt unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Quæ verba expendens Lyranus, *Per ovem,* inquit, *Innocentia, per inaurem obedientia, id est, auditus humilitatis gratia ornatus, exprimitur. Notandum verò est, quòd hoc loco cum Inaure ovis, cum ove inauris offertur, quia innocuis mentibus ornamentum obedientiæ jungitur, Domino attestante: oves meæ vocem meam audiunt. Beato ergo Job Nemo inaurem sine ove,*

 nemo

nemo autem ovem sine inaure obtulit. Quia Redemptori nostro non obedit, qui innocens non est, & innocens esse non potest, qui obedire contemnit. Quia verò ipsa innocentia, non metu sed charitate observanda est, auream inaurem obtulisse perhibentur ut in ea quæ exhibetur, obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes, quasi aurum reliqua metalla transcendit. Hæc Lyranus.

27. Cùm igitur ovis nostra fuerit innocentissima, imò ab instanti suæ immaculatæ Conceptionis innocentia, & puritas ipsa, & simul etiam obedientissima, jure eam ovem inaure aureâ exornatam, ac Christo Domino velut alteri Jobo munus acceptissimum oblatam fuisse, affirmare possumus.

Obedientia B. V. inauris aurea.

28. Quòd autem Virginis obedientia inauris aurea extiterit, patet inde, quod ipsa ex ardentissima in genus humanum, ad illud instaurandum, ac salvandum charitate in incarnationem verbi, suo in utero peragendam promptissima obedientiâ consenserit dicendo: *Ecce Ancilla &c.*

Obedientia B. V. omnes virtutes Angelorum & cœlitum antecellit.

29. Quo Responso, Virgo mitissima igne divini amoris accensa Isaiam Prophetam imitari visa est, qui postquam sensit labia ignito calculo â seraphino sibi mundata, & ignis ille divinus ipsa sine dubio ejus præcordia penetrasset, ubi audivit illam Domini vocem: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* promptissima charitate, plenissimáque respondit voluntate, *Ecce ego, mitte me.* Isa 6. u. 8. Unde S. Bernardinus senensis. Tom. 2. ser. 51. ar. 3. c. 1. colligit ex hoc consensu, qui fuit dispositio ad infinitam illam divinæ Maternitatis dignitatem, meritum quoddam, nostro concipiendi modo acquisivisse, si ita loqui licet, infinitum, & plus meruisse, quàm omnes creaturas tam Angelos, quàm homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis: Nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status, & gradus gloriam sempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum, spiritus sancti &c. Quæ omnia merita, cùm à charitatis ac obedientiæ radice pullulârint, jure virtutem hanc Virginis inaurem auream dicimus; quemadmodum enim aurum reliqua omnia metalla, ut aiebat Lyranus, ac valore transcendit, ita obedientia hæc Deiparæ, ex ardentissimo in DEUM, proximúmque amore originem trahens, reliquas virtutes omnes tam in Angelis, reliquis cœlitibus repertas antecellit. Unde meritò eam cum Lyrano inaurem auream nobis nuncupare licet. Quare obedientiam hanc Virgini propriam ab ea dimanâsse sapienter affirmavit S. Epiphanius lib. 3. Cant. Hær. 78. ubi antithesim inter Mariam, & Evam instituens, ita loquitur: *Quoniam verò, cum adhuc Virgo Eva in hortis degeret, per contumaciam apud DEUM offenderat, ideò gratiæ propria à Virgine manavit obedientia, postquam circumfusi corpore verbi, sempiternæq; vitæ de cœlo est nunciatus Adventus.* Sic Epiphan.

B. V. heliotropio comparatur.

30. Ob hanc Virginis ardentissimæ charitati sociatam obedientiam Jodocus clitoveus. ser. de Præsent. B. V. illam Heliotropio flori quodammodo aureo comparavit: In sacra Virgine, inquiens, â primævo ætatis flore fuit fervor ingens charitatis, & ardens in DEUm & proximum amor, quo tota flagrabat. Et hoc in ejus anima rutilabat, tanquam flos quidam croceus, & auri fului speciem præferens, qui dicitur Heliotropium, quia semper ad solem convertitur. Assiduè enim ipsum solem sequitur quocunque fertur in nostro hemisphærio. Ad cujus similitudinem sacra mens Virginis Beatæ per charitatem semper in DEUM verum justitiæ solem

lem erat intenta, convertebatúrque tota ad bonam ejus voluntatem implendam. Plura qui volet de obedientia B. V. consulat Disc. 21. de Heliotropio.

31. Ob eandem rationem Ulricus Abbas in concordantia charitatis M. S. quam in Monasterio Campilliorum antè 340. composuit, S. Lucam reliquósque fideles Christi flori huic conferre non dubitavit. Per Heliotropium, inquiens, quemlibet intellige christianum, cujus flos, id est, conscientia ad ortum solis gratiæ Christi illuminantis debet se per confessionem, & vitiorum emundationem aperire, & Christo per bonam conversationem, obedientiámque se subiicere, eíque omni tempore ex animo deservire.

Omnis Christianus heliotropium fit, oportet.

32. Nec illa ovium proprietas ovi nostræ deest, de qua idem gyllius lib. 6. de Hist. anima. cap. 35. oves, inquiens, ventos administros conceptuum sua sponte & non appellatos & promptos habent, ad quos periti pastores eas dirigunt, cùm enim Auster flat, tunc ut fœmineæ prolis augeatur multitudo, ovibus arietes admittuntur. At longè felicior ovis hæc est nostra purissima, quæ austri Divinissimi, ipsius videlicet Spiritus Sancti afflatu prolem illam Dei Patris Unigenam in utero suo Virginali absque ulla ope humana concepit, atque generavit. Ventum hunc ovis hæc innocentissima atque purissima ad conceptum hunc Diviniorem atque singularissimum desiderabat, cùm dicebat Cant. 4. 16. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, ut fluant aromata illius.*

B. V. ovicula purissima in Conceptione Verbi.

33. Intelligebat nimirum ovis hæc ratione prædita, Dei Filium ex uteri sui Virginalis horto velut suavissimum Florem, velut lilium, aut Rosam nullius cultoris operâ germinaturum, & ideò se se Regio cuipiam Viridario comparavit. Unde & uterum animúmque suum, Hortum esse ad delicias cœlesti sponso, floríque huic Divinissimo Virginibus amantissimum exhibendas agnoscens, læta gloriabatur: *Dilectus meus descendit in Hortum suum, àd Areolam aromatum.* Cant. 6. Quæ verba venerabilis Dionysius Richelius art. 21. in Cant. accuratiùs trutinans, Virginem hortum, DEI Filium florem in utero ipsius Virginali plantatum agnoscit, dum ita loquitur: *Hoc sacratissima Domina Mater Deifera, intemeratissima, atque purissima Virgo singulariter dicere potuit, quando Unigenitus Patris in uterum ejus à summo cœlo descendit per incarnationis mysterium, & habitavit in medio ejus. Et quamvis in universos justos dicatur. Descendere gratiam infundendo, seu perficiendo; tamen ad unicam ac præclarissimam Virginem descendit, humanæ carnis substantiam ex ea hypostaticè assumendo, atque ad ipsam, quam assumpsit, humanitatem descendit, per personalem, & hypostaticam unionem. Porrò uterus præstantissimæ Virginis fuit Hortus verbi æterni, tanquam Creatoris, Electoris & habitatoris. Ad areolam aromatum, id est, ad ipsam præelectissimæ Virginis mentem omnium Divinorum fructuum fertilitate plenissimam, à Spiritu Sancto diligentissimè cultam, seminatam & fœcundatam suavissimis virtutum germinibus decoratam; Imo prius venit in mentem Virginis, quàm in ventrem ipsius, sed veniendo in ventrem, venit quoque in mentem, augendo in ea inæstimabiliter gratiam & virtutes, sapientiam, dona & fructus Spiritus Sancti videlicet, qui mentem ejus velut aromatum areolam perflando, uterúmque Divina prole ceu flore simul, & fructu benedicto fœcundando, gratiarum, virtutúmque ejus aromata fluere, gratissimúmque toto terrarum orbe odorem exhalare cœperunt, ita ut sanctæ horum aromatum odore recreatæ animæ, illi dixerint singulæ, trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum* Cant. 1.

IV. hortus amoenissimus Verbi.

B. V. ut oculos suos benignissimos nostris miseriis advertat, à filio constituta.

34. Quod si ovis proprium est agnoscere Pastorem, prolémque suam ut ipsa fatetur veritas. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ovis sanè fuerit immaculata Virgo nostra, quæ semper oculos suos in suum Creatorem ante partum suum Virgineum, & postea in ipsum dilectissimum Filium defixos habuit, adeò, ut ipse Filius eam identidem rogaret. *Averte oculos tuos à me.* Cant. 6. Quam petitionem idem Richelius elegantissima reddidit paraphrasi. *Quamvis*, inquiens, *o unica mea tota tua delectatio sit me jugiter intueri, veruntamen non solùm me intuearis, sed & commissam quoque tibi Ecclesiam, & miseros ad te clamantes. Sic ergo averte oculos tuos à me, & ad alios quoque eos converte; non tamen intueri me cesses. Attamen oculos illos maternæ compassionis, ac piæ solicitudinis, quos in terris ad me habuisti, adhuc passibilem ac mortalem, præsertim tempore passionis, averte omninò à me plenariè glorificato, & converte illos ad miseros exulantes à te lamentabiliter ac devotissimè conclamantes. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte!*

Prosequitur eandem materiam.

35. Similem planè huic paraphrasin, atque gemellam contexuit Guilelmus Anglicus apud Delrium in Cantica; ubi supponens quòd Deipara intentos semper oculos in Filium & mortalem, & postea gloriosum in cœlis habuerit, eúmque velut ovis mitissima Pastorem suum agnoverit, & amaverit, introducit eundem jam in æterna gloria triumphantem, Matrem dulcissimè alloquentem, ut à sui intuitu temperaret, & oculos ad membra sua, nempe fideles suos, ærumnis variis subditos converteret, eósque ut Filios suos, sui loco agnosceret ac sublevaret. *Sancta calliditate*, inquit ille, *alludit, piæ Matri dulcissimus Filius ad Patrem jam assumptus. Q. D. Jam per Inclytum meæ resurrectionis, ascensionisque triumphum cunctis malignis spiritibus, quos non ense, sed cruce perdomui, tanquam Mater clarissimi Triumphatoris terribilis facta es, jam tibi ab Angelis simul & hominibus pleno ore acclamatur: Benedicta tu in mulieribus & benedictus Fructus ventris tui. Jam non est necesse tibi, ô pia Mater, solicitari, ut olim, quando me parvulum pannis involvebas, sinu fovebas, lacte alebas, sive quando grandiusculum pane nutriebas, & pro ætate vestiebas; sive etiam quando in me jam adultum, & virum factum, non desinebas materna pietate abundare, quamvis jam desiisses, maternis pro ætate officiis ministrare. Unde etiam cùm agonizanti mihi pro hominum salute assisteres, & stares juxta Crucem meam, pia anima tua maternis perforabatur doloribus. Quia ergò jam vetera transierunt, & novitas jucunda illuxit, noli me aspicere, pia Mater, ut olim, ut Mater. Averte à me maternos oculos, sed aspice me velut amica & Sponsa. Jam ascendi ad Patrem, habeant materni illi oculi vacationem, sed à me. Porrò ad membra vacare illos volo. Averte à me ad Fratres, & filios meos. A me, quia jam assumptus ad Patrem, à Matre non debeo amplius teneré diligi, in meos autem converte, quos oportet, me ab illis assumpto materna tua pietatis teneritudine confoveri. Non ergo tepescat materna pietas tua, non extinguatur, nec minuatur; sed à me in meos integrè transferantur, illos jam tenerè, ut Mater, dilige; me jam intuere, ut sponsa, & dilecta. In cruce pro salute hominum agonizans, unum tibi adoptavi Joannem, dicens: Mulier ecce Filius tuus, porrò, cùm triumpho resurrectionis ascendens ad Patrem, multos tibi vice mei adoptavi, & reliqui filios. Mulier ecce filii tui, quos diligas, & piè confoveas. Sic averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt. Hoc est, propter ipsos avolavi à te, ut avertas oculos tuos maternos à me ascendens in cælum*

lium avolavi à te, ut à me in meos transferres. teneritudinem maternæ pietatis. Hæc Guilelmus.

Chriſtus non contentus ut ipſe pro nobis gerat ſolicitudinem, eandem etiam B. V. commendat.

36. Quæ ſanè nobis mirificè ob oculos proponunt Virgineæ hujuſce Oviculæ cognitionem illam atque amorem, qua non ſolum ferebatur in Paſtorem, ac Filium ſuum, de quo verè dicere poterat cum Davide Patre ſuo. *Oculi mei ſemper ad Dominum* Pſal. 25. 15. *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.* Verùm etiam quo ferri debeat juſſu ejuſdem Filii in ejus lectiſſima membra; Siquidem illius voluntas eſt ut eodem maternæ pietatis oculo & ſe, & illos intueatur. Ubi ſimul piiſſimam Chriſti Domini noſtri erga nos ſolicitudinem conſiderare jucundum eſt, qui non contentus habere oculos ſuos ſuper juſtos, & aures ſuas ad preces eorum Pſal. 32. 18. Non contentus quòd *oculi ejus in pauperem reſpiciunt, palpebræ ejus interrogent filios hominum.* Pſal. 10. 5. Non contentus denique, *quòd ſuper nos firmet oculos ſuos* Pſal. 31. 8. ut providentiæ ſuæ circa ſuos electos declaret ſtabilitatem; præcipere quoque dignatus eſt Matri ſuæ dilectiſſimæ, ut eodem prorſus, quo ſe olim miſeriis humanis, ærumnísque ſubditum conſpiciebat, eodem, inquam, & ſuos fideles dignaretur aſpectu, eóſque ut filios proprios, ac dilectos agnoſceret, ac diligeret. O felices, ac ter beati! qui hujus oviculæ puritatis lanâ candidiſſima aliarúmque virtutum ejus veſtiuntur, pietatíſque ejuſdem lacte, nutriuntur; hos certè illa tanquam Agnos ſuos agnoſcat, & diligat illis benevolentiſſimè provideat, ita committente Filio, neceſſe eſt.

Providentiæ B.V. ſpecialiter commiſſi adoleſcentes pii.

37. Hujuſmodi Agnos Virgineæ hujus Oviculæ ego potiſſimùm dixerim ingenuos ac pudicos adoleſcentulos, qui in Sodalitiis B. V. curâ Societatis JESV Patrum educantur, & exercitatione virtutum ſacramentorúmque frequentatione ad pietatem, omnimodámque morum honeſtatem ſub patrocinio Deiparæ fideliſſimo efformantur. Hos dilectiſſimus ejus Filius verè agnus Dei, qui tollit peccata mundi, illi aſſiduè commendans etiamnum ait ſine dubio: *Mulier ecce filios tuos;* hos pleniſſimis illis tuis pietatis oculis, quibus me olim reſpiciebas viventem, his, inquam, eoſdem jam reſpice, tuóſque eſſe agnoſcens, ſi me diligis, dilige.

B.V. Salutis humanæ patrona conſtituta.

38. Videtur ſanè mihi etiamnum Salvator pro eo, quo fideles ſuos amoris complectitur affectu, dicere Matri ſuæ, Ovi huic immaculatæ, quòd olim dixit Petro: Joan. 21. *Simon Joannis, diligis me plus his? Paſce Agnos meos, Paſce oves meas.* Quòd ſi ad hanc interrogationem, præceptúmque Domini, Petrus reſpondit: *Domine tu noſti omnia, tu ſcis, quia amo te?* Certè majori longè promptitudine, ac ſinceritate illi reſponderit Mater Sanctiſſima, utpote, quæ illum magìs, quàm omnes Apoſtoli, quàm Patriarchæ, ac Prophetæ magìs, quàm omnes antiqui, ac novi Teſtamenti Viri Sanctiſſimi, magìs quàm omnes Angelorum Hierarchiæ, magìs deniq; , quàm ipſi Seraphini, qui ab incendio divini amoris nomen invenerunt, dilexit: reſponderit, inquam, eiq; dixerit: *Tu, qui ſcrutaris corda, & renes DEUS, qui vides omnia, & profundum abyſſi intueris,* tu ſcis; quia amo te; eodémque amore diligam, & paſcam hos agnos tuos, & meos, ſiquidem eos mihi tantâ charitatis ſignificatione commendâſti.

B. V. devotos velut agnos ſibi commiſſos ſolicitè paſcit.

39. Quòd ſi Apoſtolorum Princeps à converſione ſua totius vitæ ſuæ laborioſiſſimæ decurſu ad extremum úſque vitæ halitum, quem emiſit in Cruce, tanta cum charitate animíque contentione Agnos, Ovéſque Chriſti verbis exemplíſque pavit, atque nutrivit; quid feciſſe credendum eſt Deiparam, Matrem pientiſſimam, charitatis, miſericordiæque viſceribus pleniſſimam! quæ minimum nutum ſui Filii, ut ei in rebus omnibus

promptissimè obtemperaret, observabat! Quare certò nobis persuadere debemus, ex Christi commissione Virginem nostram, Ovem immaculatam, Adolescentulos hosce innocuos, qui ejus Sodalitiis nomen dedêre, peculiari cura, ac solicitudine pascere, ac nutrire, uberibúsque suæ pietatis, ac misericordiæ illis generosam ingenuámque ad omnem virtutem propensam indolem ingenerare.

B.V. Curam gerit peccatorum; ergo multò magis piorum.

40. Si enim illa perversos, & à Deo alienos quærit peccatores, qui ei DEI jussu committuntur, dum etiam sponso dicitur: *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce Hœdos tuos.* Quantò magis pascet hos Christo dilectissimos Agnos, qui primam illam stolam lotam, & in sanguine Agni dealbatam, ab ipso sacro Baptismatis fonte illibatam conservârunt.

B.V. ut peccatores reducat ad salutem constituta.

41. Quòd porrò per Hœdos peccatores designentur, docent varii, ac præsertim Honorius Presbyter Augustodunensis, qui verba illa Sponsi hunc in modum interpretatur: *Egredere de muliebri levitate*, hoc est, ut Mulierem fortem decet, oblita naturalis sexus imbecillitatis, animum virilem retine, & pro grege communi laborem nullum recusa, & abi de virtute in virtutem, abi, inquam, post vestigia gregum, quære oves palabundas, congrega eos in ovile mecum, egredere de castris severitatis in latitudinem misericordiæ, ô Mater miserationis, &, ut me facere vidisti, oves fugitivas, & erroneas humeris in caulas reporta. Et pasce hœdos tuos adhuc lascivientes, & petulcos, vitio potiùs ætatis, quàm obfirmatâ malitiâ; hœdos adhuc per culpam pasce synceritatis & veritatis pabulo; nihil te pascente illis nociturum, minùs verò tibi, quamvìs eos pascas juxta tabernacula pastorum. Cunctas enim hæreses una superabis. Nónne hoc canit Ecclesia? Nónne cunctorum Sæculorum annales Ecclesiastici nos docent?

Prosequitur eandem materiam.

42. Hœdos hosce Dionysius Richel. Art. 5. in Cant. censet esse Judæos, à Christo Matri commissos, ut eos à sua perfidia sceleribúsque ad veram fidem vitæque puritatem suis precibus atque intercessionibus ad DEum convertat. Quoniam Dominus, & Salvator voluit, inquit ille, suam benignissimam per aliquot annos post suam ascensionem permanere in terra ad multorum ædificationem, conversionémque Judæorum; Sponsus subjungit: Si ignoras, id est, quoniam utique non ignoras, te, omnium perfectissima fœminarum, quæ non Spiritum hujus mundi, sed Spiritum, qui ex Deo est, accepisti, ut scias quæ à Deo donata sint tibi, quoniam ergo id nosti, & scis, te omni creaturæ prælatam in dignitate, idcircò egredere & abi post vestigia gregum, id est, Incredulos, & aversos Judæos piè considerat, & eorum pericula compatienter attende, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula Pastorum, id est, carnales & vitiosos Judæos tuis refove orationibus, & exemplis, ut salvos facias quosdam ex eis quatenus per Sanctorum Patriarcharum fidem, & spiritualem Scripturæ intelligentiam nutriantur ac informentur.

B.V. tradis commissi peccatores; multò magis ergo pii, & boni.

43. Si ergò peccatores, atque ipsi sceleratissimi Deicidæ Judæi à Dei Filio-Matri commendantur, ut eos suis apud se precibus, patrociniísque intercedendo pascat, convertat, & ex fœtentibus hœdis faciat electas oves, ac mundissimas; quantò magis commendabit hosce mundissimos omni labe carentes Agnos!

B.V. peccatores fovet, sed eos solum, qui è sceleribus suis conantur emergere.

44. Neque verò peccatores ex hac Matri à Christo facta hœdorum commendatione debent insolescere, peccandíque libertatem sibi arrogare. Præclarè enim Guilelmus Anglicus Abbas apud Delrium. *Tritum*, inquit, *est in Sacra Script. Hædorum nomine peccatores significari, sed non omnes hædi sunt Mariæ. Hædi ejus non sunt peccatores illi, qui circa Matrem*

Matrem pietatis indevoti, & in officiosi existunt, opémque ejus vel non, vel tepide requirunt, nec illi sunt etiam, qui Matrem pietatis studiosè quidem venerari, opémque ejus summa instantia videntur implorare, sed à suis sceleribus non convertuntur. Has non cognoscit illa, quia sic volunt eam esse Matrem pietatis, ut non sit Mater justitiæ, & veritatis: tam injuriosi in uno, quàm officiosi in altero. Soli hædi ejus sunt, qui, ut illam dignè venerentur, opémque ejus assequi mereantur, peccata sua perfectè deserunt, mores suos ad bonum seria mutatione componunt. Hi adhuc hædi sunt, quia de recentium criminum vulnere adhuc sauciam habent conscientiam, sed tamen hædi sunt Mariæ, & JESU, ab eis consovendi, sanandi, & paulatim in oves mutandi, de sinistra in dextram transferendi. Hæc ferè Guilelmus.

B.V. omnis reverentia, cultus & honos exhibendus.

45. Cùm igitur Virgo Deipara tam Agnorum, quam hœdorum pro ingenita sibi benignitate, ac mansuetudine curam gerat, tantáque solicitudine eis provideat, lactando illos sua pietate, ac misericordia, eísque suæ effusissimæ charitatis viscera exhibendo par est, ut ei omnem honorem venerationémque, velut dilectissimæ Matri probi filii exhibeamus. Si enim olim famii ovem venerati sunt, quòd eis aurum furto sublatum invenerit, ut testatur Ælianus lib. 12. de anima. cap. 46. quo cultu, quâ reverentiâ, nobis Ovis hæc mansuetissima erit veneranda, quæ nobis non aurum, sed divinam gratiam, omni auro, omni lapide precioso, omnibus unionibus ac gemmis chariorem à prædone illo Tartareo, in Paradiso peccante Evâ, & Adamo consentiente, furto sublatam, invenit.

B.V. gratiam perditam mundo recuperavit.

46. De hac enim gratia sine dubio ei dicebat Angelus: *Ne timeas Maria, Invenisti enim gratiam apud DEUM.* Quæ verba expendens Pelbartus de Themisuar. lib. 1. stell. P. 6. cap. 2. ita loquitur: Noli timere; sed hoc certum habe, quia invenisti, gratiam apud DEum non solùm pro toto genere humano, gratiam, inquam, quam homo amiserat per culpam, tu invenisti, multò fæliciùs, & per te ipsam recuperata est excellentiùs.

Si Filium pertimescamus accedere, recurramus ad Matrem.

47. Agnovit S. Bern. Ser. de Aquæ ductu cœlestem illam gratiam, quam in protoplastis amiseramus, inventam fuisse per Virginem, ac proinde docet, inprimis in necessitatibus nostris recurrendum nobis esse ad ejus Filium tanquam nostrum apud Patrem Mediatorem, & Advocatam: Quod si in illo Majestatem Divinitatis pertimesceremus, ad Mariam, dilectissimam ejus confugiendum esse Matrem. *Pura siquidem humanitas est in Maria,* inquit S. Pater, *non modò pura ab omni contaminatione; sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim: exaudietur & ipsa pro reverentia sua, Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim, potéstne Filius aut repellere aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè: Invenisti, ait, Angelus gratiam apud DEum. Feliciter, semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia, qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua Salvamur. Quid nos alia concupiscimus fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, invenit, & frustrari non potest.*

B.V. Evæ actionibus opposita omni cultu, obsequio, & reverentia veneranda.

48. Ut ostendat porrò efficaciùs, gratiam per Evam amissam, per Mariam generi humano fuisse recuperatam ac proinde totam fuisse penitus Evæ in actionibus suis omnibus oppositam, ita loquitur: *Ne dixeris ultra ô Adam: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito;*

dic potiùs: *Mulier, quam dedisti mihi, me libavit fructu benedicto.* Ut tandem nos doceat omni honore venerationéque ovem hanc ac longè majori nobis, quam olim samiis esse prosequendam, utpote quæ non aurum, sed planè ingentem cœlorum Thesaurum, nempe gratiam, per quam Divinæ consortes efficimur naturæ, & in DEUM quodammodò transformamur, hæc attexuit: *Altiùs ergò intueamini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Totis ergò medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*



DISCURSUS VIGESIMUS SEXTUS.

VIRGO DEIPARA APIS MELLIFICA.

1.

Nemo dignè laudare potest B. V.



Eraphicus Pater S. Bernardinus Senensis To. 3. Ser. 40. par. 1. scribit Philosophorum quempiam triginta omnino annorum spatio, toto suo impenso studio ac scrutinio penetrare Naturam apis minimè potuisse. Quòd si ita est, & qua ratione nos mysticæ hujus atque Virgineæ Apis, quæ nobis Divinum mel, ac omnium Cœlitum Dulcedinem, Incarnatum nempe Verbum protulit, mente comprehendere, verbis enodare poterimus, virtutes ac laudes, quæ ipsis Angelicis Spiritibus sunt inennarabiles? Hinc S. Joannes Damascenus orat. 1. de Dormit. B. V. *Virginem*, inquit, *non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens satis dignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam perspicuè intueri nobis datum est.* Ob eandem Virgineam laudum celebrandarum difficultatem idem S. Doctor orat. 2. de Dormit. Deiparæ exordiri non dubitavit: *Nemo*, inquiens, *est mortalium, qui sacrosanctam DEI genitricem pro dignitate laudare queat, ne quidem si sexcentas linguas totidémque haberet ora; imo nec si toto orbe dispersæ linguæ in unum coirent, siquidem ipsa encomiorum omniũ excedit leges.* Et licet hæc ita se habeant, tentemus tamen aliqua de Virgineis eloquiis aspirante lumine ac favente Numine dicere, ut ejus gratiam invenire semper quidem, sed præsertim in extrema illa mortis periodo mereamur.

Regina apum B. V. repræsentat.

2. Inter reliqua Ægyptiorum Hieroglyphica, quibus Regiam dignitatem majestatémque repræsentabant erat apis, quæ mel simul, & aculeum habet, quibus misericordia & justitia Regis designatur. Porrò etsi apis quælibet Deiparam repræsentet, repræsentat tamen vel maximè earum Regina, quæ sola inter omnes aculeo caret, ut plerique rerum Naturalium indagatores arbitrantur. Inter quos Plinius lib. 11. cap. 16. ita loquitur: *Rex*

Rex nullúmne solus habeat aculeum, majestate tantùm armatus? an dederit eum quidem natura, sed usum illius ei tantum negaverit? non constat inter Auctores. Illud constat Imperatorem aculeo non uti. Quo maximè ad laudandam Neronis Imperatoris clementiam, usus est argumento Seneca. lib. 1. de clement. cap. 19. *Excogitare*, inquiens, *nemo quidquam poterit, quod magis decorum regenti sit, quàm clementia; quocunque modo is, & quocunque jure præpositus cæteris erit. Eò scilicet formosius id esse, magnificentiùsque fatebimur, quò in majori præstabitur potestate; quam non oportet noxiam esse, si ad naturæ legem componitur. Natura enim commenta est Regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoscere, & ex Apibus; quarum Regi amplissimum cubile est, medióque ac tutissimo loco. Præterea onere vacat, exactor alienorum operum;* & mox: *Præterea insignis Regi forma est, dissimilísque cæteris, tum magnitudine, tum nitore, hoc tamen distinguitur. Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt Apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura sævum esse, nec ultionem magno constaturam petere; telúmque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens est,* & mox: *Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores; cùm tantò hominum moderatior animus esse debeat, quantò vehementiùs nocet.* Hæc Seneca de Reginæ apum clementia, ac mititate, quam regios animos imitari desiderat, utpote quæ eos maximè deceat. Unde eodem lib. 1. cap. 5. *Est ergo clementia*, inquit, *omnibus quidem hominibus secundùm naturam, maximè tamen decora Imperatoribus, quantò plus habet apud illos quod servet, quantoque in majore materia apparet. Quantulum enim nocet privata crudelitas?*

3. Similibus penè coloribus eandem Apum Reginam descripsit Plinius loco citato: *Omnibus*, inquiens, *forma semper egregia, & duplo, quam cæteris major, pennæ breviores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula, quodam diademate candicans. Multum etiam nitore à cæteris vulgò differunt.* Ælianus quoque de hoc Apum aculeo duas refert sententias lib. 1. cap. 60. *Opinio una est*, inquit, *Apum Reges non aculeatos esse. Est rursus altera eos robore aculeorum peracutorum armatos esse, nunquam tamen neque contra hominem, neque contra Apes uti. Quoniam non fas sit tantæ nationis Imperatorem malum admittere. Reliquas autem Apes ferunt alii in conspectu suorum Imperatorum aculeos submittere, quasi fasces velut imperio potestatéque his cedentes.* Hæc Ælianus. Quæ penè omnia quàm aptè Cœlorum Reginæ sanctissimæ conveniant Deiparæ, proclive est judicare, & nos infra fusiùs declarabimus. Unde Hugo Card. de S. Caro illud Siracidis Eccli. 11. Apis enucleans elogium. *Brevis in volatilibus Apis, & initium dulcoris habet fructus illius;* ita loquitur: *Mystice de Christo intelligitur, qui fuit Apis habens mel in ore, id est, in primo adventu, dulcedinem, in prædicatione, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos, Mat. 11. Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Sed in secundo adventu habebit aculeum perforantem, cum dicet: Ite maledicti in ignem æternum &c. Brevis est, quia humilis, quia Parvulus natus est nobis. Fructus ejus dulcis, humani generis Redemptio, Angelicæ ruinæ reparatio, Januæ Paradisi, reseratio.*

B. V. apis aculeo carens.

4. *Item mystice intelligitur de B. V. quæ comparatur Api, quia brevis per humilitatem, fructus ejus dulcis, quia benedictus Fructus ventris ipsius.* Sic Hugo Apem agnovit Deiparam Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B. V. ubi quærens, cur à Siracide *Brevis in volatilibus Apis* hæc

B. V. brevis in volatilibus apis.

 Virgi-

Virginea dicatur? Respondit: *Quia Maria est humilior Angelis, & omnibus contemplativis, qui sunt volatilia utriusque Paradisi. Quòd autem hujus Apis fructus dicatur initium dulcoris habere; ideò dictum est; quia sicut primus fructus Evæ pomum videlicet, quod ipsa comedit, habuit initium amaritudinis planè mortalis, ita fructus benedictus ventris Mariæ fuit initium omnis vitalis, æviternúmque duraturæ dulcedinis.*

B. V. apis placida, mansue-

5. Quòd porrò parvitas in Api sit quædam perfectio singularis, ostendit columella lib. 9. de re rust. cap. 3. *Aristoteles* inquiens, *ejúsque auctoritatem sequens Virgilius, maximè probat, Apes parvulas oblongas, leves, nitidas ardentes auro & paribus lita corpora guttis; moribus etiam placidis, nam quantò grandior apis atque etiam rotundior, tantò pejor.* Unde cùm brevis & parvula hæc apis nostra fuerit tantò melior ac placidior extitit, majorémque mellis, divinæ sapientiæ videlicet, copiam peperit, unde de ipsa potissimum sine dubio Patris æterni locuta fuerit increata sapientia: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc sapientibus, & prudentibus,* turgidis videlicet Philosophis, *& revelasti ea parvulis.* Quos inter Mater mea Apis brevis, ac parvula, jure merito numeranda est, quæ humilitate sua tuæ divinæ sapientiæ mella uberius colligere, ac recondere, in usus Ecclesiæ promeruit.

Primum, quod in literis Mariani nominis reperitur mysterium apem significat.

6. Apem quoque esse intellexit Mariam Bernardinus Bustius Ord. Seraphici 3. Par. Marial. ser. 4. ubi indagans Mariani Nominis mysteria, ejus literis contenta, primum, A, quod in ipso reperitur, ait Apem significare. *Apis*, inquiens, *in sacra scriptura dicitur B. V. quia fuit brevis per humilitatem, volatilis per supernorum contemplationem, mellificans per cœlestis fructus productionem. De qua dicitur Eccl. 11. brevis in volatilibus Apis. De hac Ape dicit Ambrosius lib. de Virgin. Apis rore pascitur, concubitum nescit, mella componit, sic B. V. rore cœlesti, id est, gratia Spiritus Sancti pasta fuit, Virgo permansit, & Paradisi Dulcedinem generavit.* Sic ille.

B. V. pariens incorrupta apis.

7. Illibatam porrò Deiparæ puritatem, ante partum, in partu, & post partum pulchrè natura Apis repræsentat. De illa enim Plinius lib. 11. cap. 16. *Fœtus quonam modo Apes progenerent, magna inter eruditos, & subtilis quæstio fuit. Apum enim coitus visus est nunquam.* Audiendus hic S. Ambrosius, qui lib. 5. Hexam. cap. 21. non modò Virginitatem, verùm etiam fœcunditatem admiratur in Apibus: *Quid plura* inquiens, *communis omnibus generatio, integritas quoque corporis Virginalis omnibus communis, & partus. Quoniam neque ullo concubitu miscentur, neque libidine resolvuntur, nec partus doloribus quatiuntur, & subito maximum filiorum examen emittunt, è foliis, & herbis ore suo prolem legentes. Itaque cùm aves aliæ vix in anno edant singulos fœtus, apes geminos creant, & duplici cæteris fœcunditate præponderant.* Quòd, quam congruè Deiparæ Api dulcissimæ atque lectissimæ, quæ unicum Patri æterno consubstantialem generando Filium, innumeros spirituales atque adoptatos prodigiosa sua planè Virginitate atque fœcunditate generavit, aptari possit, nemo non videt.

B. V. pariendo Christum virgo.

8. Idem asserunt reliqui rerum naturalium scriptores; quocirca etiam hac Apum immaculata generatione Judæorum Paganorúmque arguitur perfidia, non credentium, Virginem intacta Virginitate peperisse Christum. Si enim Apis absque concubitu coitúque naturali virtute generat, & qua ratione id facere divina Virgo nostra non poterit? Quod autem Dei omnipotentiâ tantum, tanquam arcanum peractum sit mysterium, Gabriel sapienter indicavit, dum Virginem alloquens Divinæ Incarnationis in ejus utero peragendæ modum

modum eidem de conservanda Virginitate, voto Deo consecratâ, sollicitè exponeret; *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideóque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, denique in exemplum adducendo Elisabetham sterilem, jam fœcundatam, ita concludit: *Quia non erit impossibile apud DEUm omne verbum.* Luc. 1. quo præstantissimo testimonio utpote Angelico ac proinde luculentissimo omnes tam Judæorum, quàm Ethnicorum evertuntur machinæ, & impietas omnis enervatur. Quid enim Divinæ totius universi tam admirabilis molitrici repugnet omnipotentiæ, qua ex nihilo tam innumeræ, tam variæ, tam concinnæ, ac pulchræ conditæ unico verbo sunt creaturæ. Unde præclarè Euthymius in c. 1. Lucæ. Tam est Deo facilè opus facere quodcunque, etiam humanæ intelligentiæ rationem excedens, quàm homini dicere seu pronunciare verbum.

Deo nihil impossibile.

9. Audiendus hìc de hac Divini verbi omnia creantis omnipotentia mellifluus doctor Hom. 4. Super missus, ubi sic loquitur. *Quale enim verbum impossibile illi poterit esse, qui omnia fecit in verbo! Movet me & hoc in verbis Angelicis, quod signanter non ait, quia non erit impossibile apud DEUM omne factum; sed omne verbum. An idcircò posuit verbum, quia quàm facilè possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt; tam facilè, imò incomparabiliter faciliùs valet Deus opere implere, quidquid illi verbo valent exprimere! Dicam apertiùs: Si hominibus tam facilè esset facere, quàm dicere, quod volunt; & ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quia vulgaris, & vetus sermo est, multum interesse inter loqui, & facere, sed apud homines, non apud DEUM. Soli Deo quia idem est facere, quod loqui, idem loqui, quod velle, meritò non erit impossibile apud DEUM omne verbum. Verbi gratiâ. Potuerunt prævidere & prædicere Prophetæ Virginem, vel sterilem concepturam ac parituram. Sed numquam facere, ut conciperet, & pareret. Deus autem, qui dedit eis posse prævidere, quam facilè potuit tunc, quod voluit prædicere, tam facilè potuit nunc, quando voluit per se ipsum, quod promisit, implere. Siquidem apud DEum nec verbum diffidet ab intentione, quia veritas est; nec factum à verbo, quia virtus est; nec modus à facto, quia sapientia est; ac per hoc non erit impossibile apud DEUM omne verbum.* Hæc Bern.

10. Ex quibus incorruptam Deiparæ Virginitatem, fœcunditatem inaudito hactenus miraculo, omnipotentiaque Divinæ vi, ac energia sociatam fuisse prospicimus. Quo vel solo unicóque argumento omnia ipsorum Ethnicorum, adversùs Virginem, Christianámque fidem depugnantium, subruuntur machinamenta. Quapropter S. Ambrosius Episc. 81. Præclarè pronunciavit: *Si doctrinis non credimus Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum, dicentium: Quia non erit impossibile apud DEUM omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratam semper custodit, & servat.*

Ex omnipotentia Dei fæcunditas B. V. intemeratæ Virginitati conjuncta probatur.

11. Eodem recidit, cùm dicunt Patres, eum, qui natus est de Virgine, Deum fuisse, ac proinde illibatam Matris Virginitatem conservare debuisse. Unde Proclus Cyzicenus Homil. de Christi Nativ. in Concil. Ephesino habita Tom. 6. cap. 7. ita discurrit: *Si ea, quæ genuit, Virgo non permansit, neque is qui natus est, aliud quàm purus homo extitit.* Tandémque ita concludit: *Natura portas reseravit Emanuel ut homo, sed Virginitatis claustra non violavit, neque perrupit ut DEUS. Ita enim ex utero est egressus, sicut per aurem ingressus; ita natus, sicut*

B. V. pudicitia in partu Christi intaminata.

conceptus, qui impatibiliter fuerat illapsus, impatibiliter est elapsus.

B. V. in partu filii sui virgo singularis.

12. Ob hanc denique Divini partus singularitatem Mater Sacratissima ab Ecclesia *Virgo singularis* prædicatur: *Ipsius enim partus*, ut loquitur Concil. Tolet. XI. *Si haberet exemplum, non esset singulare.* Tandémque Divinitatis omnipotentiæ totum hoc mysterium attribuens ita concludit: *Fateamur ergò DEum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.* Qua etiam Divinitatis virtute rursus Paganorum omnia eluduntur sophismata, ita, ut ne contra mutire audeant.

B. V. mansit Virgo in conceptione & partu verbi.

13. Credunt illi portensos is Poëtarum fabulis ne dicam, mendaciis, ab omni ratione alienissimis, quæ Ruffinus in expositione symboli acriter reprehendit, & tamen immaculatum partum Virginis, quo DEUM ipsum in lucem edidit, credere detrectant: *Mirandum,* inquit ille, *cur hoc gentilibus impossibile videatur, qui credunt Minervam suam de cerebro Jovis natam. Quid ad credendum difficilius, aut quid magis contra naturam? hic fœmina est, hic naturæ ordo servatur; hic conceptus, & partus temporibus suis editur. Ibi nusquam fœmineus sexus, sed vir solus & partus; qui illa credit, cur ista miretur? Sed & Liberum de femore ejus asserunt natum. Ecce aliud portenti genus; & tamen creditur. Venerem quoque, Aphroditem vocant, de spuma maris (sicut etiam nominis ipsius compositio ostendit) credunt esse progenitam. De ovo natos Castorem & Pollucem, quoque confirmant; Ex formica Myrmidones. Et alia mille sunt, quæ contra rerum naturam venientia, ipsis tamen visa sunt credibilia; ut Deucalionis & Pyrrhæ lapides jactos, & hominum ex his segetem natam. Et cùm hæc tot, & talia figmenta crediderint, unum eis verbum impossibile videtur, quod adolescens fœmina Divinum Germen, non hominis vitio, sed DEO inspirante concepit.*

14. Credunt etiam homines, ea quæ naturæ indagatores de vulturibus absque ullo coitu parientibus scripsêre, & quî fit, ut Divino Virginis partui non credant? Consideratione hac S. Ambrosius lib. 5. Hexam. c. 20. eodem ad partum purissimum comprobandum Deiparæ utitur; *integritas in pluribus quidem avibus ita esse asseveratur, ut possit etiam in vulturibus deprehendi. Negantur enim vultures indulgere concubitui, & conjugali quodam usu nuptialíque copulæ sorte misceri, atque ita sine ullo masculorum concipere semine, & sine conjunctione generare, natósque ex his in multam ætatem longæ vitæ procedere, ut usque ad centum annos vitæ eorum series producatur, nec facilè eos angusti ævi finis excipiat. Quid dicunt? qui solent nostra ridere mysteria, cùm audiunt, quod Virgo generavit, & impossibilem innuptæ, cujus pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum. Impossibile putatur in DEI Matre, quod in vulturibus possibile non negatur. Avis sine Masculo parit, & nullus refellit. Et quem desponsata viro Maria peperit, pudoris ejus faciunt quæstionem. Nonne advertimus, quòd Dominus ex ipsa natura plurima exempla præmisit, quibus susceptæ Incarnationis decorem probaret, adstrueret veritatem?* Sic Amb.

Prosequitur eandem materiam.

15. Eisdem avium, aliarúmque rerum naturalium argumentis, ad Deiparæ Virginitatem comprobandam, usus est Pelbartus Themisuariensis lib 8. stell. Par. 1. art. 3. cap. 1. & sequentibus. Rutilius quoque Benzonius. Lauretanus lib. 1. cap. 23. in Magn. purissimam Dei Matris Virginitatem probat, non modò gentilium, sed etiam Mahometis in Alcorano authoritate. cap. 72. id referente etiam Lyrano, & eodem Pelbarto, sic igitur ille; *Nullus nascitur de filiis Adam, quem*

B. V. semper intemerata.

quem non tangat Sathan præter Mariam, & ejus Filium. Multi perfecti fuerunt ex viris, nulla perfecta unquam fuit ex Mulieribus, nisi Mater ipsa! ô Maria omnibus viris, & mulieribus mundior, atque doctior, quæ soli Deo studes perseveranter. O Maria, DEus utique elegit te claram, & purificavit te super mulieres sæculorum. O Maria DEus annunciavit tibi verbum, ex ipso nomen ejus JESUS Filius Mariæ & erit honorabilis in hoc Sæculo & in futuro.

B. V. apis purissima aëre gaudet sereno; id est, desiderat Clientum suorum mundas sine labe mentes.

16. Altera Apum proprietas est, quam adfert Bartholomæus Anglicus lib. de proprietatibus rerum, quòd diligant aërem serenum, atque tranquillum; quia tunc plus de rore invenitur. Serenus hic aër sive cœlum Api nostræ est cujusque clientuli ipsius serena, absque nubibus peccatorum, tranquilláque conscientia, rore cœlestium gratiarum abundans. Hac illa potissimùm gaudet, hanc amat, in eáque mirificè, utpotè sibi simillima, oblectatur. Quam ob causam aliqui eam Scripturæ interpretes, ut Pater Cornelius à lapide, conferunt operi illi, quod visum est à Senioribus Israel sub pedibus Dei lapidis Sapphyrini. De quo Moyses Exo. 24. 10. *Viderunt DEum Israël, & sub pedibus ejus, quasi opus lapidis Sapphyrini, & quasi cælum, cum serenum est.* Quibus verbis quædam Deiparæ perelegans descriptio continetur: In ea siquidem DEus Israel Humanitate nostra circumdatus, membrísque humanis, non modò pedibus, sed & manibus alisque instructus in ea ad deliciandum cum filiis hominum, omnis antiquæ illius severitatis, quæ in mortales utraque manu eos percutiendo sæviebat, oblitus constitit. Unde ad hanc Humanitatis DEI insinuandam mansuetudinem, ac benignitatem Moyses ibidem hæc attexuit: *Nec super eos, qui procul recesserant de Filiis Israel misit manum suam; viderúntque Deum, & comederunt, & biberunt;* omni ita longè repusa formidine, qua territi, ac penè exanimati olim, non modò actus hosce vitales comedendi ac bibendi exercere, sed vix quidem vivere eis licebat. Hoc enim indicare videbantur verba illa populi: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Itaque quemadmodùm incarnatum Verbum in Virgine tanquam in sereno cælo habitans, mirificis deliciis oblectatum est, ita quoque Virgo beatissima suorum clientum, omni peccati labe depuratâ, & ad instar cœli, serenâ gaudet conscientiâ.

16. Ob Cœlestem hanc animi, mentísque ejus purissimæ serenitatem meritò velut supremi omnium Regis Mater Regina Serenissima ab omnibus vocitari potest; utpote quæ ab illo dum in ejus purissimo ventre, ac mente novem mensibus (de ipsius purissimis sanguinibus sibi humanitatis paludamentum contexens) habitavit, munditiâ participavit. Tunc enim adeò serena, adeò roscida cœlestibus gratiis mens ejus extitit, ut & de serenitate, ac limpiditate illa conscientiæ, roréque cœlestium donorum aliis quoque communicaret. — B. V. apis mundissima.

17. Et quid enim serenissima hæc Regina nostra agere videtur aliud, dum nobis divinam à Filio impetrat gratiam, quàm mentis suæ nobiscum communicare serenitatem? Hæc enim sola animis nostris, velut Cœlis jucundissimum inducit serenum, ac Limpiditatem. Cùm enim hæc effrenatas animi passiones ac perturbationes, velut nubes propulset, atque arceat, consequitur sanè, ut iis abactis mens nostra ad purissimam illam, in qua condita est, puritatem, atque serenitatem se se reducat. Præclarè enim Boëtius lib. 1. de Consolat. Philos.

B. V. dum nobis gratias à filio impetrat, mentis suæ serenitatem nobis communicare videtur.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera lumen;
Defluus amnis,
Sæpe resistit
Rupe soluti
Objice Saxi.

Si mare volvens
Turbidus Auster
Misceat æstum,
Vitrea dudum
Párque serenis
Unda diebus
Mox resoluto
Sordida cœno
Visibus obstat;
Quíque vagatur
Montibus altis
Tu quoque, si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere cœlum;
Gaudia pelle,
Pelle tumorem,
Spémque fugato;
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Vinctáque frenis,
Hæc ubi regnant.

Beatitudo puræ conscientiæ.

18. Hanc Sanctæ animæ sive conscientiæ Serenitatem pulchrè expressit S. Bernard. lib. de inter. domo cap. 22. *Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius, bonâ conscientia, premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus; illa erit secura, Bona conscientia secura erit, cùm corpus morietur, secura, cùm utrumque in die judicij ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur.* Unde Prosper lib. 2. de vita corp. cap. 18. *ô quantum securitatis habent, qui sibi benè sunt conscij! quare bene S. Gregorius Pontif. Max. illud Salomonis dictum considerans* Prov. 28. *Justus quasi Leo confidens, absque terrore erit. In occursu,* inquit, *bestiarum ideò Leo non trepidat, quia prævalere se omnibus non ignorat. Unde viri justi securitas Leoni comparatur, quia contra se cum quoslibet surgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit, quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit, quem invitus nullo modo amittit. Hanc conscientiam habuit Susanna, cùm suspexit in cælum: erat enim cor ipsius fiduciam habens in Domino.* Daniel. 13.

Puritas conscientiæ introducitur orbi spectanda sub schemate pulcherrimæ Reginæ.

19. Serenitatem hanc hilaritatémque bonæ ac puræ conscientiæ Divinâ gratiam repletæ, qua vel maximè Deipara oblectatur, esse propriam, indicavit Venerabilis Abbas Petrus Cellensis lib. . de conscientia. Dum illam schemate pulcherrimæ Reginæ orbi spectandam introducit. *Hanc,* ait, *habere proceram staturam ob perseverantiæ longanimitatem; oculos Smaragdinos ob castitatis perpetuæ virorem; nasum sicut Turris Libani, qui respicit contra Damascum, ob incursantium tentationum prudentem discretionem; genas subrubentes, ob fraternæ oppressionis compassionem; labia favo & melle redundantia, ob mystici eloquij suavitatem; manus tornatiles ob obedientiæ perfectam operationem; pectus robustum, ob vigilantem instantiam adversus dæmonum infestationem; calceamenta pedum æs & ferrum ad quassanda capita Draconum, coronam auream, ad extinguenda incentiva libidinum. Induitur vestimentis, quorum odor & fragrantia myrrham mortificationis, guttam humilitatis, & cassiam bonæ operationis spirant.* Idem Religiosissimus Abbas docet à charitate conscientiam, variis, iisque pulcherrimis pingi coloribus consuevisse, ut cælestem quandam spiret serenitatem, ac puritatem: *Pingit,* inquit ille, *dilectio, non stylo ferreo timoris in ungue adamantino obstinati cordis, sed penicillo volitante ad supereminentem scientiæ charitatem Christi. Quàm pulchras & quàm decoras novit depingere formas dilectio: Caput Sphæricum ac rotundum aureum in statua Charitatis pingit conscientia, quæ intentionem puram & perfectam facit. Columbinos aspectus subjungit, per innocentiam, manus tornatiles per Eleemosynam, nasum apertum & recurvum per discretionis temperantiam; ubera plena per abundantiam gratiæ, pedes rectos per incessum misericordiæ, corpus totum plenum oculis, per circumspectionem industriæ. Pingit trinum & unum Deum in capite. Pingit JESUM passum in oculis. Pingit librum in auribus, pingit flagella in dorso, pingit lanceam in latere, pingit totum corpus extensum, adeò ut ossa dinumerentur &c. ecce sculptura, ecce pictura charitatis.* Sic ille.

20. Qua

Pura conscientia similis sereno cœlo.

20. Quæ sané pictura cùm à Divino amore in anima cujusque fidelis clientuli Deiparæ efformata fuerit, mirè pulchra, mirè pura ac serena, ac per consequens serenissimæ huic cœlorum Reginæ mirè amabilis imò & admodùm persimilis fiat, necesse est. Si enim Virgo, uti ante memoravimus, Cœlum est serenum, certè his, qui ab omnium scelerum nubeculis depuratam habet conscientiam, sereni cujusdam cœli similitudinem in se præseferet. Quid enim Cœlum, atque adeò cœlestem beatitatem efficit saltem inchoatam in hac vita, quàm vitæ puritas, quàm in nobis Divina efficit gratia, dum omnes humanæ vitæ labeculas, quæ tenebræ, caligo ac nubes sunt animæ, detergit, eíque, veluti cuipiam cælo, serenitatem, tranquillitatémque inducit. O quàm præclarè dixit Ambrosius lib. 2. off. c. 1. *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* Quas virtutes si quis habeat, cœlum serenum in terra reperit, in quo & ipsa serenissima Cœlorum Regina, animarum serenitate gaudens conquiescet.

Infelicimus Regis Persarum Cosrois, qui divinos honores arrogans, cœlum sibi cum omnibus ornamentis effinxit.

21. Infelix ille Persarum Rex Cosroes, ut in Proem. Tom. 2. n. 1. diximus, sibi Divinos honores arrogans Cœlum sibi cum omnibus suis ornamentis stellarum, Planetarum, Lunæ, solis effinxit, in quo ipse velut alter Juppiter medius consistens Cœlorum fragores, tonitrua, tempestates, fulmináque ad Regiam Majestatem coram proceribus suis ostentanda stolidissimè imitabatur. Meliùs infelix, tutiúsque sibi Cœlum puritate conscientiæ, morum honestate, atque innocentia efformâsset. Tunc enim in se DEUM ipsum omnis boni fontem limpidissimum fuisset complexus; tunc securitatem, lætitiam, gaudium pacémque quæ exsuperat omnem sensum, invenisset. Præclarè enim Salomon Prov. 15. *Secura mens, juge convivium.* Convivia quidem jucundam, sed brevem parere consuevêre voluptatem, at verò lætitia, & convivium serenæ conscientiæ, cæleste illud symposium imitatur, quod nullo unquam tempore terminatur, unde juge meritò id est, perenne à Salomone nuncupatur. Est itaque ab omni scelere peccati depurata conscientia non modò Cœlum Serenum Virgini nostræ, verùm etiam juge jucundissimúmque convivium, quô illa mirificè oblectatur, & adeò quidem, ut dicat identidem dum nos virtutum exercitationi velut epulis genióque indulgentes invenit; *Comedite amici, & bibite, & inebriamini, Charissimi.* Cant. 5.

Beatissima Virgo Clientelorum animabus atque virtutum floribus atque aromatibus redolentibus singulari quadam capitur voluptate.

22. Neque verò solùm Virginea hæc Apis nostra cœli serenitate, tranquillitatéque mirificè gaudet, atque oblectatur, verùm etiam florum abundantiâ & copiâ. Unde Virgo de se loquens, déque illa Ape Divinissima, nempe dilectissimo suo filio, â quo ipsa, & apis naturam, & dulcedinem omnem mutuata est, aiebat: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Cant. 6. 1. Sicut igitur Christus & Areolâ aromatum, & horto florido, qui ipsissima Dei Mater est mirificè oblectatus est; ita Virginea hæc apis, quæ in actionibus penè omnibus Filium æmulata est, suorum clientulorum animabus, velut virtutum floribus atque aromatis redolentibus, singulari quadam capitur voluptate. Quid porrò Flores hi, quibus tantopere Apis hæc nostra capitur indicent, exponit Venerabilis Richardus à S. Laur. lib. 12. de laud. B. V. *Flores sunt,* inquiens, *bonæ cogitationes, quæ floridam faciunt mentem ac jucundam, & habent spem fructus bonorum operum in præsenti, & remunerationis in futuro.* Hi ergo Flores ac lilia mundarum cogitationum ei summè placent, in ipsis requiescit, delectatur & pascitur. Sordidæ verò cogitationes ei fœtent; cùm ipsa sit Apis, quam fugat fætor. Ipsa enim est illa, *Bre-*

vis in volatilibus Apis. Quare verba illius videntur esse apud Siracidem. 39. *Obaudite me Divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate, quasi Libanus odorem suavitatis habete.* Ut porrò ostendat vir hic divinissimo afflatus Spiritu, se ratione præditos flores, nempe adolescentes primo juventæ decore vernantes intelligere, quorum animi nitore ac puritate mirum quantum apis hæc afficitur, hinc ita prosequitur: *Florete flores quasi lilium, & date odorem & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum & citharis, & sic dicetis in confessione, opera Domini universa bona valde.*

Filii Mariani per totum orbem virtutum odorem diffundere debent.

23. Quæ pulcherrima sanè adhortatio Apis hujus Virgineæ florum amœnitate atque abundantiâ sese oblectantis, ad sodalitia ipsius, velut hortulos, sive Areolas, huic Magno sui Filii Viridario, Societati nempe JESU annexas, mirificè juvenum animos ad virtutum florilegium excitare debent, ut ipsi virtutum odorem à B. Virgine & à suis in hisce horum sodalitii moderatoribus mutuantes, longè latéque per orbem universum effundant, ita, ut & ipsi dicere valeant, cum Apostolo: *Jesu Christi bonus odor sumus.* Hortus quidem ac Paradisus terrestris est hæc Minima nostra Societas, â B. V. emissus, uti Tom. 2. D. 22. ostendimus. Unde cùm hortuli hi sive Areolæ Paradiso huic annexæ, & quodammodo incorporatæ sint, de ejus virtutum fragrantia, bonæque ædificationis odore, si sodalitii præscriptas observet leges, participet necesse est.

Societas virtutum floribus abundat, in quam admitti petiit S. Philippus Nerius à S. P. Ig. nec admissus fuit.

24. Quantis porrò virtutum floribus hic societatis abundet Paradisus, quibus & Divina Mater tanquam in suis plantationibus mirificè delectatur, & eisdem suas hascè sodalitiorum, quasi per traduces repastinationes, fœcundat areolas, sive hortulos, facilè colligere possumus ex his, qui pio ac syncero in minimam hanc nostram Societatem affectu in ejus laudes excurrêre. Inter quos meritò numerandus est S. Philippus Nerius, qui cœlestis hujuscè Viridarii virtutum persentiscens fragrantiam, antequam suam oratorii Congregationem condidisset, postulavit â S. Ignatio, cujus faciem solis instar radiantem observârat, ut in Societatem JESU admitteretur. Quod post ejus obitum Cardinalis Bellarminus, ut & Mutius Vitellescus, Generalis noster, sancto illi, dum viveret, ambo familiarissimi retulerunt.

Societas in magna æstimatione apud B. Josaphat Archiepiscopum Polocensem.

25. Sensit Viridarii Societatis fragrantiam B. Josaphat Archiepiscopus Polocensis Ord. S. Basilii Magni â schismaticis Ruthenis pro unione cum S. Romana Ecclesia trucidatus anno Domini 1623. Et ab Urbano VIII. Beatorum Martyrum Catalogo adscriptus: hic tanto in societatem, ejus virtutum opinione permotus, ferebatur affectu, ut nobiscum semper & familiarissimè ageret, & conscientiæ suæ arcana è Societate nostra Sacerdoti Confessario aperiret. Tanti porrò Sanctus hic Vir æstimavit societatem, ut quemadmodum legitur in processu sedis Apostolicæ pro ejus canonizatione facto, dicere solitus fuerit: se eum pro bono Catholico non habere, qui Societatem JESU non amaret. Unde cùm quadam vice in frequenti nobilium consessu nobilem quemdam virum acerbiùs Societati nostræ obtrectantem audiret, graviter commotus dixit: *Apparet magnifice Domine, te ex prædestinatorum numero non esse, qui tam sanctam Religionem verbis adeò injuriosis carpere non metuas;* Statímque inde abscedere volebat, ni maledicus ille finem nos proscindendi fecisset.

Blosio Ordinis S. Benedicti magna opinio de Societate.

26. Sensit ejusdem Viridarii societatis fragrantiam Blosius Ord. Benedictini illustre jubar cùm scribendo epistolam ad Viglium, Præsidem secretioris

cretioris Consilii, eum ita monuit. *Utinam ut in cæteris orbis Christiani Provinciis, ita in nostro quoque Belgio aliqua eorum collegia instituantur. Id verò & ad Dei cultum propagandum, & ad animarum salutem fulciendam considerem vim esse habiturum longè maximam. Sed vereor, ne hoc Dei immortalis Munere necdum simus digni: Domine, si res ita ferret, ut eorum apud Cæsarem Carolum V. aut Reginam, aut certè in Consilio causa agitaretur, rem tu quidem, uti ego existimo, Deo gratam facies, si quam minimè adversabere. Non debes te eorum conatibus opponere, ne pugnes cum Deo, pro quo te pugnare arbitraris.*

Beatus Ludovicus Bertrandus habuit magnam opinionem de Societate. 2. Confessarius ejus è Societate. 3. eam cùm ingredi non potuerit, Magnus ejus Patronus fuit.

27. Sensit virtutum hujus viridarii cœlestis fragrantiam Beatus Ludovicus Beltramus sive Bertrandus Ordinis Prædicatorum miraculis in Hispania, & occidentali India clarus, Sancti Titulo & officio Divino, ac Missâ per sedem Apostolicam ornatus, qui tantam de minima Societate nostra concepit opinionem, ut Valentiæ P. Hieronymum Domenecum à Confessionibus sibi elegerit, & si per leges Societatis licuisset, eam ingredi voluerit (quod ab ejus familiari amico, cui hoc ipse dixit ante 30. circiter annos, se audisse Romæ P. Nicolaus Lancicius vir fide dignissimus fassus est) quod cùm assequi non posset, semper fuit nostræ Societatis Patronus, ac defensor contra quorundam è Clero & vulgo maledicas criminationes.

Beata Magdalena de Pazzis à pueritia usque ad mortem spirituali Societatis magisterio usa est.

28. Odorata est Viridarii Societatis nostræ virtutum, seu suavissimorum florum flagrantiam B. Magdalena de Pazis ordinis Carmelitani de observantia illustre Sydus, quæ à pueritia ipsa usque ad mortem spirituali Societatis nostræ magisterio usa, miros in Sanctitate fecit progressus, magnisque cœli dotata est privilegiis. Clara inprimis fuit impressis in suo corpore Passionis Christi, uti quondam S. Catharina Senensis, stigmatibus, & corde etiam immutato insignita, à Christo Domino sibi desponsata, & habitu Monastico induta, Eucharistiáque ejus manibus porrectâ sæpius refecta, denique corporis sui Virginei incorruptione celebris. Hæc, inquam, Magna Dei famula sensit virtutum Societatis nostræ fragrantiam, quam in spiritnalibus præsertim S. P. N. Ignatii Exercitiis sibi à quodam è nostris traditis odorata est, quæ cùm ipsâ sæpissimè iterâsset, eisdem quoque Moniales suo regimini commissas excolebat.

Mariæ Mediceæ Reginæ Galliarum spes masculæ prolis ob revocatam in Galliam Societatem.

29. Sensit item earundem virtutum Viridarii hujus fragrantiam, cùm Mariæ Mediceæ lectissimæ Florentinorum Principi, Magno Henrico IV. Galliarum Regi desponsatæ se invisenti, suísque precibus se commendanti ac postulanti, ut sibi prolem masculam à Deo impetraret, suasit ante profectionem suam in Gallias, ut apud futurum maritum Regem efficeret, quo Patres Societatis, è Regno Galliæ immeritò pulsos revocaret, & ea, quæ reliquerant domicilia, ac bona, iisdem juberet restitui. Idque dixit fore ex maximis unum, quæ Deo præstari possent obsequiis pro bono illius Regni, atque ita demum promittebat illam voti sui compotem evasuram, prolémque masculam habituram.

P. Bernardini Realini tenerrimus in Societatem suam Matrem affectus; eam laudibus extollit.

30. Expertus est denique Viridarii hujusce Societatis jucundissimam fragrantiam, ut alios innumeros prætermittam P. Bernardinus Realinus, vix eximia in Deum pietate ac sanctitate conspicuus, & miraculis in vita, & post mortem insignibus clarissimus. Hinc in omnibus penè suis actionibus totius vitæ decursu licèt tenerrimum in Matrem suam societatem affectum præseculerit; præcipuè id tamen in aliquibus suis ad suos epistolis. Ac inprimis ad Parentem, ubi ita scribit: *Recipi me ad hanc Sanctam Societatem, in qua solùm quæritur gloria Dei, & lucrum animarum. Est domus Dei, & Socie-*

tas tot Angelorum. Est Religio ex nobilioribus & magis purgatis, magisque claris, quas DEus habet in terra. Confraternitas clericorum adeò, bene ædificatorum, ut verè aliud nomen non mereatur, quàm Societas JESU. Bona vita, sana Doctrina, paupertas, castitas, & divitiæ Spiritûs, ardor Charitatis in JEsum, & proximum, sunt occupationes & exercitia continua harum benedictarum animarum, amatarum, honoratarum, & observatarum, à quovis, tanquam earum, quæ sint vera effigies primitivæ Ecclesiæ Apostolicæ. Et alia in Epistola. *Verè Societas JESU in qua nunquam auditur verbum, nec videtur opus, nisi ad Dei gloriam, & salutem animarum. Societas est unio Angelorum in terris, schola perfectionis, in qua videtur expressum id, quod Moysi dixit Deus. Ego ostendam tibi omne bonum.* Idem ad Fratrem suum scribens, qui Filio suo Nomen Ignatii indiderat, optans, ut esset è Societate nostra, ita loquitur: *Non possum illi desiderare majorem gratiam in terra, quia ego scio quam Sancta sit hæc Religio, plena charitate, bonis litteris, & perfectione Spiritus. Jam ultra 40. annos ego probo quotidie Regulas nostri Instituti benè in ea servatas, & erga DEum & erga proximum, & erga nos ipsos.* Alia item Epistola, ad eundem Fratrem. *Confiteor,* inquit, *veritatem coram Deo, quod semper consolationem, & ædificationem percepeprim ex moribus Religiosis omnium meorum Patrum & Fratrum.* Denique alia quadam in Epistola bonorum omnium cœlestium ubertatem atque affluentiam in Societate nostra considerans, eam terræ promissionis conferre non dubitavit. *Cum omni veritate,* inquiens, *agnosco me debere vocare Societatem, quemadmodum Divina vocat Scriptura, terram promissionis, quæ est cœli figura; terram lacte & melle, manantem, quia est Religio tota plena Spiritu DEI, & cœlestibus gratiis.* Quid mirum igitur si ab hac benedicta terra, ab hoc Paradiso bona cœlestia, dona gratiarum, mel divinæ consolationis, lac pietatis ac misericordiæ in Marianos hosce Sodalitias Hortulos influat? Quid mirum denique, si de floribus suavissimísque ejus odoribus hæc Virginea Sodalitia participent, in eísque gloriosissima Deipara, velut Apis Hortulis, variis flosculis consitis, areolísque aromaticis mira gestientis animi lætitiâ delicietur.

31. Has delicias agnovit in Virgine circa hujusmodi floridos suorum sodalitiorum hortulos se se oblectante Richardus à S. Laurent. lib. 2. de Laud. B. V. part. 6. dum inter ceteras conditiones servorum Mariæ ponit illas: *Mundus aromaticus, rectus, devotus &c. Ubi aromaticum ait esse debere per fragrantiam bonæ opinionis, per exemplum castitatis, pietatis & humilitatis; quantò enim ipsa Virgo est purior, tantò magis ei fœtet luxuriosus: Ipsa enim cùm sit Apis, fugatur fœtore. Brevis in volatilibus Apis.* Eccl. 11. *Cum sit Mater pietatis, magis fœtet ei impius & avarus, cùm sit exemplar humilitatis plus displicet ei superbus. Et sic de cæteris abominationibus vitiorum, propter hujus Virginis fragrantiam dicitur servis ipsius: Quasi Libanus odorem suavitatis habete &c. Id est, exemplo Mariæ, quæ designatur per Libanum.* Ecce quomodo primò injungit suaveolentiam virtutum, & postea laudes ejus. Quibus porrò in rebus aromatica hæc floridáque fragrantia Mariano Adolescenti, ut gratus sit Virgini, procuranda sit, mox annectit: *Hanc autem fragrantiam debes habere in corde, in ore, & in opere. In corde contra fœtorem pravorum desideriorum, sordidarum cogitationum, titillationum, imaginationum, & hujusmodi. In ore ejus laudes assiduè ruminando, & ad omnes sermones impudicos & detractarios id solicitè obturando. In opere*

Studium virtutum.

opere & sensibus; ut pro illius honore, & tua utilitate, abstineas ab omni opere polluto, & sensus tuos & membra sollicitè custodias ab omni actu illicito, scilicet oculos ne defigas eos in fœminam; aures, ne pro posse tuo, audias linguam nequam; nares, ne delecteris in meretriciis odoribus; os ne gustet, quod gustatum infert mortem; tactum similiter, & incessum à voluptatibus illicitis & hujusmodi.

Cura animæ, & corporis habenda, & virtutes procurandæ ad exemplum B. Virginis.

32. Adolescens igitur, quisquis cupit, ut Virgo in ejus anima velut Apis in florido Hortulo sive Aromatum Areola, pascatur, ac delicietur, mundiciam cordis, corporísque diligat, caveátque, ne in mente animóque suo vel minimam impuritatis patiatur labeculam; memor dicti illius, quod in præceptis conjugat. Pronunciavit Plutarchus, de hac Ape potissimum verificari: *Apes*, inquit *eas malè excipiunt, qui recentes à muliebri copula superveniunt, sed mulieres, quæ veneri operam dederint, acriùs invadunt, quique vel vinum vel unguenta oleant.* Curet proinde ut tota ejus vita variis virtutum aromatis ac floribus, iis vel maximè, quibus ipsa Virgo sanctissima, dum hìc viveret ornata extitit, redoleat, omnibúsque secum agentibus bonum sanctæ ædificationis afflet odorem. Sic enim futurum est, ut Apis hæc divina in hujusmodi anima mirificam experiatur voluptatem.

Studiosissima castitatis Cura.

33. Quare cavendum studiosè omnibus divinæ Matris filiis ac clientulis à luxuriæ omni contagione, ac fœtore impudicitiæque inquinamento, si eam amicam, si propitiam & in vita, & in morte habere desiderant; alioquin avertet illa faciem suam, oculósque illos misericordiæ plenissimos ab eis, eámque severissimam experientur. Eveniet planè illis, quod anno 1633. contigit iis Hispanis, qui B. V. statuam quandam antiquissimam in excesa rupe à Pastoribus repertam (de qua scripsêre Patres nostri Alphonsus de Andrada, & Michaël de Mampean, ad Societatis nostræ Generalem P. Mutium Vitellescum in relatione de Tenerifa Insula) loco moverant, venerationis amplioris gratiâ, & in Forte venturam Insulam transtulerunt. Hæc enim Divinæ Matris Imago inter alia tunc perpetrata prodigia, illud etiam longè stupendissimum, ac memoriâ dignissimum fuit, quòd faciem parieti, tergum obtulerit populo & licèt sæpius situs ille correctus fuerit, & Virginis facies ad oculos sibi supplicantium fuerit conversa, semper tamen stationem mutavit & dorsum supplicantibus ostendit. Simile quid factum fuisse memorat Bernardinus de Bustis in officio Concept. B. V. lect. 5. cuidam Concionatori, qui cùm contra immaculatam Deiparæ conceptionem ausus est debacchari, & post concionem in sacello ejusdem Virginis coram ejus marmorea statua sacris operaretur. Ecce tibi, Virgo vultum terribilem atque iratum prætulit, eámque ab illo avertit, quem ita aversum in hunc usque diem præseferre memoratur. Idem & modo facere consuevit Virgo sanctissima iis, qui se variis scelerum præsertim luxuriæ sordibus coinquinant. His enim non faciem sed dorsum obvertit, eósque vehementissimè aversatur in detestationis illorum scelerum indicium quare Richardus â S. Laur. lib. 2. de Laud. B. V. partic. 3. ubi agens, quomodo debeamus servire Mariæ, docet debere nos Virgini reverentiam, ne vel coram oculis ejus aliquid indecens cogitare, desiderare, consentire, aut facere audeamus; cujus rei mox annectit rationem: *Ne* inquiens, *illos misericordes oculos, qui non possunt respicere ad iniquitatem, avertat à nobis.* Ideò Abac. 1. dicit Filio & Matri, *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* De illa etiam dicitur Eccl. 42. 20. *non præterit illam omnis cogitatus, & non abscondit se ab ea ullus sermo.* De ipsa quoque

quæ verè est Mulier fortis, dicitur Prov. 31. *consideravit semitas domus suæ*, familiæ suæ secretas videlicet cogitationes conscientiarum. Cavendum ergò, ne coram ea etiam cogitemus, nedum faciamus turpia, noxia, aut, iniqua; Perversæ enim cogitationes separant ab ea, & à Filio ejus.

Reverentia erga B. Virginem.

34. Ut porrò benignissimum hunc Virginis aspectum vultúsque ipsius ad nos promereamur conversionem, docet, tantæ ejus dignitati timorem quemdam reverentialem deferendum. Verè enim oculi etiam Dominæ nostræ supermetuentes eam, caventes videlicet eam offendere. His enim multiplicem misericordiæ affectum impendit, ut eruat eos à morte, culpæ præsentis, & pœnæ æternæ, & alat eos in fame verbi Dei, vel temporis famis æternæ. Verè enim etiam illa inimicis suis insultare poterit Isa. 65. *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis.* Denique fructum hujus sancti ejus timoris ac beneficia experti nos quoque de ea dicere poterimus: *Oculi Dominæ nostræ ad timentes eam, protectrix potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adjutorium casûs; exaltans animam & illuminans oculos, dans sanitatem & vitam & benedictionem.* Eccli. 34. omnia beneficia ista & alia multo plura impendit ipsa timentibus se, quæ fusè explicat Richardus, quem consule.

Postulatio gratiæ in virtutibus proficiendi.

35. Hunc verò tam Sanctum: támque fructuosum Virginis timorem, ut & aliàs ejus Heroicas virtutes, si quis consequi desiderat, hanc Matrem pulchræ dilectionis & timoris & sanctæ spei deprecetur, postuletque gratiam, quâ ei se moribus virtutibúsque conformare, ut sancta quædam Apis ei quàm simillima flores virtutum ejus delibando evadere valeat. Hoc quisquis fecerit, voti compos evaserit, cùm ipsa benignissima sit ac pientissima, quæ, ut ad sui imitationem, Apísque naturam solertem ac æmulandam, ac denique ad hanc sanctam spem erga se habendam nos excitarit, ita S. Brigittæ lib. 4. Revelát. cap. 86. locuta est.

B. Virgo similis flori, de quo dicentes ejus tanquam apes dulcedinem trahunt.

36. *Ego sum Regina & Mater misericordiæ. Filius meus creator omnium tanta circa me dulcedine affectus est, quòd omnium, quæ creata sunt, spiritualem dedit mihi intelligentiam. Ideò ego sum flori simillima, de quo Apes maximè trahunt dulcedinem. A quo quantumcunque colligitur, nihilominus ei dulcedo remanet: sic ego omnibus gratiam impetrare possum, & ego superabundo. Verumtamen electi mei similes sunt Apibus, qui tota devotione circa honorem meum afficiuntur. Ipsi enim quasi Apes habent duos pedes, scilicet continuum desiderium augendi honorem meum. Secundò laborant in hoc solicitè operando, quæ possunt. Habent etiam duas alas, scilicet reputando se indignos laudare me, secundò obediendo omnibus, quæ sunt ad honorem meum. Habent etiam aculeum, qui si defecerit eis, moriuntur, sic amici Dei habent tribulationes mundi, quæ ante finem propter virtutum custodiam non auferuntur ab eis, sed ego abundans consolatione, consolabor eos.* Hæc Dei Mater.

B. V. flos campi.

37. Quæ sanè calcar nobis addere debent, ut exemplo illius sedulæ Apes in virtutum delibandis sugendísque floribus ac potissimùm ipsâ, quæ de se cum Filio loquitur, Cant 2. *Ego flos campi, & lilium convallium*, esse studeamus. Audiamus hìc Dionysium Richel. art. 8. in Cantica. *Beatissima Virgo est venerabilissimus, pulcherrimus ac redolentissimus flos campi id est, sæculi hujus, in quo tanquam loco certaminis sumus constituti, quia militia est vita nostra super terram. Unde ab hoc flore campi Heroicam quandam fortitudinem ad Tartareos hostes nobiscum assiduè decertantes,*

decertantes, debellandos fugere poterimus, eámque rogare, ut tanquam castrorum acies ordinata in omni discrimine nobis præstò sit. Ipsa quoque est flos campi, prosequitur Dionysius, *hosti videlicet deliciarum Paradisi cœlestis, ex quo cœlestem Angelicámque puritatem, moresque divinos licebit exsugere, quibus informati ad beatam illam patriam, vitæ hujus pertæsi anhelabimus, medullitus exclamando, quis dabit mihi pennas sicut Columbæ & volabo, & requiescam: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Est rursus Flos campi militantis Ecclesiæ in terra peregrinantis, cujus ipsa est Mater, Flos, Regina & Advocata, suis orationibus ac meritis procurans Ecclesiæ ornamenta virtutum, ac redolentiam meritorum. Denique ipsa est flos cujuslibet animæ devotæ eam amantis, cujus memoriam nunquam ingreditur sine fructu, & sine suæ diffusione dulcedinis &c.*

Beata Virgo non solùm flos clientum suorum, sed etiam ipsius DEI.

38. Neque verò solùm Virgo Beatissima unicuique animæ ipsam amanti, quales sunt ipsius clientuli, flos extitit, verùm etiam ipsi Unigenito Dei Filio, qui eam adhuc in utero Matris commorantem, velut Apis, florem in folliculo circumvolitavit, ut ejus dulcedine mirificâ oblectaretur, ut testatur ipse Angelus in suo sermone. cap. 11. apud S. Brigittam, ubi ita loquitur: *Quemadmodum Apis Arua florida circumvolans universa mellifera gramina diligentiùs perscrutatur, quia ex naturali scientia novit discernere, ubi pullulat flos amœnior, quem si fortè ex folliculo erumpere adhuc non viderit, nihilominus tamen ejus ortum cum desiderio delectabiliter præstolatur, ut ad suum placitum, ejus dulcedine perfruatur: Simili modo cœlestis Deus, qui omnia oculis suæ Majestatis clarissimè intuetur, quando Mariam in secreto materni uteri adhuc latitare prospiciebat, cui in æterna sua præscientia nullum honorem totius mundi in omni virtute similem novit debere existere, cum omni consolatione, & gaudio ipsius ortum expectabat, ut per ipsius Virginis charitatis dulcedinem, ejus superabundans Divina bonitas ponderetur.*

Imitatio apis cœlestis in fugenda dulcedine ex flore hoc.

39. Quemadmodùm igitur Dei Filius, velut Apis Divinissima flori huic Virgineo insidere, eúmque delibare tanto cum desiderio, ut ipsius dulcedine pasceretur, anhelabat; ita cuilibet ejus clientulo virtutis ipsius imitandæ cupido faciendum est, si in virginis amoribus esse, eique placere tanquam genuinus filius desiderat. Amat quidem Apis hæc cœlestis omnes, pro optima illa sibi à natura ingenerata indole, quam Apes habere Asserit Ælianus lib. 2. de animal. cap. 37. Sic enim ille, *dicuntur Apes amatorio affectu flagrare, ob eámque causam à pungendis hominibus, quos amant, aculeos sustinere,* amat inquam Virginea hæc Apis nostra omnes, sed præsertim eos, qui velut Apes illi simillimi (quales sunt in hisce nostris Marianis Cœtibus ipsius Sodales ac clientuli) qui pietatis ex ipsa tanquam purissimo pulcherrimóque flore sugunt mella, virtutúmque florilegio delectantur.

Nulla inordinata affectio in B. V.

40. De Apis hujus Cœlestis amatorio tam in Deum, quàm in homines affectu audiamus illam ipsam apud Dionysium Richel. art. 8. in Cant. qui sic interpretantem introducit Virginem dictum illud suum, Cant. 1. *Introduxit me Rex in cellam Vinariam, ordinavit in me charitatem. Quia quidquid* inquiens, *de naturali, aut quocunque alio in me fuit amore, totum plenè, & potestativè fuit subjectum charitati, & informatum ab eo; ac juxta ejus imperium etiam passiones appetitûs sensitivi plenariè regebantur, ac movebantur; neque unquam in me fuit inordinata affectio, neque ad Filium meum, quamvis unicum, speciosissimum atque charissimum, fui unquam sensualiter affecta, sicut interdum Apostoli:*

stoli: Unde audierunt ab eo: Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Charitas quoque mea fuit circa sua objecta in suis actibus decentissimè ordinata, ita, ut DEum primò, & maximè propter infinitam bonitatem ipsius dilexerim purissimè; Deinde, quia prior dilexit me, atque ad tanta, ac talia me præ omni creatura elegit, ut scilicet essem Mater ipsius, &c. Ad assumptam verò humanitatem filii mei dulcissimi habui charitatem valdè præcipuam imò & vehementissimum amorem naturalem gessi ad eum, quamvis etiam à tempore, quò uti cœpi ratione, valde dilexerim proximos, & in eos charitate profecerim: tamen ab ea hora, qua propter hominum salvationem facta sum Genitrix Dei, inæstimabiliter dilexi genus humanum, & in ejus puro amore quotidie crevi. Imò nec Passionem Filii mei, in quantum erat generis humani salvativa abhorrui. Hæc Dionysius de Apis hujus amatorio affectu, quo nos ad dilectionem DEI, proximíque excitat.

Humilitas B. V.

41. Eadem Apis hæc cœlestis suæ naturæ excellentissima quadam proprietate nos humilitatem docet, qua in bono stabiliamur, nec nos vanæ gloriæ vento à recto divini obsequii itinere abduci patiamur. De hac proprietate ita scribit Ælianus lib. 1. de Anim. cap. 11. Apes cùm vento adverso volant, parvulum lapillum pedibus portant, quantulus inter volandum commodè gestari possit. Itaque in hunc modum contra ventos, incursiones, & afflatus Auræ, ne ex itinere deducantur, ejusmodi firmamentum, & robur machinantur. De eadem hac Apum industria ita Plinius lib. 11. c. 10. *Si cooriatur procella, apprehensi pondusculo lapilli se librant.* Hoc humilitatis lapillo Virgines armatas contra superbiæ ventos esse voluit S. Ambrosius lib. 1. de Virginit. *Apis illa sapiens*, inquit ille, *cùm aëris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per inania se librat nubila, ne leve alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Et tu cave illius apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum, aura mundi hujus extollat.* Volabat altissimè Apis hæc nostra diviníssima, cùm tot laudibus ab Archangelo Gabriele ad Cœli sydera fuit evecta, & tam inaudita hactenus salutatione ab ipsa sanctissima Triade transmissa, salutata: *Ave Gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus &c.* Verùm apis hæc tam eximiarum laudum vento à recto Divini obsequii tramite se se abduci passa non est, quin potiùs auditis tot præconiis, amplissimísque promissis, ut, quòd Spiritus Sanctus sit in eam superventurus, & virtus altissimi illam obumbratura, quòd ad Divinæ Maternitatis dignitatem evehenda, quòd Filius illius erit Magnus, & Filius Altissimi vocandus, & in sede David Patris ejus collocandus, & regnaturus denique in domo Jacob in æternum, & regni ejus nullum finem inveniendum. His inquam promissis, laudibúsque abripi se passa non est, dum subitò his auditis humilitatis lapillum ad obfirmandum in Dei timore animum arripuit, & dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuū:* Quæ sanè verba indicant animū ejus minimè de tanto promisso fuisse exaltatum, sed humilitatis pondere ad ima depressum, dum in Matrem Dei electam Ancillam Domini, non Dominam, non orbis Reginam, se se appellare non est dedignata. Quare meritò S. Bernardus Hom. 4. super missus, de tantæ humilitatis prodigio quodammodo attonitus exclamavit: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit. Mater Domini eligitur, & Ancillam se nominat. Non mediocris reverà humilitatis insigne, nec oblatam tanta gloriâ oblivisci humilitatem. Non est magnum esse humilem in abjectione,*

ne, magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata.

Multi in religione dignitates quærunt.

42. Ex hujus profundissimæ humilitatis consideratione idem mellifluus Doctor licèt humillimus suam inprimis, tum Ecclesiæ Prælatorum, & nonnullorum denique virorum spiritualium deplorat arrogantiam, ac superbiam, qui in Religiosæ vitæ statu, qui schola humilitatis est, honores ac dignitates, & inanis gloriolæ fucos aucupantur; cujus verba tum ob egregiam doctrinam, tum dicendi mellifluam suavitatem hìc libet fusiùs commemorare, itaque semetipsum redarguendo, ita prosequitur: *Si me miserum homuncionem meis decepta simul actionibus ad aliquem vel mediocrem honorem, provexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter mea vel propter subditorum peccata permittente, nonne statim oblitus, qui fuerim; talem me puto, qualis ab hominibus, qui cor non vident, putatus sum. Credo famæ, conscientiam non attendo, & reputans non honores virtutibus sed virtutes honoribus eo sanctiorem, quo superiorem me æstimo. Videas plerósque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subitò intumescere, & infimos dedignari parentes. Videas & homines pecuniosos ad honores quoque Ecclesiasticos pervolare, móxque sibi applaudere sanctitatem, vestium dumtaxat mutatione non mentium; & dignos se existimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt; quódque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis. Omitto autem de his, quos excæcat ambitio; & honor ipse superbiendi eis materia est. Sed video, quod magis doleo, post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere; sub alis mitis, humilísque Magistri graviùs insolescere, & impatientes ampliús fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo: quódque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnihil contemptibiles esse potuerunt, ut quia videlicet, ubi pluribus honores appetuntur, ibi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab hominibus honores contemnuntur. Video & alios quòd non sine dolore videri debet, post aggressam Christi militiam rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus terrenis cupiditatibus immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores; sub prætextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus, & matronis salutationes; sed & contra sui Imperatoris edictum concupiscere aliena, & sua cum lite reposcere. Itane mundum sibi, & se mundo crucifixerunt? ut qui antea vix in suo vico, vel oppido cogniti fuerunt, modò circumeuntes Provincias, & curias frequentantes, Regum notitias, Principum familiaritates assecuti sint. Quid de ipso habitu dicam? in quo jam non calor, sed color inquiritur, magísque cultui vestium, quàm virtutum instituitur: pudet dicere; vincuntur mulierculæ in suo studio; quoniam à monachis pretium affectatur, in vestibus, non necessitas; &c. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt, nisi quòd illam qua sæculum deseruimus, deserentes humilitatem, dum per hoc cogimur inepta denuo sectari studia sæcularium, canes efficimur revertentes ad vomitum.* Concludit tandem & sibi ac omnibus proposito illam illustri Virgineæ humilitatis exemplo sic loquitur: *Audiamus igitur, quotquot tales sumus, quid illa responderit, quæ Dei Mater eligebatur, Sed humilitatem non obliviscebatur: Ecce Ancilla Domini &c.* Ita Bernardus.

Humilitas remedium contra ariditatem in oratione.

43. Quam sanè eximiam Deiparæ humilitatem, si semper velut prudentes apes lapillum teneamus, nunquam inanis gloriæ flatibus sub-

Hhh hhh hhh h verte-

vertemur. Lapillum hunc Virgineæ humilitatis apprehenderat Vir ille societatis nostræ pientissimus Bernardinus Realinus, qui inter remedia ariditatis in oratione, suadebat adhibendum, ut actu aliquo exteriore, supplicibus manibus ad Deum elevatis, genuflexione, dolorem de negata Dei familiaritate excitare conemur; fatendo indignum se; in memoriam revocando, Cananæam obtinuisse filiæ sanitatem, tametsi priùs repulsam passa esset, ex amoris affectu inclamando *quem tu unquam deseris Domine?* tunc amoris magis expers quàm ea, quæ creâsti? solem video nitidissimum licèt, ac pulcherrimum radios suos in impuram cloacam, qualis ego sum, immittere minimè detrectantem. In vita cap. 17.

Humilitas S. P. N. IGNATII.

44. Eundem humilitatis lapillum apprehenderat sanctissimus Patriarcha noster Ignatius ex assidua & Filii & Divinæ ejus Matris rerum præclarè in vita gestarum commendatione, cùm dicebat, ut scribit Ribadeneira lib. 5. vitæ Ign. cap. 3. quòd illud Dei misericordia sit consecutus, ut per multos annos, antequam è vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit. Imò verò usque adeò erat Divina luce perfusus, suique perfectè cognitor, atque contemptor ut nullum se vitium diceret minus extimescere quàm vanitatis & gloriæ inanis, quæ ex ignoratione plerumque & cæco amore sui ortum habet, & vel cedros ipsas Libani solet evertere. Observavi, inquit ipse de se Ribad. Aliquoties ego illum cum de propagatione Societatis vel fructu, in sermone familiari mentio incidisset, vel de alia re quacunque, quæ cum virtute illius ac laude implicata videretur, colligentem statim se, obortisque lacrymis, pudore quodam suffundi. Mihi aliquando dixit illud sibi à Deo petendum esse, ut ejus ipsius mortui cadaver, volucribus, & feris laniandum abiiceretur. Nam cùm ego, inquit, sterquilinium, & detestabilis omnino sim, quid aliud meis criminibus dignum expetam.

Humilitas et lapis contra ventos superbiæ.

45. Quare P. Didacus de Baëza noster vir æquè pietate ac literis conspicuus profundissimam hanc S. Patriarchæ (quem Api comparat) humilitatem, qua adversùs inanis gloriæ turbines veluti lapide quopiam se se librabat, ne in superbiæ barathrum excussus prolaberetur, considerans, in summam raptus fuit admirationem, dum Tom. 1. lib. 2. c. 7. 64. præfixo hujusmodi lemmate: *P. Ignatii mira adversus ambitionis, & vanæ gloriæ tela securitas*, ita prosequitur: Jam in hoc firmissimo Parentis mei lapide non possum non mirari illam portenti instar animi humilis securitatem, quam in summis virtutum, facinorúmque verticibus nulla irruentium flabrorum vi pes labavit. Sapientior Apibus Ignatius non lapillos sustulit, quibus præcipites ventos evaderet, sed totus factus est lapis, & quasi lapis factus, sic vanissimos contempsit ventos, ut nihil minus in hac vita sibi timendum prædicaret. Ut porrò eò magis Ignatii hanc mentis soliditatem exaggeret, eum cum S. Maximo olim strenuo milite confert. De quo Ennodius orat. 8. *Te olim*, inquit, *sæcularibus inhærentem titulis castrensis sudor excoluit, & ad Ecclesiæ gubernacula pars adversa solidavit. Christus milites suos, quos in Personam Ducis attollat, inter acies quærit hostiles.* Quod aptiùs addit idem Baëza, nostro Ignatio! qui de castrensi sudore solidatus in lapideam adversus ventos soliditatem obriguit. Qui inter hostiles acies quæsitus à Deo in familiæ amplissimæ Ducem fuit sublatus, qui nimirum omnem partam victoriam, ac gloriam supremo imperatori, non sibi tribueret. &c.

S. P. IGNATIUS missus à B. V. ad B. Magd. de Pazzis

46. Adeò verò eximios profectus in virtute humilitatis totius vitæ decursu fecit Ignatius, ut volens B. Virgo

tis ad tradenda ei de humilitate documenta.

B. Virgo Deiparà Beatæ Magdalenæ de Bazis ord. Carmelitani de observantia, insignem illum in Societatem JESU benevolentiæ affectum compensare, Ignatium suum Legatum elegerit, & ad Virginem hanc Sanctam omnis virtutis studiosissimam miserit, ut ei præclara de humilitate tanquam peritissimus hujus virtutis à Deipara diu, multúmque edoctus Magister traderet documenta; apparens itaque ipsi, ut Legatus Deiparæ Virginis, ea illi dedit, & quidem non vulgaria, sed digna Ignatii ingenio, & Spiritu monita, quæ habentur in vita hujus S. Virginis, primò ejus Confessario, viro gravissimo, sacerdote Sæculari edita, & Florentiæ impressa.

Visio B. Magdalenæ de Baz. quod S. P. I. sit similis B. Joannis Evangelistæ in amando DEO.

47. Hac sua tam excellenti humilitate S. Ignatius etsi miros in omni virtute fecerit progressus, fecit nihilominus potissimùm in illa omnium eminentissima, quæ est charitas, ita, ut se se hoc humilitatis lapillo, ac pondere obarmando contra superbiæ ventos, velut Apis industria ad Apostolicæ charitatis & quidem D. Joannis Evangelistæ virtutis hujus studiosissimi culmen evolârit. Eidem enim B. Magdalenæ cœlestis sponsus, ut in pristino illo erga Societatem JESU confirmaretur affectu, novem ante mortem suam annis, visionem admirandam exhibuit. In quodam enim raptu vidit Divinam Majestatem adeò complacere sibi, & delectari in anima S. Joannis Evangelistæ, ut quodammodo non videretur habere alios Sanctos in cœlo; & simili modo videbat Deum delectari in anima B. Ignatii, Societatis JEsu Fundatoris. Quocirca dicebat, loquens voce sonorâ; Spiritus Joannis, & ille Ignatii est idem, quia totus est amare & conducere ad amandum Deum. Et divinitus tunc intellexit, ideò DEum delectari & complacere sibi adeò in his duobus Sanctis, quia finis, & scopus eorum erat amor, & charitas; & quia per viam amoris, & in charitate trahebant creaturas ad Deum. Postea in eodem raptu exclamans dixit hæc verba: *Maximè felix Spiritus, qui hodie regnat in terra, est ille Ignatii.* (Italice) Il piu felice Spirito, che hoggi regni in terra, è quello d' Ignatio; quia ejus filii in conducendis animabus ad Deum, præcipuè procurant dare notitiam, quantopere gratum sit ipsi Deo, & quanti sit momenti attendere operibus internis, & internè tractare cum Deo. Quia hoc exercitium facit, ut cum facilitate res arduas ac difficiles homines complectantur propter lumen, quod recipit anima à Deo, à quo nascitur amor, qui omnem amaritudinem in dulcedinem convertit. Præterea videbat ista benedicta anima, quoties filii B. P. Ignatii in terra tractabant tali modo animas, toties renovabant Deo complacentiam, & delectationem, quam percipiebat in anima B. Ignatii. Dixit etiam existens in eodem raptu: Habet justam causam noster Pelicanus, id est, Mater Priorissa nostra (sic enim eam hæc Sancta Virgo vocitabat) lætandi, & gaudendi, quia pervenit ad hoc tempus tantopere desideratum, in quo videntur in Religione nostra pullulare primitiæ Spiritus Ignatii.

Testimonium epistola scripta à Priorissa Barberina R. P. Nicolao Lanzicio.

48. Atque, ne cuipiam minus in veritate fundata videatur hæc visio, fatetur R. P. Nicolaus Lanzicius noster, sibi ante aliquot annos missam à Venerabili Matre Innocentia Barberina Filia Fratris Urbani VIII. Pontificis, tunc Priorissa Monasterii Florentini Carmelitani de observantiâ, eámque ex Italico scripto ad verbum à se redditam; quam ait postea subscriptionem manus ejusdem Priorissæ, & sigillo monasterii munitam, & obsignatam, ac demum subscriptionibus præcipuarum illius Monasterii Virginum Deo dicaturum, firmatam. Atque hæc de Humilitate Deiparæ atque immitatoris ejusdem S. Ignatii dixisse sufficiat. Jam reliquas Apum proprietates prosequamur.

49. Harum sanè pulcherrima

 est

Beatissima Virgo tetro libidinis odore mirè offenditur.

est illa, de qua Ælianus lib. 1. cap. 58. Tetro quovis odore non solùm Apes offenduntur, sed & unguento odorato. Tanquam enim Puellæ Urbanæ & modestæ, teterrimum odorem præclarè contemnunt, & unguenti suavitatem detestantur. Quæ proprietas mirificè congruit, sacratissimæ, atque immaculatæ Deiparæ nostræ; quæ tetro libidinis fœtore mirùm quantùm offenditur, meretriciáque unguenta, ac pigmenta execratur. Unde & impuros sive viros, sive mulieres venereô concubitu olidos Apes aversari perhibentur. Quod etiam præstare Virgineam hanc Apem nostram ostendit S. Damascenus orat. 2. de dormit. B. V. cujus testimonium supra Disc. fusè citavimus.

Exemplum Clerici turpissimis moribus imbuti.

50. Expertus est aversionem hanc Virginis clericus ille vitâ moribúsque turpissimis, de quo liber M. S. exemplorum Monasterii Campiliorum. Hic enim, cum aliquando iter faceret, vidit nubeculam lucidissimam transvolantem, de qua verba hæc suavissimô dulcissimóque sono prodeuntia audivit: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*, quibus sinè dubio Virgo, quæ nubes levis à S. Ambrosio vocitatur, eum ad DEI voluntatem, quæ est sanctificatio nostra, hoc est mentis corporísque purificatio, exequendam adhortabatur. Cujus vocis ille nunquam absque effusissimis lacrymis meminisse poterat, licèt nulla vitæ emendatio subsecuta sit. Hic tandem cùm nocte quadam ante Virginis purissimæ Iconem procumbens oraret, eámque salutatione Angelica veneraretur, fœtore turpitudinis ejus offensa, libidinémque ejus detestata Mater purissima, aversa facie, indignabunda ita illum affata dicitur: Quid mihi cum salutatione tua? homo perditus es, Deóque invisus, scito te citò periturum, nisi vitam correxeris: Intercessione B. Virginis resipiscit, & fit monachus. Hactenus ego, Et S. Benedictus pro te, ut mores in melius commutares apud Deum intercessimus. Vide igitur quid agas. Vide ne te Dominus in furore suo arguat, & in via sua corripiat. Sed cùm ille surdis auribus hæc præteriret, gravissima infirmitate correptus est, in qua gravem Dei manum expertus, sordes tandem luxuriæ suæ detestatus Sanctissimum Cisterciensium Ordinem amplexus est.

Apum sedulitas in conficiendo melle.

51. Altera Apum proprietas, & ea quidem præcipua est, quod sint mellificæ, & mel admirabili sedulitate conficiant. Quocirca Poëtæ, cùm sivè celerem executionem operis cujuspiam sive eximiam industriam, ac solicitudinem describere volunt, Apum exemplo in elaborando favos uti consueverunt. Hinc Claudianus lib. 2. de Raptu Proserpinæ, cereris, sociarúmque in legendis floribus sedulitatem describens, eas Apibus Arua Hortósque populantibus, conferre non dubitavit, dum ita concinit.

Huc elapsa cohors gaudent per florea rura.
Hortatur Cytherea, legant, nunc ite, sorores,
Dum matutinis præsudat solibus aër;
Dum meus humectat flaventes Lucifer agros,
Roranti provectus equo. Sic fata doloris
Carpit signa sui. Varios tum cætera saltus
Invasere cohors. Credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cùm cerea Reges
Castra movent, fagíque cavâ demissus ab alvo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.
Pratorum spoliatur honos. Hæc lilia fuscis
Intexit violis; hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur Stellata rosis, hæc alba ligustris. &c.

Æstuat

Æstuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ spes una Deæ, &c.

Idem. 52. Similiter statius lib. 1. Achill. describens agmen Virginum Duce Deidamiâ, Palladi littoreæ sacra facientium, flores legentium, corollásque texentium, eadem Apum similitudine usus est, dum ita cecinit.

Laxantur Cœtus, resolutáque murmure læto
Agmina discedunt, quales jàm nocte propinqua
E pastu referuntur Apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.

Sedulitas apum in B. V. expressa, dum in virtutibus majora semper incrementa capere contendit. 53. Quam quidem Apum proprietatem, sedulitatémque in conficiendo melle, totius vitæ decursu Virgo beatissima in se expressit, dum indefesso labore atque industria virtutes omnes animo suo, veluti dulcissima mella recondere studuit, in eísque majora semper ac majora capere incrementa contendit, ardentissimis desideriis ad omnimodam, numerísq; omnibus absolutissimam perfectionem consequendam anhelans, maximè post Filii dilectissimi in cœlos profectionem. Illius nimirum verba illa esse censuit in Canticis Dionysius Richelius ar. 5. in Cant. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum:* Ubi sic loquitur: *Quamvis excellentissima Virgo fuerit sublimiter confirmata in gratia, nihilominus fuit viatrix, & incessanter proficere poterat, ac profecit in omni virtute, & quò humilior erat, eo præcordialius omne bonum, omnem gratiam, ac profectum Deo suo adscripsit, cujus pietati ac gratiæ totaliter atque humillima fuit innitens, orationibúsque insistens, ideò orans dixit: Trahe me post te. Tu DEus, & Fili, ac sponse meus præcordia animæ meæ indesinenter allice, & applica tibi, cum majori perfectione, cum callidiori affectu, cum contemplatione sublimiori. Quod si B. Paulus, multíque alii Sancti in hac vita desiderárunt dissolvi, & esse cum Christo, quantò magis benedictissima ac Ferventissima Virgo, præsertim post sui Filii ascensionem. Ex tunc ergò ubertim locuta est: Trahe me post te, ad regnum gloriæ tuæ me transfer & illic me tecum constitue. Instante verò sua assumptione diutius separationem non ferens, eadem hæc verba affectuosissimè proferebat. Ideò tunc per Angelum denunciavit ei Filius, quod statim assumeretur. O quoties & quam devotè, ac fervidè post Filii sui Assumptionem ita locuta est, quando Sacra loca Passionis, crucifixionis, sepulturæ, & Ascensionis Unigeniti Filii sui visitavit, qualiter tunc suspiravit, afficiebatur, anhelabat ad ipsum, qualiter Sacri amoris æstuabat affectibus, unde aiebat: Curremus in odorem unguentorum tuorum. Constat beatissimam hanc præ universis cursu profecisse celeberrimo, & spiritualium odore charismatum allectam, indefessè ad totius fontem beatitudinis aspirasse, ac festinasse, atque ad imitandum ejus vestigia, ipsius videlicet virtutes velut sedula Apis colligendo, suis orationibus, meritis atque exemplis, innumerabiles allexisse Puellas, imo utriusque sexus personas.* Sic Dionysius.

54. Hanc Virginis nostræ profectûs spiritualis studiosissimæ eximiam planè sedulitatem apum omnem industriam transcendentem agnovit idem Pater Ecstaticus Art. 12. dum Divinæ Matris verba illa amorem Divinum spirantia expendit. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* Cant. 8. *Sponsus cœlestis*, inquit ille, *non solùm quæritur ab eis, qui charitatem, & gratiam ipsius non habent; sed ab his quoque, qui ipsum per eandem charitatem possident. Ideò scriptum est* Psal. 114. *Quærite faciem ejus semper. Imò ab habentibus eum quæritur multò perfectiùs, affectuosiùs, & fructuosiùs, quàm à non habentibus. Ita* Incomprehensibilis profectus B. V. in Spiritu.

habitus quæritur, ut plenius habeatur, & gratiosius adsit, & per gratiæ incrementa assiduè quasi de novo adveniat, sicque tandem gloriosius possideatur in patria. Cum igitur sacratissima, ac suavissima Virgo quamvis maximè confirmata in gratia, tamen viatrix fuerit & incomparabili ardens dilectione, excellentissimè quoque omni die in universis Spiritus Sancti charismatis profecerit (nec enim liberalissimus ac piissimus Filius tot guttas Virginei lactis ex Deificatis suæ dilectissimæ Matris uberibus luxit, quot illustrationibus, & sacris ardoribus, recentissimis quoque visitationibus, & præclaris profectibus, seectissimam ejus animam adimplevit) certum est, quòd ipsa Divinissima, & Spiritualissima Virgo in lectulo suo in tranquillissima videlicet sui pectoris pace dilectum suum præ cæteris cunctis ineffabiliter ardentius, frequentius, stabilius, ac fructuosius quæsierit, intentissimè deprecando, præcordialius desiderando, sublimius contemplando, copiosius obtinendo, ac demum incomparabilia omnium virtutum incrementa, quæ vix ulla mens comprehendere potest Angelica, capiendo.

Mirati Angeli maximum profectum B. V. in virtutibus.

55. Unde in eisdem Canticis cap. 3. beatissimæ illæ mentes Divinis gratiarum muneribus ornatissimæ ipsius tam excellentes virtutum omnium profectus contemplando, attonitæ præ admiratione exclamant: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris & universi pulveris pigmentarii?* Quod Angelicum in Deiparam jactatum elogium suprà memoratus Dionysius attentiùs trutinans eodem art. 12. in Cant. sic loquitur: *De ascensu quotidiani profectus in omni virtute, sanctitate, ac Deiformi perfectione, honorabilissimæ Virginis, omnes Cives triumphantis, ac militantis Ecclesiæ, ritè eundem profectum pensantes, non immeritò mirabantur vehementissimè. Inæstimabiliter enim profecit singulis horis, cùm haberet purissimum corpus animæ omnino promptissimè subditum atque obtemperans, fomitémque prorsus extinctum; ac diligentiam animi summam, atque indefessam; charitatem quoque æstuantissimam, stans indesinenter sub contactu solis justitiæ, qui radios sapientiæ, flumina gratiæ, charitatis ardores assiduè, atque abundantissimè in eam influxit. Sed & superdulcissimus Spiritus S. Matrem ejus, à quo ipse verè æternaliterque procedit, continuò incitavit, movit, accendit ad incrementa profectuum. Quid verò Pater æternus comparentali suæ non largiretur. Non dubium, quin secretissimè, frequentissimè, exuberantissimè eam inundaverit. Optimè porrò fertur ascendisse ut Virgula fumi; quoniam ejus profectui non fuit admixta aliqua curvitas culpæ, nec ulla negligentia, sed linealiter prorsus, ac rectissimè progrediebatur in omni bono, similis vapori resoluto ex incensione thymiamatis optimi, ex omni aromatica specie confecti. Quia in profundo Virginis excellentissimæ concurrebant plurimarum actus & ordinatissimæ contemperationes virtutum, suavissimè redolentes apud Altissimum. Ascensum denique ejus in sublimitate & profectu contemplationis nullus valet satis mirari, quàm profundissimè contemplabatur altitudinem imperscrutabilis consilii Beatissimæ Trinitatis super modo Salvationis generis humani per incarnationem & cætera mysteria Verbi æterni, ex ea veraciter humanati. Sicut enim amabilissimè Virgini singulariter datum est, ut humanæ salutis mysteria ex ea, & per eam efficerentur; Sic eminenter datum est ei, ut ab ea profundiùs contemplarentur.* Hæc Dionys. Ex quibus colligere licet mirificam hujusce Virgineæ Apis in mellis virtutum omnium legendis, & in pectoris sui velut alveario recondendis, assiduam sedulitatem,

earum-

earumdem maxima à primo immaculatæ suæ conceptionis momento in dies singulos facta incrementa.

Profectus B.V. etiam in sapientia divina.

56. Et licèt Virgo Deipara in omni virtute velut Apis industria mella congerens, miros fecerit profectus, fecit tamen in Divinæ Sapientiæ studio, quæ melli à Spiritu S. confertur, vel maximos. Unde Spiritus Sanctus ad hanc sapientiam comparandam sub mellis Symbolo homines exhortans Prov. 24. 13. aiebat: *Comede, Filii mi, mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo: Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cùm inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit. Sive, ut legère 70. Interpp. Comede fili mel, bonus enim favus, ut dulcescat guttur tuum; sic senties sapientiam in anima tua; si enim inveneris, erit bonus obitus tuus, & spes te non deseret. Hinc Doctor Angelicus in* illud Cant. 4. *Mel, & lac sub lingua tua, mel,* inquit, *quod de rore cæli confici creditur, cælestem & spiritualem doctrinam significat, quæ & perfectis & instructis convenit.* Et jure sanè meritò Divina sapientia vera ac practica, quæ homines facit virtute præditos, & ad æternam beatitatem deducit, melli comparatur. Quemadmodúm enim mel è cœlo defluit & est quoddam manna cœleste: Sic & hæc cœlestis sapientia. Unde Plinius mel cœli sudorem, & syderum salivam appellavit lib. 11. c. 12. & cap. 12. Divinum Nectar. hinc Virgilius lib. 1. Georg.

Protinus aerei mellis cælestia dona.

Major sapientia, data B.V. quàm Sanctis.

57. Hinc Galen. lib. 7. de simpl. medicam. facult. saccharum inquit, quod ex India atque Arabia felici convehitur, in calamis, ut ajunt, concrescit, & ipsum mellis est species. Unde Baruch Propheta, Sapientiam hanc esse totam cœlestem intelligens cap. 8. 29. ait: *Quis ascendit in cælum & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? Non est, qui possit scire vias ejus, neque qui exquirat semitas ejus, sed qui scit universa, novit eam; & adinvenit eam prudentiâ suâ.* Atque, ut ostendat Dei Filius in utero Virginis hominem factum, secum de cœlo in terras tam preciosum, támque eximium secum donum invexisse, paucis intercalatis attexuit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, tradidit illam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Quòd si sapientiam hanc cœlestem Jacob, & Israëli dilecto suo Dei Filius tradidit, quantò magis amantissimæ suæ Matri totius Israelitici populi gloriæ atque ornamento, dum ejus Virgineo utero novem mensibus delitesceret? Tunc enim velut candor lucis æternæ, velut stella splendida, & matutina, velut justitiæ sol, ejus purissimæ menti affulgescens, rerum Divinarum, atq; humanarum cognitione eam ita irradiavit, ut nulla pura creatura, ne quidem Angelica, atque cherubica, ei par esse posset. Idem Divinus sol radios igneos exsufflans voluntatem ejus ita accendit, ut charitate ipsos, qui ab ardore charitatis nomen invenère, transcenderit Seraphinos. Et quoniam in harum potentiarum profectione ipsa sanctitas, atque beatitudo consistit, fatendum est, quòd sicut Virgo nostra sanctissima, atque beatissima fuit, ita quoque fuerit inter omnes creaturas sapientissima. Unde venerabilis Dionys. Richel. lib. 2. cap. 4. cùm summam fuisse in Deipara Dei cognitionem atque amorem, ac consequenter beatitudinem docuisset, ita conclusit: *Itaque cum sanctissimæ Virgini summam negare perfectionem nefas sit, omnino asserere par est, quòd excellentissima fuerit ejus sapientia, quatenus mentis ejus divinissimæ intellectus, memoria, ac voluntas singulæ Propriis perfectionibus perfectè, eminentérque decoratæ fuisse creduntur. Præ-*

terea, quod cæteris sanctis famulis utique, atque Ancillis aut sparsim aut partim communicatum est Mariæ prælectæ Matri, unitim donatum arbitror. Quippe, cui se totum ipsa plenitudo gratiæ, fons, auctorque gratiarum infudit. Scimus autem, in quibusdam sanctis abundâsse charitatem, in aliis sapientiam, in aliquibus abundâsse utrumque; ut, quid plenius copiosiusque desuper sortiti sint, metiri vix queat. Denique horum ultimi excellentiores censendi sunt. In incomparabili ergò, præstantissimâque Matre, ac Virgine quomodo non utrumque superabundâsse valemus asserere? Hæc Dionysius.

B. Virgo S. Brigittæ declaravit superabundantiam suæ sapientiæ divinæ.

58. Hanc divinæ sapientiæ & charitatis superabundantiam ipsa Virgo Deipara declaravit S. Brigittæ lib. 3. Revelat. c. 8. *Ego sum* inquiens illa, *quæ ab æterno in charitate Dei fui, & ab infantia mea Spiritus Sanctus perfectè erat mecum, & juxta corporis & ætatis meæ accrescentiam tam affluenter me totam replevit Spiritus S. quòd nihil in me vacuum reliquit ad peccati alicujus introitum. Et ideò ego illa sum, quæ nunquam peccatum commisi veniale, nec mortale. Ego quippe in charitate Dei tam ardens eram, ut mihi nihil placuerit, nisi perfectio voluntatis Dei. Fervebat enim in corde meo ignis Divinæ charitatis. Deus quoque super omnia benedictus, qui me sua potentia creavit, & Spiritus S. virtute replevit, ad me ardentem charitatem habuit. Et ex hujus charitatis fervore misit nuncium suum ad me, faciens me voluntatem suam intelligere, ut videlicet fierem Mater Dei. Quod ubi cognovi esse voluntatis Divinæ, statim ex igne charitatis, quem in corde ad Deum habui, per os meum exivit veræ obedientiæ verbum illud: Fiat mihi secundum verbum tuum. Et in eodem puncto Verbum Caro factum est in me, & Dei Filius factus est Filius meus. Cùmque hic Filius meus, qui est vir sapientissimus, & Deus verus, Jesus Christus jaceret in utero meo, tantam ab ipsò adepta sum sapientiam, ut non solum magistrorum intelligere valeam sapientiam, verùm etiam in cordibus eorum cerno, utrùm verba ipsorum ex Divina charitate, aut ex solius literaturæ astutia procedunt.* Sic illa.

B. V. similis Reginæ Sabæ. B. V. superavit in sapientia Protoplastum Adamum.

59. Sapientiam porrò hanc admirabilem, atque Divinissimam quâ imbuta fuit Dei Mater â Filio, in ejus utero delitescente, Angelus apud S. Brigittam in suo serm. cap. 19. confert ei, quam Regina Saba didicit à Rege Salomone; quam etiam dicit totius ipsius, vitæ decursu, in actionibus ejus omnibus mirificè resplenduisse. De Longinquis partibus inquit Angelus, Regina Austri ad Regem Salomonem legitur pervenisse, ejúsque visâ sapientiâ, præ stupore immenso non habuisse Spiritum; quæ resumptis viribus, Regem suis commendavit sermonibus, magnísque eum glorificavit muneribus. Huic utique Reginæ excellentissima Virgo Maria convenienter similatur, cujus animus totius mundi ordinem, & processum ab ejus exordio, usque ad ejus finem sagaciter perlustrans, & universa quæ in eo erant diligenter prospiciens, nihil in eo reperit, quod possidere, vel audire desideraret, nisi solummodò illam sapientiam, quam à Deo audiverat. Illam itaque omni aviditate quæsivit, illam solicitè investigavit, donec ipsam sapientiam, scilicet Christum Dei Filium qui incomparabiliter Salomone sapientior est, sapienter invenit. Videns autem ipsa Virgo, quam sapienter ille per corporis sui passionem in cruce revicit animas, eíque cœli portas aperuit, quas subdolus hostis ad gehennalem mortem vicerat; tunc ipsa Virgo propinquior morti stabat, quàm Regina Austri quando videbatur Spiritum non habere. Christi deinde Filii sui passione consummatâ, tunc ipsa Virgo resumptis viribus, donis ipsi Deo gratissimis ipsum glorificabat, nam plu-

res animas illius salutari doctrina ipsi Deo præsentabat, quàm aliqua alia persona post Christi mortem universis suis operibus. In hoc etiam suis sermonibus ipsum honorificè commendasse probatur, quod multis post ejus humanitatis mortem, de ipso per omnia dubitantibus, verum Dei Filium in Deitate æternaliter immortalem ipsa eum sola constanter asseruit. Prosequitur deinde fusè idem Angelus quâ ratione post benedicti Filii in cœlos profectionem, ipsa fuerit Magistra Apostolorum, reliquorúmque fidelium sapientissima, eos mysteriis fidei erudiendo, & arcana sapientiæ ejusdem Filii reserando; quæ ibidem videri possunt. Eximiam hanc Deiparæ sapientiam, quam cœlitus hausit, & in pectoris sui alveario, velut sedula Apis congessit, Bernardinus de Bustis, dotem excellentissimam inter reliquas omnes, quibus à cœlesti sponso velut amantissima ac elegantissima sponsa exornata, atque locupletata fuit, appellat. Par. 2. Mar. ser. 5. conditione. 7. Sed non contentus, inquiens, Rex cœlestis supradictis muneribus, sponsalitiis, & augmento dotis dilectissimæ sponsæ suæ, maximam ei dotem dedit. Omnes enim animæ ejus potentias excellentissimè dotavit. Intellectum igitur ipsius inprimis dotavit donô sapientiæ, & intelligentiæ. Tam præclarum autem est donum hoc scientiæ, ut secundùm Philosophum 8. Physic. Homo dicitur æquivocè de docto, & indocto: nam tanta est differentia inter virum doctum & indoctum, quanta inter vivum & pictum. Ille enim utitur suis instrumentis ac potentiis oculorum, aurium &c. Mortuus verò sive pictus non item, cùm secundùm eundem Philosophum lib. 2. de anima ipsa sit principium vivendi, sentiendi & intelligendi. Cùm igitur scire, perfectio sit intellectûs, jure doctus & scientificus dicitur verè homo tanquam suâ perfectione dotatus, & perfectus. Sponsus igitur cœlestis dotem hanc intelligentiæ dedit sponsæ suæ, modo adeò excellenti, ut licet natura humana habuerit plurimos viros doctos in diversis scientiis nemo tamen unquam eâ doctior fuerit; imò ipsa fuit super omnes doctissima. Præclaré enim Bern. ad Lugdun. Canonicos: *Quidquid aliis, licet paucissimis, est concessum, non est credendum gloriosæ Virgini fuisse negatum.* Unde docet idem P. Bernardinus sapientiorem longè fuisse Virginem ipso Protoplasto, cui universorum Creator rerum omnium, ipsorúmque animalium scientiam infudit. Unde adduxit ea ad Adam, ut sciret quid vocaret ea, nomen ipsis, prout eorum proprietates exigebant, imponendo. Hinc Hugo de S. Victore lib. de sacram. rerum omnium, quæ cum homine, & propter hominem factæ sunt, Adæ Deus dedit cognitionem. Quare ad Deiparam conversus, ita eam alloquitur: *ô gloriosissima Virgo, nonne tu meruisti esse perfectior Adamo? Certè sic, quia ab æterno electa fuisti ad opus excellentius quàm ipse Adam. Hic enim electus est ut Pater omnium hominum esset, tu autem, ut esses Mater Dei; ac perinde in omni scientia, ipso, ejúsque posteris perfectior esse debuisti.* Tandem originem divinissimæ hujusce Virginis sapientiæ, & scientiæ indicans ita concludit: *O benedicta Virgo! Ego credo, quod sicut Joannes Evangelista, quando recubuit supra sacratissimum pectus Domini JESU, auxit fluenta Evangelii, ita & tu, quando tenebas inter brachia tua Infantem illud dulcissimum Filium tuum, fontem divinæ sapientiæ hauriebas. Ipse enim dilectissimus Filius tuus radios suæ Divinitatis sub illa carne innocentissima emittebat usque ad tuum intellectum. Maximè autem hoc faciebat, cùm in sanctissimo utero tuo recubabat. Similiter, quando in te descendit Spiritus S. & virtus altissimi obumbravit tibi.*

Sicut Joannes Evangelista supra pectus Domini recumbens fluenta Evangelii hausit, sic Deipara filium suum inter brachia tenens fontem sapientiæ hausit.

bi, tantis intelligentiæ, & scientiæ radiis te illustravit, ut clarè divinam essentiam videris, & consequenter omnium doctissima effecta fueris. Ut porrò ostendat cœlestem planè, ac perfectissimam fuisse hanc virginis nostræ sapientiam, illi beatorum Angelorum in cœlis quàm simillimam, docet ejusdem voluntatem à sponso dote eximiæ charitatis fuisse dotatam. Quod donum quàm præclarum sit, docet S. Aug. lib. 15. de Trin. cap. 18. dum illud vocat excellentissimum Dei donum, quòd solùm dividit inter filios Regni æterni, & perditionis.

Mel contra varios morbos medicina præstantissima.

60. Altera mellis proprietas est, quòd sit medicinale, ac plurimis morbis saluberrimum. Unde Plinius lib. 11. cap. 14. *Solis radiis medicamenta, non mella, gignuntur, oculis, ulceribus, internisque visceribus dona cœlestia. Non alia suavitas, visque mortalium malis à morte vocandis, quàm divini nectaris, mellis videlicet.* Lib. verò 22. cap. 24. varios mellis salutiferos effectus prosequitur. *Aculeos,* inquiens, *& omnia infixa corpori extrahit, tubera discutit, dura concoquit, dolores nervorum mulcet, ulceraque jam desperantia cicatrice includit.* Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non finat; jucundo sapore atque non aspero aliâ quàm salis naturâ, faucibus, tonsillis, anginæ, omnibúsque oris desideriis utilissimum, arescentíque in febribus linguæ. Jam verò Peripneumonicis, pleuriticis, decoctum. Item vulneribus à serpente percussis, & contra venena fungorum. Quæ omnia si ad morbos animæ potissimùm transferantur; sapientia Virginis practica, miram in hujusmodi ægritudinibus persanandis ad instar mellis vim habet, atque energiam. Cùm enim hujusce etiam sapientiæ initium timor sit Domini. Et hic, ut docet Siracides, Eccl. 1. *Expellat peccatum, & sit gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis; delectet insuper cor, & det lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum; & timenti Dominum bene sit in extremis, & in die defunctionis suæ homo benedicatur;* consequitur profectò hos eosdem tam divinos effectus cœlestem hanc gloriosissimæ Virginis sapientiam timori Domini adeò arctè copulatam, quàm caput corpori esse consuevit, in animis nostris parituram.

Morbis potissimum animæ sapientia Beatissimæ Virginis, instar mellis, medetur.

Virgineæ sapientiæ effectus, timor Domini spem firmam in morte præstat.

61. Inter hos porrò divinos planè Virgineæ sapientiæ effectus, is potissimùm maximè faciendus est, quem caput reliquorum posuit, supra de melle loquens, Salomon Prov. 24. vers. 13. *Comede* inquiens, *fili mi mel, quia bonum est: sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cum inveneris, habebis in novissimis videlicet in morte, judicio,* ac purgatorio *spem, & spes tua non peribit.* Quod clariùs nobis 70. Interpp. proposuêre, dum legunt: *Si inveneris sapientiam, erit bonus obitus tuus, & spes te non deseret.* Atque ut intelligamus timorem Domini, quòd caput esse Virgineæ hujus sapientiæ diximus, eosdem effectus in hominum pectoribus progenerare, idem Siracides eodem capite 1. ita loquitur 19. *Timenti Dominum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur;* benedicetur inquam, in die consummationis, & fine vitæ, quando dicere poterit moriens cum Apostolo, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus Judex.* Et quæ tandem erit hæc benedictio? sine dubio illa amabilissima, atque desideratissima Christi dulcissimi ejus Filii: *Venite Benedicti Patris mei, Percipite Regnum, paratum nobis à constitutione mundi.*

Ad Deiparam tanquam ad Asylum, Anchoram, Aram salutis confugiendum in hac vita, ut in die obitûs bonâ sit.

62. Et quis ergò tantorum, támque eximiorum præmiorum, spe erectus, practicam hanc Virginis sapientiam, qua nos Dei timorem, fugam peccati, amorem virtutis, universam

versari denique christianam edocet disciplinam, non obviis, quod ajunt, ulnis, amplectatur? quis ad illam in hac vita tanquam ad Asylum, tanquam ad Sacram Anchoram, tanquam ad Aram salutis non confugiat? ut habere possit in suis novissimis, sive die obitûs sui spem, & spes ejus non pereat, eúmque deserat. De hac in sacratissimam Virginem spe verè dici potest, quod in quibusdam vetustissimis Jambis legere me memini.

Spes in Deiparam periculi obliviscitur, molestias dulcorat.

Spes omnis obliviscitur periculi,
Edulcat omnem opima spes molestiam.

De hac quoque in Deiparam spe illud concinere cum Tibullo jure possumus lib. 2. Eleg. 6.

Spes etiam validâ solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro; sed canit inter opus.

63. Omnes in hac vita dum degimus, dum hoc corporis ergastulo concludimur, captivi detinemur, compediti sumus. Quare jure orabat David. Psal. 25. *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.* Et Psal. 123. *Anima nostra erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Hoc conclusus carcere gemebat Apostolus. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* móxque subjicit: *Gratia Dei per JESUM Christum Dominum nostrum.* Rom. 7. 24. Addamus nos, & firma in Virginem spes eripiet nos de carcere hoc mortali, è vinculis hujusce corporis, ut liberè columbinis illis Davidis alis, ad beatam illam quietem, perennémque patriam ex hoc exilio evolemus.

Spes in B. V. [illegible] de carcere hoc mortali eripiet, ut ad beatam patriam evolemus.

Quòd porrò Virgo beatissima nostræ spei Ara atque Asylum sit, in morte potissimum, S. Gregorius Nazianzenus Epist. ad Nemes. docuit: *Mater Virgo*, inquiens, *Altare & Templum Christi fuit; Christus autem verbi.* Idem asserit S. Epiphan. lib. de laud. B. V. *Virginem appello velut sacerdotem pariter & Altare.*

B. V. spei ara atque Asylum præcipue in hora mortis.

64. Hanc ob causam, inter varias, crediderim, eam Aram cœli & Aram primogeniti Dei fuisse appellatam: de qua appellatione audiendus Nicephorus Callistus lib. 1. Eccles. Hist. cap. 17. *Ubi Cæsar*, inquit, *Augustus quam plurimis præclarè, feliciterque gestis rebus clarus, primúsque ipse Monarcha renunciatus, provectiore jam ætate ad oraculum Pythii Apollinis venit, & sacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, Dæmoni oblato, quæsivit quisnam post eum Romanum administraturus esset esset imperium? At, cùm nullum ederet responsum, alterum quoque adjecit sacrificium, denuóque rogavit: Quid ita oraculum pluribus verbis uti solitum, nunc tandem obticuisset.* Tum illud parvâ interpositâ morâ, ad hunc modum respondit:

Octavianus Augustus Cæsar, postquam ex Delphico oraculo intellexisset Christum natum extruxit Aram cui inscripsit: *Ara primogeniti Dei.*

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristémque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Tali responso accepto, Cæsar Romam est reversus, atque ibi in Capitolio Aram maximam extruxit cum hujusmodi latina inscriptione. *Ara primogeniti Dei.* Sic Necephorus qua de re etiam Innoc. III. Pont. Max. Ser. 2. de Nativ. sic scribit: *Octavianus Augustus fertur in cœlo vidisse Virginem gestantem Filium ad ostensionem Sibyllæ, & ex tunc prohibuit, ne quis eum Dominum appellaret. Quia natus erat Rex Regum & Dominus dominantium.* Unde Poëta.

Octavianus August. Cæsar, fertur in cœlo vidisse Virginem gestantem Filium.

En nova progenies cœlo demittitur alto.

65. Addit his S. Antoninus par. 1. Hist. tit. 4. c. 6. Illico de cœlo vocem personuisse: *Hæc est Ara Cœli.* Cupit aliquis iram, justissimi Judicis in morte effugere? ad hanc cœlestem Aram, tanquam Asylum confugiat. Cupit quispiam horribilem

Idem Cæsar audivisse de cœlo vocem: *Hæc est Ara cœli*, dum Virginem vidit cum Filio, dicitur.

illam damnationis sententiam. *Ite maledicti:* declinare? Aram hanc accedat, magna cum fiducia in postrema illa vitæ catastrophe; audiet sine dubio dulcissimam illam Christi invitationem. *Venite benedicti Patris*, imò & Matris meæ, *possidete paratum vobis Regnum*, quia meæ Reginæ Matri Regni mei consorti, tanta cum fidelitate serviistis.

Confugiamus in hora mortis ad Mariam Cœli Aram, ut audiamus: *Venite benedicti &c.*

66. Ad hanc cœli Aram fiducia plenos nos accedere docuit P. noster Benedictus Fernandez dum com. in cap. 32. Gen. 14. n. 38. dulcissimum ejus Filium nos ita compellare docuit: *Respice Domine ad Matrem Virginem, cujus in utero purissimo velut in thalamo per novem menses infantulus quievisti, cujus ubera Virgineo turgentia lacte Verus illius Filius suxisti. Matris ergò tu Domine tum facie tum animâ, quod est potissimum, mirabiliter delectatus, nostrorũ interea vitiorũ dedecora videre dissimula; vel si videas, illius prece tanquã velamine contecta inspiciens, non tam ad vindictam concitaberis, quàm ad misericordiam, veniámque præstandam commoveberis.* Ostendit deinde ex Sup. cit. Nazianzeno, Deiparam Aram refugii esse peccatoribus: *Scilicet Virgo beatissima*, inquiens, *Dei Mater, altare est mortalibus, in quo vota sua, precésque ad propitiandum Deum reponunt. Certiùs illud quidem peccatoribus Asylum, quàm Judaici tabernaculi olim fuerit Altare, quod apprehendenti* Joab 3. Reg. 2. *nec Regis vindictam cohibuit, nec mortem à misero nec quicquam clamante, propulsavit. Miræ quidem immunitatis Altare Virgo est Mater; inviolabile miseris illuc confugientibus perfugium; non inde peccator, si pio affectu aram teneat, etiam ad debitas pro admissis flagitiis pœnas avellitur exsolvendas; quin potiùs Aram hanc tenens & justum dolorem concipit, & veniam subripit delictorum. Infinita numero, quæ tuis displiceant oculis, quibus gravissimè offensus ad iram concitaris, de nostris sunt, ô Domine Deus, non tam infirmitate, quàm malignitate; Illa tamen, precor, omnia obumbret, vel abluat Virgo ipsa Mater tua venustas nostræ naturæ, germen aureum nostri generis, gloria Luti nostri.* Hæc Fernandez. Quibus æquè pulchrè, ac piè mortales omnes docuit, quo pietatis sensu ad hanc cœli Aram, ad hoc peccatorum refugium in mortis præsertim horâ confugiendum sit, quæ tam horrendis Tartareorum hostium patere consuevit insidiis.

Peccatorum certissimum Asylum, est Ara refugii Maria.

67. Ad Aram hanc in vita, & in morte confugisse visa est opportuna Virgo sanctimonialium Antistita illa clara miraculis, ornata virtutibus, magnis perfecta laboribus. Hæc ut scribit S. Adolinus Episc. Sagiensis, cum suæ mortis præsaga sororibus salutaria multa documenta dedisset, eásque ad sanctimoniam omnem, verbis, vitæ exemplo, factísque informasset, tandem in læthalem morbum incidit, quadam nocte tenebris jam desinentibus, & insequentis diei luce propinquâ maximum derepentè lumen aspexit; tum suavissimo odore veluti florum, rosarum, aut liliorum refecta, sanctissimas Virgines Cæciliam, ac Luciam vidit, agnovítque, agnitas suis nominibus salutavit. Deinde modestè quæsivit, nunquid aliquid à Virgine Virginum omnium Regina sibi mandaretur? *Cui illæ tuum*, inquiunt, *intemerata Virgo præstolatur adventum, ut ejus Filio jungaris in Cœlo, quem in terris tam ardenter amavisti, quamobrem & coronato capite, & accensa Lampade sponso atque sponsæ obviam te ire necesse est, & æternos Agni cœlestis nuptias celebrare oportet.* Hoc præclarissimæ visionis tam insigne gaudium mox Tartareus hostes interturbare conatus est. In sinistro enim domûs angulo horribilis Dæmon apparuit nigerrimi Æthiopis specie, cujus ex barba, ac capillis quasi pix liquefacta defluebat, oculi

Ad refugii Aram Mariam in vita & morte confugit opportuna sanctimonialium Antistita, quæ ad Agni nuptias invitata in sinum B. V. contempto Dæmone, animam exhalavit.

ti candentis instar ferri ardebant, quale de fornace micantibus scintillis extrahitur. De ore, naribúsque flamma sulphure mixta erumpebat. Hunc mox Opportuna Virgo insigni magnanimitate gravissimis verbis, prorsus intrepida, excepit, derisúmque, atque despectum facessere jussit, filias suas commonendo, nec illi unquam aquiescerent, ejúsque suggestionibus aures præberent. Interea tempus ad sponsum cœlestem commigrandi opportunum Opportuna præsentiens, sacro se se muniri viatico, confessione peccatorum præmissâ, instanter expetit, dum ad circumstantes ac psallentes suas sanctimoniales conversa, ad fores cubiculi cum oculos convertisset, lætitia incredibili perfusa, ac gaudio exclamat: *Ecce advenit Domina mea, cui vos commendo, vos inquam, quas amplius in hoc exilio visura non sum.* His dictis, brachia ad sanctissimæ Dei Matris Virginis, quam in vita tam ardenter dilexerat expandens, animam beatam in ejus sinum felicissimè exhalavit.

Ad cœli Aram Mariam Florentius Vallis umbrosæ Religiosus, dum in hora mortis dæmonem, ope B.V. fugavit, suámque auxiliatricem cum S. Petro & Benedicto spectavit.

68. Ad eandem hanc cœli Aram confugerat Florentius ille eloquentiâ, morúmque civilitate clarus, de quo Blasius Melanesius in Vita S. Joannis Gualberti. Hic, cùm jam ætate maturus ordinem Vallis umbrosæ quem S. hic Gualbertus instituerat, esset ingressus, non ita multò post in gravissimum morbum labitur; cùm morti jam vicinum intellexisset Gualbertus, mox cum suis fratribus ad moribundum advolat. Dúmque ad lectuli caput infirmum corroborando assistit, Florentius repentè pallio, quo erat opertus, caput tremebundus obvolvit. Obroganti solicitè Gualberto, cur id faceret? Respondit voce præ timore hærente faucibus, se videre sathanam, cujus ex ore flamma ingens vomeretur, ex naribus sulphureus fumus erumperet. Cúmque eidem Patri locum ubi adstaret, indicâsset, statim ille Crucem arripuit, salutiferoque signo Dæmonem graviter diverberavit. Tandem illo instar fumi evanescente, Gratias Deo, ægrotus referens exclamat: *Satanas aufugit, & cum dedecore, atque ignominia pulsus abscessit.* Addidit insuper: *Ecce adest beatissima humani generis Fautrix, receptrixque Maria, & cum ea S. Petrus, ac Benedictus.* Quos sine dubio dum viveret præcipua Religione cum Virgine Deipara coluerat. Quibus dictis suavissimè Spiritum suo Creatori reddidit.

69. Ex his clarè intelligimus, quantopere humani generis hostis tum semper totius vitæ nostræ decursu, tum præsertim in extrema illa mortis periodo, in qua de summa rerum agitur, miseris mortalibus insidietur, ut proinde dum vivimus, discamus, atque assuescamus ad Virginem Deiparam tanquam ad sacram Aram, ad Aram cœli confugere, si eos Infernalis Barathri effugere, Divinámque Matrem tunc propitiam atque præsentem habere desideramus, si denique in novissimis, seu obitu nostro firmam spem, quæ nunquam pereat, possidere concupiscimus. Certissimum namque est, quòd illæ Tartareæ Larvæ in eo, discriminis plenissimo, ex hac vita transitu, laqueos pedicásque tendere, technísque suis fallacissimis insidiari miseris mortalibus soleant, ut eos de spe remissionis veniæ, vitæque æternæ possessione deturbent. Unde tunc patrocinio Deiparæ reliquorúmque Cœlitum vel maximè opus est, ne in desperationis barathrum prolabantur. Ad illos nimirum tunc, ac præsertim ad Deiparam tanquam ad Aram, ut salvemur, recurrendum, illi summa cum pietate, animíque contentione adversus Cacodæmonum insidias supplicandum, ut nos protegat, ac tueatur.

In vita nobis reddamus propitiam Deiparam, ut in morte certum in illa refugium & auxilium contra dæmonis insidias reperiamus.

70. Protectionem hanc Virginis cœlitúmque tutelam experta cum sanctis omnibus est Elisabetha Lusithaniæ Regina ut scripsit Perpinianus noster orat. 5. de rebus ejus gestis ubi felicissimum ipsius ex hac vita transitum

Protectionem B. V. cælitumque tutelam experta est Elisabetha Lusitaniæ Regina.

tum describens: *Audite*, inquit, *quid evenerit: mirari profectò desinetis ab hominibus tantopere laudari, quam cœlestes inviserint. Equidem non temerè gravissimos doctissimósq́ viros credidisse arbitror, impiorum hominum, & facinorosorum mentes migrantes à corpore simulacris ac spectris horribilibus, ac furiarum pœnis metuendis perterreri neque usquam posse consistere. At, qui sanctè, integreque vixerunt, eorum animos placidè & quietè discedentes è vinculis corporis, Christi optimi, maximi, beatorúmque omnium præsentia, & Numine, objectâ aliquâ specie gratâ, & jucunda, non recreari modò, verum etiam confirmari. Nam credibile non est, aut infestissimos hostes non illis instare morientibus, quos suæ crudelitati jam deditos quodammodo, & addictos esse arbitrentur, aut mitissimā Parentem non illis adesse in tanto discrimine, quos intelligat sibi dicto semper audientes extitisse. Mitto cætera, id solùm dicam, quod est quadam ex parte cum Reginæ laude conjunctum. B. Clara eximiâ Religione Virgo, & laborum patientiâ, cujus humilem & angustam Aediculam Innocentius IV. Pont. Max. Pontificia Majestate sibi cohonestandam esse duxit.*

B. Claræ humilem ædiculam Pontifex maximus Innocentius quartus invisit.

71. *Ultimo vitæ die Christum JESUM, ejúsque Matrem sanctissimam cæterásque Virgines, stolis candidis ornatas ad se ingredientes hilaris, & leta conspexit, nec de tanto gaudio celare potuit comites suas, sed exultans & gestiens quæsivit, an sacrum illum cœtum, quem ipsa cerneret, viderent. Justum planè, ac penè debitum erat, ut S. Mariæ reficeretur aspectu, cujus exemplo, & institutis castissimæ Virginum sacrarum familiæ, Christo initiatæ sunt, atque devotæ.*

Ultimo vitæ die Christum JESUM ejusque Matrem sanctissimam, cæterasque Virgines ad se ingredientes vidit.

72. *Hujus sanctissimæ Virginis vivendi rationem ac mores non solum probarat maximè; sed etiam & ante nuptias, & in matrimonio, & in viduitate pro sua virili parte prosecuta fuit Elisabetha. Hujus in ipsa morte non esse dissimilem oportuit, cujus in vita similitudinem aliquam assequi studuisset imitando. Vidit igitur, cum morbo urgeretur, Dei Matrem accedentem Virginali habitu, atque vestitu, & Nurum suam, & alios qui aderant, hortata est, ut illi Matronæ cederent, quæ albata veniret. Ego verò non abfuisse credo sacrum Virginum beatorum chorum, quo stipata Christi Parens felicissima solet vagari liberè, quà libet. Claram autem Virginem jam apud superos agentem, quis in illo tali conventu fuisse desideratam opinetur, cùm invisere-tur in discessu à Regina, quæ ejus simillima esse voluisset in vita? Multum valde ad benè moriendum tranquilla, & honesta vita facit, & ut est valde difficile rectè mori, qui male vixerit; sic fieri ferè non potest, ut ejus sit misera mors, cujus vita fuerit beata;* Et maximè eximio in Deiparam cultu, amore, atque singulari veneratione.

Elisabethæ Reginæ in hora mortis visendam se præbuit Beatissima Virgo.

73. Hac sanè mirificè floruit B. Alexius Falconerius, unus ex septem viris, qui Ordinis servorum B.V. ipsa Auspice jecêre fundamenta, uti Videre est 1. Centur. Ann. Servitarum. lib. 6. cap. 9. hic enim cùm reliquis virtutibus sui contemptu, abstinentia, mortificatione, egregia in Deum proximúmque charitate, tum verò vel maximè Humilitate profundissima mores Deiparæ Ordinis Patronæ imitaretur, cùm centesimum decimum exegisset vitæ Annum, meruit B. V., Pueri JESU, cœlitúmque præsentiâ inter moriendum perfrui. Prævisâ enim à se sui obitûs die, munitus Sacramentis omnibus, adstantes Fratres ad Humilitatem, ac puritatem hortatus, & salutationem Angelicam, quam aliàs quotidie centies iterare solitus fuerat, hilari vultu, oculis in cœlum defixis devotissimè pronuncians: *Eia*, inquit, *videte, Fratres mei, adstantes Angelos sub columbarum specie coram me: Eja! fratres mei*

Servitarum Ord. P. Alexius Falconerius singularis cultor B. V. ejusdem Virginis pueri JESU, cœlitúmque gratiosâ præsentiâ inter moriendum fruebatur.

mei genibus flexis Puerum JEsum me coronantem aspicite, & adorate. Videte Fratres mei, quali corona donandi sumus, si religiosam puritatem, & humilitatem sectemur, si puram, & humillimam Dei Matrem Patronam nostram imitemur. Inter has porrò columbas fuerit sine dubio illa omnium Princeps unica, singularísq; columba, nempe Virgo Dei Mater, cui sponsus ajebat cant. 6. *Una est columba mea, perfecta mea, una est Matri suæ electa Genitrici suæ.* Cujus sanè Virgineæ Columbæ alas, vitæ nempe Activæ, atque contemplativæ virtutes, quas dum in terris agebat exercuit, quisque fidelis ipsius cliens ac Filius medullitùs ad Cœlum aspirando desiderare deberet, & cum Davide animitus concinere Psal. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam;* Si eam sibi in morte assistentem, atque faventem videre concupiscit. Interea velut tener pullus sub hujusce purissimæ columbæ alis nomen suum ejus sacris dando Sodalitiis delitescat, ipsius nunc Divinæ charitatis calore foveatur, majoráque in dies insolida erga ipsam pietate, assiduâ sacramentorum frequentatione, bonorúmque operum, virtutúmque omnium exercitatione capiat incrementa, si veram vivámque spem minimè fallentem in die obitûs sui insigni cum animo sui lætitia ac gaudio anhelat.

In vita devotos nos B. V. clientes exhibeamus, si velimus in morte Ejusdem solatium experiri.

74. Vivam hanc spem sodalis Mariani circa vitæ suæ exitum pervenustè non nemo ex nostris Patribus lib. 2. de Clien. Mar. eleg. 16. aureis planè carminibus descripsit, quæ hic ob miram suavitatem ad lectoris solatium fusiùs referre libuit. Sic igitur ille:

Spem vivam Sodalis Mariani circa vitæ exitum, nonnemo aureis plane carminibus descripsit.

Audi, qui lecto dudum morientis adhæres,
Audi Parthenia fida corona Scholæ.
Tunc tibi devoto deerit pia Virgo Clienti,
Cum poterit Nati non meminisse sui.
Quisquis habet Matrem, Natum quoq; Matris habebit,
Ille e Materno pectore pectus habet.

75. Tum inter mortuis vocibus pium B. Virgo servulum fiducia plenum Matrem ita compellantem, ejúsque misericordiam implorantem introducit:

Ecce tibi ad Nati moriens me sisto tribunal;
Mater ades; Judex jam mihi Nate save.
Ore, meas tutus causas orabo Maria,
Illius excutiam tela trisulca manu.
Illius irato monstrans sæpè ubera Nato,
Jam per totius jura Parentis agam.
Non potes iratus mihi sanguis Judicis esse,
Materni cordis lac mihi quando favet.
Aut non, aut in me damnabis Christe Parentem,
Nec nisi per Matris me latus ira petes.
Tanti est viventem Matri servire Mariæ,
Tanti est non nunquam dicere: Mater Ave.

76. Tum cœli favores qui sibi ex salutatione Angelica aliísque devotionis in Deiparam exercitiis circa vitæ suæ finem provenerint, ac præsertim beantem Cœlorum Reginæ, reliquorúmque cœlitum jucundissimam præsentiam ob oculos ponit, dum ita prosequitur:

Jamque silete ruunt cælo solatia Cæli;
Ecce mihi Cæli cerno patere fores.
Quàm benè Parthenio quondam signavit in Albo,
Qui moriens, cælo nomina scripta videt.

O nimium dulces, quos auribus imbibo cantus!
I nunc, turpis habe res tibi terra tuas!
Ecce tibi, Aligêrum circumstant agmina lectum;
Rectè victa petit Tartara nigra cohors.
O mihi cœlestes multùm salvete Patroni!
Quos menses, quos tot lustra dedêre mihi!
O lux! ô facies? ô ignea Virgo Maria!
Ut mulces oculos, ut rapis usque meos!
Vix vidi, perii. Heu oculis vix visus ocellus,
Et captos oculos victor ocelle tenes.
Quis putet in vultu tam molli bella latere?
Virginis hem vultus bella movere potest.
Quot blandis Virgo radios jacularis ocellis,
Tot jacis, in vultus tela facésque meos.
Quot pilos cilio numerarunt lumina viso,
Fixa tot in nostro pectore pila sedent.
Incautos fodiunt oculos tela altera. Pugnam
vel vidisse mihi, jam cecidisse fuit.
Et ne robusto pugnarem forsan amori,
Impediunt fixas altera tela manus.
Qui pede defixæ volucres hæsere sagittæ,
Ad mortem ut citiùs, credo, volare queam.
Ex reliquis pulchrum de me tulit illa triumphum,
Quæ fixit cristas corde superba suas.
Dum circumspicio, si quem mea vulnera tangant,
Hoc habet, Aligerûm læta Caterva canit.
Sed cur me tali doleo periisse sub hoste?
An non sic oculis sæpe perivit amans?
Da mihi, da centum toties profundere vitas,
Dum liceat dextrâ, Magna Maria tuâ.
Non moror: ecce sedet primis anima ægra labellis,
Tu modò da gremio ponere posse tuo.
Nec situs hic ignotus erit: Nam nomen ad astra
Aut hoc, aut simili carmine fama feret.
In gremio teneræ tumulatus vivo MARIÆ,
Molliùs an possent ossa cubare mea?

77. Hactenus Marianus cliens cœlestibus delibutus gaudiis, castissimis amoribus accensus Virginis, cœlitum mirificè recreatus præsentiâ, ac solatiis, spe plenus ad immortalitatem aspirans. Cujus siquis Novissima tam jucunda spe plenissima sortiri, & morte jam felici vitam suam terminare desiderat, sapientiam illam Deiparæ practicam, quam eidem instillavit, ardentissimè, & obviis, quod ajunt, ulnis amplectatur. Hanc enim, ut loquitur sapiens, *quisquis invenerit, habebit in novissimis spem, & spes ejus non peribit.*

Qui Deiparæ practicam sapientiam invenerit, habebit in novissimis spem, & spes ejus non peribit.

78. Jam tandem ad ultimam Apum Reginæ proprietatem quæ est, destitutam esse aculeo, veniamus. Hæc sanè, si quæ alia, in Virgine nostra universorum Domina vel maximè locum habet. Ob hanc enim potissimùm misericordiæ Mater ac Regina ab universa Ecclesia unanimi consensu salutatur. Tanta enim est illius mititas, benevolentia ac suavitas, ut nullum iræ, aut indignationis aculeum, sed solum mansuetudinis mel habere videatur. Quæ profectò

Apum sive Rex, sive Regina destitutus est aculeo.

Deipara Mater Misericordiæ dicitur, quod nullum iræ aut indignationis aculeum, sed solum mansuetudinis mel habere videatur.

fectò Apis Virginisque nostræ mititas pulcherrimum omnibus Regibus mansuetudinis præbet exemplum. Hinc Seneca lib. 1. de clem. cap. 19. Postquam dixisset, *iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt Apes, & aculeos in vulnere relinquunt*, mox attexuit: *Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec sævum esse, nec ultionem, magno constaturam, petere, telúmque detraxit,& iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens est. Est enim illi mos exerere se in parvis, & ingentium rerum documenta, minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores. Cùm tantò hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Utinam quidem eadem homini lex esset, & ira cum telo suo frangeretur &c.* Hæc Seneca.

Deipara appellatur Mater & Regina misericordiæ, quia incarnatam Dei misericordiam mundo edidit.

79. Cur porrò Virgo Deipara sine indignationis aculeo sit, & quare Mater, & Regina misericordiæ vocitetur, variæ sunt causæ, inter quas illam præcipuam esse crediderim, quòd nobis increatam illam, infinitámque misericordiam per essentiam, ipsum Dei Filium in lucem ediderit, mortaliúmque imò & creaturarum omnium totius mundi miserias sustulerit. Cùm enim homo Microcosmus quidam sit, seu parvus mundus, peccante primo homine, & in se Divinæ similitudinis, imaginísque pulchritudinem, scelere suo deturbante, deturpatæ ac defædatæ sunt pariter, atque corruptæ omnes creaturæ, plurimísque miseriis subjectæ, â quibus ubi in utero Virginis misericordia illa sempiterna Incarnata, atque Virgineo partu generata est, pristinam venustatem, integritatem atque dignitatem in qua fuerant ab initio Sæculorum conditæ, recuperarunt, æternóque Verbo unione hypostatica in Humanitate Christi copulatæ, miseriis illis omnibus quibus post lapsum protoplasti erant involutæ, divinitus absolutæ sunt.

Misericordiam Deiparæ mirè deprædicat S. Anselmus.

80. Quod cùm probè intelligeret S. Anselmus in Orat. ad B. V. tanti memor beneficii, ut Deiparæ gratus existeret, mirificè ejus laudes misericordiámque deprædicat: *Aula*, inquiens, *universalis propitiationis, causa generalis reconciliationis, Vas & Templum vitæ, & salutis universorum; nimium contraho merita tua, cùm in me homunculo singulariter recenseo beneficia tua, quæ mundus amans gaudet, gaudens clamat esse sua. Tu namque Domina admirabilis, singulari virginitate amabilis, salutari fœcunditate venerabilis, inæstimabili sanctitate celebris ostendisti mundo Dominum suum, & Deum suum, quem nesciebat: Tu visibilem exhibuisti mundo Creatorem suum, quem Prius non videbat. Tu genuisti mundo restauratorem, quo perditus indigebat: Tu peperisti mundo Reconciliatorem, quem reus non habebat. Per fœcunditatem tuam, Domina, mundus peccator est justificatus, damnatus salvatus, exul reductus.* Tum mundi totius speciatim recensens miserias, à quibus per Virginis in mundo lucem editam miserias, â quibus per Virginis in mundo lucem editam misericordiam liberatus est, ita prosequitur: *Partus tuus Domina mundum captivum redemit, mortuum suscitavit; insidiis, & oppressionibus Dæmonum liberavit. Sub tenebris peccatorum obvolutus mundus jacebat; sed sole de te orto illuminatus, eorum laqueos devitat, & vires conculcat. Cælum. Terra, sydera, flumina, dies, nox, & quæcunque humanæ potestati vel utilitati sunt obnoxia, in amissum decus se se gratulantur, o Domina mea B. M.! per te quodammodo resuscitata, & nova quadam ineffabili gratiâ dotata, quasi enim omnia mortua erant, cùm amissâ congenitâ dignitate serviendi dominatui, vel usibus DEUM laudantium, ad quod facta erant, obruebantur oppressiones &*

Per Deiparam omnes creaturæ vitæ, dignitati, ac decori restitutæ sunt.

dedecorabantur abusu idolis servientium, propter quod facta non erant. Nunc autem facta eadem, quasi resuscitata lætantur, cùm jam Deum Filium tuum confitentium, & dominatu reguntur, & usu decorantur. Nova autem inæstimabili gloriâ quasi exultaverunt, cùm ipsum DEUM, Filium tuum, Creatorem suum, non solùm visibiliter supra se illum regnantem senserunt, sed etiam visibiliter intra se, eisdem utendo, sanctificantem viderunt. Hæc tanta bona per benedictum fructum benedicti ventris benedictæ Mariæ mundo provenerunt. Concludit tandem, ostendítque misericordiam hanc Virginis non modò totò mundo terráque fuisse diffusam, verùm etiam ipsam Inferni abyssum penetrâsse. *Sed cur* inquiens, *solùm loquor, Domina benedicta, beneficiis tuis plenū esse mundum. Inferna penetrant, cælos superant. Per plenitudinem enim gratiæ tuæ, & quæ in Inferno erant, se lætantur liberata, & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. Per eundem enim gloriosum Filium gloriosæ Virginitatis tuæ omnes justi, qui obierunt, ante vitalem ejus mortem exultant de diruptione captivitatis suæ, & Angeli gloriantur de restitutione semirutæ Civitatis suæ. O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis? per quam elementa renovantur, Inferna remediantur, Dæmones conculcantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur. O fœmina plena, & superflua gratia, de cujus plenitudinis exundantiæ respersa sic reviresçit omnis creatura. O Virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura, non solùm creatura à Creatore, sed & Creator à Creatura.* Hæc Anselm. Quibus sanè luculentèr ostendit Deiparam, veram Matrem Reginámque esse misericordiæ, eámque non modò totius generis humani, verùm etiam omnium creaturarum, succurisse miseriis, infinitam illam DEI misericordiam, nempe DEI Filium generando; quem DEUS Pater immensa pietate, amoréque permotus in tempore hominem fieri voluit, quem ipse ab omni æternitate generavit, ac generat, ut tantis mortalium miseriis opportunum remedium afferet.

81. Quam ob causam ipsa Virgo beatissima *se Matrem pulchræ dilectionis* appellat. Eccl. 24. eò quòd ipsam substantialem dilectionem, amorem misericordiámque, nempe æterni Patris Filium, qui ob amorem, quo genus humanum dilexit, ejusque tollere miserias voluit, totus amor, totus misericordia jure meritissimo prædicatur. Unde Pelbartus de Temisuar Pannonius lib. 9. stell. P. 2. docet Deiparam non modo respectu Dei, quem peperit, verùm etiam omnium mortalium, quos nimium quantùm diligit, eíque miseretur, *esse pulchræ dilectionis Matrem. Tria sunt*, inquit ille, *genera hominum. Primum peccatorum, & in vitiis profundatorum: Secundum ad pœnitentiam conversorum: Tertium Justorum, sive proficientium, sive perfectorum, qui in Ecclesia justi judicantur. Horum omnium, & singulorum Matrem benignissimam Virgo se appellat, ut erga omnes homines suam charitatem nimiam, infinitámque misericordiam, nostro videlicet concipiendi modo, ostendat.* Quod evidentiùs asseruit mellifluus Bern. serm signum Mag. *Quid*, inquiens, *ad Mariam trepidat humana fragilitas accedere? nihil austerum in illa, nil terribile; tota est suavis, omnibúsque omnia facta est, & copiosissimâ charitate cunctis hominibus se debitricem fecit, ut non sit, qui se abscondat à calore ejus. Et quemadmodum sol super bonos, & malos oritur indifferenter, sic ipsa omnibus se exorabilem, omnibúsque clementissimam exhibet, nec respicit merita, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu.* Sic Bern. Primò

Deipara se appellat Matrem pulchræ dilectionis, quia substantialem dilectionem, filium æterni Patris genuit.

B.V. amat omnes homines, peccatores, pœnitentes, & justos.

mò igitur, sicut dixi, afficitur B. V. super hominum peccatorum malo, eis compatiendo. Unde nollet unquam hominem peccare; quia novit eum per peccatum in anima emori, amittere illud cœleste & indicibile bonum, & in æternum gehennæ malum incurrere. Unde Matrem se pulchræ dilectionis vocat. Quis enim nesciat Matres condolere, & deflere misericordiam, incommodáque filiorum consuevisse? Et certè ipsa B. V. super omnes Matres plenissima est misericordiâ, pietate, atque dulcedine charitatis. Ideò orat Ecclesia: *Virgo singularis, inter omnes mitis.* Secundò B. Virgo diligit homines conversos à peccatis, ac pœnitentes, eorum bono congaudendo. Si enim gaudium Angelis Dei *super uno peccatore pænitentiam agente* Luc. 15. multò magìs Mariæ est gaudium, quæ supra omnes præeminet Angelos, & est plenissima charitate, & ideò convenienter figuratur per mulierem illam, quæ habuit drachmas decem. Quoniam ipsa est Domina rationalium creaturarum, in decem graduum ordinibus existentium, id est, in novem choris Angelorum, & decimo hominum. Et perditâ una drachmâ, humanâ videlicet naturâ, per peccatum, atque per pœnitentiæ, passionísque Filii sui efficaciam inventâ, convocavit amicas, sanctas videlicet animas, ad gaudium: *Congratulamini mihi: quia inveni drachmam, quam perdideram.* Luc. 15. Et ideò dicitur Mater pulchræ, hoc est, castæ, gratiosæ, ac gloriosæ dilectionis, quia tota animæ pulchritudo consistit in gratia, & gloria, ad quam consequendam B. V. animat pœnitentes. Denique ipsa diligit homines justos, viscerôso affectu eos promovendo, & fovendo tanquam Mater Filios in omni gratia, optando eisdem summum gloriæ cœlestis bonum. Quòd si diligere est, velle bonum alteri, & si quantò majus bonum quis vult, tantò magis diligit; constat profectò, summam hujus pientissimæ Matris in nos esse dilectionem; siquidem summum bonum nobis tantopere exoptat. Verè igitur nos ipsa vero amore diligit; siquidem teste Bernardo: *Ipsa omnibus sinum misericordiæ aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: æger curationem, captivus redemptionem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Filius Dei carnis substantiam, Tota Trinitas gloriam. Hanc ergò maximam ejus circa nos dilectionem recognoscamus, & magis ad spem, & devotionem erga ipsam moveamur.*

82. Cur porrò Regina misericordiæ potiùs, quàm Imperatrix appelletur, quæri consuevit à variis. Ad quam quæstionem idem respondit Pelbartus lib. 10. Par. 2. ar. 1. cap. 2. *Sancta Maria* inquiens, *propter pietatis suæ Dominium Regina potius dicitur, quam Imperatrix, quia Nomen hoc est timoris, ac rigoris, Reginæ verò est pietatis & æquitatis; juxta illud Prov. 20. Misericordia, & veritas custodit Regem, & roboratur clementia thronus ejus. Thronus enim hic dici potest Maria, in qua misericordia & clementia velut aureo peristromate convestita, supremus Cœlorum Rex mundum visitaturus, ac redempturus adveniens, consedit. De Throno hoc Isa. 16. vaticinatus est: Præparabitur in misericordia solium ejus:* Concludit tandem ita Pelbartus; *ò homo! accipe igitur documentum, si gravaris a justitia aut sapientia Dei, aut undequaque tandem; ad ipsam Matrem & Reginam misericordiæ recurre, & appella ante thronum gratiæ, & misericordiæ Mariæ, juxta consilium Pauli* Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur in tempore opportuno.* Hujus rei figuram habemus Esth. 5. Ubi cùm Assuerus Rex mandâsset populum Judæorum occidi, Esther Regina pro populi salute supplicatura Regem adiit: cui mox Rex: *Pete, quod*

Cur B. V. Regina Misericordiæ potiùs, quàm Imperatrix vocetur? 2. B. V. misericordiam sibi reservando dimidium regni cœlestis impetravit.

vis, etiamsi dimidium regni mei petieris, impetrabis. Nimirum ista Esther figurat B. V. cui dimidium sui Regni DEUS Rex condivisit, quia cùm in Deo sit justitia, & misericordia juxta illud Psalmistæ: *Duo hæc audivi, quia potestas tibi est & misericordia. Justitiam Deus sibi retinuit, misericordiam Mariæ tribuit.* Hæc ferè Pelbartus.

B. V. Mater Misericordiæ lacte suo nos pascit.

83. Hæc porrò Virgo sacratissima non modò se Reginam misericordiæ mortales omnes mirâ charitate, ac providentiâ regendo, eorum miserias, ut tollantur, universorum Dominum repræsentando, se se exhibuit, verùm etiam Matrem visceribus charitatis plenissimam, uberibus pietatis, bonitatísque suæ nos lactando, ac velocissimè necessitatibus omnibus generis humani succurrendo. Quam ob causam pietatem hanc in Matre sua sanctissima agnoscens sponsus ipsius, sacratissimorum uberum insigne illud celebravit eloquium Cant. 4. *duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascantur in liliis.* Unde Rutilius Benzonius Episcopus Lauret. lib. 3. in Mag. cap. 34. Dub. 17. illud uberum pulcherrimum considerans præconium: *Habet* inquit, *hæc Mater fidelium, ubera semper plena lacte misericordiæ, ac beneficiorum erga omnem statum Ecclesiæ, illúdque jugiter distillantia, in commodum, nutrimentum, incrementum, spirituale fidelium, juxta illud Augustini: Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove debiles &c. Ostendit in cœlis hæc ubera filio, sicut filius vulnera Patri, interceditque illa pro peccatoribus, ut divinâ favente clementiâ, compunctionem cordis, & veniam peccatorum consequantur; & sicut Pater filio, sic & filius Matri nihil, quod postulet, nihil, quod petat, negare potest: Intercedit Deipara pro justis, & peccatoribus, duo ubera ostendens Filio, ut sic suæ justitiæ, & misericordiæ non oblitus, illis præmia gloriæ, justis verò remissionem culparum, ac pœnarum indulgeat. Rectè verò hæc ubera conferuntur gemellis, qui pascuntur in liliis. Lilii enim flos pulcherrimus est, & hieroglyphicum spei. Sic veteres Imperatoes in nummis, ex altera parte Deam sculptam habebant, tenentem, manu dextra lilium, cum hac inscriptione: spes publica. Quare ad ostendendam spem universalem humani generis in fæcunda Mariæ Virginitate repositam esse, rectè, ubi sit sermo de uberibus Mariæ, liliorum quoque mentio fit. Dicimus porrò Deiparam delectari, & quasi recreari, ac pasci in liliis, id est, in iis, qui sunt velut lilia, hoc est: qui habent puritatem, & innocentiam vitæ, & odorem devotionis, & bonæ famæ suavitatem, ac dilectionis dulcedinem. Deipara ergò pascitur, & pascit in liliis, cùm & in se ipsa plena sit virtutibus, & tanquam odor suavissimus agri pleni nos suis exemplis, intercessionibus, auxiliis, revelationibus, continuò recreet ac pascat.* Hæc Rutilius.

B. Virgo Regina sapientissima. 2. Prudentissimè regit mundum. 3. Mundus felix est sub ejus imperio.

84. Hæc porrò misericordiæ Regina ad regendum nos, ac succurrendum miseriis nostris est sapientissima. Unde P. Franciscus de Retza Ord. Prædicatorum, olim in Academia Viennensi per 40. Annos Sacræ Scripturæ doctor insignis To. 1. M. S. in Salve Regina, vocat Deiparam Reginam sapientialis Theologiæ, & Doctrinalis Sophiæ. Ipsa enim cùm fuerit æviternæ illius Mater sapientiæ, cujus ductu, nutúque totius orbis terrarum regimen succedit felicissimè, cujus quoque gubernatio præclarissima, optima sit, oportet. Si enim veteres sapientes beata Regna illa, ac Respublicas dixêre, quarum habenæ à Philosophis regerentur; Ecquam felicitatem nactum fuisse dicemus mundum hunc? Siquidem ab æternæ sapientiæ misericordissima Matre clementissimè regitur, ac gubernatur. Quare divinus spiritus per os Siracidis divinè planè locutus est, Eccl. 10. 1. 2. *Judex sapiens judicabit*

tabit populum suum, & Principatus sensati stabilis erit. Secundùm Judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis Rector est Civitatis, tales & habitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum potentium. Ex qua profectò sapientissima sententia facile colligere est, non perdendum, sed salvandum populum illum, qui Reginæ misericordiæ regitur sapientiâ, & civitates illas non desolandas, sed populis replendas, & sapientiâ ac virtutibus, nec non bonis omnibus locupletandas, ac felicitandas quæ se se Virginis Sapientissimæ gubernationi, ac protectioni subjicere. Audiendus hic Severinus Boëtius, qui lib. 1. de Consol. Phil. Prosa. 4. Philosophiam alloquens, *atqui tu hanc sententiam*, inquit, *Platonis ore sanxisti; beatas fore res publicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. Tu ejusdem viri ore hanc sapientiæ capessendæ Reipublicæ necessariam causam esse monuisti; ne improbis, flagitiosisque Civibus urbium relicta gubernacula pestem bonis, ac perniciem inferrent. Hanc igitur auctoritatem sequutus, quod à te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicæ admonitionis optavi: Tu mihi, & qui te sapientum mentibus inseruit DEus, conscii estis, nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium detulisse.* Hæc Boetius. Hinc Antoninus Imperator dictum hoc Platonis: *Tunc florent Respublicæ, quando vel Philosophus regit, vel Rex Philosophatur*, frequenter in ore habuisse fertur. Hinc Arist. lib. 2. Rhetor. *Ubi Præses est Philosophus, ibi felix est Civitas.* Hinc Mussonius, Auctor antiquissimus. *Nec tibi persuadeas*, inquit, *cuiquam esse magis, quàm Regi Philosophandum, neque id ob aliam causam magis, quàm quia Rex est.* Siquidem Regis est posse homines conservare: & beneficiis afficere, quod qui facturus est, eum necesse est scire, quid homini bonum, aut malum sit, quid commodum, aut incommodum, quid utile, aut inutile.

85. Hanc sapientiam Regibus, ac Rectoribus Civitatum necessariam agnoscens Hugo de S. Victore jure meritò exclamavit: *O felicia antiquorum tempora, in quibus ipsi Imperatores mundum regentes, se se Philosophiæ dederunt, ut patuit in Alexandro Macedone, in Ptolomæo Rege, Juliò Cæsare.* Cujuslibet enim Regni gloria crevit in immensum, quamdiu artium liberalium studia in eo floruerunt. Victoria enim militiæ, & gloria, & Philosophia simul concurrerunt. Hinc Salomon ad Regium thronum Davidis Patris sui evectus, quo florentissimum amplissimúmque illud Regnum Deíque populum, uti par erat, bene posset regere, regimen sapientiâ copulandum esse necessariò animadvertens, aliud nihil à Domino, quàm sapientiam postulavit. 2. Paral. 1. *Da mihi*, inquiens, *sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, judicare?* Quam sapientiæ postulationem quanto cum affectu ad Deum fuderit, clarè expressit Sap. 9. v. 10. *DEus Patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientiâ tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est; Mitte sapientiam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum justè, & ero dignus sedium Patris mei.*

Reges debent esse Sapientes.

86. Hinc Idem Regum sapientissimus sapientiæ studium, quanto-

Regibus bene præesse volentibus necessaria est sapientia.

pere ad regendum sit utile, & ad stabilimentum & perpetuitatem quandam Regni necessarium, Sap. 6. 21. Sapienter pronunciavit: *Concupiscentia sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum.* Unde Apostrophe factâ ad mundi hujus Principes, ad sapientiam hanc capessendam eos adhortans, ita conclusit: *Si ergò delectamini sedibus & sceptris, ò Reges populi! diligite lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis.* O igitur felicem & ter beatum terrarum orbem! qui à sapientissima hac Regina misericordiæ tam feliciter simul, ac piè gubernatur. Per illius siquidem prudentissimum, suavissimúmque regimen mortalium vita bonis omnibus tam animi, quàm corporis redundabit, ac tandem hujus mortalis vitæ absoluto curriculo æviternæ fælicitatis gaudiis suos fidos clientulos potentissimâ suâ apud dilectissimum Filium intercessione cumulabit.

Misericordia, & Sapientia sunt regalia insignia B. V. 1. Increata misericordia Christus, est B. Virginis Corona.

87. Quare Augustissimæ hujus Reginæ nostræ aureum in capite diadema, Regium paludamentum, ac Sceptrum, quæ, Regum sunt insignia, propriè esse dixerim, ipsam sapientiæ associatam misericordiam quæ longè magis Sacratissimam Reginæ nostræ venustant, exornantque Majestatem, quam Regalia hæc insignia ipsos Reges, atque Imperatores. Verè aurea Reginæ hujus corona, est ejus misericordia ac sapientia, sive misericordiam increatam, nempe ejus filium, intelligamus, sive virtutem pietatis, quâ miseriis nostris compatitur. Quòd misericordia increata sit Deiparæ Corona, testatur S. Amadeus Homil. 6. Ubi gaudia recensens post gloriosissimam anastasim Filii, quibus tam animo, quàm corpore recreata est, docet simul eam Regnum mundi per misericordiam tunc fuisse consecutam. *Corona capitis*, ejus inquit ille: *Christus est, dicente sapientissimo, quod Filius sapiens, corona sit Matris suæ.* Et quis sapientior illo, qui est Patris sapientia? Bene autem corona de lapide esse dicitur, quia in novo & veteri testamento nomine lapidis Christus significabatur. Dictus est lapis propter potentiam, pretiosus propter gloriam; Utrumque complexus est Psalmista: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Quia Dominus virtutum; ideò lapis; quia Rex gloriæ, ideò pretiosus. Nihil verò lapide fortiùs, nihil gloria pretiosiùs est. Ut porrò ostendat Coronâ istâ Filii, cœli Principatum, Regnúmque misericordiæ fuisse indeptam, mox hæc attexit: *habes ergo, ô beata, gaudium tuum, impletum est desiderium tuum, & Christus Corona capitis tui attulit tibi cœli Principatum per gratiam, Regnum mundi per misericordiam, Inferni subjugationem per vindictam.* Hæc Amadeus. Atque ita quemadmodùm æterno Patri corona ipse ab æterno genitus Filius est; sic Matri idem est in tempore generatus, ut testatur Synesius, Hymno primo.

Supersubstantialis verò fons, scilicet Trinitatis,
Coronatur pulchritudine prolis.

88. Quod clariùs divus expressit Bern. Homil. 3. super missus, cùm eam alloquens dixit: *Nescies virum, & paries Filium. Qualem Filium? Illius eris Mater, cujus DEus est Pater: Filius Paternæ claritatis erit corona tuæ castitatis, sapientia paterni cordis erit fructus uteri Virginalis.* Denique quemadmodum Virgo Mater eundem Dei, suumque Filium pulcherrimâ Humanitatis, variis virtutum Theologicarum, Cardinalium, Moraliumque gemmis exornatâ redimere Coronâ promerita est; (ad quam videndam, ac contemplandam Spiritus S. per Salomonem omnes invitabat Cant. 3. *Egredimini Filii Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo eum coronavit Mater sua in die desponsationis & lætitiæ cordis sui.*) Sic à Patre æterno aliâ coronâ nempe Filio, qui

B. V. coronavit Christum Dominum, & ille MARIAM.

qui ipsissima pietas, atque humanitas, ipsissima misericordia, claritas, ac benevolentia est, coronari digna habita fuit. Unde meritò illi dixit Richardus Victorinus cap. 23. in Cant. *Et quid mirum misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti. Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent. Cùm enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti.* Unde præclarè Sanctus pronunciavit Ambrosius, quòd Virgo æternæ pietatis Coronam Deo, ejus misericordiâ coronata, ut ei vicem pro tanto rependeret munere, imposuerit. Dum enim Humanitate nostrâ Dei Filius à Matre est circumdatus, quid aliud quàm pietatis, ac benevolentiæ coronâ redimiri, visus est. Unde Humanitas Græco idiomate φιλανθρωπία, hoc est, amor hominum interpretatur. Quem ille amorem hominum, seu benevolentiam, ac pietatem in utero Virginis, ceu humanitatis omnis schola didicisse visus est. Quòd nobis insinuavit P. Andreas Cretensis Episc. orat. in salut. Angelicam: *Dei Filius naturâ suâ sanctus in Virginis, ceu naturæ officina, quoad Incarnationem se mirabiliter conclusit. Humanitatis enim studiosus fuit.*

Paludamentum B. V. est ejus Misericordia.

89. Quòd porrò Reginæ nostræ Regium paludamentum sit ipsa ejus misericordia, ac pietas, quâ velut amplissimo quodam longè, latéque diffuso pallio mortales omnes, atque adeò mundum universum complectitur, obtegit, protegítque adversus fulminantes divinæ iræ, ultionísque Sagittas, ostendit ipsa benignissima Deipara sanctissimo Patriarchæ Dominico, qui ex hac vita decedens, séque, suósque spirituales filios ipsi commendans, audire hæc verba mellislua ex ore Virginis promeruit quemadmodùm ipsa revelare dignata fuit S. Brigittæ lib. 3. Revelat. cap 17. sic igitur Dei Mater: *o Dominice amice dilecte, qui dilexisti me plus, quàm te ego sublato mantello defendam & tegam filios tuos, nec non & omnes, qui in Regula tua perseverant, salvabuntur.* Quid porrò hic mantellus, sive pallium sit, mox indicat: *Mantellus verò meus latus, misericordia mea est, quàm nulli fiducialiter petenti denego; sed omnes, qui quærunt me, sub misericordiæ meæ sinu proteguntur.* Hæc Dei Mater, quibus ex verbis quasi per fenestellam quamdam crystallinam effusissima planè, atque tenerrima eximiæ ipsius pietatis, ac misericordiæ viscera, propensissimámque mortalium miseriis compatiendi voluntatem licet intueri.

B. V. pallio misericordiæ suæ omnes homines obtegit.

90. Hoc porrò misericordiæ Virginalis pallium, quàm amplum, quàm longè, latéque patens sit, totúmq; terrarum orbem ambiat, complectatur, & obtegat, mirificè nobis ob oculos proposuit Joannes Apostolus Apoc. 12. Ubi Virginem specie mulieris sole amictæ se vidisse memorat. Si enim sol totâ amplitudine suâ 166. Et ampliùs terræ globum comprehendit, & amictus, palliúmque Deiparæ solaris est, consequitur profectò usquequaque illud diffundi, totúmque mundum eo contegi, ipsósque Antipodas illo operiri. Et jure sanè merito misericordia Virginis solari pallio comparatur. Quemadmodùm enim sol iste oritur super bonos & malos, ita ejus pietas absque ullo personarum discrimine omnibus se communicat, omnes illuminat, omnes calefacit; ita, ut nemo sit, qui se abscondat à calore ejus. Unde S. Bernard. ser. de Verbis Apoc. Docet Virginem quâdam solis naturâ, ac Virtute pollere. *Putásne*, inquiens *ipsa est sole amicta mulier? nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se se exorabilem, omnibus clementissimam præbet omnium denique necessitates, amplissimo quodam miseretur affectu.*

Idem Bernardus misericordiam hanc Virgineam, quâ contegit, protegítque totum hoc universum, solem agnoscens ser. de Aquæ ductu sic loquitur: *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, uti dies! Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris ubique magni & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissima tenebræ relinquuntur?* Quàm verò solare hoc Virginis pallium calens, lucidúmque sit, lucem, calorémque iis, quos protegit, communicans, ostendit idem luculenter Doctor mellifluus serm. cit. de Verb. Apoc. ubi *candidissimus sanè*, inquit, *sed & calidissimus hujus mulieris amictus; cujus omnia tam excellenter irradiata nascuntur, ut nihil in ea, non dico, tenebrosum, sed obscurum saltem vel minùs lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari.* Cujus caloris lucidísque in mortales omnes effusissimam communicationem, atq; æquissimam distributionem pulchrè innuit sapiens Idiota, in Prologo contemplat. De B. V. *Beatissima Virgo Maria*, inquiens, *sicut est omnium Regina, sic & omnium Patrona, & Advocata, & cura illi est de omnibus. Longè enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ; propinquos per spiritualem devotionem consolationis suavitate; præsentes sibi in patria excellentia gloriæ; & sic non est, qui se abscondat à calore ejus id est, à claritate & dilectione ipsius*, Sic Idiota.

Calor & lux Pallii Mariani, seu protectionis illius.

Beata V. omnibus præstò est auxilio suo.

91. Quàm verò amplum hoc misericordiæ Virginalis pallium sit, quo orbis protegitur universus, S. Bonaventura in suo Psalterio declararavit, ita illi concinendo: *Benedicite Virginem in toto corde vestro, misericordiâ enim illius plena est terra.* Et alibi, Pluviæ misericordiam ejus conferens: *Misericordia tua*, inquit, *ò Virgo rigat universum. Idiota denique amplitudinem hujusce pallii omnes protegentis in eodem prologo agnoscens. Tanta*, inquit, *est ejus benignitas, ut nulli formitandum sit ad eam accedere, tantáque misericordia, ut ab ea nemo repellatur.* Celeritatem denique, quâ prompta est nobis suæ misericordiæ lucem, calorémque impendere judicat ipsa velocitas solis, vir Malachias C. 4. ideo alas dedit: *Orietur nobis sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Mathematici tantam solis velocitatem esse demonstrant, ut asserere non dubitent: illum unâ die conficere Millionem, & centum 40. millia milliarium, quod tantum est, ac si quinquagies ambitum & gyrum terræ circumcurreret. Hæc misericordiæ Virginalis promptitudo designata est in egregia illa Heroina *Ruth, quæ*, ut docet S. Bonav. in spec. c. 5. interpretatur videns, & festinans, *& designat*, inquit, *B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & benè festinans fuit in actione. Videns enim nostram miseriam, fuit festinans ad impendendam suam misericordiam.*

Festinat ad succurrendum Deipara.

92. Quam licèt erga Religiosos omnes benevolentissimam semper ostenderit, ostendit tamen vel maximè erga Religiosissimum Prædicatorum ordinem, cujus semper peculiarem curam jam pridem ab ipsis primis incunabulis habuisse visa est, ut fusè ostendit P. Hyacinthus in Ord. Prædicatorum appellat. Cap. enim 2. eam singulari titulo præ aliis Matrem ordinis Prædicatorum pietatis, misericordiámque plenissimam esse declarat; tum, quâ ratione eadem eundem hunc ordinem velut nobilissimum Ecclesiæ fœtum conceperit, ac pepererit atque, quod planè admirandum est, purissimo suo lacte nutrierit, quod ipse non uno, aut altero, sed pluribus, iisque luculentissimis patefacit exemplis. Quorum nonnulla hic obiter ad communem fidelium ædificationem recensere libet, ut peculiaris Virginis noster amor in hosce Viros Apostolicos Filii sui dilectissimi imitatores ac spiritua-

Prædicatorum ordo speciatim dilectus B. V.

les

les Fratres elucescat. Verissimum enim est Divi Ambrosii lib. 1. de Abraham cap. 7. Saram filium suum Isaac propriis uberibus lactantem considerantis, pronunciatum. Cùm enim præmisisset: *Provocantur fœminæ, meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos; Hæc enim Matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris*; conclusit tandem: *Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ Matres lactaverunt uberibus suis.*

S. Dominicus uberibus B. Matris pascitur.

93. Hujusmodi Virginis dilectur Filius ab ipsa purissimis ejus lactatus mammellis, exstitit ipse S. Patriarcha Dominicus, uti B. Alano de Rupe ipsa Mater Sanctissima revelare dignata est, uti is Par. 2. Psalterii c. 3. testatur: Postquam enim Vir Sanctissimus & animarum calentissimus omnem posuisset operam ad Albigenses hæreticos convincendos, ac convertendos, Rosariique recitandi piam consuetudinem in Ecclesiam, ad Reginam cœlorum salutationibus Angelicis velut rosulis coronandam, induxisset, cùm se ludere operam in eorum conversione animadvertisset, Zelo exæstuans, ac dolore, inquit Alanus, in cavernosa proximæ sylvæ abdita se se aliquando solum conjecit, ad Deiparæ suæ impensiùs opem implorandam. Jejunia precibus jungit, corporísque diras castigationes. Inter hæc triduum tenuerat, pœnas de se pro Tholosanorum culpis repetens, diverberare corpusculum sibi rubis ac sentibus non desinebat, dum viribus defectus semianimis corruisset. Collapso, ac cruentato adest cœli Regina potens, ac vultu, affatu, amplexúque jacentem excitat, velut redivivum. Tres aliæ Virgines vultu, cultúque persimiles adstabant cœlitum Reginæ, nisi quod inferiores; quarum unamquamque sicut pedissequæ Virgines, 50. circumsistebant, forma omnes super hominem augustiore, armis illustres, obstupuit hoc viso S. Dominicus; ad quem alma Virgo Parens: *Dominice*, inquiens, *fili, ac sponse intime; quia adversus inimicos fidei, inspirante JESU, méque opitulante depugnasti fortiter; ecce tibi ipsa, quam invocas adsum auxilio.* Dixit, simúlque Reginæ tres humi levatum, quasi seminecem piissimæ sistunt Mariæ. Quem illa in Virgineos acceptum amplexus osculo fixo dissuaviabat, & apertis castissimi pectoris uberibus appressum, lacte suo potavit, integræque restituit valetudini. Tum his ex intimis eum affatur visceribus: *Dilectissime Fili Dominice, nunquid probè nosti, quæ & qualia arma Trinitas ter Sanctissima usurpavit, cùm orbem totum reparare statuisset?* Cui ille. *O Domina mundi! tu nosti me præclariùs. Per te namque salus mundo advenit, per quam te Mediatrice mundus reparatus, ac redemptus est.* Quæ arridens famulari Sponso: *Trinitas*, inquit, *Beatissima ad orbis expugnanda scelera universa, præcipua sibi inter arma delegit Angelicam salutationem, quâ nostrum constat Psalterium, totius novi Testamenti fundamentum. Quocirca, si vis, quem optas, imprecando fructum; meum prædica Psalterium, & mox persenties Ter Maximæ Trinitatis auxilium.* Hæc Alanus.

Salutationis Angelicæ vis ad mundi salutem.

94. Cujus beneficii planè singularis ipse quoque utpote Deiparæ Virginis amantissimus Filius, ac sponsus particeps esse meruit, post septennem cum Tartareis larvis luctam ac certamen verberúmque tolerantiam. Cùm enim ab hoste maligno nulla ipsi esset vel die, vel nocte quies, Mater benignissima inter illa tam atrocia certamina se se illi spectandam exhibuit, ejusque gemitus lacrymásque consolata, sua purissima illi ubera sugenda propinavit, tandemque veluti ferocissimorum hostium victori, ac Triumphatori, Rosarii coronam, simul annulum cœlesti planè artificio ex suis crinibus propriâ manu contex-

B. Alano de Rupe B. V. rosarium, & annulum artificiosè concinnatum donat, & ubera sugenda præbet, dum à dæmonibus infestatur.

textum, in sui amoris erga ipsum pignus æviternum, mira charitatis significatione donavit.

Plures lacte B. V. pascuntur, ex ordine Prædicatorum B. Henricus Suso.

95. Eisdem benedictionibus dulcedinis præventus fuit à B. V. B. Henricus Suso, Germaniæ, in ejusdem Religionis cœlo, sydus illustrissimum, Divinæ sapientiæ, ejusdémque Parentis amator ardentissimus. Hic cùm, teste Surio, in ejus vita cap. 20. gravissima sibi aliquando laboraret, eam cœlesti quodam liquore, tum lacte suo purissimo sedare non est dedignata. Nocte proximâ, inquit ille, in visu, cælestis quædam miri decoris persona illi apparens: Ego sum, inquit, Virgo Mater, quæ nocte præteritâ potum tibi præbui ex poculo testaceo; & quoties iterum tam infestâ siti cruciaberis, ego itidem te reficiam, miserta tui. Tum ille magnâ fiduciâ ad eam ait: Nihil tamen Virgo intemerata in manibus habes, quo meam possis levare sitim. At illa: Potum, inquit, salutiferum tibi præbebo, ex ipso corde meo manantem. His auditis Henricus cùm se tali gratiâ indignum arbitraretur, attonito similis respondere non potuit. Quem Virgo, benignè consolans, ita allocuta est: quandoquidem Dominus tam suavis tuo se cordi immersit, idque oris tui ariditate, atque cruciatu promeritus es, singulari hâc à me consolatione afficieris. Neque verò corporali potu te reficiam, sed salutari quodam præstanti, ac spirituali veræ ac integræ puritatis. Quo potu cœlico ubi abundè recreatus est, in ejus ore molle quoddam nivei coloris, dulcissimíque saporis granum, Mannæ quàm simillimum, satis diu ore continuit; quo tam singulari affectus beneficio in uberes effusus lacrymas, maximas animitùs Deo, eíque Matri benignissimæ persolvit gratias. Intereà eâdem nocte ipsa cuidam Viro Sancto se se visendam alibi exhibens, totius rei gestam seriem eidem enarravit, addidítque: Vade ad Filii mei ministrum, & dic ei Verbis meis: Quemadmodùm literis proditum est de præclaro illo Doctore Joanne Chrysostomo, quòd, cùm Puer Scholasticus esset, & ante aram se demitteret in genua, ubi ego ipsa in lignea imagine Filium meum in sinu meo lactabam, per eandem Imaginem divino Filio, ut paulisper cessaret, sineretque Puerum ante dictum mea ubera sugere, effeci; Dic, inquam, eandem gratiam in visione ipsi quoque per me præstitam esse. Atque in veritatis argumentum, si animadverteris, senties deinceps doctrinam ex Sancto ejus ore proficiscentem auditu longè, quam antehac gratiorem, ac ferventiorem, ac magis desiderabilem. Hactenus Virgo Beatissima. Neque verò Viris tantùm hujus sacræ Religionis, verùm etiam Mulieribus, velut filiabus sibi dilectissimis utera sua castissima sugenda exhibere dignata fuit Misericordiæ Mater benignissima. Scribit Joannes Gavastor in opere de Sanctis Tertiariis ordin. Prædicatorum lib. 2. cap. 3. Sanctam Catharinam Senensem Dei Matris, ejúsque dilectissimi Filii peculiare delicium, inter eximia illi cœlitus indulta privilegia, illud fuisse non postremum, quòd Angelorum Regina cœlo delapsa post suavissima colloquia, post castissima oscula, maternósque amplexus sacratissimis suis uberibus illam admoverit: Et ut Virgineo lacte non solùm labra proluerit, verùm etiam ipsum misericordiæ sinum cœlestis nectaris munere ebria velut exhauriret, inaudito propemodum hactenus privilegio impertiri dignata est. Non hìc Divum Bernardum refero, quem Virgo Mater mirifica in ipsum charitate, ter omnino, purissimo suo lacte reficere non est dedignata, de quo To. 2. Disc. 31. n. 42. & hoc similiter Disc. pluribus actum. Non de Fulberto Carnotensi, & Clerico illo Narbonensi, qui Virgineo lacte non modo refecti, verùm etiam lethalibus morbis liberati sunt; quos Virgineorum

S. Catharina Senensis.

S. Bernardus

Fulbertus Carnotensis.

gineorum uberum tam eximios effectus S.Brigitta considerans, in Orat.4. Divinitus revelata jure merito exclamavit: *O Domina mea & illuminatio mea! benedicta sint Ubera tua sacratissima super omnes dulcissimos fontes aquarum; quia sicut aqua ipsorum scaturiens præbet solamen, & sitientibus refectionem: sic tua sacra ubera Filium DEI lactantia præbuerunt nobis indigentibus medicinam & consolationem.* Quis quæso tam effusam Divinæ Matris pietatem, ac misericordiam ardentissimámque sacratissimi illius cordis velut exæstuantis fornacis Divini amoris charitatem considerans, licèt glacialis & adamantini cordis, non totus liquescat ac fluat, & à sensibus admirationis vehementiâ abstractus, non obstupescat, tantáque pietate, amoréque Virginis non absorbeatur, & cum eadem Sancta non exclamet: O Domina mea, lætitia cordis mei, Virgo Maria! glorificetur, & veneretur cor tuum reverendissimum, quod ad Dei honorem ita ardentissimum erat super omnes creaturas cœli & terræ, quod flammâ charitatis ejus in Cœlorum celsitudinem ad Deum Patrem ascendit. Propter quod Dei Filius à Patre cum Spiritûs S. feruore in uterum tuum gloriosum descendit, qui tamen à Patre separatus non exstitit, quamvis secundùm DEI præordinationem in suis Virginis visceribus homo natus honestissimè fuit. Nec hic Virginis Matris in lactandis genuinis Ordinis Prædicatorum Filiis stitit pietas. Eadem enim in adversitatibus in gravissimis persecutionibus mundique insidiis eosdem sub suæ misericordiæ Mantello sive pallio benignissimè protexit, tum vel maximè cum Innocent. IV. Pont. Maximus, qui ante ordinis illius eximius fautor, ac protector extiterat, infestissimus hostis evaserat, ob nepotem suum juvenem præclarissimæ indolis, morúmque elegantiâ insignem, in quem totius suæ stirpis, quæ erat Fliscorum, spes reposuerat, in eum ordinem se inscio, ac invito receptum: Quam tempestatem ipsi Cacodæmones multò antè prænunciâru t, ut refert Gerardus Lemovicensis lib. de vita F. F. Prædicatorum Par.4.cap.15. Sic enim ille: Cùm Frater quidam multùm Religiosus tempore P.Innocentii IV. Super quemdam ligatum Dæmoniacum devotè oraret, cæpit clamare per os ejus Diabolus: O quot mala facitis mihi vos Prædicatores & vestri minores! sed in brevi nos vindicabimus de vobis: Cúmque eum Frater per Crucifixum adjuraret, ut diceret, quomodo, coactus respondit. Duo de magnis Principibus nostris exierunt contra vos, unus, ut Principes in vos concitet, alius, ut vos mutationibus locorum, & ædificiorum & librorum & opinionum impediat, ac perturbet. Cui prædictioni cùm respondisset eventus, & Prædicatorum ordo ab Innocentio multas sufferret injurias, ac persecutiones, boni Patres ad Protectionem Virginis, velut ad Asylum, Arámque salutis confugientes, sub amplissimo illo misericordiæ ipsius se se absconderunt paludamento, assiduis apud eam magno pietatis sensu effusis precibus, ac litaniis contendentes, ut eos à tanta, totiùs Ordinis tantopere sibi dilecti, calamitate liberaret. Dum hoc pietatis in Virginem exercitium per omnia totius orbis cœnobia peragitur, Romæ majori æstu desæviente tempestate, Fratribúsque in Monasterio S. Sabinæ cum lacrymis Deiparam deprecantibus, cuidam ex illis visa est Christo in majori Ara sedenti, lacrymantis suæ familiæ misserta adgeniculari, & unâ manu filii brachium complecti altera prostratos ac mœrentes suos alumnos ostendere, illud ingeminando: *Fili exaudi eos, Fili exaudi eos.* Hujus persecutionis tempore Angelicus Doctor Parisiis degebat, quem mirum, quantum ea premebat calamitas; quam ut averteret Dei Mater pi-

Ordo P. P. Prædicatorum pallio B. V. protegitur.

Per quietem cœlitus Angelico doctori monstratur brevi ærumnas quas ipsius ordo patiebatur, sortituras finem.

issima solito suo in ipsam affectu fiduciáque eam deprecabatur. Nec irritæ ipsius cecidere preces. Per quietem cœlitus ipsi factâ revelatione monstratum est, brevi ærumnas illas quas ordo ipsius patiebatur, finem sortituras. Visus siquidem est sibi cernere Patres deplorato illo casu dejectos atque afflictos oculis in cœlum defixis, Dei ejúsque Matris benignitatem ardentiùs implorare & mox se se invícem ad quidpiam contuendum lætioribus animis exhortari, quibus ipse quoque se associans vidit, legítque aureis literis verba hæc exarata: *liberavit vos Deus ab inimicis vestris, de manu omnium qui oderunt vos.* Plodius lib. 2. de viris illustribus col. 349. Pater quoque Ferdinandus Diaz vir Pietate literísque in illo sacro ordine conspicuus, dum hic tam atrox adversitatem turbo desævit, instantissimis ardentissimísque precibus cum sanctissima agebat Virgine, ad ejúsque ubera pendens obsecrabat, ut illis in tanta tribulatione foret propitia, inter deprecandum levi sopitus somno, visúsque sibi est mediis in agris fœdo horrendóque quodam se ventorum turbine abripi, tonante, fulminante, & extrema omnia orbi cœlo comminante. Cernebat plura Dæmonum agmina per aëra ab occidente in orientẽ equitantium, à quibus ingens perstrepebat armorum fragor. Videbat ab oriente Christum, quem Imperatorem sequebantur innumeræ Angelorum cohortes, ac myriades, ex adverso occurere. Præferebatur pretiosissimi Agni Christi Vexillum rubricatum sanguine cum illa epigraphe *JESUS Nazarenus Rex Judæorum.* Dum hæc Ferdinandus attonitis sensibus in terrámque prostratus intuetur, Christus ad illum deflectens, mox jubet assurgere: & hæc suis edicere: *Fratribus tuis ex me refer, Deum ardenter diligant, colántque, bono sint animo nec quidquam metuant; victi quippe ac profligati jacent, à quibus dura ista vobis est illata calamitas;*

Ord. Prædicatorum Ferdinando Diaz Christus innumera Angelorum militia stipatus prævio Vexillo rubro comparuit, cúmque solatus & fratres sui ordinis.

His Salvatoris verbis in spem erectus Ferdinandus, rursus misericordiæ, Parentem majori, quo poterat, devotionis ardore deprecatur, uti in deplorato suæ Religionis naufragio materni officii, amoris, protectionísque piissimæ memor quantocyus opituletur. Dum preces has cum lacrymis gemitibúsque iterat, adest illico cœli, misericordiæque Regina benignissima, & grande illud præclarúmque beneficium quod ex Christi aspectu, alloquióque acceperat Ferdinandus, Materni sui in Prædicatores amoris luculentum esse argumentum asseveravit. Unde tibi inquiens tanta merita, ut eximio illo favore Filius te meus dignatus sit? Nimirum id ego tibi sicut & toti ordini victoriam, hostibus criminis pœnam obtinui.

96. Quam porrò fidelem se se Virgo in verbis hisce ostenderit patefecit eventus; non ita multò post Innocentius inopinatè è vita tollitur, & succedente proximè Alexandro IV. omne istud nubilum velut sol exoriens, favoris sui luce discussit, ordinémque amplissimis privilegiis exornavit, & decreta illa quæ postremus contra Prædicatores sanxerat, nulla esse voluit. Mors hæc Innocentii adeò repentina, mirum, quantos animorum motus tam in Romana curia, tum tota Italia in Prælatis vel maximè concitavit. Ab omnibus enim & ab ipso Innocentio credita fuit à Vindice Deo Justissimo Judice tantarum tribulationum, quas ipsius servi nullo suo merito passi sunt, fuisse ad aliorum terrorem illatam. Is enim pœnitentiâ ductus, quod tot tantásque injurias viris illis Religiosissimis intulisset, moribundus ingemuisse fertur, atque in illa verba mœrens prorupisse: *Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* Unde deinceps in Italia parœmia illa celebrata est. *Cavete à Lytaniis Prædicatorum, quia faciunt mirabilia.* Certè B. Thomas Cantipratanus lib. 2.

B. V. fedat motum in Religiosos Ord. S. Dominici Concitatum.

Lytaniæ Religiosorum ord. S. Dominici hostibus tremendæ.

Apum cap. 10. n. 21. scribit sanctos Dominicum & Franciscum Innocentii Judices à Deo fuisse constitutos, quòd eorum sacros ordines divexâsset. à quodam sanctissimo viro, inquit ille, extra muros Urbis Romæ manifestissimè Innocentius visus est dari mortuus sanctis Dei Francisco & Dominico judicandus. Non ita multò post alia tempestas à Guilelmo quodam de sancto Amore, canonico Heduensi, Doctore Parisino, cum aliquot asseclis concitata; & qui editis libris famosísque libellis tam ordines Divi Dominici, quàm Francisci acerbissimis calumniis proscidérunt, quos S. Thomas Aquinas & Bonaventura gravissimis in lucem datis apologiis confutârunt. In his angustiis sacer Prædicatorum ordo constitutus suo more rursus, Humberto generali Auctore, recursum ad patrocinium Virginis accepit, & toto orbe indictæ preces, quæ cœlo imperantis benignissimæ Dei parentis commovêre viscera, ut præsentissimum suis filiis labentíque ordini auxilium adferret.

Erigit in spem anxios, & deprimit suorum Clientum calumniatores.

97. Quod Virginis ergo sacram hanc Religionem admirabili quodam viso Jacobo Cisterciensi Cœnobii S. Galgani juxta senas ostendit, ut scribit Gerardus Lemovicensis Par. 1. cap. 5. de viris illustr. Prædicatorum, dum enim aliquando solito ferventiùs oraret, numerosam candidatorum ardentes faces gestantium ad Prædicatorum Monasterium Proficiscentium multitudinem conspexit. Procedebat media inter illos augustioris aspectûs ac formæ Princeps quædam fæmina quam omnes demissè venerantes salutabant. Hæc ubi in Regio consedisset Throno, eò loci, ubi major nunc Templi ara visitur, Matrona quædam vultu squallido, sparsis capillis, discissa veste Reginæ vestibus provoluta est, uberibúsque perfusa lacrymis miserum in modum se ab hostibus oppressam conquerebatur, tantorúmque malorum levamen deposcebat. Mater inquiens, mea es, tu me concepisti, peperisti, mamillis propriis lactâsti, innumeris donis ornâsti; nunc fer opem innoxiæ tantóque hostium furori me eripe. Cui Regina, Filia, hac calamitate improborúmque Tyrannide ne frangaris; animos resume; ego succurram, quidquid in te sceleris commissum est, impune non erit; ego ulciscar. Promissis hisce fidelissimis stetit omnino Virgo pientissima, quod Christus olim spopondit Apostolis, daturum se os, & sapientiam, cui non possent ipsorum contradicere Adversarii; præstitit venerabili huic ordini. Albertum enim verè sapientiâ virtutéque magnum atque eximium, & Hugonem Cardinalem de S. Caro instruxit solidâque doctrinâ armavit, ut coram Alexando IV. accitum Guilelmum, Canonicum illum, reliquorum Adversariorum Antesignanum magno rationum pondere represserint, eorundémque falsa dogmata, cavillationésque expugnârint. Alexander publico decreto sancivit, proscripsit, dirísque auctoritate Pontificia devovit, ac demum publicè flammis cremandum demandavit. Accusatorem verò dignitate omni, beneficiísque Ecclesiasticis exuit, proscribsit. Sanctissimus verò Ludovicus IX. Galliarum Rex, eundem Guilelmum infamem blateratorem probroso ex omnibus Regni sui finibus exilio mulctavit; uti & reliquos ipsius asseclas. Quæ omnia Hyacinthus choquetius citato libello cap. 14. concludit Cantipratani dicto illo memorabili. *Caveant ergò maledici, & impii detractores, ne contra Patrocinium Matris Christi, ejus filios insectentur, & iram patrocinantis, ac defendentis incurrant.*

98. Ex hactenus dictis clarè perspicere licet Deiparam Virginem Reginam Matrémque esse misericordiæ, quæ sub suæ protectionis amplissimo pallio tum clientulos omnes, tum præsertim Prædicatorum ordinem fovet ac tuetur, ejúsque coronam ac

B. V. protegit Ordinem P. Prædicatorum.

Sceptrum, Regiúmque paludamentum ipsissimam esse misericordiam, sub qua in tribulationibus, angustiis in hujus vitæ denique miseriis ac calamitatibus suos clientulos abscondit.

Mirabiliter etiam succurrit sæcularibus.

99. Sed ne solos Religiosos sub Misericordiæ Virgineóque pallio delitescere, eóque protegi asserere velle videamur, seclusis aliis, è Sæcularibus unum alterumvè recensere fide dignissimum exemplum libet, quo mirè declaratur, quòd hæc protectio Virginalis misericordiæ se se etiam ad homines mundi eam piè venerantes, déque illa confidentes, extendat. Scribit Abbas Palladius in prato Spirituali. Joannis Moschi cap. 75. rem planè admirabilem, quæ nobis protectionem hanc pientissimam Deiparæ ob oculos proponit: Erat, inquit ille, in Alexandria Vir quidam fidelis, religiosus valdè & misericors & hospitio suscipiens Monachos. Habebat autem uxorem & ipsam humilem valde & jejunantem quotidie. Erat autem illis filiola quasi annorum sex. Quadam verò die vir ille pius profectus est Constantinopolim; erat enim negotiator. Relictis ergo Domi uxore, & Puella & uno servo abiit, ut navigaret. Cùm ergo iret ad navim, ait ad illum uxor: Cui nos commendatos relinquis, Domine, Respondit ille: Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitrici. Die vero quadam cùm sederet uxor, & operaretur, habens & Puellam secum, servus ille ex suggestione Diabolica voluit necare Dominam, & ejus filiam, & diripere quidquid haberent, & fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro perrexit in triclinum, ubi erant ambæ. Cùm ergo venisset ante januam, comprehensus est cæcitate, ita ut neque triclinium ingredi, neque ad coquinam reverti posset. Cùm autem unâ fermè horâ perstitisset, frustráque conaretur ingredi, cæpit vocare Dominam suam dicens: Veni hucusque. Illa admirans, quòd in medio Januæ persistens ad illam non graderetur, sed clamaret: ait illi. Tu magis huc veni, ignorans, quia cæcitate teneretur. Puer autem incepit illam adjurare, ut iret prope illum. Illa verò juravit se non ituram. Tunc ait illi: Mitte vel Puellam, quæ noluit, sed ait: Si quid vis, ipse potius veni. Videns autem servus quòd nihil potuisset agere, se ipsum gladio percussit, & corruit: Domina verò illius, cùm vidisset, quod egerat, clamavit, continuóque vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem & ex officio Prætorii nonnulli, puerúmque reperientes adhuc vivum didicerunt ab ipso omnia, & glorificârunt Dominam, quæ ostenderat miracula, & Matrem Salvaverat cum filia. Quis igitur his intellectis maxima cum fiducia hujus Mercatoris exemplo & se se, & sibi commissos, & familiam universam sub Virgineæ misericordiæ pallium, tutelámque non abscondat, cùm clarè perspiciat, à Deipara gloriosissima clientulos, qui ipsius se obsequio dediderunt, materna planè curâ, ac solicitudine adversûs omnes hostium insidias prodigiosè protegi, gubernari atque defendi. Quare Rich. à S. Laurentio lib. 2. de laud. B.V. part. 1. inter causas ob quas serviendum sit Deiparæ, jure 24. m. numerat illam: Quia potentissimè protegit servos suos, à mundo, carne, Diabolo, eámque ob causam nos ei dicere posse: *Esto nobis Domina turris fortitudinis a facie inimici.* Et illud Job. c. 17. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.*

100. Neque recentiora hoc nostro Sæculo hujus pientissimæ protectionis Virgineæ desunt exempla. Memorabile sanè illud est quod Joannes Bonifacius noster lib. 3. de Hist. B.V. ex Provinciæ Lusitaniæ Annalibus à Patre Bencio conscriptis, ita recenset. Anno 1587. 9. Calend. Novembris, die Sabbati, atra quædam nubes è littore Atlantici maris supra Lulæ oppidum in Alagarbiensi Provincia in dorso editi montis sito se intendit, atque B.V. in tempestate succurrit.

in

In sublime elata eam partem operuit montis, in qua directis quibusdam viis plurimæ sunt ædes, non valde ab oppido disjunctæ. Tum valido sollicitata vento effusum imbrem, quo nullum majorem illis locis memorant fuisse, cum sonitu dedit. Tres horas desævit tempestas. Octoginta domos à fundamentis evertit, conquassavit ducentos, multos mortalium rapuit, egítque nullo discrimine. Oppidani enim tam ancipiti permoti malo moliri primò aliquid, omnia cùm ruinaret tempestas, incerti animi, fessis corporibus, consilium, cui impares erant, eventui reservârunt. Tenebræ intereà conduplicari, cœlum tonitru contremiscere, micare ignes, & glomerari aqua inter fragores; Quos fæminarum ululatus, puerorum gemitus faciebant horrendos. Visæ etiam, aut ex metu creditæ, ut nonnulli dixerunt, obequitantes humanâ specie umbræ per gurgites subjectos. Ita capti auribus, oculísque metu omnes torpere. Mox videre erat aliquos modò pectore, modò oretenus extantes ad postremum ferè fluctibus absorptos. Augebant terrorem, fugámque impediebant disjuncti passim parietes ædium permixto instrumento, cunctáque supellectili, miseranda item cadavera uno agmine innatantia.

B. V. protegit Alutarium quemdam in tempestate horrenda.

101. Neque tamen hæc inter nullus radius B. Virginis afflictorum consolatricis affulsit. Erat Alutarius quidam cum uxore & liberis quinque pene infantibus, habebat in ædibus Imaginem DEI Parentis, quam religiosè colebat; Rosarium huic proximum ad parietem è clavo appensum. Ad hanc Sabbatis lucernam accendebat. Unde in tanta tribulatione Virgo Beatissima velut Illuminatrix ei favore suo, protectionéque affulgere. Sic, eodem Sabbati non est dedignata. Itaque ad commune periculum evadendum salutata priùs Deipara, domo exit, reliquâ familiâ relictâ, & cum vicinis ut innundationem prohibeat, elaborat. Dum operi instatur, comites omnes obruuntur, immotus ipse Alutarius protectione Virginis in eodem hæret vestigio. Quin & puerum qui ferebatur vortice, manu apprehensum imponit in humeros: *At tu*, inquiens, *qua es ætate innocens, ac simplex, ut nos liberet, Dei Matrem comprecare.* Hæc fatus, ne fluctibus intercluderetur affluentibus, ad integræ cujusdam domus limem evadens cum servato puero stetit incolumis. At domi ejus res majori erat in periculo, ingressis aquis, quæ officinam ipsius omnem exhauserant, omnibus pellibus artísque suæ instrumentis ejectis, omnia occupabantur: Filiis tantùm, Matríque parcebatur, qui ante Tutelarem Dei Matris Imaginem in preces se se effuderant. Post hujus Tempestatis abscessum, omnibus, & lychnuchus pensilis, accenso igne, & intacta imbribus Virginis tabulam, & incolumis paupercula illâ à Protectrice Matre ac Regina Misericordiæ defensâ familia miraculo fuit, cùm præcipuè adhuc notarentur superfusi fluminis indicia. Quare pauperi huic alutario tanta cum pietate Virgini deservienti ipsa meritò dicere poterat: *Servus meus es tu, cùm transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te.* Isa. 43.

B. V. semper misericors.

102. Quæ sanè Virginis misericordia, ac clementia tam huic, quàm aliis periclitantibus tam benignè impensa Dei Matrem, utpote totius universi potentissimâ Reginâ quàm maximè decet. Hinc Diocletianus licèt ipse foret crudelissimus, interrogatus aliquando à quodam familiari suo: *Quænam dos in Principe esset potentissima?* sapientissimè respondisse fertur: *Liberalitas, & clementia.* Hinc Alexander severus Imperator, veluti symbolo, verbis illis utebatur: *Nihil magis commendare Imperatorem Romanum gentibus, quàm clementiam.* Hæc enim Regnantibus ac Imperantibus, nescio quid, Divinum conferre,

Principis præcipua virtus clementia.

Deóque æquiparare quodammodo assolet. Quare Claudianus Poëta in Panegyrico Honorii rectè Imperatorem hunc monuit.

Sis pius inprimis, nam, cùm vincamur in omni.
Munere; sola Deos æquat clementia nobis.

B. V. Mater clementissima.

103. Unde M. Tullius orat. pro Ligario: *Homines ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando.* Et lib. 1. de offic. *Nihil est laudabiliùs, nihil magno & præclaro viro digniùs, placabilitate & clementia.* Quamobrem quod aiebat. M. Aurelius Antoninus Philosophus, in suo symbolo: *Regni clementia custos.* Ad quod Principis sapientissimi symbolum allusisse visus est Claudianus, cùm cecinit; *Mundi clementia custos.*

Prosequitur eadem materia.

104. Memorabile sanè est, quòd Imperator hic de clementia, Faustinæ conjugi immitiùs consulenti, ut Cassianæ Rebellionis reos supplicio afficeret, rescripsisse memoratur. Tu Religiosè quidem pro marito, & liberis nostris agis, cum me hortaris, ut Avidii conscios vindicem. Ego verò & liberis ejus parcam, & genero & uxori, sed ad senatum scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut pœna crudelior. *Nihil enim est, quod Romanum Imperatorem melius commendet gentibus, quàm clementia.* Hæc Cæsarem Deum, hæc Augustum consecravit, hæc Antoninum Patrem suum præcipuè ornavit. Denique si ex animi sententia de bello esset judicandum, nec Avidius esset occisus. Secura igitur esto, Dii me tuentur, Diis pietas mea, cordi est. Sic Cyrus ille Xenophonteus nullam virtutem magìs propriam Imperii & potestatis esse affirmat, quàm Clementiam; qua qui præditi sunt, verè Dii nominantur. Quemadmodùm ob hanc multi etiam Reges, ac Principes in numerum Deorum relati apud veteres, postea divinos honores consecuti sunt. Quippe ob hanc Cyri immortalis gloria vivit, Scipionis gloriâ vivit, Julii Cæsaris gloria vivit. Quorum postremus iste, cùm undecies centena millia in acie fudisset, & Romanum hoc Imperium auctoritate & virtute suâ constituisset, tot Regum & populorum solus victor, ac triumphator, tamen ausus M. Cicero ad eum dicere: nullam de omnibus virtutibus ejus majorem, nullam admirabiliorem, nullam diviniorem esse clementiâ & misericordiâ, qua in puniendis inimicis suis fuisset usus, qui nihil oblivisci soleat, nisi injurias; quod pulcherrimum disciplinæ præceptum esse scribit Æschines contra Ctetisphontem. Sic Augustus Cæsar Imperium adeptus, nihil se magìs sibi gratulari dixit, quàm quòd illum gradum jam conscenderit, unde universis benefaciendi facultas præstetur, cùm illud amplitudinis certum sit testimonium, omnes beneficentia promereri.

Nihil Imperatores Reges ac Principes meliùs commendat quàm Clementia quod ostenditur exemplis.

105. Quæ duo, beneficentia videlicet, ac clementia si in Regia quapiam Personâ locum invenêre, invenêre vel maximè in Virgine Deipara, cujus virtutes hæ nobilissimæ Indoli, ac naturæ maximè congruebant. Hoc enim ipso, quod est Mater Christi Domini clementissimi ac piissimi, *qui pertransiit benefaciendo, quoniam Deus erat cum illo.* Act. 10. 38. ut loquitur Apostolorum Princeps. Et ad clementiam benignitatémque, & ad beneficentiam omnem propensissima Deipara esse debuit, ut revera Regium se animum habere ostenderet. Regibus enim Anaxilaus Rex hoc unum felicissimum evenire existimavit, quod à nemine beneficiis vinci possent. Unde Aristonis pronunciatum illud verè Christianum â tota antiquitate celebratissimum extitit, quo cuidam Cleomeni dictum hoc laudanti: *Bonum Regem amicis benefacere, inimicis malefacere oportere, respondit: Quantò præstabilius est amicis benefacere, & ex inimicis reddere amicos?* Quare Sophocles in odipo hoc benefaciendi ac juvandi

B. V. Clemens Mater Christi clementis.

Boni Regis amicis benefacere & ex inimicis reddere amicos.

maximè

maximè inimicos studium, præclarum laborem esse pronunciavit. Quo in labore quia Regina nostra se se mirificè, & dum hic nobiscum in mundo degeret, præclarissimè ac felicissimè exercuit, etiam in cœlis Regnans magna animi sui voluptate exercet, & usque ad consummationem sæculi pro ingenita sibi benignitate semper exercebit; digna sanè omni laude, veneratione atque salutatione censenda est. Si enim Mariam illam Apostolus Paulus ad Rom. 16.v.6. salutandam censuit, quòd multùm in Romanis iuvandis laboravit, pro utilitate videlicet Ecclesiæ, & non-exiguum, sed multum & magnum laborem instituit, ut explicat Anselmus. Et quibus obsecro laudum præconiis, quibus salutationibus pientissima hæc Maria increatæ misericordiæ Mater prosequenda est, quæ laborem suum omnem totius pœnè vitæ suæ decursu, imò & se ipsam totam, quanta est, cum membris suis omnibus, ac facultatibus animæ simul & corporis majori longè charitate, quàm Apostolus se impendit, ac superimpendit; quòd bene Venerabilis Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. B. V. Partic. 2. declaravit, themate hoc sibi prefixo: quomodò Maria Virgo servivit nobis de singulis membris, & sensibus suis in Filio, nec unquam cessat ex iisdem nobis benefacere: Hoc porrò Virginis nostræ mortalibus benefaciendi studium expeditissimum ac promptissimum esse consuevit. *Nescit enim tarda molimina Spiritûs Sancti gratia*, ipsa enim effusissima est, suique communicativa bonitas. Adeò enim in illam superveniens eam replevit, ut & sibi plena, & nobis superplena, de plenitudine sua ultro se se omnibus communicans; adeò ut ei aptissimè symbolum illud Henrici Primi Aucupis congruat: *Tardus ad vindictam, ad benefaciendum velox*. Unde de hac illius velocitate dicebat Parens ejus Salomon: *Facilè videtur ab his, qui diligunt illam, & invenitur ab his, qui quærunt illam: Præoccupat qui se concupiscit ut illius se prius ostendat, qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet, quoniam dignos se ipsa circumit quærens & in viis ostendit se illis hilariter & in omni providentia occurrit illis.* Hinc S. Evangelista Lucas memorat eam charitate Spiritûs Sancti plenam, abiisse in montana cum festinatione, ut suâ misericordiâ Joannem ab originalis peccati miseria liberaret, Unde S. Bonav. in spec. c. 4. *quid eam* inquit, *ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas quæ in corde ejus fervebat.*

Reges decet esse tardos ad vindictam, veloces ad præmiandum.

Charitas coëgit B. V. abire in montana cum festinatione.

106. Quapropter ob assiduam hanc illius ultro nobis benefaciendi nostrique miserendi voluntatem, undique nos ejus beneficentia ac miserationibus circumdatos ac veluti coronatos pietatisque ejus pallio omni ex parte protectos, animadvertentes, quod Regius Psalmista Filio, hoc nos Matri, jure meritissimo concinere possumus: *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.* Psal. 102.

B. V. omnibus ultro cupit benefacere.

107. Dum enim hujus Reginæ misericordissimæ cujus corona Regia pietas est, cujus paludamentum ipsissima est clementia, & misericordia, tot beneficiis, ac bonitatis visceribus quodammodò circumdamur; quid aliud agere videtur illa? quàm nos in misericordia & in miserationibus coronare? miserias nostras suæ effusissimæ Bonitatis communicatione tollendo, & capacissimum illud animæ nostræ desiderium, quod summo solùm bono completur, bonis omnibus adimplendo qua misericor-

B. V. Regina misericordissima.

diæ ac miserationum Virginis coronâ nos quoque ab illa redimiri intelligens, ejus Psalmista Seraphicus, jucundè ipsi concinebat Psal. 102. *Benedic anima mea Matri JESU Christi, & omnia præcordia mea glorificate nomen ejus. Ne oblivіscaris beneficia ejus, nec gratiam & consolationem illius. Gratia ejus peccata relaxantur & misericordia ejus ægritudines repelluntur. Benedicite ei omnes virtutes cœlorum, glorificate eam chori Apostolorum & Prophetarum. Benedicite ei Mare & Insulæ gentium, Hymnum dicite ei cæli, & habitatores eorum.*

B. V. firma tutela luctantium cum morte.

108. Etsi verò summopere exoptandum sit, ut hac Virginearum miserationum coronâ ab ipso Matris utero, cùm lucem primùm aspicimus, ab ipsis primis incunabulis circumdemur, misericordiæque ejus pallio protegamur, quod multis sibi devotis clientulis fecisse passim legimus, desiderandum tamen vel maximè, ut nobis ex hac vita decedentibus hoc misericordiæ suæ pallium super nos expandat, ut nos adversùs Tartareorum hostium insidias protegat lectulúmque nostrum Angelorum Sanctorum, reliquorúmque pientissimorum cœlitum, quorum patrocinia & suffragia postulavimus, coronâ circumdet, suæ consolationis melle, absque omni timoris aculeo nos Apis hæc Virginea reficiat, atque in horribili illo ultimo cum morte agone, atque lucta, cœlestium Agni Christi Nuptiarum mella, deliciásque nos faciat saltem primoribus labris delibare. Mella hæc, deliciásque cœlestes delibandas exhibuit Virgo sanctissima quàm plurimis ex hac vita migrantibus suis servulis, ac clientulis. Inter hos jure numerandus B. Isaias Polonus Cracoviensis ordinis Divi Augustini Sydus clarissimum, quem in morte cónstitutum quàm plurimi denso agmine cœlites inviserunt, eúmque, ut Beatorum mensæ in nuptiis agni esset conviva, maxima benevolentiæ significatione invitârunt. Fuêre inter reliquos sancti indigetes Poloni hi potissimùm Stanislaus, Hyacinthus, Casimirus, Hedvvigis, Salomonæa, Cunegundis, aliique sancti Patrii, inter quos præcipua fuit sanctissima Deipara, misericordiæ Regina, Angelorum stipata choris, cujus obsequio se se jam pridem coram Icone titulo Matris misericordiæ celebri, genibus nixus, clarissima luce perfusus à terra in aërem sublimis, Ave Regina cœlorum cantillans, mancipavit: Hæc igitur moribundi lectulo se sistens, clarissimâque circumfusâ luce visendam exhibens voce illa melliflua illum ad cœlestes epulas invitavit. *Isaja te ad Filii mei convivium invito.* Felix prorsus ac ter beatus, qui à piissima Matre Agni, ad Agni mansuetissimi, ac piissimi Nuptias tanta benevolentiæ significatione vocari dignus habitus est. Quocirca etiam de hoc tam insigni Virginis clientulo, sicut & de aliis, Angeli verba illa Apoc. 19. 21. ad Joannem loquentis usurpare possumus. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, quâ Deiparæ misericordiæ Matris ad æternam Beatitudinem invitatione non solùm ipse beatam vitam ingressus est, sed etiam aliis coram ejusdem Icone Misericordiæ Matris aliàs deprecans, vitam restituit, uti luculentissimo hoc exemplo comprobatum est. Cùm enim sanctus Vir hic coram illa effigie pientissima preces aliquando funderet, importunè multis cum lacrymis evocatur ad quemdam mortuum jam jam tumulandum, ut eum ad vitam revocet. Paret subitò Isaias & abjectus in genua, Matrem misericordiæ, dictóque! *Monstra te esse Matrem*; mortui dextram arripit, levátque in pedes hominem spirantem ac vegetum, parentibúsque, ac propinquis lætitiâ gestientibus restituit; ostendítque revera Virginem Deiparam Matrem esse misericordiæ omnibus etiam mortuis pietatis viscera dulcissimæque vitæ mella exhibentem.

109. Ne-

B.V. Parens optima morientes ad perenne Filii sui in Cœlis convivium invitat.

109. Neque verò mirùm nobis videri debet, quòd Sanctissimum Virum ad filii sui in Cœlis convivium invitare, & morienti assistere dignata fuerit. Cùm vir erga Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, quòd mediante aliqua ratione Virgine participamus, fuerit devotissimus, & per assiduum ipsius usum in Filium Virginis vehementissima charitate transformatus. Sic enim ipsa Virgo benignissima lib. 3. Revelat. c. 13. de quodam devoto in augustissimum altaris mysterium, loquens pollicetur, Deo summopere uniendum in vita, ac tandem sua præsentia consolandum in morte. Dicito inquit illa, eidem Episcopo quia ipse petit à me suam claram amicam; ideò volo dare fidem meam, ut ligarem me cum illo in vinculum unum. Nam corpus Dei, quod fuit in me, recipiet animam ejus in se magno charitate, ut sicut Pater cum Filio fuit in me, qui corpus meum & animam habuit in se, & sicut Spiritus, qui est in Patre & Filio, fuit in me, qui corpus meum & animam habuit in se, & sicut Spiritus, qui est in Patre & Filio, fuit ubique mecum, qui & Filium meum habuit intra se; sic & famulus meus ligatus erit cum eodem Spiritu. Nam quando ipse diligit Passionem Dei & corpus ejus habet in corde charissimum, tunc habebit humanitatem, quæ intra se & extra se habet Deitatem, & est Deus in eo, & ipse in Deo, sicut est in me Deus, & ego in eo. Cùm vero famulus meus, & Ego habeamus unum Deum, tunc habebimus & unum vinculum charitatis, & Spiritum Sanctum, qui est cum Patre & Filio unus DEus. Tandémque hujus Divinæ unionis Virgo ipsa exponens fructum, ita concludit: Si iste Episcopus tenet promissionem suam mecum, Ego eum juvabo, dum vivit. In fine verò vitæ volo servire, & adstare illi præsentando animam ejus Deo, & sic dicendo: O DEUS meus, iste servivit tibi & obedivit mihi, ideo præsento tibi animam ejus. Hæc Virgo Mater piissima, quibus se verè hominum Parentem optimam atque amantissimam esse declaravit. Quare jure merito Virgineis hisce pollicitationibus provocati in omnibus nostris calamitatibus ac miseriis præsertim circa ultimam vitæ nostræ periodum, Ad hanc Apum Reginam plentissimam omni severitatis aculeo carentem nobis recurrendum est; ut ipsius melleæ bonitatis communicatione miseriæ omnes, quibus & in vita, & in morte divexamur, à nobis tollantur, æternæque tandem felicitatis, ac Nuptiarum Agni compotes evadamus.

DISCURSUS
VIGESIMUS SEPTIMUS.
VIRGO DEIPARA COLUMBA.

Una est Columba mea, perfecta mea, una est Matris suæ, electa Genitrici suæ. Cant. 6. 8.

I.

B.V. purissimæ columbæ comparata gratiarum & charismatum & Spiritus plena.



Ræclarè sanè Psellus apud B. Theodoretum lib. 3. in Cantica, unicam hanc columbam esse pronunciavit Virginem Deiparam verba illius sunt: *Inter tot animas omnium hominum qui salvantur, ut electa columba est una illa sola, quæ Christum genuit, Mater puella Maria, quæ puritate profectò Cherubin & Seraphin antecellit.* Quibus in verbis sapienter in Columba pu-

puritatem Psellus observavit, quam Puritas Deiparæ Virginis ac pulchritudo potissimùm interior, qua præ omnibus puris creaturis Deo placuit, adumbrata est. Cùm enim DEI Filius, summum illud infinitúmque Bonum, summè à primo ipsius Immaculatæ Conceptionis instanti tanquam futuram Matrem amaverit; &, amare sit, velle bonum alicui, consequens sanè est, amplissimis bonorum cœlestium, gratiarúmque, ac charismatum Spiritûs S. divitiis, atque ornamentis decoratam, ac locupletatam esse; ac proinde puritate, quæ ex hisce amplissimis Cœli donis resultat, plusquàm Angelicâ enituisse. Unde scitè Suarez Tom. 2. in 3. Par. Disp. 18. Sect. 18. docuit, plùs Virginem, utpote Matrem, à Deo amari, quàm reliquos Sanctos Angelos, reliquosque cœlites omnes. Unde infert: *Plùs ergo gratiæ illi contulit; gratia enim respondit amori Dei, erga personam quam perfectè amat.* Hinc S. Bonav. cap. 6. in speculo, cum S. Augustino, ita illam alloquitur: *Te ipse Rex Regum, ut Matrem veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat.* Hinc S. Bernardinus Senensis asserere non dubitavit, Christum potiùs, pro sola Virgine redimenda venisse, quàm pro cæteris omnibus hominibus; unde illam Primogenitam Redemptoris appellavit; unde consequitur, abundatiorem illi gratiam, puritatémque præ cæteris Sanctis omnibus velut Matri dilectissimæ contulisse. Cui tam effuso Dei Filii amori cum ipsa vicissim correspoderit, eúmque super omnes Angelos cœlitésque adamaverit; Quid mirùm, si copiosissimum illum ipsius bonorum fontem ad influendum uberiùs in cor animámque suam provocaverit. Unde Doctor Seraphicus in Speculo cap. 6. *Quid mirum, si præ omnibus diligat, quæ præ omnibus est dilecta?* Dilectio enim, qua in eam ferebatur Filius, eam ad amandum Deum magis magísque excitabat, cui amoris cum gratia velut procemium correspondeat; copiosissimamque sanè amplissimámque esse oportuit & tantæ dignitati, nempè Divinæ Maternitati, proportionatam. Quemadmodum enim gratia creata, animæ Christi infusa, licèt non fuerit infinita; quia esse non potuit; fuit tamen quantum esse potuit, proportionata dignitati capitis, & Verbi Dei Majestati; & ideò in intentione superavit omnes aliorum hominum & Angelorum gratias, etiam simul sumptas. Sic gratia B. Virginis quæ Christo in omnibus penè fuit simillima, atque ei junctissima in hac intentione, ac perfectione cum debita proportione proximè accedere debuit, cùm ejus Mater sit dignissima, déque illa ipsius dignitate capitis gratiam in omnia membra influentis participet. Sicut enim Protoplasti, Adamus & Eva fuêre generis humani caput, & omnium malorum quæ in posteros redundârunt, Seminarium; Sic Christus Benedictus, ejúsque Mater dignissima, fuêre hominum omnium caput, à quo in mortales universos bonorum gratiarúmque omnium copia veluti membra influxit. Hinc S. Augustinus Ser. 35. de Sanctis. Mariam cum Eva conferens ita loquitur: *Altior cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Hæc est enim quæ sola meruit Mater, & sponsa vocari; hæc primæ Matris damna resolvit, hæc homini perdito Redemptionem adduxit. Mater enim generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem edidit Mundo; auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit.* Audiendus hic S. Amadeus Episc. Hom. 4. de laud. B. V. qui inter Mariam & Evam antithesim, earundémque partuum differentiam instituens hæc habet. *Eva parit corrupta, Maria incorrupta peperit; Eva in dolore, Maria in salute; Eva in vetustate,*

ustate, Maria in Novitate; Ista servum, illa Dominum; ista reum, illa Justum; ista peccatorem, illa justificantem a peccato. Eva partus mortes multiplicat, partus Mariæ à morte salvat. Eva parturienti Draco insidiatur, partui Mariæ ab Angelis ministratur. Evam parturientem tremor cordis occupat, parturientem Mariam virtus divina lætificat. Eva quos parit, multis exponit cætibus; quos parit in Filio videlicet Maria, Salvat à malis omnibus. Eva parturiente abundavit malitia, pariente verò Virgine superabundavit gratia.

B. V. principium Salutis, & auctrix gratiæ.

2. Audiendus denique de hac Mariæ cum Eva antithesi Ord. Seraphici Pelbartus lib. 5. stell. par. 1. art. 1. c. 4. *Sciebat Deus*, inquit ille, *quòd Eva foret peccati initium, ex quo culpa in omnes posteros redundaret, in eáque per peccatum habitaturus esset Diabolus; idcircò statuit, ut hæc Benedicta Virgo esset nobis initium omnis boni ac salutis, in qua habitaret Deus, & quo plena esset gratiâ & omni sanctitate; de cujus plenitudine redundaret gratia in omnes filios Adæ per generationem, & filios Mariæ per adoptionem Christi ac regenerationem.* Hinc Anselmus. *O fœmina mirabiliter singularis & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, Angeli reparantur, Inferna evacuantur, homines salvantur. O fœmina plena & super plena gratiâ, de cujus plenitudinis redundantiâ revivisscit omnis creatura.*

B. V. ex plenitudine gratiæ sæpè plus meruit singulis actibus, quàm singuli Sancti omnibus.

3. Hac porrò plenitudine gratiæ, assiduáque actuum Divini amoris exercitatione, qua in continua contemplatione versans ferventissimos eliciebat, quot quantáve sibi merita cumulaverit, quæ mens capere, quæ lingua dicere sufficiat? Certè idem Suarez, ibidem, hos divini amoris actus, quos B. V. assiduè repetebat in hac vita, ait fuisse innumerabiles, ita, ut eorum multitudo possit fortassis cum numero sanctorum omnium conferri. Addit insuper, eandem Deiparam quolibet illorum actuum, non minus meruisse, quàm supremum Angelum illo actu perfectè libero, quo meritum suum consummavit. Unde fit consequens, sæpissimè singulis actibus plus meruisse B. Virginem, quàm singulos homines sanctos omnibus actibus vitæ suæ; quia meritum supremi Angeli non fuit minùs perfectum, quàm totum meritum cujuslibet hominis saltem regulariter loquendo: Unde tandem ita concludit; itaque si hujusmodi actus meritorii B. Virginis adæquant numerum omnium beatorum, planè consequitur, etiam gratiam ejus superare gratiam illorum omnium. Si verò numerus actuum est inferior numero Beatorum, ut credi facilè potest, hæc inæqualitas facilè compensatur gratiâ illâ, quæ communicata est Virgini ex opere operato; valore item singulorum actuum, siquidem etiam meritum primi Angeli excedit merita multorum inferiorum simul sumpta, compensatur denique augmento, & intensione ipsorum actuum, qui eò magis intendebantur, quò gratia ipsi cælitus communicata fiebat auctior.

Prosequitur eadem materia.

4. Hæ considerationes sine dubio Sanctos Patres nonnullos impulisse visæ sunt ut dicerent gratiam B. V. immensam ac infinitam esse sic S. Epiph. Orat. de laud. B. V. *Gratia Sanctæ Virginis est immensa.* Sic S. Anselmus cap. 8. de excell. B. V. *Quid amplius dicere possum, ô Domina, immensitatem quippe gratiæ & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare incipienti sensus deficit, & lingua fatiscit.* S. denique Bonav. ut plures alios prætermittamus brevitatis ergo, cap. 5. in speculo. *Consideremus gratiæ Mariæ immensitatem, propter quam dicta est gratiâ plena. Immensa certè fuit gratia, quâ ipsa fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit, istud plenum est, Maria autem immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo major est, continere potuit, &c.* His P. Suarez permotus testimoniis licèt

licèt nec ipsa gratia animæ Christi infusa infinita esse possit, uti diximus supra, pronunciare tamen compulsus est, Beatam Virginem in fine vitæ pervenisse ad summam, &, ut ita dicam, penè immensam gratiæ perfectionem & intensionem.

B.V. in fine vitæ ad penè immensam gratiæ perfectionem pervenit.

5. Quæ conclusio licèt abundè ab ipso gravissimo Doctore elucidata, illustrari tamen magis potest ejusdem Bonav. testimonio plane luculentissimo c. 6. spec. ubi ex plenitudine gratiæ Filii, qui ejus in utero novem mensibus habitavit, & cum illa tot annis conversatus est, deducit. *Considerate*, inquiens, *in Maria gratiam donorum Spiritûs Sancti. De hac gratia Maria gratulabunda dicere potest Eccli.* 24. *In me omnis gratia vitæ & veritatis. Quid mirum, si ipsa est plena gratiæ, vitæ, & veritatis, quæ Mater est ejus, quem legimus plenum gratiæ & veritatis: Addiderim ego, Et qui simul est ipsa vita, ipsa veritas, quemadmodum apud Joannem c.* 14. *ipse testatur: Ego sum via, veritas, & vita. Et quid mirum, si in illa Virga est tanta donorum Spiritûs S. affluentia, in cujus flore Spiritus Sanctus requievit, cum tanta donorum suorum affluentia? Maria namque est illa Virga, & Filius Mariæ est ille flos, de quo dicitur in Isa. c.* 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. In hoc flore mira Spiritûs Sancti affluentia, de quo in omnem Ecclesiam tam mira fit influentia, ut B. Joannes dicat: De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Cùm ergò de isto flore tanta gratia redundet in totum hortum, quantò magis in ipsam floris Virgam, in ipsam Mariam: Dicat ergo Maria dicat securè: In me omnis gratia vitæ & veritatis. Gratia certè vitæ & veritatis consistit in jam dictis septem Spiritûs Sancti donis.* Hæc S. Pater, qui volens docere eos, quanam ratione de hac tanta, ac penè immensa Divinarum gratiarum Spiritus S. Deiparæ communicata abundantia participare possimus, ait, per Virgineam hanc Virgam ad florem Spiritûs S. refertum gratiis, ut earum superfluentiâ infundamur, accedendum: Quicunque ergo septiformem Spiritûs S. gratiam adipisci desiderat, ipse florem in Virga quærat. Per Virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum in ipsa requiescentem pervenimus. Per Mariam ad Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritûs Sancti invenimus. Unde B. Bernard. *Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.*

Deipara ob gratiam superaffluentiam confertur Reginæ Esther.

6. Ut denique Doctor Seraphicus ostendat superaffluentiam hanc & quasi immensitatem gratiæ, singulari Dei amore velut perenni bonorum omnium fonte, Virginem traxisse, confert illam Reginæ Esther, quæ gratiam & misericordiam coram Rege Assuero super omnes mulieres invenit, qui, & posuit diadema Regni in capite ejus Esth. 2. *Hunc enim Assuerum ait esse verum Regem Christum, apud quem illa super omnes mulieres, nempe intelligentias Angelicas, & super omnes beatas animas gratiam habuit, ut sit in Maria gratia super gratiam omnium beatorum.* Revera Rex Regum in capite ejus diadema Regni posuit. Diadema certè impretiabile, diadema tam delectabile, diadema tam admirabile, quod hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est. Si ergo vidistis, quantâ gratiâ donorum Spiritus S. affluentissima sit Maria, rogemus ipsam tantam inventricem gratiarum, ut nos faciat invenire gratiam apud Dominum, rogemus, inquam & nos, ut hoc diademate gratiarum omnium,

quibus

quibus illa coronata Mater esse meruit Regis sempiterni, vicissim coronemur.

Summam post Deum B. V. sanctitatem est consecuta.

7. His porrò tam copiosis gratiarum charismatùmque Spiritus S. donis, quibus longè copiosiùs, quàm omnes Angelicæ Hierarchiæ, reliquíque cœlites simul sumpti, cumulata fuit, summam, admirabilémque sanctitatem, cujus pura creatura capax esse potest, consecuta est, ut ea quasi præviâ dispositione, ad Divinæ Maternitatis eminentissimam dignitatem capessendam præpararetur. Quæ dignitas cùm infinita sit terminativè, ut loquuntur Theologi, ex Deo nempe ipso, quem Virgo Mater generavit, consequitur profectò & ipsam sanctitatem infinitam esse quodammodò, si ita loqui fas est, ac proinde & ipsam ejus puritatem qua Cherubin & Seraphin, ut loquitur Psellus, antecellit. Quo sanè loquendi modò innuere voluit puritati Virginis, nullam parem, nullam superiorem, illâ Dei solius exceptâ, reperiri. Proinde Joan. Gerson Parisiensis Cancellarius, Tract. 4. in Magnif. eam supremam post Deum Hierarchiam constituere sapientissimè asseveravit, ut incomparabilem nobis ipsius sanctimoniam demonstraret. Cùm enim supremæ Hierarchiæ proprium sit, juxta Magni Areopagitæ doctrinam, inferiorum perfectiones omnes in se eminentiori quadam ratione complecti; consequitur profectò omnium Sanctorum Angelorum cœlitúmque reliquorum sanctitatem Deiparam ita excellenter comprehendisse, ut nulla excellentior sub Deo valeat intelligi.

B. V. ut esset Mater Dei, innumeris gradibus omniū creaturarum puritatem & sanctitatem præcelluit.

8. Jam si sanctitas ex Magni Dionysii mente cap. 4. de Divin. Nom. nihil aliud est, quàm puritas ab omni scelere libera; itémque incontaminata munditia, facilè intelligimus Virgineæ hujusce Columbæ puritatem Cherubinorum Seraphinorū, Thronorum, Dominationum, ac potestatum, omniúmque Angelicarum Hierarcharum omniúmque Sanctorum hominum sanctitatem plurimis, innumerísque gradibus præcelluisse, utpote quæ unica fuit electa, ac perfecta columba inauditâ singularitate insignis, Virginitatéque cum fœcunditate indissolubili nexu sociata memorabilis. Huic enim Dignitati tam eximiæ, tam divinæ universa planè gratiarum omnium velut gemmarum, ac monilium debebantur præclarissima ornamenta, ut sicut inter creaturas omnes dignitate, sic gratiarum ac virtutum decore præemineret, nihílque ei deesset, quod ad Matris divinæ Majestatem exornandam conveniens esse posset. Unde & ideò perfecta dicitur; siquidem, Teste Philosopho, id perfectum, cui nihil deest, appellare consuevimus. Quam ejus præeminentiam Joannes ipsius Dilectus Filius declaravit Apoc. 12. Dum eam in Cœlo Lunæ pedibus insistentem, sole amictam, vertice cœlum Sydereum attingentem, capútque inter sydera condentem introducit. Hæc enim tanta, támque inusitata gratia nemini facta est. Ut denique in illa perfectissimam, excellentissimámque gratiam, omnes cœlitum gratias, charissimatúmque Spiritûs S. dona excedentem intelligeremus. Card. Halgrinus, *Matrem Virginis non tam Annam, quæ sonat gratiam, quàm ipsam gratiam fuisse* pronunciavit. *Ipsa una columba mea est plena gratia præ ceteris, & ipsa est una Matri suæ, scilicet cœlesti gratiæ, quia singulariter dicere potest: gratia Dei sum, id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit. Et ipsa est electa Genitrici suæ. Nam inter omnes filias genitrici suæ militanti scilicet, sive triumphanti Ecclesiæ, ipsa est præelecta, & ideò ad laudes ejus omnes assurgunt; hinc loquitur: viderunt eam filiæ Sion &c. Imò ipse Filius cum admiratione laudes ejus assumit: Quæ est ista inquiens, quæ progreditur quasi Aurora consurgens pulchra ut Luna electa ut sol. &c.* Sic Halgrinus. Ideò sponsus eam vocat unam, & electam ad hoc Columbam, ut Virgo si-

simul esset & Mater non cujuscúnque sed Dei, & hujusmodi quidem puritate conspicua, ut ei nulla omnino rationalis pura creatura esset illi comparabilis. Unde Guilelmus Abbas Anglicus apud Delrium in Cant. Virgineæ hujus fœcundissimæ columbæ pulcherrimum hoc expendens elogium: *Una est Columba mea*, ita loquitur, quasi dicat: *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, scilicet Reginæ, & multæ Filiæ congregaverunt necessaria; & multæ etiam meram spem dederunt, quod suo tempore congregarent; scilicet Adolescentulæ, sed una supergressa est universas; ex his omnibus una est Columba mea, perfecta mea; Una est Regina Reginarum, Domina concubinarum, nutrix Adolescentularum. Hæc est Columba per fœcunditatem, & mea per singularis partûs novitatem, Colûmba mea, cujus ego singularis pullus sum, perfecta mea, cui nihil deest ad gratiam, ad gloriam, cujus neque fœcunditas Virginitatem defloravit, neque Virginitas fœcunditatem ignoravit. In aliis mulieribus si qua gloriatur de Virginitate, deest illi gaudium plenum fœcunditatis; si qua gaudet fœcunditate, deest illi ad perfectum decorem Virginitas. Una est ergo perfecta mea, cujus Virginitati non successit fœcunditas, sed accessit. Planè perfecta; sed mea, quia illam, quæ me Deum, DEI Filium genuit, Virginem Matrem esse oportuit. Una quoque est Matri suæ, electa Genitrici suæ. Mater seu Genitrix ejus, sicut & omnium nostrum Redemptrix illa gratia est, per quam regenerati sumus in filios Dei, qui prius eramus naturâ filii iræ. Communis illi est participatio gratiæ regenerationis sed in eadem participatione illa excellit, atque exsuperat; quia non tantum ad participationem ut ceteri, sed etiam ad singulare quoddam ministerium gratiæ ejusdem specialiter est electa. Est etiam unicè electa Genitrici suæ, singulariter electa ad ministerium Redemptionis & regenerationis gratiæ. Insigne quippe & singulare ministerium gratiæ Redemptrici exhibuit in eo, quòd ipsum Redemptorem sibi nobisque fovit, sibi nobisq́ pio lacte aluit, adque annos maturitatis pia maternæ solicitudinis sedulitate perduxit. Quia ergo ad hoc sola erat divinitus præordinata, & præparata; meritò dicitur: Una Matri suæ, & electa genitrici suæ. Cæterùm propter hoc tam sacrum & tam insigne ministerium, quo divinæ circa salutem nostram dispensationi pro tempore pia Mater servivit, & antiquis Sanctis, qui futuram gratiam Sagaci Spiritu pervidebant, mirabilis & laudabilis, desiderabilis & venerabilis fuisse dignoscitur. Unde sequitur: Viderunt eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* Hæc Guilel.

9. Ex quibus intelligimus, quantis Virgo beatissima divinæ gratiæ ornamentis, ac perfectionibus super omnes Dei Filias, mentes nempe Angelicas, atque beatas animas, ad hoc, ut esset Mater Dei, & nostræ salutis ac redemptionis Adjutorium, sive Cooperatrix suo Benedicto Filio, fuerit decorata, quantásque Redemptrix illa Gratia Salvatoris in ea, præ omnibus Filiis hominum â peccato originali præservanda vires exeruerit, ita, ut hanc ob causam vel potissimum Filia Redemptricis hujus gratiæ appellari debeat. Unde Honorius Presbyter Augustodunensis in sigillo B.V. illam ita alloquitur. *Tu una omnium transcendis merita, & ideò præ omnibus sola electa Columba mea, in quam transfudi spiritûs charismata, perfecta mea, quam perfudi perfectione per virtutum munera; hæc una imitabilis est Matri suæ, scilicet præsenti Ecclesiæ, electa Genitrici suæ, Angelorum nempe frequentiæ. Quam ob causam tot cœli munera, tot Spiritûs Sancti charismata in ea Studiosiùs oculis cordis contemplantes Filiæ Sion, Justorum scilicet Ecclesia, Beatissimam prædicare-*

B.V. filia gratiæ Redemptricis.

caverunt, *juxta illius celeberrimum illud Vaticinium: Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et Reginæ & Columbæ Activæ & contemplativæ animæ ita laudaverunt dicentes: quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, &c.*

...s. V. Columba ...urissima; ...peculum Divinæ Majestatis, & imago ...psius Bonitatis.

10. Neq; verò mirum purissimam hanc columbam, cujus pennæ deargentatæ átque inauratæ in pallore auri à Regio Psalte celebrantur, tantis cœli donis spiritûsque divinissimi charismatis super omnes puras creaturas enituisse, cùm hæc columba filia illius sit, quæ, ùt loquitur S. Nyssenus: ad Jordanem super Dei Filium advolavit, uti Par. 1. disc. 16. n. 1. & 2. fusiùs ostendimus. Unde quid mirum si eam velut dilectissimam Filiam Spiritus hic sanctissimus ac purissimus, Spiritus hic bonus uti eum appellat David, & Filius ejus Salomon; quid inquam mirum, si excellentissima sanctitate, puritate bonísque omnibus, cùm summa ipsius bonitas naturâ suâ summè communicativa, atque diffusiva sit, candem cumulaverit, in eámque vim quodammodo suæ bonitatis universam, eamdem virtutibus, ac perfectionibus omnibus adornando, exeruerit, eámque quodammodo sibi similem Filiam, in bonitate aliisque sibi propriis attributis, quantum humanæ naturæ fert imbecillitas, efformârit. Unde meritò Sapiens. 5. *Illam speculum Divinæ Majestatis & Imaginem ipsius Bonitatis appellavit.* Sive, ut legit Græcus: *Dei operationis, sive energiæ, sive efficacitatis.* Quia nimirum in illa tanquam in speculo divinorum attributorum, præsertim Bonitatis efficacia, átque energia maximè spectata est, dum eam orbis universus, veluti novam, ac veram non fabulosam Pandoram omnibus Cœlitum gratiarúmque donis, ac virtutibus, ceu pulcherrimis floribus coronatam admiratus est.

...f. Trinitatis ...nplementum, præsertim ..., diffusio... ...n Spiritûs ...in ipsam.

11. Quare jure merito dono huic ac Divinissimo Spiritui Apostolus. 1. Cor. 13. communicationem attribuit: *Charitas Dei & communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis, &c.* Quam communicationem infinitæ suæ bonitatis, licèt in omnes creaturas, in illis per essentiam, potentiam, ac præsentiam habitans, effuderit, faciémque terræ renovaverit, ac cœlos, ùt ait Job, ornaverit, & super aquas se se ferendo illísque velut Columba ovis incubando, eáque fovendo, volatilium pisciúmque innumerabilia genera, gregésque excluserit, átque creaverit, infinita tamen illa se se communicandi cupiditas, sive amor, qui illi essentialis est (cùm ipsissimus amor sit Personalis) expleta non est. Licèt enim & Pater & Filius cum Spiritu hoc divinissimo ad mundi totius, ipsiúsque creaturarum molitionem una actione concurrerint (opera enim Trinitatis ad extra indivisa sunt.) Nihilominus tamen personam primam átq; secundam Triados Augustissimæ suam bonitatem sufficienter, imo abundantissimè effudisse intelligimus, cùm illarum ineffabiles illas communicationes mutuas, ac processiones attentiùs consideramus. In Spiritu Sancto tamen, cùm alteri Personæ se se minimè communicet, nec generando Filium, nec alium spirando spiritum; infinitum quoddam se se communicandi in illo (secundum rudem nostrum concipiendi modum) concipimus desiderium; quod in illo tandem expletum fuisse visum est, cùm gloriosissima Virgo in lucem hanc edita est. Qua de re præclarissimè, ùt assolet pro piissimo suo in Deiparam affectu Pater noster Salazar comment. in c. 8. pro. n. 301. 302. Cujus verba meritò, utpote tanti támque eruditi Patris hic adscribenda censui. *Æternus Pater, inquit ille, generat Filium atque essentiam, & attributa sua per generationem eidem communicat. Pater item & Filius spirant, seu efflant Spiritum S. átque ei similiter omnia sua attributa cum essentia contradunt. Spiritus verò S. nec generat, nec spirat aliam Personam. Quapropter, cum*

Spir. S. Bonitas infinita sit non dispar, sed æqualis omnino ei, qua Pater & Filius præditi sunt, cúmq; bonitatis proprium sit, se se effundere & communicare, & consequenter infinita Bonitas infinitam sui effusionem, & communicationem appetat, certè ex nostro imperfecto concipiendi modo oritur, ut aliquid in Spiritu S. desiderare nobis ipsis videamur. Nam & Pater & Filius infinitæ suæ Bonitatis mensuram explere perspicuè videmus. Pater enim Filio infinitam essentiam exhibet, & Filius cum Patre eandem Spiritui S. communicat. Spiritus vero Sanctus, cùm non sit ulteriùs alia quarta persona, in quam se se sine mensura effundat, tantæ bonitati secundùm nostrum cognoscendi imperitum modum haud satisfacere videtur. Itáque aliquam Personam desiderare nobis videmur, cui Spiritus S. suæ infinitæ bonitatis mensuram explens se sine mensura communicet. Atq; ita cupimus, ut Spiritus S. qui parcè admodum se se alijs creaturis exhibet, alicui saltem ita profusè, ac largè se communicet, ut infinitam illam communicationis appetentiam. Si non explere & exsatiare, saltem levare & relaxare possit. Hæc autem persona de industria adscripta, & commissa ipsi est Maria, ut in illam admirabili quadam omnium donorum suorum affluentiâ superveniret, juxta illa Angeli verba: Spiritus S. superveniet in te; illud enim, superveniet, magna supervenientis affluentia innuit: Unde Bern. Hom. 4. Super Missus sic ait: an fortè ideò non dixit: Veniet in te, sed addidit; super, quia & priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc superveniret nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus erat super eam. Addit Beda, Spiritum Sanctum tàm effusè & copiosè in Virginem venisse, ut quantum ipse valeat, ostenderit. Hæc ille; ex quibus infert, Deiparam hanc etiam ob causam extitisse, ùt loquitur Hesychius *Trinitatis complementum*; Dum Tertiæ ipsius personæ fœcunditatē quandam conferre visa est, ex sui nova quadam regeneratione per gratiarum omnium charismatúmque, ac donorum suorum in illam superventionem, atque transfusionem. Quod luculenter ostendit supra memoratus Isaias, dum in florem Virgineæ hujus Virgæ Jesse Spiritum Domini cum suis septem donis ac charismatis requievisse affirmavit. Quod alia lectio ex Evangelio Nazareorum desumpta, ut testatur S. Hieronymus, exprimere luculentiùs visa est, quæ habet: *Descendit super eum omnis fons Spiritûs Sancti.* Quo sanè loquendi modo innuitur abundantia Spiritûs S. ejusque gratiarum, quibus velut copiosis jugiterque manantibus aquis à primo immaculatæ ipsius Conceptionis instanti se se in illam infudit; cui gratiæ tam copiosæ sibi communicatæ, assiduéque in animam suam magno impetu influenti cum illa, absque ulla actuum divini Amoris interruptione etiam dormiens, ut voluit Ambrosius, aliique Theologi complures, cooperaretur; fieri nequivit, quin copiosissimis hujus gratiarum aquis ad aliorum etiam mortalium maximè sibi devotorum communicationem redundârit. Et licèt S. Propheta Spiritum S. sive fontem Spiritûs S. cum donis suis omnibus, dicat, super florem qui Christus JEsus est, & de se ipsa in Cant. 2. fatetur, *Ego flos campi & lilium convallium,* requievisse; sentiendum tamen est, eamdem Spiritûs S. donorúmque ejus copiam, fontalémque abundantiam in Matrem quóque ob intimam illam cum ipsa carnis ac Spiritûs unionem, novémque continuorum mensium in ipsius purissimo utero inhabitationem influxisse. Ob quam Matris cum Filio unionem arctissimam. Dionysius Rickelius florem illum campi asserit art. 8. in Cant. esse quóque Virginem Deiparam, *B. V. est venerandissimus pulcherrimus, ac redolentissimus Flos campi, id est, sæculi hujus in quo tanquam loco certaminis sumus consti-*

Spiritus S. plenissimè se diffudit in B.V.

B. V. Flos à divinissimo fonte abundantissimè irrigatus.

B.V. Flos campi, seu Paradisi Cœlestis, & Ecclesiæ militantis.

constituti, quia militia est vita hominis super terram. Ipsa quoque est flos campi, id est horti deliciarum, videlicet Paradisi cœlestis. Et rursus, flos campi, id est militantis Ecclesiæ in terra peregrinantis, cujus ipsa est Mater, flos, Regina & advocata suis orationibus, ac meritis procurans Ecclesiæ ornamenta virtutum ac redolentiam meritorum. Denique ipsa est flos cujuslibet animæ devotæ eam amantis, cujus memoriam nunquam ingreditur sine fructu, ac suæ dulcedinis diffusione. Hæc Dionys. quibus pulchrè insinuat plenitudinem illam gratiæ, virtutúmque à Filio, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, in Matrem adeò abundanter influxisse, ut & in nos copiosissimè redundârit, nósque suavissimo meritorum suorum odore mirificè recreârit.

B. Virgini in Divini verbi Incarnatione singulares gratiæ sunt collatæ.

12. Hunc divinarum gratiarum charismatúmque Spiritûs S. adeò exuberantem influxum licèt Virgo Beatissima, ipso primæ immaculatæ suæ conceptionis instanti consecuta sit, uberiorem tamen longè in ipsa sacratissima Divini Verbi ejus in utero facta Incarnatione promerita est, ut ad tantum hospitem excipiendum condignum in ea domicilium appararetur, & ipsa veluti pulcherrima, castissimáque sponsa omnibus gratiarum unionibus gemmísque ac monilibus virtutum, quo gratior cœlesti illi evaderet sponso, decoraretur. Unde cupiens illam omnibus cœli donis idem Spiritus Sanctus cumulatam, consilium cum reliquis Divinis Personis iniit, quibus tandem animi decoranda esset ornamentis, cùm Angelus Gabriel Legatus ad illam, ad magnum illum Incarnationis Sacramentum ipsi annunciandum, transmittetur: *Quid faciemus*, inquiens *Cant.* 8. *Sorori nostræ in die, quo alloquenda est*, sive, ut legunt alii: *quando verbum fiet in ea*, quando, inquam, verbum caro fiet in ea? ad quam consultationem responderint fortassis promptissimè personæ illi Divinissimæ naturâ suâ ad munera sua communicanda expeditissimæ, responderint, inquam, per secretum in corde Virginis alloquium. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Cant. 1. Quæ verba ornamentorum muliebrium pollicitationem à Sanctissima Triade Deiparæ factam continere, docet Card. Halgrinus. *Murenulæ*, inquiens, *ornamenta sunt mulierum, quædam videlicet catenulæ virgulis aureis atque argenteis contextæ & ideò dicuntur auro atque argento vermiculatæ, vel distinctæ. In auro, quia præ ceteris metallis tractabilius est, designatur obedientia, qua ad parendum videlicet Divinæ voluntati, in Annunciatione Angeli instruitur. Notatur item auro sapientiæ, cujus pretium pretiosius est cunctis opibus. Fervor quoque charitatis propter colorem igneum in eodem notatur auro: Dicit ergo Christus. Nos, Pater scilicet, & Filius, & Spiritus S. faciemus tibi murenulas aureas. Nam adhac ornamenta Virginis confert Pater obedientiæ virtutum; Filius splendorem sapientiæ, & Spiritus S. dilectionis fervorem; quæ tria veluti virgulæ in catenulis decenti artificio connectuntur. Charitas enim, quæ fervet jungitur scientiæ, ne sit inflata; sapientia autem, & scientia, quæ dirigit, jungitur dilectioni, ne zelatio sit erronea: Murenulæ autem istæ vermiculatæ vel distinctæ sunt argento; Candor enim carnalis munditiæ, quem designat argentum, ad venustatem & decorem prædictarum gratiarum accedit. Verùm, quia Filius Matrem suam paulò ante amicam suam vocaverat; Amica autem vera est, quæ & amatur & amat, ostendit continuò, quæ Deus amaverit in ea; nempe Nardum humilitatis, & quantum ipsa vicissim dilexerit diligentem se; ideò ita prosequitur: Cùm esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum. Quasi diceret cùm adhuc esset Filius in sinu Patris, nondum factus visibilis; Nardus, id est, mea humilitas*

Murenulæ aureæ & argenteæ, dona sunt à SS. Trinitate Deiparæ tributa.

in conspectu ejus dedit odorem suum, atque ita illi complacuit, quia respexit humilitatem Ancillæ suæ. &c.

Explicatur ulterius quid per murenularum argentum, & aurum intelligatur.

13. Harum Murenularum aurum, & argentum P. Delrio noster ait esse metalla illa, quibus Davidica Columba, de qua ipse canebat. Psal. 67. *Pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi ejus in pallore auri*, exornanda prædicitur, siquidem hoc loco unica illa Columba sponso largiente, iisdem splendet metallis. Murenulas hasce porrò inter mundũ muliebrem computari, & à sanctissima Trinitate, divino planè artificio elaboratas fuisse ad exornandam Virginem ut cœlesti sponso magis magísque arrideret, inque ejus oculis majorem inveniret gratiam, testatur etiam Cœlius Pannonius Ord. S. Pauli Primi Eremitæ in M. S. in Cantica. *In græca editione*, inquiens, *legitur. Similitudines auri faciemus tibi cum punctis argenti.* In Hebræa Thore, id est, *Ordines:* Hoc sensu: Nos, inquit sponsus, faciemus tibi ordines auri, cum punctis argenti inserti, id est, cum picturis per puncta deductis, ut solent Phrygiones, qui acu pingunt intexúntque auro vestes: Quo verbo promittit sponsus hic, imò & tota Trinitas inæstimabiles spiritualium dotum divitias, qualibus Regina adstitisse à dextris Regis commemoratur, cùm dicitur: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hæ Murænulæ verò fluctuosæ, sunt colli ornamenta, instar Murænarum, id est, piscium flexibilium, quæ similes sunt anguillis, lampetras vocant, à lambendis petris, quibus impacto ore spongioso inhærent tenaciter. Sunt igitur hæc hujusmodi colli ornamenta, catenæ aureæ, punctulis argenteis insertæ, quibus olim mulieres ornari solebant, ut testatur Hieronymus, ad Marcellam scribens, Aurum, inquit; colli sui, quod Murenulam vulgus vocat, quod licèt, metallo in Virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur, absque Parentibus vendidit. Vermiculata denique opera dicuntur, quæ parvis tessellis insitis elaborata atque conserta sunt, ad imaginem specus reddendam. Plinii illa verba l. 35. cap. 1. leguntur vermiculatis ad effigiem rerum, & animalium crustis. Unde adverbium, vermiculatim, quasi minutim enatum. Cùm ergo promittit sponsus Murænulas vermiculatas argento, promittit ad literam catenulas aureas lentescentibus virgulis aureis flexibiles, quæ punctulis argenteis consèrtæ sunt. Hæc Cœlius. quibus sanè clarè satis pulcherrima Divæ Virginis à Divinissimis illis Personis ei collata præ ceteris explicuit ornamenta.

B. V. est columba una, ut ait Salomon, ob singularem puritatem, & sanctitatem.

14. Quem adeò præstantem Virginis cultum, quem illi tres augustissimæ illæ Trinitatis personæ singulari in eam animi propensione contulerunt, declaraturus Salomon, Columbam unam appellavit, quam sine dubio intellexit Esdra Sacerdos, cùm inter rara illa, quæ sibi delegit, in eísque sibi complacuit supremus dominator, Columbam numeravit, ita illum alloquens: lib. 4. cap. 5. vers. 26. *Ex omnibus creatis volatilibus nominâsti tibi Columbam unam.* Id est, *præcipuam*, ut interpretatur Cœlius Pannonius, in suo M. S. in Cant. Nam præcipuum unum dicimus, inquit ille, & qui primus est in aliis, ut est apud Maronem, Æn. 2. & Riphæus justissimus unus, quo fuit in Teucris. Nec illud prætereundum, quod docet Hyeronimus, scribens ad Damasum Papam, *quod unus est numerus, cùm adjunctum habet, ut cùm dicimus: Unus homo? ubi autem alius, vel tertius non potest adjungi, unus si dicatur, non numeri; sed universitatis est nomen, ut si dicamus unum solem; Hic enim unus ita dicitur, ut alius vel tertius addi non possit. Unus est enim sol, & Deus unus est; cùm ergo dicitur unus Deus non numeri, sed universitatis vocabulo nuncupatur, qui propterea unus dicitur, quod alius non sit.* Et similiter una Columba dicitur, quod

quod alia non sit. Universitas ergo est una, non numeri. Præterea quia una, & perfecta quam perfecit Deus, ut nihil illi desit in ulla gratia. Hinc gratias agit Paulus pro Corinthiis, Deo suo sibi vehementer faventi, quia in omnibus divites facti essent in illo, in omni verbo & in omni scientia, ita, ut nihil deesset eis in ulla gratia 1. Cor. 1. Una ergo Columba perfecta, quam perfecit Deus in omni virtute, & charismatibus, ideò una; quia alia non est in genere humano, imò nec Angelico. Et Columba, quia factâ Spiritu S. qui Columba apparuit. Hæc Cœlius.

Deipara columba una ob Spiritûs unitatem cum verbo.

15. Una igitur hæc columba est Virgo nostra non modò ob singularitatem, quâ illa & inter aligeras mentes, & reliquos cœlites, sanctitate, puritate; omníque perfectione antecellit, verùm etiam ob eminentissimam charitatem, qua ita cum suo creatore unita fuit, ut unum quid cum illo, ut ita dicam, esse meruerit. Unde de hac Columba Salomonis S. Ambrosius loquens, lib. de Isaac & anima cap. 8. *Laudatur* inquit *quòd cùm una sit Columba, habens Spiritûs unitatem, in qua sit pax, quæ fecit utraque unum, quæ non sit composita ex diversis elementis discretæ compugnantisque naturæ. Anima benedicta omnis est simplex.* Quæ imitatur dicentem, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint. Hæc enim est consumatio atque perfectio, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ego in his, & tu in me, ut sint consummati in unum. Hæc est ergo anima, Columba una, atque perfecta, quæ simplex ac spiritalis nullius hujus turbatur corporis passionibus, in quo foris pugnæ intus timores sunt. Una igitur Columba Virgo nostra meritò dicitur, ob intimam illam, quam habet cum verbo, quod ipsa substantialis est charitas, & cum Spiritu S. qui amor est Personalis, unionem tunc factam, cum Spiritu S. Deiparam obumbrante verbum caro in ejus utero factum est, eam hæ divinæ Personæ infinita sua, toti Trinitati communi, exertâ omnipotentiâ omnibus cœli gratiis, singularissimísque charismatis repleverunt. Rara prorsus hæc avis, imò unica fuit in terris hactenus à mundo condito; fuit in terris, nunquam aliàs memoriâ sæculorum omnium visa, nec imposterum unquam ad consummationem usque sæculorum videnda. Hinc B. Laurent. Justinianus, venetiarum illustre sydus lib. de casto connubio sub finem. *Rara* inquit, *est anima, quæ ex vitæ merito, ex muneris privilegio, ex immensitate amoris sponsa verbi vocitetur, de qua sponsus in ejus laudem dicat. Una est columba mea, perfecta mea &c. Cùm talem invenit, singulari eam diligit charitate, frequenter visitat, alloquitur familiariter, dulciter amplexatur, & vix ab illa patitur se absentare. Discedit quidem interdum ab illa, non ut iratus, sed ut amore succensus. Quo enim tardiùs redit, ipsa dilatione vehementiùs inflamatur, pulsat crebriùs, provocat ardentiùs, & dicit: Surge amica mea, speciosa mea, & veni columba mea in foramina petræ, in cavernam maceriæ, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora; Præceps námque amor dilationem non patitur, moras nescit, desiderio fruendi, quem diligit. Amoris artem, amandi nescius non capit. Solus novit expertus.* Hæc Justinianus.

16. Ex quibus alia pulcherrima columbæ nostræ proprietas quæ summã illius cum sponso charitatis unionem declarat, colligitur. Hæc porrò est in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ, dum mortalẽ in terris vitam nobiscum ageret, assidua commoratio, qua mirum, quantum illa gratiarum tam à Filio, quàm à Spiritu S. sibi communicata in dies singulos vehementioribus semper exardescens amoris facibus, auxit ornamenta. Legerat nimirum illam exhortationem Jeremiæ ad habitandum inanimatæ il-

B. V. columba est ob summam cum sponso suo charitatis unionem, ortam ex meditatione futuræ mortis, ac gloriosæ resurrectionis Christi.

 lius

lius Petræ, quæ erat Christus, ut docet Apostolus, foraminibus, plagis, ac vulneribus manuum, pedum, lateríſque sacratissimis Salvatoris; legerat, inquam, verba illa, Jerem. c. 48. v. 28. *Relinquite Civitates & habitate in Petra, habitatores Moab, & estote quasi Columba nidificans in summo ore foraminis*, atque ita prævidens tanquam Propheta, quæ eventura erant in Passione Filii, à primis ejus annis, omnes illius amarissimas pœnas, ac cruciatus, alapas, sputa, clavos, lanceam, spinas, flagella, opprobria, vulnera, crucem denique ipsam in unum sibi, velut myrrhæ suaveolentis fasciculum collegerat, eúmque cordis medulio incredibili in Filium ejúsque vulnera, præsertim lateris, exardescens charitate, inseruerat; séque in ipsum per sacratissimorum illorum vulnerum assiduam meditationem habitationémque transformaverat, ac proinde velut gemebunda columba identidem mœstum illud melos ingeminabat. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. quæ verba venerabilis Dionys. Richel. ord. Carthus. illustre Sydus art. 5. in cant. attentius ruminans, sapienter piéque ut assolet, elucidavit: *Dominus JESUS Christus*, inquiens *sicut suæ dignissimæ Genitrici fuit materia copiosæ lætitiæ, ita & copiosæ tristitiæ: Et quidquid pro humani generis redemptione Filius ejus sustinuit, ipsa per modum Fasciculi recollegit, colligavit, & cordi suo firmissimè ad recolendum impressit. Et sicut quibusdam sanctis creditur revelatum, amabilissima Virgo à sui Filii infantia gravissimos frequenter toleravit dolores, inspiciendo amantissimum suum, & manus ejus ac pedes tractando seu intuendo, quia certissimè noverat, & frequenter considerabat, qualiter Filius suus esset ab impiissimis crudeliter occidendus, perforandus, ac crucifigendus. Ex qua consideratione tantam interdum compassionem & afflictionem incurrit, quod venit quasi in exstasim, & defectum; & tunc verè dicere potuit, Fasciculus myrrhæ &c. Verùm ex consideratione abundantissimi fructus passionis Filii sui, & ex gloria resurrectionis, ascensionis, ac plenæ victoriæ ejus tantam consolationem conceperit, ut dicere potuerit: Botrus Cypri dilectus meus mihi. Ipsa quoque dicere potuit: sicut abundat Christi passio in me, ita per Christum abundat consolatio mea.* Proverb. 8. *Itémque secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Psal. 83. *Ideò autem voluit Christus Matrem suam charissimam sibi in omnibus præcordialissimè condolere, ut ipsa per hoc copiosiùs mereretur pro innumeris peccatoribus exaudiri, secúmque gloriosiùs coronari. Quia, ut ait Apostolus, si compatimur, & conregnabimus, & sicut socii sumus Passionis, sic & consolationis erimus. Hinc jam verba bona, verba consolatoria à Filio proferuntur ad Matrem: Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra; quia splendore mundissimæ Virginitatis incomparabiliter radians, atque supernaturali fœcunditate, ac genitura divina præfulgens, corporali decore, omni exteriore mortalitate, cunctorum divinorum charismatum claritate coruscas.* Hæc Dion. de miris effectibus quos jugis myrrhei fasciculi commemoratio seu passionis Christi meditatio in animo pepetit Deiparæ.

17. Quod si secundùm Textum Hebræum cum Doctore Angelico legamus. *Stacte panniculo involuta, dilectus meus mihi* intelligemus, Virginem non modò passionem ac mortem Christi, verùm etiam sepulturam intra ubera intellectûs ac voluntatis reconditam ardentissimo eum amoris affectu habuisse. Est enim stacte gutta, quæ ex arbusculæ myrrhæ ventis agitata, vel incisa distillat. Unde stacte dicitur à verbo græco στάζω, hoc est, Stillo. Quare Cœlius supra memoratus sententiam illam sponsæ hujusmodi

di reddidit paraphrasi: *Amor meus in Christum est mihi, tanquam fasciculus Myrrhæ, sive gutta Myrrhæ involuta panniculo aliquo*, quæ tametsi sit res valde odorata, tamen nisi admoveatur igni non dat odorem. Sic & amor meus in Christum, non dabit odorem nisi fuerit cœlesti igne combustus; Quod verè pronunciavit sponsa: Nam amor Patrum non erat perfectus in Christum, & hoc ideò quia nondum venerat ille ignis desuper qui hunc perfectum Patrum amorem perficeret, & rectè amor eorum perindè, ac myrrha panniculo involuta extiterit, quæ nondum igni admota esset. At verò quia cor Virginis igne Divini amoris totum erat accensum: stactæ hæc panniculis sive linteaminibus sepulchralibus involuta inter ubera intellectûs ac voluntatis assiduâ, ferventíque meditatione collocata, suavissimum odorem spirabat, eóq; absentiam Dilecti Filii solabatur.

Post Christi in cœlos ascensum B.V. maximo ejus desiderio ferebatur.

18. De ardenti hoc Matris in Filium amore præclarè S. Hieron. Ser. de Assumpt. *Amor Christi, Mariæ desiderium pariebat, desiderium vero gliscens, quasi novis reparabatur ardoribus, in tantum, ut credam, quòd nonnunquam omnia etiam, & semetipsam transcenderet; quia omnino amor impatiens, quod amat, non potest non videre. Cogitate attentiùs, & perpendite, quibus afficiebatur Beata, & intemerata Virgo Mater doloribus post Christi ad cœlos ascensum, expletis omnibus, quæ erant de illo prædicta à Prophetis, &c. Quæso, si quæ sunt in vobis, viscera pietatis, considerate, quo cruciabatur amore, quóve desiderio æstuabat hæc Virgo, dum revolveret animo cuncta, quæ audierat, quæ cognoverat: puto, quòd quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas, quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris; quia, etsi diligebat Christum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute; novis tamen quotidie inflammabatur, præsentiâ absens, desideriorum affectibus. Tanto siquidē, validiùs, quantò divinis illustrabatur intus visitationibus, quam tota repleverat Spiritus S. gratia, quam totam induerat divinus Amor; ita, ut in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus & ebrietas perfecti amoris. Nam & Christus ab omnibus est amandus ex toto corde, & ex tota anima, atq; ex tota virtute quærendus; maximè tamen ab ea ardentiùs, cujus Dominus erat & Filius.* Quod porrò peculiariter Virgo loca Sancta, in quibus Christus passus & sepultus fuerat, dilexerit, ac sæpè visitaverit, ibidē declarat Hieron. *Quamvis*, inquiens, *jam in Spiritu esset, tamen, dum in carne vixit, carnalibus movebatur sensibus, & ideò quàm sæpè locorum recreabatur visitationibus; Et quem genuerat, mentis complectebatur amplexibus. Fortassis ergò præ nimio amore in loco, quo sepultus Christus dicitur, interdum habitasse eam credimus; quatenus piis pasceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus medius est hinc, indè constitutus, ut adire posset ascensionis ejus vestigia & locum sepulturæ, ac Resurrectionis, ac omnia, in quibus passus est, loca invisere, ut vel solo illorum consolaretur aspectu.*

B.V. invisit loca, in quibus passus est Christus, post ejus in cœlos ascensionem.

19. De eadem hac Sanctorum locorum à Virgine frequentata visitatione audiendus etiam S. Ildephonsus Archi-Episc. Tolet. Ser. 5. de Assumpt. *Si scire volumus*, inquit ille, *quid Dei Genitrix post Resurrectionem Domini, antequam ipse Cœlos ascenderet, agebat; sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, passionis, sepulturæ, & resurrectionis frequenter circumiens invisebat, in eisdem etiam locis lacrymas fundebat, & Sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad notum sibi refugium, Apostolicum videlicet contubernium, post Dominicorum locorum intuitum cum gaudio remeabat.* De eadem Sacrorum locorum visitatione pulchrè B. Guerricus

Loca mysteriis Christi Domini celebrata à B.V. invisuntur.

Abbas, Ord. Cister. jubar, Serm. 2. de Assumpt. ubi introducit Angelos Deiparam morti vicinam ita alloquentes: *Quid est*, inquiens, *quòd præter solitum tristis ab heri & nudius tertius, sicut solebas, non Sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Jam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum Crucis impleres lacrymis, aut ad sepulchrum Filii adorantem gloriam resurrectionis, aut in monte Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in Valle Josaphat commorata in Ecclesia mirò lapideo fabricata tabulatu; ne scilicet à Sanctis locis longiùs recederet, sed sæpius ea invisens, licèt omnia memoriâ teneret, formam tamen gestorum, velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulciùs amplecteretur; ut vel sic suum aliquantulum amorem solaretur. Causam igitur percunctantibus illis, cur ab his modò vacaret, &, ex toto decumberet: langueo, inquit, amore langueo, langueò plus impatientiâ amoris, quàm passione doloris, plùs vulnerata charitate, quàm gravata infirmitate.* Sic ille.

B. Virgo meditabatur passionem, & vitam Christi.

20. Quanto porrò pietatis sensu, & devotionis affectu, passionis ejus, mortísque memoriam recoleret, déque rebus ejus & in vita & in morte gestis verba faceret præclarè meditatus est Rupertus Abbas lib. 5. in Cant. dum ita eam loquentem introducit. *Flebam, & præ singultibus vehementer erumpentibus non poteram verba, nisi concussa, & voces, nisi intercisas, evolvere. Numquid enim poteram absque fletu de illo verba facere? Verùm fletus ipse consolatio mihi erat, delectatio mihi erat, sicut & cuique vestrum lacrymæ sunt dulces, fluentes in ejusdem recordatione dilecti, juxta illud: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte; quantò magis mihi, diceretur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? filius tuus? sive dum dicerem: Ergo me dimisit in hoc sæculo Deus meus, Filius meus de me taliter incarnatus, vel natus, propter me, & me vidente taliter agonizatus, talia passus? Quale mihi erat commemorare, sive narrare verba ejus cœnæ Sacrosanctæ, quando tradebatur, usque ad hæc verba novissima. Mulier ecce Filius tuus. Ad Discipulum autem: Ecce Mater tua. Ibi ignis, ibi gladius, ignis amoris, gladius doloris, & anima mea erat victima holocausti: hanc enim & ignis accendit, & gladius pertransivit. Unde sicut Adeps Sacrificii liquescit ab igne, & sicut fluit Sanguis de gladii vulnere; sic anima mea liquefacta est. Non ibi semel tantùm, ubi moriebatur ipse, verùm quoties me aperiente pessulum ostij, locutus est in me; toties quippe sensi profundo corde, vulnerata mente istud, quod nunc dico, quia dilaniaverat, atque transierat, ipsa commemoratione horum sensuum mihi renovante, ut magis, ac magis sentirem eum hic jam non esse, visibiliter non comparere.*

B. V. Compassa est 5. vulneribus Christi.

21. Quanam porrò ratione Columba hæc Virginea in foraminibus hísce vivæ illius, animatæque Petræ, quæ erat Christus, habitaverit, ipsiúsque dolores, ac vulnera per intimam animi compassionem sua effecerit, ipsa Virgo S. Brigittæ pluribus in locis indicavit. Et quidem lib. 1. Revel. c. 27. ita ipsa loquitur: *Qui est, in hac mundi chorea, consideret laborem, & dolorem meum, & condoleat mihi, quæ eram ab omni lætitia mundi segregata, & ipse segreget se à mundo. In morte namque Filii mei eram, sicut Mulier, habens cor affixum quinque lanceis. Prima lancea erat nuditas verecunda, & vituperosa, quia videbam Filium meum charissimum, & potentissimum adstare ad columnam nudum, & nihil operimenti habentem. Secunda erat accusatio ejus. Nam accusabant, dicentes, eum proditorem, & mendacem, & etiam insidiatorem, quem Ego sciebam justum esse & veracem, nullúmque offendisse, vel voluisse offendere. Tertia lancea erat mihi spinea*

5. Lanceis, cordibus B. V. in passione Christi transfixa est.

spinea ejus corona, quæ sic immaniter pupugit caput ejus sanctissimum, ut sanguis defflueret in os, in barbam, & in aures ejus. Quarta erat vox lamentabilis in cruce, qua clamavit ad Patrem: ô Pater, quare me dereliquisti! quasi diceret: Pater, non est, qui misereatur mei, nisi tu. Quinta lancea, quæ cor meum pertransibat, erat mors ejus dirissima. De quot enim venis sanguis ejus exivit pretiosus, quasi totidem lanceis cor meum perforatum est. Perforatæ sunt nempe venæ manuum ejus, & pedum, & dolor nervorum accessit ad perforatum cor ejus inconsolabiliter, & de corde iterum ad nervos. Et quia cor ejus erat rectissimum, & optimũ, quia ex optima natura compaginatum, propterea certabant inter se vita, & mors, & sic amariùs pertrahebatur vita inter dolores. Appropinguante autem morte, cùm præ intolerabili dolore rumperetur cor, tunc statim contremuerunt omnia membra ejus, & caput, quod ad dorsum ejus reclinabatur elevavit se modicum. Oculi semiclausi aperiebantur quasi ad medietatem. Os ejus similiter aperiebatur & videbatur ejus lingua sanguinolenta. Digiti & brachia, quæ erant contracta, quodammodo extendebantur. Tradito autem spiritu, caput inclinabatur ad pectus. Manus de loco vulnerum modicum submiserunt se. Pedes sustentabant majus pondus. Tunc aruerunt manus meæ, oculi tenebrati sunt, & facies, quasi mortui hominis expalluit. Aures nihil audierunt; Os nihil loqui potuit. Pedes etiam mei nutaverunt, & corpus etiam meum cecidit in terram. Surgens autem de terra, cùm viderem Filium meum leproso despectiorem, posui meam voluntatem totam ad ipsum, sciens, quòd secundùm voluntatem ejus omnia facta fuissent, & non potuisse fieri, nisi ipso permittente, & regratiabar ei pro omnibus. Huic tamen meæ mestitiæ, quædam lætitia admixta erat, quia videbam eum, qui nunquam peccavit, ex tanta charitate talia pro peccatoribus pati voluisse. Ergo quicunque est in mundo, consideret qualis eram in morte Filii mei, & semper me habeat præ oculis. Hæc ipsius æternæ Veritatis Mater. Quæ tamen sanè intelligenda sunt quoad illum casum in terram. Neque enim ex hoc inferre possumus spasmum propriè dictum passam fuisse Virginem. Cùm hic Teste Galeno lib. 6. Aphorism. 39. sit passio involuntaria in nervis. Et lib. 3. de locis affectis c. 6. asserat spasmum esse convulsionem, & involuntariam nervorum contractionem subitam partium, aut nervorum cum dolore nimio. Contingere autem dicit, aut ex repletione, aut exinanitione. Atque hinc fit, ut hic, qui patitur, in terram cadat, tum ob membrorum contractionem, tum ob sensuum perturbationem. Quod in beatam Virginem cadere potuisse nullo modo asserendum est; hoc enim notabile ejus dignitati præjudicium adferret. Quòd si spasmum impropriè dictum accipiamus, prout dicit dolorem quemdã ingentem, & acutum, qui etsi nervos non afficiat, nec contorqueat, neque rationis usum intercipiat, sic tamen patientem cruciat, & vires corporis minuit, ut vix homo se sustinere possit; propterea interdum fit, ut in terram labatur. Et hoc accidisse Virgini, patientem in cruce Filium, ejúsq; acerbissima vulnera contemplanti, dicere possumus. Tunc enim in exstasim rapta divini amoris, dolorísque vehementiâ languisse, & in terram procubuisse, maximè circa crucifixionis initium creditur, quam tamen postea surrexisse, & juxta crucem stetisse, doloris se se tantisper remittente sensu, B. Joannes Evangelista commemorat; ita explicuit Doctissimus Salmeron noster lib. 10. Trac. 41. Vide ea, quæ par. 1. Disc. 14. n. 56. & seq. hac de re dicta sunt.

Christi in cruce morientis repræsentatio.

B. Virgo non passa est spasmum, sed alios dolores ingentes, Christo in cruce moriente.

22. Eadem Divina Mater lib. 1. Revel. cap. 10. recensens totius vitæ suæ in hoc mundo transactæ seriem, & quânam ratione ab ipsa Pueri JESU infan-

B. Virgo Christo puero inserviens prævidit futuram passionem ejus.

infantiâ ipsius corpus, ac membra fasciis involvens, vulnera manuum, pedumque Spiritu afflata Prophetico, eis infligenda, prævideri, diffusè describit: Cùm conspicerem, & desiderarem pulchritudinem ejus, anima mea, quasi rorem præ gaudio stillabat, sciens me indignam tali Filio. Quando verò considerabam loca clavorum in manibus, & pedibus, quos secundùm Prophetas crucifigendos audivi; tunc oculi mei replebantur lacrymis, & cor meũ quasi scindebatur præ tristitia. Et cùm Filius meus oculos meos lacrymãtes inspexit, contristabatur quasi usq; ad mortem. Cùm verò considerarem potentiam Deitatis ejus, consolabar iterum, sciens, quòd ipse sic vellet, & sic expediret, & omnem voluntatem meam conformavi voluntati ejus; & sic semper erat lætitia mea permixta cum dolore. Instante verò tempore passionis Filii mei, rapuerunt eum inimici ejus, percutientes eum in maxilla & collo, & conspuentes illuserunt ei. Deinde ductus ad Columnam personaliter se vestibus exuit, personaliter manus ad columnam applicuit, quas inimici sinè misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, patiebaturque erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus amicis suis undique adstabant & flagellabant corpus ejus, absque omni macula, & omni peccato mundum. Ad primum igitur ictum, Ego, quæ adstabam propinquiùs, cecidi, quasi mortua, & resumpto Spiritu vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costas, ut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cúmque filius meus totus sanguinolentus, ac totus laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas; tunc quidam concitato in se Spiritu quæsivit: Numquid interficitis eum sic injudicatum? Et statim secuit vincula ejus. Indè Filius meus induit se vestibus suis, tunc locus, ubi stabant pedes Filii mei, totum repletum vidi sanguine; & ex vestigiis Filii mei cognoscebam incessum ejus. Quo enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine, nec ipsi patiebantur, ut se indueret, sed traxerunt eum, ac compulerunt, ut accelerarer. Cùm autem duceretur, quasi latro, ipse Filius meus extersit sanguinem ab oculis suis. Cúmque judicatus esset, imposuerunt ei Crucem portandam, quam cùm ad modicum portasset, venit quidam eandémque portandam assumpsit. Interim eunte Filio meo ad locum passionis, alii percusserunt eum in collo, alii in faciem ceciderunt. Etiam fortiter validéque percussus est, ut, licèt Ego non viderem percutientem, audivi tamen clarè sonitum percussionis. Cúmq; venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi præparata ad mortem inferendam. Et ipse Filius meus illuc veniens, exuit se personaliter vestibus suis, ministris inter se dicentibus: Hæc vestimenta nostra sunt, nec ea rehabebit, quia ad mortem damnatus est. Stante autem Filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, quidã tunc accurrens, quasi exultans verenda ejus velavit: Postea rapuerunt eum sævi Tortores, & extenderunt in Cruce. Primò dexteram manum ejus affigentes stipiti, qui pro clavis jam perforatus erat, & manum ipsam ex ea parte perforabant, quâ os solidius erat. Unde aliam manum ejus fune trahentes ad stipitem, eandéq; simili modo affixerunt. Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & insuper sinistrum duobus clavis, ita, ut omnes nervi, & venæ extenderentur, & rumperentur. Quo facto aptaverunt Coronam de spinis capiti ejus, quæ tam vehementer reverendum caput Filii mei pupugit, ut ex sanguine fluente replerentur oculi ejus, obstruerentur aures, & barba tota, decurrente sanguine deturparetur. Cúmq; sic sanguinolentus & perforatus staret, mihi adstanti ac gementi cõdolens, respexit Sanguinolentis oculis ad

Passio Christi à B. Virgine Sanctæ Brigittæ revelata.

ad Joannẽ sororium meũ,& me commendabat ei. In tempore illo, audivi alios dicentes, quòd Filius meus erat latro; & alios, quôd mendax; alios, quòd nullus dignior esset morte, quã filius meus; ex quorum auditu, dolor meus renovabatur, sed ut dictum est, cùm primus clavus infigeretur ei; ego ad primum ictum conturbata, cecidi, quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus, & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto cruci affixus erat. Surgens verò vidi Filium meum miserabiliter pendentem, & ego Mater ejus mœstissima undique consternata, præ dolore vix stare potui. Filius autẽ meus videns me, & amicos suos inconsolabiliter flentes, flebili & alta voce clamabat ad Patrem suum: Pater, quare me dereliquisti!. Tunc oculi ejus apparuerunt Semi mortui, maxillæ ejus submersæ, & vultus lugubris; os ejus apertum & lingua sanguinolenta; venter dorso inhærens consũpto humore, quasi non haberet viscera. Omne corpus pallidum & languidum ex fluxu, & egressione sanguinis, manus, & pedes ejus rigidissimè extensi erant, & juxta formam crucis, cruci attracti & conformati. Barba, & crines ex toto respersi sanguine. Itaq; cùm Filius meus sic laceratus, & lividus staret, solum cor recens erat, quia optimæ, & fortissimæ naturæ erat. De mea enim carne corpus mundissimũ & optimè complexionatum sumpsit. Cutis ejus sic gracilis erat, quòd nunquam ita leniter flagellabatur, quin statim exiret. Ipse quoque sanguis ejus, tam recens erat, ut cute munda videri posset. Et quia optimæ naturæ erat, vita cum morte in corpore ejus perforato certabat. Cúmque Filius meus his doloribus circumseptus, respexit ad amicos suos flentes, qui maluissent pœnam illam in se cum ejus auxilio pertulisse, vel in æternum in inferno ardere, quàm eum sic cruciatũ videre; Dolor ille ex amicorum dolore omnem amaritudinem & tribulationem, quam vel in corpore, vel in corde sustinuit, excedebat; quia tenerè diligebat eos. Tunc præ nimia corporis angustia, ex parte humanitatis, clamavit: O Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Hanc vocem cum ego ejus Mater mœstissima audiissem, contremuerunt omnia membra mea cum amaro cordis mei dolore. Et quoties postea hanc vocem recogitabam, quasi in aure mea præsens, & recens aderat. Tunc quidem dixerunt ad me: Maria Filius tuus mortuus est. His dictis, quidam adveniens, infixit lanceam in latus ejus, tam validè ut penè per aliud latus ejus transiret, & cùm extraheretur hasta, apparuit cuspis sanguine rubicunda. Tunc mihi videbatur, quòd quasi cor meum perforaretur, cùm vidissem cor charissimi Filii mei perforatum. Deinde depositus est de cruce, quem ego recepi in genu meum, quasi leprosum, & totum lividum. Oculi ejus erant mortui, & sanguine pleni. Os frigidum, quasi nix; barba, quasi restis. Facies contracta. Manus quoque sic obriguerant, quòd non possent deponi, nisi circa umbilicum. Sicut stetit in cruce, sic habui eum in genu, quasi hominem omnibus membris contractum. Postea posuerunt eum in linteum mundum, & ego linteo meo extersi vulnera & membra ejus, clausiq; oculos & os ejus, quæ in morte erant aperta. Deinde posuerunt eum in sepulchro. O quam libenter viva tunc posita fuissem cum Filio meo, si ejus fuisset voluntas! Ecce, Filia mea, talia sustinuit Filius meus pro te.

23. His similia recenset eadem Deipara, quæ in Filii sui passione contigerunt lib. 4. revelat. c. 70. quibus ostendit, se revera gemebundam in morte, & Passione Filii fuisse columbam & in animatæ illius Petræ foraminibus jugiter habitâsse, ejúsque dolores, cruciatúsque altè menti suæ, cordíque impressisse, eosdémque in aliorum animos infixos esse voluisse, dum toties, tantóque cum affectu servæ suæ Bri- gittæ

B. Virgo cupit impressam esse passionem Christi animis Mariophilorũ.

gittæ passionem acerbissimam Filii, ejusdémque seriem ipsi in memoriam revocat: uti facit eodem lib. 1. Revelat. cap. 35. ubi rursus Dei Mater ita illi loquitur: Considera, Filia mea, passionem Filii mei, cujus membra fuerunt mihi, quasi membra mea, & quasi cor meum. Nam ipse, sicut alii Filii in visceribus Matris solent esse, sic fuit in me. Sed ipse conceptus est ex fervent charitate divinæ dilectionis, alii autem ex concupiscentia carnis. Unde bene dicit Joañes consobrinus ejus: *Verbum caro factum est.* Nam per charitatem ipse venit, & erat in me. Verbum autem, & charitas ipsum fecerunt in me. Ipse quippe mihi erat, quasi cor meum; propterea cùm nasceretur ex me, sensi ego, quòd quasi cor meum patiebatur. Sicut enim illud, quod dimidium est, extra, & dimidium intra, si illud pungitur, quod est extra, æque sentit dolorem illud, quod intus est. Sic egó cum flagellaretur, & pungeretur Filius meus, quasi cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego etiam fui propinquior ei in passione, nec separabar ab eo. Ego stabam vicinior cruci ejus, & sicut hoc graviùs pungit, quod vicinius est cordi, sic dolor ejus gravior mihi erat præ ceteris. Cùm respexisset ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis, quasi de venis lacrymæ exibant. Et cùm ipse me cerneret dolore confectam, in tantum de dolore meo amaricabatur, quòd omnis vulnerum ejus dolor erat quasi sopitus præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quia dolor ejus erat dolor meus. Quia cor ejus erat cor meum. Sicut enim Adam & Eva mundum uno pomo vendiderunt; sic Filius meus, & ego redemimus mundum, quasi uno corde. Ideò Filia mea cogita, qualis ego eram in morte Filii mei, & non erit tibi grave mundum relinquere.

B.V. cum Christo redemit mundum.

24. De eadem passione mirísque, ejus effectibus in toto universo rursus loquitur Deipara S. Brigittæ lib. 6. Revelat. c. 11. In morte Filii mei omnia conturbabantur. Nam Deitas, quæ Filium tradidit in mortem, & nunquam ab eo separabatur, nec in morte quidem, in illa horula mortis, tanquam compatiens videbatur, licèt nullum dolorem, aut pœnam Deitas pati possit; quia impassibilis, & immutabilis est. Filius ipse patiebatur dolorem in omnibus membris, & etiam in corde; quia tamen secundùm Deitatem erat immortalis, patiebatur, quia exivit de corpore congregati Angeli etiam, quasi turbari videbantur, cùm viderent Deum in humanitate talia in terris patienté. Omnia quoque elementa turbabantur, & sol, & luna dimiserunt splendorem suum, terra tremuit, lapides scindebantur, sepulchra aperiebantur in hora mortis Filii mei: omnes gentiles turbabantur, ubicunque erãt, quia in corde eorum venit quasi quædam punctura doloris, licèt nescirent, unde esset. Turbabatur etiam cor crucifigentium illum in ea hora, sed non ad gloriam eorum. Turbabãtur simul im̃undi spiritus in illa hora simul congregati. Illi autem, qui erant in sinu Abrahæ multùm turbabantur, in tantum, quòd mallent in æternum esse in Inferno, quàm talem pœnam in Domino suo intueri. Ego autem, quæ tunc eidem Filio meo adstabam, qualem dolorem passa sim, nullus potest considerare. Ideò, Filia mea, recordare Passionem Filii mei, fuge instabilitatem mundi, qui non est, nisi quædá visio, & flos cito arescens.

Christus passus est non secundùm Deitatem, sed secundùm humanitatem.

Totum universum conturbatum est in morte Christi.

25. Eadem Virgo, columba purissima, assiduè in illa sua animata petra, ejúsque foraminibus, cavernáq; lateris habitans, denuo eidem sanctæ, viduæ, in die purissimæ suæ Purificationi facto occasione gladii Simeonis, qui animã ejus pertransivit, de Passione Filii, deq; doloribus, quos ipsa passa est, tali inquit, die dolor meus augmentatus est. Nam licet sciebam, ex inspiratione Filium meum passurum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium pertransiturum animam meam, & Filiũ meum positũ in signum, cui contradiceretur,

Dolor B. Virginis ex prædictione Simeonis.

ceretur, graviùs perforabat cor meũ dolor iste, qui, usque dum assumpta fui corpore & animâ in cœlum, nunquã abiit à corde meo; licèt ex consolatione diviniSpiritûs temperabatur. Scire etiam te volo, quòd ab isto die dolor meus sexduplex fuerit. Primò fuit in cogitatione mea; nam quoties aspiciebam Filium meum, quoties involvebam pannis, quoties videbam ejus manus & pedes, toties animus meus, quasi novo dolore absorptus est; quia cogitabam, quando esset olim crucifigendus. Secundò fuit dolor in auditu meo; nam quoties audivi opprobria Filii mei, & mendacia, insidiásq; illi positas, toties animus meus dolore commotus est, ita, ut vix se tenere posset. Sed virtute Dei dolor meus modum, & honestatem habuit, ne impatientia, vel levitas in me notaretur. Tertiò fuit dolor, meus in visu. Nam quando vidiFilium meum ligari, & flagellari, in lignóque suspendi, corrui quasi exanimis, & resumpto spiritu steti dolens, & sic patienter sufferens, ut nec inimici, nec alii in me aliud præter gravitatẽ repererint. Quartò fuit dolor meus in tactu. Ego enim cum aliis deposui Filiũ meum de cruce & involvi eum, & posui in tumulũ: & ita tunc augebatur dolor meus, ut vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistẽdum. ô quàm libenter tunc suspensa fuissem cum Filio meo! Quintò patiebar ex vehementi desiderio perveniendi ad Filium meũ, postquam ipse ascendit in Cœlum; quia longa mora, quam habui in mundo, post ascensionem ejus, dolorem meũ augebat. Sextò patiebar dolorem ex tribulatione Apostolorum, & amicorum Dei, quorum dolor erat dolor meus, timens semper, ac dolens; Timens, ne succumberẽt tentationibus, & tribulationibus; Dolens, quia verba Filii mei ubique habebant contradictionem. Et licèt gratiaDei perseverabat mecum, & voluntas mea esset secundùm velle Dei, attamen dolor meus continuus erat permixtus consolatione; donec assumpta fui corpore, & animâ ad Filium meum in cœlũ. Propterea Filia non discedat dolor iste ab anima tua; quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad cœlestia pervenirent.

Dolor sexduplex B. Virginis ex passione Christi.

Tribulationes sunt necessariæ ad impetrandum cœlum.

26. Eandem meditandæ passionis dilectissimiFilii sui quoad hoc in mundo vixit, expressit assiduitatem, ac studiumDeipara eodem lib. 6. revel. cap. 61. Omni tempore, inquiens, quo post ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca, in quibus passus est, & mirabilia sua ostendit. Atque ita ejus passio in corde meo fixa erat, quòd sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoria mea. Sic etiam sensus mei abstracti erant à mundialibus, quòd jugiter, quasi novis desideriis inflammabar, vicissimque doloribus excitabar. Verumtamen sic dolorem, gaudiúmque meum temperabã, ut nihil omitterem eorum, quæ Dei sunt.

B. V. meditabatur assiduè passionem Christi, & sacra passionis loca invisebat.

27. De hisce tam Filii, quàm Matris doloribus in passione illa amarissima exantlatis, eadem S. Brigitta magno cum pietatis sensu scripsit lib. 7. Revelat. cap. 15. ubi fatetur, se montemCalvariæ in peregrinatione illa sua Hierosolymitana visitâsse, ac vidisse Salvatorem nudum, totúmque flagellis concisum, inter frementes Judæos, ad eumdem in Crucem suffigendum, expeditos. Describit inde totius Dominicæ Passionis, quam in exstasim rapta fuerat contemplata, ostendens revera, se quoque Columbam in foraminibusPetræ habitantem fuisse. Tum ad Virginem nostram in eadem Petra jugiter habitantem factâ digressione, ita prosequitur: Cúmque ego dolore repleta, Judæorum crudelitatem respicerem, vidi tuncMatrem ejus mœstissimam in terra jacentem, & quasi trementem ac semimortuam, quam consolabatur Joannes, & aliæ ejus Sorores, quæ tunc non longe à cruce stabant ad ejus partem dexteram. Dolor igitur novus compassionis illius sanctissimæ Matris in tantũ transfixit me,

S. Brigitta devotè recolit Christi & B. V. passionem.

Exstasis S. Brigittæ de passione Christi, & beatæ Virginis.

ut sentirem, quòd cor meum quidam gladius acutus intolerabilis amaritudinis pertransiret. Surgens tandem Mater illa ejus dolorosa, quasi exanimata corpore, respexit ad Filium suum, & sic stabat à sororibus sustentata, tota stupore suspensa, ac velut mortua, vivens gladio doloris transfixa, quam cùm Filius respexisset, & alios amicos plorantes, voce flebili commendabat eam Joanni: Et benè cernebatur in gestu ejus, & voce, quòd cor ejus ex compassione Matris acutissimâ im̃ensi doloris sagittâ penetraretur. Tunc autem oculi ejus amabiles, & decori apparebant semimortui, os ejus erat apertum, ac sanguinolentum; Vultus pallidus, & submersus, totúsque lividus, & intinctus sanguine, corpus quoque totum erat quasi lividum, & pallidum, & valdè languidum ex continuo decurrentis sanguinis fluxu. Cutis etiam, & caro illa Virginea Sanctissimi corporis ejus ita delicata, & tenera erat, quòd ex modica percussione illata signum lividum exteriùs apparebat. His similia de Dominica Passione S. Brigittæ com̃memorat Angelus in suo sermone c. 17. & 18. Sciens, quanto affectu hæc Sancta vidua in sacris vulneribus Salvatoris, velut gemebunda in foraminibus Petræ acerbissimos ejus cruciatus recolendo versabatur.

B. V. transformata est in Christum, dum eadem, quæ ille passa est.

28. Hæc porrò Columba nostra Virginea in Petræ foraminibus, in caverna maceriæ, in vulneribus, lateréq; Salvatoris assiduâ inhabitatione, id demum consecuta est, ut corpore & animâ in Crucifixum patientem, morientémque Filium, omnes ejus plagas, ac vulnera, omnes ejus dolores ac livores in corde suo veluti speculo repræsentans, transformaretur. Quod vobis præter alios SS. Patres quos videre est To. 1. Disc. 14. n. 37. & seq. magnus ille, sæculíque nostri Thaumaturgus, piissimus Josephus Anchieta præclarè expressit hymno illo suo pulcherrimo, cujus autographo gaudent Patres nostræ Societatis Montibus in Hannonia, quo ostendit cor Divæ Virginis, tam Spinis, quibus verticem, quàm clavis, quibus manus, ac pedes, quàm lanceâ, qua latus, quàm denique plagis, ac vulneribus, quibus totum corpus confossum habuit, fuisse sauciatum; omnésque illos acerbissimos sacratissimorũ membrorum dolores velut peracutos gladios animam Virginis pertransisse, omnémq; illam amaritudinem in cor ejusdem redundâsse. Unde pientissimo compassionis affectu, velut chari cujuspiam Filii Deiparæ cor tot doloribus lancinatum, ita salutare non dubitavit. Contemplans igitur caput acutissimis spinis coronatum, córque Virginis eisdem compunctum, illud sic salutat:

Salutationes ac cor B. V. ob passionem filii afflictum.

Ave Matris cor benigna,
Quod crudeles pungunt Spinæ,
Nati fixæ capiti.
Illi caput perforârunt,
Tibi pectus lacerârunt,
Mundi culpa perditi.

Salutatio ad cor B. V. ob Christum spinis coronatum, mœrore obrutum.

Fige meum, ne vagetur
Intellectum, sed rimetur
Plagas tuas dulciter.
Tu cum JESU, JESUS tecum
Maneatis, semper mecum
Amplectando fortiter.

Tum manum dextram Christi clavo terebratam, eodemq; Matris cor sauciatum considerans, ita manum illam Universi totius formatricẽ avere jubet.

Salutatio ad cor B. V. mœstum ob dextram Christi Domini perforatam.

Ave Matris cor lugentis,
Quod diris clavus tormentis
Dextra manus afficit.
Fœlix clavus, qui Divinum
Natum simul, & benignum
Matris pectus conficit.
Pia Mater Redemptoris,
Tui leviter amoris
Mihi manum adhibe.
Tange lepram, & mundabor,
Tange vulnus, & Sanabor;
Et peccantem cobibe.

Inde ad manum sinistram Crucifixi versus, eodem pietatis affectu ita modulatur.

Salutatio ad cor B. V. ob manum sinistram Christi perterebratam, afflictum.

Ave Partus Matris alma,
Cui sinistra vulnus palma
Dirum vulnus imprimit.
Iste clavus tibi impressus,
Quo perimitur JESUS,
Culpa mortem perimit.

Tuo

Tuo Genitrix dolore,
Salutariq; timore
Carnes meas saucia;
Ut peccata caveantur,
Dum tremenda formidantur,
Domini judicia.

Nec minori pietate dextrum pedem clavo terebratum cum corde Matris contemplans ita salutavit.

Salutatio ad cor B. V. ob pedem dextrum transfixum clavo, mœstitia affectum.

Ave Matris cor Sacratum,
Quod contemplor cruentatum,
Dextri pedis cuspide.
Ad te currit cor amantis;
Animúsque singultantis
Te suspirat avidè.
O si tua castitatis
Suavis odor hamatis
Me sagittis feriat!
Ut extincto carnis bello,
Tua pietas in Cœlo
Me victorem capiat.

Tum pedem Christi sinistrum cum corde Matris eodem illo clavo transfosso, ita salutat.

[Sa]lutatio cordis Mariani ob Christi pedem sinistrum perterebratum mœrore obrutum.

Ave Matris cor afflictum,
Quod cum Nato gravem ictum,
Lævi pedis pateris.
Nullam culpam cum patràris,
Omni pœna cruciaris,
Omni plagâ læderis.
Ne me culpis maculatum,
Me sceleribus fœdatum,
Pœnis dele meritis.
Ut cum miti humilitate,
Humilique paupertate
Iuis addar subditis.

Tandem vulnus lateris, quo Virgo cor suum columbinum quasi semper recondebat, ut majoribus Divini amoris flammis æstuaret, unà cum purissimo ejus corde ita salutat:

[Sal]utatio ad [cor] B. V. mœ[ste]m ob latus [Ch]risti lanceâ [tra]nsfixum.

Ave Matris cor honesta,
Cujus, Simeone Teste,
Ensis fidit intima,
Dum defuncti latus nati,
Rupit Militis armati,
Hasta crudelissima.
In te Spina conjurarunt,
Clavi, crux, & quæ fœdârunt
Flagra dura Filium:
Ut cum Nato morienti
Materna superfit menti
Nullum refrigerium.

Sic Sanctissimus ille, amantissimus Virginis, mirabilium inter Brasilos patrator, Josephus, piissimo affectu tam Filio cruci affixo, ejusque manuum, pedum, laterísque vulneribus, quàm Matri in eis jugiter corde, mentéque habitanti compatiens.

B. V. moriens animam suam exhalavit in latus Christi Domini.

29. Et quia Columba hæc, dum in hac vita versaretur, jugiter in hisce animatæ Petræ foraminibus, vulneribus nempe salvatoris, habitare consueverat, inde factum, ut etiam, dum ex hac vita comitante Filio cum innumeris Angelorum myriadibus decederet, candidissimam, purissimámque illam suam animulam in ejus latus, ut divinitus S. Thomæ Canturiensi Archi-Episcopo revelatum perhibetur, exhalaret. Quod sanè piè credi à fidelibus oportere facilè nobis persuaserimus, si in memoriam revocemus, quid Mellifluus Doctor Bernardus de animabus Martyrum, ad tot, tamque immania tormenta insensibilium, senserit. Quod nobis Columba illa Noëtica ramum Olivæ virentibus foliis deferens, & per fenestrellam Arcæ ingrediens, adumbrare visa est. Siquidem S. Bernardus in soliloquio, ostium illud, quod factum est in latere Arcæ, vulnus lateris Salvatoris designare censuit. Sic enim ille Ser. 61. in Cantica, Columbam illam, *cujus pennæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri* simul & invitationem illam Patris æterni attentiùs expendens: *Surge propera Columba mea, speciosa mea, & veni, in foraminibus Petræ in caverna maceriæ. Jam complacet sibi Martyr videlicet,* inquit ille, *in vulneribus Salvatoris. Idcircò audit: Columba mea in foraminibus petræ, quod in Christi vulneribus totâ devotione versetur, & jugi devotione demoretur in illis. Inde Martyrii tolerantia, inde illa magna fiducia apud Deum altissimum. Non est, quòd vereatur Martyr exanguem, lividámque levare ad eum faciem, cujus livore sanatus est, gloriosam repræsentare similitudinem mortis ejus, utique in pallore auri: Quid vereatur? cui etiam à Domino dicitur: Ostende mihi faciem tuam: Ad quid? Ut mihi videtur, se magis ostendere vult; ita est, videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non est ei opus, ut quis se ostendat, à quo nil non videtur, nec si se abscondat. Vult ergò videri. Vult Benignus Dux devoti militis vultum, & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat & exem-*

Sancti Martyres sub Martyrio passionem Christi contemplantes dolores non senserunt.

plo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enim verò non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians, & triumphans, toto licèt lacero corpore, & rimante licèt latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergò tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus, JESU vulneribus mirùm patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum, profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in Petra habitans, quid mirum? si in modum Petræ duruerit, sed neque hoc mirùm, si exul à corpore dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergò ex Petra Martyris fortitudo. inde planè potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians, quàm præclarus est. Præclarus, atque jucundus, non minùs Imperatori spectanti, quàm militi triumphanti. Gaudium enim Domini fortitudo nostra. Hæc Bernardus de Martyribus, qui in acerbissimis suis cruciatibus mente, animóque cruce suffixũ Dominum, ejúsque vulnera attentè contemplantes, in iísque habitantes in ipsum transformati per amoris affectũ ad instar Petræ ita obduruerunt, ut tã immania tormenta non persentiscerent.

B.V. è corpore migrans anima requievit in latere Christi.

30. Quòdsi moribundi Martyres mentem totam, totam animã in Christi vulnera defigebãt; In ejúsq; velut amœnissimo domicilio, ac Turri Fortitudinis inhabitabant, quantò magis ipsa Regina Martyrum è corpore migratura, cavernam illam maceriæ, fornacem illam divini amoris, ceu flammeum Eliæ currum, quo in cœlum subveheretur, latus videlicet amantissimum dulcissimi Filii, elegit, ut in eo requiesceret. Dixerit sinè dubio hæc columba immaculata subinde cum Parente suo Davide, ad cœlum quantocyus evolandi cupida: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam.*

Passio, Christi Domini sæpiùs est recolenda.

31. Cupit quispiam ex hoc exilio, ex hoc temporis carcere migraturus, animam suam in cavernam hanc lateris Christi, velut columbam à miluis illis tartareis securam, involare! Hic dum vivit exemplo hujus Virgineæ columbæ, Passionem Domini gemebundus sæpè magno pietatis affectu meditetur, loca sancta, memoriã nobis eorum, quæ Christus amore nostri perpessus est, ob oculos proponẽtia. Opportunus ad hoc fuerit, libellus ille, qui Peregrinus Calvariæ dicitur à R. P. Carolo Mussart Belga Viro Religiosissimo, multam pietatem spirans, compositus, paulo antè, quàm stationes patientis Salvatoris Viennæ magnâ totius verbis approbatione in oppido Hernhals erexit; ut, ubi antea impietas Lutherana Filium Dei iterum suorum Blateronum blasphemiis sibi crucifigebat, ibidem verã sinceráque Catholicæ Religionis in eumdem pietas revivisceret; sæpiùs item, sivè in templo, sive in cubiculo solus, conjectis in cruce affixum Dominum oculis, dicat cum S. Bernardo illum, quod habet Tract. de pass. Domini cap. 3.

Passionem Christi Domini jucundum est meditari.

Accedamus ad te, bone JESU, exultabimus & lætabimur in te memores cordis tui. O quàm bonum & quàm jucundum habitare in corde hoc. Bonus Thesaurus, bona Margarita, cor tuum bone JESU, quàm fosso agro tui corporis inveniemus: quis hanc Margaritam abiiciat? quin potiùs dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi jactans omnem cogitatum meum in cor Domini JESU, & sinè fallacia illud me enutriet. Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, & laudabo Nomen Domini, dicens cum David: Inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni cor Regis, Fratris & amici benigni JESU! Et numquid non adorabo? orabo utique, cor enim illius meum est. Audacter dicam: si, imò quia caput meum Christus est. Quomodo quod capitis mei est, non meum est? Sicut ergò corporalis capitis mei oculi, mei oculi verè sunt, ita & spirituale cor, cor meum est. Benè ergo mihi, ego verò cum JESU cor meum habeo. Hoc igitur corde tuo & te in eo dulcissime JESU, invento, orabo te Deum meum. Admitte tantùm in Sacrarium exauditionis tuæ preces meas; imò me totum trahe in cor tuum. Licèt enim tortuositas peccatorum meorum impediat me, tamen, quia cor illud incomprehensibili charitate dilatatum est, & ampliatum, spero me posse pertransire. O omnium pulchritudine speciosissime JESU, amplius lava me ab iniqui-

iniquitate mea; ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare & videre simul semper, & facere tuam valeam voluntatem. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo & in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possemus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videremus. Unde dicitur Cant. 4. Vulnerâsti cor meum Soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum quasi diceret: quia Zelo amoris tui vulnerâsti me, lanceâ quoque militis vulneratus sum. Sic Bernardus; cujus sanè piissimus affectus erga cor Domini JESU, omnibus, qui devotè passionem Dominicam meditari cupiunt, imitandus est.

Passionem Christi Domini meditari multum ad perfectionem conducit.

32. Devotionem hanc erga sacratissimum corDomini Jesu habendam, varii Patres ascetici nos exhortantur, scientes hâc ratione cor nostrũ in ipsius, Matrísque cor, quod idem quodammodò extitit transformari, summámq; vitæ perfectionem, sanctimoniámq; indipisci; sed inter hos celebris est Religiosissimus Pater Justus Landspergius Carthusianus lib. 1. Phar. Diu. Amoris par. 5. ubi ita nos hortatur. Ad venerationem piissimi Domini nostri JESU Christi amore, ac misericordiâ exuberantissimi, studeas te ipsum excitare, & sedulâ erga ipsum devotione frequenter illum salutare osculando, mentéque in illũ, affectúque introeundo: Per ipsum petenda petas, & exercitia tua offeras, quia charismatum omnium est apotheca, & ostium, per quod nos ad Deũ & Deus ad nos accedit. Itaq; figuram aliquã Dominici cordis, aut quinq; vulnerũ, aut cruentati JESU, vulneribus, ac livore Saucii ponas in loco aliquo, quẽ sæpiùs transire debes, quâ sæpius hujus tui exercitii & amoris in Deum excitandi admonearis. Hanc Jesu Crucifixi effigiem intuens, memor esto exilii, miseræque captivitatis in peccatis. Proinde gemebundis suspiriis, desiderióq; ferventi cor tuum erigas ad Deũ, & mente dumtaxat sine strepitu oris, aut verborum ad illum clama, desiderans cor tuum mundari, atque cum Christi corde, divinóque ejus beneplacito tuum cor, voluntatémque uniri. Posses etiam urgente devotione internâ figuram hanc, id est, cordis Domini Jesu osculari, animóq; tuo persuadere, quasi verum, ac Deificum cor Domini Jesu sub labiis tuis habeas deosculandum, in quod cor tuum imprimere gestias, atq; spiritum immergere, absorberíq; desideres, videarísq; tibi ex gratioso corde ipsius attrahere in cor tuum Spiritum ejus, gratiam ac virtutes, ac prorsus, quidquid illo continetur, quod mensuram excedit, salutare. His enim omnibus cor Domini JESU exuberantissimũ est. Expedit ergò, & valde piũ est cor Domini Jesu devotè à nobis honorari. Ad quod in omni necessitate confugiamus, unde consolationem, & omne auxiliũ hauriamus. Nam ubi cunctorum te mortaliũ corda deseruerint, tibíq; imposuerint, securus esto, hoc fidelissimũ cor te non decipiet, nec derelinquet.

Cordis JESU veneratio pia suadetur.

33. Post hoc utilissimum documentum præscribit, varias aspirationes, quibus erga amantissimum hoc, Divinissimùmque cor, animus amore ejus inflammetur, eóque liquescens in illum transformetur. Inter quas paucas aliquas, easque ardentiores hìc ad Lectoris pietatem fovendam attexere libuit: *O JESU amabilissime, quando tolles à me cor meum fœdum, & dabis mihi cor tuum? aut quando erit cor meum odore virtutum tuarũ respersum, atque amore cœlestium totum succensum. Ah, JESU suavissime! conclude cor meum intra cor tuũ, ut illius tu solus sis inhabitator, atq; possessor, ut nobilitate cordis tui cor meum nobilitetur, & exornetur. Ah, misericordissime Domine JESU Christe! utinam omnia vulnera saucii cordis tui cordi meo inscribas, ut in eo amorem tui erga me immensum & dolorem vehementissimum jugiter legã. Utinam Domine Deus meus! vulnerum tuorum memoria in secreto cordis mei semper permãeat, ut dolor pas-*

Affectus ad patientem Salvatorem ex R. P. Justo Landspergio Carthusiano.

sionis tuæ quotidie in me excitetur, & ardor dilectionis tuæ in dies augeatur. Ah Domine Deus Salvator, & Redemptor meus! auffer à me, quidquid tibi displicet in me. Quidquid verò tibi placet, ex sanctissimo corde tuo infunde in me. Converte me, & posside me totum in sanctissimum beneplacitũ tuum, tuique amorem. Fac, ut uniatur cor meum cordi tuo, voluntas mea voluntati tuæ, ut nunquam aliud velim, nunquam aliter velle possim, quã tu vis, & tibi placet. Diligam te, dulcis JEsu, Deus meus! ex toto corde meo, in omnibus, & super omnia. O cor nobilissimum, piissimum, atque suavissimum fidelissimi amatoris mei JESU Christi, Dei, & Domini mei, trahe, atque absorbe, quæso, cor meũ, omnes cogitatus, & affectus meos; omnes denique vires animæ, & corporis mei, & quidquid in me est, quidquid sum, aut possum, in te, ad gloriã & sanctissimum beneplacitum tuum. O misericordissime Jesu! in cor tuum commendo, atque resigno me ipsum totum. Oro te etiam, benignissime Deus! auffer à me cor meum pravum, & da mihi Deificum cor tuum, aut fac cor meum secundum cor tuum, & secundum perfectissimum beneplacitũ tuũ. Ah Domine Jesu! summa animæ meæ suavitas, aperi mihi ostium cordis tui, portam misericordiæ, januam vitæ, fontémque gratiæ tuæ, & attrahe cor meum per pretiosissimum vulnus lateris tui ad amantissimum cordis tui arcanum, & cor meum cum sanctissimo corde tuo, indissolubili dilectionis vinculo uniatur, atque absorbeatur, quo tu in me, & ego in te habitem. O charitas ardens, & nunquam deficiens, utinam illo igne, quem misisti in terras, & voluisti vehementer accendi, tam validè fœdum cor meũ inflammans, ut omnes creaturæ insipidæ fiãt. Imprime insuper dulcissime JEsu cordi meo amplissimum, profundissimum, recentissimúmque amoris tui vulnus, tanquam perpetuæ desponsationis arrham, ut tibi soli adhærere, nullúmq́ præter te amatorem admittere, nec quidquam eorum, quæ tu odisti, appetere possim; ut tibi, purissimo amatori, cor meum semper sit pervium, & apertum, à mundo alienum, Diabolo clausum, & contra quæcúnque tentamenta signo crucis, & vexillo passionis tuæ undique communitum. Transeat præterea, obsecro, militaris lancea passionis tuæ incurabiliter per viscera animæ meæ, perfodiátque omnia interiora mea, ut ex hac salubri vulneratione perfectam sanitatem sortiri mereatur anima mea. Obsecro etiam, ut omnia mea tua sint, & tua mea; ut benedicta passio tua, sit animæ meæ adoptio; sanguinis tui prætiosi effusio, sit mihi peccatorum meorum ablutio; vulnera tua sint mihi habitaculum; cor tuum sit mihi cænaculum, vita tua sit mihi lectio; charitas tua sit mihi refectio. Crux tua sit mihi virtus in tentatione, dolor tuus sit mihi consolatio in tribulatione; mors tua sit mihi salus, vita indeficiẽs, ac sempiterna. Hæc ille, & plura alia solidæ pietatis in patientẽ Dominum refertissima, quæ identidẽ si magno pietatis affectu revolvamus, experiemur cor nostrũ amoris accendi flammis, eisdémq; colliquescere, ac demum in amantissimũ Domini JESU cor ita transformari, ut cum B. Catharina Senensi, amisso corde proprio, ipsũ cor Salvatoris adipisci, in eóq; abscondi adversùs omnes insidias, machinationésq; Diaboli videamur.

34. Quod S. Bernardus intelligens eodem illo sermone 61. in Cant. ita loquitur. *Alius hunc locum foramina Petræ, vulnera Christi interpretatus est. Rectè omninò; Nam Petra Christus, bona foramina, quæ fidem adstruunt resurrectionis, & Christi Divinitatem. Dominus meus, inquit, & Deus meus. Unde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus Petræ. In his passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos. In his se Columba tutatur, & circum volitantem intrepidè intuetur accipitrem. Et ideò ait: Columba mea in foraminibus Petræ, vox Columbæ in Petra exaltavit me. Et rursus statuit: super Petram pedes meos. Vir Sapiens ædificat domum* In Christi vulneribus homo magnanimus invenit securitatem.

mum suam supra Petram, quod ibi nec ventorum formidet injurias, nec inundationum. Quid non boni in Petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis à casu, & hoc, quoniam exaltatus à terra, anceps enim, & caducum est terrenum omne. Conversatio nostra in Cœlis sit, & nec cadere, nec dejici formidamus. In Cœlis petra, in illa firmitas & securitas est. Petra refugium herinaciis. Et revera, ubi tuta, firmáque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur, non cado; Fundatus enim sum super firmam Petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia; sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras; quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergò in mentem venerit tam potens, támque efficax medicamentum, nullâ jam possum morbi malignitate terreri. Et ideò liquet errâsse illum, qui ait: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear; Non enim erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito, ut suum præsumeret, suum diceret, quòd illius esset, tanquam reum capitis membrum. Ego verò fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini; quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus ejus, & pedes, latúsque lancea foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & Ego nesciebam, quis enim cognovit sensum Domini, &c. At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini! Quidni videam per foramen! Clamat Clavus, clamat vulnus, quòd verè Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransivit animam ejus, & appropinquavit cor illius, ut jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; Quid ni viscera per vulnera pateant? In quo enim clariùs, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordiæ. Majorem enim miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti, & damnatis. Meum perinde meritum miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordia Domini multa, multis nihilominus Ego in meritis sum. Quid enim, si multorum mihi conscius sum delictorum? Nempe ubi abundavit delictum superabundavit & gratia, etsi misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum; Ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Hæ in foraminibus Petræ reposita mihi: quàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, quanta plenitudo gratiæ, perfectióque virtutum. Ibo mihi ad illa sic referta cellaria, atque ad admonitionem Prophetæ, relinquam Civitates, & habitabo in Petra, ero, quasi Columba nidificans in summo ore foraminis. Hier. 48. ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino, merear saltem posteriora ejus prospicere. Nam faciem stantis, id est, immutabilis claritatem, quis videat? nisi qui introduci jam meruit non in Sancta, sed in Sancta Sanctorum. Hæc Bern. de vulneribus Salvatoris, per quæ veluti per rimas cor illius amore nostri ardentissimum, nec non misericordiæ ejus viscera, quibus à nobis universas amolitur miserias licet intueri. Ex quorum omnium recordatione, atq; contemplatione cujus quæso cor non accendatur? cujus jam accensum non colliquescat? & in illud amantissimũ dilecti JEsu cor non transformetur? ejusq; patientis acerbissimos dolores, ac vulnera quemadmodum illud Virgineum non repræsentet?

35. Quòd porrò vulnera Salvatoris, refugium contra Tartarei hostis insidias, atq; incursus, animarúmq; nostrarum deliciæ esse consueverint, testatur B. Guerricus Abbas Ser. 4. in Ram. Palm. ubi docet, eam ob causam Salvatorem sibi fodi voluisse manus, pedes, ac latus, ut in ipso fideles veluti Columbæ tutum habitaculũ ad commorandum, ad deliciandum, & ad cor divino amore accendendum reperiremus. Proinde Benignitatem hanc in nos tam effusam ita benedicere non dubitavit: *Benedictus Dominus, qui ut nidificare possim in foraminibus petræ, manus, pedes, & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, ut ingrediar in domum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. Opportunum quidem Petra refugium Erinaceis; sed & habitatio grata columbis, cujus foramina* 5. Vulnera Christi hominem securum reddunt à mũdo, carne, & dæmone.

tot vulneribus, toto fere corpore potentia, & veniam offerunt reis, & gratiā conferunt justis. Imò verò tuta habitatio, Fratres mei, turrísque fortitudinis à facie inimici, pia, ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fidéque & amore Crucifixi, animam ab æstu carnis, à turbine sæculi, ab impetu Diaboli contutari. Super omnem gloriam mundi protectio hujus tabernaculi; videlicet in umbraculum diei ab æstu, in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluvia, ut per diem sol non urat te prosperitate, nec turbo moveat in tempestate. Ingredere igitur in Petram, ô homo! abscondere in fossa humo, pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse Petra, ipse humus, quia Deus & homo, ipse Petra forata, humus fossa; quia foderunt manus meas, & pedes meos. Abscondere, inquit, in fossa humo, à facie timoris Domini, hoc est, ab ipso fuge ad ipsū, à Judice ad Redemptorem, à tribunali ad Crucem, à Justo ad misericordiam, ab eo, qui percutit terram Virga oris sui, ad eum, qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui; ab eo, qui Spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad eum, qui sanguine vulnerum suorū vivificat extinctum: Quin imò non ad ipsum tantùm, sed in ipsum fuge, in foramina petræ ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fosso latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ salvandis à facie diluvii? Illud tamen figura; istud autem veritas, ubi non modò servatur vita mortalis, sed & recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius, & misericors aperuit, ut cruor te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti, & libero meatu aspiret. Ibi tutò latebis, donec transeat iniquitas; ibi nequaquā algebis, eò, quod in visceribus Christi non frigescat charitas; ibi deliciis afflues, ibi gaudiis superflues, vel tunc demū, cùm à vita capitis, tua & omnium membrorum, corporis ejus absorpta fuerit mortalitas. Meritò igitur Columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta, quàm grata ad nidificandū paravêre foramina, laudes ipsius lætabunda decantat, ac de passionis memoria, vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus Petræ vox suavis in auribus sponsi resonat. Hæc Guerricus; quæ mirè animam ad habitandum assiduè in vulneribus Christi inflammant, & ad amorem dulcissimum in Crucifixum JEsum excitant, ut ipsi per mortificationem carnis, & Spiritûs se se conforment.

36. Unde hoc amore Divino plurimæ Sanctæ animæ, ceu Columbæ in foraminibus hujus animatæ Petræ, in vulneribus nempe salvatoris inhabitantes, ipsæ sibi, cùm aliter non possent, per amoris affectum in JESUM jam totalitèr transformatæ, ut ejus passionem æmularentur, ejúsque acerbissimos cruciatus in corpore suo repræsentarent, sibi ipsis, inquam, vulnera vel inflixerunt, manúsq; ac pedes clavis, exemplo admirando magìs, quàm imitando, perforârunt: Vel ut sibi à Crucifixo JEsu invisibiliter infligerentur postulârunt, & impetrârunt.

Plures sibi ad imitationem 5. Stigmatum Christi vulnera inflixerunt.

37. Inter hos fuit B. Petrus Ordinis Cisterciensis conversus, de quo Menologium Cisterciense die 31. Januarii, & Chronicon Villariense, stupenda planè commemorant. Is, ut loquitur Menologium, maximis à Deo beneficiis honorari, & visionibus illustrari meruit, Christo, ejúsque gloriosâ Genitrice ei sæpissimè apparentibus. Rigidissimus, & suprà, quàm credi potest, corporis sui extitit Castigator, miróq; fervore accensus, sibi manus, & pedes clavis ferreis perforavit, & calidum ferrum versùs cor immisit, in quo vulnere, ne clauderetur, chordam è pilis Equinis contortam transmisit. Christus tamē chari sui pium amorem considerans, ut ait Chronicon, hoc, quod conceperat, opere perficientis, celerem vulnerum illorum adduxit sanitatem, ut vix cicatricum in eo vestigia relinquerentur. Porrò quibus gradibus ad tantum vir hic pientissimus mortificationis rigorem,

Ex ordine P. P. Cisterciensium B. Petrus manus, & pedes clavis perforavit, & versùs cor vulnus sibi inflixit.

Mortificationes aliæ B. Petri.

tem, amorisque Divini perfectionem enixus sit, idem Villariense ostendit chronicon: Sciens secundùm Apostolum, quòd, qui sunt Christi, carnem suam cum vitiis crucifigunt, ut fructū pœnitentiæ apprehenderet, totis viribus studuit corpus in servitutem animæ redigere, carnem flagellis, & disciplinis domare, inter vepres & urticas frequenter volutare, aculeatis ramis cædere, cilicio membra mortificare, orationibus & fletibus insistere, & strictioribus; jejuniis se ipsum macerare, ita, ut quandoque per totam quadragesimam non nisi panem & aquā gustaret. His tamen non contentus, quotidie carnem suam acerbis vulneribus, carnem suam forcipe laceravit. Super his omnibus tanquā gigas fortissimus pelles hericinas sibi superinduit; quatenus ex tali cinctura majorē dolorem ingereret. Quæ sanè tam aspera pœnitentia eò magis admirāda est, cùm innocentissimis moribus semper fuerit prædītus. Fertur, quòd antequam ordinem ingrederetur, dimidium annū deplorans sua peccata in luctu, lacrymísq; perseveraverit, cujus misertus communis Dominus, ipsum voce illâ demissâ cœlitus blandè consolari dignatus est: Cur tanto mœrore affligeris? Remissa sunt tibi peccata tua. Atque ut certò sibi persuaderet, primogeniam vitæ innocentiam se recuperâsse, in extasi constitutus, Christum sibi præsentari visus est, à quo tanquā Infans quispiam à Sacerdote baptizādus susceptus fuit: Quod baptizandi ministeriū dum Salvator prosequitur, & B. V. ad singula tanquam Sacramēti ministra respondet, à Christo tandē audire meruit: Innocentiam, quam planxisti tanquā perditā, & in Baptismo priùs acceptam, tibi credas restitutam. Dum aliquando, postquā sacræ militiæ nomen dedisset, ardentissimo cœlestis Patriæ desiderio teneretur, & in lacrymas quodāmodò resolveretur, Christus se se ei visendū exhibens, ita illum allocutus est: Cur ploras, dilecte mi, & cur tantum in desideriis tuis æstuas? Noli deficere, noli diffidere, aut metuere; ego adimplebo omnia desideria tua servi fideliter, perfice te jugiter, persevera fortiter, ego adimplebo cuncta vota cordis tui. Nec minùs in amoribus hæc sancta animo Deiparæ Virgini fuit. Eidem enim Filium suum dulcissimum ulnis gestans, aliquando adstitit, eumdémq; ejus in sinum amplectendum tradidit, cujus voluntati Divinæ cùm se magna humilitate committeret; atque resignaret, ita Christus respondisse fertur: Data est tibi omnis potestas impetrandi, quæ vis, sive in Cœlis sive in terris. Aliâ vice eadem cœlorum Regina ipsum invisens ad diem ejus immaculatæ conceptionis celebrandum eum excitavit, & ipse Christus monuit, ut in piissimo Matris suæ cultu, quo mirificè se delectari præferebat, uti hactenus perseveraret; ad omnium denique favorem cumulum, Virginem Matrem ipsi, ut Matrimonii quispiā Minister in sponsam castissimā tradidit. His igitur tot, tantísq; præventus cœli favoribus, ac gratiis vir hic sanctissimus, quid mirū, quod velut Columba ad exemplūm Deiparæ in foraminibus petræ habitare, ejus in suo corpore vulnera, uti ipsa in corde, gravissimo cum dolore experiri voluerit, ut ipsis in omnibus quoad erat possibile, per affectū amoris conformari posset.

B. V. B. Petro ordinis Cisterciensis Christum Dominum in sinum tradit.

Christus B. Petro potestatem omnia impetrandi in cœlo & in terra præbet.

B. V. à Christo Domino eidē B. Petro in sponsam tradita.

38. Hoc eodem in cœlestē sponsum amoris affectu ostendere volens B. Christina, de vice comitibus Mediolanensibus Ordinis S. Augustini se mente, animóq;, velut Columbam in vulneribus Christi habitare, cuperéq; se ejus passionem in suo corpore repræsentare, clavo sibi pedē perforare, singulísque sextis feriis absynthiū, felle mixtū, sumere non dubitavit, memor salubérrimi illius per Spiritum S. pronunciati, apud Jeremiā in Threnis cap. 4. Christi salutiferi documenti: Memento paupertatis & transgressionis meæ, absynthii & fellis.

Ex ordine S. Aug. B. Christina, ut imitaretur Christum, pedem sibi perforavit

Eadem B. Christina singulis sextis feriis bibit absynthiū felle mixtum.

39. Hoc eodem in cœlestem sponsum amoris affectu inflammata Maria ab Ajofrin Toletana, quæ vulnus in sinistro latere minimè putridum, aut

Maria ab Ajofrin vulnus gestavit in sinistro latere. Christo patienti compatiens.

tumidum amore cœlestis sponsi gestare meruit, ut scribit Alphonsus Villiegas Tomo. 9. ut nihil dicam de Columba Toroscani, quæ à primis unguiculis Beatissimæ Virginis cultui, atque clientelæ se totam dediderat, in cujus honorem preces ipsius horarias, diebus singulis, magnâ cum pietate persolvebat. Unde Virgini tantis in deliciis fuisse memoratur, ut ab illa per plures dies, cœlitus deportato cibo, nutrita fuerit, & cum aliquando gravi morbo afflicta decumberet, ab eadem visitari ac cœlesti quodam unguento perungi meruit. Unde mox sanitati reddita fuit. Inter reliqua porro cœli dona illud ei præclarissimum, uti antea commemoravimus, indultum fuit, ut vulnerum Christi dolorem, coram Crucifixo Domino attentè, piéque ejus passionem meditando, ínque animatæ hujus petræ plagis vera Columba versando, impetrârit.

à Deo deposcens vulnerũ Christi dolores, eos impetravit.

40. De qua Pater Hiacynthus Choquetius in Mariæ viscer. c. 18. ita loquitur: Ex hoc amoris igne maxima illa cupiditas fuit, ipsos vulnerum cruciatus tolerandi, quos Christus in cruce pro ipsa, totóque orbe sustinuit. Cúmq; id frequentiùs ac contentiùs expeteret, immensos manuũ, pedum, ac lateris sensit dolores, qui calentem sibíque magnopere gratulantem usq; eò premebant, ut nec pedibus insistere posset. Ac tunc tamen corpore quidem impedito, & animo liberiore felicissima hæc Columba, priorum cœli munerum, virtutum scilicet, exstasiũ, & Partheniarum gratiarum candore deargentatis pennis, huiusque insuper posterioris doni verè aurei pallore ornatissima, supra syderum orbes fortunatissimo volatu in Mariæ Augustissimæ conspectum, radiantissimíque solis Christi obtutus, accerrimâ vi se se intulit, perennésq; beatitatis delicias prælibavit. Plura hujus argumenti exempla, qui volet, eumdem Authorem Doctissimum simul, ac piissimũ consulet, & innumeras hujusmodi Colũbas in foraminibus petræ habitantes, Christi plagis insignitas reperiret, de quibus & nos Disc. citat.

S. Magdalena de Pazzis expeditos à se Christi patientis dolores experta est.

41. Illustre interim hujusce nostri sæculi exemplum nullo modo mihi hìc prætermittendum videtur de B. Magdalena Pazzia, quæ ordinis Carmelitani eximium decus, ac ornamentum extitit. Hæc, ut habetur Par. 2. vitæ ipsius cap. 3. 4. & 5. Anno 1585. in hebdomada Passionis ob ardentissimam, quâ complectebatur charitatem vehementissimis anhelavit desideriis, velut casta Columba in montem calvarium evolandi, ut ibi cum sponso anxietatem, & lassitudinem, quam ibidem perpessus est, experiretur, cùm eum impii in crucem per summum nefas egerunt. Nec suis votis frustrata est; siquidem totâ diei Jovis nocte, & parte diei veneris tam interioribus animi, quàm exterioribus corporis doloribus nimiùm quantùm acerbis, atque excessivis exagitata est. Unde die veneris manè vultum quemdam præsetulit mortualem, adeóque viribus erat prostrata, ut vix pedes ampliùs regere posse, imò jam jam expirare velle videretur. Verùm dolores circa Vigesimam horam majora longè sumpsêre incrementa; in meditatione siquidem Dominicæ Passionis à sensibus alienata præ cordis angustia, atque anxietate totâ facie guttas sudoris distillabat grossissimas, oculis lacrymarum rivulos versabat uberrimos, pectus crebris quatiebatur singultibus, adeò, ut vitam jam abrumpendam sorores existimarent. Unde, sublatis in cœlum oculis, subinde in voces illas erumpebat: ô JESU mi, non possum ego tantùm, uti vellem, de tuis pœnis, ac cruciatibus participare. Atque ita in hisce doloribus penè immensis, uti ipsa postea retulit, vidit JESUM in Cruce expirantem, intellexítque eum ideò Spiritum extremum exhalâsse, ut ipsum suis creaturis communicaret. Verùm cùm agnosceret, quàm pauci de meritis passionis Dominicæ essent participaturi, longè majorem dolorem, quam antè in cruciatibus Salvatoris meditandis, quando anima corpore divulsa fuit, experta est. Ut porrò cœlestis spõsus ostenderet, quantoperè sibi in ca-

stissimæ

ſtiſſimæ hujus ſuæ Columbæ, paſſionem ſuam meditantis, complaceret gemitibus, feriâ primâ majoris hebdomadæ eodem anno vocem hujusmodi audivit. Veni, & vide operationes animæ, quas ego facio inter me & ipſum; quod nemo intelligere poteſt, niſi qui mundus eſt corde. Quibus auditis, mox eo ſitu, quo S. Franciſcus, ſtigmata ſuſcipiens, depingitur in genua, ante Jconem Chriſti de Cruce pendentis, in eum obtutum defigens, magno cum mentis ardore procubuit. Hic illa penè tota in Deum transformata, à JEſu poſtulavit, ut conſideratione ſaltem in ejus humanitatis vulnera poſſet immigrare. Unde quinis vicibus magno Spiritu pietatîſq; eximiæ ſenſu verba illa iteravit: Abſconde me in vulneribus humanitatis tuæ. Hæc porrò quoties ingeminabat, vultus ejus ſemper cœli majoribus flammis exardeſcebat, ſimúlque ſuos ſenſus omnes in demortui Jeſu ſenſibus ab oculis incipiendo defixit, ita dicendo: oculi mei maneant in oculis miſericordiæ: Aures meæ, in auribus tuis, ut intelligant & comprehendant vocem ſponſi mei. Os meum in ore tuo, ut os meum loquatur, quod mecum ſponſus loquitur: Pectus meum in pectore tuo dilecte mi. Manus meæ, non in manibus tuis, ſed in caverna ſponſi mei, ut ſint participes cooperationis, ordinationis, quam operatur charitas in cella vinaria. Quibus dictis meditatione ſuſpenſa tantis perhæſit. Tum paulò poſt, colloquium cum ſponſo proſecuta eſt. Nihil effeciſſem, ô JEſu mi, ſi ſenſus meos, membráque in te collocâſſem, ſi poſtea internis actibus ea in te, ut permanerent negligerem. Hæc ubi dixiſſet, ad Patrem æternum converſa: Memoria, inquit mea in memoria ſuavitatis ſanguinis verbi tui, pro Redemptione omnium credentium. Intellectus meus non in intelligentia æqualitatis tuæ, ſed in intelligentia deſcentiæ verbi tui, Voluntas mea in voluntate verbi tui, ut voluntas mea conformis ſit voluntati verbi tui, quæ eſt tam conformis voluntati tuæ, ſumme Pater, quàm eſt æqualis æternitati Trinitatis tuæ. Tum aliqua interpoſitâ morâ, Paſſionem Domini ſemper contemplando, in hæc amoris verba pleniſſima prorupit. O Amor! fac, ut ego tecum crucifigar, ut te moriente, qui vita es, ego quoque tecum moriar. Inde ubertim flendo ac ſingultiendo, ſubjungit: o Deus, meus amor exſpoliatur. Heu me! crux in terra extenditur, & amor meus ſemetipſum exuit. Heu me! ſaltem clavos illos ſenſim incuterent. Video ego, per ſummum nefas occidi, occidi innocentem. Heu! me heu me! plura jam ferre nequeo. Heu me! amor mi! heu me! nolite Judæi eum tantopere attrahere: ſaltem clavorum foramina viciniora feciſſent. Heu me amor! plura ferendo non ſum. Verúm rogo, ut mihi cruciatus hos, quos ſentio, ad ſufferendum robur ſuppedites. O amor! confige me in te, ut te nunquam deſeram, vel ſaltem te in memetipſa. In hac tanta dolorum tolerantia, dilectus ſponſus ejus animæ, ſacras ſuas impreſſit plagas quinque ſplendiſſimis, igníque ſimillimis radiis, qui manibus, pedibus, lateréque dextro ad vivum erant expreſſæ, ita tamen, ut extrinſecùs minimè apparerent. Sacratiſſimis hiſce plagis acceptis, retulit ipſa, omnem penitus à ſe dolorem triſtitiámque diffugiſſe; imò gaviſam eſſe, quòd videret ſe plagis Domini ſui inſignitam; unde bonitatis, amoríſque ipſius quaſi Oceano demerſa, tenens manu de cruce pendentem ſponſum tanto in eũ amore ob unionem cum ipſo factam ferebatur, ut defixis in eum oculis, tantâ pietatis teneritudine ejus manus, pedes latúſque ſuaviaretur, ut mox exſpiratura videretur. Adeò hæc Virginea colũba in foraminibus petræ habitare conſueta, vi amoris in ſponſum erat transformata. Ut verò magis ejus amore abſorberetur, ipſi patienti aſſimilaretur, coronam ſpineam capiti ejus impoſuit, eidem cor ſuum donavit ſibíque eam præſente S. Auguſtino, & S. Catharina Senenſi, porrecto illi annulo pulcherrimo deſponſavit. Quibus verò hæc in deſponſatione fuerit perfuſa gaudiis; ejus verba declarant, dum plena jubilo ita gloriabatur: Deſponſavit me in dulcedine

Christum patientem cernit B. Magdalena de Pazzis in extaſi conſtituta.

B. Magdalena de Pazzis ſenſus ſuos Chriſto patienti offert.

Eidem B. Magdalenæ à Chriſto Domino 5. ſtigmata imprimuntur.

Chriſtus B. Magdalenæ de Pazzis imponit ſpineam coronam; eáque ſibi deſpondet.

cedine suavitatis, & liberalitatis amoris sui in unione sanctissimæ Trinitatis. Videbo Dominum meum in me, & ego in illo vicissim commorabor, & ipse in me erit crucifixus, & ego crucifixa in ipso, quemadmodùm ipsius amatus ajebat Apostolus. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Plura de amore crucifixi Jesu, ejúsque passionis assidua meditatione, ínque ipsius vulneribus habitatione, qui volet, authorem vitæ ipsius cõsulat: Hæc ad ostẽdendum sanctæ hujus Virginis erga vulnera Christi, in quibus jugiter velut columba nidulari, atque habitare cupiebat, affectũ, dixisse sufficiat.

Ex ordine PP. Prædicatorum P. Volandus moriens cor suum, cruce mirè ex substantia ossea confectâ munitum reliquit.

42. Pari cũ amoris affectu in sacratissimis hisce Salvatoris vulneribus, velut petræ foraminibus instar columbæ habitare visus est, totus ejus absorptus charitate, Pater Volandus Prior Cœnobii Argentinensis Ordinis Prædicatorum, Germaniæ sydus Illustrissimum, de quo B. Thomas Cantipratanus lib. 1. Apum cap. 25. 56. ubi ita loquitur: Rem præcipuè mirabilem & devotã propriis oculis vidi. Hic ut Fratres mihi testatissimâ veritate narrârunt, semper ferè, sive gradiens, sive stans, sive sedens, pollice signum Crucis in pectore depingebat. Contigit autem, ut Moguntiam veniens, infirmitate decũberet, & ingravescente morbo cũ mira alacritate Spiritûs moreretur, & apud Fratres Minores ibidem sepeliretur. Nondum enim Prædicatores in ea Civitate locum habebant. Quo audito Fratres Prædicatores Argentinenses duo, pro prioris sui defuncti corpore Moguntiam iter direxerunt, sed frustra; quia Minores sepultũ reddere noluerunt. Post annos paucos, Minoribus ad alium locum transeuntibus, prædicatores sine contradictione voti compotes facti, sacra ossa Argentinam deportârunt. Quid plura: ossa alia diligentiùs abluentes, os pectoris, cui ex utraq; parte cohærent costæ, superius, insignitum cruce operosissimâ repererunt, & quasi scutum cordis interius. Erat autẽ crux (ut ipse ad hanc videndam 40. milliaribus excurrens laboravi, & lætus vidi oculis meis) in ossis medio ex substantia ossea ad spissitudinem evidentissimam elevata, tribus superioribus brachiis æqualis longitudinis & inferiori brachio decentissimè longiori: extremitates verò trium brachiorum superiorum instar repandi lilii recurvatas, & brachiũ inferius, quasi trunco deberet infigi, exacutũ habebat. Quid igitur in signo corporeæ crucis in osse pectoris notatur, nisi mortis Christi in mente prius habita stigmata passionis? Et quid in foliis repandi lilii in crucis extremitatibus designatur, nisi mundissimæ castitatis insigne, quod cum memoria mortis Christi fundatissimè fixũ gerebat in carne. Audiverat nimirũ sanctus hic, & obedierat consilio Crucifixi sponsi suadentis Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuũ, signaculum super brachium tuum.*

Affectus Christi patientis ex Guilelmo Abbate Anglico ad animam fidelem.

43. Quorum verborum interpretationem sanctus hic vir audire visus est à Guilelmo Abbate Anglico, & re ipsa assiduè Dominicæ Passionis memoriam, exemplo *Deiparæ* recolendo, exequi: sic enim ille Christum loquentem introducit, Verè, ô Ecclesia, dixerim ego, ô anima, ad hoc sub Arbore malo suscitavi te, ut piam Matrem meam tam in partu Virgineo, quàm in conversationis synceritate imiteris. Ergò illam imitando *pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Intus & foris imprimere mihi, quasi signaculo. Intus in cogitatione, foris in operatione. Imprimere mihi intus, me jugiter cogitando; imprimere mihi foris, propter me strenuè cogitando. Qui evanescunt in cogitationibus suis, non imprimuntur mihi intus, non ponunt me, ut signaculum super cor suũ, qui opera sua non propter me faciunt, sed ut videantur ab hominibus, non imprimuntur mihi foris, non ponunt me ut signaculum super brachium suum. Imprimere mihi, quasi Signaculum per amorem, quasi mihi fortiter adhærendo, ut à me quasi signaculo formam accipias (quod contigit huic sancto Viro formam Crucifixi in suo pectore repræsentante) & meam subtili expressione similitudinem trahas. Quanta fuerit impressio amoris, tanta erit & expressio similitudinis. Quantò mihi fortiùs per amorem inhæseris; tantò mihi per justitiam & puritatem similior eris. Quantò te mihi impresseris fortiùs, tantò ego Christus in te formabor expressiùs, & tantò tu in me reformaberis, transformaberisque insignius. Ut ergò ô sponsa mea in te, à me Christo Crucifixo tanquam à signaculo formam accipias, cogitando simul de passione mea, & ejus amore operando, Angelisq; & hominibus veraciter Christiana appareas, pone me ut signaculum super cor tuum &c.

44.

Ignatii Martyris ardens amor in Jesum crucifixum.

44. Posuerat Crucifixum Dominum velut signaculum super cor suum Divino ejus amore liquefactus, inque illum transformatus Christifer ille Ignatius Martyr, dicebat animitus, uti scribit magnus Dionysius cap. 4. de Div. Nom. Amor meus crucifixus est. Habitaverat in foraminibus Petræ, & in similitudinem, ut loquitur S. Bern. petræ obduruerat, cum rugientibus, ac jam ad eum devorandum præparatis feris ac leonibus generosè protestabatur: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Et rursus: *Nunc incipio Christi esse Discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, ut JESUM Christum inveniam. Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar.*

S. Paulus in se exprimens Crucifixum.

45. Sed ante omnes formam in se Crucifixi Domini totus ejus amore ad instar ceræ liquefactus, inque illum charitatis vi trans formatus accepisse visus est Apostolus Paulus, cùm dicebat. *Christo confixus sum Cruci; vivo Ego jam non Ego, vivit verò in me Christus.* Et rursus: *de cætero Nemo mihi molestus sit, Ego enim stigmata Domini JESU in corpore meo porto.* Ac denique eundum Crucifixum JESUM amplectens inque ejus vulneribus se se velut Columba in petræ foraminibus abscondens, persecutionum turbines, ac procellas, tribulationes, ac calamitates omnes mortémque ipsam provocans dicebat Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames: an nuditas, an periculum! an persecutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo Domino nostro.* Hic nimirum statuerat super petram pedes suos, & super petrã domũ suã ædificaverat; unde nec ventos, nec aquarũ inundationes, ac tempestates ullas pertimescebat. Quia velut anchoram, velut Petram, Crucifixum JESUM in suis complexibus habebat, cui innixus atque adversitates atque tribulationes ridebat omnes. Qua in re Echinum imitari videbatur de quo S. Ambrosius lib. 5. Hex. c. 9. Echinus animal maritimum, exiguum, vile, ac despicabile, plerumque index futuræ tempestatis, aut tranquillitatis nuncius solet esse navigantibus. Denique dum procellam ventorum senserit, calculum validum sive lapillum trahit, ne excutiatur fluctibus. Jámque non suis se liberat viribus, sed alieno stabilit, & regit pondere. Quo indicio naturæ, velut signum futuræ perturbationis capessunt, & sibi præcavent ne eos imparatos, turbo improvisus inveniat. Quis Mathematicus, quis Astrologus, quisve Chaldæus sic potest syderũ cursus, cœli motus, & signa comprehendere. Discamus & nos ab hoc animalculo in tentationũ turbinibus in mundi decumanis fluctibus lapidem Christum Crucifixum, velut Anchoram salutis, arripere, ne procellis hujus turbulenti sæculi excutiamur.

Crucifixus eidem erat anchora, ut Echinus maritimum animal subsidio est navigantibus.

B. Elzearius Ariani Comes in extasi vidit Christi passionem in totius populi mentibus renovari.

46. Amplexus quoque fuerat Crucifixum Dominum, inque ejus vulneribns amore exæstuans habitabat, cùm Dominicam Passionem miro pietatis sensu assiduè revolvebat insigne illud Gallicanæ Nobilitatis decus, ac ornamentum B. Elzearius Ariani Comes, qui aliquando in exstasim, ut scribit Surius. 27. Sept. extra se raptus, cùm in quadam ampla planicie vidisset Sacrum de Passione Domini, concinentibus Angelis. *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini Nostri, &c.* Videre sibi visus est illico Christi passionem in totius populi mentibus renovari, suum quoque animum erga eam passionem ferventissimè accendi, cúmque Crucifixo Domino Crucifigi. Unde factum ut non solùm ejus Passionem, ac mortem imposterùm perpetuò in suo pectore circumferret, sed etiam pro

Christo mortem oppetere ardentissimè desideraret. Quare exinde injurias, contumelias, afflictiones pericula & damna non modò ferebat patienter, verùm etiam ipsis rebus adversis lætabatur, suósque inimicos amore Crucifixi Domini plus cæteris diligebat, próque eis orabat. Scripserat aliquaodo illi ejus conjux Delphina, Virgo, Epistolam, quâ sciscitabatur, uti valeret, ubinam terrarum degeret? Respondit ille præclarissimè; cujus responsum intimis omnium Christianorum fibris ac medullis impressum desiderârim: *Sanus sum corpore & sospes*, inquit ille, *quòd si vero me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi, Illic enim habito, & ibi me poteris invenire, frustra alibi quæsitura.*

Idem in vulnere lateris Christi habitare se dicebat, ad Delphinam conjugem Virginem.

Amor in Christum, ejusque Matrem summum est culmen virtutis religiosæ.

47. Habitaverat in hisce foraminibus Petræ exemplo Columbæ nostræ Virgineæ B. Joannes Leonardi Ordinis Prædicatorum, simúlque hujuscè nostri sæculi decus, qui anno 1616. præclarissimis insignis virtutibus ad meliorem vitam transiit.

48. Hunc & eximia in Virginem Deiparam pietas, & ardens, eâdem conciliatrice, in Christum amor, ad eminentissimum omnis virtutis Religiosæ culmen, ac demum ad felicitatem æviternam promovit. Imago ejus depicta Neapoli visitur, quæ circa capitis ejus diadema hanc epigraphen præsefert: *DEUS cordis mei.*

Contemplatio Passionis Christi, dolorúmque Matris cor rupit B. Joannis Leonardi.

49. Cui è diametro Christi de Cruce pendentis effigies stat opposita, cujus gloriosi radii sagittarum instar cor Beati impetunt. Hujus picturæ hunc in modnm repræsentatæ ea causa esse perhibetur; quod cor Beati post mortem fissum, hiánsque ab amoris Divini vulnere quasi ferro quopiam discissum sit repertum. Circa idem cor tantum sanguinis, cui id, dum adhuc vir sanctus vivebat, innatabat, inventum, ut ampullam implêrit, qui etiamnum floridus ac recenter fuso simillimus visitur. Tantis denique Divini Amoris in Crucifixum Dominum exæstuabat incendiis, ut cor ejus palpitare, & commoveri vehementiùs, ac propemodùm pectore exilire sit animadversum. Fertur enim, assiduâ meditatione in montem Calvarium diebus singulis conscendisse, acerbissimósque Cruci confixi Domini cruciatus fel & acetum, contumelias & opprobria, irrisiones & blasphemias, spinas, clavos & lanceam, quinas quoque ejus manuum, pedum, laterísque plagas, ac totius denique corporis à planta pedis usque ad verticem capitis disseminata vulnera mente amimóque totus in amores sui Creatoris absorptus revolvisse. Utì & dolores Virginis Matris ex his omnibus Domini cruciatibus perceptos, quos illa amore in dilectissimum suum Filium transformata, veluti speculo, in Sacratissimo corde suo repræsentabat. Hinc factum est, ut cor ejus ad contemplationem scissarum petrarum, aliorúmque prodigiorum in cruce perpetratorum, Dolorum quoque Matris dilectissimæ cogitatione scissum, ac disruptum, proprio innatans sanguini sit inventum. Quæ sanè omnia nobis clarè ostendunt sanctos hosce viros æquè, ac Mulieres exemplo Deiparæ veluti columbas in foraminibus Petræ, in vulneribus de Cruce pendentis Salvatoris, habitâsse; ibidem requievisse, amorísque ejusdem Salvatoris vehementiâ, in ipsum quodammodò, quemadmodùm & Virgo ipsa Beatissima fuisse transformatos.

Columba, Symbolum boni nuncii.

50. Sed jam ad alias Columbæ proprietates veniamus. Inter alias illa sanè est memorabilis, quòd Columba boni nuncii Symbolum esse consueverit, ut aptè ostendit noster Pater Maximilianus Sandæus in Aviario orat. I. Quod patuit in Columba illa, quam Noë post diluvium ex Arca dimiserat, quæ cum ad Vesperum in Arcam ramum olivæ virentibus foliis ore gestans rediisset; intellexit illicò aquas diluvii cessâsse, huma-

manúmque genus Deo reconciliatum in gratiam rediisse. Quod adeò persuasum antiquis, inquit Sandæus, ut Plutarchus referat, in his quæ de Deucalionis diluvio sunt prædicta, hoc etiam contineri; Columbam à Deucalione emissam esse, manentis diluvii, iterum missa, nec regressa, cessantis indicium fuit.

51. At verò Columba nostra cessantis diluvii, divinæque indignationis in miseros mortales jam restinctæ, dum in Arcam ad Noë cum viridantis olivæ ramo ingreditur indicium, Symbolúmque luculentissimum extitit.

B. Virgo Columba pacis in Arca Noë.

52. Ubi enim primùm Pacifica hæc Columba per suam immaculatam conceptionem, ac Nativitatem in hoc hemisphærio nostro comparuit, aquas diluvii, superni Numinis justissimam videlicet vindictam, irámque conquievisse, pacémque cum humano genere initam vernantis olivæ, quæ signum pacis etiam apud gentiles extitit, ramo nunciavit. Unde Latinus Poëta meritò cecinit:

Paciferæq; manu ramum prætendit Olivæ.

Deum inter, & hominem pacem reconciliat.

53. Hanc ob causam in sacris literis Sunamitis, hoc est, pacifica pacem inter Deum, hominémque concilians appellatur. Unde Trinitas Beatissima cupiens homines primo quoque tempore à peccatorum colluvione, ac diluvio salvare, paciferam hanc Columbam quantocyus in orbem advenire, ut pacem, ac reconciliationem cum Deo hominibus nunciaret, ipsius nimiùm quantùm aspectûs cupida, dicebat: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Cant. 6. 12. Hinc ipsa ad hoc tam insigne opus pacificationis inter Deum & homines se destinatam in arcano illo Incarnationis Dominicæ in utero suo purissimo peragendæ decreto cognoscens, Cant. 8. gloriabatur: *Ego murus*, inquiens, *& ubera mea sicut Turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* In quæ verba Cardinalis Halgrinus Commentatus, ita loquitur: *Beata Virgo Murus & nostræ defensionis, & super eam ædificavit tota Trinitas propugnacula argentea. Hoc enim ad defensionem Ecclesiæ tota Trinitas ædificavit in ea, ut precibus suis bene sonantibus inimicum repellat; & hoc signatur in argento, quod cæteris metallis dulciùs sonat: Cum ergo dixisset. Ego sum Murus; subjunxit: Et ubera mea sicut Turris: Ac si dicat: Misericordia mea, & pietas mea, quibus quasi uberibus suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesiæ, sunt Turris: Monumentum scilicet refugium, & securitas peccatorum. Et hoc ita, ex quo sic accepta, sic grata, sic placita facta sum coram eo, ut essem quasi pacem reperiens, id est, verè pacem reperiens, & faciens inter DEUM & hominem, ut essem pacifica, tanquam Mater veri pacifici, & Mediatrix, ipsius Mediatoris Mater.* Sic Halgrinus.

Murus defensionis nostræ Maria.

54. In eadem illa Virginis verba Guilelmus Anglicus ita paraphrasticè illam loquentem, sensúmque suum explicantem introducit? Postquam enim quæsiisset hic in Virginem pientissimus Abbas ex ea: *Insusitatè loqueris O pia Mater Coram eo dicis, &, de quo dicas, non exprimis; & tamen habet Nomen.* ita sibi eandem respondentem facit: *Quid quæritis Nomen ejus, quod est admirabile? quid opus fuit exprimi, quod tam impressũ notitiæ fuisset omniũ? Quis ignoret de ipso loqui os meum, cui jugiter inhæret cor meum? Ex abundantia enim cordis os loquitur: Ego corã dilecto meo, coram DEO meo facta sum quasi pacem reperiens; magnum quidem inimicitiarum chaos firmatum erat olim inter DEUM, & hominem, venit Filius DEI dissolvere illud, & facere pacem, venit in uterum meum assumens ibidem hostiã pacis, cujus imolatio hostiæ plena pax. Reperi, & sensi subito in utero meo hostiã pacis, & hoc non ex me, sed ut hoc reperirem, excellentis gratiæ fuit. Ergo divinitus facta sum, quasi pacẽ reperiens, & hoc coram eo, non coram Angelis & hominibus; nullus enim hominum sciebat, quid in utero meo ageretur. Nec coram Angelis erat, quàm suaviter ego sentirem illud; sed totus ille*

Clementia B. V. tanquam Murus, & Turris.

suavissimus atque dulcissimus sensus meus intus coram illo erat, de cujus utique munere erat.. Porro, ex quo sensi me in utero habere de Spiritu S., procul dubio tanta excellentiæ, tanta potentiæ, tantaq; clementiæ facta sum, ut omnibus ad me confugientibus non tantùm murus sim ad muniendum, sed & Mater ad nutriendum, & talis Mater, cujus ubera sint sicut Turris. id est, cujus Materna pietas non solùm parvulos nutriet, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt, & minus apti ad precium, hostibus inaccessibiles faciat, cùm creverint, fiducialiter processuros in campum, non tantùm carnem & sanguinem, sed & Spiritualia nequitiæ in cœlestibus provocaturos ad prælium. Hæc Guilelmus. Ex quibus clarè colligimus Deiparam gloriosissimam Columbam illam Noëticam, olivam pacis Symbolum gestantem, ac repræsentantem esse, utpote quæ bonum pacis cum Deo nuncium mortalibus Universis magna totius orbis gratulatione attulit.

Columba victoriæ nunciа.

55. Unde præclarè idem Sandæus: Porrò tam proprium est, inquit, Columbarum fausta nunciare, ut Damasceni Syríque literas omnes ad Amicos Columbis, tanquam felicitatis Veredarijs, sub alas alligarent; non tam ut Epistolæ præcipiti penna venirent, quàm ut à cursore quoque vel Tabellario, ceu faustitatis alite commendarentur, ut observârunt docti inter quos Bernartius lib. in Tibulli. Eleg. 7. Idem in Græcia factitatum, cùm Thaurestenes in illa maxima quinquennali celebritate ludorum olympicorum Victor evasisset, Columbam quam secum asportaverat à Patria, purpureo insignem amictu dimisit, & per Cœlum eunte nuncio, summa pernicitate Patrem Azignæ commorantem fecit eodem die suæ victoriæ certiorem.

56. Hinc Plinius lib. 10. c. 38. Magnis in rebus fuerunt internunciæ Columbæ. Quid vallum, & vigil obsidio, atque etiam retia amni prætensa fuêre Antonio, per Cœlum eunte nuncio; Loquitur hìc Plinius de Hirtio, qui ad Decium Brutum Mutinæ ab Antonio obsessum litteras per Columbas mittebat, quas fame ac tenebris penè confectas vicino mœnibus loco emittebat, ut faciliùs ad escam à Decio rerum conscio, expositiam advolarent, atque ut Decius litteras eis demeret, quod narrat Frontinus.

Exempla alia Columbæ Internunciæ.

57. Non modò faustos rerum nuntios olim veteres Columbis committebant, sed & maximè Arcanos tanquam aëreis literarum Tabellionibus. Unde cùm Harlemum in Hollandia ab Albani Ducis Filio Friderico arctissima obsidione cingeretur, & glacie solutâ difficilior esset per terram ad urbes vicinas & amicas aditus ac reditus; obsessos Columbas cicures caveis inclusisse & transmittendas ad vicina loca curâsse, quæ deinde cum literis subter alas affixis remissæ, Harlemum remeabant: Atque ita literæ arcanorum plenæ ad Magistratum afferebantur, quod non semel feliciter cessit. In eadem Hollandia, Columbam, cùm obsideretur Leyda, emisit Jacobus Douza. Sultanus etiam, cùm à Gallis, Venetísque Ptolomais obsideretur, Columbam cum literis transmisit, quibus significabat se tridui intervallo cum copijs affuturum. Sed Veneti Columbam conspicati, militari clamore tenuerunt ita eam, ut ex aëre delaberetur, mox ei alligatis fictis epistolis Sultani nomine scriptis, quibus indicabatur se obsessæ urbi opem ferre non posse, miserunt Ptolomaidem, quæ desperato auxiliorum adventu, ante triduum se suáque hosti dedit in potestatem. Cùm Godefridus denique Bullionius Hierosolymam obsideret, à Barbaris in Urbem cum Epistolis transmissa, ab Accipitre supra ipsa Bullionij Castra in terram deturbata est, literæque clarè nobis indicant, Columbas, & bonorum nunciorum, & arcanorum fuisse bajulas.

58. Unde Bernardinus Bustius Par 9. Mar Ser. 2. Assimil. 13. ad hæc jam

jam memorata alludens: Fertur, inquit, quòd in partibus ultramarinis volentes Reges, ac Principes aliqua nova majoris momenti significare, habeant apud se Columbam, cujus pulli sint in Regione illa, ad quam nova transmitti desiderant. Et ligantes literas ad pedes Columbæ, dimittunt illam, quæ minimè quiescit, quousque ad Regionem illam pervenerit, in quâ proprios pullos esse novit. Et tunc gentes Regionis illius agnoscentes illam Columbam esse Regiam, litteras accipiunt, iisque de rebus, quas nôsse oportet, erudiuntur.

59. Jam hæc ad Columbam nostram Virgineam, & ad Redemptionis nostræ opus applicans ita prosequitur: *Eramus omnes in Regione umbræ mortis propter culpam, nullúmque bonum novum sive lætum nuncium intelligere poteramus de placatione, & reconciliatione æterni Regis contra genus humanum, ob scelus Protoplasti indignantis. Sed veniens hæc candidissima, ac Divina Columba gloriosa V. M. Cælitus Missa attulit nobis salutis ac reparationis lætissimum privilegium. Quod nobis Columba illa Noë Gen. 8. figuravit, quæ reversa est ad Arcam portans ramum olivæ virentis; & tunc cognovit Noë, & qui ibi erant inclusi, aquas diluvij super terram cessâsse. Erat nimirum humanum genus Originalis peccati Arca conclusum ac detentum, cooperuerant enim aquæ culpæ hujus montes, & colles, sanctos videlicet etiam eminentissimos meritis apud DEUM, adeò ut nullus carcerem hunc virtute propria exire posset. At verò hæc Columba adveniens attulit pacis ac reconciliationis olivam virentem, pariendo videlicet Salvatorem, ac Mediatorem DEI hominum Christum JESUM, qui est pax nostra faciens utraque unum, per quem captivitas nostra sicut Torrens in Austro resoluta est. Atque ita de carcere peccati educti ad Cæli palatium per eam inducimur.* Unde Bernardus huic Benedictæ Columbæ nostræ ita loquitur: *Invenisti O B. V. gratiam, quam nemo ante te invenire potuit; Invenisti, inquam, inferni captivationem, peccatorum liberationem, totius mundi restaurationem, cælorum reparationem, Angelorum & hominum consolationem.*

MARIA Columba Noëtica, Olivam Pacis, seu Christum, mundo, inferens.

60. Quocirca & diem Immaculatæ conceptionis Virgineæ hujus Columbæ, & diem Nativitatis, atque Annunciationis, quo salutata est ab Archangelo Gabriele, nobísque tam lætus Dominicæ Incarnationis in terras, deportatus est nuncius, dies boni nuncii jure merito appellanda est. In quo sanè quicunquè Redemptionis nostræ ac pacificationis cum DEO per hanc Noëticam Columbam, sive Sunamitidem amore nostri factam, beneficium singularissimum recta rationis trutinâ ponderaverit, silere non poterit ab ejus laudibus; quod si per summum nefas siluerit, crimen summum ingratitudinis incurret. Verè enim de his ipsius faustissimis, atque auspicatissimis niveóque lapillo signandis diebus id pronunciare possumus, quod leprosi illi dixêre, cùm emori fame metuentes ad castra Syriæ nocte quadam transfugæ, animadverterunt nullos Israëlitici populi hostes ibidem adesse: Siquidem, ut loquitur Sacer Text. 4. Reg. 7. *Dominus audiri fecerat in castris Syriæ Sonitum curruum, & Equorum, & exercitûs plurimi; ita ut dicerent ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos Rex Israël Reges Hebræorum, & Ægyptiorum, & venerunt super nos.* Tandem concludit. *Surrexerunt ergo & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & Equos & asinos in Castris, fugerúntque; animas tantùm suas salvare cupientes.* Nobis, inquam, dicendum quoque est, quod leprosi illi, postquàm abundè comedissent & bibissent, tulissêntque ex desertis castris argentum, aurum, & vestes, & abscondissent; dicendum, inquam: *Non rectè facimus: Hæc enim dies boni Nuncii est. Si tacuerimus, & noluerimus annunciare usque mane, sceleris arguemur; venite eamus & nunciemus in Aula Regis.* Verè enim dies isti Sacratissimi, toti-

Dies læti nuncii sunt dies Immaculatæ Concept. Nativitatis Christi.

que humano generi faustissimi Virginis Deiparæ honori gloriæque dedicati, dies sunt boni nuncii, in quibus si tacuerimus, sceleris turpissimi, quod ingratitudo est, arguemur. Diebus enim hisce Tartarei Hostes, qui vitæ salutique nostræ insidiabantur, à gloriosissima hac Virgine, Forti illa Muliere (quam tam solicitè quærebat Salomon, quæ terribilis est, ut castrorum acies ordinata) qui ab hac, inquam, Inferni debellatrice, ab hac Sunamitide, quæ nos cum Creatore nostro pacificavit, in fugam acti sunt. Ab iis Virgo optima detraxit spolia, nósque indè amplissimis cœli divitiis, non auro, argento, vestéque pretiosâ, sed divinâ gratiâ locupletavit; mundum denique Universum lethifera fame oppressum, panem illum, qui de cœlo descendit, nobis velut navis institoris advehendo, ab æterno interitu liberavit.

61. Quòd porrò dies hi Conceptioni, Nativitati, & Annunciationi Deiparæ Virginis sacri, dies boni nuncii universo generi humano salutiferi sint, res per se est clarissima, eámque præter alios pervenustè ostendit Gabriel Biel, Theologus Spirensis. Sic enim ille de Conceptionis ejus dic Festo Ser. 3 de Concept. B. V. Conceptionis B. V. annuus recursus, nostræ nobis Redemptionis primordia recommendat. Cùm enim per hanc Virginem salus mundi apparuit credentibus, per ipsam quoque juxta Verbum Domini antiqui serpentis caput contritum est. Gen. 3. Patet manifestè hujus Virginis formationem ad nostræ salutis primordia pertinere. Sicut namque duo viri famosi mirabili Dei operatione formati sunt. Adam scilicet, & Christus: ita & duæ reperiuntur Mulieres famosæ à Domino mirabiliter institutæ, & ædificatæ, quæ licet diversimodè, & velut oppositæ duorum dissimilium fuère initia populorum, Eva scilicet & Maria. Quorum prima principium fuit naturalis propagationis omnium per Adam ejus Maritum. Altera scilicet Maria principium nst spiritualis regenerationis omnium per Christum ejus Filium. Primam ædificavit Dominus de Costa Adæ, ipsi in adjutorium, ut esset tabernaculum electum, & domus salutaris: in qua ab initio cresceret, vivificaretur, illæsa servaretur tenera proles humana, usque ad exitum de tenebris viscerum in mundum hunc luminosum. Sed proh dolor res versa est in contrarium. Nam domus hæc mirabiliter ad viventium salutem ædificata, mox occubuit ac corruit, corruendóque sic intrinsecè corrupta est, & infecta, ut omnes in ea compactos ejiceret lethaliter sauciatos. Sicque domus generationis humanæ proles facta est domus mortis, domus gaudij, facta & domus mœroris. Domus denique originalis justitiæ facta est spelunca mortalis culpæ, & per hoc domus Dei facta est fovea Diaboli. Ecce miserum infectum & maculatum habitaculum in quo necesse est filios & filias Adæ primordialiter hospitari. Ne ergo morbida originalis hospitij infectio universos læderet ad mortem, & mortem incurabilem, nihil decentiùs divinæ Bonitati misereri volenti, nihil opportuniùs nascituris filijs Adæ, imò nihil magìs necessarium mortalibus quàm quòd iterum Dominus ope stabili, sed alterius fabricæ ædificaret mulierem novam, quæ veteris domus corruptionem sua puritate reformaret, quæ esset Domus Dei, Tabernaculum Altissimi, domus vitæ & salutis, de qua salus mundi egressura erat, sine macula, omnium maculas absterſura. De quo B Bern. Hom 2. super Missus ita ad rem nostram Adamum alloquitur: *Lætare tu Pater Adam, sed magis tu Eva exulta sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremtores: &, quod miserabilius, prius peremptores, quàm parentes. Consolamini super filia parentum reparatrice, posterorum vivificatrice, quæ pro ligno mortis gustum por-*

Evæ, communi Matri substituta melior Deipara.

porrigit vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, fructum parit æternæ dulcedinis.

62. Idem Gabriel ejusdem Virginis Natali toti mundo Salutifero Ser. 1. de Nat B. V. *Ortus hujus sanctissimæ Virginis initium fuit Auroræ gratiæ & omnis Spiritualis virtutis per ipsam in Christianum populum transfundendæ. In hac enim benedicta Virgine incepit perfecta vitiorum mortificatio, ad Regnum Cœlorum aspiratio, singularis gloria virginitatis, virtus continentiæ & castitatis, agnitio Christianæ veritatis, filialis timoris, ac fulgidissimæ dilectionis, in quibus tota fundatur Christiana Religio. Ideò à Spiritu S. Eccli. 24.* Mater pulchræ dilectionis timoris, & agnitionis, & Sanctæ spei *non incongruè nominatur. Cujus ortus fabricam Spirtus S. expressit cùm ait:* Sapientia ædificavit sibi domum. *&c.*

Natalis B. V. felicitas nostra & salus.

63. De hoc denique die boni Nuncij, in quo Gabriele annunciante Deus homo in utero Virginis factus, homine diutina Satanæ captivitate oppressum liberavit. Idem Auctor tantæ rei novitate hærens attonitus Ser. 2. de Annunc. ita loquitur: *Stupet animus reverberatur oculus, nec admirari intellectus sufficit, dum clarissimam hujus diei gloriam cupio intueri. O sacratissima dies, & omni jucunditate plena, in qua lapsa relevatur natura, vetustas projicitur, salus perdita innovatur. Verè hæc est dies, quam fecit Dominus, nec alter illi similis post extitit. Absit, absit, ut in hac die sileat lingua carnis, à jucundis divinæ munificentiæ laudibus, in qua pro nobis caro factus est DEUS. Nec pusillanimes reddat vel ignorantia vel fragilitatis propriæ impotentia. Adest enim huic diei Virgo illa fortis, ac prudentissima, super omnes hujus mysterij arcanum edocta, quoniam consummatum est in ea. Imò & ipsa dies illa est, quam fecit Dominus, quam olim diem, quia lucidam sine tenebris noctis peccati originalis, creavit; Sed hodie mirabiliter soli justitiæ univit, ac totam divinam effecit, ut & ipsa illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, Felix iste mensis, in quo à servitute liberatur populus DEI. Iste est* mensis primus anni benignitatis, & misericordiæ, *sicut scriptum est Exo 12. Mensis iste scilicet Martius, principium mensium, primus erit in mensibus anni, in quo etiam factus est Mundus & in eodem jam inveteratus initialiter renovatus est, secundum Prophetæ desiderium, clamantis:* Innova signa, immuta mirabilia. *Felix dies, qua Annunciatus est Mediator dei & hominum CHRISTUS JESUS, ut pacificatis, quæ in Cœlis sunt, & in terris, aditum ad regna Cœlestia aperiret. Verè hæc dies boni nuncij est, in qua auditus est sonitus Cœlestis exercitus. Non enim putandum est, venisse solum Gabrielem, etsi solus in visibili forma apparuit; non tamen sine magno exercitu inferiorum Angelorum, non minùs, quàm, dum Nativitatis gaudia nunciaret, venit cum eo multitudo militiæ Cœlestis.* Hinc Bern. Non solùm descendit cum Gabriele Angelorum exercitus, sed etiam ipse Angelorum Dominus. *Hujus ergo præsentia Exercitûs magni Domini exercituum fugati sunt Syri, Dæmonum videlicet turba, in oculis suis sublimis, & excelsa, ut raperentur eorum vestes & vasa, & quidem superveniente Fortiore. Fortis ille armatus vincitur, & universa ejus spolia dividuntur. Luc. 11.* Hæc Gabriel Biel; quæ sanè ostendunt Columbam hanc Virgineam in sua Annunciatione non modò faustissima, atque felicissima nova nostræ cum Deo pacificationis ac reconciliationis, velut virentis olivæ ramum nobis attulisse; verum etiam ad Redemptionem, ac liberationem totius humani generis de Tartareorum hostium oppressione ac Tyrannide fuisse cooperatam.

Encomia diei Annunciationis B. V. Mariæ.

64. Quid demum dicam de Virgineæ hujus Columbæ simplicitate. Hanc illa suâ innocentiâ, rectitudine ac puritate intentionis, sanctitate denique donorum Spiritus S. abundantiâ, ex quibus mirificè ipsius pulchritudo resultabat, repræsentavit. Quam admiratus Sponsus, in eâque sibi mirificè complacens dicebat: *Ecce Tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra*

B. Virgo erat simplex, ut Columba.

chra es, oculi tui oculi Columbarum. Cant. 15. dum *amicam* vocat, innocentiam ipsius singularem, qua proximè ad ipsius sanctimoniā super omnes creaturas etiam Angelicas accedebat, insinuat. Unde 70. Interpretes legêre: *Ecce, tu speciosa, proxima mea;* Dum oculos ipsius Columbarū esse dicit, simplicitatē rectitudinémque intentionis declarat.

65. Hinc Gregorius in Cant. *Oculi*, inquit, *Sponsæ bene Columbarum esse perhibentur, quia, dum in temporalibus gemit, & ad æterna desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, & carnales concupiscentias detestatur. Columba quippè in amore pro cantu gemit. Et benè sancta anima Columbæ comparatur, quia dū reprobi quique in amore mundi garriunt, & lætantur, mens electa in Cœlesti desiderio delectatur:* Eandem sent. paraphrasticè ita reddidit S. Bern. Ser. 45. in Cant. *Jam non ambulas in magnis, neque in mirabiliter super te. Sed instar simplicissimæ volucris, contenta es simplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans, libenter ea, quæ sunt de me dumtaxat Incarnato, & passo, oculo intuens Columbino.* Venerabilis Beda ait: *Oculi tui Columbarum, id est, Oculi cordis tui simplices, & mundi, atque ab omni duplicitate fallendi, ac simulandi prorsus immunes.* Item Oculi tui Columbarum, quia sensus tui spirituali sunt intellectu præditi. Item Oculos Columbarum habet Amica Christi, quia omnis, quæ illum veraciter intus amat, nullo exterarum rerum appetitu, Milvorum more, accenditur, nulli viventium adversum quid inferre meditatur, quòd Columbinæ esse fertur mansuetudinis, quæ cuncta, quæ occurrunt, simplici, miti & humili corde contemplatur.

Id confirmat S. Gregorius.

Idem asserit Venerab. Beda.

66. Honorius denique, Augustodunensis Presbyter, paucis multa complexus *MARIA vocatur amica*, inquit, *quæ portat Patris secreta* (quod etiam visum Guilelmo Abbati, qui vult Amicam vocari, ob amoris prærogativam, & conscientiam secretorum) *proinde ecce tu pulchra es, coram hominibus in castitate. Pulchra Virginitate, pulchra fœcunditate, pulchra in virtutibus pulchra in operibus, pulchra in laude hominum, pulchra in cœlis laude Angelorum. Pulchra bis prædicatur; quia sine interiori macula declaratur. Oculi tui, id est, intentiones operum tuorum, Columbarum, id est, sinceræ & simplices. Vel oculi tui, id est, Exempla, quæ alios ùt oculi ducunt, donis Spiritus S. pleni sunt. Quæ videlicet dona sicut & ipse Divinissimus Spiritus toto ejus ore oculisque promicet, eos, quos oculi ipsius conspexerint, gratijs ejusdem Spiritus repleant, necesse est.* De eadem intentione simplici Virginis nostræ, in qua cœlestis Sponsus sibi mirificè complacebat, præclarè etiam Psellus apud B. Theodoretum in persona Sponsi: *Jucundis oculis es prædita Columba Virginis, cùm oculos tuos ab errore averteris, & eos in me Creatorem tuum intenderis.* Columbæ autem oculos memorat, ut pariter pulcherrimum Sponsum aspiciat. Columbinos quoque hosce Sponsæ oculos ad simplicitatem, & intentionem transtulit. Unde legunt. 80. Interp. περιστεραί, id est, Columbæ, in Nominativo plurali, quasi utroque Virginis oculo Columba, nempe ipse sanctissimus insideret, sicut insidebat quoque oculis sui benignissimi Filij: De quo ipsa Virgo pulchritudinem ejus à capite ad calcem describens, ajebat: Cant. 5. 12. *Oculi ejus sicut Columbæ, desuper rivulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima.* Unde Dionysius Richelius. Art. 5. in Cantica, hujus Sponsæ geminatæ venustatis tantopere à Sponso celebratæ, rationem reddens: *Quia splendore*, inquit, *mundissimæ Virginitatis, incomparabiliter radians, atque supernaturali fœcunditate, ac geniturâ divinâ præfulgens, corporali decore, omníque exteriori moralitate, virtutibus nempe moralibus, cunctorúmque divinorum claritate, charismatum Spiritûs S. videlicet, coruscas. Oculi tui sunt porrò Columbarum, columbinâ, ac ovinâ simplicitate conspicui.* Quòd verè Spiritus sanctus Columba, &

Pulchritudo perhibetur Virginis.

Oculi MARIÆ sunt oculi Columbarum.

& ejus dona Columbis repræsententur, Gregorius Nyssenus, & Rupertus Abbas indicârunt; dum ille B. V. Filiam Columbæ illius quæ ad Jordanem devolavit, hic oculos Columbarum dona omnium gratiarum, quarum B. V. in Incarnatione Verbi particeps facta est, appellavit. Unde sicut lapis ille apud Zachariam, Christum significans, habebat 7. oculos, 7. videlicet Spiritus S. dona, quæ vocantur oculi columbarum: Ita Virgo Beata tanquam Filio penè in omnibus simillima, dum oculos Columbarum à Sponso habere perhibetur, septem ejusdem donis cumulata fuisse intelligenda est.

67. Quòd denique oculi Columbarum in Sponsa denotent ipsius simplicitatem rectissimámque in DEUM intentionem, ostendit Bernardinus de Bustis. Par. 9. Marial. Ser. 2. Assimil. 13. *Commendabilis est*, inquit, *Columba, quoad simplicem mentis contuitum. Habet enim Columba magnam simplicitatem*, juxta *illud* Matt. 10. *Estote simplices sicut Columbæ. Beatæ autem Virginis oculi, inquit ipsius Cœlestis Sponsus: Oculi tui Columbarum, id est, simpliciter aspicientes.* Unde S. Hieron. Ser. de Assump. de Deipara loquens. *Erat*, inquit, *candida multis meritorum virtutibus, ac dealbata nive candidior Spiritûs S. muneribus, & in omnibus Columbæ speciem repræsentat; quia, quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia, & justitia, quæ de cælo prospexit. Habuit igitur B. V. simplicitatem in intentione, quia semper DEI gloriam quæsivit; in affectione, quia Deum sine admixtione mundani amoris semper dilexit; In operatione, quia omnia, quæ faciebat, ad honorem DEI, & proximi utilitatem faciebat. Quòd autem hujusmodi simplicitas DEO grata sit*, ostendit Salomon. 1. Paral. 29. *Scio Domine, quia simplicitatem diligis.* Unde idem suadebat Sap. 1, *In simplicitate cordis quærite illum.* Hæc Bernardinus.

Oculi Columbini B. V. denotant simplicitatem, & rectitudinem intentionis illius.

68. Ex quibus tam puritatem internam animi, quam rectitudinem voluntatis, ac intentionis semper in DEUM tendentis, charitatis denique semper & ubique DEUM amplectentis licet intueri. Unde, ut cœlestis Sponsus hanc interioris hominis rectitudinem in Virgine nobis ostenderet; oculos, qui fenestræ mentis à S. Augustino in Psal. 4. appellantur, præcipuè commendavit; ut illos intuentes velut per fenestras mirificam ipsius pudicitiam, perfectionem, gratias, charismata, Spiritûs S. dona, quibus venustas DEUM amantis animæ continetur, introspiceremus. Præclarè enim pronunciavit Plinius lib. 11. cap. 37. *Neque ulla ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, quàm ex oculis; maximè homini, id est: moderationis, clementiæ, misericordiæ, amoris, odii, tristitiæ, lætitiæ. Profectò in oculis animus habitat.* Nihil veriùs quoad rem nostram attinet. Verè enim pulcherrimus ac sanctissimus gratijs omnibus ac donis à Spiritu S. ornatissimus animus Deiparæ in oculis habitare visus est, ut eo conspecto mortales omnes in ejus castissimum amorem, admirationémque raperentur. Unde præclarè Lucius Crassus apud Marcum Tullium lib. 3. de orat. *In ore*, ait, *sunt omnia, in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum; animi est ea omnis actio; & Imago animi vultus est; indices oculi; nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Oculos enim natura nobis, ut equo & Leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit.* Quare S. Petrus Chrysologus Ser. 119. meritò illos: *Animæ fenestras, speculum mentis, lumen corporis, membrorum Duces* vocitavit. Verè mentis animæque Virgineæ gemina specula fuêre ipsius purissimi, simplicissimíque oculi, specula inquam, Virginei ipsius pudoris, & honestatis, specula sanctimoniæ, & puritatis, specula modestiæ & humilitatis, specula denique ipsius gratiarum, ac charismatum, quibus su-

Oculi plerumque animarum sunt indices.

Oculi B. Virginis indices erant internæ puritatis.

perveniens in illam Spiritus Sanctus animam ipsius, omni illâ largifluâ donorum cœlestium plenitudine post Christum cumulavit. Per oculos igitur istos columbarum, per dona septem gratiarum Spiritûs Sancti, velut per crystallinas fenestras singularissimam Virginei animi pulchritudinem nobis licet intueri: Unde Spiritus S. qui ex oculis DEIparæ promicabat, à S. Joann. Apoc. 22. fluvio splendido, tanquam crystallum, procedenti de sede DEI, & agni comparatur.

Oculi MARIANI ad virtutem duces, & illices.

69. Quisquis igitur castissimo purissimæ hujus Virginis, ejusdémque virtutum, ùt puritatis, humilitatis, obedientiæ, pietatis, &c. cupit accendi, eam sibi præsentem constituat, ejus faciem oculósque velut suam Helicem, ac Cynosuram intueatur, denique Virginei isti oculi in hoc tam sancto, támque pudico amore illi duces sint, si, utì tantam Matrem pulchræ dilectionis convenit, dignè amore prosequi concupiscit. Hinc Athenæus ex Arle lib. 13. Dipnosoph. tradidit: Amatores nullam magis corporis partem in jis, quos amant intueri, quàm oculos, ubi pudoris sedes est. Quod sensisse visus quoque est Tullius, eodem lib. 3. de orat. ubi ridet Poëtas, qui amori oculos, ut propria ejus ad capiendos animos instrumenta, ademêre *Itaque cæco prorsus animo*, inquit ille, *Profani Poëtæ extitisse videntur, qui cæcum amorem esse finxerunt. Quandoquidem nulla corporis pars magis servit amori, atque etiam pulchritudini, & decori. Nam si in oculis tanquam pretiosissima, & præstantissima corporis parte pulchritudo consistit, atque etiam oculis cernitur, & judicatur; Sacrilegum, & nefarium est, cæcum existimare amorem, qui Deorum omnium ab illis fingitur esse pulcherrimus, & antiquissimus; ut auctor est Hesiodus vetustissimus Poëta, qui in Theogonia, id est, de generatione Deorum, sic de amoris DEO affirmat: ante omnia quidem chaos fuit, atque Amor pulcherrimus immortalium Deorum.*

70. Unde Sponsus Amatorium texens Sponsæ Epithalamium, solos ejus potissimùm oculos amorum purissimorum sanctissimas celebravit illecebras. Quibus, si quis feliciter capi desiderat, dicat identidem suspirans, magno pietatis affectu, dicat cum Ecclesia sancta: *Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Dicat iterum cum Seraphico ipsius Psalmista & cum illo sacratissimis ejus oculis bene precetur, animitùs concinendo: *Benedicti sunt oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer convertere super nos peccatores; Benedictum sit lumen, & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultûs tui; Benedicta sit misericordia manuum tuarum; benedicta sit emanatio Virginei lactis tui. Psal. 22.* Qua emanatione, si quis ut olim castissimus ejus Filius Bernardus aspergi desideraret, Columbinam ejus simplicitatem ac munditiam amorémque illum filialem atque tenerrimum in DEI Matrem imitetur, ut cum illo Columba quædam lacte lota, residens juxta fluenta plenissima sacrarum scriptuarum, earum meditationi jugiter se se impendat, & ad volandum in Cœlum, cum cœlitibus conversando, uti faciebat Bernardus, excitetur.

71. Quam gratiam, ut eò faciliùs consequamur, nil nobis sit antiquius quàm ut ejus Iconem ubicunque eam viderimus summæ pietatis affectu veneremur: quocirca quisque in suo cubiculo nonmodò in suo oratorio, verùm etiam in suo Musæo, dum literis operam navat, eam Filium ulnis gestantem sibi ob oculos constituat, eam frequentius aspirationibus calentibus cordis suspirijs, orationibus jaculatorijs ad singulos Horologij sonitus vel saltem horarum ictus, ut pro nobis in hora mortis nostræ oret, salutemus, inclamemus, & cum eodem ipsius Seraphino corde, amore ipsius scintillante exclamemus: *Domina illuminatio mea: lumen oculorum meorum tu es. Sit splendor*

B. Virginis icones crebris salutandæ.

dor

dor faciei tuæ super me, & serenitas supernæ gratiæ affulgeat menti meæ. Ne avertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuum à juventute mea concupivi. Te amavi, & exquisivi, Regina Cœlorum; Misericordiam tuam, & gratiam tuam ne subtrahas à servo tuo. Confiteor tibi in nationibus Domina, & thronum gloriæ tuæ honorificabo. Ps. 26.

72. Et quoniam oculi Virginis varias ipsius, easque amabilissimas virtutes, ut pudicitiam, honestatem, puritatémque plusquàm Angelicam, divinum amorem, pietatem in proximos veluti Speculo nitidissimo nobis repræsentant, quisquis castimoniæ amore ac præsertim ipsius clientuli, in sodalitijs ejus versantes, tenentur; semper illam cum Filio in ulnis bajulantem devotè intueantur; certò sibi persuadentes, ejus oculis, velut rore frigidissimo omnem odorem concupiscentiæ in eis extinguendum, imo sensualitatem omnem, veterémque hominem cum actibus suis perimendum; Cùm oculi ejus sint, ùt ait Amadeus, sicut Basilisci aspectus, qui homines oculis suis conficit. Adeò denique Virginei hi oculi potentes sunt, ut non modò libidinis, sed & iracundiæ flammam aspectu suo extinguant, charitatémque proximi instillent. Rem admirabilem hoc in genere scribit Bencius in Annuis literis Domûs probationis Brunensis in Provincia Austriaca Anno *1588.* quidam in inimicum ardebat odio, ita implacabili, ut subtraheret aures Sermonibus, qui de reconciliatione haberentur. Hunc convenit unus è nostris, Orat, ut quandoquidem aures habet obstructas, oculos tamen sibi clausos esse non patiatur; in Templum nostrum concedat, tum defixo obtutu in B. V. Imaginem, eam adprecetur. Dictu mirabile; sed verum. Perculit Deiparæ visus derepente sic hominem, ut exclamaverit. *Do veniam libens, obliviscor injuriæ. Condona tu mihi DEUS, condona peccata mea.* Mox ille denique peccata, quæ sibi condonari postulabat; per confessionem, sacrámque communionem expiàvit. O verè mirificam Virgineorum oculorum, non modo in carnis vitijs, verùm etiam odij incendijs suffocandis energiam.

[...]specta B. [...]g. icon [...]inatum [...]vertit [...]carorem.

73. Proinde cum eodem S. Bonaventura hujusmodi adolescentes, dum aliqua impudicitiæ cogitatione pulsantur, sensuve carnis titillantur, vel aliquo alio vitio accenduntur; ad ipsius conspectum recurrant, ejúsque purissimis oculis visendos se exhibeant, dicántque illi medullitùs Psal. 40. *Domina Angelorum, Regina mundi, munda cor meum igne amoris & charitatis tuæ. Tu es Mater illuminationis cordis mei, tu es nutrix refovens mentem meã. Te cupit os meum collaudare, te affectat mens mea affectuosissimè venerari. Te desiderat anima mea exorare, quia tutitioni tuæ se comendat tota substantia mea.* Et Psal. 85. *Inclina Domina aurem tuam & exaudi me, converte oculum tuum ad me, & miserere mei. Non avertas sacrum tuum aspectum à me, neque abomineris me, propter immunditiam meam. Distillatio dulcoris tui oblectat animas sanctorum, & infusio charitatis tuæ super mel dulcissimum; Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum, & lux miserationum tuarum perducit ad salutem. Fons bonitatis tuæ inebriat sitientes, & aspectus faciei tuæ retrahit à peccato.* O si ardentissimi hujus Virgineíque Seraphini illo animarum Zelo exardesceremus, ut omnes ad ejus cultum venerationémque excitaremus, orbémque circumvolitantes concineremus Psal. 99. *Jubilate Dominæ nostræ terrigenæ omnes, servite illi in lætitia & jucunditate. In toto animo vestro accedite. Investigate illam, & manifestabitur vobis, estote mundi corde, & apprehendetis eam. Quibus auxiliata fueris Domina, erit refugiũ pacis, & à quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem.*

Praxis invocandi Deiparam ingerente se impura tentatione.

74. Idem hoc remedium ad conservandam castitatem Virgineæ videlicet Iconis aspectum præscripsit, inter alia longè efficacissima P. Carolus Musartius, Vir æquè pius, ac do-

Alia contra tentationem. pia præsidia

doctus in suo lilio MARIANO par. 3. Præsid. I. maximè, cùm hostis tentatio proxima est: Ubi verò hostis propè est, ubi jam animus, corpúsque fœdis tentationibus percelluntur, agendum magis ignaviter, precésque omnes atque vires in Virginem convertendæ. Ac quibusdam quidem in hujus prælij fervore fuit satis, piam Virginis Icunculam, quam in similes usus penè se semper habent, oculo, osculóque uno delibâsse. Nimirum aspectus vel amicus, non in ipsa Virgine, qualis dum inter mortales ageret, sed in ipsius picta sculptáve Imagine defixus injectam turpem flammam repressit.

Aspectus MARIANÆ imaginis, vel pium osculum.

75. Quin imo imaginem ejusmodi sine ulla precatione, religiosè tamen gestâsse interdum contra incastas importunitates fuit plus satis. Quod is pulcherrimo illo, Cordubensis Parthenij sodalis, annulum, Ave MARIA inscriptum, gestantis, séque Virgini desponsantis, confirmat exemplo. Quod, quia nos alibi attulimus fusius recensere supersedemus. Fructum hujus annuli stupendum addere libet. Repente ita relanguit, atque emortuus est impofterum omnis ardor, ac si jam ille in corpore sine Corpore viveret. Neque miror Ego, eam vim Mariano annulo adfuisse, cùm Jaspidem è gemmis, Agnum castum, & lactucæ semina è plantis, salicis viticísque folia, è fructibus, è floribus lilia alba, obscœnos motus, fœdásque somniorum impurorum imagines reprimere, ac periclitantem pudicitiam tueri probæ monetæ scriptores prodiderint.

Solùm gestata B. V. imago impuras pellit tentationes. Confirmatur exemplo.

76. Præsentissimum quoque remedium carnalium tentationum, cogitationúmque impudicarum, quorumcunque peccatorum est præster præsentiam, aspectúmque DEIparæ, ejusdem Numinis sacratissimi, sicut & Filij cumprimis devota invocatio. Atque ita ubi primùm sensit quis carnalis concupiscentiæ titillationes, imo cujuscunque vitij impugnationem, expedientissimum, JESUM simul, ac MARIAM ardenti pietatis affectu invocare. Quod etiam tuendæ castitatis medium adfert idem Pater loco citato: quid, inquiens, quòd sola JESU, & MARIÆ cogitatio libidinis jam accensam facem sæpe penitus extinxit? Plurimi in mediis turpium molestiarum senticetis deprehensi cogitârunt, pronunciarúntque JESUM, & MARIAM, & ex animo statim, & corpore molestam spinam excuti senserunt; scilicet, Solis ac Lunæ radios, vel per nominum umbras projectos, Tartarei Tenebriones, cùm ferre non possent, verterunt se in fugam. Magìs mirum, quod sequitur: nonnulli, quòd solùm duo hæc verba in mentem revocâssent: *Sodalis sum Virginis MARIÆ*, sordidam à se repentè cogitationem, titillationémque rejecère. Ita enim quidam in Flexiensi Sodalitio Virginis Immaculatæ Parthenius verè Nobilis, cùm muliercula illecebris ad impurum factum provocari se vehementer sentiret, ita cogitare secum cœpit: Sodalis B. V. MARIÆ sum; si qui vitam politiorem profitentur, agrestes habentur, cùm verbo factóve immodestiore contra urbanitatem peccant: profectò is Sodalis Parthenicus non est, qui vitâ alius est, ac immaculatæ Virginis Sodalem deceat; neque aquæ copiâ majori tum opus fuit, ad ignem, qui excitabatur, ex animis excutiendum. Adesdum nunc Parthenice Sodalis, eos imitare, de quorum cœtu te esse gloriaris, Virginem singulari studio, cole, insiste ea, quæ Virgo pressit, præclaræ castitatis vestigia; ei te dede, imo devove; crebrò, imo semper MARIAM cogita, semper invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, &c.

Invocatio JESU, & MARIÆ Nominis, præsentissimum est mediũ contra impuras tentationes.

Sodalis MARIANI titulus, animo obversans, fervat intentationis periculo.

77. Porrò ut eo majori affectu Sodales Parthenii in hæc Sacrosancta JESU, & MARIÆ nomina ferantur, libet paucis eorum laudes ex sanctis Patribus depromptas memorare. Inter quos planè mellifluus Doctor Bernar-

JESU, & MARIÆ [illegible] com[illegible]tur [illegible] ex SS. [illegible] bus.

nardus de hoc inprimis amabilissimo, saluberrimóque Jesu disseruit Nomine, Ser. 15. in Cantica, ostendens illud esse omnino, de quo Sponsa amore ejus capta læta concinebat: *Oleum effusum Nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Cant. 1. Postquam enim ostendisset, illud ad ad instar olei, lucere, pascere, morbísque animarũ nostrarũ mederi, dixissétque: *JESUS est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus:* mox addidit: *est & medicina. Tristatur aliquis nostrum, Veniat in cor JESUS, & inde Saliat in os & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonne, si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris Nominis duritia ut assolet cordis ignavia torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lacymarum, invocato JESU nomine non continuo erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti, & trepidanti, invocatum virtutis Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum! Cui quæso in dubijs æstuanti, & fluctuanti non subitò ad invocationem clari Nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jam jámque deficienti, si nomen adjutorij sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animi isti sunt, illud Medicina. Deníque & probare licet: Invoca me, inquit, in die tribulationis eruam te, & honorificabis me Nihil ita iræ impetum cohibet; superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum Domino JESU hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate, ac sanctitate conspicuum, eumdémque ipsum DEUM Omnipotentem, qui suo me, & exemplo sanet, & roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit JESUS. Sumo igitur mihi exempla de homine, & auxilium à potente, illa tanquam pigmentarias species, hoc tanquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui similem Medicorũ nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes anima mea reconditum, in vasculo Vocabuli hujus, quod est JESUS; Salutiferum certè, quódque nulli unquam pesti inveniatur inefficax! Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in JESUM & sensus dirigantur & actus. Denique & invitaris: Pone me, inquit, signaculum in cordo tuo, signaculum in brachio tuo Sed hoc alias. Nunc verò habes, unde & brachio medearis, & cordi. Habes inquam in Nomine JESU, unde actus tuos, vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas. Itémque unde tuos sensus, aut serves, ne corrumpantur, aut si corrumpantur, Sanes.*

Nomen Jesu speciatim commune remedium.

Medicina præsentissima, Nomen Jesu.

78. Atque, ut ostendat hujus sacratissimi divinissimíque Nominis in persanandis animæ morbis, ubi concupiscentia carnis est, ac libido, admirabilem planè vim, ac energiam, docet longè differentissimum hoc Salvatoris Nomen esse ab ijs, qui in veteri lege hoc Nomine nuncupabantur; qualis erat JESUS Nave, JESUS Filius Josedec summus Sacerdos, ac demum JESUS Sirach, quorum Nomina similia baculo Elisæi Prophetæ videbantur, quæ nullam ulli afferebant medicinam. *Illa enim nec lucent,* inquit Bern. *nec pascunt, nec medentur; Idcirco Synagoga in tenebris est usque adhuc fame, & infirmitate laborans, & non sanabitur, nec satiabitur, quousque sciat Nomen JESU dominari Jacob, & finium terræ, & convertatur ad vesperam, & & famem patiatur, ut canes, & circumeat Civitatem. Et illi quidem tanquam baculus præmissi sunt ad mortuum, Prophetam prævenientes; & sua interpretari Nomina nequiverunt, vacua quippe erant. Superpositus mortuo baculus, & non erat vox, neque sensus, quoniam baculus erat. Descendit, qui baculum misit, & mox salvum fecit populum suum à peccatis eorum, & patet illum non inane portare Nomen instar priorum. Sentitur infusa salus & beneficium non tacetur.* Invocemus ergo hoc Nomen saluberrimum

Differentia Nominis Jesu ab jis, qui in veteri testamento hoc insigniti sunt Nomine.

mum & nos; ut per illud salus animabus nostris, extincta cupiditate, morborum omnium origine, concupiscentiáque carnis refrænatâ, infundatur.

79. Imitemur consilio Bernardi ipsius Jesu Matrem, de qua ita loquitur Tract. de Pass. cap. 43. *Si vis salvari, & attrahi odore hujus Nominis salutaris, quod effusum est sicut oleum, incipe delectari in dulcissimo JESU, & confidenter requirere in vero salutari salutem, non imitando eos, qui exultant in rebus pessimis, sed illam cujus Spiritus exultavit in DEO salutari suo, quæ Nominis hujus salutarem odorem tanto suaviùs attraxerat, perfectiúsque senserat, quantò illi fide, spe & charitate vicinior fuerat.* Quantò ergo hæc optima Mater perfectior fuit in fide, tanto in spe fortior, & in charitate ferventior omnem suum cogitatum jactans in eum.

Nomen Jesu in omnibus omnia.

80. Jactaverat omnem suum cogitatum, fiduciámque suam universam, sperans se omni malo, ac peccato, insidijsque, ac tentationibus Diaboli hoc invocato Nomine in actionibus suis omnibus liberandum, pientissimus ille Thomas de Kempis Canonicorum Regularium jubar; cùm in soliloquio Animæ c. 22. Secum ipse quærebat: *Quid agam in memoriam, & laudem sanctissimi Nominis tui? Legam de te JESU mi Dulcissime, scribam de te, cantabo de te, cogitabo de te, loquar de te, operabor propter te, patiar pro te, exultabo in te, laudabo, magnificabo te, glorificabo te, dignè adorabo te, quia DEUS meus es tu, in quem credidi, quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi.* Sic ille.

Omnia cedunt SS. Nomini Jesu.

81. De Nominis denique hujus Divinissimi omnipotētiâ contra quodcumque peccatum Dæmonúmque incursiones præclarè S. Petrus Chrysologus Ser. 45. *Hoc Nomine Deitatis tota adoratur Majestas, omnes qui commorantur in cælis, universi, qui habitant in terra, cuncti qui in profundo tenentur Inferni huic prosternuntur Nomini, hoc adorant. Audi Apostolum: Ut in Nomine JESU omne genu flectatur, cælestium terrestium, & Infernorum. Hoc Nomen est, quod dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totámque Diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus Nominis effugavit. Et si Nomen tantum est, Quanta erit Potestas.* Hactenus Chrysol.

82. De hujus denique Nominis contra vitiosas omnes animi affectiones, atque ægritudines egregiè Philippus Abbas lib. 1. in Cant. c. 9. *Cujus tactu, dolores vulnerum mansuescunt, instar fumi superbarum mentium, vanitas evanescit, pulso morbo rediviva sanitas invalescit.* Hinc S. Epiphanius Hæresi 29. *JESUS*, inquit, *in Hebraica lingua Curator appellatur, aut Medicus, aut Salvator.* Et S. etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10 *JESUS appellatur vero Nomine à salutari medicina habens appellationem.* Et rursum. *JESUM apud Hebræos significare Salvatorem! lingua verò græca Medicum sanare certum est: Quandoquidem & corporum Medicus est & animarum curator.*

Sanitas mentium à Jesu.

Nomen Mariæ fermè similem cum Nomine Jesu habet efficaciam.

83. Eosdem prorsus effectus Augustissimum Mariæ Virginis Deiparæ Nomen in piè, devotéque illud invocantibus parere consuevit; siquidem, sicut in omnibus suis penè actionibus similis, conformísque Filio, ita quoque in Nomine, ejusdem virtute extitit. Quod nobis pervenustè explicuit Venerabilis Richardus à S. Laurent. lib. 4. de Laud. B. V. ostendens Virginis quoque Nomen, oleum esse effusum, sicut & Filii. Ratione ejus misericordiæ dicitur Mariæ, Cant. 1. *Oleum effusum Nomen tuum. Quod nomen effusum, si quis voluerit colligere, palato suo saporem, vulneribus suis Medicinam, lucem tenebris suis poterit invenire. Numquid Mater misericordiæ, quæ plena est gratiâ, nomen tuum totis præcordiis invocantem poterit despicere?* Verùm multò luculentiùs supra memoratus Bernardus Mariani No-

Nominis cum Nomine Jesu similitudinem in efficacitate, præsertim luminis, siquidem, ut ille ait, lucet prædicatum, descripsit Hom. 2. super Missus. Ubi Nomen Mariæ *Stellam Maris* sonare cùm dixisset, ostendit illam esse Stellam ex Jacob, ad quam in Mortalis hujus vitæ navigatione oculos convertere nos oportet, si salutis naufragium peccatorum tenebras, laqueósque cupimus evadere Diaboli: *Ipsa est enim*, ùt inquit ille, *Nobilis illa Stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor præfulget in supremis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magìs mentes, quàm corpora; fovet virtutes, excoquit vitia: Ipsa est inquam præclara, & eximia Stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessariò sublimata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magìs inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, nè avertas oculos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice Stellam, invoca MARIAM. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad MARIAM, &c.*

ella Maris ...RIA.

84. Et sanè contra carnis illecebras, luxuriæque spurcitiam saluberrimum alexipharmacum esse debet purissimum Virginis Mariæ Nomen devotè invocatum. Quî enim fieri potest, ut Nomen illud radiis solaribus mundius animam piè invocantis ab omni libidinis sorde immaculatam non conservet?

...en Ma- præci- ...nvocan- ... in ten- ...nibus ...iris.

85. Unde Gabriel Biel Theologus Spirensis Ser. 4. de Concept. B. V. ad ipsius Deiparæ genitalem, omni peccati originalis labe carentem, innocentiam, puritatémque comprobandam è purissimo ejus Nomine deducit Argumentum. Virgini Beatæ priusquam conciperetur, inquiens, ut historiæ docent, totius charitatis Nomen, utique Mariæ, quod suarum interpretationum Majestate omnem ab ejus exordiis maculæ auferat suspicionem. Quis námque in Stella, & Stella maris maculam? Quis in illuminata, & illuminante umbram? Quis in Dominatrice injuriam? & in amaritudine, voluptatis culpam; in mari redundantissimo, defectum aliquem suspicetur? Quæ omnia cùm clarissimum Nomen Mariæ repræsentet, admirabilem ejus nobis munditiam, ac incoinquinatam sanctitatem certissimè nobis exprimit, ac demonstrat. Nomen enim hoc Virginis utique post illud Filii Nomen est super omne Nomen, venerationis cultu, & ipsum dignissimum simul, ac dulcissimum, quod sicut Sponsi, oleum est effusum. Nam etsi in Nomine Jesu omne genu flectitur eum latriæ adoratione colentium; In Nomine nihilominus Mariæ omne genu flectitur colentium eam hyperduliæ veneratione; ita, ut nec Infernalium monstrorum genua contra eam stare possint, quorum Principis caput, pede virtutis contrivit. Sed Nomen hoc contremiscere illum oportet, & ululando clamare: *Terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Dulcissimum quoque est Mariæ Nomen, etiam Nomine Filii quodammodo tenerius. De quo B. Bern. Ser. de Annunc. *Sicut Nomen JESU est mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, sic & Nomen MARIÆ.* Et subdit: *Si dicere audemus JESUS, quasi superbum, & nimium est potens Nomen. Unde si in JESU aut Deitatis aut sexus virilis severitatem aliquis vereatur, ad MARIAM recurrat, in quia nihil horum suspectum est. MARIÆ Nomen est Muliebre, mansuetudinem præ ferens & commendans. Est etiam oleum effussum. Quia sicut & Nomen Sponsi ad instar olei lucet, pascit, & ungit. Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit & ungit.* Sic ille.

...e in ipso ...omine ...arita- ...sum- ...desi-

Dulce est nomen Marianum.

86. Ex quibus facilè inferre possumus, invocatum sanctissimum hoc Mariæ Nomen in cujuslibet lethalis peccati tentatione, carnis illecebra, aliis-

aliísque infernalium tenebrionum insidiis, menti nostræ mirificum lumen porrigere, ut agnitâ libidinis turpitudine, eam detestemur, animámque luce sua clarissimâ emaculare, concupiscentiæ vulnera velut oleo ungere, ac lenire, universúmque corpus, ac membra corroborare, ut velut strenui athletæ adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus fortissimè colluctemur, ac victores evadamus.

Nomen B. V. simile lapidi, Leucas dicto, impuros amores extinguenti.

87. Hoc igitur Augustissimum MARIÆ Nomen sit nobis ad instar lapidis illius pretiosissimi, qui Leucas dicebatur, de quo Caussinus lib. II. Symbolo 41. cui qui insidebat, turpis, insanique amoris remedium invenire dicebatur. In hoc & nos ipsius mysteria, Divinámque energiam identidem considerantes sancta meditatione quasi consideamus, atque conquiescamus. In hoc Nomine veluti in hoc templo quod Romæ visebatur, ubi amor facem undæ immergebat, & letheos latices ad turpitudinis inducendam oblivionem propinabat, cum Epigraphe ἀντέρως. In hoc, inquam, Nomine, velut Anterotis templo habitemus. Illud semper in corde, semper in ore gestemus, eóque tanquam panoplia contra omnes Cacodæmonis machinationes obarmemur; si animi, corporisque illibatam puritatem, sanctimoniámque conservare, omnibúsque Cœli gratiis, ac benedictionibus cumulari exoptamus. Verissimè S. Methodius Pater antiquissimus Olympi, ac Tyri Episcopus, à P. Canisio nostro, Germaniæ Apostolo, lib. I. de Deipar. citatus, pronunciavit: *Benedicta fuit celeberrima, ac desideratissima, cujus Nomen Divinis Benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertum fuit fidelium fax.* Quare sæpius cum Seraphico ipsius Psalmista Nominis ejus freti præsidio concinamus Psal. 53. *Domina, in Nomine tuo salvum me fac, & ab injustitiis meis libera me. Ut non noceat mihi calliditas inimici, sub umbra alarum tuarum protege me. O Domina mea adjuva me, gratiam tuam largiri animæ meæ. Voluntariè offeram tibi sacrificium laudis, & confitebor Nomini tuo quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulatione liberabis me, & inimicos meos despiciet oculus meus.* Tum ad ejus Filium sinu ipsius gestatum exclamemus cum eodem Psal. 66. *DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis, in lætitiam bonam converte mæstitiam nostram. Illumina me stella maris, clarifica me, Virgo clarissima. Extingue rore tuo ardorem cordis mei, refrigera me gratia tua. Illumina oculos meos, & illustra cæcitatem meam. Protegat me semper gratia tua. Præsentia tua illustret finem meum, ut nimirum decipulas satanæ videre, ac fugere, & te Filiúmque tuum dilectissimum agnoscere, atque diligere, ejusdémque fidem ad extremum usque halitum inviolatam conservare valeam.*

Laus, & Invocatio Nomini MARIÆ.

A M E N.



DI-



DISCURSUS VIGESIMUS OCTAVUS.

VIRGO DEIPARA IN HUMANI GENERIS PROTECTIONE GALLINA.

I.

INter reliqua volatilia, quæ Divini Numinis in humanum genus adumbrant benevolentiam, sunt potissimum Aquila, & Gallina. De illa Moyses, imò ipse Divinus Spiritus Deut. 32. 11. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum atque portavit in humeris suis*, De hac ipsa veritas æterna Christus Matth. 23. 37. *Jerusalem, Jerusalem*, inquit, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodùm Gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?*

Aquila, & Gallina adumbrant Dei erga humanum genus benevolentiam.

2. Eamdem in nos Virginis Deiparæ charitatem, ipsius Encomiastæ celebrare voluerunt, cùm eam tam Aquilæ, quàm Gallinæ contulerunt, uti B. Thomas Archiep. Valent. Ordinis Augustiniani illustre Sydus, qui Ser 3. de Nativ. B. V. ita eam alloquitur: *Sicut pulli volantibus desuper Milvis ad Gallinæ alas accurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Nescimus aliud refugium nisi te, tu sola, & unica spes nostra. in quàm confidimus, tu sola Patrona nostra, ad quam aspicimus.* Ob eandem Deiparæ in homines charitatem Bernardinus de Bustis Par. 9. Marial. Ser. 2. Assimil. 14. eam Gallinæ comparavit: *Gallinæ*, inquit, *habenti pullos assimilatur pijssima Domina nostra. Hæc enim Gallina præ cæteris alijs avibus, & Gallinis quatuor de novo assumit proprietates, compassionem, solicitudinem, magnanimitatem, & pro ovis curam assiduam. Habet in primis Virgo compassionem erga nos velut infirmos suos pullos, ut visa sit nobiscum quodammodo infirmari, quod extrinsecus sicut Gallina voce raucâ, & plumis hispida ostendit Filio in passione compatiendo.* Unde dicere poterat cum Sponsa in Cant. I. *Nolite me considerare, quòd fusca sum, quia decoloravit me sol. q. d. Postquam sol Justitiæ se, sustinendo vilissimam passionem, decoloravit, & Ego decoloravi me maxima corporis mei afflictione. In tantam enim Filio suo compatienti compassa est, ut quodammodo rauca fuerit facta. De qua Jacobus de Voragine Ord. Præd. lib. de B. V. ita loquitur Raucedo accidit vel ex nimio clamore, vel ex nimio labore, sive fatigatione. Ipsa igitur Filio in Cruce existente tantum clamaverat ejulando, & tantùm membra sua fatigaverat, pectus contundendo, ut tota facta fuerit languida, & tota rauca. Tantum denique fleverat, ut oculi ejus quodammodo defecerint. Et ideò dicere poterat cum Propheta: laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces, defecerunt oculi mei. Ostendit quoque Gallinæ solcitudinem in custodiendo, quia sub alis suis custodit, & ab insidijs Diaboli protegit. Ipsa enim est illa Mulier, cui datæ sunt duæ alæ Aquilæ magnæ Apoc. 12 Altera ala est misericordiæ, sub quam peccatores confugiunt, & DEO reconciliantur. Altera est ala gratiæ, sub qua justi foventur, ut in gratia conserventur, & ideò peccatores illi dicere possunt cum Psal. sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt.* De ju-

B. Virgo comparatur Gallinæ à B. Thoma Villanova.

Gallinæ Marianæ proprietates.

justis verò dici potest: Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Quilibet enim justus sub protectione B. V. vivens sperare potest, se gloriam felicitatis æternæ consecuturum.

3. Magnanimam quoque, ac fortem se se Virgo nostra velut Gallina contra nostros hostes Tartarcos ostendit, dùm ei se se virtutum suarum coordinatione terribilem velut castrorum aciem ordinatam ostendit. Denique calore charitatis suæ nos fovet velut ova, donec nos in Christo generet per gratiam, & idem Christus formetur in nobis. Unde potiore longè jure dicere nobis potest: *In Christo JESU per Evangelium ego vos genui.* 1. Cor. 4 qua in re mirifica Virginis nostræ amplissimáque elucet benignitas. Quemadmodùm enim Gallina anatum, Pavonum aliorúmque quorumdam volatilium ova fovet, ac vivificat, licèt pulli postea jam exclusi ipsi non adhæreant, sed velut anates aquis cupiditatum, deliciarúmque hujus mundi se se immergunt, & velut Pavones, aspernata profundissima ipsius humilitate superbiam vitæ consectantur; sic benignissima Deipara omnibus omnia facta, amplissimo suæ pietatis sinu, nullo personarum habito discrimine, omnes amplectitur, confovétque; licèt prospiciat, alienos hujusmodi filios successu temporis à se recessuros, mundíque illecebris, vanitatibus, umbrísque honorum consectandis se se dedituros, paucósque genuinos filios veræ pietatis devotionísque affectu sibi adhæsuros. Unde ipsa meritò queri potest cum Psalmista: *Filij alieni mentiti sunt mihi, Filij alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Sæpe enim B. V. illos, qui erant à DEO alieni, assumit ad fovendum, & nutriendum, sed postquam illos nutrivit, ingratissimi illi mentiuntur eam deserendo, atque ita fit, ut ab ea recedentes in peccatis inveterascant. Sic ferè Bustius.

MARIA Gallinæ instar, etiam fovet à se recedentes

4. Franciscus de Retza Ord. Prædicatorum To. 2. M. S. in Salve Reg. ostendere volens, quâ ratione DEIpara Clemens nobis esse consueverit, modis quatuor nos colendo, sive protegendo scilicet ut:

MARIA quatuor modis nobis esse Clemens ostenditur.

Domus casum non timens,
Ut Ales alis ambiens,
Ut scutum ictus abigens,
Ut turris bene muniens.

Quæ singula ille fusiùs prosequitur; & Alitem quidem hunc, nos alis ambientem ac defendentem, ait, esse Gallinam, suis alis ad instar mysticorum illorum Ezechielis animalium nos prosegentem. Et primas alas ait, esse humilitatem, & Virginitatem latè valide omnes ad se confugientes defendentem. Nam in umbra suæ Virginitatis defendit à carne, contra incendium luxuriæ; In umbra alæ humilitatis protegit à Dæmone, contra ventum inanis gloriæ, & tempestatem superbiæ. Aliæ sunt duæ ejus pia mansuetudo, & Divina Maternitas. Ala mansuetudinis defendit nos à grandine Divinæ iracundiæ, de qua Sap. 5. v. 23. dicitur: *A petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Ala verò Divinæ Maternitatis defendit nos à Filii sui furore.

Alæ Marianæ protectionis.

5. Duæ denique aliæ Virginis alæ sunt, veritas, & orationis synceritas. Nam in umbra veritatis defendis nos contra nivem hypocrisis; in umbra orationis, contra impetum tempestatis, & tentationis Diabolicæ; adeò ut dicere queat, quem harum alarum umbra obumbrat, illud Psalmistæ: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.*

6. Idem Vir Doctissimus To. 3. Ms. in Salve Reg. literarum, quibus Nomen MARIÆ exaratur, rimans mysteria, M. ait habere figuram quamdam Gallinæ, cui à dextris & à sinistris duæ alæ quodammodo adjunguntur; quia ipsa, ut Regina Misericordiæ, per modum Gallinæ aggregat, & fovet peccatores, & Justos sub

MARIÆ nomen figuram habet Gallinæ, cui à dextris, & sinistris duæ alæ adjunguntur.

ſub alis miſericordiæ, & pietatis, quouſque convaleſcant, & valeant ipſi volare. Nam ipſa eſt Mulier illa, cui datæ ſunt alæ duæ, ut volaret in deſertum, id eſt, in cœlum. Deſertum eſt enim cœlum, ab Angelis Apoſtatis derelictum, ſecundum Gregorium, Hom. 24. in Evang. ut ſuo volatu efficaciter duceret, & doceret nos in Cœlum volare; *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ante eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos.* Deut. 32. Imò etiam in præſenti hìc ſub alis pietatis, & clementiæ ſolet omnes fovere; quia omnibus miſericordiæ ſinum aperit, & ſub alis ſuæ miſericordiæ, ab Accipitre Infernali, qui ſemper rapere cupit, protegit, atque defendit. De hoc accipitre aptiùs dixiſſet Ovid. lib. de arte amandi.

Odimus accipitrem, qui ſemper vivit in armis.

7. Denique Tomo 1. M. S. Docet DEIPARAM Gallinam eſſe candidiſſimam Cœlo ad mortales ſub alis ſuæ pietatis, ac miſericordiæ fovendos, ac protegendos demiſſam, fuiſſéque Gallinam illam figuratam, quæ de Cœlo, ſub Auguſto Cæſare, lauri ramum baccatum ore geſtans in ſinum ejuſdem Auguſti, demittente eam Aquilâ, delapſa eſt. Rem geſtam ita narrat Plinius lib. 15. Natur. Hiſt. c. 30. *Sunt & circa Divum Auguſtum eventa ejus digna memoratu. Namque Livia Druſilla, quæ poſtea Auguſta, Matrimonij Nomen accepit; cùm pacta illa eſſet Cæſari, Gallinam conſpicui candoris ſedenti Aquila ex alto abjecit in gremium illæſam; Intrepidéque miranti acceſſit miraculum, quoniam teneret roſtro laureum ramum ſuis baccis onuſtum. Conſervari Alitem, & Sobolem juſſere aruſpices, ramúmque eum ſeri, ac ritè cuſtodiri. Quod factum eſt in Villa Cæſarum fluvio Tiberi impoſita, juxta nonum lapidem flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas, miréque ſylva provenit. Ex ea triumphans poſtea Cæſar laurum in manu tenuit, coronámque capite geſſit, ac deinde Imperatores Cæſares cuncti. Traditúſque mos eſt, ramos, quos tenuerunt, ſerendi; & durant Sylvæ, nominibus ſuis diſcretæ, fortaſſis ideò Triumphalibus.* Sic Plinius.

[margin: ...a in ſi... Cæſaris ...ti cum laureo ...uila ex ...emitti...]

8. Hoc præſagium, inquit Retza, exiſtimatur Chriſti fuiſſe, tunc temporis naſcituri. Nam nivei candoris Gallina eſt Virgo mundiſſima, quæ fuit dealbata nive candidius, Spiritûs Sancti muneribus, ut ait Hieron. Ser. de Aſſumpt. Laurus verò humana natura à Chriſto aſſumpta, quam Virgo in ore primò obtuliſſe viſa eſt, cùm Angelo in Incarnationem Verbi in utero ſuo peragendam conſentiendo dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi &c.* Et poſtmodùm eamdem in utero habuit, dum Chriſtum de ſua carne formatum concepit. Nam *laurus* dicitur, quaſi *laudus*, quia ex ea antiquitus victorum capita coronabantur cum laudibus, ſecundùm S. Iſid. 17. Etym. cap. 23. MARIA verò propugnatorem noſtrum ad ſalvandum, DEI videlicet Filium, lauro glorioſæ carnis ſuæ coronavit. Hæc Gallina fuit demiſſa ab Aquila, quia Virgo Beata deſcendit à Regali ſtirpe Davidica, & quidem in Auguſti gremio, quia durante ejus Imperio, cùm *exijt edictum à Cæſare Auguſto.* Luc. 2. & tunc, ut ibidem ſubditur, *aſcendit Joſeph in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ut profiteretur cum MARIA deſponſata ſibi uxore prægnante.* Ramus iſte onuſtus fuit fructibus, quia Chriſti corpus plenum fuit Cœli donis, miraculis & virtutibus, & ex hoc ramo crevit, & diſſeminata fuit Eccleſia, in qua ſecundùm merita de vitijs triumphantes coronantur. Unde de Chriſto illud dici poteſt. Eccli. 45. *Induit eum ſtolam gloriæ, & coronavit eum in vaſis virtutis.* Hæc Retza.

[margin: Dictæ Gallinæ applicatio ad B. Virginem.]

9. Felix prorſus fortunatúſque hic magnus orbis Princeps, inter omnes à primis mundi incunabulis Re-

ges, ac Monarchas meritò ac verè Augustus fuisset reputandus; si felicitatem hanc suam agnovisset, se séque sub candidissimæ hujus Gallinæ, quæ ipsius felicitavit imperium, abscondisset; ipsiúsque lauro, ejus videlicet dilectissimum venerando Filium, caput suum coronâsset; tunc nimirum dignè Augustus, quoniam vero honore, gloriâ atque Imperio auctus, fuisset existimandus. Habito enim, ac possesso fonte atque auctore bonorum omnium, auctus bono honesto, Utili, ac delectabili, auctus bonis omnibus, quæ humanâ mente excogilari possunt, evasisset. Idem dicendum de MARIA infiniti hujus boni Parente Optimâ & Maximâ, de qua rectè dixit sapiens Idiota in Prologo contemp. B. V. *Inventa MARIA, invenitur omne bonum. Ipsa enim diligentes se diliget, & servientibus sibi servit.*

Quàm rectè Gallinæ Marianæ illapsus in tempora Augusti conveniat.

10. Rectè porrò dicere possumus candidissimam hanc, Virginéamque Gallinam in gremium Cæsaris Augusti laureum ramum gestantem cœlitus dimissam. Quia cùm sciscitanti Augusto; Num in mundo se ipso major aliquis esset futurus; Sybilla eo prorsus die, quo Christus in Bethleem nasci de Virgine dignatus est, ostendisset in Cœlo circulum aureum in quo Virgo pulcherrima Infantem ulnis gestans visebatur, eíque ut refert S. Antoninus 1 Par. Hist. Tit. 4. c. 6. §. 10. dixisset. *Hic Puer major te est; Ideò ipsum adora, móxque de cælo vox audita esset: Hæc est Ara Cæli, tumentes animi impetus ob tot reportatas victorias repressit, ac se se DEO recenter nato submisit.* Quo in loco, qui erat in Capitolio, Templum postea Divæ Virginis ædificatum, dictum est in hodiernum diem S. MARIA *Ara Cæli*. Causam verò cur Sybillæ Augustus illam proposuerit quæstionem, ait S. Antoninus fuisse, quòd, cùm Romani eo regnante, toto orbe fruerentur, pace planè à tempore mortis Numæ Pompilij, secundi Regis Romanorum, insuetâ; arbitrati sunt, virtute, ac industria Octaviani Augusti, id evenisse; indè divinos illi honores deferre, atque ut DEUM venerari voluêre, sed prudens Imperator mortalem se esse intelligens, assentiri noluit. Imò verò ne *Domini* quidem Nomine se ampliùs compellari permisit, ut scribit Paulus Orosius lib. 6. c. 22. Augustus Cæsar, inquiens, *Domini* appellationem ut homo declinavit. Nam cùm eodem spectante ludos, pronunciatum esset à quodam Mimo: O Dominum, æquum, & bonum; Universi, quasi de ipso dictum esset, exultâssent, & approbavissent; statim quidem manu, vultúque indecoras adulationes repressit; & sequenti die gravissimo corripuit edicto; *Dominúmque* se post hac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel serio, vel joco passus est.

Cæsar Augustus non tantùm divinos honores; sed etiam Domini appellationem declinavit.

11. Hæc postea animi moderatio magis aucta est consulto Apollinis Delphici Oraculo, toto orbe celeberrimo, cujus ipse erat studiosus adeò, ut crederetur Apolline genitus, unde in cœna illa δωδεκάθεος vulgo dicta pro Apolline Ornatus solebat accumbere, cui & Templum in Palatio erexerat. Hoc igitur Oraculum, quod jam pridem obmutuerat, cùm consuluisset Augustus, sacrificatâ illi Hecatombe, hoc tandem ab eo responsum elicuit.

Me Puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristémque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

12. Quo audito responso, Romam rediens Augustus, Aram in capitolio erexit, eámque hac inscriptione insignivit: *Ara Primogeniti DEI.*

13. Quod

racula Delphici cessasse virtute ... adventu.

13. Quod autem oraculum hoc Delphicum maximè circa Tempora nascentis Salvatoris conticuerit, testatur ipse Cicero lib. 2. de divinatione, ubi sic loquitur: *Sed, quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modò nostra ætate, sed jam diu; jam ut nihil esse possit contemptiùs. Hoc loco cùm urgentur, evanuisse ajunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terre fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet, de vino, aut Salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate.* Hæc ille, ex quibus facilè cognoscimus, Delphica Oracula, quæ fuerant Diabolica, non vetustate, sed DEI nascentis evanuisse virtute, atque potestate; volens hâc ratione hunc facillimi, mitissimíque ingenii Principem ad suam fidem pertrahere; quemadmodum & Cyrum Persarum Regem.

14. Unde Cardin. Baronius in apparatu ad Annal. 12. 27. insinuare videtur Octavianum Augustum similem fuisse ipsi Cyro, in quo Christus fuit expressus. Hinc apud Isa. 45. *Assimilavi te, & non cognovisti me.* Atque utinam sicut Benignissimâ Naturâ, Indole, moderationéque animi; ita quoque moribus ac virtutibus Christi in se similitudinem aliqua ratione expressisset; verè felix fortunatúsque ac omnino dignus, qui sub alis protectionis candidissimæ illius, Virgineæque Gallinæ, cujus illa de cœlo in ejus gremium laureum ramum ore gestans delapsa, typus atque Imago extitit, evasisset. Verùm hæc gratia illi minimè concessa fuit ob occulta abominandáque sine dubio scelera, quibus olim gentes erant obnoxiæ, de quibus Apostolus scribens ad Romanos c. 2. *Qui, cùm agnovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. Propter quod tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum, & in passiones ignominiæ, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua, &c.* Quibus ignominiis semetipsum affecit & hic Imperator, de quibus Suetonius in ejus vita c. 68. & 69. ubi abominanda ipsius adolescentiæ recenset flagitia, ac spurcitias, varia adulteria atque libidines, quæ sine dubio cor ejus ita obscurârint, ut ad lucem per partum Virginis toto orbe diffusam, quemadmodum ex illa visione Sibyllæ patuit, velut noctua ad lumen solis cæcutiret. Quare licet tot illustres de tot, tantísque hostibus reportârit victorias, licèt totum terrarum orbrm Romano Imperio subjugatum viderit, licèt universali pace totius orbis perfruitus fuerit, & ad culmen totius suæ felicitatis Annos omnino 40. in Imperio tranquillissimo exegerit; infelix tamen ac deplorandus est, quòd DEUM, ejúsque Matrem, quos agnovit, non glorificaverit; nec illis gratias egerit; futurum enim fuisset, ut Gallinæ illius albæ Filius evaderet, æviternáque felicitate potiretur.

... contra ob... Augusto, ... minùs ... m Deum ... ceret, & aliis ... libus.

Sub alis Gallinæ Virgineæ maximè Reges & Principes Christiani proteguntur.

15. At econtra felices ac beati Christiani Principes, Regésque existimandi sunt, qui Divinam hanc Matrem summam totius orbis Reginam agnoscentes venerantur, & tanquam pulli sub hujus candidæ Virgineæque Gallinæ protectionis alis absconduntur. Licèt enim pientissima hæc misericordiæ Mater mortales omnes, mundúmque universum à Divina ira, à variis calamitatibus, hostiumque incursibus protegere consueverit; Consuevit tamen vel maximè Reges, rerúmque publicarum, Principes, qui tot periculis corporis animíque expositi, singulari validáque ejus ope patrocinio atque protectione indigent; si suæ Regnorúmque suorum saluti, atque incolumitati prospicere, atque consulere desiderant. Remoto siquidem auxilio ac præsidio nos obumbrante Virginis, tam de illorum, quàm Regnorum salute actum esse crediderim, ob tot tantáque salutis, quibus assiduè con-

flictantur, discrimina; dum tam visibilium, quàm invisibilium hostium impugnantium appetuntur insidiis. Unde celeberrimus ille apud Albertum I. Imperatorem Verbi Divini præco, ùt scribit Æneas Sylvius lib. 3. in Panormitanum; cùm aliquando Imperatorem, aliásque viros Principes ac proceres oscitanter suo more, concionem audientes animadvertisset, meritô contenta voce exclamâsse perhibetur: Quæritur, Salvárine Principes possint? Cúmque in utrámque partem quæstionem hanc variis adductis rationibus agitâsset, ut audientium socordiam excuteret, eorúmque aures arrigeret, conclusit tandem salsè, ac facetè: Quidni possint? Si modò Baptismo suscepto, in cunis vagientes moriantur. Tantis vitam, salutémque eorum periculis expositam esse sentiebat. Quæ sanè si per se ipsam, absque alia cœlitus demissa ope, præsidióque spectetur, ita comparata est, ut neutiquam interitum evadere ullo modo posse videatur.

B. V. ceu Stella matutina summis ac imis benigna affulget, influxúque gratiæ cœlestis impetrat.

16. Opem hanc Ego, præter primariam illam Divinam supremi Numinis, libenter dixerim esse Deiparæ Virginis Matris MARIÆ, totius universi Reginæ potentissimæ, cujus patrocinio, maternæque curæ à primis incunabulis, quisquis se se commiserit, & sub ejus protectionis alis velut pullus delituerit, næ ille Princeps salvari poterit. Virgo enim hujusmodi sibi Devoti Principis menti, velut matutina stella illuminata, atque illuminans affulgescet; influxúmque cœlestis gratiæ, sua apud Filium interpellatione, ab ipsius capite ingruentia pericula amolietur, ipsíque impetrabit, ut virtutis pulchritudinem, vitiorum fœditatem, suique ultimum, ob quem creatus est, finem, possit agnoscere; atque ita & suæ suorúmque incolumitati, uti par est, possit consulere, seque suósque ab æterno interitu liberare. Hæc Virgo nimirum est signum illud, quod Isaias Regi Achaz voce Domini si salvus esse cuperet, petendum proponebat Isa c. 7. *Pete tibi signum à Domino DEO tuo, in profundum Inferni, sive in excelsum supra.* Et mox: *Ipse Dominus dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Ac si admonere voluisset Dominus, in persona Achaz, omnes Reges ac dicere: sunt quidem periculosissima vestra fastigia, prærupta sunt vestrorum Regnorum solia, & vita vestra licentiæ plenissima, varijs est vitiorum discriminibus obnoxia, ac proinde profundo Inferni appropinquare videtur; Confidite nihilominus; etiamsi in cunis suscepto baptismate non moriamini, vos salvandos, & in excelsum supra ad beatam Patriam conscensuros, etiamsi per Regiæ felicitatis lubricum gradiamini; dummodò ad patrocinium, fidelissimámque Deiparæ protectionem confugiatis; Si ejus devotionem velut vitalis ligni radicem cordibus vestris inseratis. Ipsa enim, sicut suis amatoribus clientulisque est certissimum Prædestinationis ad excelsam illam, supernámque beatitatem indicium: sic præscitis, ejusque cultum negligentibus signum est condemnationis ad profundum Inferni. Colenda igitur nobis omnibus summo est pietatis affectu, ejúsque virtutum vestigijs insistendum: per illam enim, tanquam per scalam Jacob, cui innititur Dominus, gratiam nobis virésque ad tam arduum iter conficiendum suppeditando, ad cœleste Regnum conscendetis. Ipsa enim signum illud est, in excelsum supra, signum, inquam, illud magnum, quod Aquilæ volanti Joanni Apostolo apparuit in cœlo: illa nimirum est mulier amicta sole, cujus pedibus Luna substrata est, & in capite ejus corona stellarum duodecim; hisce suis ornamentis Regina hæc gloriosissima gloriam excellentem vobis Regibus olim possidendam demonstrat; si in ejus servitio, clientela, ac devotione usque ad extremum vitæ finem, mo-

B. V. Colere est signum prædestinationis, negligere condemnationis.

res ejus imitando perseveraveritis, & hujus potentissimæ Reginæ adjutorio tentationes, insidias, laqueósque Diaboli, quos vobis divitijs, & voluptatum illecebris, cupiditatum lenocinijs assiduè tendit, superaveritis. Qua de re intelligite doctrinam Ambrosij Ser. 8. in Psal. 118. *Mysticum*, inquit, *ille*, *propositum est (Regi Achaz videlicet) sed non intellexit; & veritas est, ne tentare Dominum videretur, signum si peteret, in altum, aut in profundum; Dominus autem volens gravia tentamenta, quæ videlicet ut plurimùm à satana Regibus tenduntur (audite Reges, auribus percipite Principes & intelligite.) remedio supplantare divino, ait: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium; Hoc est magnum signum, quod altitudinis, & profundi tentamenta destruxit.*

Regibus & Principibus contra Diaboli fraudes datus est à Deo B. V.

17. Quæ verba accuratiùs P. Antonius Velasquez noster Comment. in Psal. 7. lib. 2. Annot. expendes, ita loquitur: *Verba hæc saluberrimum, & efficacissimum Principibus Virginis patrocinium adstruunt: venusta quippe supplantandi imagine usus Ambrosius, omnino ait fortissima quidem, & velut insuperabilia tentamenta Principes adoriri, quibus vix pares, & veluti justo in certamine ipsi valeant occurrere: at vero quemadmodum ubi necessariæ luctatori vires non omnino suppetunt, industria succurrit, quæ adversarium inopinato supplantat; ita Virginis auxilium, divinum quidem remedium illis adversus tot, tantáque discrimina præsto esse; ut quod ipsorum lacerti, viresq́ue non obtinent, ejus meritis, & intercessione illis donetur.* *Enimverò concionator ille quantumvis deperditos Principium mores, quantumvis desperatam eorum salutem censeret, meminisse tamen debuerat, MARIAM velut alteram Ruth relictas à Messoribus spicas colligentem, peculiari curà eos, qui velut incurabiles, & incorrigibiles relicti jam esse videntur, recolligere, & ad saniora Consilia, atque ad Cælestem vitam traducere solitam, ut S. Bonav. in spec. Virginis c. 5. hunc in modum contemplatur: Ruth in oculis Booz, MARIA in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est, animas à messoribus derelictas colligere ad veniam possit. O verè magna MARIÆ gratia, quâ multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur.* Proinde idem Auctor suadet Regibus hujusmodi, ac Principibus subinde suggerere debere DEIparæ verba illa S. Anselmi desumpta ex cap. 12. de excel. B. V. *Benignissimus Filius tuus, ad concedendum quidquid voles, promptissimus erit, & exaudibilis; tantummodo itáque velis salutem nostram; revera nequaquam salvi esse non poterimus.*

Peccatores quasi derelictos ad saniora reducit Deipara.

Id, quod præcipuè de perversis Principibus intelligit.

Salus, & felicitas nostra quasi ab una B. V. dependet.

18. Quod sanè caput, quia devotissimam ad Cœlorum Reginam supplicationem complectitur, dignum omnino est, quod diebus singulis magna attentione inter ardentissimos in illam pietatis affectus coram ipsius sacrata Icone recitetur; in summísque necessitatibus, ac difficultatibus, præsertim publicis, quibus Ecclesia hæreticorum furore, totáque penè republica Christiana opprimitur, clausula illa totius illius orationis iteretur: *Tibi ergo nos commendamus; Tu procura, ne pereamus; effice potius, ut salus nostra de die in diem multiplicetur, & Filio tuo Domino nostro JESU Christo vita nostra jugi devotione famuletur.*

Invocatio ejusdem pia, sæpius repetenda.

19. Sit igitur Regibus, ac Principibus omnibus hæc totius Universi Regina unà cum Filio suo, quem Virgo concepit, ac peperit, *signum in bonum* (ùt loquitur sanctissimus ipse David) dicántque animitus, clament medullitus, obsecrantes, ut sacrosancto hujus Reginæ devotionis signo, velut charactere Regio notentur, atque insigniantur; dicant, inquam, cum Rege hoc sanctissimo Psal. 84. 17. *Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.*

Reges & Principes vel maximè B. V. honorent.

20. Verè enim quicunque tandem horum Regum, ac Principum bono suo signo, sive charactere Vir-

Reges per cultum B. V. sibi salutem, hostibus au-

tem, ac etiam infidelibus confusionem adferunt.

gineæ devotionis insignitorum hostes, & præsertim hæretici, ipsos Deique Matrem odientes, ac persequentes, si eos pietatem hanc erga DEIparam spirantes vel aspexerint tantùm, confundantur necesse est; quia nimirum à Domino ejus Filio ipsius intercessione adjutos ac consolatos invenient, ac erubescentes terga vertent. Unde præclarè B. Guerricus Abbas Ord. Cisterciensis Ser. 3. de Annunc. *Primum*, inquit, *signum, quod Pater & Filius operati sunt in confusionem infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis, & opus nostræ salutis arbitror hodiernum esse Virginis conceptum. Nam de ipso cùm præmissum esset: Dabit Dominus signum; quasi quærentibus, quod signum? intulit contextus Prophetæ, verbis tamen Evangelistæ: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Tum paucis intercalatis, ut ostendat à DEI Matre Reges ab Inferni pœnis præservari, & ad excelsam, supernámque cœlorum gloriam auxilio ejus evehi, hæc attexit: *Signum ergo, quod Judæi, aliique infideles recusârunt, sive in profundum Inferni, sive in excelsum supra, nos fide plenâ, at veneratione devotâ suscipimus, agnoscentes Filium, quem concepit Virgo, in profundo Inferni signum nobis esse liberationis, & veniæ: In excelsum supra, signum & spem exultationis & gloriæ. Qui enim primùm descendit in inferiores partes terræ, ut in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu, in quo non est aqua, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Concludit tandem, ostenditque Guerricus, tam Filium, quàm Matrem nobis esse signum in bonum nostræ salutis, & utrumque similiter nobis esse miraculum, ut proinde Reges, ac Principes in sui defensionem (dummodo in corde eorum ardens in Virginem ejúsque Filium pietas altas radices egerit) utrumque præsentissimum experturos, & ipsis perpetratis prodigiis, si ita res exigat, pro illis depugnaturos.

21. *Quidquid ergo garriat*, inquit ille, *impietas infidelium; nobis concipiat, & pariat Virgo Filium; nos quippe habemus signum in bonum, etiam Matrem & Filium. Nobis planè Mater tota miraculum est, quæ singulariter, & sine exemplo Mater est, & Virgo: Nobis Filius totus Miraculum, qui non solùm singulariter, sed & incomparabiliter DEUS est, & Homo: Mater Virgo concipiens, & pariens signum nobis est, quia DEUS est homo iste, qui concipitur, & paritur, Filius, Divina faciens, & humana patiens; signum nobis est, quia in DEUM transfert hominem, pro quo concipitur, & paritur, etiam & patitur.* Hæc Guerricus de geminis hisce salutis nostræ signis, ac characteribus planè admirandis, ac prodigiosis JESU, & MARIÆ quorum devotionis, pietatísque radicem, si cordibus suis Reges, ac Principes insitam habeant, se ex electorum numero, etiam ubi ex ephebis excesserint, se esse gaudeant, sperentque se de terreno hoc Regno, ad cœleste, patrocinante, protegente, eósque inaugurante Virgine, promovendos.

MARIA nobis signum data est.

22. Certissimùm enim est, vel ipsâ attestante Cœlorum Reginâ, Reges, ac Principes sceptra, coronasque, ac ipsa Regna, Principatus, ac Domina de manu ipsius perinde atque ipsius increatæ Sapientiæ, benedicti videlicet ejus Filii, qui suam in totum mundum ejúsque Principatus, ac Regna potestatem, ac Dominium commune cum illa esse voluit, accepisse. Proinde quemadmodum mundi hujus Reges, ac Principes supremi Regis Regum, & Domini Dominantium, & Principes Principalissimi Regum terræ sunt Vicarii, sive Proreges; ita quoque sunt pari prorsus ratione ipsius potentissimæ Cœlorum Reginæ, cui totum jus suum in orbem universum, ejusdémque Monarchiam ex Patrum communi asseveratione contulit, potissimùm eo titulo, quod ad Divinæ Maternitatis eminentissimam dignitatem fuerit evecta, qua sanè Dignitate cùm Patriam potestatem in DEI Filium nacta fuerit,

Reges sua Sceptra & Coronas sumunt à Matre Dei quia à Filio accepere.

con-

consequitur profectò, eandem in omnia ejus jura, ac Regna, quæ ei subjiciuntur, privilegio singulari absolutissimum adeptam fuisse Dominium.

23. Qua de re consulendus Pater noster Salazar in c. 8. Prov. v. 15. 16. n. 112. ubi fusè probat tum sanctorum Patrum variis testimoniis, tum rationibus, hoc Virginis in omnia mundi Regna dominium, quod illa adhuc dum in terris versaretur, in actu primo mox, atque Mater Dei effecta fuerit, quemadmodum & Filius sortita est; licèt Dominium hoc in actu secundo, exemplo Filii hic exercere noluerit. Hinc Venerabilis Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. trutinans invitationem illam Sponsi ad Virginem Cant. 4. directè: *Veni coronaberis de capite Aman, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum*, ita Sponsum loquentem introducit: *Reges Regnorum, Reges Babyloniorum & Persarum atque Medorum, Reges Græcorum, & Consules sive Imperatores Romanorum, quidni Leones, & Pardi dicendi sunt, qui bellis, & cædibus orbem terrarum laceraverunt? De talium Leonum cubilibus, taliúmque Pardorum montibus, tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium salus corona tua erit. Ita coronaberis, ut in cœlis Regina sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum. Ubicunque enim fuerit prædicatum illud de dilecto: Minuisti eam paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti super opera manuum tuarum; prædicabitur & de te, quod sis O Dilecta, Mater hujus coronati, ac proinde Regina Cælorum, totum jure possidens Filii Regnum. Atque hoc intuitu Reges, atque Imperatores coronis suis decorabuntur, Palatia Nomini tuo sacrabunt, honori tuo dedicabunt, ut desinant esse, quod fuerant, Montes Pardorum, Cubilia Leonum.*

Dominium V. in Reges, Principes [...]

24. Dominium hoc Virginis in omnia Mundi Regna, ac Principatus, atque adeò in totum hoc Universum B. Arnoldus Carnotensis Abbas ex ipso Augustissimo MARIÆ colligit Nomine, quod Dominam sonat: *MARIA Domina, & licèt ipsa se Christi profiteatur Ancillam, hoc servitutis genus omni Regno sublimius esse intelligit. Constituta quippe est super omnem creaturam, & quicunque JESU curvat genu, Matri quoque pronus supplicat acclinis. In supernis & Inferis admirationi est Virgo Puerpera. Stupent Dæmones, gaudent homines; in cælo gloriam DEO concinunt Principatus, & Potestates; Non cadit in Angelos Zelus, nec invidia livore candidatus ille tabescit exercitus, nec de præposito sibi carnis ordine offenduntur. Quia etsi Christus aliquanto minùs ab Angelis propter possibilitatem sit imminutus; modò gloriâ & honore coronatus sub pedibus suis continet omnia subjecta.* Ut ostendat porrò Matrem de hoc Dominio Filii ob Patriam in illum potestatem, hæc subjunxit: *Nec à Dominatione vel potentia Filii Mater potest esse sejuncta. Una est MARIÆ, & CHRISTI Caro, unus Spiritus, & una Charitas, & ex eo, quod dictum est ei: Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum, & domum; unitas divisionem non recipit, nec secatur in partes; etsi ex duobus factum sit unum; illud tamen ultra scindi non potest; & Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eamdem.*

[...]en MARIÆ Dominium indicat.

MARIA quasi una cum filio potestate & gloriâ.

25. Ut ostendat denique idem Arnoldus, Dominam esse Deiparam non modò Regum, ac Regnorum, sed & ipsorum eminentissimorum super omnem puram creaturam exercituum Angelicorum, ita tandem concludit. *Nulla facta est Angelicæ dignitati injuria, si illius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata, sicut Cedrus in Libano. Cedrus Arbor est procera, & imputribilis, Virginitas quoque MARIÆ, quia nulla concupiscentiæ carnalis vitiatur putredine; in hoc procerior, & altior Virginitate videtur Angelicâ, quòd hæc virtutis, illa naturæ; hæc voluntatis, illa necessitatis, & in carne, quod non est carnis, agere, res incomparabilis meriti est, & gloriæ singularis.* Sic ille.

B. V. Angelorum quoque Domina.

Cedrus Deipara.

B. V. totius Cœlestis Curiæ Domina.

26. Hinc Gabriel Biel, Spirensis Theologus, Ser. 4. de Concept. B. V. Dominium hoc Virginis in omnes Angelos, atque adeò in omnem creaturam agnoscens, docuit illam esse Stellam maris, vel ideò, quia nullam ipsa aliarum stellarum circumgyrat, sed ab omnibus aliis circumgyratur. Tota námque cœlestis Curia, & omnium Sanctorum agmina Virginem Matrem circumdant, ad ipsam tanquam ad Dominam, & Reginam respiciunt. Hinc canit Ecclesia: *Sicut dies verni circumdabant eam flores Rosarum*, Martyrum videlicet, & lilia convallium, ordo nimirum Confessorum, Virginum & Angelorum.

B. V. Cœli terræque Domina.

27. Verùm ut jus hoc atque Dominium Virginis in omnes Reges, ac Regna, in omnes totius Universi Creaturas, ipsósque Angelos clariùs prospiciamus; libet ipsam audire, de hoc tam illustri sibi à Dilectissimo suo Filio, Rege vero, Regum omnium Domino, ac Principe principalissimo, communicato privilegio; sic enim illa Prov. 8. 15. 16. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; per me Principes Imperant, & potentes decernunt justitiam.* Atque ut sibi charos, bonos, & justos Reges ac Principes esse intelligeremus, mox attexuit: *Ego diligentes me diligo.*

Idque maximo jure.

Porrò participatum hoc à Filio in Regna, ac principatus omnes jus, ac Dominium adeò certum, adeò evidens esse fatendum est, ut, quemadmodum ait Velasquez, si aut Theologorum subtilitas omnia discutiens, aut causidicorum malignitas ad lites, & contentiones omnia revocans, utrùm Filii jus, an Matris potiùs in hæc fuerit? disquirere tentaverit; non omnino abs re, ex iisdem legibus potiores quodammodo partes juri Virginis fore deferendas, ex Epiphanio respondi posse, quippe ipse Virginem dotis Nomine, cœli, terræque Dominium à summo rerum Conditore, & Domino accepisse sic affirmat Ser. de Laud. B. V. *Virgo invenitur esse cælestis Sponsa, & Mater, quæ dotorum antenuptialium nomine Spiritum S. accepit, dotis verò gratiâ Cælum & terram.*

B. V. singulare Dominium in totum universum accepit, quod etiam modo prorsus singulari gubernat per constitutos à se Reges, ceu Vicarios.

28. Quis verò nesciat, quantum doti fœminarum leges, ac jura tribuant, & quàm longè cæteris dotale jus anteferunt. Sic Velasquez. Quandoquidem igitur planum jus, ac Dominium in Regna omnia, ac principatus singularissimo Filii privilegio Dei Mater totiúsque Universi Regina participavit, omniáque Regna jure perpetuo possidet; & ipsa Reges, ac Principes, ut suo, Filiíque Nomine ea moderentur, Vicarios constituit; incumbit profectò illi, eos sub patrocinii sui alis protegere, gratiam feliciter, ac laudabiliter gubernandi à Filio Regibus impetrare, ut ipsis vicissim, ut se dignos tantæ Reginæ Vicarios exhibeant, omni ope adniti, ut in illis ipsius virtutes Heroicæ, uti sapientia, fortitudo, animi denique corporisque puritas, veluti speculis resplendeant, suísque subditis exemplar omnis probitatis se se ad imitandum exhibeanr, divinámque ex ipsa homines gubernandi rationem, artémque condiscant. Sapientissimè enim censuit Plato, lib. 6. de Repub. eos, qui alios gubernandi munus suscepissent, non meritis solùm, sed naturâ longè præexcellere debere, ac nescio quid de Divinitate participare. Hinc ideò dictum putat de aureo illo inter cetera Saturni sæcula, quod Deus ipse homines pasceret, ipse illorum custos, & Pastor quemadmodum homines, quorum Natura Divinior, brutorum Pastores sunt. Hinc Stephanus Cantuariensis in allegoriis Gotfridi Tilmani ad c. 1. Gen. Præclarè docuit, vitam Prælatorum à vita subditorum perinde, ac Cœlum à terrâ distare oportere, quod in aquis illis, quæ supra, & infra firmamentum sunt, figuratum esse videtur: *Ecclesia est firmamentum*, inquit ille, *quasi in bono confirmata, quæ habet aquas Superiores, id est, Prælatos,* &

Gubernatores populorum, ac etiam Superiores privati, quantum emineant virtutibus debeant.

& inferiores, id est, subditos; & divisit aquas ab aquis, quia vita Prælatorum longè debet esse à vita subditorum; Deum videlicet supremum Regem omnium imitando. Hinc Dominus volens Mosen totius Israëlitici populi Principem constituere, inprimis se ei visendum in Rubo ignis ardentis exhibuit (qui Rubus DEiparam communi Patrum, Ecclesiæque sensu denotabat) atque ita per simulachrum quoddam, & Umbram MARIÆ tantus Legislator, & Princeps, ùt loquitur B. Petrus Damianus, creatus est. Deinde jam ita creatum, Principem Pharaonis appellavit. Exod. 7. *Ecce,* inquiens, *constitui te DEUM Pharaonis.* Cujus divinas penè virtutes suspiciens Ambrosius lib. 1. de Abel cap. 12. *Humanæ,* inquit, *dignitatem conditionis excessit eòusque, ut DEI donaretur Nomine, sicut scriptum est dicente Domino: Posui te DEUM Pharaonis.* Etenim victor passionum omnium, nec ullis captus seculi illecebris, qui omnem istam secundùm corpus habitationem, cœlestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, & regiâ quadam charitate castigans, nomine DEI vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat. Atque ut certiùs intelligeremus, illum DEUM Pharaonis constitutum esse. cap. 17. cum eodem Moyse loquens: *Ecce,* inquit, *percutiam Virgâ, quæ in manu mea est, aquam fluminis.* Ubi clarè percipimus, Moysen ita DEUM constitutum, ut prodigiosam illam ejus manum tot prodigiorum operatricem, ipse Dominus manum suam dicat, ut sapienter Cardin. Cajetanus observavit: *Mirabilis,* inquit, *loquendi modus, nam nec Moysi nec DEO quadrant hæc Verba simul: Nam nec Moyses percussit virgâ aquas, nec virga erat in manu DEI, sed Moysis. Contextus tamen sonat, quòd sunt verba DEI. Itaque manum Moyses appellat manum propriam, quia jam constitutus erat DEUS Pharaonis.* Quam ob causam sciens S. Nazian. lib. 1. quàm absolutam, quàm divinam virtutum omnium perfectionem in Regibus exigeret Dominus, præclarissimam illam legem eis præscribit: *Subditis vestris vos Deos præstiteritis; liceat enim audaciùs aliquid dicere.*

29. Quocirca cùm quivis mundi Princeps in gubernatorem populorum à DEipara, uti ex Damiano probavit Salazar, inauguretur; ejúsque Vicarius velut alter Moyses constituatur, *divinarum ejus virtutum ubertate,* ùt loquitur Ambros. *sese ad similitudinem efformet DEI, ejusdémque exemplo humanæ conditionis dignitatem ita excedat; ut parvus quidam DEUS in humano corpore appareat, sit victor passionum omnium, nullis seculi capiatur illecebris, omnémque hanc secundùm corpus habitationem, cælestis puritate conversationis exornet, mentem suam ad DEUM dirigat, carnem propriam domet, & in servitutem Spiritûs redigat, ac Regiâ quadam charitate castiget. Mansuetudinem quoque illius, morúmque facilitatem, ac suavitatem æmuletur, quæ sanè virtutes mirum quantum Principibus adferunt ornamentum;* adeò, ut verissimè, & sapientissimè M. Antoninus Cognomento ab hac virtute pius, pronunciârit: *Meliùs servare unum, quàm occidere mille.* Audiant Principes M. Tullium, orat. pro M. Marcello. Quàm hæc sui gloriosa, quàm Divina sit victoria, Regéque digna, *animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem; hæc qui faciat, non Ego eum summis viris comparo; sed simillimum DEO judico.* — Principes præ cæteris pietati studeant & virtutibus.

30. Hanc ob causam Theodosius II. Imperator amicis aliquando percunctantibus, cur neminem eorum, à quibus læsus foret, morti daret: *Utinam,* inquit, *liceret mihi etiam vitæ reddere mortuos.* Hujus denique mititatem ac benignitatem Dionys. pauculis illis verbis expressit: *Nemini unquam in vita asper, aut molestus, sed erga* — Theodosii II. Imperatoris clementia.

omnes fuit clemens, ac beneficus. Quæ sanè Heroica Virtus in Principibus Augustissimæ Domûs Austriacæ mirificè, maximâ totius orbis, ipsorúmque inimicorum admiratione & olim effulsit, & modò hac nostra tempestate; in qua maxima patientiæ seges in dies pullulat, effulgescit. Atque ut priora sæcula missa faciamus, hoc nostro sanè piæ, felicísque recordationis Ferdinandus II. id hujus heroicæ virtutis dedit specimen, & tot tantáque exempla, ut si ea singillatim commemorare velim, dies me deficiat. Ea Pater noster Guilelmus Lamormaini, cujus conscientiam pluribus annis mirâ prudentiâ, ac dexteritate tractavit, breviter comprehendit lib. de ipsius virtut. c. 16. ex quo paucula quædam ad omnium Principum exemplum libet delibare: quanta, inquit ille, patientia in Ferdinando fuerit, uno possum argumento sat probare. Tot ab Acatholicis impetitus injurijs, tot ac toties ab hostibus iniqua, & indigna perpessus, nunquam aut verbo quempiam acerbiùs incusavit, aut animo commotus graviùs indoluit. Mirati sunt familiares, esse Ferdinando stomachum, qui silentio posset tam dura concoquere; non queri, non expostulare. Non me fugit, paulò altiùs fuisse ejus animum tactum, cùm ab jis, à quibus minimè oportebat, obstacula poni vidit, quò minùs Germania tota Catholicam Religionem restitueret. Verùm de his etiam temperatè locutum scio, ut non impatientiâ in adversarios, sed commiseratione in eos, quorum intererat, agi in querelas constaret. Arma ipsa non tractavit ex ira in aliquem.

Ferdinandi II. mira in adversis patientia.

31. Gravissimum offensæ genus, & toleratu præ ceteris difficile, verbis impeti, ac traduci, ita tulit, ut nec sentire visus sit. Fuêre ex ejus adversarijs, qui impotentiâ animi, indignis tanta Majestate verborum injurijs, illum sanguinarium Canem, cæcum nebulonem, homuncionem, ac Ferdinandulum compellarunt. Novit hæc de se dicta, nec tamen indignatus est, An. 1599. Græcij in Comitijs publicis Acatholici Proceres ausi sunt amaris in præsentem verbis invehi, quam ille urgebat, veræ fidei restitutionem, miseram ac deplorandam persecutionem, conscientiæ tormentum durissimum appellârunt. Non nemo (ille, cui nomine ceterorum ex officio loqui incumbebat) adeo aculeatè, temerè, acerbè, atque impudenter in Archiducem debacchatus est, ut illos ipsos, qui eum ad liberè loquendum hortati fuerant, puduerit audaciæ. Ferdinandus, & obloquentem patienter audivit, & qua pollebat potestate, cùm posset ulcisci, maluit patientiæ, quàm potentiæ præbere documentum. Sat habuit, quam proposuerat fidei restitutionem, constanter urgeri; maledicta, & scommata animo tulit æquissimo. Vide ibidem reliqua virtutis hujus documenta sanè in tanto Principe admiranda.

Idem adhuc Archidux Græcii ab Acatholicis Proceribus multa ob religionem fortiter sustinuit.

32. Non degeneravit in hac virtute, sicut nec in aliis paternæ Indolis generosus æmulator ejus Filius Ferdinandus III. cui revera ob egregiam hanc naturæ facilitatem illud, quod olim Imperatori cuidam ipsius dixêre Proceres, possimus & nos dicere: *In eo videris peccare, quòd te nimium nobis impendas;* illúdque rursus (absit verbis assentatio) encomium celebrare, quod de Moyse sacræ memorant literæ. Num. 12. 3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terris.* Atque hæc de virtute hac Regia Christiano Principe à Deipara, quemadmodum fuit Moyses, inaugurato dixisse sufficiat.

Par clementiæ laus in Ferdinando III. Cæsare.

33. Denique Christianus Princeps post Dei cultum, peculiari devotionis affectu veneretur, ornétque Deiparam, ejusdem Moysis exemplo, Tabernaculum illud fœderis quod Virginem nostram repræsentabat, tanta cum sedulitate exornantis, ac decorantis, cujus sanè in hoc tanta elu-

Princeps Christianus secundùm Deum colat illius Matrem

eluxit industria, ut B. Petrus Damianus Ser. 2. de S. Joanne, sanctum huuc Apostolum, Christi ejúsque Matris per gratiam dilectissimum in amore, ac veneratione Virginis verè animati Tabernaculi Divinæ illius ac summæ Majestatis comparare non dubitaverit.

B. V. fœderis Tabernaculo comparata.

34. Postquam enim varijs in virtutibus inter hos sanctos comparationem instituisset, hanc quoque pulcherrimam subjunxit: *Atque ut adhuc comparatio producatur, Moyses Tabernaculo præerat, quod nubes operiebat, ita, ut aliquando nec ipse Moyses posset intrare, sicut in* Exo. c. 40. legitur: *Quia operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini implevit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia. Joannes verò melioris Tabernaculi custos factus B. MARIÆ extitit, quam non videlicet corporea hujus aëris nubes obtexit, sed Spiritus S. invisibiliter obumbravit. Et gloria Domini, id est, Filius DEI, qui hoc Tabernaculum, non mox discessurus; sed veram carnem suscepturus, implevit; non mansit sub aërea caligine nubis, sed potiùs in lumine solis, sicut per Prophetam dicitur. In sole posuit Tabernaculum suum.* Concludit denique suam comparationem Damianus, pares propemodum fuisse hosce sanctos ostendendo, dum ita loquitur: *Nec nos alterum alteri præferre præsumimus, sed diversitatem pro sua cujusque dignitate pensamus. Duorum quippe viatorum, nulla oculorum vivacitate disparium, qui orto sole graditur, clariùs qualibet opposita conspicit, quàm is, qui antelucanus exurgit. Et ditior est, qui autumnalem fructuum maturitatem carpit, eo, qui verna propaginis arbusta plantavit.*

Moyses Antiqui Joannes novi Tabernaculi custos

Principes laude Castimoniæ florentes cultum MARIANUM promoveant.

35. Cùm igitur perinde, ac Moyses illius veteris, Joannes novi hujus animati virgineique Testamenti tam sedulam curam gesserit, curet omnino quivis Princeps, à DEIpara in suum vicarium inauguratus, Sanctissimos hosce viros cœlestis puritate conversationis, castimoniæque virtute pro suo statu, carnem spiritui subjiciendo, sive, ùt loquitur Apostolus, *Spiritu facta carnis mortificando*, æmulari; ejusdémque ubique, uti par est, cultum, ac venerationem tantæ Dominæ, ac Patronæ in suis subditis amplificare, si grati acceptíque supremæ suæ Reginæ esse, & sub ejusdem tutissimæ protectionis alis degere, & ipsius effusissimæ misericordiæ viscera experiri concupiscunt.

Ferdinandus II. speculum virtutum præsertim verò castimoniæ.

36. Ut porrò geminas hasce virtutes, cultum videlicet DEIparæ, & castimoniæ eidem gratissimæ, eò faciliùs assequantur, rursus Ferdinandum II. sanctæ recordationis veluti harum virtutum, aliarúmque lucidissimum speculum sibi ob oculos proponens. De his consulendus idem P. Lamormainus, qui intimos ejus sensus noverat. Ac de cultu quidem Virginis de quo 1. parte Disc. 18. fusiùs dictum, illud solùm dixisse sufficiat, quod idem P. initio c. 7. paucis multa complectens memoravit: Post DEUM, inquiens, Virgini inprimis, terræ, cœlíque Reginæ addictus fuit. Illi præcipuum non modò cultum, sed amorem etiam impendit; ùt Patronam cliens reverebatur, ùt Filius amabat Matrem. Quotidianum ei certum precum pensum persolvit dum vixit, &c. De castitate verò Ferdinandi idem P. c. 15. post egregiam de se ipso mortificationem carnis, sensuúmque obtentam victoriam, ita prosequitur: Post assertas Ferdinandi pugnas in carnem, facilè est ejus castimoniam, ac pudicitiam contestari. Illius pugnis hæc paratur, præmiúmque se ipsum edomantis est, corporis, mentísque integritas. Adolescens ejus ætatis decus longè pulcherrimum credidit esse castitatem. Aulicum nescio quem, viam ad impudica monstrantem, & ut perfrictæ frontis erat, opem spondentem, adhuc juvenis, nondum matrimonio junctus, jussit Aulâ excedere, ac servi-

Idem insignis cultor B. V.

Idem per omnes ætatis gradus castissimus.

tio. Odisse se ajebat inter servos, Veneris mancipia, & cupidinis. Provincijs præpositus & Regnis, cùm fœminas audire ex munere teneretur, nullam unquam solus audivit, ne quidem Principem. Colloquio, vel suam conjugem adesse voluit, vel petentibus aures dedit, cùm in publicum proditurus, Aulam universam comitem, & testem habuit. Ante conjugium nullam cognovit, viduus sex annis, in ipso ætatis vigore, videlicet ab 8. Martii An. 1616. usque ad 2. Februarii An. 1622. Etsi neque stimuli, neque occasiones defuerint, eodem rigore vixit. Matrimonio junctus sic se habuit, ut plenissimam castimoniæ conjugalis fidem conjugi effecerit. Scio, ab Augusta dictum, ea apud se integritatis in opinione fuisse Ferdinandum, ut vel cum puella deprehensum in thoro, nefas crederet, eum impudicitiæ damnare. Obfirmatum validiùs ejus fuisse animum in castitate, quàm ut vicina ea machina posset convelli, aut amoveri. Non linguâ magis, quàm auribus turpia exclusit, nullum ex ejus ore verbum non purum, nullum fœdum coram illo turpia effutire, aut, quæ libidinem olerent, nemo planè unquam ausus est. Si quàndo vel ut consuetudini daret aliquid, vel ut Aulam recrearet, passus est ab Histrionibus in scenam agi, præmoneri curavit seriò, modestiæ ne oblivIscerentur, scirent se agere coram Cæsare, qui in Comœdia primas pudori, & verecundiæ tribueret, minas addi, si quis auderet quidpiam. Ut homini fieret offensus, imo implacabilis, satis erat nôsse, vel adulterijs obnoxium illum esse, vel concubinis. Neminem excusabat vel sanguinis nobilitas, vel rerum gerendarum peritia, &c.

Ludovici [illegible] Regis [illegible]arum [illegible]tas.

37. Eluxit hæc eadem virtus etiam in Christianissimo Galliarum Rege Ludovico XIII. verè pio, verè Magno, quem cùm aliquando Aulici rogarent, ut in Templo vel aspectum unum stupendæ pulchritudinis Puellæ cujuspiam sibi persuaderi pateretur, tanta, ùt scribit Pater noster Doctissimus æque, ac Religiosissimus Jacobus Salianus in Præf. 3. Tom. Ann. veteris Test. tantâ, inquam, puritatis castissimus Princeps Regium pectus fortitudine obarmâsse perhibetur, tantâ oculos constantiâ retinuit, ut in præsentia positam pellacissimam Venerem ne uno quidem oculorum conjectu dignatus sit; sed animum, corpus, oculósque ipsos, ne vel minima quidem labe pollutos domum victor, triumphatórque reportârit, eadémque mox animi magnitudine, ac puritate mentis, & corporis impuras Imagines parietibus appensas, oculis humi dejectis, aversatus, qua vivas paulò antè, spirantésque neglexerat. Quare jure idem Pater tantam in Adolescente Principe admiratus continentiam exclamavit: *O Principem incomparabilem, miraculum castitatis.* Additque mox ubi præclarissimi hujúsce facinoris ad Urbanum VIII. Pontificem maximum fama pervenit, in ejus amorem exarsisse; quàm perfusis etiam lacrymis contestatus, effecitque imposterum, ut quæcúnque ejus Nomine Romæ postularentur, liberalius etiam, quàm petebantur, concederentur.

Prosequitur eadem materia.

38. Quod eximium insoléns que in tanto Principe facinus, quia sapidissimum, simul etiam admiratione dignissimum est, rursus ad Annum 3007. mundi. To. 3. suorum Annalium commemorans, ita pudicissimi atque verè invictissimi hujus Regis laudes prosequitur; Vidit hanc victoriam, & cum summa voluptate vidit è Cœlis sanctissimus ille Avus tuus, cujus tibi non solùm adoptasti Nomen, sed augustissimæ quoque castimoniæ intemeratam atque immortalem lauream adamâsti; vidit, inquam, & hanc tibi perpetuam, constantémque laudem à supre-

premo Numine flagitavit. Quam laudem, atque victoriam, Ludovice, Regum Maxime, Annales hi quemcunque illis temporum cursum ventura sæcula, aut ipse potiùs Rex sæculorum immortalis concesserit, nunquam desinent prædicare; nec puritatis amator Dominus tam in hoc luculento certaminum curriculo, quàm in aula illa Beatissima, ad quam nil admittitur inquinatum, copiosissimâ mercede munerari.

39. Quocirca idem Salianus ad Annum Mundi 2962. n. 31. totum Galliarum Regnum gaudio exilire jubet, quod tam pium tot virtutibus ac præsertim castimoniæ lilio florentem Regem nacta sit, qui supremi Regis Vicarium se se exhibeat. Gaude igitur mea Gallia, inquit ille, ac vehementer exulta, quæ Divina providentia, & munere singulari eum accepisti Regem, sub cujus laudatissimo Imperio Regnnm Dei esse non desines, & Thronus Dei, tibi singulariter imperantis; quando ad ejus nutum ille se hactenus, subditósque suos ita componit, ut, cùm in Regibus omnibus, qui Christiano Nomine censentur, Principem locum teneat, illius tamen se Vicarium ac Proregem addiderim: sicut & Cœlum Reginæ, cujus puritatem fuit imitatus, agnoscat. Cui Christianissimi Nomen gloriosissimum ita congruit, ut ab ejus Atavo Ludovico IX. nemini magis. Quando utriusque prima ætas sub Domestica Matris Religiosissimæ disciplina, ad omnem sanctitatem, & Regiarum virtutum decora informata est. Et utriúsque fervor in Catholicæ Religionis incrementum, & errorum extirpationem illustribus se se operibus prodidit. Quæ Deo bene propitio ætas longinguior ita confirmabit, ut sicut in Gregorio XIII. nostrâ memoriâ, summa usque Apostolicarum virtutum ornamenta, quibus sacræ illæ Infulæ ac tiaræ decorabantur, honoravimus, ita Ludovicum XIII. in absolutissimis Christianorum Regum exemplaribus numerare valeamus. Sed ad lineam, à Summa Cœlorum Regina inaugurati.

40. Neque verò solùm Reges ac Principes, Mosen in lenitate, ac mansuetudine, æquitate animi, ac castitate, verùm etiam in fiducia erga Deum, ejúsque Matrem in adversitatibus omnibus, in bellorum turbinibus, hostiúmque insidiis eam imitentur; si sub ipsius protectionis alis vitam fœlicem, beatámque degere desiderant. Notum est, quo pietatis religionísque affectu sanctissimus hic Israëlitici populi Dux in Arcam illam fœderis, quæ pulcherrimus typus, ac Imago gloriosissimæ nostræ Cœlorum Reginæ extitit, ferebatur; qua veneratione prosequebatur, quibus Ceremoniis universum populum ad debitum ei honorem deferendum alliciebat. Hanc nimirum murum, hanc propugnaculum, hanc turrim adversùm omnes hostium incursiones opponebat; hanc, ut viæ Ducem sequebatur, sub hujus protectione Aquilam illam magnarum alarum agnoscens delitescebat, in eáque suam spem omnem collocabat. Unde Num. 10. 33 ipse Moses de ea ita scribit: *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, Arcáque fœderis Domini super eos erat per diem, cùm incederent. Cúmque elevaretur Arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua. Cùm autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.* Quam Mosis orationem fusiùs prosecutus est David, imitator egregius, orans sine dubio ante hanc Arcam fœderis, & oculum intentum habens in filiam suam Mariam, cum Psal. 7. concinebat: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus, sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis; sic pereant*

Moses in adversis confugit ad Arcam, Principes ad Mariam.

peccatores à facie DEI. Et justi epulentur, & exultent in conspectu DEI, & delectentur in lætitia.

41. Ad utriusque imitationem Seraphicus Doctor Bonaventura Virginem, animatam Arcam Domini agnoscens, sic ei in Psalterio suo Psal. 67. concinebat. *Exurgat MARIA, & dissipentur inimici ejus; conterantur omnes sub pedibus ejus; Impetum inimicorum nostrorum dissipa Domina, destrue omnem iniquitatem eorum. Ad te Domina clamavi in tribulatione, & serenâsti conscientiam nostram. Non deficiat laus tua de ore nostro, & amor tuus de visceribus nostris. Pax multa diligentibus te Domina; anima eorum non videbit mortem in æternum.* Eandem Virgineam Arcam mira in dispersionem, perditionémque hostium præsertim Infernalium prodigia patrantem agnoscens S. Amadeus Hom. 8. perinde ac David, & Moyses loquitur: *Horum omnium de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, & Nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix avertit. Enim verò sicut ignis attactu cera liquescit, & velut ardore solis defluit glacies; sic ab ejus facie inimicorum deperit acies, eáque jubente nihil adversi subsistit.* Similia habet Hom. 2. *Ego verò*, inquit ille, *libenter dixerim, odore virtutum sanctæ MARIÆ Angelos tenebrarum effugari; & quodam valido turbine huc, illúcque raptari, ut in eis impleatur quod dictum est: Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.*

MARIA Arca animata, hostium perditio.

42. Quòd porro Arca fœderis Symbolum extiterit Deiparæ, communis est SS. Patrum asseveratio. Hinc S. Damasc. orat. 2. de Dormit. loquens de gloriosa Virginis in Cœlos assumptione: *Hodie sacra, & animata Arca DEI viventis, quæ suum in utero concepit Creatorem, requiescit in templo Domini, quod nullis est extructum manibus; & David exultat ejus Parens, & in eo choros ducunt Angeli. Jubilemus ergò in Arca Domini toto animo, & muri cadant Jerichuntini, contrariarum potestatum infesta munitiones.* De hoc Arcæ stupendæ prodigio in expugnanda Urbe munitissima Jerichuntis meminit magnus ille populi Israëlis Dux Josue c. 6. ubi imperio Domini ei demandatur, ut septies circa muros civitatis circumducat Arcam Domini, futurum enim, ut die septimo ad præsentiam Arcæ, tubarumque clangorem, & clamorem populi mœnia Jerichuntis funditus corruant, quod & factum est: ut ibidem v. 20. legimus. Itaque omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitúsque increpuit, muri illico corruerunt, & ceperunt Civitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem, &c. Arcam denique figuram fuisse DEIparæ testatur B. Laurentius Just. Venetorum Patriar. Ser. de Nat. B. V. *An non MARIA*, inquiens, *testamenti Arca verissima, Divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas, frondentem Virgam, & suavissimum in se manna continuit.* Cùm igitur Arca illa umbra fuerit Deiparæ nostræ, & Moyses per Rubum illum incombustum, ejusdem Virginis Typum, in Ducem Israëlis inauguratus fuerit, tanquam in illa ornanda Arca, ac Tabernaculo fœderis, immensis propemodùm effusis opibus liberalis; jusseritque populum voce Domini; ut quemadmodùm dicitur Exod. 35. 5. *Omnis voluntarius, & prono animo Domino aurum, & argentum, æs, hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, & janthinas, ligna sethim ad faciendam Arcam, & vectes, & propitiatorium, & velum, quod ante illud oppanditur*, tantúmque donariorum sua apud populum auctoritate conquisiverit, ut Beseleel, & Ooliab artifices sapientissimi, instantes operi, compulsi fuerint Moysi dicere: *Plus offert populus,*

MARIA Arca fœderis est, ex SS. PP. communi sententia.

Moses in Arca, MARIÆ figura, ornanda adeò munificus animet Principes ad amplificandam gloriam MARIÆ

pulus, quàm necessarium est. Exo. 36. Si, inquam, Dux hic Religiosissimus in umbra dumtaxat Dominæ inauguratricis suæ exornanda adeò sedulus, adeò munificus extitit; & quo tandem animo Christianos Reges à vera non Umbratica totius Universi Regina in Reges electos, ut ejus sint Vicarii, quo, inquam, animo illos, in ipsius honore gloriáque pro virili amplificanda, eidémque cultu apud subditos promovendo esse decet? si denique Moyses in omni necessitate, & afflictione populi, in conserendis manibus cum hoste, in ira Dei contra Israëlem exardescente, placanda, ad Arcam confugere erat solitus: quantò magis Christianæ Reipublicæ gubernatores, & capita ad animatam hanc Arcam, velut pulli candidæ hujus Gallinæ alas, quovis in bellorum discrimine, in hæreticorum tumultuantium rebellionibus, ac turbinibus recurrere, ejus opem, patrociniúmque apud Filium implorare oportet? O quàm præclarè S. pronunciavit Athanasius, de priscis illis ad confusionem nostram Hebræis lib. de Interp. Psalmorum ad Marcellinum. *Si bellum populo ingrueret, Arca, in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat; hoc sufficiebat illis pro quavis acie in subsidium.* Idem omnino Christianis Ducibus, ac Regibus faciendum, cùm ad bellum proficiscuntur, versetur illis ob oculos animata hæc Arca, eámque summo in honore ac veneratione habendo, virtutes ejus imitando, ejúsque tanquam Reginæ suæ *Bellatricis Egregiæ*, ut eam appellat Bernardus, opem implorando, dent præcedentiam, in eámque post Deum omnem fiduciam collocent.

Mariam generalissimam armorum elegit & vocavit Ferdinandus II. Imp.

43. Præclarè coluit Arcam hanc animatam bono omine suorum exercituum Ferd. II. Imperator pientissimus; de quo idem virtutum ejus sincerus scriptor cap. 7. Integros, inquit, 20. annos bellis petitus armorum suorum summam præfecturam semper Virgini commisit; Hujus Imaginem in Regio Vexillo meliori omine, quàm Aquilam jussit militi præferri: Hanc non modò verbo familiaríque sermone, sed datis ad Duces litteris mandatísque generalissimam nuncupavit; non secùs ab exercitu voluit coli, quàm armorum Moderatricem: in eos, qui minùs reverenter habuerunt, egit ut in transfugas, & non solùm Divina, sed militari lege eos, &c.

S. Stephanus Reg. Hung speciali voto Mariam in Patronam Ungariæ eligit.

44. Agnovit Gloriosus ille Hungarorum Rex Stephanus Deiparam Virginem Arcam esse, & exercituum, Regnorúmque protectricem ac Patronam, dum illi & se ipsum, & universum Hungariæ Regnum in tutelam obtulit, votóque speciali consecravit, Dominámque ipsius specialem esse voluit. Hujus honoris Zelo quanto teneretur, ostendit in celeberrima illa totius Regni sede, Alba Regali videlicet, in qua sumptibus planè Regijs, opere magnificentissimo Basilicam condidit, eámque opulentissimis muneribus exornavit. Unde factum, ut mira cum fiducia ad Virginem tanquam ad animatam Arcam, ad firmissimum suum præsidium in omnibus suis necessitatibus ac periculis recurreret. Quam ille tunc fiduciam vel maximè ostendit, cùm Conradus Romanorum Imperator ingentibus coactis copijs Hungariam invadere meditabatur. Tunc enim S. Rex ita Virginem allocutus fuisse perhibetur: Si placet tibi Domina mundi tuæ partem hæreditatis ab inimicis devastari, novellámque Christianismi plantationem dissipari; ne quæso sinas illud diffidentiæ meæ imputari, sed potiùs dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit, culpa Pastoris ipsa luat; oves quæso insontes affligi ne patiaris. Non irritæ pientissimi hujus Regis cecidêre preces. Altero enim die ad singulos Germanorum Duces nuncius cum Imperatoris advenit lit-

S. Stephani in adversis ad Mariam oratio exaudita.

teris, quibus mox pedem referre, & à cœptis desistere jubebantur. Hæc ubi Conradus intellexit, agnovit id totum Dei consilio, ac voluntate, Optimum Regem ceu scuto perfectionis suæ coronantis, accidisse. Unde sanctissimus Rex tam Præsentem Dominæ ac Patronæ suæ opem, protectionémque in se expertus, memor gratitudinis, se se humi abjiciens, amplissimas protectrici suæ fidelissimæ tam benignè, & se & Regnum suum contutanti grates persolvit; ac deinceps nunquam illud calentissimis precibus eidem commendare destitit.

Ludovicus I. Ungariæ Rex Icone B. V. velut clypeo armatur.

45. Ad eamdem Arcam animatam confugit, suósque præcedere honorificè voluit Ludovicus I. Hungariæ Rex, qui, uti retulimus Par. I. Dis. 18. ipsius Icone velut clypeo, solidissimáque panopliâ obarmatus, cùm viginti ex suis pugnatorum millibus, ingentem planè Amuratis, Turcarum Tyranni, exercitum fudit, fugavítque. Ostendit Virgo gloriosissima etiam hoc nostro sæculo exercituum Christianorum se ductricem, ac Protectricem esse, cùm Anno 1571. die 7. Octob. classem nostram contra Turcas ad Echinadas Insulas auspicijs Joannis Austriaci depugnantem benedixit pro illa apud Filium suum dilectissimum magno charitatis affectu intercessit, gloriosissimámque victoriam, tota gaudio exiliente christianitate, reportavit; à qua postea *S. MARIA de Victoria*, ita decernente Pio V. Pont. Opt. Maximo, nuncupata est. De Victoria hac Annuæ litteræ Patrum Capucinorum ad Annum 1584. n. 161. ita referunt. Qua die Christianorum classis infidelium triremibus congressa est, P. Anselmus Petra Molaria (ejusdem Ordinis Vir Religiosissimus, qui ad juvandos milites Christianos in tanto discrimine se se obtulerat) in ipso pugnæ initio Turcarum classem, vento illi secundo flante, tanto impetu in nostram irruere conspexerat, ut vi, armísque prævalere videretur; Verùm simul, atque Beatissimæ Virginis opem ad nostrorum præsidium ardentiùs imploravit, Deiparam in classem oculos convertisse, illámque sua benedictione firmâsse animadvertit. Unde factum, ut protinus vento hostibus in adversum commutato, ac nostris favente, illustrissima tandem Victoria multis sæculis inaudita Christianis cesserit.

Origo festi Mariæ de Victoria nimirum à victoria Christianorum ad Echinadas.

Mariæ auxiliô P. Anselmum Petra Molaria, arma non lædunt.

46. Eadem etiam protegente Deiparâ crediderim factum, ut, cùm Magnus vir hic, Virginísque servus in sua triremi ab hoste, qui jam mediam occupaverat, liberanda strenuam operam navat, tot in eum jacula immissa, tótque catapultæ explosæ fuerint, ut, cùm habitus, qua tegebatur, ab jis undique perforatus esset, eum Dei, Virginísque virtus ac protectio ita illæsum servaverit; ut nec jacula, nec plumbeæ glandes carnem ejus attigerint. Atque ita intellexit Vir in Virginem pientissimus, propriâ etiam edoctus experientiâ, Dei Matrem velut mysticam Arcam exercituum populi Christiani Ductricem, atque auxiliatricem esse.

Mariæ Iconi injuriosi hæretici à Cæsaris profligantur, in celebri pugna Pragensi

47. Intellexit etiam P. Dominicus à Jesu Maria, Ordinis Carmelitani decus, Deiparam Christianorum Protectricem esse his nostris calamitosis temporibus, ac præsertìm anno 1620. in bello Boëmico ad Montem Album auspicijs Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. & Maximiliani Bavariæ Ducis Serenissimi. Hic enim Pater, cùm in quodam templo ab hæreticis per summum nefas direpto, ac profanato Imaginem Nativitatis Domini reperisset, in eáque Divæ Virgini, & S. Josepho Sponso oculos expunctos animadvertisset, intimo dolore cordis vir pius tantum scelus detestatus ingemuit, justissimámque mox ultionem in perduelles illos adfuturam ominatus est. Neque verò illum sua spes fefellit. Cùm enim paulò pòst initum

tum

tum esset prælium & dubia esset victoria, Iconem illam, sublata in altum manu, intentis in Cœlum oculis præseferens, obortis per ora lacrymis DEUM precatus, ut Matris suæ, ejúsque Sponsi tam atrocem injuriam ulcisceretur, mox ad exercitum Cæsareum deflexit Victoria. Unde postea idem Religiosissimus Pater Iconem illam S. MARIÆ de Victoria, approbante id sanctissimo Domino nostro Paulo V. titulo decoravit, Romámque delatam, solemni omnium Ordinum Supplicatione, ac pompa, eodem Summo Pontifice suâ præsentiâ eam cohonestante, totâ Urbe deductam Templo Ordinis sui S. MARIÆ de Monte Carmelo, ad perpetuam Virgineæ protectionis memoriam, omnibus retro sæculis celebrandam, consecravit. Quod isti cultu publico, hoc præclarâ etiam sententiâ suâ agnovit Leo Phil. Orientis Imperator, qui Hom. 6. de Annunc. B. V. inter alias, quas ipse ejus in honorem composuit, ita illam alloquitur: *O Virgo, & Mater, quæ Virginitatem & partum tam valde inter se diversa in te conjuncta demonstras! O tegumentum, O profugium, & Anchora! quæ totum mundum contines, & servas; concede ut fructuosè gregem pascam, simúlque mecum pasce, duc, & educ; ne in illo operum omnium accurato examine propter subditos damnationis sententia adversùs me feratur, sed ut omnes, sicut hic, ita & ibi indesinenter festum diem agamus, & collætemur in CHristo JESU tuo primogenito Filio.*

48. Expertum quoque est in novo orbe protectricem hanc Virginis amplissimum illud Regnum Chile, de quo P. Alphonsus de Ovalle lib. 5. c. 15. Relat. de hoc Regno, ita loquitur. A prima hujus Regni Chile fundatione, ostendit semper suprema Cœlorum Regina, se illud semper sub protectionis, patrociniíque umbra tenuisse. Quod ipsa pro ingenita sibi pietate factis ipsis comprobavit. Cùm enim vice quadam Indi Civitatem quamdam oppugnarent, Hispani numero pauci urbe egressi in Barbaros irruperunt, qui mox, licèt & numero, & viribus forent longè superiores, fugam arripuerunt. Qui cùm postea de tam repentinæ fugæ causa interrogarentur; responderunt, quòd licèt illi nil prorsus sibi ab Hispanis tam paucis numero metuerent, compulsi tamen sint profugere; quia ante eorum phalangem advenientem conspexerant pulcherrimam quandam Heroinam, quæ pulverem in eorum oculos jaciendo, eos excæcabat, & fugam capere compellebat. Similem DEIparæ protectionem expertus quidam Hispanæ Militiæ Dux, nomine Didacus de Vinegas, cùm Imperialis Civitas obsideretur à Barbaris. Sic enim ille in sua Relatione. Experti sumus speciales Virginis favores, quando magna Indorum multitudo Civitatem invadebat, eámque expugnare nitebatur. Tunc enim omnes ad defensionem, protectionémque nostram, supremam nempe Dominam, recurrebamus. Sæpiùs accidit, ut cùm maximo in periculo versaremur, Virgo Indis sese palam spectabilem exhiberet, expressè illis demandans, ut nullo Civitati illato nocumento facesserent, domúmque reverterentur. Qui mox, Divinâ vi eorum audaciam reprimente, obtemperantes, obsidionem solvebant, & ad propria velut agni mansuefacti redibant, qui ad instar luporum famelicorum è domibus suis fuerant egressi; ipsimet Indi attestati sunt, se vidisse sæpiùs Juvenculam cuidam Hispano seni, candido equo insidenti, quem S. Jacobum Metropolis, ac totius Regni Patronum esse censuère, associatam, quæ illos in fugam vertebat.

MARIA barbaros urbem oppugnantes jactis in oculos pulveribus fugat.

Eadem cum S. Jacobo spectabilis Indos ab obsidione repellit.

49. Historiolam hanc clariùs uberiúsque exposuit idem P. Alphonsus de Ovalle in eadem Relat. lib. 5. c. 20.

Visio admiranda in Regno Chile Americano.

c. 20. dum Indorum exercitus, inquiens, Civitatem hanc Imperialem obsideret, B. V. multa admiranda operata est. Cùm enim Barbarorum vicinus jam esset exercitus, repentè contenebratus est aër, factúmque est ingens quasi aquarum, lapidum, grandinísque diluvium. Apparuit insuper in medio tempestuosi, horribilísque illius nimbi Epunanome, id est, falsus Indorum Deus, specie Draconis truculentissimi ac formidandi, qui caudâ in gyrum collectâ nigrantes flammas ore cavernoso evomens, mandabat, ut citò Civitatem, omni destitutam munitione, ingrederentur, illam deprædarentur, omnésque Christianos in ore gladij perimerent. His auditis, dum Indi ad exequendum id, quod eorum Augur Apollo suaserat, se se præparant, repentè serenatum est cœlum, in medióque mirificè resplendentis nubis apparuit Juvencula pulcherrima, sole fulgidior, quæ illos vultu quidem benigno, verùm gravitate, severitatéque quadam temperato aspiciens, turgidam illam arrogantiam, insolentésque Spiritus in eorum cordibus ab Epunanome Tartareo suscitatos, virtute illa omnipotenti à Filio sibi communicatâ, quâ stygij serpentis caput olim conterendo, triumphârat, compressit; simúlque illis pro ea, qua pollet auctoritate, demandavit, ne ultra progrederentur; sed quantocyus quisque in Regionem suam reverteretur; quoniam Deus Christianos in illa Civitate degentes omnino protectos, salvósque esse volebat. Quibus dictis visio quæ à toto exercitu 23. Aprilis conspecta est, disparuit; & Indi mox, ne unum quidem passum ultra progressi, velut veræ lucifugæ in spelæa sua sunt regressi.

Deipara imperio suo hostes reprimit.

50. Eadem Virgo urbem à præsentissimo terræ motûs periculo atque extrema subversione liberavit. In festo enim SS. Simonis & Judæ adeò horribiliter concussa est, ut parum abfuerit, quin tota Civitas solo æquaretur. Multæ domus subrui cœperunt, & fortè nulla substitisset, nisi Cœlorum Regina apud suum Benedictum Filium remedium opportunum impetrâsset. Hoc inde evasit manifestum. Cùm enim terræ motus jam conquievisset, Sacrista Templi Iconem miraculosam Virginis ad nives invenit ex suo altari ad terram cecidisse, sed erectam facieque ad SS. Sacramentum obversâ. Quod absque evidentissimo miraculo evenire non potuit, cum Altare in quo statua B. V. collocata fuerat, ad latus templi esset situm, & altitudo loci duorum esset cubitorum, in quo Imago Virginea velut in sua Regia quiescebat. Unde omnibus res mirá omnino visa est, quòd statua planè illæsa permanserit. Non fuit hic necesse populo persuadere Virginem de suo loco ad precandum Filium pro urbis incolumitate descendisse, nec ipse Sacrista quidquam de hoc miraculo dubitavit, siquidem simul atque fores Templi reseravit, Imaginémque erectam ante SS. Altaris Sacramentum consistentem aspexit, miraculum, miraculum conclamavit, & populus qui ob præteriti terræ motus honorem erat quodammodo extra se positus, vocibus illis auditis præceps cucurrit ad templum, & ad solum prostratus, illud devotè osculando, suæ protectrici, & Advocatæ apud Benedictum Filium, justam ejus indignationem suspendenti, ne illos penitus destrueret, debitas gratias persolvit.

Maria in L... coae su prodigiosè Filium deprecans terræ motum sedat.

51. Experta quoque est Lusitaniæ Regis militia An. 1588. ut scribit Bencius in Societatis nostræ Indicæ Provinciæ Annuis, gloriosissimam Cœli Reginam Christianorum exercituum Ductricem ac protectricem esse, cùm Rex Dejos negligens fœderis initi cum Lusitanis, se se cum Maurorum Rege Achene conjunxerat; quorum adventus Malacam propè fame laborantem timebatur,

Maria pro ... cos L... plurimos hostes ... ductores ...

tur, quod malum ut averteret Episcopus, oblatâ occasione Pauli Lima Viri bello egregij, qui cum classe erat in portu, eâ uti voluit, eúmque exoravit, ut avertendi periculi causâ urbis hostilis expugnationem tentaret. Ducti de nostris Sacerdotes duo militibus audiendis; pridie quam iniretur oppugnatio, confessi omnes, sacróque Epulo refecti in Insula, unde ab hoste conspiciebantur. Quæsivit Rex quid agerent Lusitani? Ubi audivit comparare se ad mortem strenuè oppetendam, contremuit. Itáque die illâ sacrâ, quâ Virgo Beatissima velut animata Arca assumpta in sublimissimum Cœlorum apicem, Urbs fœlicissimis Deiparæ Potentissimæ atque hostibus terribilissimæ, ùt castrorum acies ordinatæ, auspicijs oppugnari cœpta à Lusitanis quadringentis, 20. in ea erant hominum decem millia, tormenta bellica non parvæ magnitudinis suis in locis disposita nongenta.

52. Et paucis post horis Divino protegente Numine, ac Cœlorum Regina suis precibus apud Filium in Cœlis patrocinante capta, maxima hostium strage, multa eorum navigia incensa; Desiderati è Lusitanis 50. Reliqui Malacam magna gratulatione lætitiáque Civium effusorum obviam Victores revertêre. Atque ita revera sunt experti Virgineâ hac Arca in bellis præcedente, atque animos, virésque suâ apud Filium intercessione suppeditante, illis pro quavis acie subsidium suffecisse, ut loquitur Athanasius, déque hostibus insignes victorias, gloriosissimósque triumphos reportâsse. Unde præclarè B. Germanus Constantinop. Patriarcha, Orat. de Zona. B. V. de hac efficacissima Reginæ Cœlorum apud Filium intercessione pronunciavit: *Quis post Filium tuum ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in Supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat. Tu enim, cùm habeas Maternam apud Filium tuum fiduciam, at potentiam, nos, qui sumus condemnati & ad altitudinem Cœli non audemus intueri, tuis interpellationibus & intercessionibus efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio.*

Maria post filium maximam humani generis curam gerit.

53. Non minùs Regis Hispaniarum exercitus, varijs in bellorum occasionibus contra Catholicæ fidei hostes depugnantes hac Virgineâ præcedente, ac protegente Arcà sæpissimè Victores evasêre pro singulari Principum, Regúmque illorum egregiâ in terrarum Cœlorúmque Reginam pietate. Adeò, ut P. Anton. Velasquez supra memoratus asseverare non dubitaverit, Hispaniam hac signatè de causa dicendam fortunatissimam quòd ejus Reges Deiparæ studium, ac venerationem adeò impensè semper susceperint, ut sub hoc felicissimo sydere nati, & inaugurati esse videantur; indéque sive in bello, sive in pace tot facinoribus egregiè & fortiter gestis clarissimi perpetuò extiterint, & tot tantásque victorias ac triumphos de infestissimis sacrosanctæ Catholicæ nostræ fidei hostibus retulerint, ipsúmque Hispaniarum Imperium ex Maurorum Tyrannide patrocinio, ductu, ac protectione Deiparæ, velut Arcæ fœderis, eripuerint; illud mirificè tanti, támque gloriosi facinoris Duce Pelagio amplificârint.

Mariæ cultores, ac proinde felices & gloriosi Hispaniarum Reges.

54. Hic enim, referente rerum Hispanicarum scriptore lib. 7. cùm in summo rerum discrimine Imperium Hispanicum versaretur, cum parua admodùm, inermíque manu, eáque ex ipso timore fluctuante, in spelunca S. Mariæ de Cobadonga inclusus, præsentissima ipsius ope, quam obnixè efflagitaverat, adeò confirmatus, adeò erectus est; ut viribus, & potentiâ ferventi hosti infinito intervallo impar, atque inferior, repentè fortitudine, ac pro-

Pelagius Dux parva manu auxiliante Deipara contra innumeros ferè victor evadit.

 spe-

spera quadam Christianorum fortunâ Virgine DEIparâ favente, superior factus, illum omnino fregerit, atque prostraverit. Sic enim scriptor ille Hispanicus: Speluncæ aditus telorum omni genere, & lapidum procellâ quassatur; in quo vis Numinis apparuit nostris propitij, infensi hostibus. Sagittæ & lapides missi, reflecti in jacientes visi sunt, ipsósque Barbaros revoluta in Auctores tela magno numero vulnerare, trucidaréque. Tanto miraculo hostes attoniti; Christianis cum spe victoriæ pugnandi ardor incessit. Eruperunt è latebris pauci numero, illuvie corporum fœda acies, pugnam magnis animis invadunt, tumultui persimilis dimicatio fuit; Hostem, cui incussa divinitus formido, debilitavit, protinúsque in fugam vertit; cæsi supra viginti millia. Atque ita revera huic fortissimo pijssimóque in DEIparam Duci, se se Virgineis precibus obnixè commendâsse, de hostibus victoriæ palmam retulisse, ejúsque fructus apprehendisse fuit; adeò, ut verè tunc secum ipse, dum se patrocinio Virginis Matris committeret, dicere potuerit: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.*

MARIÆ quædam omnipotentia tribuitur.

55. O quàm mirificè sentit de hac Regum omnium Patrona B. Georgius Archiep. Nicomed. orat. de Præsent. B. V. illius contra omnes tam visibiles quam in invisibiles hostes agnoscens omnipotentiam. *Te nostræ salutis,* inquit ille, *habemus adjutorem. Te nostri auxilij habemus defensorem. Te proponimus, cujus ore nostra dicatur excusatio. Te Christianorum multitudo murum habemus firmissimum. Te fideles Reges habent arma valida. Per te bellorum franguntur audaces impetus. Per te consequuntur trophæa victoriæ. Tu O DEI Genitrix ne despicias preces eorum, qui semper petunt opem, fer eis, qui agitantur adversitatum tempestatibus, seda bellorum fluctus; fac in auras evanescant Spiritus eorum, qui nos incessunt injurijs. Da petitioni nostræ convenientem, ut potes eventum. Habes ut Mater in Filium, quæ recusari non potest fiduciam. Habes vires inexpugnabiles, robur insuperabile. Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia parent tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt, &c.*

Oratio ad B. V. Principibus usurpanda tanquam victoriarum ad auspicem.

56. Quæ sanè pientissima Sanctissimi hujus Patris oratio Virgineis laudibus plenissima cuilibet Regum sæpius, magno devotionis sensu pronuncianda esset, si sui Regni, populorúmque adjutricem, ac in bellis, alijsque mundi adversitatibus protectricem experiri desiderant. Sicut & altera illa B. Andreæ Cretensis Hierosolymorum Episcopi, quam videre est orat. 2. de Dormit. B. V. *Dicant,* igitur illi, *animitus, dicant medullitus, si hostium quorumcúmque tandem insidias illæsi evadere desiderant: O fidei Christianæ propugnaculum, & Propugnatrix eorum, qui in te spem collocârunt. Da nobis quietem O DEI Mater! Ornamus hanc vicissim parvi doni remuneratione, nempè ut habeamus quibusvis thesauris, ac divitijs pretiosiores, ac splendidiores preces tuas, supplices ad Filium tuum Dominum nostrum: Per quas & peccantes DEUM placamus, eumdémque rectè agentes ad nos attrahimus. Per quas arma Barbarorum, Infantium tela ducimus, Lanceáque eorum & galea, atque jaculatio manent inutilia, & inefficacia; & , ut in summa dicam, per quas omne bonum rectè geritur à Christianis, & illa, qua fit cum DEO, assimilatio.* Hæc in Virginem pientissimus Præsul, & verè de energia, atque admirabili efficacitate precum DEIparæ apud Filium, quæ Christianæ Reipublicæ Principibus, cùm adversùs infideles, barbaros, Turcas atque Hæreticos, aliósque Christiani Nominis hostes sub ejus umbra, ac patrocinio depugnant, meritò uti diximus, magna cum fiducia usurpanda sunt.

Oratio alia utilis Principibus Christianis ad B. V. in bello adjutricem.

57. Quocirca felices ac ter beati ij, rerum publicarum moderatores

Noëmi, Ma- ... figura ... principes ... lactan-

tores omnino censendi, qui sub hoc sydere dextro nati sunt, sub hac Stella matutina benè fortunata, atque ominata lucem aspexêre, ejúsque devotionem à primis annis cum lacte nutricis hauserunt; & ab illa tanquam pijssima Matre, castissima ejus pietatis omnis, ac devotionis plenissima ubera sugenda, sub ejus protectionis fidelissimæ alis protegi, ulnis ipsius quodammodò gestari meruerunt, quemadmodùm à Noëmi illa pulchra Obed ille Regum Israeliticorum primus Princeps, è cujus Filio Isai, Parens divæ Virginis Rex David, velut à Jessea Virgula flos pulcherrimus, germinavit. De illa enim & re, & Nomine pulcherrima Mulierem Noëmi, ita sacer textus Ruth cap. 4. 16. *Susceptúmque Noëmi Puerum posuit in sinu suo, & Nutricis ac gerulæ fungebatur officio.* Quæ sanè Noëmi sicut elegantissima Divæ Virginis nostræ figura & imago extitit, in passione nempe Filij, in cujus persona post ipsius mortem dixerit fortassis sæpiùs Virgo venustissima: *Non vocetis me Noëmi, id est, pulchram, sed vocate me Maram, id est, Amaram, quia amaritudine valdè replevit me omnipotens Ruth.* 1. 20. Sicut, inquam, Noëmi typus fuit Divinæ Matris afflictissimæ in morte Filij, ita quoque in ejus Filijs, ac nepotibus nutriendis ac educandis Maternam ipsius erga nos solicitudinem, ac benignitatem expressit. Gestat illa sinu quasi suo mirâ maternæ pietatis significatione Reges ac Principes sibi devotos velut Obedum Israeliticorum Regum Seminarium, eósque devotionis lacte pascit, ac nutrit, ut cum ætate simul omnium virtutum faciant incrementa, Filiique sui ferventissimos Amatores, fidelissimósque servos, ac Vasallos efficiat.

58. Qua in re id nobis Virginea hæc stella matutina etiam jàm præstare videtur, quod stella illa, quæ apparuit Magìs in oriente, nato Christo, illos in Bethleem deducendo, atque illuminando; ut videlicet Filium, Matrémque cognoscant, eósque eo, quo par est, cultu, ac veneratione adorent; ipsiúsque se servos, Vasallósque ejusdem stellæ illuminatione noverint, & fateantur. Hinc B. Petrus Card. Damianus Ser. 1. in Epiph. multis probat, Stellam illam Magorum Ductricem ad Christi visenda incunabula, denotâsse MARIAM, quæ Reges in hodiernum usque diem, ad servitium, homagiúmque Summo Regum Regi, ac Domino Dominantium præstandum, & simul agnoscendum se Vicarios dùmtaxat illius, in hoc mundo ad regendos populos, esse constitutos invitat. *Erat*, inquit ille, *Stella in aëre, Stella in terra, Sol in præsepio. Stella in aëre corpus illud lucidum; Stella in terra, Virgo MARIA; Sol in præsepio, Christus noster; Stella hæc in terra est illa, de qua Balaam prædixit* Num. 24. v. 17. *Orietur Stella ex Jacob; & compinget omnes alienigenas. Stella igneæ naturæ est; & Stella MARIÆ igneæ naturæ fuit. Ipsa est enim Rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi, qui videbatur ardere, sed non comburebatur; quia gravida quidem Virgo apparuit; sed igne libidinis non est consumpta. Ipsa in se est splendida, & clara adeò, ut de ea scriptum sit in Canticis; Quæ est ista, quæ progreditur, sicut Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol. Ipsa ex se radium illum emisit, qui penetrat usque ad cordis secreta. Scrutatur enim renes & corda. Unde meritò ei congruit nominis interpretatio, MARIA namque Stella Maris interpretatur, &c.*

MARIA Principes ad Christum vocat, ùt Magos Stella.

59. Eamdem Virginem Stellam illam esse, quæ Magos duxit ad præsepium Christi agnovit Eusebius Emissenus, sive Gallicanus in Catena Lucæ 12. dum ponderat verba illa Evangelistæ: *Ecce Stella, quam videcrant in oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer.* Matt. 2. ubi ita loquitur: *Stat Stella supra Stellam. MARIA enim Stella maris interpretatur; non dixit: supra Puerum*

MARIA Stella est, quæ Magos deduxit ad præsepium Christi.

rum; sed quid dixit? Supra, ubi erat Puer. Ubi enim erat Puer, nisi in sinu Matris? Stabat ergo & clamatque: Habet enim linguam suam: sic illa loquebatur Magis, sic ut istæ literæ loquuntur nobis. Sed quid significabat? quid dicebat? Vis audire quid? Hic est Puer, hic est Mater Pueri, hìc eum quærite, hìc eum invenietis. Hæc ille.

60. Ecce ùt Stella hæc Virginea ac matutina, illucescens, Regum illorum infidelium mentibus infidelitatis caliginem, noctémque idololatriæ dispulit, fugavitque. O verè benignum, O verè dextrum sydus MARIA! Quod licet suum imitando Filium illuminet omnem hominem, venientem in hunc mundum; illuminat tamen vel maximè suos Vicarios Reges, ac Principes, ut cognoscant, & ament DEUM verum, & ab eo missum JESUM CHRIStum, qua in cognitione atque amore vero, ac consummato nostra æviterna duratura vita, ac beatitas continetur. Atque ita verè dicere possumus, felici sydere natos esse; utì ante memoravimus Rerumpublicarum Rectores, qui synceram in DEIparam pietatem in cordibus suis radicatam habent. Ab hoc enim Virgineo faustissimóque sydere illis omnis, & cœlestis, & terrena felicitas proveniet. Ab eodem clarissima virtutum omnium luce, maximè verò earum, quæ in Moyse ingentis illius DEI populi duce ab illa inaugurato, effulserunt. Quas S. Augustinus lib. 22. cap. 99. contra Faustum Manichæum, tanti viri gloriam maledico ore commaculantem, brevi compendio enumeravit: *Moysem famulum DEI fidelissimum humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suscipiendo, fidelem in servando, strenuum in exequendo, in regendo populum vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem; qui pro eis, quibus præfuit, DEO se interposuit consulenti, opposuit irascenti. Hunc itaque talem ac tantum virum, absit, ut ex maledico Fausti ore pensemus; sed ex ore planè veridici DEI.* Hæc S. Doctor, quibus sanè tanquam vivis coloribus Imaginem Christiani Principis ad regendos populos à Virgine inaugurati descripsit, omnibusque imitandam proposuit: Quam sanè, si ji, qui ad Clavum Reipublicæ sedent, in se transcribere studuerint, fœlicissimo sydere nati, digníque censendi erunt, qui sub ejus patrocinij, protectionísque alis, velut nivei quidam pulli, foveantur.

MARIANO honori addicti Principes felices sunt, & virtutibus Moysis redduntur conspicui.

61. Quamobrem Regibus, ac Principibus omnibus, summis votis, ac precibus quotidie exoranda est, ut in omni ipsorum necessitate, rerúmque difficultatibus, adversantis fortunæ flatibus ac bellorum turbinibus, in hostium denique tam visibilium, quàm invisibilium insidijs, ipsos tanquam candida, piáque Gallina protegat, ipsis suo benigno aspectu, ceu dextrum sydus faveat, ut salva nave, ac mercibus in sempiternæ fœlicitatis portum tandem aliquando ingredi, ac Regi Regum laudum celeusma cantare valeant.

62. Principibus adnumerandos etiam censuerim, reliquos Catholicæ Religionis defensores, ac propugnatores, quos Virgo Beatissima cùm fidem Christi dilectissimi Filij sui defendentes constanti intrepidóque animo cernit, ipsa quoque eos defendere aliisque suæ pietatis protegere non dedignatur. Quod illa luculenter sanè Anno 1618. 23. *Maji* in Vigilia Ascensionis Domini in fortissimis ac generosissimis illis Heroibus Guilelmo Slauata & Jaroslao Martinez in Regno Boëmiæ, Imperatoris Matthiæ I. Austriaci Vicarijs sive locum tenentibus, ut & in Secretario Philippo Fabricio toti orbi ad nunquam intermorituram suæ eximiæ pietatis, protectionísque memoriam manifestavit. Cùm enim status hæretici, Nobilium, Baronum, ac Comitum Hussitarum, seu utraqui-

Comes Gu- lelmus Sl[illegible] ta & Ja[illegible] laus M[illegible] nez for[illegible] mi Re[illegible] nis Ca[illegible] defens[illegible] quos B[illegible] mira[illegible] protegit

quistarũ ad Arcem Pragensem, ipsámque Cancellariam armati cum innumera famulorum manu confluxissent, vehementiúsque instarent, ut litteris, uti vocabant, Majestatis, vi armatáque manu à Rudolpho II. Imperatore extortis in favorem Religionis sub utraque specie subscriberent, eorúmque impietati consentirent; illique iniquissimæ postulationi Comes Slavata, & Jaroslaus de Martinez consentire nollent; diceréntque se scriptum illud Cæsareum considerate legisse, & mature, quid facto opus esset, deliberâsse; repertísque in eo diversis clausulis, judicâsse hujusmodi esse, ut ei absque conscientiæ fideíque Catholicæ, quam profitebantur, læsione, consensum præbere, eíque subscribere non possent; Addidere insuper, qui cum illis ipsis affirment, Fidem donum Dei esse, ad quam nemo cogi debeat, idcirco petere se, ut omni violentiâ abstinerent, nec eos cogerent talibus consentire, quæ ipsorum fidei præjudicialia esse, certò sibi persuadeant. Ad quæ cum Baro Wenceslaus de Budova nomine ordinum Regni respondisset: Quomodo quidem nec Imperator, nec alij supremi Officiales Regni in subscriptione illa facienda ullum scrupulum habuerint; & illi duo Comites subscribere nolint, ideò scirent se judicare, ipsos nec illorum Religioni, nec personis favere, simúlque protestari, si aliquando acciderit aliquid in præjudicium Privilegij Religionis, ab Imperatore illis concessi, attentari, ipsos de duobus hisce Comitibus suspicandi legitimam causam habituros, eidémque quidquid acciderit adversi, imputaturos, & contra illos tanquam publicæ quietis Turbatores processuros. Addiderunt insuper iidem ordines sub utraque; siquidem defacto compererunt, quòd isti duo Comites contra suam Religionem ejusdémque Privilegia peccaverint, se idcirco illos pro inimicis pacis, ac communis boni turbatoribus agnoscere ac publicare, sibi nil negotij cum Regijs Locumtenentibus aut supremis Regni Officialibus, sed cum inimicis, atque Religionis adversarijs communísque boni violatoribus esse. Quibus intellectis Paulus Baro de Rizan ab omnibus præsentibus ordinibus, Utraquistis, numquid fateantur se illos pro talibus habere, sciscitatus est? Vix hæc erat profatus, cum ecce ingens exoritur clamor, idem affirmantium, & aliquorum insuper inclamantium, dolere, se quòd unum adhuc longum, videlicet Principem de Lobcovich, supremum Regni Bohemiæ Cancellarium, his similem, præsentem non habeant. Intereà dum major tumultus exoriretur, Gulielmus Baro de Ruppa inclamavit crudeliter: Optimum fore, si eos tandem expediamus, totique huic actioni finem imponamus; Facilè hoc postea factum, nostrâ apologiâ defendemus; nos videlicet justas habuisse causas eos mulctandi. Quibus auditis petiêre Comites, ne ipsas transgresso juris ordine persequerentur. Audire se cupere, & ad omnia de quibus accusarentur, legitime respondere, obtestantes, impenséque solicitantes, ne novum aliquod exemplum in hoc Regno statueretur, sed ut ad ordinarium judicium, uti par erat, remitterentur.

63. Verùm surdis cantata fabula. Nam illico Baro Gulielmus Senior de Lobcovich Comitem de Martinez manibus ex improviso in dorsum attractis, ne se posset defendere, unacum suis complicibus, Joanne Situino à Rizan, Udalrico Kinschio, Alberto Smirzischor, & Paulo Kaplitzio, arripuit, & ad fenestram jam apertam pertraxit. Unde ipse facilè colligens sibi mortem instare, generosè exclamavit: *Siquidem hic propter DEUM ejúsque sanctam fidem, suámque Cæsaream Majestatem*

 Do-

Dominum nostrum Clementissimum mors oppetenda est, omnia libenter, patienterque sustinebo; tantum citò Confessarij mei mihi fiat copia, quò ei primò peccata mea confiteri queam, idque propter miserationes Domini magnum in modum, vos obsecro. Cujus postulationi primores quidam ex Regni Statibus Sardonicè ita respondisse perhibentur: Quasi verò adhuc perversos illos tuos Jesuitas huc adducturi simus: Quâ auditâ irrisione mirum quantùm bonus Comes contristatus est, quòd peccata ante mortem exomologesi expiare non posset. Quare de peccatis suis animitus dolendo orare cœpit. *JESU Fili DEI vivi, miserere mei. Mater DEI memento mei.* Vix hæc pronunciârat, cùm ecce involutum pallio, accinctúmque pugione & gladio, de terra sustollunt, capitéque deorsum reflexo è fenestra in profundam Arcis fossam præcipitant. Inter cadendum cum SS. JESU & MARIÆ Nomina piè sæpiùs invocâsset, factum est, ut ita molliter caderet, atque si suaviter subsideret, in lectulúmve mollem decumberet, & quamvis vasto obesóque esset corpore, illæsus protectione alarum Deiparæ permaneret; imò & inter cadendum mirifico gaudio perfunderetur, quòd gloriosi Martyrij coronam, quam pridem expetierat, esset indepturus. Exturbato è fenestra bono Comite & MARIÆ opem protectionémque invocante, Baro Kinschius ore blasphemo ac sacrilego: jàm videbimus, inquit, utrum illum ipsius MARIA adjuvabit! Cúmque curiosus de fenestra in subjectam Arcis fossam perspiceret, Comitémque salvum atque incolumem humi sedentem conspiceret: Juro DEUM, inquit, quod illum ejus MARIA juverit. Nec hic Virgineæ protectionis finis. Ubi enim Hæretici eum illæsum cecidisse percepêre, mox è è fenestris innumeram vim plumbearum glandium bombardis in ipsum explosêre; sed protegente fidelem suum servulum alis suis DEIPARÂ, nullum vulnus penitus sensit, licèt duo in pallio foramina geminis inusta globis repererit.

C. de Martinez à perduellibus Hæreticis è fenestra Arcis in profundam fossam præceps datus, ope Dviparæ servatur illæsus.

Plumbeis glandibus è fenestra petitus à Beatissima Virgine rursus indemnis servatur.

64. Parem in eadem DEI Religionísque Catholicæ causa Benignissimæ DEI Matris protectionem Comes Gulielmus planè gloriosi Cognominis ominísque Slavata (Slava enim Bohemico uti & Illyrico Idiomate *gloriam* significat) expertus est, pro egregia sua in Virginem pietate. Mox enim ille, atque ita cum fido suo Amico Comite de Martinez barbarè atque inhumaniter actum vidit, aliud nihil sibi expectandum ratus, ad mortem se se disponere cœpit, ac sublatis in Cœlum manibus, propter DEUM ejúsque Misericordiam obsecravit, sibi, Catholico Sacerdoti Confessionis faciendæ licentiam concederent, & tum eum quacunque tandem morte vellent, afficerent; eam se æquissimo animo ob fidei Catholicæ propugnationem subiturum.

C. Gulielmus Slavata confitendi copiam rogat ob metum imminentis mortis.

65. Verùm petitioni ipsius æquissimæ nullus datus locus ab adversarijs, immaniter conclamantibus: Nolumus jam hos nequissimos Jesuitas huc inducere. Satis es illis jam antè confessus. Itaque Comes Henricus Matthias de Turn apprehensum Comitem Slavatam suæ Dignitatis immemor, lictoris infami officio perfunctus, eorundem parricidarum, qui Comitem de Martinez è Cancellariæ fenestris deturbârunt, manibus tradidit: Nobiles Domini, inquiens, hic habetis alterum. Quem illi pallio similiter involutum, & gladio accinctum ex eadem illa mox fenestra signô Crucis se munientem, pectúsque tundentem, cordéque contrito, *DEUS propitius esto mihi peccatori, & MARIA me hora mortis suscipe*, ingeminante, de terra sublatum, in præceps agere tentârunt. Verùm cum ille fenestram manu fortitèr apprehendisset, capulo pugionis contusis digitorum articu-

Negata facultate ex eadem fenestra post acceptum è lapsu grave capitis vulnus in fossam eandem deturbatur.

culis ab Udalrico Kynschio coactus est, atque ita dum in præceps ruit fenestræ inferiori eminenti lapidi caput allisum, profundum, periculosúmque vulnus accepit, ac demum in terram corruens, in saxum impegit, ac mox absque ulla consistentia, in fossam illam profundam, in quam Comes Martinez inciderat, miserabiliter devolutus est. Altitudo illa à fenestris Cancellariæ ad superficiem usque terræ ampliùs, quàm 28. ulnarum Pragensium, ad fundum autem fossæ 33. esse perhibetur.

Fossæ altitudo.

Hic cum Comes Martinez supra quem Slavata collapsus fuerat, difficulter respirantem animadvertisset, amici charitate permotus, caput ejus pallio obvolutum detexit, evolvitque sanguinémque è capite in fauces defluentem strophiolo abstersit, tum balsami aperta pyxide, quam apud se habebat, nares, tempora, & vulnus ipsum perunxit, eúmque refocillavit, benignè admonens, ut tam gravem afflictionem æquo animo secum toleraret, animámque Deo commendaret; cujus consilijs Comes Slavata acquiescens, rursus brevem illam precaciunculã quinis verbis constantem. *DEUS propitius esto mihi peccatori* quinis vicibus in honorem quinque vulnerum Christi iteravit.

C. de Slavata à Comite Martinez recens deturbato benignè fovetur & ad ferenda fortiter adversa animatur.

Intereà ad fossam in qua fortissimi Heroes isti jacebant, nonnulli ex famulis Dominorum, inter quos erant Venatores, & Haydones Comitis de Turn occurrerant, quos ubi magnates è fenestris prospicientes viderê, conclamârunt: Jaculemini in illos, jaculemini, eosque totaliter occidite. Quorum jussis obtemperantes mox omni ex parte bombardarúm explosio ex ipsis etiam fenestris atrij consecuta est, verùm sub Virgineæ protectionis alis, cui se se tam piè ante commendârant, absconditi, illæsi permanserunt; licèt Comes de Martinez sinistro brachio globum unum exceperit; qui ne quidem indusium penetrare potuit, quamvis modicè brachium ejus attigerit. Quam Dei benignitatem in se bonus Comes attonito similis considerans, exclamavit: *O pie DEUS, ita me invulnerabilem, & immortalem quodammodo!*

Bombardis rursus petiti ambo ope Virginis hostiles machinas eludunt.

Porro inter clamores illos, bombardarúmque explosiones Secretarius etiam Philippus Fabricius è fenestra Cancellariæ deturbatus, illæsúsque sub alis Virginis perstitit, móxque bombardarum ictum extimescens sese ex fossa pallio, pileóque relicto proripuit, domúmque reversus, ad iter Viennam versùs se se accinxit, totius hujus Tragœdiæ seriem Cæsareæ Majestati narraturus.

Philippus Fabricius iisdem à secretis, deturbatur tertius, idémque sub alis MARIÆ illæsus è fossa se proripit, Viennam iter instituit rei seriem Cæsari enarraturus.

Tantæ porro támque frequentes bombardarum in Comites directæ fuère explosiones illæ, ut adversarij interemptos illos jam esse certò sibi persuaderent. Unde aliquibus famulis ad illis opem ferendam accurrentibus obviam facti: Jam illi duo ajebant, mortui jacent, canes mortui non ampliùs mordebunt: Verùm illi paulò pòst Dei ejúsque Matris pijssimæ ope, protectionéque adjuti, se se ex fossa illa, nequidquam sævissimis Catholicæ Religionis frementibus adversarijs, proripuêre. Quibus optimis Comitibus tantis periculis divinitus ereptis, nihil antiquiùs fuit, quàm ut in tanti beneficij gratiarum actionem, accito P. Martino Santino Soc. Jesu, se se Deo, facta peccatorum confessione reconciliarent, & sanctissimo Evcharistiæ Sacramento suscepto, adversùs omnes nefarios Hæreticorum conatus communirent.

Comites ambo pro mortuis habiti se subducunt, & facta confessione sacro epulo se se reficiunt.

66. Neque verò solùm Reges, rerúmque publicarum Principes, verum etiam omnes Religiosorum Ordines, ac Parthenio ejus honori dicata sodalitia, sub umbra alarum candidissimæ hujus Gallinæ conquiescunt, ut per illam à Tartareorum milvorum incursibus protegantur. De Religiosorum Ordinibus, alibi abunde dictum, aliquid de Virgi-

Omnes Religiosi Ordines, & Conventus MARIANI ab hac proteguntur.

neis hisce sodalitijs breviter dicendum.

Ethnicorum templa umbracula & propugnacula olim dicta.

67. Pausanias in Laconicis scribit, Theodorum Samium, qui primus ferrum fundere; & ex eo signa facere docuit, Templum apud Lacedæmonios ædificavisse, quod *Scias* vocabatur; quod est, ac si umbraculum dixeris. Apud eundem, Castoris & Pollucis Templum, ut Leucippæ, ac Dianæ, *propugnacula* appellantur, quæ longè aptiùs de gloriosissimæ Deiparæ sodalitijs dicerentur.

Sodalitia, seu Congregationum Marianarũ odea totidem propugnacula adversùs Cacodæmonem

68. Hæc enimverò adversùs portas Inferi validissima sunt propugnacula ac Turres Davidicæ, de quibus mille Clypei in nostram pendent protectionem, omnis fortium armatura, quæ illius multiplices sunt virtutes, quibus velut cœlesti panopliâ obarmati Acheronteis hostibus reddimur formidabiles. Eadem sodalitia, ænea Minervæ Templa illi simillma, quod ad Chalcidon olim visebatur (de quo Livius lib. 35.) esse videntur adeò, ut verè de illis dici possit ab omnibus, qui Cacodæmonum insidias, atque impugnationes patiuntur:

Hic murus aheneus esto.

Totidem umbracula adversus æstum carnalium desideriorum.

69. Denique hæc MARIANA sodalitia quot quot in quacúnque mundi parte, atque in ipso novo orbe sunt, esse Templum illud *Scias* à Theodoro Samio ædificatum, in Umbraculum, protectionémque hominum, ut ab æstu carnalium concupiscentiarum, omnibúsque tam animi, quàm corporis periculis defendantur, quotidiana docet experientia, dum Virgo Benedicta hujusmodi suos Sodales, magnâ charitatis significatione sub alis suæ pietatis ac misericordiæ in omni discrimine tutatur.

70. Rem memorabilem hac in parte narrat P. Noster Alphonsus de Ovalle in Relat. de Regno Chile lib. 7. c. 17. quæ contigit in Insula quadam illius Regni vocata sanctæ MARIÆ, in qua dum Patres Nostri tanquam Missionarij more Societatis versarentur, varia pietatis instituere exercitia, inter quæ fuit B.V. ad Nives Congregatio inter milites illius præsidij magna animorum conspiratione fundata. Huic datum initium solemnium omnium ordinum deducta supplicatione, festáque bellicorum tormentorum ex arce in lætitiæ signum explosione.

Tormentorum displicentium fragmenta & globi in medium supplicantium incidunt, nec lædunt, ita moderante Deipara.

71. Contigit autem, ut tormentorum Præses, Cacodæmonis instinctu, bellicas hasce machinas, & globis, & nimio pyrio pulvere oneraret, & ad primum Indorum Ordinem ea dirigeret; unde factum, ut subjecto igne tormenta aliqua dissilierint. Quo in periculo incredibilis pientissimæ Virginis eluxit providentia, & charitas. Siquidem per aëra volitantes globi, tormentorúmque fragmenta, absque illius læsione, in medio totius processionis, ita moderante DEIPARÂ, ceciderunt. Atque ut hoc miraculum solius Matris Misericordiæ protectioni adscribendum esse omnes intelligerent; retulit postea quidam Indus fide dignus, qui eo tempore, quo supplicatio per forum deducebatur, se ex edito quodam colle elegantissimam quandam Matronam pretiosissimis simul, ac pulcherrimis vestibus exornatam totâ processione discurrentem, globósque ac ænearum fistularum fragmenta, ne ulli essent nocumento, repellentem conspexisse. De toto hujus rei successu acceptam esse authenticam informationem idem refert Auctor, ex qua facilè perspexêre, casum hunc fuisse miraculosum, ac totum Divinæ Virginis fidelissimæ protectioni adscribendum.

Mariæ [illegible]

72. Notissimum est Salomonis Templum fuisse typum pulcherrimum, figuramque Deiparæ, ut inter alios testatur S. Birgitta lib. 3. c. 29.

ad

ad quod, quicunque quavis in adversitate, sive necessitate supplicâsset, auxilium protectionémque in tempore opportuno reperiebat. Quod sapientissimus Rex attestatus est Salomon, in oratione illa pijssima, quam publicè audiente universo populo ad DEUM habuit; in qua ùt habetur lib. 2. Paral. c. 6. afflictiones ac calamitates, quæ evenire poterant, ùt, terræ sterilitatem, famem, bellorum turbines, captivitates, hostium persecutiones, aliásque hujusmodi tribulationes commemorans, ait, omnes in templo illo contra hujusmodi ingruentia mala protectionem, & à Divinæ iræ æstu umbraculum reperturos, adeò, ut templum hoc his de causis potiori jure *Scias*, hoc est, Umbraculum, quam illud à Theodoro Samio ædificatum vocitandum sit. Unde idem Salomon ibidem ait, Templum hoc vel à longè de via spectatum, ac salutatum, ad bellum proficiscentibus saluti fore, peccatorésque scelerum suorum remissionem consecuturos: *Si egressus fuerit*, inquit ille, *populus tuus ad bellum contra adversarios per viam, in qua miseris eos, adorabunt te contra viam, in qua Civitas hæc est, quam elegisti, & domus, quam ædificavi Nomini tuo; tu exaudies preces eorum, & observationem, & ulciscaris. Si autem peccaverint tibi, & iratus fueris eis, & tradideris hostibus, & captivos duxerint eos in terram longinquam, & conversi in corde suo egerint pænitentiam, & deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes. Peccavimus, iniquè fecimus, injustè egimus, & reversi fuerint ad Te in toto corde suo, & in tota anima sua adorabunt te, contra viam terræ suæ, & Urbis, quam elegisti, & domûs, quam ædificavi Nomini tuo, tu exaudies de Cælo preces eorum, & dimittes populo tuo, quamvis peccatori, Tu es DEUS meus. Aperiantur, quæso, oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem, quæ fit in loco isto.* Hæc Salomon. Ex quibus colligimus, Regem sapientissimum Templum illud verè *Scias* esse divinæque protectionis umbraculum adversùs omnia mala, undequaque ingruentia. Quòd si sola DEIparæ Virginis umbra, ùti fuit Templum illud, adversùs omnes calamitates, ac tribulationes, quæ electum illum populum afficere, vel opprimere poterant, præsentissimum fuit umbraculum, atque præsidium; quantò magìs nobis erit Virgo ipsa clementissima, verè misericordiæ Mater, quæ in protectionem nostram, non tantùm velut candida Gallina; verùm etiam velut Aquila magnarum, multipliciúmque alarum, pennas amplissimas ad nostram defensionem expandit, fulménque in insidiantes hostes vibrat, ita ut vel ipsâ solùm conspectâ contremiscant. Quod sanè fulmen Ego dixerim esse unigenitum DEI Patris Filium, quem ipsa inprimis in utero tum manibus suis gestando, atque amplexando, quid aliud, quàm fulmen in capita inimicorum nostrorum vibrare visa est. Unde hanc fortassis ob causam fulguri Dominus apud S. Matthæum c. 28. semet ipsum contulit. Hinc S. Epiphan. cum fulguranti nubi comparavit lib. de laud. B. V.

Aptè ad rem ipsa verba Salomonis.

73. Quare nihil mirum mihi accidit, cùm visê hac Virgine S. Joannem Evangelistem Apoc. 12. exclamantem audio. *Signum magnum apparuit in Cælo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona Stellarum 12. & in utero habens, & data sunt Mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ.* Quæ sanè visio admirandis mysterijs est plenissima, amplissimámque nobis DEIparæ, quæ totum hoc tutatur Universum, declarat protectionem, ejusdémque misericordiam oculis nostris proponit penè infinitam. Cùm enim ea apud Mathematicos solis sit amplitudo, ut in sphæra sua ampliùs quam 166. terræ globos complecti possit, considerandum unicuique relinquo, quan-

Exponuntur verba Joannis Ap. 12. signum magnum &c. ac præcipue illud: Mulier amicta sole.

Mmmmmmmmmmmmm tus,

tus, quámque longè, latéque patens hic solaris, quo divina Virgo circumdatur, sit amictus; & quanta similirer ejusdem sit, soli comparata, misericordia. Quemadmodùm enim Benedictus ejus Filius, ut Patris sui immensam declararet charitatem, quâ absque ullo personarum discrimine, orbem fovet, ac contegit universum; eam soli comparavit, eamdamque nos imitari voluit: *Ut sitis*, inquiens, *Filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos & injustos.* Matth. 5. Sic Spiritus S. per os Joannis Virginem amictam sole nobis proponit, ut ipsius misericordiæ pallium, quàm amplum, ac longè, latéque patens sit, omnésque absque ulla personarum acceptione complectatur, ostendat. Quemadmodùm enim sol, ubi primùm mundo exoritur, aureâ luce suâ obvia quæque decorat, operítque; nec est, qui se à luce, caloréque ejus abscondat; nisi quis se se sponte cæcis abdat in antris: sic misericordiæ Virgineæ solare pallium, omnes, qui se ab ejus tegmine minimè subducunt, exornat, ac contegit, & à stygia illa Infernalium tenebrionum caligine (quam Ego peccatum dixerim) ne involvantur, defendit.

Ut Sol, Filius, Charitate erga omnes benignus; sic Sol, Mater MARIA.

74. Quisquis igitur tutam, securámque in hoc mundo, & à tartarea peccatorum caligine, quam mortalium mentibus potestates tenebrarum offundere consueverunt, & ab earundem insidijs habere cupit protectionem; ad DEIPARAM confugiat; ipsa suo solari pallio scelerum omnium effugabit tenebras; ipsa velut nubes, in utero Divinum habens verbi æterni fulmen, Cacodæmonum omnes conatus, robúrque prosternet; ipsa denique suis alis aquilinis nos velut infirmos pullos obumbrabit, nósque ad contemplandum sempiternum Justitiæ Solem super altitudinem terræ sustollet, & hæreditate Jacob Patris nostri æviterna cibabit, quæ DEI ipsius visio est beatifica.

MARIA præsentissimum adversus potestates remedium.

75. Quocircà dum inter hujus immundi mundi versamur pericula, totius vitæ nostræ tempora ab ipsis incunabulis ad usque senectam & senium patrocinio hujus tam potentis Dominatricis circumdemus; ne ullus unquam Tartareis hostibus ad nos aditus pateat. Agamus id, quod Melem, primum Sardiorum Regem, fecisse ex Herodoto memorat Causinus lib. 5. Hierog. 71. Hic enim Leonem Filium recens natum circa mœnia circumferri voluit; Unde factum, ut, quacunque parte murorum Civitatis eum circumtulerat, ea facta fuerit inexpugnabilis. Hinc cum à Persis Urbs postea capta est, aliunde irrupisse; alio videlicet ex loco, qui non fuerat Infantis præsentiâ lustratus, perhibetur. Toti ergò omni ex parte in circuitu tutissima Virginis protectione, ut evadamus inexpugnabiles, lustremur, ac circumdemur, si ab infestissimorum hostium irruptionibus tuti esse volumus.

Sub patrocinio magnæ Matris omni ex parte nos recipiamus.

76. Nihil aggrediamur unquam nisi auspicijs, auxilióque MARIÆ, & sicut in Africa nemo destinat aliquid, nisi præfatus Africum, ut Auctor est Plinius, apud Causinum lib. 1. Hier. 70 ita & nos nil animo destinemus, aut proponamus, nisi consulta DEI Matre, cujus tutelæ patrocinióque nos totos commisimus. Unde idem Causinus ad effatum illud Plinij hæc annectit: *Omnes, qui sub tutela sunt Virginis, eámque, ut Dominam Studiosius venerantur, nihil omnino nisi priùs invocato ejus Nomine moliuntur, quo plenior ad Christum pateat aditus.* Unde Bernard. Ser. 2. de Advent. *Virgo Regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens de ipsius utero, tanquam Sponsus de thalamo suo. Per te accessum habeamus ad Filium, O benedicta inventrix gratiæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.*

Sine B.V. auspiciis incipiendum est nihil.

77. Quod

...etatis Je... homines ...lari cu... protegit ...nfirmat ...para.

77. Quod Consilium, licèt omnibus Deiparæ addictis clientulis amplectendum sit, nobis tamen vel maximè, qui dilectissimi ejus Filij Jesu (qui per illam, tanquam per viam, ad nos Salvator, ad salvandum, atque protegendum potens advenit) nomine insignimur. Solet enim illa pro ingenita sibi pietate, ac clementia homines nostros sub hoc nomine ac vexillo Crucifixi Filij militantes, peculiari quadam curâ in adversitatibus, in tribulationibus, Dæmonúmque, mundi, ac carnis tentationibus protegere. Quod quamplurimis confirmari potest exemplis. Unicum commemorâsse, sufficiat, cujus R. P. Elias à S. Theresia Carmelita discalceatus in legat. Ecclesiæ triumphantis lib. 2. c. 31. n. 43. meminit hisce verbis: Quidam Joannes Bapt. in Societate bimestri spatio fuerat, cùm à gravi quadam tentatione ferè superabatur, adeò, ut de abitu è Societate inter semet cogitationes volveret. Et, ecce tibi, Beatissimam Virginem Mariam, & ab uno latere sibi adstantem habere videt S. Petrum, & ab altero S. Barbaram. B. V. eum solabatur, & robur addebat, &, ut vitæ suæ conditioni aquiesceret, exhortabatur (coadjutor enim erat temporalis, ad domestica obsequia receptus) &, ut in ea perseveraret, commonebat; æternam quippe salutem in ea consecuturum. Qua visione erectus, firmiter in ea vocatione perstitit, & alias graviores visibiles Diaboli tentationes superavit.

...um P. ...ni Gut... in quo ...atis Je... pallio ...no ...ta est.

78. Protectionem hanc Societatis ostendit Virgo gloriosissima Patri Martino Guttierio (quem P. Ludovicus de Ponte, ob egregiam in Deiparam Pietatem, appellat ex Stellis splendentibus in ejus Corona, qua etiam S. Theresia in cœlum laureolâ Martyrij coronatum proficiscentem contemplata est) vidit, inquam, protectionem hanc Virginis, cùm, uti, legimus in vita P. Suarij eam aliquando eximiâ admodùm specie, ac majestate fulgentem, veste in augustam latitudinem explicata, ac sub ea Societatem Jesu universam contineri conspicatus est; quam illa Materno affectu complecteretur, eóque quasi Charitatis tegumento calentissimo, utpote ipsius solis, confoveret.

Secura sub hoc pallio in quovis adverso eventu Societas.

79. Quam Divinæ Matris benignissimam protectionem Auctor Imaginis primi sæculi Societatis lib. 1. orat. 6. admiratus, jure merito exclamavit. O propugnaculum securissimum, quo totius Societatis salus, atque incolumitas continetur, O monumentum ita solidum ut moveri, ita stabile, ut quati, ita firmum, ut everti omnium hostium machinis, balistis, vineis, arietibus non possit! Olim, cùm Persarum quispiam de suorum militum multitudine gloriatus, his verbis se jactaret; cras solem obscurabimus sagittis; festivè Græcus quidam: Gaudeo, inquit, sic enim in umbra meliùs præliabimur. Hoc meritò dixerit Societas, Magnificentissimo Partheniæ togæ conopeo obumbrata, securè sine periculo, fortiter sine metu, feliciter sine clade, gloriosè sine dedecore, denique laudabiliter cum triumpho, pugnas Domini pugnabit sub umbra tutelæ Marianæ. Hoc Virgineo plaudamento circumsepta Societas stat, stabitque contra omnes Inferorum furias, Tyrannorum minas, hostium omnium machinationes, & insultus, velut Capitolij immobile saxum: Quemadmodùm enim Deus olim exuberanti Oceano terminos circumscribens plena imperij voce præscribit: Job. 38. 11. *Usq; huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Sic imperâsse videtur Dei Mater: Usque huc ad togam meam videlicet, venies: quasi diceret: cùm ad togam meam, id est, ad patrocinium, quo clientes meos protego, deventum fuerit; hic nimirum detumescent

scent illi decumani in Societatem fluctus, velut in scopulum compacti, hìc immanes undarum moles in spumas abibunt, velut ad rupem allisæ; hìc profligatorum hominum conatus retardabitur, hìc omnis collecta vis improborum retundetur, hic infrementes procellæ velut ad saxum infringentur. Denique Societas hâc Virginis tutelâ protecta, in bello victoriam, in periculo salutem, in mœrore solatium, in fluctibus portum, in morte vitam feliciter consequetur. Quid plura? MARIÆ unius præsidio eam nacti sumus potentiam, ut mala omnia, aut vineamus fortiter, aut finiamus fæliciter.

Deprecatoria Soc. Jesu ad B. V. commendatio.

80. Tandem Apostrophe facta ad DEIparam, fidissimi ipsius patrocinii, atque protectionis alis universam committens Societatem, ita concludit: Tu autem, O Virgo juxta ac Mater, cujus potestas cùm proximè ad DEI immortalis Numen accedat, tanta est, ut ei non desit, neque facultas ad succurrendum, neque clementia ad miserendum, nec ad propugnandum fortitudo; hanc tibi addictissimam sodalitatem ita tua ope defende, patrocinio tuere, auctoritate protege, ut quæ una te Parente nata, Nutrice aucta est; eâdem Patronâ salva, & Advocatâ incolumis, ad multorum salutem plurimis ætatibus conservetur; atque ita secutura posteritas agnoscat, hanc, cui ita studes, & complecteris Ignatij familiam, non tantùm, & esse & dici debere Societatem JEsu, sed etiam Sodalitatem MARIÆ. Denique totam illam orationem pulcherrimo hoc Virginis elogio, velut aureâ coronide, absolvit: Alteram alteri, inquiens, Parenti nostræ inscriptionem lubet ponere, quæ & ipsa ætate perennior gratis animis inhæreat. Ea porro hujusmodi est.

81. Alteri post JESUM Ecclesiæ Præsidi,

Alteri post JESUM Societatis Parenti, Virgini Matri,

Cœli & terræ Dominæ MARIÆ.

Quæ in minimæ Societatis amico Nomine Parvulum suum JESUM gratantes agnoscens, suam tam benigno titulo Societatem communi præsidio texit, patrocinio gubernavit; Cujus potentissimæ in Hostem Tartareum Bellatricis auspicijs in novum Christi militem ipsas ad aras dedicatus Ignatius, quibus præsertim armis mundum vinceret, sui in se victor agnovit. A qua cùm leges ipse sibi scriberet, ac suis, præcipiente, & approbante didicit; quò procedendum esse majoribus quò sequendum minoribus, indicaret. Cujus a Virgineo lacte candidi, iidem qui a JEsu Sanguine rubicundi, hinc Martyres, inde Virgines, utrobique felices sunt socij, quod gemino Matris & Filij Nomine consecrati. Illi ergo Dominæ, illi Matri, in qua velut Arce tutissima qui rerum suarum spem, & tutelam collocat, perire non potest; repetito sæpius Sacramento, & Sodales, & Socij, & cum utrísque Societas Maternis effusa genibus, non uno devinctam se nomine, non uno devotam Numine confitetur. Atque hæc de Virgineæ hujus candidissimæque Gallinæ protectionis alis, quibus & Societatem nostram, suásque Sodalitates Parthenias, nec non Ecclesiam universam tutatur, dixisse sufficiat. Nunc ad alias hujus volucris proprietates considerandas gradum faciamus.

Specialia quædam beneficia in Societatem nostram à Beatissima Virgine collata recensentur.

82. Gallina Symbolum esse videtur pulcherrimum salutis tam animi, quàm corporis; eò, quòd rerum naturalium scriptores, inter quos Ulysses Aldrovandus lib. 14. pag. 276. scribant, tantam unius Gallinæ carnem ad usum medicinæ, hominibus utilitatem præbere, ut nul-

Gallinæ [illegible] medicinæ [illegible] [illegible] multiplex.

nullus propemodum corporis cùm externus, tum internus ſit affectus, qui ex ea non hauriat remedium. Accedit, quod nullus cibus facilioris digeſtionis, & qui melius alat, & non oneret, quàm Gallinæ caro ſit. Doctrinam hanc tradidit Raſes, qui centum annis medicinæ ſtudijs ſe ſe exercuit, diutináque ſua hac experientiâ ſicut alia omnia comprobavit. Hinc antiqui Gentiles ſalubritatis hujus quàm Gallina humanis adfert corporibus, conſcij, eam medicinæ, ſalutíſque Divino Præſide Æſculapio immolârunt. Eam potiſſimùm ob cauſam, quòd nulla ſit in Gallina particula, ex qua medicinæ periti, aliquam utilitatem ad curationem corporum non percipiant. Quod idem Ulyſſes Aldrovandus à partium enumeratione probat luculenter lib. 14. pag. 277. Quæ omnia ſymbolicè intellecta mirificè Divam Virginem nobis repræſentant. Hæc enim ob incolumitatem tam mentis, quàm corporis mortalibus pro ingenita ſibi charitate communicat, à ſancta Matre Eccleſia (in æde potiſſimùm illâ Lauretana, quæ verè humanæ ſalutis Apotheca poteſt appellari) *Salus Infirmorum* invocatur. Nullus enim morbus, quantūvis graviſſimus, ipſáq; Apollinea, atque Machaonia arte incurabilis, nulla tam exitialis peſtis eſt, quæ apud hanc benigniſſimam Virginem, quæ nobis omnium morborum ſapientiſſimum Curatorem ac Medicum peperit, non inveniat Medicinam.

ptè expli- ur in Dei- a.

83. Quod nobis in ejus honorem, & gloriam paſſim excitata Templa conteſtantur, quæ revera humanæ ſalutis promptuaria dici poſſunt; quod in eis paſſim totis parietibus appenſæ tabellæ demonſtrant. Unde Rutilius Benzonius lib. 2. in Magn. c. 22. dub. 7. de his ita loquitur: Multa quoque Templa ab Armigeris, & ab his qui victoriam, beneficia, & gratias à Deipara conſecuti ſunt, in diverſis mundi partibus excitata fuêre; Huc accedat infinitas prope tabellas pictas pro voto à Chriſtianis appenſas in Eccleſijs reperiri ad gratiarum actiones referendas B. Virgini pro beneficijs acceptis. Hic autem uſus appendendi pictas tabellas, vel Imagines ſculptas, aut conflatas argento, vel ære ad memoriam receptorum beneficiorum, viguit quoque apud Gentiles, veluti videre eſt apud Horatium lib. 1. Carm. ad Pyrrham, ubi ſic canit.

empla & hemata iplicia, arum B. ſtes.

Me tabulâ ſacer
Votivâ paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti,
Veſtimenta maris DEO.

84. De eiſdem hiſce tabellis Cic. lib. 3. de Nat. Deorum, & Act. 4. in Verrem facit mentionem. Hinc factum, ut ſuperſtitionem hanc Ethnicam, Chriſtiani in piam Religionem converterint. De hac Chriſti fidelium pietate S. Paulinus Epiſcopus.

Sanctáque præfixis obducant limina laminis.

85. Ubi ipſas laminas ante limina affigi ſolitas, ipſas tabellas pictas, vel Imagines argento inciſas, ad memoranda beneficia accepta à SS. Martyribus appellat. Hujus rei infinita pene habemus exempla, & teſtimonia Laureti, ubi etiam extat tabella oblata, & miſſa ab inſigni viro Mahumetano pro beneficio recepto à B. V. Lauretana: Sic omnis etiam generatio Turcarum, & infidelium commendat, & Beatam prædicat MARIAM.

Fidelium & Infidelium fervor in ejusmodi votivis tabellis affigendis.

86. Medicinam præſentiſſimam, imò veniam infirmitatum omnium eſſe Deiparam oſtendit B. Venantius Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus, cùm cecinit.

O Virgo inſignis, nobiſque medela, monades
Quam DEUS implevit totius orbis ope.

Humano generi genuit, quos Eva dolores,
Curavit genitus, Virgo MARIA, tuus.

Inter quos dolores meritò infirmitates, languoresque corporis, membrorúmque ipsius ægritudines, ùt oculorum cæcitas, aurium surditas, linguæ blæsitas, pedum claudicatio, manuum artuúmque reliquorum dissolutio meritò numeranda est.

87. Quare meritò Pater noster Maximilianus Sandæus Orat. 4. pronunciavit: Estne morbus aliquis, in ulla hominis parte à summo capitis, ad imum plantæ, cui ab hac Diva sospitatrice non sit petitum, præstitumque præsentaneum remedium? O quàm jucundum esset non tam cito pede, quàm volante mente percurrere tot MARIÆ, tanquam morborum omnium Curatrici per Orbem universum erecta Templa, in jisque inspicere, & numerare anathemata, tabellas votivas, cereas Icunculas, sanitatis impetratæ testes; nullius occurreret morbi nomen, quamvìs nostris in partibus incognitum, ab illa malorum averruncatrice non dispunctum.

Morbi multiplices à B. V. depulsi.

88. Quæ Templa sanè jure merito à Christi fidelibus toto terrarum orbe sanctissimæ Deiparæ, ob tot, tantáque beneficia tam corporis quàm animæ liberalissimè distributa, erecta sunt. Si enim olim Lycurgus Rex, ut scribit Pausanias in Laconicis, Minervæ Ophtalmitidi, postquam ab eo latæ leges ipsi minimè placuissent, templum ad Alpium vicum, quo confugerat, ædificavit, timens, ne alterum etiam perderet oculum. Quanto magis Virgini huic sapientissimæ ingeniorum longe præstantiori Præsidi, quàm fuerit Minerva, hujusmodi debentur Templa; quæ non modò corporeos hosce oculos, qui cum muscis, culicibúsque nobis communes sunt, verùm etiam mentis, conservans; eósque suarum virtutum luce, ut pote juxta Nominis sui Etymon, Illuminata, atque illuminatrix irradiando. Cujus fulgentissimæ lucis in Virgine idem S. Venantius Fortunatus nobis ostendit Originem, Incarnatum nempe Verbum, ipsum Justitiæ solem, verámque lucem illam, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum. Sic enim ille concinit:

Meritò templa consecrantur sospitatrici B. V.

Fructu sancta pio renovâsti tempora rerum.
Lucidiórque dies te generante nitet.
Post tenebras solem revocat tuus alvus in orbem,
Cum Domini jubaris te irradiavit apex.
In te habitans mundi lumen statione corusca
Floruit, interiùs per sua membra DEUS.
Nunc vivax fulgor penetrans, & ad ima profundi
Orbem alit, astra tegit, tartara luce replet.

89. Vitali hac, salutiferáque luce ab Incarnato Verbo veluti sole sibi mutuata, mentibus etiam animísque sanitatem pristinam restituit, atque instaurat, adeò, ut quemadmodùm sol & homo generat hominem, sic sol justitiæ, & Virgo ipsa eumdem hominem scelere Protoplastorum perditum, regenerat atque restaurat, omníque Spirituali ægrimoniâ liberat. Unde idem Sandæus: Nec corporis, inquit, saluti magìs, quàm animæ, quæ pluris facienda, consulit: Superbiam illam æque ac cephalalgiam, vanitatem non minùs, quàm vertiginem; iracundiam haud frequentiùs, quàm rabiem; pigritiam non secus, ac lethargum, ignorantiam tam facilè, quàm ophthalmiam &c. depellit, sibique devotum omnibus animæ molestijs liberat. sive intercessione, ac ope exteriùs porrectâ, sive sui ipsius contemplatione, & exem-

Maria animæ medicina.

xemplo, tanquam dilectissimi cibi, & velut è Gallinæ sospitatricis pulpa confecti masticatione; omnis enim ipsius vitæ pars, salus nostra est, infirmarúmque virium instauratio.

90. Et licèt sanctissima ipsius vita, ac virtutes assidua meditatione, quasi Gallinæ masticatæ, pulpa infirmis mentibus afferant sanitatem; affert tamen vel maximè in sacrosancto Eucharistiæ ferculo, in quo non modò Salvatoris ejus Filij, verùm etiam ipsius Virginis nobis caro manducanda proponitur. Unde SS. Patres passim ùt S. Augustinus, B. Arnoldus Abbas &c. dicere consueverunt: *Caro Christi est Caro Mariæ; Caro Christi quamvìs gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de MARIA.* To.9. Ser. de Ass. c.5. quia nimirum sacratissima CHRISTI Salvatoris Humanitas ex carne, purissimísque Virginis sanguinibus, ac visceribus coäluit, & quodammodò cum illa, si ita loqui licet, identificata est. Hinc B. Petrus Card. Dam. Ser. 1. de Nat. B.V. ubi cum docuisset, quatuor modis DEUM adesse creaturis, primò per essentiam tam bonis, quam malis; secundò per operationem, quâ virtus ejus operativa operatur in justis DEI opera. Tertiò illuminatione, qua eosdem suos servos suorum secretorum facit esse participes. *Quartò denique modo inest*, inquit ille, *uni Creaturæ, videlicet Virgini MARIÆ, identitate; quia idem est, quod illa, dum de ejusdem scilicet humana natura, ipsius ex carne, visceribúsque, uti diximus, coagmentata participat.* Quod idem Vir Sanctissimus verbis sequentibus clarius explicat: *Hic taceat, & contremiscat omnis Creatura, & vix audeat aspicere tantæ Dignitatis, & dignationis immensitatem. Dominus Tecum; inquit Archangelus. Habitat in Angelis DEUS, sed non cum Angelis, quia cum illis ejusdem non est essentiæ. Habitat DEUS in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturæ habet identitatem; Quia nimirum, ut loquitur Philosophus in Ethicis, Filius est pars Matris, vel idem cum Matre; ob carnis unitatem, ejusdémque communicationem.* Hinc P. Suarez To. 2. in 3. Par. Dis. 1. Sect. 2. postquam Damiani & Augustini sententijs jam citatis usus fuisset, ad probandum, quòd aliqua substantia Virginei corporis, ex qua fuit Christi corpus in principio constitutum, & postea auctum, quamdiu sanguine, vel lacte Matris nutritum fuit, unita fuerit hypostaticè Verbo Divino, hæc attexuit: *Ex quo potest facilè credi, illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omninò dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam; sed eamdem omninò fuisse semper conservatam Verbo DEI unitam. Quod partim physicâ ratione, partim probabili conjectura fit verisimile. Illa enim substantia carnis ex purissimis Virginis sanguinibus desumpta fuit, & optima disposita & in mediocri quantitate. Rursus in tempore Infantiæ, quia alimentum est facile, & ferè sine resistentia convertitur, parum illius substantiæ per ejus actionem resolvitur, præsertim in Christo, qui temperatissimo, & convenientissimo cibo alebatur, scilicet ubere de cælo pleno, ut canit Ecclesia. De reliquo autem tempore vitæ Christi fit non dissimilis conjectura. Quia totum fuit illud tempus augmenti, aut status, in quo humidum radicale ferè integrum perseverat, nullâ illius resolutione factâ. Probabile denique est speciali providentia, & voluntate ipsius Christi hoc fieri potuisse.* Hæc Suar.

91. Quibus perspicuè indicat, aliquam partem Virgineæ carnis, purissimíque sanguinis suæ Matris dilectissimæ Christum in suo corpore unitam conservâsse; ac proinde, cùm nobis corpus, & sanguinem suum in Evcharistiæ Sacramento ad animarum nostrarum refectionem reliquit, consequitur sanè, nobis quoque aliquid de carne, sanguinísque Matris suo sacrosancto corpori copulatum ad majus nostrum in hac pere-

[Left margin:] ...ec medi- ...n præci- ...confer- ...in epulo ...haristico.

[Left margin:] ...ostenditur ratione ...o CHRISTI ...oco Ma-

[Right margin:] Illa substantia carnis, quam Christus sumpsit ex Virgine, eadem omnino semper conservata fuit, & Verbo DEI unita.

[Right margin:] In Evcharistiæ Sacramento reperitur quoque caro B. V. & sanguis assumptus à Verbo.

grinatione solatium reliquisse. Quod pervenustè nobis insinuâsse visus est Eusebius Emissenus Homil. 1. de Nat. Domini: *Christus*, inquiens, *de carne MARIÆ coagulatus, de ejus formatus visceribus, de ejus substantia consummatus, sanguinem, quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.* Qui profectò sanguis, sicut & caro non solùm ex sanguinibus, & carne immaculata Virginis, in ejus utero, verùm etiam ex lacte, quem infans suxit ex uberibus Matris, coäluit. Atque ita Virgo nostra plurimùm ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, nostrámque spiritualem sustentationem contulisse dici potest; dum corpus illud augustissimum ipsa peperit & nutrivit.

Affectus erga Deiparam, cujus lac conversum est in carnem Salvatoris.

92. Hoc mysterium considerans Cardinalis Damiani supra memoratus Ser. 2. de Nat. B. V. quasi extra se positus, Virgineo amore inebriatus, exclamavit: *O beata ubera quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum & hominum pascunt. Exiguum exprimunt liquorem, & mundi reficiunt Creatorem. Qui sua virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris ubiquè fontibus irrigat, raras de Virgineo pectore guttas lactis expectat. Manat liquor ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris.* Siquidem quodlibet alimentum juxta commune Philosophorum placitum in substantiam aliti convertitur. Cujus rei consideratio SS. Patriarchæ nostri Ignatij ita affecit animum, ut gustum hunc spiritualem, quòd nimirum in mensa Eucharistica cum Divina carne Christi, Matris quoque degustemus, in libellum fructuum ex meditatione rerum sacrarum perceptorum transcribere non dubitaverit. Ad quam veritatem confirmandam P. Didacus de Celada in sua figurata Judith, asserit, quemdam nostrâ hâc ætate eo devotione erga B. V. fuisse progressum, ut disputare non dubitârit: An in Eucharistiæ Sacramento coli & adorari possint MARIÆ quasi superstites reliquiæ, eò, quòd verisimiliter dici id posse ex illa P. Suarij assertione videatur.

Cum carne Christi in Eucharistiæ Sacramento, Matris quoque Beatissimæ degustamus.

93. Qui sanè pientissimus sensus mirificam in nobis erga DEIparam devotionem exacuit, amorem accendit. Quis enim ita ferus, ac ferreus est, ut considerans se purissimo tantæ Matris lacte, quo ipse DEI Filius nutritus, ejúsque caro augmentata est, sustentari, non totus filiali planè amore liquescat, ac fluat? Quare jure merito Christi fideles omnes, ac præcipue Sodales Parthenij, dum ad Mensam hanc Angelicam ad eundam sese accingunt, ac præparant; inter reliquas meditationes, quibus ad reverentiam cultúmque tanti mysterij, dignúmque ad tam divini ferculi accubitum se se disponunt; opere pretium fuerit, hanc quoque considerationem, quòd MARIÆ quoque lacte, ac carne unà cum corpore ac sanguine Filij in hoc cœlesti convivio perfruamur, præmittere; simúlque enixè postulare, & in ipsa Sacra communione, & post ipsam, ut nobis purissimam, suæque quàm simillimam, omnis, præsertim carnalis, labis expertem complexionem, horrorémque ac detestationem peccatorum omnium communicet, ut ita ad imitationem dilectissimi ejus Filij matrizare, ejúsque immaculatos mores imitari videamur. Ex quibus omnibus hactenus dictis colligimus, nos, dum de Christi corpore in mensa Eucharistica participamus, simul carni, & sanguini Virgineo communicare & cœlestem quamdam complexionem, Divinæ Virgineæque facti consortes naturæ, indipisci, & ab omnibus animi languoribus, atque infirmitatibus vel præservari, vel omnino liberari, nobisque id evenire, quod tur-

Dum è Christi corpore in mensa Eucharistica participamus, sed carni & sanguini Virgineo communicamus.

turbis illis contigisse narrat Evangelista Lucas c. 6. *Omnis turba quærebat eum tangere, & virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

94. Hanc ob causam Deus Pater S. Catharinæ Senensi Tract. 4. Dialog. c. 139. De quodam hujusmodi infirmo, peccatore videlicet jam perituro, plurimùm tamen cultui Virginis addicto loquens, Deiparam escam dulcissimam appellavit. Reddens enim causam, cur peccatorem quemdam ab æviterno interitu eripuerit. *Non enim*, inquit, *oblivioni tradiderim amorem, atque reverentiam ejus ad MARIAM unigeniti Filij mei Genitricem gloriosam; Cui concessum est à bonitate mea propter Incarnati Verbi reverentiam, quòd, quicunque justus, vel peccator, qui recurrit ad illam cum devota reverentia, nullo modo diripietur, vel devorabitur ab Infernali Dæmonio. Nam ipsa est à me, velut esca dulcissima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus præcipuè peccatorum.* Nullum enim præsentius antidotum est adversùs omnium peccatorum ægritudines, quàm cibus Eucharisticus, quàm Caro Christi & Mariæ, quæ apud S. Damascenum orat. 2. de Dormit. dicitur *Abyssus gratiæ, & pelagus curationum*; oratione verò 1. de Nat. B. V. vocatur; *Miraculorum Officina, & abyssus, & fons universo orbi medicinam afferens.* Denique ipsa de se ibidem loquens. *Ego*, inquit, *fons perennis curationum.*

95. Quæ Vigineæ carnis, in genus humanum mediante Eucharistia collata beneficia idem B. Petrus Dam. attentè, devotéque considerans, amore Virginis æstuans eumdémque charitatis æstum in nos transfundere cupiens, ita præfatus est: *Hîc, dilectissimi Fratres mei, hoc, rogo, perpendite, quàm debitores simus huic Beatissimæ DEI Genitrici, quantásque illi post DEUM de nostra Redemptione gratias agere debeamus: Illud siquidem Corpus Christi, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit, illud, inquam, absque ulla dubitatione, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & ejus sanguinem, in Sacramento nostræ Redemptionis haurimus.* Tandem ut hoc magis confirmet, addit: *Hoc Catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet.* Proinde omnes humanas laudes tantæ illius munificentiæ, ac beneficentiæ impares esse concludit, ob tanti, támque excellentis doni, quod nobis hoc Sacramento exhibetur, præsentiam. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum. Illum, videlicet, qui de se ipso perhibet: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; si quis manducaverit in hoc pane, vivet in æternum.* Per cibum namque à Paradisi sumus amœnitate dejecti, per cibum quoque ad Paradisi gaudia reparati. Per cibum, quem comedit Eva, nos ipsa æterni jejunij fame mulctavit; Cibum Maria edidit, qui nobis Cœlestis convivij aditum patefecit. Imò, addiderim Ego, & in hac vita carne sua sacrosancta refectionem simul, & salutem tam animi, quàm corporis adeò dulcem suavémque nobis exhibuit, ut ipsa de suo hoc nutrimento sapidissimo dicere non dubitârit. Eccli. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt, adhuc sitient.*

Per cibum Eva nos à Paradiso dejecit, per cibum quoque Maria ad Paradisum cœlestem nos promovet.

96. Quare Virginei honoris Studiosissimus Pelbartus Temisvariensis lib. 2. Stellarij par. 3. art. 2. c. 10. inter 12. beneficia, veluti Stellas 12, Mariæ communicata, pro quibus illa in gratiarum actionem, suum illud pulcherrimum Canticum modulata est, Stellam decimam ait esse fidelium refectionem; de quibus illa in Dominam glorificata est:

Inter Stellas 12. quibus B. V. est redimita, Stella decima est fidelium refectio.

Esurientes, inquiens, *implevit bonis; & divites dimisit inanes.*

97. Ad quod dictum luculentiùs declarandum, cùm hanc sibiipsi

fecisset objectionem: Quid hoc pertinet ad B. V. gloriari, tanquam si in ipsa factum sit, quòd DEUS esurientes implevit bonis. Ita respondit: *Ideò hoc pertinet ad ipsam; quia DEUS ex ipsa sumpsit carnem, & sanguinem; quæ fidelibus præbuit in cibum, & potum salutis æternæ; & per hujus sumptionem replet DEUS omnes esurientes vitam æternam, bonis Cœlestibus, ipso Christo attestante: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & Ego in eo.* Joannis 6. *Idcirco B. V. de hoc gloriatur; quia ex ipsa sumpsit Christus, quod donavit in Evcharistia.* Cùm igitur in Evcharistiæ mysterio carne Virginea, velut Gallinæ, quam salutis symbolum esse diximus, bonis omnibus ad salutem utriusque hominis pertinentibus impleamur, & ab ægritudinibus Spiritûs vel maximè, malisque ingruentibus præservemur; Quis affirmare dubitabit, volucrem hanc Divinæ Matris esse typum, non modò ipsius protectionem, verùm etiam dilectionem beneficámque voluntatem, ac Indolem repræsentantem? ad quam allusisse visus est ille, qui in quodam Divæ Virginis pervetusto altari Gallinam alis suis pullos foventem, ac protegentem cum hac Epigraphe depinxit: *Sic Ego consolabor vos.*

In Pervetusto Altari quodam B. V. picta fuit Gallina alis suis pullos fovens, ac protegens cum hoc Epigraphe: Sic consolabor vos.

98. Illa denique Gallinæ proprietas, omissis alijs, inter quas maximè memoratur fœcunditas, &c. de qua alibi sæpiùs, ac fusiùs diximus, illa inquam Gallinæ proprietas, quod Pulveratrix sit, nobis breviter hic consideranda est, & consideratione hac toti huic discursui manus postrema imponenda.

Gallina Pulveratrix est.

99. Verè Pulveratrix Gallina est Virgo nostra, ob humilitatem profundissimam, suique ipsius despicientiam. Cogitabat illa nimirum, se ex nihilo ortam, & in nihilum redire posse, si manum suam à suo corpore, quod formavit Creator, subducat, & conservare desistat. Unde hujus sui nihili sibi probè conscia, ajebat: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Legêre alij *ταπείνωσιν vilitatem.* Alij *Nihileitatem.* Cogitabat item Virgo, se esse in oculis suis pulverem, ac cinerem; ac proinde dicebat sine dubio coram Domino cum Abrahamo. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis.* Gen. 18. Et cum Davide Psal. 102. *Recordatus est, quia pulvis sumus.* Ajebat cum Jobo denique c. 10. 9. *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem deduces me.* Atque hæc sui pulveris ac cineris, suique nihili consideratio solidissimum in DEIPARA illius profundissimæ humilitatis existit fundamentum. Neque enim ex peccatorum memoria, quæ in nobis gignit, augmentátque humilitatem, humiliare se poterat, cùm nulli unquam labi, vel levissimæ fuerit obnoxia. Sola igitur illa sui nihili, ex quo à suo Creatore fuerat educta, & in quod divino concursu subtracto relabi poterat, contemplatio Divina Virginem ad tam sublimem Divinæ Maternitatis super omnes Creaturas apicem evectam, in illa tam eximia humilitate radicavit.

Deipara dici potest Gallina Pulveratrix ob humilitatem profundissimam.

100. Hanc porro sui nihili cognitionem in primo suæ Immaculatæ Conceptionis instanti Virgo DEIPARA nacta est, ut testatur S. Bernardinus Sen. To. 2. Ser. 51. cap. 3. *Gratia,* inquiens, *primæ sanctificationis, sic in qua eam omni virtute replevit, sic in principio mentem ejus in abysso humilitatis fundavit, quòd sicut nulla post Filium DEI Creatura tantùm ascendit in gratiæ dignitate, sic nec tantùm descendit in abyssum humilitatis profundæ; nec insuper alicui puræ Creaturæ in hoc sæculo est datum tantum præstare Nihilo Creaturæ, nec tantùm se humiliare, & annihilare sub volito Majestatis; quàm illi videlicet quò clariùs cognoscebat, eò profundiùs se se infra omnes mortales abjiciebat.* Unde idem S. Bern. eodem Ser. art. 3. c. 2. attexit: *Affluxit ei aspectus propriæ Nihilei-*

Sui nihili cognitionem in primo suæ Immaculatæ Conceptionis instanti Deipara nacta est.

bileitatis, eò, *quòd continuè habebat actualem relationem ad Divinam Majestatem. Duæ igitur hæ notitiæ DEI videlicet, & sui, Virginem tantæ humilitatis perfectione decorârunt.*

Nulla alia se se humiliandi erat causa in Deipara quam cognitio sui nihili, & Divinæ Majestatis consideratio, atque Filii sui imitandi studium.

101. Nulla enim Virgineæ huic Gallinæ se se pulverizandi inerat causa, quæ alioqui duplex aliis inesse assolet, id est, ut se se ita in pulvere, cineréve volutando scabant quodammodò, ac denique ut Bestiolas infestantes excutiant. Et, quod ad primam causam attinet, quia in Virgine nulla vanitatis, nulla vel levissimæ ostentatiunculæ, aut jactantiæ scabis alicujus, vel alterius cupiditatis erat pruritus, nullâque se se pulvere scabendi erat occasio. Quod ad secundum, quia nullas pravarum cogitationum bestiolas, aut vermiculos unquam mentem illam suam purissimam infestantes habuit; nulla similiter se se in pulvere jactandi, ad hujusmodi cogitationes excutiendas, illi causa fuit. Sola igitur suæ vilitatis, nihilíque sui cognitio, sola Filii in humilitate imitandi cupiditas illam pulveratricem effecit. Hæc denique in consessu illo Apostolico, ad uberiora Spiritûs S. recipienda dona, eam postremum inter Apostolos, imò, & Mulieres (inter quas erat Magdalena, de qua Christus septem Dœmonia ejecerat) locum deligere compulit, ut, quæ Princeps omnium erat Creaturarum, novissima fieret inter mulieres etiam peccatrices.

Si Virgo Deipara velut Gallina in pulvere sui nihili se volutavit, quanto magis id nobis præstandum.

102. Cùm igitur Virgo Deipara adeò humilitatis, exemplo Filii fuerit studiosa, ut se se velut Gallina in pulvere, ac cinere sui nihili volutârit, etiamsi caro ejus nunquam viderit corruptionem, nec corpus ejus sacrosanctum cinerem, aut pulverem vermémve fuerit expertum; nos qui sumus, ut loquitur Job, putredo & Filius hominis vermis, quíque exemplo illius verè dicere possumus putredini: *Pater meus es tu, Frater meus, & Soror mea vermibus*; nos denique, quorum substantia, ut ait David, tanquam nihilum est ante Deum, multò majores longè occasiones nosmetipsos humiliandi, & in abyssum nostræ nihileitatis deprimendi habemus, qui scabie concupiscentiarum laboramus, vermibúsque peccatorum scatemus. Proinde meritò in pulvere, & cinere miseriæ nostræ volutare nos, ac pulverare debemus, ut à cupiditatum pruritu, ac scabie & peccatorum vermibus nos assiduè corrodentibus liberemur. Sæpiùs nobis salutarem illam Matris Ecclesiæ admonitionem in memoriam revocemus: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; & agnoscendo nos pulverem cinerémque esse, & rursus in eadem redigendos, sub potenti manu Dei humiliemur, ut tandem in die visitationis, quando Dominus scrutabitur Hierusalem in lucernis, exaltemur.

103. Sanè in hac mortis recolenda memoria Gentilis etiam antiquitas nobis meritò ruborem incutit, quæ vel in conviviis, inter voluptatis illecebras, in pulvere, ac cinere ad instar Gallinæ se se volutare quodammodò visa est. Nam ut observavit Pater noster Pineda lib. 2. in Job c. 3. n. 15. cùm diuturnior antiquitùs hominum esset vita, mortísque oblivionem conciliaret, sepulchra, mortualésque cineres, vermes, ac pulveres in montibus, ac solitudinibus, campísque constituebantur. Deinde, quodam quasi humanitatis sensu, in viis publicis; ut ita iter facientibus, quasi ex insidiis mortis memoria se offerret. Jubebant enim ad defunctorum epitaphia consistere paulisper viatores, audire salubria monita, in memoriam revocare vitam, & res gestas defuncti, &c. Illud commune omnibus: *Mihi heri, tibi hodie*. Eccli. 38. Postea in viis publicis, sed in proprio cujusque prædio & agro sepulturæ locus fuit, ut videre est Gen. 23. sed di-

Gentilis antiquitas etiam in conviviis, in pulvere ac cinere ad instar Gallinæ se se volutare quodammodo visa est.

Antiquitùs in publicis viis visebantur epitaphia, ut transeuntibus viatoribus revocaretur in memoriam lex ferrea mortis.

distantior adhuc erat hic defunctorum locus, nec ita se pulverantem mortis memoriam sibi fecerant; statuebantur sepulturæ ad ipsas urbium portas, ut fecêre Trojani; quemadmodùm scribit Dares Phrygius lib. de Excidio Trojano, dum dicit, Priamum, Herculem, & Hectorem ante portas, suorum more sepelivisse.

104. Apud Æthiopes verò quidam, ut scribit Herodotus lib. 3. postquam mortuum arefecêre, totum gypso inducebant, picturáque exornabant, referente ejus effigiem, deinde cippum ei ex vitro, quod apud illos multum est, circumdabant, in cujus medio mortuus interlucebat. Cippum hunc propinqui per annum intra ædes habebant, ei omnium rerum hostias, primitiásque afferentes. Inde anno exacto efferebant, & circa urbem locabant, ut mortis memoria, velut murus injectus intra mœnia, Cives in officio contineret. Intimiùs mortis memoria, & pulveratio apud Lacedæmonios penetravit, quibus in ipsa urbe, & circa suorum Deorum Templa sepeliri suos mortuos Lycurgus permisit. Trajanus primus in foro Romæ sepultus fuit. Propius deinde accessêre ad Templa. Nam ex Æthiopibus alii in urnis fictilibus defunctos circa Templa sepeliebant, per quos etiam jurabant. Tandem perpetuam quasi vitæ Magistram mortis memoriam coluisse videntur, qui domi quisque suæ mortuos asservabant. Unde Pomponius Mela lib. 1. cap. 9. mortuos medicatos intra penetralia collocatos fuisse scribit. Persæ quoque cerâ circumlitos, ut diuturni essent, domi condebant. Nasamones, ut crebriùs se in hoc mortuali pulvere, ac cinere volutandi haberent occasionem, jurejurando, ut scribit Herodotus, ac divinatione tali utuntur; per eos viros, qui justissimi, atque optimi apud illos fuisse dicuntur, jurare illorum sepulchra tangentes consueverant. Divinant quoque ad suorum accedentes monimenta, & ibi, ubi preces peragunt, indormiunt, ubi quodcunque per quietem insomnium viderint, eo utuntur, &c.

Æthiopes atque Persæ Domi forísque memorias mortuorum erigebant.

105. Neque verò in domus aliquo angulo, sed in triclinijs, & convivijs mortuales pulveres, ac cineres locum habuerunt; ut ita in corporeæ vitæ nutritione, animam quoque mortis memoria, velut salutari pabulo, sustentarent, & cineribus his pulverisati carnalium illecebrarum, sive pruritum sive vermiculos excuterent. Apud Ægyptios certè circumferebatur lignea defuncti effigies, in quam convivæ omnes respícere jubebantur, atque de sua morte, & bene componenda vita cogitare. Huc respexit Silius Italicus.

In convivijs mortuales pulveres, & lignea defuncti effigies locum habebat, in quam convivæ respiciebant.

Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exanguem haud separat umbram.

Ad hanc mortis memoriam in convivijs recolendam allusisse visus est Martialis in Epigrammate illo, quo Triclinium Domitiani Cæsaris Mica appellatum omnibus refertum delicijs celebravit.

Mica vocor; quid sim, cernis? cænatio parva;
Ex me Cæsareum prospicis inde tholum.
Frange thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo;
Ipse jubet mortis te meminisse DEUS.

Hinc cùm in Trimalcionis convivio argentea mortui effigies, in ipso epularum, deliciarúmque fervore fuisset spectanda convivis exhibita, conclamâsse perhibentur:

Heu! heu, nos miseri, quàm totus humuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus;
Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Alij, dum eadem mortualis larva ad mensam visenda proponebatur, dixisse feruntur. *Ita brevì omnes erimus*; vel: *amici dum vivimus, vivamus.*

Vel

Vel denique illud Isaiæ c. 22. 13. *comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Quæ voces Epicuri de grege porcorum olim fuisse crediderim: cùm enim animam simul cum corpore interire sibi persuaderent corporis brevì in cineres abituri voluptatibus liberiùs indulgendum arbitrabantur.

Hinc Scythæ ad mortis memoriam conciliandam ex hominis cranio potum capiebant.

106. Verùm quid Ego superstitiosam commemoro Gentilitatem, ejúsque in recolenda mortis memoria sedulitatem; cùm primorum sæculorum viros sanctos præ manibus habeamus, qui tanquam Gallinæ assiduæ se se in mortualibus hisce cineribus pulverisare, ac volutare visi sunt. Certè Jacobus Edessenus, & Andreas Masius in cap. ult. Josue, narrant sanctissimum illum Patriarcham Noë, secum nec aurum, nec argentum in Arcam intulisse, sed ossa dumtaxat primi Parentis nostri Adæ, ea inter Filios distribuendo; &, ut quidam voluêre, caput primogenito communicando. Moyses quoque fidelissimus Dei famulus, dum egrederetur cum Filiis Israel ex Ægypto, postposito auro, argento, aliisque rebus pretiosissimis, quibus affluebat Ægyptus, Sola sancti Patriarchæ Joseph ossa secum asportavit, relictis optimis Ægyptiorum spoliis, suis Israëlitis. Cujus rei causam dedit Procopius Gazeus in c. 13. Exod. *Hebræi*, inquiens, *quia carnalia sectabantur, jussi sunt mutuò accipere aurea, & argentea vasa. Moyses eligit viri justi ossa, quæ præfert immensis Thesauris.* Unde Exo. 13. dicitur. *Tulit quoque Moyses ossa Joseph.* Nec mirum cuipiam videatur mortuorum cineres veteribus ad instar divitiarum extitisse; siquidem, ut scribit Abrahamus Ortelius, in Theatro orbis, nationes aliquæ repertæ sunt, quæ non aliâ monetâ ad emendum ac vendendum utebantur, quàm suorum mortuorum ossibus; adeò, ut eorum aurum, argentúmque, atque divitiæ, non aliud, quàm vitâ functorum ossa existerent; Et his locupletior haberetur, qui pluribus hujusmodi cineribus abundaret. Felices sanè, ac verè divites spiritu fuissent hi, si pecuniam hujusmodi pulverariam tractando, mortem assiduè meditando, velut Gallina pulveratrix se se in hoc pulvere, cineréque volutâssent, atque mori didicissent. Quæ doctrina, quam utilis ac salubris sit, ostendit Seneca Philosophus etiam ipso ex Epicuro Epist. 26. *Epicurus ait: Meditare, utrum commodiùs sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam. Hic patet sensus: Egregia res est, mortem condiscere? Supervacuum forsitan putas id discere, quo semel utendum est? Hoc est ipsum, quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod, an sciamus, experiri non possumus. Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet; qui mori didicit, servire dedidicit; supra omnem potentiam est, certè extra omnem. Quid ad illum carcer, & custodia, & claustra! liberum ostium habet. Una est catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ; qui, ut non est abjiciendus, ita minuendus est; ut, siquando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quò minùs parati simus; quod quandóque faciendum est, statim facere.* Hæc Seneca. Ex quibus mira meditationis ultimi nostri ex hac vita exitûs, nobis declarantur emolumenta; inter quæ maximi facienda omninò est libertas animi quæ mortis meditatione acquiritur. Cùm enim durissima servitus sit peccati, ipsâ attestante veritate Joan. 8. 34. *Amen, Amen dico vobis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Is qui mentem animúmque assidua mortis contemplatione exercet, seséque quodammodo in pulvere, cineréque mortuali, velut gallina, pulverisat, volutatque; & concupiscentiæ scabiem, & quoslibet peccatorum vermiculos ex-

Patriarcha [N]oë secum aurum [nec] argen[tum] in Ar[cam] intulit, ossa dun[tax]at primi [Par]entis no[stri] Adæ, ea [int]er filios [dist]ribuen[do].

[Moy]ses reli[ctis] Ægy[ptio]rum [spoli]is Israe[litis], secum ossa Pa[triar]chæ Joseph aspor[tavi]t.

[Nat]iones a[liquæ] reper[tæ sun]t, quæ [non a]liâ mo[neta] ad e[mend]um & [ven]dendum [ute]batur, [quàm] suo[rum] mor[tuoru]m ossi[bus].

Mortis meditatio præservat à peccato, & commissum expellit.

excutiet, & in libertatem Filiorum DEI adsciscetur.

107. Denique ex eadem mortis meditatione mirificos in sanctæ humilitatis virtute profectus faciet, gratiámque divinam, quâ homo nimiùm quantum potens ad resistendum peccatis efficitur, accumulabit, disruptáque illa catenâ, vitæ scilicet amore, qui nos corpori alligatos tenet, liberi, alis Virgineæ nostræ Columbæ, terrenorum videlicet despicientia, & Cœlestium amore, ad beatitudinem æviternam sublevabimur; simúlque experiemur, verissimam esse Principis Apostolorum sententiam. *DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* dum nimirum ejus infusione à peccati durissima servitute eos liberat, sibíque ac Divinæ Matri dilectissimos adoptat in Filios. Cùm enim illa velut Gallina pulveratrix se se in nihili sui pulvere volutando, summè humilitatem dilexerit, maximósque in hac virtute profectus fecerit. Amabit quoque omnes humilitatis studiosos, omnibúsque illos numeris in eadem reddet absolutissimos. Sic enim B. Magdalenam de Pazzis Sanctimonialem, Ordinis Carmelitani insigne jubar, virtutúmque omnium speculum in humilitate erudivit, assumpto ad hoc ministerium sancto Patriarcha Nostro Ignatio, Magistro in sui despicientia excellentissimo, qui ei unacum S. Angelo Carmelitano An. 1594. 18. Decembris in quadam Ecstasi apparens, ut habetur 2. part. ipsius vitæ c. 12. ita locutus fuisse perhibetur. *Ego Ignatius à tui Sponsi Sancta Genitrice sum electus, ut tecum de humilitate tractem ac disseram. Audi igitur verba mea: Humilitas ad instar olei in lucernas novellarum plantarum Religionis infundenda est; quemadmodum oleum vas totum, cui infunditur occupat; ita humilitas, ejúsque vera cognitio animæ potentias; ut, sive in dextram, sive in sinistram partem se se vertant, nihil aliud quàm humilitatem, mansuetudinémque præseferant. Et sicut Lychnus ardere, aut lucere absque oleo nequit; ita novellæ plantæ in Religione splendorem, ardorémve sanctitatis ac perfectionis minimè reddent; nisi quolibet temporis momento hujus virtutis notitiâ imbuantur, in eáque probentur, atque exerceantur; eisdem demonstrando, quantoperè virtus hæc Religiosæ personæ necessaria sit.*

Mortis meditatio virtutum profectum promovet, & gratiam divinam procurat.

B. Magdalenæ de Pazzis Ord. Carmel. in quadam Ecstasi apparuit, docuítque Religiosæ personæ per quam necessariam humilitatem

108. *Hæc porrò nihil aliud est, quàm continua sui non esse, sive nihili cognitio, & assidua delectatio in hujusmodi rebus, quæ nos possunt ad contemptum nostri inducere; ita, ut novella planta suæ animæ potentias hâc virtute bene ordinatas efficiat, in eáque delectetur. Verùm huic curandum est, ut in depressionibus, quæ illi fiunt, sit constans, firma, & immobilis, si hujusmodi Spiritus delectationibus frui desiderat, simúlque meminerit, non aliam ob causam se Religionis assumpsisse habitum, quàm ut despiceretur. Atque, ut Cacodæmon hac in re nullam partem habeat, nutrici spirituali sancta quædam ars adhibenda est, videlicet, ut earum judicium, aut voluntatem doceat submittere, & quæ repugnantiam aut impatientiam præseferunt, illas severè reprehendat, declarétque, hoc in genere in minimis deliquisse, rem esse magni momenti; ita tamen agendum, ut oleum humiliationis infundendo, suavitatis balsamum admisceant; illis benignè declarando, quantopere Divinam Majestatem hujusmodi actionibus honorent, atque venerentur; quot quantósque fructus olim percepturæ sint, & quàm magnæ hujusmodi sui despicientiæ operationes sint; ita, ut humilitatis amore capiantur, nec aliud velint, aut ad aliud, quàm ad virtutem hanc aspirent, anheléntque. Humilitas in exterioribus resplendere debet in omnibus verbis, gestibus, atque operibus; cavendúmque verbum omne, quod humilitatem non sapit; perinde, atque apud sæculares blasphemiæ caveri consueverunt. Caveri quoque debet in Religione gestus quilibet, qui humilitatem non redolet, quemadmodùm in sæculo gestus omnis*

Ut novellæ Religionis plantæ in humilitatis virtute benè radicentur, arte singulari utendum est.

Humilitas in omnibus verbis, gestibus, atque operibus Religiosorum resplendeat, necesse est.

omnis contra honorem, famámque evitatur. Abhorrendæ sunt denique omnes actiones humilitate destitutæ, perinde ac si Rex quispiam Filium suum subulci alicujus vestibus amictum exhorresceret. Tanta, támque magna debet esse humilitas in superioribus, ut cùm reprehendunt, aut exhortantur, aut aliud quid faciunt, non sit illis necesse tunc humilitatis actus exercere.

Humilitas Religiosa ad omnem locum, omne officium indifferens sit, oportet.

109. *Omnes Religiosæ Personæ cum humili indifferentia ita se se gerant, ut eas superiores quemcunque tandem in locum, sive in montem, sive in vallem transplantare possint. Sponsæ Christi in ædificio spiritualis perfectionis sint, sicut, lapides in ædificio Templi Salomonis, in quo ictus, seu strepitus mallei auditus non est. Omnes illæ quæ in sua in hoc ædificium coaptatione, vel os aperuerint, ad Divini amoris fontem deportentur, eóque inebrientur ac consopiantur, ita ut ne mutire audeant.*

110. *Quòd si quæpiam ex Religiosis hisce personis huic perfectæ humilitati repugnaret; exhibeatur ejus manibus Cruci affixus Sponsus, eique ostendatur, quem imitari debeat. Nullo unquam tempore quoad vixerit, ullus ab hac humilitatis exercitatione conquiescat. Et is, qui curam animarum gerit, assiduè illas in hac virtute exerceat, quoad caro & ossa corpori viventi unita permanent; quia virtus hæc scala quædam est tam innumeris instructa gradibus, ut nunquam ascensus noster terminari posse videatur; & hi ipsi gradus multoties frequentandi, ac terendi sunt, actus humilitatis multiplicando. Animæ hac humilitate carentes, à se ipsis exire, seséque abnegare nequeunt; quia in illis millia millium passionū, ut & curiositatū exsurgunt, eisdémque occupantur.* Hæc S. Ignatus; quibus velut perfectissimus sanctæ humilitatis Magister, saluberrimam de præstantissima hac virtute doctrinam brevi compendio, dictante sine dubio ipsa sempiternæ sapientiæ Matre comprehendit, simúlque Religiosos omnes, quanam ratione in sui nihili & vilitatis pulvere, ac cinere ad instar Gallinæ se pulverare, ac volutare debeant, sapientissimè erudivit.

Humilitas exercenda, quoad vivimus.





DISCURSUS VIGESIMUS NONUS.

VIRGO DEIPARA TURTUR PUDICISSIMA.

I.

Joachim & Anna par turturum, unde progenita Virginea Turtur.



S. Joannes Damascenus Orat. I. de Nat. B. V. Deiparæ progenitores sanctissimos, Joachim & Annam, nobilissimum par turturum vocitavit, ita exclamando. *O castissimum ratione præditarum turturum par, Joachim & Anna!* Jure igitur merito Sponsus in amoris Cantico. c. I. Suam dilectam Matrem Turturi comparavit: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis.* Sanctus quoque Joannes Bapt. ob pænitentiæ prædicationem assimilatus est Turturi, ab eodem Sponso, Cant. 2. *Vox Turturis audita est in terra nostra.* Et quæ tandem est vox hæc alia, quàm illa: *Pænitentiam agite, appropinquavit Regnum Cælorum.* Matth. 3. *Joannes* inquit S. Gregorius Nyssenus Hom. 5. in Cant. *Est vox Turturis, clamantis in deserto. Is est præcursor præclari hujus veris, qui ostendit hominibus pulchros flores virtutis, & porrigit iis, qui volunt flores colligere, per quos ostendebat Florem, qui ascendit de radice Jesse, nempe Agnum DEI, qui tollit peccata mundi, & suggerebat de peccatis pænitentiam, & vitem ex virtute degendam.* S. Hieronymus lib. I. contra Jovinianum per Turturem Salvatorem designari asseveravit. *Turtur avis pudicissima,* inquit ille, *semper habitans in sublimibus, Typus est Salvatoris.* Idem sensit Hugo de S. Vict. To. 2. Ser. de Assumpt. explicans verba illa. *Vox Turturis audita est in terra nostra.* Cant. 2. ubi ait, vocem Turturis esse vocem Dilecti, unde Virginem alloquens, ita loquitur: *O Speciosa inter Filias Jerusalem, audisti, vocem Turturis, audisti, & intellexisti. Intus loquebatur, & tu intus eras; ideò. Audisti, & intellexisti: Vox Dilecti mei, Intellexisti enim, quia vox dilecti erat, & de dilectione erat. Non enim intellexisses, nisi dilexisses; quia dilectionis Verbum erat, & non poterat, nisi à diligente intelligi.* Cùm igitur Sponsus Dilectam Turturi confert, ostendit in primis illam à suorum parentum virtute, eximiáque illorum in DEUM pietate, non degeneráffe; sed esse illis per omnia, excepto peccato, in præclarissima naturæ virtutísque Indole quàm simillimam. Ostendit quoque, eam Divo Joanni Præcursori suo in eo non dissimilem, quòd quemadmodùm ille repletus fuit, ex utero Matris, Spiritu Sancto, & in lucem mirificis Divinæ gratiæ ornamentis ab originalis peccati labe expurgatus prodiit: Sic ejus Mater sanctissima à genitali culpa præservata, velut clarissima quædam pulcherrimáque Aurora, puritatis, sanctitatísque splendore radians in orbem introivit. Ob quam cum Diva Virgine similitudinem, crediderim Joannem in utero Matris existentem auditâ vel solâ illius Turturis sibi simillimæ voce dulcissimâ, exultâsse; attestante Diva Elisabetha: *Ecce ut facta est vox salutationis in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* Luc. I. Cùm simile

S. Joannes Baptista comparatur Turturi.

Salvatoris Mundi Typus est Turtur.

le simili, teste Philosopho, semper gaudeat.

2. Ostendit denique Sponsus hâc cum Turture comparatione, suam Divinam Matrem sibi admodùm, non modò in benignissima Naturæ Indole, morúmque facilitate; sed gratiæ etiam donis, charismatísque Spiritus Sancti, in orginali denique justitia, puritate, sanctitate, internáque animi pulchritudine, ac modestia, in genas ipsas, totúmque os redundante, esse persimilem; ita, ut, cùm dicit Sponsus: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut Turturis.* Intelligendus sit suæ pulchritudini, ipsius sanctissimæ Matris venustatem, præsertim verò spiritualem, comparâsse, mirificéque ipsius rectam mentis intentionem DEUM ejusque honorem spectantem commendâsse; Hanc enim S. Bernardus Ser. 40. in Cantica, non carnalem & ad instar flosculorum marcescentem, ait, à Sponso laudatam: *Unde autem ne carnaliter cogites coloratam carnis putredinem, & purulentiam flavi sanguinei ve humoris vitreæ cutis superficiem summatim, atque æqualiter suffundentem, è quibus sibi invicem moderatè permixtis ad venustandam genarum effigiem rubor subpallidus in efficientiam corporeæ pulchritudinis temperatur. Alioqui incorporea illa anima, invisibilique substantia nec corporeis distincta membris, nec visibilibus extat fucata coloribus. Tu verò spiritualem essentiam spirituali, si potes, attinge intuitu, & ad coaptandum propositæ similitudinis schema, cogita animæ faciem, mentis intentionem, ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur. Porro verecundiam intellige, tanquam colorem in facie, quòd hæc potissimùm virtus ingerat, & augeat gratiã.* Cùm igitur Sponsus genas faciémque Virginis Matris pulcherrimam celebret, celebrat simul internam mentis ejus venustatem, intentionémque suæ persimilem, directè in DEUM tendentem, omnésque ejus sanctissimas operationes venustantẽ.

Sponsus Divinus suæ pulchritudini venustatem Deiparæ comparat in Cant. cap. 1.

Non tam corporea à Sponso quàm spiritualis in Deipara pulchritudo laudatur.

3. Quemadmodùm enim humanitas DEI, Virginísque Filius ob assumptam humanitatem nostram fuit Viator simul & Comprehensor; sempérque, dum viveret, nobiscum in hoc mundo clarè faciem Patris æterni, atque intuitivè facie ad faciem contemplatus est, ejúsque in se incomprehensibilem amorem, ac benignissimam voluntatem considerans, ejus se beneplacito conformare, ipsius gloriam quærere, ac desiderare, ut ipsius Nomen Numénque passim toto terrarum orbe celebretur, & amplificetur, studuit: Sic Mater ejus sanctissima, quæ & in primo Immaculatæ suæ Conceptionis instanti, & aliàs sæpiùs, dum inter mortales degeret, ad videndam clarè divinam essentiam elevata est, omni animi contentione connisa fuit, in actionibus suis universis, sive intellectus, sive voluntatis, ut & in reliquis functionibus ad DEUM dirigire, & in eisdem solam DEI majorem gloriam spectare, ut ipsius Divinæ semper magis placerent Majestati. Unde ex hujusmodi frequentatis actibus id demum consecuta est; ut ipsius animæ pulchritudo tanquam novis coloribus indies venustaretur, majoráque semper caperet incrementa, speculúmque quoddam pulchritudinis, Incarnati Verbi efficeretur, & in se Divinam ejus formam repræsentaret, quam intuens cœlestis Sponsus: *Pulchræ*, inquit, *sunt genæ tuæ, sicut Turturis*; quæ Ego sum, cujus pulchritudini intima charitatis conjunctione, assidua mentis in eam intentione assimilata es.

Quemadmodum Verbum Incarnatum in omnibus DEI gloriam quæsierat; ita Deipara unicè eandem intendebat, ex qua intentione orta est pulchritudo.

4. Quam Divinæ speciei similitudinem veluti speculo in se expressam in Virgine, colligere possumus ex eo, quod S. Virgo Theresia in se aliquando, dum orationi operam daret, experta est. Ita enim illa in vita à se conscripta c. 40 *Cùm quodam tempore una cum sororibus Divino officio interessem, anima mea in momento intra se recolligebatur, unde ipsa mihi tota*

S. Theresiæ Divini officii tempore velut in speculi centro in anima sua Redemptor noster repræsentabatur.

pellucidj instar speculi esse, atque tam retro, & ad latera, quàm supra, & infra clarissimè refulgere videbar; In illius autem centro Redemptor noster CHristus JESUS, ea, qua mihi plerùmque conspici solet, formâ spectandum se exhibebat. Videbar illum in omnibus animæ meæ partibus, tanquam in speculo, clarissimè videre; hoc autem speculam (quomodò tamen hoc fieret, nescio) etiam totum in eodem Redemptore exsculpebatur, idque amorosissima quadam, quam exprimere non valerem, communione. Hoc scio, visionem hanc mirum in modum mihi profuisse, quoties illam in memoriam revocavi, ac præsertim, postquam jam Sacram Evcharistiæ communionem accepissem.

Eidem B. Virgini indicabatur, in anima peccatrice hoc speculum obscurari.

Indicatum porro mihi fuit, cum anima in lethalis peccati statu est, tunc speculum hoc velut spissâ quadam nebulâ obscurari, & valde nigrescere, adeò, ut Dominus hìc in eo nec repræsentari, nec videri valeat; tametsi præsens semper adsit, ipsum esse nobis dans.

Ex amissione hujus imaginis in anima peccatrice, colligitur perfectio ejusdem in B. Virgine.

5. Quòd si quavis lethali culpa anima nostra, & ipsa Divina Imago in ea repræsentata obfuscatur, suúmque illum nitorem ex gratiæ cœlestis splendoribus redundantem amittit: Qua luce, DEus immortalis! animam Virginis Matris, quæ abyssus gratiarum extitit, resplenduisse, quàm clarè Imaginem sui Creatoris, in quam in momenta singula intentionis suæ defigebat obtutum, repræsentâsse existimandum est.

B. Virgo Sponso cœlesti interna mentis pulchritudine similis effecta est.

6. De mutua fortassis hac formæ cum Dilecto suo similitudine, Virginea hæc Sponsa Mater in Canticis c. 6. gloriata fuerit, cùm dixit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Similis videlicet est in interna mentis, DEum assiduè spectantis, pulchritudine. Quæ verba ponderans S. Nyssenus Hom. 15. in Cant. ait, *ostendisse Sponsam se primigeniæ Pulchritudinis simulacrum effectam esse, hoc est, primæ illam pulchritudinem, quæ in Creaturis reperitur, venustatis fontem in se se velut in tabella depictam repræsentâsse. Quemadmodùm is,* inquit ille, *qui in tabella picturam videt accuratè ad Archetypum conformatam, unam utriusque formam esse pronunciat, imaginísque pulchritudinem ipsam esse Archetypi dicit; & Archetypum in simulachro clarè conspici: Eodem modo hæc etiam, quæ ait: Ego cognato meo, & cognatus meus mihi, pulchritudinem suam conformatam ad Christi exemplar dicit; posteaquam naturæ nostræ primam beatitudinem recuperavit, quæ ad Imaginem similitudinémque Principis, unica veraq́; pulchritudinis ornata erat. Ac velut speculum artificiosè & ad usum aptè comparatum, puram in superficie incidentis faciei formam, seu characterem accuratè refert: sic postquam anima se ipsam aptè disposuit, omnémque vitæ hujus labem detestata est, puram incorruptæ pulchritudinis speciem sibimetipsi imprimit; quare voluntarium hoc, animatúmque speculum potest dicere: Postquam toto orbe mei cognati, seu Dilecti, faciem intueor, per hoc ipsum tota formæ ipsius venustas in me conspicitur.* Hæc Nyssenus.

Inter omnes virtutes maximè resplendent in B. Virgine castitas & pudicitia, unde merito turturi comparatur.

7. Et licèt in genis hujus nostræ Virgineæ Turturis, omnis virtutum Divinissimi illius Turturis forma resplendeat; resplendet tamen vel maximè pudicitia, castitas, verecundia, atque modestia, quæ illam mirificè gratam cœlesti Sponso reddidère. Harum enim virtutum Symbolum Turtur est, de qua Naturales scriptores varia prodidêre. Ælianus lib. 10. de animalibus c. 33. Turturem avem esse castam, externique & alieni conjugii minimè avidam: sed cum sua tantùm misceri, quacum Societatem primùm inierit, conjuge dicitur: Cæterùm audio ab his, qui hujusmodi rerum cognitiones scrutantur, Turtures etiam albas non rarò apparere. Bartholomæus Angelicus lib. 12. de propriet. rerum cap. 34. ait: Turtur avis casta ex moribus appellatur, eò quòd Comes sit castitatis; amisso enim pari suo alterius copulam non requirit; solitariè incedit, memor Societatis perditæ semper gemit, loca solitaria diligit, &

Turtur Castitatis est Symbolum.

& eligit, consortiáque horum valdè fugit; vernali tempore advenit; & novitatem instantis temporis querula voce prodit: Caro Turturis est levior, & acceptabilior ad digerendum. Sanguis ejus alæ dexteræ est medicinalis. S. Bern. Ser. 40. in Cant. *Turtur*, inquit, *pudica avicula est, & conversatio ejus non cum multis, sed solo degere fert contenta compari; ita, ut si illum amiserit, alterum non requirat; sed sola deinceps conversetur.* Bapt. denique Mantuanus lib. 2. Parthen. naturam Turturis ita descripsit.

Sicut, ubi amisso thalami consorte per agros
Sola volat Turtur, nitidisque nec innatat undis,
Ne Comitis prisci tristetur imagine visa:
Nec viridi posthac fertur considere trunco.

8. Ex quibus omnibus eximias illas virtutes paulò antè memoratas per Turturem designatas intelligimus, quæ in Dei Matre mirificè reluxerant, eandémque venustârunt: Unde Rupertus Abbas lib. 1. in Cant. Sponsum hunc, elogium illud pulcherrimum ita interpretantem inducit: *Pulchritudo tua pudicitia est, quæ multùm apparet, & spectabiliter lucet in genis tuis; quia non foris vagaris oculis, sed sicut solivaga & avis castissima Turtur, solitudine delectaberis; & solitariam te Angelus invenit atque salutavit. Non ita sunt pulchræ genæ Mulieris, qualem sapientia notat; Ornatu inquiens meretricio præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis. Verùm ut taceam de hujusmodi, pudicarum certè omnium Virginum, viduarum atque continentium pudor sive pudicitia, religiositas atque verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est pudor, non est, aut vix meretur dici pudicitia.* Cujus dicti pientissimi hujus Abbatis causam illam esse crediderim, quòd, licèt reliquæ hominum Filiæ castæ sint, pudicæ sint, verecundæ sint; hæ tamen Deiparæ comparatæ, quæ Virginitate illibata, & ab omni labe peccati, vel levissimi etiam originalis liberata, Deum mundi Salvatorem genuit, nec castæ, nec pudicæ, nec verecundæ dicendæ sunt, quia nulla earum, aut Virgo fœcunda extitit, aut quæ alicui peccati maculæ salutem originalis, aut venialis obnoxia non fuit. Hinc B. Petrus Card. Dam. Serm. de Assumpt. B. V. illius puritatem cum reliquarum sanctarum animarum, imò & Angelorum munditia conferens, eam esse dixit, quæ inter stellas, Lunam, solémque in illorum splendoris comparatione esse consuevit: *Quid Luna pulchriùs*, inquit ille, *cum Stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum syderum splendorem excedit? Considera quàm Stellaris, & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti syderis superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuscet! Sic & Virgo inter animas sanctorum, & Angelorum choros superèminens, & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit; quantumlibèt aliæ stellæ reluceant; Luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore: sic utramque naturam Virgo singularis exsuperat, & immensitate gratiæ & splendore virtutum.* Sic ille de Luna cum stellarum luce comparata: De sole verò ita cum aliorum syderum luce comparationem prosequitur: *Electa ut Sol. Hanc attende*, inquit ille, *similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Sponsus in visibilibus Creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multò enim altiùs aliquid habet claritas solis, quàm lunæ, quia etsi illas minores Stellas obscurat, non tamen penitus occultat; hic verò lucidiùs incandescens ita sibi syderum & Lunæ rapit positionem, ut sint, quasi non sint, & videri non possunt: Similiter & Virga Jesse veri prævia luminis*

B. Virgo Sanctos sanctásque omnes in Puritate superat.

B. Virgo ob Puritatis excellentiam Lunæ & Soli comparatur.

Uti Sol sydera reliqua; sic B. V. excellentiæ suæ luce SS. omnes exsuperat.

in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorúmque spirituum habebat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. Hæc Damianus, quæ mirificè Ruperti sententiam de puritate, atque pudicitia illibatæ Virginis respectu aliarum Mulierum, illustrat. Verè enim illæ ad instar stellarum ad conspectum hujus Virginei, animatique solis, qui solem illum immensum nobis justitiæ protulit, nec possunt nec debent apparere.

B. Virginis Puritas maximè in Annunciatione emicuit.

9. Etsi autem pudicitia & verecundia semper in Virgine totius ipsius vitæ decursu eluxerant; eluxerunt tamen vel maximè in ipsius Annunciatione, in qua ad insolitos viri affatus, expavescens, novisque auditis laudibus hærens attonita, roseo rubore suffusa est, ut meritò illi Spiritus S. sibi in ejus spirituali pulchritudine complacens dixerit. *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut Turturis.* Inde S. Ambrosius de hoc pudicitiæ, verecundiæque proposito ita loquitur, in cohortatione ad Virgines: *Considera, quanta fuerit MARIA, illa te doceat, quid sequaris. Angelum in specie viri vidit, & pavebat corde; peregrinabatur aspectu. Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris, Secretum est.* Et rursus lib. I. officiorum c. 18. de eisdem Virginis virtutibus ita loquitur: *Est verecundia pudicitiæ Comes, cujus Societate castitas ipsa tutior est. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur, adstruit; quòd in cubiculo, quòd sola, quod salutata ab Angelo tacet, & mota est introitu ejus, quòd ad virilis sexûs speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis.* Hæc Ambrosius; quæ sanè omnia animam pudicissimam, castissimámque ac verecundam Turturem fuisse Virginem ostendunt.

10. Opportunè porrò elogium hoc Virginei pudoris, ac pudicitiæ præcedenti, ubi equæ, juxta 70. Interpp. versionem, comparatur, subtexitur: ne cupiam ulla libidinis suspicio, audito equæ nomine, in mentem veniret. Quod etiam observavit Psellus: Hac ne, inquiens, Sponsam affici contumelia putes, quòd perspicuè equæ similis esse dicatur, audi, quod deinceps Sponsus dicat: *Quam pulchræ sunt genæ tuæ, sicut Turturis.* Quam Virginis tum puritatem, tum verecundiam hoc encomio à Sponso laudatam tres Patres, Nyssenus, Maximus, & Nilus apud Theodoretum agnoverunt, dum dicunt: Mirum in modum profectò pulchræ sunt factæ genæ tuæ, quæ ad similitudinem Turturis verecundiam, & continentiam amplectuntur. Doctor Angelicus genas Turturis, pudorémque ingenuo rubori sociatam ad horrorem peccati transtulit: *Genas*, inquiens, *Turturis, genis Sponsæ comparat, quia in genis maximè verecundia apparet, & per hoc pudor, ac verecundia Sponsæ ostenditur, quia erubescit aliquid fœdum, & quod Sponso suo displiceat, perpetrare: Et est sensus, noli timere, ne vageris per greges Sodalium, quia tanto te amoris mei pudore, & tantâ verecundiâ donavi, ut certus sim; te non posse deserere, vel ad alienos deflectere.*

Verecundia B. Virginis ex genis turturis docetur.

11. Eamdem Virginis pudicitiam, vitámque contemplativam Turture designari S. Ildephonsus Ser. de Purificatione B. V. ostendit dum redemptionem Domini in Templo Turturibus pullisque Columbarum factam contemplatur: *Non autem vacat à mysterio*, inquit, S. Antistes, *quod hæ volucres maximè in Sacrificio Domini offerri jubeantur. Nam per has quisque mundanus in lege expiari præcipiebatur. Columba enim simplicissimum est animal, & à fellis amaritudine alienum. Turtur verò castitate præeminet adeò, ut si casu proprium perdiderit, deinceps alium non requirat conjugem. Quòd Dominus has aves sibi in Sacrificio præcipiebat offerri, significabat se Sanctorum castissima simplicitate, quasi gratissimo delectari*

Per turturem etiam B. Virginis Pudicitia & vita contemplativa ostenditur.

ctari Sacrificio. Notandum etiam, quòd utraque hæc avis gemitum pro cantu edere solet; significans geminam sanctorum in hoc sæculo plorationem, qua tam pro reatibus suis deflent, quibus ad liquidum, quamdiu hic sunt, carere non possunt; quàm pro ea, quòd diutius à Regno differuntur. Quòd verò Columba gregatim incedere solet, Turtur autem solivagus est; per columbam activa vita, quæ multorum est communis, per Turturem verò contemplativa, quæ paucis est imitabilis, designatur. Sic ille. Pudicitiam hanc verecundiámque Deiparæ per Turturem figuratam ostendit Venerabilis Richard. à S. Laurent. lib. 5. De Laud. B. V. dum enim illud encomium ejúsque mysteria expenderet: *In genis*, inquit, *mulieris notatur candor, decor, rubor & verecundia; quasi diceret Sponsus: Pulchritudo tua interior comparabilis est proprietatibus genarum, & proprietatibus Turturis. Genæ Turturis pilos non habent, sed plumas, quæ nullum aquarum vestigium retinent, & juvant ad volatum; & in hoc notatur; quòd MARIA perfectè renunciavit omnibus mundi superfluitatibus per pilos designatis. Munditia etiam cordis, & decor virtutum possunt notari, quibus illa volavit super pennas ventorum, super omnes ordines Angelorum in Assumptione. Dicitur etiam B. V. in genis speciosa, sicut fragmen mali Punici, propter nitorem pulchritudinis naturalis, verecundiæ Virginalis, eximiæ charitatis, & patientiæ singularis, propter candorem innocentiæ, Virginitatis & immortalitatis, ac denique propter peccati immunitatem.* Hæc Rich.

...B. Vir-
...per
...is ge-
...mon-
...r.

12. Pudicitiam denique pudorémque Virgineum per genas Turturis commendatum fuisse in Deipara, declarat Dionysius Richelius art. 5. in Cant. ad elogij illius paraphrasin: *Virginem, præsertim adolescentulam condecet pudor. Itaque castus pudor, verecundia sapientialis, non puerilis; erubescentia sancta, non anxia & mundana; sic abundabant in pectore summæ Virginis, ut & in roseo ejus vultu resplenduerint, ejúsque genas corporeas pulcherrimè venustârint. Non procax, audax, aut garrula, sed taciturna, timorata, & verecunda extitit optima Virgo, instárque Turturis Soli DEO in Secreto intentissima fuit.*

Puritas B. Virginis singularis fuit, quia similis puritati Filii Dei.

13. Puritatem hanc porrò pudicitiámque Virginis ea potissimùm de causa singularem prædicamus, quòd Divinissimi illius Turturis, nempe Filij Dei, persimilis extiterit. Quemadmodùm enim illius puritas ita illibata, ita sancta, ac munda est; ut tamen sit fœcunda, Divinissimum cum Patre æterno Spirando Spiritum, qui ipsa sanctitas, ipsissima puritas est: Sic pudicitia Virginalis Deiparæ, fœcunditati sociata, puritatis, gratiarúmque omnium fontem mundo protulit. Unde non immeritò singularem hanc gratiam Virginitatis cum fœcunditate copulatam ait Richardus à S. Laurent. lib. 3. de laud. B. V. *esse gratiam super gratiam nulli hactenus concessam, nec imposterum concedendam. A sæculo enim non est auditum*, inquit, *quòd aliqua Mulier, exceptâ Mariâ, DEO dicere potuerit, cum DEO Patre, Filius meus es tu. Et ecce, hoc sub sole novum est, quidquid contra dixerit Salomon.* Eccles. 1.

14. Quare meritò id in laudem Virginis celebrare possumus, quod Siracides Eccli. 26. 19. pronunciavit: *Gratia super gratiam, Mulier pudorata & Sancta.* Verè enim Virgo nostra Turtur pudorata, pudica, ac sancta, id est, pura, ab omni scelere libera, ipsáque sanctitas atque incontaminata munditia extitit. Pudicitiæ enim ac sanctitati pudor, atque verecundia connexa ut plurimùm esse consuevit, utpote virtutum omnium perfectio. Unde idem Richardus lib. 4. de laud B. V. *Notandum*, inquit, *quòd verecundia propriè non est virtus; sed status, & perfectio omnium virtutum & maximè in mulieribus commendatur.* Unde Ecclesiasticus c. 7. postquam dixit: *Noli discedere à muliere sensata: subdit quasi exponens, quid sit* Mulier sensata:

Verecundia est virtutum omnium perfectio, & cum jisdem est donum gratiæ.

In B. Virgine semper hæc verecundia permansit.

Gratia enim verecundiæ ejus, id est, *gratiosa verecundia ejus super aurum*; Melior videlicet omni auro. Item verecundia propriè donum gratiæ est; hanc Eccli. 32. *Ante verecundiam præibit gratia.* Hæc verecundia eluxit, in Virgine, tam in Angeli ad ipsam ingressu, quàm etiam, cùm quadam die loqui volebat cum Filio; domum, in qua loquebatur, intrare, vel sermonem ejus interumpere non præsumpsit; Sed *foris stans* reverentur expectavit. Marc, 3. Quare B. Ambosi. lib. ad Virgines loquens: de B. V.: Cùm ea semper singularum virtutum pudicitia Comes irremota mansit; quia omnino pudor individuus Virginitati esse debet; sine quo rectè castitas vera servari non potest. Idem Pudor individuus esse debet Virginitati, sine quo non potest esse Virginitas; item Comes Virginitatis & quasi collactanea ejus est humilitas; cujus signum est Verecundia Virginalis, cum æquali conjunctione, & nomine verecundiæ. Virginitas enim semper pudor dicitur. Animæ verecundiam non habenti dicitur: Jeremiæ. 3. *Frons Mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.* Difficilè enim servatur castitas, ubi verecundia non habetur. Tandem, ut ostendat in Deipara cum pudicitia indissolubili vinculo Sociatam fuisse verecundiam ita concludit: *Nunquam igitur B. V. sine pudoris sui custode processit: Propterea, quæcunque Virgo sibi ab ea optat præmium, & implorat auxilium, debet imitari exemplum. Ideò hanc imitamini moribus, sequimini charitate; & ita securè poteritis ejus auxilium implorare. Ad hoc enim Christus Matrem elegit Virginem, ut ipsa esset omnibus exemplum castitatis, de qua velut Speculo refulget forma virtutis.* Ita verè Richar.

B. Virgo ut verecundiam pudicitiæ connexam conservâret, rarissimè processit in publicum.

15. Hujus verecundiæ, individuæ pudicitiæ sociæ quia Turtur nostra semper studiosissima fuit, intra domûs penetralia se se continebat nec facilè procedebat in publicum, nisi cùm Templum Domini erat adeundum Quod nobis attestatur S. Ambros. lib. 2 de Virginibus. *Prodire*, inquiens, *domo nescia, nisi, cùm ad Ecclesiam conveniret, & hoc ipsum cum parentibus, & propinquis; domestico operosa secreto, Forensi comitatu stipata; nullo tamen meliori suo custode, quàm se ipsâ.* Tum paucis intercalatis. *Quid, quòd annis quoque omnibus ibat in Jerusalem solemni die Pascha, exibat cum Joseph. Ubique in Virgine Comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse Virginitati, sine quo non potest esse Virginitas. Nec ad Templum igitur MARIA sine pudoris sui custode processit. Hæc est Imago Virginitatis.*

In Annunciatione verecundia pudicitiæ sociata.

16. Idem Doctor sanctissimus lib. 1. in Lucam illa Verba: *Est ingressus Angelus ad eam, dixit*: miram verecundiam pudicitiæ virginali sociatam deprehendit, ad ejúsque imitationem Virginis adhortatus est: *Disce* inquiens, *Virginem moribus, disce Virginem verecundiâ. Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere omnes viri affatus vereri. Discant Mulieres, propositum pudoris imitari; Sola in penetralibus, quam nemo Virorum viderat, solus Angelus reperiret; sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depravaretur affectu, ab Angelo Salutatur.*

Optimè decorat Virgines rubor verecundiæ.

17. Quare nullus color ita venustare Virginum faciem censendus est, atque rubor ille, quem incutit verecundia. Unde præclarè S. Nazianzenus contra vanas Mulieres: *Unicus color in Mulieribus amabilis est, nimirum rubor ille, quem parit pudor.* Hinc colorem hunc veteres, *colorem* dixêre *virtutis.* Hinc Macrobius lib. 1. Saturn. c. 6. à Romanis prætextam, quæ murice sive purpura tincta erat, pueris concessam fuisse scribit, ut ex purpuræ rubore admonerentur pudoris ingenui, qui maximè Adolescentiam condecet. Hinc apud Gentiles vere-

recundia summo in precio atque honore perinde, atque aliquid Divinum ei inesset, habebatur; de cujus laudibus Valerius maximus lib. 4. c. 5. hæc memorat: *Hæc Justissimis viris præcepit, ut privatas facultates negligerent, publicas quàm amplissimas esse cuperent.* Digna, ut perinde atque Cœlesti Numini extruantur Templa, aræque consecrentur; quia parens est omnis honesti consilii, tutela omnium solemnium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore, favorabilem præseferens vultum. Quæ sanè omnia longè aptiùs de Virgineo pudore, ac verecundia Sacratissimæ DEIparæ dici possunt.

Apud Gentiles verecundia summo erat in honore.

18. Sicut & illud Senecæ Epist. 11. ad Lucilium: *Verecundia bonum in adolescente signum est*: Unde S. Ambros. lib. 1. de officiis: *In Adolescentibus verecundia, velut quædam naturæ dos, commendatur, & est prima disciplina. Hæc in ipso corporis motu, gestu, & incessu tenenda est; habitus enim mentis in statu corporis & vox quædam est animi, corporis gestus vel motus. Ideò pulchra virtus est Verecundia, & gratia suavis, quæ non solùm in factis sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ut nec modum egrediaris in loquendo, nec quidquam indecorum resonet in sermone. Speculum namque mentis plerumque in verbis refulget.* Quæ omnes verecundiæ laudes mirificè in DEIpara emicuere, eámque amabilem omnibus reddidêre. Præclarè enim pronunciavit Quintilianus. lib. 8. de Instit. *Nihil est ad conciliandum animos gratiùs verecundiâ.* Unde factum, ut quicunque modestiam DEIparæ, ingenuúmque illius pudorem contemplaretur, incentiva in eo libidinum extinguerentur, contra verò amor sanctæ pudicitiæ accenderetur.

Laus verecundiæ.

B. Virginis verecundia contra libidinem remedium.

19. Unde meritò Religiosissimus Pater Bernardinus de Bustis par. 2 Marial. Serm. 5. condit. 9 admirabilem illius verecundiam, cum eximia pudicitia sociatam, considerans, exclamavit: *O verecundissima DEI Sponsa, tu non fecisti sicut multæ nostri temporis Virgines nuncupatæ, quæ in portis manentes vel per plateas terrásque vagantes, vultus hominum inverecundè aspiciunt; juvenes libenter alloquuntur, cum eis rident, ludunt &c. Sed tu Virgo honestissima demissis in terram oculis incedebas, & adeò eras verecunda, ut non solum aspectum hominum, sed etiam Angelorum, quando tibi in humana specie apparebat, erubesceres.*

Verecundia B. Virginis laudatur singulariter.

20. De hac modestia ac verecundia Viriginis, pudicitiæ copulata, audiendus hic Venerabilis Dionysius Richelius lib. 3. de præcon. & dignit. B. V. art. 13. *Quia purissima atque incomparabilis Virgo ab omni impudicitia immunissima atque remotissima erat, non immeritò pudicissima perhibetur, simplicem ubique Columbinum habens oculum, tactúmque ab omni carnis contagione serenissimum. Et quia modestia exteriores actiones respicit, in his tu sancta sanctorum summè matura, compositáque extiteras, nempe in omni, quod agebas delectabilis, amabilis & gratiosa fuisti. Tibi namque verissimè dicitur, quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis. Neque enim unquam sine causa manum, pedémve movisti; non levis, non dissoluta, non pigra, non tædiosa fuisti, sed, ut omnia interiora tua, gratiâ, virtutibúsque erant plena; sic utique in cunctis quoque exterioribus factis summè exemplaris, penitúspue ordinata extiteras; erátque suave atque amœnum, te in universis contueri, tibíque convivere, tecúmque commorari; quoniam interior decor, exteriùs resplendebat.* Sic ille.

B. Virginis verecundiæ descriptio.

21. Tandem modestiam pudorémque DEIparæ pudicissimum similitèr descripsit. Petrus Galatinus Ord. Seraphici lib. 7. de Arcanis Cath. Relig. c. 5. ubi excap. 61. Isaiæ: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdabit me.* Probat DEIpa-

Modestiæ & Pudoris B. Virginis descriptio.

param Sponsam exultâsse in Deo salutari suo, quod indumento Justitiæ Originalis ei persimilis, qua indutus erat Jesus, ita undique fuerit circumamicta, ut genitalis illa sanctitas, in omnia ejus membra, ac sensus etiam exteriores redundârit, eámque ita composuerint, ut, quemadmodum loquitur S. Ambrosius, *ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis.* Librans porrò Verba illa Galatinus: *Circumdedit me chlamyde Justitiæ*, illius circumdationis reddens rationem, ita loquitur: quia omnia ipsius Virginis membra, ad verticem capitis, ad ungues usque pedum, omnésque sensus & cogitationes animæ imperio absque ulla repugnantia obtemperabant; Usque adeò quidem, ut ejus oculi nihil inhonesti, nihil illiciti unquam aspexerint: Imò, ut nunquam vel oculos elevaverit, sicut cœteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuerit, nisi dum oraret. A quo inter Cæteras perfectiones eo spiritu prophetiæ donata est, ut si fortè aliquod illicitum vel auditura, vel visura esset, ejus aures ac oculi clauderentur; itaut non nisi voluntati Deiparæ deservire videretur: Quocirca ait: Et chlamyde justitiæ circmdabit me, undique & ex omni parte vallavit me. Hæc Galat.

B. Virginis modestia & pudor omnibus admirabilis extitit.

22. Hinc factum ut Deiparæ modestia, pudórque Virgineus fuerit omnibus admirabilis, atque ineffabilis, adeò, ut S Joannes Damascenus Orat I. consideratis hisce ejus virtutibus pronunciârit: *Saluto te MARIA, dulcissimum Annæ pignus. Quonam modo gravissimum tuum incessum exprimam? Quonam modo amictum, quonam modo oris tui venustatem, senilem in juvenili corpore prudentiam! honestus vestitus mollitiem omnem, ac luxum fugiens, gressus gravis, & sedatus atque ab omni mollitie remotus; mores severi, atque hilaritate temperati. Ita comparata eras, ut ad te nullus viri accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato Angeli colloquio incidisti. Parentibus morigera, & dicto obediens, animus humilis in sublimissimis contemplationibus, sermo jucundus ex leni anima progrediens; denique quid aliud, quàm DEI domicilium! Denique meritò te prædicant Beatam omnes generationes, ut eximium humani generis decus, ac præstantiam fœminei sexûs, cujus revera maximè ob modestiam hanc, pudorémque Virgineum eximia venustas ac singulare meritò dicenda esset ornamentum.*

Ejusdem descriptio.

Similibus pene coloribus modestissimæque Virginis effigiem depinxit ex Epiphanio Nicephorus Calistus lib. 2. c. 23. Erat in rebus omnibus honesta & gravis, pauca ad modum eáque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis honorem suum & venerationem omnibus exhibens. Decenti dicendi libertate adversùs homines usa est, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maximè. Erat denique fastus omnis expers, simplex, miniméque vultum fingens nihil molliciei secum trahens; Sed humilitatem præcellentem colens. Et, ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia.

23. Hæc denique pudicitiæ ac verecundiæ virtus adeò venustè, adeò mirificè in Deipara relucebat, ut velut gemma in aureo diademate, velut sydus in corona illa stellarum duodecim, quæ Virgineum verticem decorabat, in illa refulserit. Audiendus de hoc pulcherrimo illius ornamento S. Bernardus ser. de verbis Apocal. *Gratissima sanè gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat, quòd hac caruerit gratiâ, quæ gratiâ plena? Pudibunda fuit MARIA; ex Evangelio id probamus; ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui Filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua Filius loquebatur. In omni* deni-

Verecundia singu[illegible] cum [illegible] in B. Virgine relucebat.

Ex Evange[illegible] probamu[illegible] quàm pu[illegible] ca & pa[illegible] verbis [illegible] B. Virgo

denique sensu quatuor Evangeliorum, *si bene meminimus, non nisi quater loquens MARIA auditur.* Tum paucis intercalatis ad virtutem hanc imitandam nos exhortans ita concludit: *Obsecro vos, Filioli, æmulamini hanc virtutem, si MARIAM diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus; nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximéque Monachum nihil adeò decet.* Hæc Bernard.

De pudore Virgineo pudicitiáque Turturis nostræ abundè dictum hactenus, nunc de solitudinis ejusdem amore ac viduitate, ut aliquid dicamus restat.

B. Virgo [m]entis solitudine delectabatur, [co]ntemplatur cœlestia; unde [fr]uctus inæstimabiles virtutum omnium promanavit.

24. Ex eodem Bernardo supra retulimus, Turturem & vivente compare, & eo quoque amisso, delectari solitudine, ac silentio, quæ proprietas mirificè congruit DEIparæ, quæ cùm Regina Esther, cujus hæc typus extitit, verè dicere poterat. Esth. 14 3. *Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuva me solitariam, & cujus præter te nullus est auxiliator alius.* Hæc porrò in Virgine solitudo maximè mentis fuit, qua illa à rebus humanis ac terrenis expedita, solam se ad contemplanda cœlestia Angelicis sociata choris, qui illi tanquam Reginæ assistere, ac ministrare consueverant, summa animi applicatione tradiderat. Unde factum ut ad reliquarum gratiarum cumulum, omni virtutum decore floresceret, & Terra hæc deserta, & invia germinaret sicut lilium, evaderétque hortus conclusus, ac deliciarum DEI amœnissimus Paradisus. Unde de hac Virginis solitudine floridissima vaticinatus fortassis fuerit Isaias cap. 35 *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi Lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem DEI nostri.* Hæc porrò gloria Libani, decor hic Carmeli, & Saron, ut & decor DEI nostri aliud nil est, quàm æterni Patris unigenitus, ex communi ferè Patrum attestatione. Hic enim in hac terra solitaria uteri Virginalis plantatus divinitus fuit, terræ hujus desertæ, ac inviæ, hujus solitudinis flos, ac lilium, hic decor Carmeli, & Saron. Unde Isaias rem hanc tanquam incredibilem toti mundo considerans dixit c. 53. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Quodnam porrò sit brachium Domini, sequentibus verbis declaravit, cum mox attexuit, & ostendit: *Sicut Virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti;* sicut enim per *terram sitientem,* sive, ut legunt alii; *Inviam*, intelligitur Virgo DEIpara; ita per Virgultum, ac radicem intelligitur humanatus DEI Filius de trunco magnæ illius, Regalisque Arboris populi Israëlitici ad instar radicis, sive Virgulæ in terra deserta, ac solitaria, omni penè rerum humanarum ad vitam tolerandam necessariarum penuriâ atque paupertate laborantem, plantata, prodeuntem, totam penitus arbori illi à Nabuchodonosore visæ contrarium; de qua Regum Regnorum potentia designatur, Daniel. cap. 4. *Videbam*, inquit, *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor & fortis, & proceritas ejus contingens Cœlum; aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ, &c.* Unde cum Divinum hoc germen, Cœlestis Paradisi deliciæ, ac gloria Domini, decorque DEI nostri, de hac terra deserta ac invia prodierit; quid mirum, si germinârit ad instar lilij, bonorúmque omnium affluentia redundârit, cùm ipsum summum, ac omne bonum Creatorem ipsum, à quo veluti à perenni fonte bona cuncta procedunt, sinu suo complexa fuerit;

In B. Virgine utpote terra solitaria plantatus est flos & fructus immensus, incarnatus nimirum DEI Filius.

25. Quod si vita solitaria in exercitatione actuum intellectûs, ac voluntatis circa DEUM summum bonum versatur, ut docet Dionysius Richelius lib. de vitæ solit. laud. art. 1.

B. Virgo singularis vitæ solitariæ cultrix & amatrix extitit, à primo Conceptionis instanti usque ad mortem quæ amoris erat vehementia.

ita, ut homo DEUM penitus cognoscat, eum agnoscendo diligat; atque ita his piissimis actibus se se exercendo divinam Imaginem, similitudinémque initio Creationis nobis impressam reformet, séque ad primum rerum omnium principium reducat; eique, quoad hæc exulum vita patitur, inseparabiliter adhæreat; consequitur sanè, Divam Virginem solitariæ vitæ cultricem planè singularem extitisse, cùm præclarissimis hisce actibus à primo Immaculatæ suæ conceptionis instanti, in quo sapere, DEumque clarè videre cœpit, ad finem usque vitæ ita se se exercuit, ut amoris vehementia ex communi gravissimorum Theologorum asseveratione, utì alibi ostendimus, ex vita excessisse perhibeatur. Quare ejusdem Dionysij vitæ solitariæ definitio aptissimè sanctissimo vivendi modo sacratissimæ Virginis nostræ congruit: *Solitaria vita*, inquit ille, *est conversatio ab humana Societate abstracta, & Soli DEO, quantùm humanæ fragilitati possibile est, intenta, ad plenam assimulationem cum DEO, prout in hac vita fieri valet, finaliter ordinata.* Quæ enim Creatura, ita se se à rebus caducis abstraxit, & ad soli DEO vacandum se se impendit, quæ denique Creatori suo intellectus, affectúsque assiduis exercitationibus, nunquam vel somno interruptis, animum suum ita excoluit, uti Augustissima hæc Cœli Regina?

Vitæ solitariæ definitio

26. Quare S. Bernardus pudicissimam hanc, solitariámque Turturem meritò omnibus solitarijs, silentiíque amantibus ad imitandum proposuit. Postquam enim commendationem illam eximiam Sponsæ præmisisset: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut Turturis*; Et simul proprietates hujus aviculæ, solitudinem amantis, ac gementis, explicuisset, hæc attexit: *Tu verò, qui hæc audis, ut sanè non otiosè audias ea, quæ scripta simul propter te, & nunc propter te versantur, & disputantur; tu, inquam, si ad istius modi Sponsus incitamen moveris, & inardescis, da operam, quomodo animam tuam facias Sponsam DEI, stude ambas speciosas habere has genas tuæ intentionis, ut imitator castissimæ volucris, sedeas secundùm Prophetam solitarius, quoniam levabit te supra te. Omnino supra te est, Angelorum Domino desponsari. An non supra te, adhærere DEO, atque unum spiritum esse cum eo? Sede igitur solitarius sicut Turtur; nil tibi & turbis, nihil cum multitudine Cæterorum, etiámque ipsum obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. O sancta anima, sola esto! ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat. An nescis, te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam, præsentibus cæteris. Secede ergò, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed Spiritu. Spiritûs enim faciem tuam Christus Dominus, Sponsúsque requirit, non corporis solitudinem; quamquàm, & corpore interdum te separa, cùm opportunè potes; præsertim in tempore orationis; tenes etiam in hoc, & mandatum Sponsi, & formam. Tu, inquit, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora. Et quod dixit, fecit. Solus in oratione pernoctabat, non modo se abscondens è turbis; sed nec ullum quidem discipulorum, nec ullum domesticorum admittens. Denique tres secum intimos sibi adduxerat; cùm ultro properaret ad mortem, avulsus est ab ipsis, orare volens. Ergò, & tu fac similiter, quando orare volueris.* Ac ne de sola, ac nuda solitudine corporali Bernardum loqui intelligamus; quid de solitudine Spirituali huic socianda dicat, audiamus. *De cætero sola indicitur tibi mentis & Spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites; si non affectes præsentia; si despicias, quod multi suspiciunt; si fastidias, quòd omnes desiderant; si jurgia devi-*

B. Virgo omnibus solitudinem amantibus imitanda proponitur.

Solitudinis commendatio ex S. Bernardo.

Solitudo spiritus corporali socianda

devites; si damna non sentias; si non recorderis injuriarum. Alioqui nec, si solus corpore es, solus es. Vidésne posse esse te, & solum, cùm inter multos; & inter multos, cùm solus es! solus es, in in quantacunque hominum verseris frequentia; tantum cave, alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius Judex. Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum; magis autem ex causa; Excusa intentionem, si opus non potes, &c.

...t Spiritûs ...itudinem ...sequa... r, eique ...leamus, ...detur.

27. Ad eamdem Spiritûs solitudinem amplectendam supra citat. Dionysius Richel., art. 5. nos invitat, & ad perfectionem in ea consectandam hortatur: *Prudens viator inquiens, pergens per iter obstaculis periculisque plenum, & crudelissimis, callidissimísque hostibus circumvallatum, tum grandi pergit formidine, circumspicit undique & quo tendat, assiduè recordatur. Ita & tu solitariè in hoc nequam sæculo peregrinans, in hoc loco horroris, & vastæ solitudinis, in quo est serpens flatu adurens, ac scorpio degens, contra quem invisibiles hostes fremunt, tabescunt, & mille modis insidiantur, ac præliantur; esto coram DEO jugiter formidolosus ac pavidus, in omnibus circumspectus, omni virtutum armaturâ munitus, ad bella Doctissimus, ac semper paratus. Solitariæ vitæ finalem perfectionem oculis tuæ mentis propone incessanter. Adverte, quantùm ad eam appropinquâsti, quantúmque distes ab ea, acutissimè intuere, perpende, inquire, considera. Non desistas proficere. Quidquid boni usque in præsens egisti, pro modico reputa, ita, ut nihilum parvi pende; tibi nil inde attribuendo, nisi quod admixtum est mali, &c.* Denique ad finem capitis, ut ostendat Spiritûs solitudinem tibi maxime cordi esse debere; ita concludit: *Postremò quidquid ad hanc perfectionem obtinendam expedit, adverte, exequere, sede solitarius ab exterioribus quiescendo, téque in cunctis humiliando, & tace non solùm à silentij fractione, omnique oris loquacitate cavendo; sed intus quoque à strepentibus cogitationibus, inquietis affectionibus, imaginationibus phantasticis penitus abstinendo; & leva te super te, contemplando Divina, æmulando charismata meliora, atque in assiduam perfectionis considerationem cordis tui intuitu affectū defigendo.*

28. Et quia noverat, solitudinem multis Cacodæmonis tentationibus esse expositam, DEIparæ Virginis post DEUM, contemplationem, & cum hac Virginea solitariâque Turture societatem, unicuique suadet solitario, ut ita illius exemplo solitudinem adamet, perfectione, velut clypeo adversus Tartareorum hostium tela communitus, portis Inferi evadat formidabilis. Proinde eodem lib. de laudibus vitæ solit. art. 29. Cui titulum hunc præfixit: *Quod electissimam, & incomparabilem Virginem DEI Matrem jugiter contemplari, delectabiliter intueri, & post DEUM summè venerari debemus*, de illa ita loquitur: *Infinita bonitas, charitas, & liberalissima pietas DEI exuli, ac indigentissimo generi humano in hoc exilio copiosissimè providere, ac subvenire dignata est. Nempe quia indigni, & inepti eramus, per nos ipsos immediatè ad DEUM mentis immensæ accedere, ejusque nos vultui præsentare, quem tam dirè offendimus, & cui per nos ipsos plenè reconciliari nequimus providit, & contulit nobis Mediatorem efficacissimum, atque pijssimum nostræ naturæ, mortalitatisque consortem, ac participem. Verum quoniam iste Mediator non solùm est Salvator, atque Miserator pijssimus; sed etiam Judex justissimus, cujus humanitas DEItati in unitate personæ conjuncta est, per quod ejus humana affectio miro modo DEIficata est, id est, Deo facta conformissima, divinæq; justitiæ assimilatissima; unde non modo syncerissimè diligendus, verùm etiam vehementissimè nobis metuendus est. Idcirco indigemus etiam persona mediante, advocante ad ipsum pro nobis, quæ sit prorsus misericordissima, omnino pijssima, atque dulcissima, imò in viscera charitatis & benignitatis totaliter quasi conversa, & affluentissimè transformata. Hoc au-*

Cùm solitudo variis Dæmonis sit exposita fallaciis, docentur, qui solitariam vitam vivere volunt, ut cum B. Virgine in solitudine Societatem adament, ejus exemplo solitudinem diligant.

Sicut Christus est Mediator apud Patrem, ita MARIA est mediatrix à pud Filium pro nobis.

tem est unica illa, quam Pater æternus Unigenito & superdulcissimo Filio suo in veram Matrem præparavit, quam supermunificentissimè Spiritus S. tantâ gratiæ exuberantiâ, tantâ puritate, sanctitate, perfectione, ac sapientiâ adimplevit, uti decuit ejus genitricem, à quo & ipse Sponsus æternaliter verè procedit. Hæc est, quam sapientissimus DEI Filius ab æterno sibi elegit in Matrem. O gloriosissima Domina, purissima Virgo, dignissima Mater, MARIA dulcissima, in quanta celsitudine, felicitate, & gloria cerno te positam; ecce enim, O omnium creaturarum felicissima! Ecce, tu, es Patri æterno verè comparentalis, eundem numero Filium cum illo habens. Tu unigeniti DEI Filij es excellentissima Parens, tu singularissimum tabernaculum adorandi Paracliti Spiritûs S. & Mater illius, à quo ipse emanat. Tu beatissimæ Trinitatis familarissima es amica, summa Secretaria; imo & totius Regni & gloriæ ejus consors amantissima. His aliisque quàm plurimis præmissis elogijs; tandem solitarios præsertim ad ejus cultum, venerationem extimulat: *Hinc itáque felicissimam Dominam nostram, Mediatricem, Miseratricem, Matrem, & Advocatam nostram, & post DEUM unicum nostrum refugium, per quam DEUS vult nos desuper obtinere, quidquid ab ipso adipiscimur virtutis & gratiæ. Hanc, inquam, post Deum serventissimè diligamus, reverentissimè veneremur, devotissimè invocemus. Tum quia DEUS eam fecit talem, ac tantam; tum quia honor Matris est honor Filii ejus, ac DEI Patris. Tum quia in se ipsa talis, ac tanta est, tum quia per eam tot, & tanta bona sortiti sumus, & indesinenter suscipimus. Tum quia ejus miseratione, ac ope incessabiliter indigemus. Tum quia denique in Regno Cœlorum ejus præsentia, & aspectus tam ineffabiliter auget accidentale præmium Beatorum. Ideo ipsam assiduè laudemus, & salutemus; ejus beatitati præcordialiter congratulemur, in ea, & per eam benedicamus, laudemus & gratias referamus Altissimo, qui omnipotentiam suam, & omnem charitatem, munificentiam, pietatem, & sapientiam suam tam excellenter declaravit in hac optima, atque incomparabili MARIA. Et toties glorietur cor nostrum, quoties ejus reminiscimur. In ipsa post DEUM sit jugiter, ac præcipuè consolatio nostra. Horas illius devotè, ac hilariter dicamus, de ipsa devotissimè celebremus. Tu verò Optima Domina, Misericordissima Advocata, Affectuosissima Mater, nos incessanter tuere, adjuva, rege, conversa, deduc, & perdue ad portum salutis æternæ.* Hæc Dionys.

Elogia Virginis beatissimæ.

Solitarii præcipuè venerationi, ac cultui B. V. studeant.

29. Ex quibus facilè colligere est, quantum ipse vitam solitariam in sacro illo Carthusiensium degens ordine, ad hanc Virgineam Turturem, unicum solitariorum post DEUM solatium, affectus fuerit, quam studiosè coluerit, quam ferventer dilexerit, & quantum ab omnibus solitarijs eamdem coli, ac diligi desiderârit; si vitam beatam illam, ac Cœlestem in hac vita delibare, si cellam nobis Monasticam in Cœlum empyreum commutari desideramus; si deníque in hoc sancto vitæ Religiosæ ac solitariæ proposito confirmari, ac stabiliri desideramus; verè enim nihil æquè mentē in Deo fundat, radicat, ac stabilit, nihil ita ob irruentiam tentationum, cacodæmonúmque impetu animum defendit, ac protegit, atque fidelissimum patrocinium Virginis; Unde S. Ephræm Syrus Serm. de laud. B. V. *Monachorum, ac solitariorum stabilimentum* DEIparam appellavit.

Monachorum ac solitariorum stabilimentum Deipara.

30. Ipsa nimirum facit, *ut Eremus*, quemadmodum loquitur idem Dionys. ar. 32. *Sit Paradisus deliciarum, in quo tanquam redolentium species pigmentorum, ac fragrantium flores aromatum, spirant odoramenta virtutum. Facit ipsa, ut in solitaria atque Eremitica vita rosæ charitatis igneo rubore flammescant, lilia castitatis niveo splendore candescant. Facit ipsa, ut in solitudine myrrhæ perfectæ mortificationis abundet, thus assiduæ orationis emanet. Facit ipsa, ut Eremus sanctarum delectationum gustûsque intimi inexhausta sit dulcedo.*

Deipara devotè culta facit, ut eremus sit Paradisus deliciarum, & bonorum omnium abundantia.

Fa-

Facit ipsa, ut eadem Caminus ille sit Chaldaicus, in quo sancti pueri vires ferventis incendij orationibus reprimant, & ardore fidei crepitantium flammarum globos extinguunt; ubi & nexus comburuntur, & ardorem membra non sentiant; quoniam & peccata in eo solvuntur, & in hymnum laudis Divinæ anima provocatur. Facit ipsa, ut cella spiritualis exercitij mirabilis sit officina, in qua anima sui Creatoris in se restaurat Imaginem, & ad suæ Originis redit puritatem. Facit ipsa denique, ut cella mors sit vitiorum, fomes & vita virtutum.

[...]olitariæ vitæ amatores Virgineam Turturem fideliter ament, ut Paradisum experiantur in [...]remo.

31. Quocirca omnes solitariæ vitæ amatores Virgineam hanc Turturem ament, colant, atque venerentur ipsius eximiam pudicitiam, ingenuámque verecundiam, districtum silentium, assiduámque rerum Divinarum contemplationem, quâ in Deum intellectu, affectúque absorpta, interni hominis Imaginem Divinam renovando, ab omni rerum humanarum caducarúmque amore abstracta, Cœlestem beatitatem degustabat, imitentur. Sic enim fiet, ut vitam quantumvis sensualitati, inferiórique homini asperam, Spiritui tamen dulcem, amabilémque vivant, omnibúsque Tartarei hostis fraudibus, insidijs atque impugnationibus evadant superiores; déque omnibus Orci phalangibus hujus potentissimæ Reginæ patrocinio (velut castrorum acje ordinatâ protecti) gloriosissimum triumphum reportent; ìnque ipsius fidelissima protectione jucundissimum, hìc adhuc in terris dum vivunt, Paradisum, deliciarúmque hortum in Eremo, imò salutis tranquillissimum portum reperiant.

[...] Ephræm [...]orificis [...]lis salu[...] Deiparam

32. Quocirca eam S. Ephræm, Solitariorum omnium formam atque exemplar Serm. de Deipara, identidem ita Salutat: *Ave MARIA terrigenarum omnium oblectamentum. Ave Paradise deliciarum totius amœnitatis, atque immortalitatis. Ave lignum vitæ, gaudium ac voluptas. Ave portus tranquillissime, & à fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. Ave periclitantium opitulatrix.*

Turtur amisso compare varia mœroris signa præsefert.

33. Ultima proprietas Turturis est, quòd amisso compare varia mœroris, tristitiæque signa, omnia, quæ delectare possent, respuendo, præseferat. Quæ sanè proprietas, mirificè in Virginea nostra Turture, tum in triduo mortis dilectissimi sui Filij, Sponsique suavissimi, tumpost ipsius in Cœlos profectionem, ad extremam usque vitæ suæ periodum, eluxit. Unde ipsa apud S. Birgittam lib. 2. Revelat. c. 21. recensens, quanam ratione dilectissimus ejus Filius de Cruce depositus fuerit, de hoc suo mœrore ita loquitur: *Qualem autem tristitiam tunc temporis habui; non est, qui valeat dicere: Eram enim sicut Mulier pariens, cujus omnia membra post partum tremula sunt; quæ licèt præ dolore vix respirare possit, tamen gaudet interius, quantum potest; eò, quòd scit Filium suum natum, in eumdem miseriam, de qua exivit, nunquam rediturum. Sic Ego, licèt morte Filij mei eram incomparabiliter tristis, tamen quia scivi Filium meum non amplius moriturum, sed in æternum victurum, gaudebam in anima mea; & sic tristitia mea quadam lætitiâ admiscebatur. Verè dicere possum, quòd sepulto Filio meo, quasi duo corda in uno sepulchro fuerunt. Nunquid non dicitur, ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* De hoc suo mœrore ob amissum suum comparem eadem Turtur gemebunda apud eamdem S. Birgittam lib. 6. Revelat. c. 24. Comparat se personæ cuipiam, quæ coram magna hominum multitudine à primis annis usque ad mortem ingenti onere prægravata, plena dolore, lacrymisque incederet, & auxilium ad tantum pondus humeris exantlandum exposceret: *Talis ergo eram*, inquit Divina Virgo, *nam Ego plena fui tribulatione à Nativitate Filij mei ad ejus mortem. Ego in dorso meo portavi magnum onus, cum Divino labore jugiter*

Quali mœrore afflicta fuerit in triduo mortis Filii sui, recenset Deipara S. Birgittæ.

ju-

instabam; & omnia mihi advenientia portabam patienter. Inter brachia mea tolerabam onerosum pondus, cùm tribulationem, & dolorem cordis super omnem Creaturam patiebatur. Ego habui oculos meos plenos lacrymis, quando considerabam in membris Filij mei loca clavorum, futurámque ejus passionem: Et, cùm viderem in eo omnia compleri, quæ audiebam à prophetis vaticinata. Sed nunc respicio ad omnes, qui in mundo sunt, si forte sint aliqui, qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum; & valde paucos invenio, qui cogitant tribulationem, & dolorem meum. Ideo Filia mea, licet à multis oblita, & neglecta sim, tu tamen non obliviscere mei; unde dolorem meum, &, quantum potes, imitare. Considera dolores meos & lacrymas, & mihi condole; quia pauci amici DEI sunt.

Deipara die resurrectionis solatur Birgittam, quia filius Benedictus die resurrectionis suæ primitùs se spectabilem præbuit Matri, & solatus est illam.

34. Hæc de tribulationibus ac doloribus, quibus Virgo Diva totius vitæ decursu ad mortem usque, ac sepulturam Filij toleravit, quos eadem Virgo lib. 6. Revelat. c. 94. appellat incomprehensibiles. Cùm enim redderet rationem S. Birgittæ, cur potissimum die resurrectionis eam consolari in suis tribulationibus voluerit, eam præcipuè attulit; quòd tali die benedictus ejus Filius secundùm multitudinem dolorum ejus in corde suo, consolationes ejus lætificaverunt animam suam, sibique ante omnes reliquos se se in Gloria videndum exhibuerit, illámque mirificè exhilaraverit. Verba ipsius DEIparæ sunt hæc: *Mihi verò, quæ sum Mater DEI, cùm post mortem ejus incomprehensibili dolore mæsta essem, apparuit idem Filius meus, priùs, quàm alijs, & palpabilem se mihi ostendit, consolans me, ac commemorans se in Cœlum visibiliter ascensurum. Et quamvis hoc non est scriptum propter humilitatem meam tamen ista est rei veritas; quòd Filius meus resurgens primò mihi apparuit; quàm alicui alteri. Nunc ergo, quia Filius meus tali die, sicut hodiè consolatus est me, ideò Ego hodiè, & deinceps minuam tentationes tuas & docebo, quomodo resistendum est eis. Tu enim miraris, cur tentationes accrescunt tibi in senectute, quas nec in juventute, nec in conjugio experta es. Respondeo tibi, quod hoc fit, ut scias, te nihil esse, nec posse sine Filio meo, & nisi Filius meus servasset te, non esset aliquod peccatum, quo non fuisses involuta; ideò do tibi contra tentationes tria remedia. Cùm sordida tentatione pulsaris, dicito: JESU Fili DEI omnium Cognitor, adjuva me, ut in cogitationibus vanis non delecter.*

Deipara dat S. Birgittæ tria remedia contra tentationes.

35. *Cùm verò te delectat loqui, dicito, JESU Fili DEI, qui coram Judice tacuisti, tene linguam meam, donec cogitem qualiter, & quid loquar. Cùm verò delectat operari, aut quiescere, aut comedere, dicito: JESU Fili DEI qui ligatus fuisti, rege manus, & omnia membra mea, ut opera mea tendant ad bonum finem, & hoc tibi sit signum, quia ab hac die servus tuus, id est corpus tuum, in Dominam, id est, in animã tuã, non prævalebit.* His denique cùm DEI famula in oratione tentaretur, addidit Virgo benignissima ad eam solidè consolandam Verba hæc: *Diabolus est velut explorator invidus, quærens accusare, & impedire bonos, ne in orationibus suis divinitus exaudiantur; propterea quacunque tentatione tentaris in oratione, nihilominus ora, & conatum ad orandum adhibe, quòd desiderium, bonusque conatus reputabitur pro affectu orationis. Et si sordida menti advenientia ejicere non poteris, tunc conatus ille reputabitur tibi pro corona, dummodo tentationibus non consentias, & sint contra voluntatem tuam.* Hæc DEI Mater.

Si quis in oratione tentatur, major ad eandem adhibendus est conatus.

36. De gemitibus porro pudicissimæ Turturis nostræ, tam in morte, quàm in sepultura dilectissimi sui comparis scripsere Viri Religiosissimi Ordinis Seraphici Ubertinus Casalius, & Pelbartus Temisuariensis. Et ille quidem lib. 4. Arboris vitæ cap. 25. ita illam sub cruce dolores acerbissimos Filij contemplantem, ac deplorantem introducit: *O Crux dura, & crudelis in tuum Auctorem!*

Gemitus Virgineæ turturis in morte Christi, præsertim ad Crucem, & spinas.

quã

quâ audaciâ meum dilectissimum Filium, DEUM vivum, & æternum audes super austeram durámque tuam rigiditatem adeo crudeli extensione protrahere, clavisque ferreis tibi adeò crudeliter alligare? O vos clavi, creaturæ illius, qui vestris vulneribus moritur, quo temeritatis ausu delicatissimam Dilectissimi Filij mei carnem, de Spiritu S. conceptam, sic atrociter perfodiendo divellitis? Et vos Spinæ, non fuistis creatæ, ut caput vestri pungeretis Auctoris. Cur naturâ Duce vestram innatam duritiam non reliquistis timore vestri Auctoris. Annon advertistis, solem piaculum crudelis vestri operis exhorrescere! Terram tremere, tormentum illati supplicij sustinendo; Lapides vobis naturali conditione super Filij mei dolore discindi? Certè vos O Spinæ nec videre, nec nominare, nec audire, ipsâ vestrâ impediente crudelitate, vel tenuiter possem; nisi, quia vos totaliter Filius meus, in dulcorem sui tremoris convertit, ut spernere vos non possim; Sanguis de sanguine meo, & caro de carne mea. Ipse enim dilectissimus Filius meus, vos, natura Sylvestres, & duras in sui corporis plantavit deliciosissimo Paradiso, & vos sui sanguinis sic humectavit irrigatio, ut non jam alius cibus plus mihi placeat, quàm vestra deglutire acumina, & vos cordi meo infigere. Sed tu alta Crux; si ad me pietate permota stipitem mihi velles tendere, membra dilecti, & rigorem tuæ nativitatis inflectere, & mihi inclinata permittere meum Dilectum Filium amplexari, jam tuarum injuriarum oblita pacem tecum componerem mente devotâ. Sic Ubertinus.

37. De gemitibus verò Virgineæ nostræ Turturis in mœstissima sui comparis sepultura Pelbartus lib. 3. Stell. par. 4. art. 3. *De hoc devoto planctu MARIÆ*, inquit ille, *Bernardus & alii scribunt, quod Christum de Cruce depositum ipsum Mater adoravit, capútque venerabiliter suscipiens in brachia, spinas extrahebat, cruentatum exosculabatur dicendo: O caput dignissimum, quàm multipliciter es compunctum; cùm sis sapientiæ Divinæ habitaculum. Intuebatur faciem sputis maculatam, & extergens atque exosculans O decora facies*, inquit, *in quâ Angeli prospicere desiderant, quomodo facta es velut leprosa. Tum manus latúsque osculando*, inquit: *O manus, quæ Cœlum, terrámque formâstis. O latus perforatum, incendij Divini amoris fornax. Tum claudendo sacratissimum illud os oculósque suaviando: O quantum*, ajebat, *gaudium mihi indè, & quanta dulcedo erat, ex aspectu suavissimo, eloquióque Divino. O Nate dilectissime, nunc te mortuum teneo in gremio, quem parvulum castissimè genitum portavi cum gaudio. O Fili amantissime, cur tibi, sitiò clamanti, aquam porrigere nequivi, cui in infantia Virgineum lac ubere de Cœlo pleno sugendum exhibui? Nate mi dilectissime, Fructus Virginalis, consolatio olim, meúmque gaudium, quomodo versus es mihi in luctum? Tu mihi divitiæ, tu solatium, tu omne bonum meum, & nunc te orbata quid faciam? quò me vertam? ad quem confugiam? ubi caput sine te reclinabo, solatio unico? Atque ita ingemiscendo, tantis, támque ubertim profusis lacrymis rigat corpus Filij, ut caput & facies ejus à sanguine & sputis ablui videretur. Tandem cùm hora esset tarda, Josephus, & Nicodemus corpus in sepulchrum reponere festinabant; quibus pijssima Mater ajebat: Miseremini, miseremini mei, saltem vos Amici mei, permittendo, ut teneam in ulnis mortuum Filium, quem vivum tenere non possum. Sepulto deníque Filio cum lacrymis, ac gemitibus osculato sepulchro, atque adorató, revertitur in Civitatem.* Hæc Pelbartus de gemitibus pudicissimæ Turturis post mortem, & sepulturam Filii.

38. Neque verò ab eisdem gemitibus unquam totius vitæ suæ decursu post sui dilectissimi comparis in Cœlum volatum destitit; maximè, cùm loca illa sacratissimæ Passionis, quæ Christus suo proprio sanguine irrigavit, præsentiâ consecravit, invisebat, maximámque lacrymarum vim ex acerbissimorum Filij cruciatuum, quos eis in locis exantlavit, recordatione profundebat

Non cessabat Deipara post Ascensionem Christi à gemitibus.

bat. Hæ porro tam uberes ac copiosæ extitêre, ut Christus Dominus Marco à Scotoneto Capucino, Laico Religiosissimo, ejus passionem meditanti, lacrymarúmque gratiam deposcenti, in Spiritu dixerit: *Marce, cùm in mea Passionis memoria tibi lacrymæ arescunt, mutua à Matre mea suas tibi lacrymas petens, eas mihi pro tuis offer, eæque mihi æque ac tuæ gratæ erunt.* Ex Annal. 1608. n. 37.

B. Virgo juxta SS. Patres velut turtur, amisso Christo, lacrymis gemitibúsque indulsit, & loca sacra frequens invisit.

39. Quòd autem Deipara Virgo post dilectissimi sui Filij Resurrectionem, & in Cœlos profectionem, ejus absentiam, sacrorum locorum mysterijs insignium visitatione solari fuerit solita; in ejúsque lacrymis gemitibúsque velut Turtur ex dulcissimi sui comparis memoria indulgere; varij SS. Patres attestati sunt; inter quos S. Hieron. Serm. de Assumpt. B. V. *Quamvis jam*, inquit, *in Spiritu esset, tamen dum in carne vixit, carnalibus movebatur sensibus, & ideo quàm sæpè locorum recreabatur amplexibus? Fortassis ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus DEUS dicitur, interdum habitâsse eam credimus quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus medius est, hinc inde constitutus, ut adire posset ejus Ascensionis vestigia, & locum sepulturæ, ac Resurrectionis; ac omnia, in quibus passus est, loca invisere; non quòd jam viventem quæreret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus.* Idem asseveravit dilectissimus Virginis Antistes S. Ildephonsus Ser. 5 de Assump. *Si scire volumus quid DEI Genitrix post Resurrectionem Domini, antequam ipse Cælos ascenderet* (imò & postquam ascenderat, addiderim ego) *agebat; sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Passionis, sepulturæ, & Resurrectionis frequenter circumiens invisere cupiebat, in eisdem etiam locis lacrymas fundebat, & sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat. Deinde ad notum sibi refugium, Apostolicum scilicet contubernium, post intuitũ Dominicorũ locorũ cum gaudio remeabat.*

40. De hac quoque Sanctorum visitatione locorum à Virgine fieri solita post absentiam Filij meminit B. Guerricus Abbas Ser. 2. de Assumpt. ubi Angelos ita Deiparam se ad mortem disponentem alloquens introducit: *Quid est obsecro Domina mea, quòd sic ægra videris, & languida. Quid est, quòd præter solitum tristis ab heri, & nudius tertius; sicut solebas, non sancta revisis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas; Idem per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum Crucis impleres lacrymis, aut ad sepulchrum Filij adorantem gloriam Resurrectionis, aut in monte Oliveti deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem creditur in Valle Josaphat commorata* (*ubi & sepulchrum ejus monstratur, ut ait B. Hieron.*) *in Ecclesia miro lapideo fabricata tabulatu, ne scilicet à sanctis locis longius recederet; sed sæpius eas invisens, licèt omnia memoria teneret, formam tamen gestorum velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulciùs amplecteretur, ut vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.* Hæc Guerr.

Idem de visitatis locis sacris à B. V. asserit B. Guerricus Abbas.

41. Verùm de hac frequenti sacrorum locorum, quæ Christus suâ sanctissimâ præsentiâ consecravit, frequenti visitatione, ante mortem suam facta expedit DEI Matrem loquentem audire: Ita enim ille lib. 6. Revelat. S. Birgittæ c. 62. revelavit: *Cùm die quadam elapsis aliquot annis* (*15. videlicet, ut ipsa Virgo eidem Birgittæ indicavit* lib. 7. c. 26. *Dum sepulchrum ejus Hierosolymis visitaret*) *post mei Filij ascensionem multum anxiarer desiderio perveniendi ad Filium meum, vidi Angelum fulgentem, qui mihi dixit: Filius tuus, qui est DEUS, & Dominus Noster, misit me nunciare tibi tempus jam esse veniendi ad ipsum in corpore ad coronam tibi jam pridem paratam recipiendam. Quo audito nuncio, paravi me ad exitum, omnia loca more meo circumiens, in quibus Filius passus fuerat. Cúmque quadam die animus meus suspensus esset admiratione Divinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit*

Ipsa B. Virgo S. Birgittæ se, annunciata sibi morte, sacra loca visitasse revelat.

fuit exultatione tanta, ut vix se posset capere, in ipsa hac consideratione anima à corpore fuit soluta. Sic DEIPARA

Rupertus Abbas Beatissimæ hujus Turturis gemitus describit.

42. Virgineæ hujus denique Turturis gemitus, lacrymásque ex memoria dulcissimi sui comparis in cœlum jam profecti præclarè descripsit Rupertus Abbas lib. 5. in Cant. Dum ipsam Virginem ita ingementémne, an loquentem? introducit: *Flebam & præ singultibus vehementer erumpentibus non poteram, Verba non concussa, & voces nisi intercisas evolvere. Nunquid enim poteram absque fletu de illo Verba facere. Verùm fletus ipse consolatio mihi erat, delectatio mihi quædam erat, sicut & cuique vestrum lacrymæ suæ dulces sunt, fluentes in ejusdem recordatione Dilecti, juxta illud:* fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte. *quanto magis mihi, dum diceretur mihi quotidie, ubi est DEUS tuus, Filius Tuus? sive dum dicerem Ego, me dimisit in hoc exilio DEUS meus, Filius meus, de me taliter incarnatus, vel natus propter me, & me vidente taliter agonizatus, talia passus. Quale mihi erat commemorare, sive narrare Verba ejus, Verba morientis, sive continuò morituri dilecti, maximè commendantis præceptum charitatis, mandatum dilectionis, ab illa cœna sacrosancta, quando tradebatur, usque ad hac Verba novissima:* Mulier ecce Filius tuus; *ad Discipulum autem:* Ecce Mater tua. *Ibi ignis, ibi gladius, ignis amoris, & gladius doloris, & anima mea erat victima holocausti. Hanc enim & ignis incendit, & gladius pertransivit. Unde sicut adeps sacrificij liquescit ab igne, & sicut fluit sanguis de gladij vulnere; sic anima mea liquefacta est, non ibi semel tantùm, ubi moriebatur ipse, verùm quoties me aperiente pessulum ostij mei, locutus est in me; Toties quippe sensi profundo corde, vulnerata mente, istud, quod nunc dico, quia declinaverat, atque transierat, ipsâ commemoratione, horum sensum mihi renovante, ut magis ac magis sentirem eum, hìc jam non esse visibiliter, non comparere.* Hæc ille.

B. Virgo Dominicæ Passionis recordatione reliquum à morte Filij tempus consumpsit.

43. Ex quibus colligimus universam propemodum Virgineæ hujus Turturis vitâ in gemitibus, doloribus, lacrymis ex Dominicæ Passionis recordatione consumptam, eadémque exilium suum solari fuisse solitam. Quod & nobis exemplo tantæ Virginis faciendum; ita, ut cum eâdem & nos gloriari possimus, acerbissimos Christi Salvatoris cruciatus, sputa, flagella, clavos, spinas colaphos, acetum, & fel, aliaque tam amaræ, diræque mortis instrumenta, in unum fasciculum quodammodò colligendo, eáque imis cordis nostri fibris recondendo dicere: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Fasciculum hunc cœlestis Sponsus imis cordis B. Claræ de monte Falco medullis inseruisse, visus est, & ipsa quoque eundem altè in præcordijs suis radicâsse, cùm Dominicæ passionis mysteria post mortem, in corde, veluti Speculo, repræsentavit, ubi legimus Par. 2. Chron. Min. lib. 5. c. 42. Cùm enim hæc sancta Virgo ad instar Virgineæ illius Divinissimæque Turturis Christi Dilecti Sponsi amarissimos cruciatus, ejúsque quinque vulnera, ac præsertim illud lateris, quod meritò Divini amoris fornax dicitur, ardentissima succensa charitate, altissimáque contemplatione defixâ mente reluceret, se séque in lacrymas gemitúsque effunderet, vice quadam speciosissimus Adolescens crucem humeris gestans se se ei visendum exhibuit, verbis eam his allocutus est: *Clara Filia mea, quæro locum aliquem stabilem, in quo crucem meam hanc defigam. Quare tu mihi pectus appara; quia in eo eam defigere desidero; in hac cruce porrò, si Filia mea, atque hæres esse concupiscis, te mori necesse est.* Ab hujus apparitionis momento creditum est, stigmata Crucifixi JESU puro castóque hujus Virginis pectori fuisse impressa, è quibus unum cæteris majus, magis etiam cor illius transfixit. Hanc porrò Salvatoris

Beata Clara de Monte Falco Christus omnia passionis suæ instrumenta in cor impressit, quæ post mortem reperta sunt.

apparitionem veram fuisse, dolor ingens, qui mox eam subsecutus est, durans usque ad mortem clarum edidit argumentum. Sed longè adhuc evidentiùs post mortem, siquidem passionis insignia in corde ejus ex viva carne efformata reperta sunt; videlicet crucifixus cum tribus clavis, lancea, Spongia, & arundine, ex una parte Crucis, ex altera verò flagella, columna, & spinea corona. In fellis verò folliculo tres lapilli rotundi reperti sunt æqualis ponderis, magnitudinis, & coloris; siquidem in lancem unus ex his positus tantum ponderabat, quantum duo positi in lancem alteram, similiter unus æqualis erat ponderis cum altero. Quæ res personarum Trinitatem unitatémque mirificè adumbravit, ostendítque tam mysterium hoc, quàm passionis, altissimè ejus præcordijs insedisse; eique ad instar myrrhei fasciculi, intra ubera cordis commorantis, extitisse. Quod ut nobis quoque obveniat, summopere optandum est.

In fellis folliculo ejusdem beatæ tres lapilli inventi sunt, Symbolum Divinissimæ Triados.

44. O si pientissimum illum affectum erga Passionem Domini, ejus quinque vulnera, atque ipsam Virginem DEI Matrem, imis præcordiorum nostrorum medullis radicatum sentiremus, quem in se experiebatur B. Fœlix Ordinis Seraphici Capucinorum, de quo Zacharias Boverius in Annalis 1587. n. 52. Dominicæ passionis meditationem, quæ illi familiaris erat, tantâ lacrymarum copiâ prosequebatur, perinde, ac si præsentem Dominum, universa quæ in Passione pertulit, patientem cerneret, támque illius pœnis afficiebatur; ut præ animi dolore sæpe exclamans in has interdum voces erumperet. *Heu Bone JESU! nullus erat qui tibi opem ferret, aut tuam causam defenderet?* Pius quoque admodum in Virginem Deiparam fuit, quam tanta Religione venerabatur, ut sæpius dicere soleret, se sex tantum litteras didicisse, quarum quinque rubræ essent, quibus quinque Domini vulnerum meditationem, sexta verò alba, quâ B. V. cultum ac venerationem indicabat.

B. Felix Capuc. inter meditationem passionis Dominicæ sæpius exclamavit præ affectûs teneritudine

Singularis pariter erat in B. Virginem ejusdem affectus

45. O si etiã Fratris Antonini Rheginiejusdem erga eandem Dominicam Passionem inflammatum amorem corde nostro exardescentem experiremur, de quo idem Boverius An. 1586. n. 38. In sedula Dominicæ Passionis meditatione usque adeò charitate excellebat, ut illius facies interdum solis instar splenderet, & Divino Spiritu actus extra sensus non rarò raperetur. Quod illi aliquando in Rhegino conventu accidit. Ibi namque cùm ante horas matutinas quidam Frater templum esset ingressus, totum clarissima luce circumfusum, ac solis instar resplendentem à terra quatuor circiter palmorum altitudine in aëra sublevatum conspexit, è cujus corpore lucis radij in totam Ecclesiam diffundebantur.

Frater Antoninus Rheginus inter meditationem passionis Dominicæ tota facie solis instar lucente conspectus est.

46. O si Patris Marcelli Trifluminensis ejusdem Seraphicæ Religionis tener ille affectus circa crucem Christi, & ejusdem acerbissimos cruciatus cordi nostro radicatus esset. Hic enim, cùm Tyronum esset Magister, ut idem refert Boverius ad An. 1601. n. 28. Dominicæ potissimùm Passionis memoriam, quam assidua meditatione prosequebatur, velut quandam cœlestium thesaurorum clavem, novitiorum animis instillare omni studio curabat. Filioli, ajebat ille, Cœlestis Sponsus puras animas, quas sibi perpetuo amoris connubio jungit, non ad cœlorum axes contemplandos, neque ad sublimia Trinitatis arcana discutienda compellit; sed ad petræ foramina, & ad cavernam maceriæ (quibus vulnerum Domini meditatio innuitur) velut columbas vocat, dum ait: *Surge amica mea speciosa mea, & veni, Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Quamobrem, Filioli, Bernardi

F. Marcellus Trifluminensis cum tribus passionis in cruce memoriam continuè meditabatur.

di vobis consilium placeat, qui in via DEI Tyronem erudiens, ait: *Sit tibi JESUS semper in corde, & nunquam Imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hæc tibi sit cibus, & potus; dulcedo, & consolatio tua; mel tuum, & desiderium tuum; lectio tua, & meditatio tua; oratio, & contemplatio tua; vita, & mors, & resurrectio tua; semperque cogita illam.* Hinc cum Novitijs aliquando in horto perambulans, dum Domini Crucem, quam plerúmque varij generis flores ex humo erumpentes sepiebant, attentius comtemplatus fuisset; Novitium quemdam interrogavit: quisnam ex his flos esset pulchrior? Cui cùm Novitius Violam esse indicâsset. *Non rectè*, inquit, *judicâsti, pulcherrimus enim* (Sanctam crucem amplectens atque exosculans) *hic flos est universi orbis, cælique etiam floribus venustior.*

47. Sit igitur, & nobis crux, & Passio flos, imò hortus, quovis Cœli flore ac Paradisi amœnior, in illo exspatiemur, cruciatus Salvatoris, amore nostri exantlatos contemplando, ipsi compatiendo, nostra peccata quæ tantorum malorum Christo Domino exstitêre causa, deplorando atque instar Turturis ingemiscendo, eadem detestemur. En ipse Sponsus ad hoc nos faciendum invitat: *Veni in hortum meum, Soror mea Sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis.* Cant. 5.

... & pas... ...hristi ...s nobis debent ... amœ... ...aus.

48. Denique in omnibus hujus pudicissimæ aviculæ, sicuti & per illam figuratæ Virginis naturam imitemur & compunctioni, quoad vivimus sedulò vacantes, lacrymis, ac gemitibus in hoc exilio ad Cœlestem patriam aspiremus. Nobis dictum arbitremur, quod olim S. Bernardus ad Sororem lib. de modo bene vivendi cap. 10. scripsit: *Soror in Christo amabilis mihi, audi vocem JESU Christi, Sponsi tui, surge amica mea, & veni: Vox Turturis audita est in Terra nostra. Turtur est avis castissima, quæ in excelsis arboribus semper nidificare, vel morari solet; Apostolos, vel reliquos Doctores significans, qui semper dicere possunt: Nostra conversatio in cælis est; quæ & gemitum habet pro cantu, & significat ploratum sanctorum; qui suos ad lamentum, & fletum hortantur dicentes: miseri estote & lugete.*

...iris ob ...nem ...ini ge... ...is natu... ...induere ...oportet. ...r Sym... ...i Do... ...n & A... ...lorum.

49. *Itaque honesta Virgo accipe exemplum hujus, & luge propter amorem JESU Christi, Sponsi tui, quousque eum regnantem videre possis in solio Regni sui: melius est tibi lugere cum amore JESU Christi, quàm cum timore Inferni. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis. Natura Turturis est, ut, si per occasionem perdiderit conjugem, alterum ampliùs non quærat. O Sponsa Christi, assimilare, & tu huic Turturi, & præter JESUM Christum, Sponsum tuum, amatorem non quæras alterum. O Sponsa Christi, esto similis Turturi, & luge die ac nocte cum desiderio JESU Christi Sponsi tui, qui jam ascendit ad Cælos, ut aliquando faciem ejus videre merearis in Dextra Patris. Interim habeto pulchras genas Turturis. In genis solet esse verecundia. Soror venerabilis genas habes Turturis, si præ verecundia JESU Christi Sponsi tui, nihil contra illius voluntatem facis. Genas habes Turturis, si cum amore & verecundia Christi amicum alterum non diligis. Igitur Soror charissima indesinenter peccata tua cum lacrymis lava. Quotidie lava tuas negligentias per compunctionem, & lacrymas. Transgressiones tui Ordinis sine intermissione ablue cum lacrymis, & per lacrymas, & compunctionem acquire tibi tuorum remissionem peccatorum, per lacrymas & crebra suspiria acquire tibi æterna gaudia.* Hæc Bernard. Quæ monita sanè saluberrima, si nos quoque amplectamur, Turtures erimus huic nostræ Virgineæ, cujus omnis actio fuit nostra instructio, tenerrimo cum amore semper quàm simillimæ.

Passioni Dominicæ turturis instar ingemere debemus.

50. Proinde meditandæ Passioni Domini Nostri, dum in hac vita degimus, sedulam operam demus tum verò vel maximè cùm quot-

Meditatio Passionis Dominicæ maximè hebdomada sancta incumbere.

convenit, aliorúmque exempla imitari.

annis majori in hebdomada Ecclesia ejus cruciatus recolit; Turturísque genium in deplorando suo dilectissimo Compare imitemur, simúlque eos, qui ejusmodi in patientem Christum pietate effulsère, ob oculos nobis proponamus. Horum præclarissima exempla Pater noster Joannes Rho eruditissimus, in sua variarum virtutum Historia lib. 3. cap. 2. insignem Catalogum contexuit, quorum principalem, ac Coryphæum Religiosorum Lusitaniæ Regem Emanuelem esse voluit, de quo ita scribit: *Quos dies Christiana Respublica annua Domini sui mortis recordatione mæstissimos habet, ac publico velut sacrorum justitio amaros, eos Emmanuel singulari quodam, & raro vel privata in pietate transigebat exemplo. Etenim nequa Principalis luxus ab attenta Divinæ charitatis contemplatione animum voluptas avocaret, perdius, ac pernox in Templo agitabat, ibíque cibi nihil, somni verò tantùm admittebat, quantùm extrema cogeret necessitas. Nec mirum, Christi doloribus regium submisisse fastigium, cum Rex dolorum Reges ipsos habeat vectigales.* Hæc ille, quæ ob egregiam dicendi elegantiā totidem Verbis referre libuit. Quid hic Joannem Avilam, superioris sæculi in Hispania gloriam quandam singularem, memorem? Hic singulas in hebdomadas Christi Domini cruciatus acerbissimos recolebat. Quintam & sextam ferias huic operi sepositas habebat, quibus vel somnum omnino excluderet, noctésque comentationi attribueret, vel certè, si pusillū quid temporis illi esset tribuendum, sarmentorum fascibus incumbens obdormisceret; illud dictitare solitus inter suos; mirari se, qui tristissimâ eâ nocte alto ac profundo somno nedum voluptatibus homines possint indulgere, quam ut nobis paternam expediret indulgentiam, omnibus cumulatam incommodis Christus traducere voluit.

Emanuelis Lusitaniæ Regis erga Passionem Domini veneratio eximia.

Joannes Avila singulari affectu Passionem sacram prosequitur.

51. Quid S. Philippum Nerium, ejusque in patientem Dominum ardentissimum amoris affectum memorem? Hic quamvis dissimulandæ virtutis artifex mirus fuerit; tamen vehementissimos animi sensus cùm de Christi cruciatibus diceret ad concionem, minimè habuit in potestate. Tantus enim repentè obortus es fletus, tam valida imo è pectore suspiria erupêre: ut abrumpere sermonem fit coactus. Collegit se paululum, repressóque impetu iterum dicere aggressus est; sed frustra commotiore jam animo, & in lacrymas, crebrósque singultus redundante; itaque se properè in cubiculum abdidit. Id cùm sæpiùs fieret, nec ille videri vellet, plurimos exinde annos suggestu abstinuit. At ne quis putet contentione ipsâ dicendi pietatem hanc incaluisse, domesticos inter sermones, si vel Dominicæ Passionis nomen auditum esset, illico in suspiria & lacrymas adeò uberes solvebatur, ut interclusâ faucibus voce fari non posset. Nec opus erat; cùm hoc uno in argumento lacrymarum triumphet eloquentia. Idem lacrymarum donum inter dicendum de Christi Domini cruciatibus habuisse perhibetur Pater noster Antonius Medidius. Fuit enim cùm lacrymarum procellæ haud potens, repetitam sæpius orationem in ipso initio dicendi abrumperet, cum illis Verbis: Num mearum virium hæc concio est: Quo uno dicto solutus in lacrymas, crebróque anhelans suspirio descendit, magnáque concionis excitata comploratio: næ is fæ licissimè peroravit.

S. Philippus Nerius inter concionandum aut privatos etiam sermones, dum passionis Dominicæ incideret memoria, in lacrymas, & suspiria solvebatur.

Idem faciebat P. Antonius Medidius.

52. Gemebundam denique Turturem in contemplandis Salvatoris cruciatibus mirificè in se expressit Alexander Appulus, Capucinus, qui neque clamoribus, neque lacrymis, ubi Divinos Christi cruciatus meditando incaluerat, moderari potuit. Elegerat sibi ille domestica in sylva horridam sub rupe sedem, ibíque angustissimam ex luto, ac vimine domunculam struxerat, in quæ

Potens Alexandri Appuli in patientem Christum [illegible]

quæ

qua procul arbitris ad contemplationem incumberet. Exundabat subinde animus, erumpebátque in gemitus, suspiria, clamorésque adeò ingentes; ut socijs in cœnobio agentibus non levem molestiam crearet; cujus ipse non nescius, quàm poterat, modestissimè excusans: Parcite, ajebat, parcite, imbecillius mihi pectus est, ut incitatum dolorem illius ego claustris possim coërcere, nisi liberè dolor disrumpat, dirumpet atque excutiet. Gestus hic est amoris, eandémque amat libertatem. Hæc igitur virorum sanctissimorum exempla nobis ob oculos proponamus, si Virgineam Turturem nostram in acerbissimis Salvatoris cruciatibus deplorandis imitari cupimus, ipsiúsque tenerrimis amoris affectibus in Dilectum crucifixum inflammari; ejusdémque vivam, spirantémque effigiem in pectoribus nostris exsculpere desideramus. Quam Turturem gemebundam ob oculos sine dubio mentis suæ habuisse visi sunt duo illi Societatis nostræ Patres Simon Rodericus, unus è decem primis S. Patriarchæ nostri Socijs, & Thomas Saillius, quorum alter Crucis amore, ferro, vulneribúsque ita pectus in formam Crucis disculpsit, ut postmodum altè impressa extarent vestigia, quibus quoties manus pectori admoveretur, toties suorum amorum admoneretur. Ad eamdem sui Crucifixi amoris memoriam conservandam eidem mos fuit prægrandem è ligno crucem in cubiculo habere, ad quam lucente ante illam lampade noctu quoties evigilaret, toties oculos, animúmque referret, atque in ejus contemplatione redormiret. Alter verò ejusdem sui Crucifixi amoris amore minutis, & molestissimis punctionibus salutare hoc signum sibi similiter pectori impressit. Ligneam enim Crucem obversis nudum in pectus aculeis asperam diu cùm gestâsset, demum pectori adeo appressit; ut ejus impresserit

Horum exempla imitari debemus, ut imitemur turturem Virgineam.

P. Simonis Rodericii, & Thomæ Saillii Soc. Jesu, [illegible] erga Christum [illegible] amoris industria.

formam, abditósque animi sensus luculenter prodiderit. Parum huic fuit humeros cruci subjicere, nisi etiam pectore profiteretur. Quam ille professionem didicerit sine dubio à Cœlesti Sponso, suadente Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, signaculum super brachium tuum*, quibus Verbis intellexit grati animi significationem sibi inculcari ne unquam oblivisceretur miserationes Domini, per quas vivificatus est. Unde Doctor Angelicus Paraphrasticè Text. hunc ita reddidit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, per fidem, super brachium tuum, per dignam operationem.* Nam & nos, quando aliquid rememorari nobis volumus, signaculum, aut digito, vel brachio imponere solemus, ut admoniti rei, cujus curam habemus, recordemur. Sic pariter ut signaculum super cor & brachium nostrum Christum imponere debemus, ut ejus memoriam semper habeamus, & ut rectè in illum credentes fidem ipsam bonis operibus exornemus. Quod si fecerimus, ipse quoque nos velut signaculum assumet, & nostri recordabitur, juxta quod Zorobabeli judici Judeæ repromittit. *In illa die suscipiam te Zorobabel, serve meus, & ponam te sicut signaculum in conspectu meo.* Agg. 2. Nam si nos beneficiorum ejus obliti fuerimus, nec ei dignas gratiarum actiones retulerimus, ipse quoque nostri obliviscetur; sicut de impio Rege Jechonia dicit Serm. 22. *Si fuerit Jechonias annulus in dextera mea, inde evellam eum.* Ne igitur de manibus, in quibus ejus proprio sanguine, clavis ipsis, ceu calamis descripti sumus, evellamur; déque ejus memoria excidamus, quantum possumus, ipsius acerbissimæ passionis memoriam in animis nostris foveamus, insignia ejus pectoribus nostris exsculpta circumgestemus, &, dum eum ad hoc faciendum nos exhortantem audimus: *Recordare transgressionis, & paupertatis meæ, absynthij*, &

Semper nos Dominicæ passionis recordari oportet, si volumus, ut Christus quoque nostrûm recordetur.

Christus vicissim obliviscitur eorum, qui obliviscuntur sui.

Sinceram constantémque Christi patientis memoriam conservare haberéque debemus.

& fellis. Thr. 3. respondeamus illi medullitus: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* Neque hoc nobis fecisse sufficiat; Sed amore Dominicæ passionis, & Crucis Jesu desiderio inflammati in exemplo Apostoli gloriemur, & Crucifixi insignibus, velut ipsius Prætoriani Milites induamur. Libet hic B. Guerricum Abbatem Serm. 2. De ramis palmarum, in hoc proposito discurrentem audire: *Dicant*, inquit, *qui redempti sunt, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos. Dicant, inquam, voce, & Mente Magistri sui: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri JESU Christi, in qua sapientia DEI, nequam infatuavit consilium, justitia destruxit eum, qui habebat mortis imperium, misericordia liberavit captivum. Merito prorsus ô sapiens gloriator gloriaberis in Cruce Domimini tui, cujus liberatus es triumpho, vivificatus mysterio, justificatus exemplo, munitus signo, sic enim justa rationis consequentia postulare videtur, ut exemplum crucifixi ad justificationem suam imprimant moribus, qui signum Crucis ad munimen tui imprimunt frontibus; ut illius vivant lege, cujus armantur fide. Alioquin fallaciter Miles characterem Regis gestat, cujus præscriptum non observat; nec recte se tuetur illius signo, cujus non paret imperio.*

Non solùm hebdomada sancta sed semper passionis Domini memoria recolenda est.

53. Nec hìc in Crucifixi amore sistamus, sed cum eodem Apostolo Christi amantissimo omnem nostram scientiam, sapientiam ac Philosophiam in Crucifixo Jesu collocemus. Hic liber noster sit, quo & in excolendo intellectu, & affectu erudiamur. Perinde cum illo ejusdem Spiritus fervore accensi, dicamus animitus: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.* 1 Cor 2.2. Quæ Verba idem pientissimus Abbas ibidem initio sermonis attentiùs trutinans ita pronunciavit. *Nam & alijs quibuslibet diebus quid unquam potest prædicari fidelius; quid audiri salubrius, quid cogitari fructuosius? Quid enim tam pium fidelium affectibus, tam medicinale moribus? quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit, & roborat; sicut Crucifixi memoria?* Proinde Vir hic sanctus de Crucifixo doctrinam scire ac imbibere adeò anhelabat, ut diceret: *Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam; mihi, cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum Crucifixum; his quidem, qui de gentibus, stultitiam; mihi autem, & his, qui salvi fiunt, plane DEI virtutem, DEIque sapientiam, mihi prorsus altissimam, atque nobilissimam Philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi, quàm carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quàm provectum in sapientia, si Crucifixi vel idoneus invenirer Auditor, qui factus est nobis à DEO non solùm sapientia, sed & justitia, & sanctificatio & Redemptio.* Ut ostendat tandem, quosnam pietatis fructus capere possit quispiam, qui mente in palmam Crucis, passionem Dominicam meditando conscendit; ita prosequitur, ut nos ad imitationem Crucifixi Jesu incendat: *Omnino si Christi confixus es Cruci, sapiens es, justus es, sanctus es, liber es. An non sapiens, qui cum Christo exaltatus à terra sapit, & quærit, quæ sursum sunt? An non justus, in quo destructum est corpus peccati? ut ultra non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam vivam, sanctam & placentem DEO? An non verè liber, quem Filius liberavit? que de libertate conscientiam illam, liberam vocem Filij, sibi assumere præsumpsit: Vincit Priceps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Hæc ille. Quæ sanè si diligentiùs expendamus, excitabimur facilè ad Virgineæ nostræ Turturis de amisso dilectissimo Compare gemitus imitandos, dignique tandem habebimur, qui post hanc miseram vitam Canticum novum in omnes æternitates concinamus.

Fructus ex meditatione passionis Domini.

DI-



DISCURSUS TRIGESIMUS.

VIRGO DEIPARA LUSCINIA SUAVISSIMA.

I.

B. Virgo Philomelæ assimilatur.



VEnerabilis Pater Bernardus de Bustis Ordinis Seraphici Virginem Deiparam Canticum illud suavissimum, quo Creatorem suum magnificavit, Philomelam appellavit par. 6. Marial. Serm. 2. par. 1. B. V. figuratur, inquit ille, per Philomelam, quia sicut hæc avis superat omnes alias in cantu; ita ipsa Virgo omnes Sanctos, & ideò dicere illi possumus illud, quod cecinit Ovidius de Philomela.

Dulcis amica veni! noctis solatia præstans;
Inter aves etenim nulla tibi similis.
Tu Philomela potes vocum discrimina mille;
Mille potes varios rite referre modos.
Nam, quamvis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquivalere tuis.
Insuper est avium, spatiis garrire diurnis,
Tu cantare simul nocte, diéque potes.

2. Pater quoque Franciscus de Retza Ordinis Prædicatorum illustre jubar, & in antiquissima Academia Viennensi pluribus Annis sacrarum literarum Interpres Doctissimus. To. 2. M. S. in Salve Regina. Deiparam Virginem dulciter canentem similiter appellat Philomelam, in cujus gutture sonat harmonia dulcissima, & præ nimia cantûs dulcedine efficitur languens, & deficiens omnibus viribus corporis, atque infirma. Quod nobis, inquit, hujus nominis innuit Etymologia, *Philomena* enim quasi ex *amor* & *defectus*, seu *deficiens* in cantu præ amoris dulcedine; quod verè apparuit in Beatissima Virgine, & in hoc dulcissimo ejus carmine. Quasi enim fuit carne mortua, & cordis desiderio in Spiritu, & in Deum tota rapta; quod ipsa innuit, cùm dixit: *Et exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* In illo enim salutari ejus vita spiritualiter fixa, qui est *via, veritas, & vita*, deficiens præ amoris & cantilenæ suavitate, & ab hac vita misera, planctu plenissima, in hac valle lacrymarum constituta; & sic convenienter dicere potuit cum Psalmista: *Defecit in salutare tuum anima mea, &c. Defecit caro mea, & cor meum; ideò tu DEUS cordis mei & pars mea dein eps eris in æternum; Et in te cantatio mea semper!* Denique præ amoris languore dicebat Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quantùm ergo Virgo Beatissima magis amore Sponsi accensa fuit, tantò amplius ab amore temporalium languit; Et notandum, quod non dicit, se infirmari, sed languere; quia *languor* quasi *longus amor* nominatur, nec talis amor sanatur; donec in thalamum superni Sponsi introducatur, & ibi dulcissimis amplexibus perfruatur.

3. Eamdem Virginem Deiparam

 Phi-

B Virgo maximè in nativitate & visitatione assimilabatur Philomelæ.

Philomelæ comparat non solùm ratione suavissimi ejus Cantici, quod amore divino succensa, deficiens cecinit; verùm etiam, quia nobis in sua nativitate, & visitatione veram illam, æternámque mundi lucem nobis orituram nunciavit: sicut Philomela, inquit ille, cantûs sui dulcedine diem, lucémque nunciat (unde & Luscinia dicta est secundum Albertum lib. 23. de animalibus cap. 11.) sic Virgo Beatissima hâc suâ Melodiâ dulcissimâ veram diem annunciavit venturam, cum luce plena velut Aurora. Unde Bernardus, *O MARIA verè diem salutis, diem propitiationis, diem, quam fecit Dominus, nunciâsti.* Cantavit igitur hæc Domina dulcissima Spiritu, & mente dicens cum Apostolo: *Psallam Spiritu, Psallam & mente.* 1. Cor. 14.

4. Melodia porro hæc, quá Luscinia nostra, lucem illam omnem hominem illuminantem huic mundo annunciando, modulata fuit; & suavissimum illud Canticum, quo Dominum universorum magnificavit, mirificísque laudum præconijs ad sydera extulit. Sentiebat nimirum illa tunc mirificos Divinissimæ lucis in utero suo effectus in totam animam suam, omnésque ejus potentias, & maximè illum redundantes, quibus perspicacissima ejus perfusa mens DEI Ter Opt. Max. propensissimam in genus humanum illud redimendo, agnoscens benevolentiam, vehementissimo ejus amore succensa deprædicavit, mortalésque omnes ad idem faciendum excitavit. Quàm verò hæc hujus Lusciniæ Melodia gratia, quàm suavis toti mundo extiterit, ex cantandi modo colligi potest, qui cùm sit humanæ, imò Virgineæ vocis, & quidem articulatus, verbis suavissimis expressus, incredibili dulcedine auditum afficit, atque permulcet. Unde quærit Aristoteles Sect. 19. Probl. 10. Cur vox hominis non sit delectabilis sine sermone cantantis, sed tibia, Lyráque aliáque instrumenta Musica suaviùs sonent? Cui interrogationi ita respondet, quòd vox humana significativis dictionibus perficitur, & ideò magìs delectabilis est, cùm intelligitur. Et hoc fit, quando verbis profertur, & editur. Vox autem alia sine verbis soni formativa, quia imperfecta est, & nihil significativa, non est delectabilis. Atque ita cantus Beatissimæ Virginis, quia perficitur verbis salutiferis, totíque humano generi proficuus, ad audiendum dulcis est DEO, Angelis & hominibus; ut patet ex ipsius Cantici verbis. Unde Sponsus vocis ejus amœnitate captus, animum suum ejus dulcedine explere non poterat, sed identidem eamdem audire desiderabat: *Fac me audire vocem tuam* Cant. 8. Angelis quoque hæc Virginea vox desiderabilis est. Hinc idem Sponsus: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te*, id est, *Angeli*, ut exponit Glossa. Hominibus denique vox est nimiùm quantùm delectabilis, quia nimirum de eorum salute cantat, DEóque pro Redemptionis beneficio gratias agit. Unde quidam illi meritò cecinit:

Canticum B. Virginis verbis salutiferis perfectum acceptum Deo, Angelis; humano generi proficuum est.

Virgo Medela mei languoris, flos speciei,
Dulcis amica DEI, mihi sis portus requiei.

5. Neque verò Lusciniæ nostræ dulcis hujus Melodia, quia humana & articulata vox est; verùm etiam, quia Virginis est, quas cantat alijs mulieribus corruptis longè suaviùs. Unde cùm DEIpara sit sancta Virgo Virginum, earúmque dignissima Primiceria, quæ prima vexillum Virginitatis extulit, ejus vox sanè cæteris Virginibus erit longè acceptior, atque jucundior. Unde Virgo Apostolus Joannes voces Virginum, quas in Cœlis modulantes, Agnúmque sequentes audierat, suavissimæ Citharœdorum musicæ conferre non dubitavit. Apoc. 14. *Et vocem*, inquiens, *quam audivi sicut*

Canticum B. Virginis omnium mulierum voces longissimè superavit ob peculiarem virginitatem.

tuit Citharœdorum citharizantium in Citharis suis; & cantabant quasi canticum novum; & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum 44. millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum Mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum, quocunque ierit. Hujus porro Virginei chori dux, atque antesignana cùm sit ipsa intemerata, Virgo, DEI Mater sanctissima, cœteris omnibus longè suaviùs in auribus Domini Sabaoth, Angelorum, totiúsque Cœlestis curiæ Civium modulata est; cujus harmonia, universam DEI Civitatem mirificè exhilaravit, recreavítque, ut præclarè ostendit mellifluus Doctor Hom. 2. Super Missus, initio, *Novum quidem*, inquiens, *canticum illud, quod solis in Regno DEI dabitur cantare Virginibus; ipsam Virginum Reginam cum cœteris, imò primam inter cœteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem, illam, præter illud, quod solis licet, cum omnibus tamen Virginibus, ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam & elegantiori carmine lætificaturam esse Civitatem DEI. Cujus utique dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, nec ipsarum quidem Virginum ulla digna invenietur; quia soli merito decantandum servatur, quæ sola de partu, & partu divino gloriatur.* Cujus Virginis singularis tam singularem eximiámque contemplans dignitatem paulo post in illud prorupit epiphonema: *O admirandam & omni honore dignissimam Virginem! O fœminam singulariter verecundam, super omnes fœminas admirabilem peremptorum reparatricem, posterorum vivificatricem.*

6. Canticum porro hoc Lusciniæ nostræ crediderim esse votum Virginitatis, quam ipsa labijs suis prima ante omnes Domino obtulit, séque illi in Sacrificium, atque holocaustum odoris Suavissimi consecravit. Cujus Cantici jucundissimam utique oportuit esse harmoniam, imprimis propter novitatem. Carmen enim novum est delectabile ad audiendum. Unde Poëta:

[...]ticum B. [...]ginis vo[...] est Vir[...]tatis.

Est quoque cunctarum Novitas gratissima rerum.

7. Sicut enim antiquæ cantilenæ disipiunt, & fastidium ingerunt, ex obsoleta vetustate; Sic novæ mirificè oblectant. Cùm ergò canticum Virginis fuerit Carmen novum, ejus sanè sapidissimam oportuit esse harmoniam. Meritò verò carmen hoc dicitur *novũ Canticũ*, quia antequã Beatissima Virgo Votum Virginitatis emisit, fuit inauditum. Unde hoc dulce Canticum audire cupiens Cœlestis Sponsus, eam dulcissimis illis Verbis invitabat Cant. 2. *Surge, propera, Amica mea, Columba mea, & veni. Jam enim hyems transijt, flores apparuerunt in terra nostra; Vox Turturis audita est.* Quæ verba considerans Odilo Abbas Cluniacensis: *Antequam*, inquit, *Virgo Verbum DEI conciperet, hyems erat; &, ubi Unigenitum DEI concepit, facta est æstas, & fervore Spiritûs S. vaporata flos esse cœpit, & spirare odorem fidei, suavitatem gratiæ, & fragrantiam castitatis. Tunc primum Vox Turturis audita est in Terra nostra.* Quam vocem pudicæ Turturis S. Bernardus Serm. 59. in Cant. esse votum Virginitatis, à Deipara emissum, insinuare videtur. *Videas Turturem*, inquit ille, *ubique singularem, ubique gementem audias, nec unquam in viridi ramo residentem prospicies; ut tu ab eo discas voluptatum virentia, velut virulenta vitare. Adde, quòd in jugis montium, & in summitatibus arborum frequentior illi conversatio est, ut quod vel maximè propositum pudicitiæ decet, doceat nos terrena despicere, & amare cœlestia. Ex quibus colligitur, quòd vox sit Turturis, etiam prædicatio castitatis. Neque enim à principio vox ista in Terris audita fuit, sed magis illa, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Gen. 1. Incassum profectò vox illa pudicitiæ sonuisset, necdum propalatâ resurgentium patriâ, in qua longè fœlicius homines, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli DEI in Cœlis. Tunc voci illi tempus fuisse, tunc dicas cum maledicto o-*

Gratum fuit, quia novum, à nullo enim prius hoc votum nuncupatum.

mnis subjacebat sterilis in Israël, cùm Patriarchæ ipsi plures simul haberent uxores, cum Frater Fratris absque liberis defuncti semen suscitare ex lege compellebatur. At ubi insonuit ex ore Cœlestis Turturis commendatio illa spadonum, qui se castraverunt propter Regnum DEI: & item alterius cujusdam castissimæ Turturis, consilium de Virginibus ubique invaluit. Tunc primùm dici veraciter potuit: quia vox Turturis audita est in terra.

Cælibatus commendatur.

8. Unde suprà memoratus P. Franciscus de Retza ita concludit: Ex quo patet, quòd vox nova & vox Turturis non est aliud, quàm professio & votum Virginitatis, & illibatæ castitatis, quam audire concupivit DEI Filius, cùm ei dixit Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis.* Tam enim dulcis illi fuit, ut in Cœlo in cælibatu in primis Angelorum complacentiam habuerit. Tum dulcis illi fuit, ut in hoc harmoniaco, Virgineóque concentu nasci voluerit. Tam dulcis illi fuit, ut illam Melodiam in Matre incœperit, & per se cecinerit, dum Virgo permansit, & alios canere voluit, cùm eos, *qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum*, beatos esse dixit, Matt. 19. Quia qui de Cœlo venit, cœlibem vitam, cœlestémque Melodiam Matris instituit. Unde Ambr. lib. de Virginitate; *Quis neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facilè invenimus in terris, nisi postquam Dominus in hæc terreni corporis membra descendit.* Hanc cantantem secuta est innumera multitudo Virginum utriúsque sexûs sequentium Agni Immaculati vestigia in Virginitate, & perpetua castimonia.

B. Virginis figura erat Maria Soror Moysis, præcedens cum tympano omnes mulieres.

9. Hujus Virginis DEIparæ typus, & figura extitit Soror Moysis Maria, quæ etiam fuit Virgo, ut censet Ambr. de hac Exod. 15. 20. *Sumpsit ergo MARIA Prophetissa, Soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæq; sunt omnes Mulieres post eam cum tympanis in manu*; id est, cum carnis mortificatione in opere, *egressæq; sunt post eam*, id est, à carnis delectatione; *omnes mulieres*, id est, sanctæ animæ eam sequentes in perpetua castitate, *in tympanis*, id est, in mortificatione carnis; *& choris*, id est, in concordia charitatis, quibus præminebat in gratia. Nam, ut dicit suprà memoratus Odilo: *Omnes Virgines, ad cultum Virginitatis excolendum, per hujus advocantur exemplum, quæ primò signum Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pignus Christum levavit.*

Jucundissimum pariter erat Virginea hujus Lusciniæ Canticum, quia variis, concordibus tamen musicis instrumentis, id est virtutibus, compositum.

10. Denique Canticum Lusciniæ nostræ est auditui jucundissimum; quia est ex varietate, instrumentorúmque musicorum simul canentium concordi unitate compositum. Hinc vox illa Virginum non dicitur in singulari, sicut Citharœdi, sed sicut plurium Citharœdorum citharizantium in Citharis suis. Hinc Aristoteles in Problematis quærit: Cur sonus adunatus, & è diversis organis magìs dulcis ac delectabilis est, quàm ejusdem speciei organis plurimis simul adunatis? Et respondet: Quia in harmonia plurimorum organorum simul unitorum, fit mixtio consonantium sonorum; sed per mixtionem medium temperatum efficitur; sicut & ex differentibus speciebus aromaticis debitè proportionatis medicina salubris, & delectabilis componitur. Quare cùm in Virginis Beatissimæ harmoniaco concentu fuerint diversæ, variæque virtutes, velut musica instrumenta, non solùm numero, aut specie simul unitæ, & conjunctæ, dulcissimum in DEI, totiúsque curiæ cœlestis auribus reddere debuêre melodiam. Siquidem virtutes connexæ sunt, & qui habet unam, habet omnes; quia una sinè altera nequit consistere; ut communiter docent omnes Theologi, quibus illa virtutibus tanquam diversis organis simul unitis suaviorem reddebat harmoniam, quantùm cæteris omnibus perfectiùs virtutum habitibus, atque actibus exor-

nata fuit; ut vult Fulbertus Carnotensis Archiep. Quam harmoniam in cogitatione, & affectione cordis Beatissimæ Virginis ipsa Creatrix, & inhabitatrix DEI Sapientia mirificè delectabatur audire.

Beatissima hæc Virgo 10. præcepta, Evangelicáque Consilia servando, virtutes etiam alias exercendo velut instrumenta plurima concordavit.

11. Neque vero Luscinia nostra tantùm canticum novum Virginitatem DEO vovendo, aliáque virtutum suarum instrumenta Sociando modulata est; verùm etiam alijs Musicis instrumentis ludendo orbem universum modulis suis recreavit. Lusit enim Psalterio Decachordo, decem præcepta diligentissimè observando. Atque ut canticum suum *Magnificat* simile fuisse Psalterio declararet, illud decem versuum, velut chordarum numero absolvit. Lusit & Rubeta trium Chordarum per harmoniam trium consiliorum, voluntariam paupertatem, castitatem, & obedientiam vovendo. Lusit in tympano per abstinentiam, vel cibi, potúsque parcitatem. Cecinit in Cithara per concordiæ unitatem; quia ipsa discordiæ ab humano genere repulit contrarietatem. Unde sicut per Evam inter DEUM & hominem facta est prima discordia; Sic per MARIAM concordia, unitásque cordium reperta. Dum enim Christum genuit, dulcedinem concordiæ sic induxit, ut DEUM cum homine concordaret; dum DEUS ex Virgine homo factus est, per eum omnes Creaturæ rationales per charitatem sunt unitæ, & unius Spiritûs & Regni unius cohæredes effectæ, simul concordiæ hymnum concinentes mirificâ lætitiâ exultârunt.

Ob hos tam diversos Cœlestis hujus Lusciniæ concentus meritò illi concinere possumus cum Poëta.

Tu philomela potes vocum discrimina mille;
Mille potes varios ore referre sonos.

Cœlestis hujus Lusciniæ concentus maximè in Psalmo Magnificat reperitur.

12. Quos sanè vel in ipsius solo cantico *Magnificat*, si quis animum, auditúmque sedulò applicet, senerit est. Plinius lib. 10. cap. 29. de Natura Lusciniæ tractans, de varijs hisce ipsius tonis ita loquitur: Luscinijs diebus, ac noctibus continuis
15 garrulus sine intermissu cantus; densante se frondium germine, non in novissimum digna miratu Ave. Primum tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax Spiritus. Deinde in una perfecta Musicæ scientia modulatus editur sonus; & nunc continuo Spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, permittitur, revocatur, & infuscatur ex inopinato; interdum ipse secum murmurat, plenus, gravis, acutus creber, extentus, ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. brevitérque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit; ut non sit dubium hanc suavitatem præmonstratam efficaci auspicio, cùm in ore Stesichori cecinit infantis. Cupit quispiam audire in hoc cantico sonum sublimem Divinitatis? *Exultavit Spiritus in DEO salutari meo.* Cupit vile Humanitatis, ac subinde imum, bassúmve demissionis? *Respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Vult altum potentiæ? *Fecit mihi magna, qui potens est.* Tenorem Misericordiæ? *Et Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Desiderat quis sonum gravem Vindicatricis Justitiæ? *Dispersit super bos mente cordis sui, deposuit potentes de sede.* Acutum exultatoinis & lætitiæ? *Exultavit Spiritus meus in DEO Salutari meo.* Suavem refocillationis? *Esurientes implevit bonis.* Asperum reprobationis? *Divites dimisit inanes.* Plenum fidelitatis? *Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini ejus.* O verè dulcis! O verè omnium tonorum melodia! adeò, ut Cœleste hoc Divinissimúmque Virginis canticum jure meritò quidam appellarit

Canorum Melos Cœlestis Lusciniæ.

His ita de vario Virginis nostræ Car-

mine præmissis, ad proprietates Lusciniæ disquirendas veniamus.

Philomelæ proprietates.

13. De his loco citato ita Plinius: certant inter se, palámque animosa contentio est. Victa morte finivit sæpe vitam, Spiritúque priùs deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, versúsque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ & reddit, vicibúsque reticens. Intelligitur emendata correctio, & in docente quædam reprehensio. De eisdem Ælianus lib. 1. de animal. cap. 43. Luscinia avium argutissima, & tranquillo præ ceteris animo, suavissima, & imprimis canorâ voce solitarijs in locis cantillat. Ejus carnes in vigiliam fovere ajunt. Mihi verò, qui cibo vescantur hujusmodi, homines, nec boni, nec sapientes videntur. Sed illius etiam Deorum atque hominum Regis, ut Homero placet, nempe somni privatio infœlix, infœlicis cibi munus mihi videtur. Sic ille. Denique Ulysses Aldrovandus lib. 18. refert ex Alberto Magno, dixisse aliquos Platonicorum, ova Lusciniæ non posse sine cantu vivificari; idem confirmat S. Ambrosij auctoritate: *Luscinia*, inquit ille, *pervigil custos cùm ova sinu corporis, & gremio fovet, insomnem longæ noctis laborem cantilenæ suavitate solatur; quò possit non minùs dulcibus modulis ut mihi videtur, quàm fotu corporis, ova animare.*

Lusciniæ proprietates B. Virgini conveniunt.

14. Quæ proprietates penè omnes Virgineæ nostræ Lusciniæ congruunt. Nónne cantu suo Joannem Præcursorem animare quodamodo visa est, dum ad salutantis vocem in utero Elisabethæ Matris exultavit? *Ecce*, inquit illa, *ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* Erat nimirum Luscinia quædam canora Joannes, quæ ad cantum Divinissimæ hujus Lusciniæ Spiritum accepisse videbatur: Quid enim fuerit Joannes, ipse de se testatur: *Ego vox clamantis in deserto.* Joan. 1. quasi diceret: Ego sum Luscinia, quam jam dixit Ælianus in solitarijs locis cantillare. Quòd si duplicis generis reperiuntur Lusciniæ, Palustres, ac Montanæ, ut observavit Julius Alexandrinus ad 16. 9. Galen. de simplic. Medico. hæ dulciorem cantum reddunt, quàm palustres, humiditate amnium nimiâ, vocis instrumenta, velut relaxante; ut contentâ, argutâ atque canorâ voce esse nequeant; suavissima sanè, ac nimiùm quantùm canora Luscinia erit MARIA, quæ abijt in Montana cum festinatione ad salutandam suâ voce suavissimâ Elisabetham, cui vocali Salutationi altera illa Luscinia totius corpusculi sui organo exultando in utero respondit, ostenditque revera se Lusciniam esse Laconis illius apud Plut. in Apophth. Lacon cùm deplumâsset (nimirum philomelam) & nihil penè carnium reperisset, ita exclamando definivit: *Vox es, prætereàque nihil.*

Domini Præcursor à Virginea hac Luscinia velut pullus illius animatus est.

Joannes etiam à Luscinia hac nostra vocem didicit humilitatis.

15. Neque verò cantu tantùm DEIparæ velut Lusciniæ animatus est Joannes; verùm etiam ab eadem tanquam tener pullus, humilitatis, quam ipsa semper tam ex animo profitebatur, cantilenam didicit. Quid enim sibi volebant aliud illa ipsius verba ad Sacerdotes, & Levitas interrogantes: *Tu quis es*, pronunciata? cùm *confessus est* ingenuè: *quia non sum Ego Christus, nec sum Elias, nec sum Propheta, sed Ego vox clamantis in deserto.* Quibus sanè verbis summam animi coram Divina Majestate demissionem contestatus est. Quid enim vilius, quid abjectius voce, quam etiam solitudinum saxa repercussa reddunt? Exultavit Spiritus DEIparæ in DEO salutari suo; ab eadem exultationem hanc didicit Joannes, uti ipsa ejus Mater contestata est: *Exultavit*, inquiens, *infans in utero meo*: Et hæc exultatio fuit spiritualis, & corporalis; spiritualis, quia erat complacentia voluntatis, & gaudium de Salvatoris præsentia Cor-

Tam corporalem, quàm spiritualem exultationem idem à B. V. edoctus est.

Corporalis, quia, cùm naturaliter, ut docet Jacobus de Valentia Episc. Christopolit. in Magnif. fœtus habeat faciem in dorſum Matris obverſam, tunc tamen infans faciem ad pectus Matris, & versùs Deiparam amplexantem Eliſabetham convertit, ut ex utero eò faciliùs Salvatorem adorare, ac ſalutare, vocémque hujus Cœleſtis, Virgineæque Luſciniæ auſcultare, modúmque DEUM Creatorem laudandi, ac magnificandi perdiſceret; quàm ille Divinas laudes decantandi artem poſtea totius vitæ tempore ad extremam usque mortis periodum aſſiduè exercuit.

Ab hac Beata Luſcinia in ſodalitatibus etiam adoleſcentes modulandi methodum accipiunt.

16. Eandem canendi artem in hodiernum usque diem Divina hæc Luſcinia in his parthenijs ſodalicijs teneros adoleſcentulos velut pullos natos fœlicibus ovis edocet, eósque ad omnes virtutum concentus, ac modulos efformandos inſtituit. Cujus enim Magiſterio fieri putamus, ut juvenilis ætas ita orandi, ac meditandi, deque rebus divinis colloquendi ſtudio addicta inveniatur, quàm pientiſſimæ hujus Matris, quæ ut Doctrix Apoſtolorum, ac Magiſtra Evangeliſtarum in gravioribus noſtræ fidei Myſterijs habita ſemper eſt, ita quoque tenellæ juventutis, quam illa non ſecus, atque amantiſſima quæpiam Mater, fœtum ampliſſimo charitatis ſuæ fovens utero, ad omnem pietatem, juſtitiámq; efformat.

Antonius Maria Ubaldinus, Monteæ Comes, ſingularis erat in oratione vocali.

17. Id in Secunda parte varijs variorum adoleſcentum comprobatum eſt exemplis; hic unicum Antonij MARIÆ Ubaldini Monteæ Comitis, Adoleſcentis Angelici commemoràſſe ſufficiat; De hoc in ejus vita de ipſius precandi ſtudio ita P. Bidermanus n. 15. Exigunt Seminarii leges, ut adoleſcentes, æquè cū cubitum ſurrexêre, ac veſpere cubitū conceſſuri partē horæ, aut gratijs Deo ſolvendis, aut deprecandis noxis impendant; & præeunte cubiculi Præfecto, conceptas preces una omnes clarè pronuncient. Antonius, cæterà, cùm leges juberent, nunquam poſtremus, hic etiam ſe ipſo prior, excitatiórque tempus occupare; & in loco ſemper ſubmiſſis genibus, dum alij ſuper alios venirent, præſtolari; ita quidem compoſito corpore, ut nullo interim fulcro nixus, ſed os oculósque aut humi modeſtè, aut in objectæ Crucis Imaginem piè defixus ſignum expectaret. Qua ex re hunc ferè fructum adoleſcens referebat, ut precum tempore, cœleſtibus delicijs inundatus ardere ſemper videretur, atque majoribus indies voluptatibus captus non permitteret, ne hilum quidem præſcripti temporis de ſtudio tam divino interire. Suave tamen illi præter cætera fuit, quoties effundere ſe latiſſimè in laudes Matris Virginis eíque operam præſtare officij horarij cum Sodalibus licuit.

Pari ſtudio mentali ſe impendit orationi.

18 Quos ipſos, ſi quos officio defuiſſe comperiſſet, aderat in tempore, ſéque illis commodè ingerebat, & ut penſum intermiſſum ipſi libentiùs conficerent, ſuum ultro cum illis integrè repetebat. Hæc Bidermanus, qui n. 16. oſtendit quoque pari diligentia ac Studio orationi mentali ſe ſe impendiſſe; in eáque eximios feciſſe progreſſus; magiſterio ſine dubio hujus Cœleſtis Luſciniæ, cujus cultui fuit ſemper addictiſſimus, ut idem atteſtatur Bidermanus n. 38. Primas partes & Secundum DEUM proximas, ut par eſt, nuncupavit B. V. quam unam cultu ſingulari, atque omnibus ſtudijs demereri connixus, nihil, quod virium ſuarum eſſet, prætermiſit. Hac enim propitiâ DEUM nôrat inſenſum eſſe non poſſe. Et quia ſanctos, indè Joſephum, integerrimum Virginis Sponſum; hinc Annam Virginis Parentem, non neſciebat, quantùm úterque, hæc apud Natam, ille apud Sponſam polleret, ambos præcipuo affectu, cultúque proſecutus, ad conciliandum Dominæ favorem adhibuit Patronos.

De ſanctis ſolùm rebus miſcebat colloquia.

19. Ejuſdem Diviniſſimæ Luſciniæ Magiſterio Adoleſcens piſſimus in familiari cum contubernalibus, aliisque noſtris Patribus con-

versatione didicerat, non nisi sancta, ac Divina Spiritumque concernentia miscere colloquia, quorum materiam ex librorum Spiritualium accurata lectione sibi collegerat; hac etiam in parte pro modulo suo imitatus, velut non degener pullus, suam hanc Cœlestem, Lusciniam, de qua S. Ambros. lib. 2. de Virginibus scribit, quòd fuerit *Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, & nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum habuerit.*

Ex lectione piorum librorum talia loqui didicit.

Unde de hisce ejus colloquiis ex libris potissimùm spiritualibus depromptis idem Auctor ita prosequitur n. 36. quæ autem legerat, ea, cum ventum deinde erat ad colloquium, multa cum verborum suavitate, audientiúmque fructu appositè memorabat. Cætera enim haud nimius verborum (quippe qui linguam lubricam non ignoraret) quoties tamen melioris argumenti mentio incidisset, nemo æqualium disertior illo, uberiórque habebatur. Et hanc dicendi copiam peperit frequens ista cum piorum voluminum lectio, tum divinorum commentatio: Quæ utraque cum semel animi sinus omnes implevit, exæstuans opportunè in linguam, & verba ebullit. Ea de causa contubernij sui Præfecto, aut cum eo Patre, cui explicare conscientiæ suæ arcana consueverat, multus illi sermo quotidie, ísque talis, qui semper ostenderet, ejus sensa nihil humile, mortaléque spirare.

Quæ fuerit orationum ejusdem materia.

Nam omnis ejus oratio non de alio fere argumento erat, atque de hominum prava ingratáque Indole, qui tot Dei beneficia oblivione tam alta transmitterent. Tum de via ac ratione, qua improbi reduci ad frugem brevissimè possent; inde de fructu, quem uberem ex labore suo apud Indos, in Barbaris ad Christum adducendis, vel apud septentrionales in hæreticis ad viam reducendis Societas caperet. Porrò de armis adversus Orci impressiones utendis, déque compendijs ad virtutem consectandam idoneis illi discurrere maximè cordi fuit. Atque hisce de rebus tanto cum sensu disserebat, ut appareret, earum ipsum ingentibus desiderijs ardere. Quapropter, ubi talium copia per alios non dabatur, subducebat de circulo se se, & inclusus Aræ familiaris ornamenta, aut Sacrarum Imaginum formas tantisper concinnabat, quoad dato signo cum Socijs ad literarum studia revocaretur. De profanis autem, utcunque forent narratu, vel auditu jucunda, serere sermones nunquam est dignatus; nisi cum in eorum contemptum disputaret; tum enim, ut vidimus, eloquentiâ nulli concedebat. Novorum denique impatiens, ne auditor quidem esse sustinuit. Quod facere jacturam temporis in auscultanda re nihili, & sæpius ex vano hausta, quàm veri comperta sapienter detractaret. Hæc ille.

Ge[illegible] Mariæ pullus erat hic Ubaldinus.

20. Ex quibus facilè colligimus Adolescentem hunc verè nobilem atque Angelicum Cœlestis Virgineæque nostræ Lusciniæ edoctum Magisterio tam in vocalis quàm mentalis orationis, disserendique de rebus Divinioribus studio edoctum suavissimos modulos non solùm in auribus Dei, verùm etiam Angelorum hominúmque velut genuinum Lusciniæ Pullum edidisse.

Vox, seu sermo B. Virginis partheniorum maximè soli[illegible] in auribus resonare debet.

21. Quare omnibus ac præsertim Parthenijs Sodalibus optandum est, ut dulcissimæ, canoræ, hujusce nostræ Lusciniæ vox in auribus eorum semper resonet, quo ejus magisterio ad laudandum magnificandúmque universorum Dominum ac Creatorem, ob cujus laudem conditi sunt, perdiscant. Quocirca identidem illa dicamus magna cum pietatis significatione. O Virgo! Luscinia Cœlestis, *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora,* Cant. 2. Hæc enim Virgineæ vocis dulcedo, illos à carnalium voluptatum illecebris abstrahet, & ad amorem virtutis rerúm-

Magna hujus vox.

que

que Cœleſtium accendet. Quàm porro dulcia, quàm amabilia Verba Virginei Cantici pijs animabus eſſe conſueverint, præclarè indicavit Rutilius Benzonius Epiſcop. Lauret. lib. 6. in Mag. c. 1. quid jucundius, inquiens, quàm Virginis puriſſimæ, atque Immaculatæ Verba audire; Quid dulcius, quam vocem Matris DEI auribus proprijs percipere? Neque enim ipſa Verba amabilia ac gratiſſima tantùm organo corporeo exiſtunt; Sed etiam auribus ipſius animæ, hoc eſt, intellectui, memoriæ, & voluntati jucundiſſima ſunt ad ruminandum, meditandum, & contemplandum: gignunt enim in anima non ſolùm ipſorum verborum ſententiam, & intelligentiam; verùm etiam harmoniam, & concentum quemdam Divinum, & ſpiritualem quandam conſonantiam, cujus ſonitu, & fragore anima fide, ſpe, & charitate imbuta feliciſſimè ad DEUM trahitur, & velociter currens viam mandatorum DEI jugiter in Domino gaudet, exultat, & recreatur: O igitur Virgo immaculata, atque dulciſſima! fac, rogo, *ut audiam vocem tuam.* Cant. 8. Et ſicut Saul vocem David cognovit, dicens. *Nunquid hæc vox tua, Fili mi, David!* 1. Reg. 26. ita Verba tua; quæ vitæ ſpiritualis Verba ſunt, à me percipiantur, & ſapido affectu cognoſcantur. Audivit Job vocem quaſi auræ lenis ejus, qui nocte illi apparuit, cujus tamen vultum non agnovit. Job 4. Audiam, & ipſe Verba tua, quæ ut eximiâ gravitate, maturitate, ac pondere plena ſunt, ita ſumma lenitate, humilitate ac manſuetudine coram Cognata Eliſabeth fulgente ſole prolata ſunt: Vox Evæ triſtitiam, captivitatem, perditionem ac mortem hominibus attulit: Vox MARIÆ gaudium, liberationem, lucrum, & vitam humano generi intulit. Vox fœminæ, mollitiem, levitatem, & effœminationem efficit. At Vox Virginis, ut vox Turturis contritionem, continentiam, & caſtitatem gignit. Eſt vox DEIPARÆ vox mulieris habitantis in hortis Divinarum virtutum, & gratiarum. Eſt vox Caſtrorum omnes terrens, & dejiciens. *Eſt vox Sponſæ*, id eſt, vox gaudij, & lætitiæ, quæ à DEO in pœnam aufertur à locis hæreticorum infidelium, & peccatorum. Hier. 16. *Eſt vox molæ*, qua panis, hoc eſt, caro Chriſti ad nutriendam charitatem in Eccleſia DEI conficitur: Hier. 26. *Eſt vox nubium, & aquarum multarum*, hoc eſt, doctrinarum Cœleſtium. Apoc. 1. & 24. *Eſt vox Tonitrui in rota!* in orbe terrarum, formidabilis, potens, & magna. Pſal. 76. *Eſt denique vox verberans terram.* Eccl. 43. id eſt, Hæreticos & peccatores carnales, ac terreos. Et quia labia Virginis ſunt veluti lilia diſtillantia myrrham, in quibus Divinæ gratiæ dulcedo diffuſa eſt, & ex quibus favus divinarum laudum non ſolùm diſtillans, ſed etiam largiter effluens emanat; Verba ſingula diviniſſimi hujus Luſciniæ Cantici identidem nominemus, ſi à pravarum concupiſcentiarum vermibus, ac putredine vitiorum præſervari, atque in virtutibus proficere deſideramus.

22. Hoc ſiquidem Cantico contra omnia vitia, ac peccata opportuniſſima, præſentiſſimàque remedia, & ad omnes virtutes excitamenta continentur. Cùm enim Virgo Beatiſſima in decantanda hac ſuaviſſima melodia, viſione Beatifica divinam eſſentiam, ejúſque attributa omnipotentiæ, miſericordiæ, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, & aliorum contemplata fuerit; ut ſenſit ſupra cit. Rutilius Benzonius. lib. 2. in Magnif. c. 2. viderit in illa ſine dubio, veluti lucidiſſimo ſpeculo, ea omnia media, quæ ad ſalutem conſequendam opportuna eſſe conſueverunt, ut ea contemplemur, ſicut & ea, quæ nos ab ea indipiſcenda avertere queunt; uti ſunt peccata, noxiæque cupiditates, ut eas fugiamus. Guſtaverit denique Cœleſtis beatitatis dulcedinem illam ſuaviſſimam, mentem no-

In ſuaviſſimo B. Virginis cantico præſentiſſima contra omne peccatum remedia continentur.

nostram ab omnibus voluptatum illecebris absorbentem, eandémque nobis hoc eodem suo Cantico propinavit, quo rerum omnium caducarum tædio affecti cœlestia appeteremus. Unde S. August. To. 9. Serm. in Cant. Magnif. ita Virginem alloquitur: *Vidisti Majestatem, gustasti suavitatem, ideó quæ intus hauseras, foras propinâsti, & in justitia ejus exultâsti.* Et nonnullis intercalatis. *Vera autem dulcedo quantò perfectiùs sentitur, tantò desiderabiliùs appetitur. Ad hanc contemplationis lucem MARIÆ mens elevata fuerat, quæ Cœlestis Patriæ dulcedinem in Verbis expressit, quam ineffabiliter comprehendit. Nam, cùm se magnificare Dominum perhibuit, edendam universis æterni muneris Majestatem, interna visione conteri se manifestè declaravit.* Hæc Aug.

Religiosus quispiam audiens vocem Virginis ad superna anhelavit.

23. Cœlestem hanc Virginei cantus dulcedinem degustârat Religiosus ille apud Cæsarium lib. 7. qui, cùm vocem hujus supermundanæ Lusciniæ audire aliquãdo desiderâsset, eámque, voti sui compos factus, tandem audijsset, terrena contemnens ad Cœlestia toto affectu mentis anhelavit.

Cantici Virginei summa dulcedo, & suavitas, quia Cœlestis & Divina, Verbo nempe Dei plena.

24. Et verò quis cantici hujus Divinissimi dulcedine non capiatur, ita, ut omnia terrena fastidiat; Siquidem ejus suavitas tota Cœlestis, tota Divina est, proveniens ab illa Virginis dulcissima anima, æterno Verbo, Spirituque Sanctissimo plena, in quam virtute Divinitatis velut perenni omnium deliciarum fonte liberalissimè influunt, eámque omni Cœlesti dulcedine complent. Unde S. Damascenus Orat. 1. de Nat. B. V. vocat ejus sermonem jucundum, ex leni anima progredientem. Idem eandem ob causam orat. 2. de Dormit. Deiparam *dulcem Mannæ Urnam* appellat. Quid enim dulce Manna, quid panis ille, Angelicis manibus confectus, qui in Arca fœderis urnâ aureâ continebatur, quid quæso notabat aliud, quàm Incarnatum Verbum, quàm panem vivum, qui de Cœlo descendit, in quo omnes Cœli deliciæ atque cupediæ continentur? Unde S. Bonaventura in Psalterio minori ita illam salutare non dubitâvit.

Ave Virgo Flos æstatis,
Tu Divinæ suavitatis
Mel & Manna suscepisti.
Et hæc nobis porrexisti
Nobis Manna mirificum
Servâsti mirabiliter,
Manna terminans Typicum.
Figuratum veraciter,
Quod datur communiter
Israeli in Viaticum.

Altera suavitatis causa Spiritus Sanctus.

25. Ejusdem Virgineæ suavitatis causa altera fuit Spiritus S. qui velut quoddam excellentissimum Organum superni Opificis manibus mira arte fabre factum Virginem afflans, melleos planè in ea, dulcissimósque modulos, Orpheos Amphioniósque longè excedentes efformavit mundúmq; universũ Cœlesti suavitate recreavit. Quare non immeritò B. Andreas Cretensis illam *Cœlestis lætitiæ organum* vocitavit. Nimirum Spiritus ille, qui eam impulit, ut in Montana tenderet cum festinatione, est increatæ illius Sapientiæ, Dulcissimique Verbi Spiritus, de quo ipsamet ajebat: *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas meã super mel & favum* Eccli. 24. Hac igitur gemina Verbi Spiritûsque Divinissimi dulcedine, seu uberrimis omni delectatione redundantibus irrigata Virgo nostra fontibus, quid mirum, ejus Verba, ac voces ejus operationes universas, Divina refertas fuisse suavitate; quam etiam orbi propinavit universo.

Deipara Evæ ejúsque actionibus opposita.

Quare sentiendum omnino Deiparam primæ Matri Evæ, ejúsque actionibus oppositam esse, & quemadmodum illa fructum mortis amarissimæ ex arbore scientiæ, boni & mali decerpsit, & mundo intulit, sic Virgo nostra benignissima Verbum æternum, ope operaque Spiritûs Sancti in purissimo suo utero concipiens, ac pariens, arbor veræ ac æviternæ effecta vitæ, fructum dulcissimum ac vitalem, mortuos ipsos resuscitantem, peperit. Unde jure merito illi cantat, eique benedicit Ecclesia *Benedicta Filia tu es à Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus.*

26. Hinc

Per MARIAM in pristinum innocentiæ statum reduci nos oportet.

26. Hinc S. Bernard. Ser. 2. super missus infelicem illã Evam amarissimæ mortis nostræ causam invitat, ut ad Mariam recurrens, seque illi conformans, in pristinæ vitæ innocentiæque statum novi ipsius fructus degustatione reducatur. *Curre Eva* inquit S. Doctor, *ad Mariam, curre Mater ad Filiam; Filia respondeat, ipsa Matris opprobria auferat, ipsa Patri pro Matre satisfaciat. Quia ecce, si vir cecidit per fœminam, jam non erigatur, nisi per fœminam. Quid dicebas o Adam? Mulier, quam dedisti mihi, de ligno dedit mihi, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quàm deleas culpam. Veruntamen sapientia vicit malitiam redditur nempe fœmina pro fœmina, prudens pro fatua, humilis pro superba; quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso illo cibo amaritudinis dulcedinem pariat fructûs æterni. Muta igitur verbum iniquæ excusationis in vocem gratiarũ actiones & dic: Domine Mulier quã dedisti mihi dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & factum est dulce super mel in ore meo, quia in ipso vivicasti me.* Hæc Bern.

B.V. Melimelo comparatur primo, quia Christum portavit.

27. Ob hujus Virginei vitalísque fructûs Dulcedinem jure merito Deiparam Melimelo comparare possumus, quæ Arbor S. Isidoro teste lib. 17. Etym. c. 7. à dulcedine ita appellata est, quòd ejus fructus mellis saporem habeat, vel quòd in melle servetur. Hinc Poëta ille.

Si tibi Cecropio saturata Cidonia melle.
Ponentur, dicas: Hæc melimela placent.

28. Quare præclarè Franc. de Retza To. 1. MS. in salve Reg. Quid, inquit per Melimelum convenientiùs accipimus, quàm gloriosæ Virginis uterum, & ejus castum corpus, quæ portat pomum, scilicet Christum melle divinitatis dulcissimum, per quem omnia, quæ sunt in ea, ita sunt in dulcedinem versa, ut congruè ipsa dulcedo sit nominanda. Si enim vasculum novum, ac mundum melle repletum contrahit saporem, dulcorémque melleum; multò ampliùs ipsa Virgo melle divinitatis penetrata, & ex omni parte dulcore gratiæ, ac virtutum repleta, ita, ut non sit in ea pars ulla, quæ hac dulcedine plena non sit, unde & de ejus dulcissimo illo fructu gustavit, de quo dicit sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Omnes mundi voluptates quæ dulces videntur, amaras experitur, ut ait Gregorius super Cant. Est enim suavitas dulcis contra carnalis vitæ illecebras, atque ita dulcedo dulcedinem vincit; quemadmodùm clavus clavum expellit, ut loquitur Bern. ser. 20. in Cant.

29. Hujus Melimeli Virginei S. Bonavẽ. expertus fuisse videtur dulcedinem, ut qui in Spec. B. V. c. 10. ita de ipsius pulchritudine ac suavitate pronunciavit: *Sicut sponsa Spiritûs Sancti Maria formosissima fuit conversatione; ita etiam dulcißima est in allocutione; sicut dicitur in Canticis: Favus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua. O quàm melliflua verba sæpiùs distillaverunt dulcißimæ Mariæ labia. Quæ etiam bene lac & mel sub lingua habuit, in duobus verbis, quæ Gabrieli respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nonne etiam mel sub lingua habuit, quando mellifluum illud dulcedinis verbum respondit: Ecce Ancilla Domini. De melliflua namque hujus melliflui verbi suavitate, per totum mundum melliflui facti sunt cœli. Maria insuper mel sub lingua habuit in mellifluis orationibus ad Deum, lac verò sub lingua habuit in lacteis collocutionibus ad proximũ. Eja ergò quanti decoris, & quanti dulcoris est illa sponsa summi Consolatoris! Sic ille.*

Comparatur eidem secundo ob suavitatem singularem.

30. Ad idem illud Virgineum Archangelo datum responsum quo se velut Ancillam ad omnem Domini nutum prompta exhibebat, labia favum distillantia transtulit Guilelmus

Tertiò ob gratiam in loquendo.

Abbas. Unde ejus suavi eloquentiâ captus, ita eam alloquitur confidenter: *Dic ergò verbum dulce, dic, quod dictura es; quia tempus loquendi est, non tempus tacendi, noli tuo silentio salutem omnium suspendere, vel impedire, ne videaris prophetarum veritati, & omnium saluti nunc invidere. Ecce os tuum respiciunt Angeli hominum amatores, Sancti Patriarchæ, ac Prophetæ apud Inferos positi expectant verbum tuum, quasi imbrem serotinum, omnis creatura ingemiscit, & parturit usque huc sub expectatione verbi dulcissimi: quin dicis, quod dictura es? Adhuc labia tua sicut mel in favi cera, quia nondum erupit verbum dulcissimum, adhuc sunt labia tua sicut favus, sed distillans id est, occultæ aliquid dulcedinis emittens dicendo: Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco? Adhuc mel & lac sub lingua tua, verbū nempe illud dulcissimum, quod erit mel Angelorum, & lac mortaliū. Ut ergò lætentur Angeli, lætentur homines, non sit ulterius tam dulce mel, & tam dulce lac sub lingua tua, sed potiùs in lingua tua. Non ulteriùs verbum bonū sub modio abscondatur sed ad salutem omnium in luce ponatur. Nec morata Virgo: Ecce Ancilla Domini fiat mihi &c: Hoc planè est verbum dulcisonum, quod & Angeli & homines desiderabant audire, hoc est mel, & lac, quod erat sub lingua Virginis.* Hæc Gulielmus quæ omnia eodem planè modò, ac jure dici possunt de jucundissima cœlestis hujus Lusciniæ melodia, ac cantu illo, quo Dominum magnificavit; qui quàm dulcis, quàm mellifluus extiterit, utpote ab inhabitante in ea verbo divinóque spiritu proveniens, quæ mens capere quæ lingua effari poterit? Et verò, si Luscinias quæ in Thracia circa sepulchrum orphei versabantur, nidósque habebant, omnibus reliquis canere suaviùs vocaliorésque cantus reddere Orphei musici suavissimi quodammodò magisterio edoctas asseveravit Pausanias, in Beoticis, quantò magìs Virgineam hanc Lusciniam omnibus choris Angelicis cecinisse suaviùs nobis persuadere debemus; utpote, quæ verbis, Spiritûsque Divini magisterio canere edocta fuit. Hinc Dionysius Richelius art. 15. in Cant. verba illa interpretans Sponsi. *Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Cant. 4. *Fons & causa,* inquit *universæ suavitatis eam, quā prælegit in Matrem, tanta replevit suavitate, ut nec ratio capere, nec lingua queat exprimere. Itaque labia intellectualia Virginis sanctæ, quibus Deum suum intra cordis sui arcana assiduè alloquebatur, laudabat, orabat, suavissima esse oportuit, suavissimumque favum distillaverunt, quoniam actus internos, Deo acceptissimos, produxerant, imò incessanter producunt, sub quibus sacratissimis labiis, mel & lac continentur.*

Mel merum, responsum Deiparæ ad Angelum.

Vox Virgineæ hujus Lusciniæ suavissima fuit quia Verbi Spiritûsq; Divini magisterio edocta.

31. Mel utique ardentissimæ charitatis, & suavitatis internæ, ex Divina summi boni plenissimáque fruitione: lac quoque refectionis saluferæ ex inspectione, ex dilectione humanæ Filii sui naturæ ex se assumptæ, sicque ingrediens invenit pascua in Deitate, & egrediens in Christi humanitate.

Mel cha[illegible] & lac [illegible]ræ refectionis sub labiis B. Virginis continentur.

32. Cùm igitur verba Divinæ Matris dulcedinem omnem à Divinis Personis eam inhabitantibus mutuentur, quis quæso ad ea audienda, atq; observanda non accendatur: Nimirum in hodiernum usque diem, utpote increatæ sapientiæ parens, nos ut quondam Mater Salomonem Filium erudit verbis illis dulcissimis Pro. 4. v. 4. *suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea & vives. Poßide sapientiam, poßide prudentiam, ne obliviscaris neque declines à verbis oris mei. Ne dimittes eam, & custodiet te; dilige eam, & conservabit te. Arripe sapientiam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris complexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta*

Verba D[illegible] Matris [illegible] dulcedinem suam à D[illegible] personis accipiunt audienda [illegible]

clytâ proteget te. Audi me Fili, & ſuſcipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ; viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Tene diſciplinam, ne dimittas eam, cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua. Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec tranſeas per illam, declina, & deſere eam. Illius quoque verſ. 20. ſunt verba mellis Maternæque indulgentiæ, charitatíſque pleniſſima, quæ imis cordis noſtri medullis meritò nobis defigenda ſunt. *Fili mi, auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui; vita enim ſunt invenientibus ea, & univerſæ carnis ſanitas.* Quibus verbis Virgo tanquam Magiſtra ſapientiſſima ſuum clientulum velut Puerum oſcitantem ad attentionem excitat; tum quia diſciplina morum moleſta eſt, tum quia pueri mente vagari ſolent, unde crebrò excitandi ſunt, ut eam ad dicta Magiſtri revocent. Requirit denique eiſdem verbis humilitatem in diſcipulo, dum ait inclina aurem tuam.

[H]umilitas vox [Vi]rginis audi[en]da.

32. Quaſi diceret: Sicut dum ſonum muſicum audire concupiſcis, auré inclinas, ut ſonus per aures déiſſas aſcendat, pérque ſinuoſos aurium meatus ſurrepat ad ipſum auditûs organum; itáque ſuaviorem in auribus harmoniam excitet: ſonus enim naturâ ſuâ fertur ſurſum; ſic pariter tu aures corporis, & cordis humiliter inclina dictis meis; ita ſuaviora tibi accident. Nam ut ait S. Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap. 9. *Sinuatio interiorum aurium modulandi quemdam numerum præſtat, & diſciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam Rhythmus efficitur, & modulis quibusdam ingreſſæ ſonus vocis exprimitur;* quod planè voci dulciſſimæ Deiparæ noſtræ congruit, quæ cùm ſapientiæ pleniſſima ſit, illi non modò aures applicandæ ſunt, ut percipiatur; verum etiam manus, ut, quod jubet operibus ipſis exequamur. Ad hoc faciendum nos edocuêre Lacedæmones, qui ſimulachro Apollinis, quo ſapientiam deſignabant, quatuor aures, totidémque manus affingebant, ut ſignificarent ſapientiam multarum rerum auditione, & manuum operatione comparari, ut docet Pierius Valer. lib. 33. Hierogl. c. 25.

Non audire tantùm, ſed auditis etiam obedire nos convenit.

33. Quàm porrò verba, doctrináque Virginis ſalubria eſſe conſueverint, ipſa verbis illis, declaravit: *Vita enim ſunt invenientibus ea, & univerſæ carni ſanitas:* Hebræus legit: *Medicina*, vel *medela*; ſept. Interpp. *Vita enim eſt invenientibus eos;* alludúntque ad fontes medicos, uti ſpadanos in Arduenna, qui indè bibentes à calculo, aliiſque morbis perſanabant. Simili enim modò animæ calculos, & quoſvis morbos Doctrina Virginis dogmatibus cœleſtibus ſapientiæ pleniſſima curat, ac ſanat; ut proinde ab omnibus maximè jure meritò facienda videatur.

Verba & doctrina Virginis ſaluberrima eſt.

34. Ut autem & reliqua de cœleſti Philomela hac noſtra breviter exequamur; quæ, quàm indies ad ſalutem, ac vitam æternam nos, & omnes fideles ſuos parturiat, tum pervigili deprecationis ſuæ voce ac cantu vivificat, *Materno* ſatis nomine ipſa teſtatur; non aliis magis titulis delectari ſolita, quàm, cùm Matrem gratiæ, Matrem Miſericordiæ ſalutamus. Illius vox eſt, quam aliquando Apoſtolus uſurpavit ad Galatas. 4. v. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis* id eſt, donec illum induatis, qui verè vita eſt, & ideo de viſceribus virgineis naſci dignatus eſt, ut vitam habeatis, & abundantius habeatis. Eadem verba Pauli reſpiciens Guericus Abbas. ſerm. 2. *Hoc ipſum*, inquit, *Maria ſapere videtur, quæ dilectum uteri ſui, dilectum votorum ſuorum inſinuare cupiens affectibus omnium, cupit forma-*

Materna ſollicitudine nos fovet, ac quaſi parturit in Chriſto Philomela Virginea.

re unigenitum suum in omnibus filiis adoptionis; qui etsi geniti sunt verbo veritatis; nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio & cura pietatis, donec occurrant in virum perfectum, in mensura plenitudinis ætatis filii sui. Hinc passim apud SS. PP illi tituli, quos collegisse in unum visus est B. Aelredus Abbas serm. 2. de nat. Virg. *Mater redemptionis nostræ, Mater justitiæ nostræ Mater lucis, vitæ, sanctificationis, sapientiæ nostræ.* Et mox: *Mater nostra vere Deipara, per quam nati sumus, per quam nutrimur, per quam crescimus; per illam etiam nati sumus non mundo sed Deo; per illam nutrimur, non lacte carnis, sed illo, de quo dicit Apostolus.* 1. Cor. 3. *lac vobis potum dedi, non escam, per illam crescimus, non magnitudine corporis, sed in virtute animæ.*

Struthiocamelus, & Leænæ quomodo partus suos animent.

35. De struthiocamelo refert Plinius l. 10. c. 1. Eum ova sua fixo sæpius in eadem obtutu ad maturitatem perducere, atque excludere. Tale aliquid de Leonis catulo animando memorat S. Epiphanius in lib. ad Physiolog. c. 2. Cæcum illum, & uti ita dicam, mortuum, Leæna cùm effudit, triduo toto oculis fixis in eum intuetur cùm & ipse accedens leo in illum spirat, & sic quasi inanimo adhuc corpori vitam demum infundit. De Leænæ dotibus eum sanctissima Dei ac nostra genitrice comparatis supra jam dictum est, Discurs. 24. De vivificis autem illis in Maria misericordiæ oculis, quam ipsam, *totum oculum*, compellavit Richard. à S. Laurentio, & Albertus M. dicere fusiùs nihil attinet; illud hic solùm Philomelæ proprium ut attingam, quis nescit vim verborum, ac admirandam vocis Marianæ efficaciam? semel locuta est Angelo; *fiat mihi*, inquiens, *secundùm verbum tuum;* & en continuò vitam illam divinam, Deum, inquam, omnia spiritu oris sui vivificantem è cœlo in terras, in exanimem ab originis suæ puncto mundũ istum pertraxit. *Verbum* exinde edidit, quo non majus nec efficacius tota æternitate Divinus ipse Pater locutus est. Sed & nunc perpetuò loquitur, ac interpellat pro nobis, *Deprecatrix pro nobis ad Deum.* ut ait S. Joan. Damasc? ac ideò *vivificatrix omnium*, quemadmodum de Deipara pronunciavit S. Bernardin. Senens: quoniam, ut idem ait, Tom. 3. serm. 1. de nom. M. *per ipsam omnia mortua vitæ sunt restituta.* Vita igitur nostra, modis omnibus vitam omnem è cœlo nobis aspirans Maria est. *Vita divina* (verbis utor S. Anselmi Lucensis super Salve Regina) *fortificans potestate, impetratione divinam sapientiam exhalans, & divina vegetans Bonitate.* Nempe Lusciniarum in morem, de quibus supra ex Æliano meminimus, suo inter fovendum cantu ova animare illas solere.

Verba deprecationis & alia quibus nos Maria vivificat.

Philomela pullos suos quam sedulò in cantu instruat.

36. Sed parum Philomelæ est, vitam pullis aspirare; similes sibi ut genere, sic vocis amœnissimæ concentu, & artificio cupiunt, quas in vitam genuerunt. Inde videre & audire luscinias matres est, quæ vocem præcentu temperent; juniores autem (ut inquit Plinius cit. n. 13.) quæ velut meditabundæ versus, quos imitentur, accipiant. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Quid Mater Philomela nostra? an non vox illius per Isajam ad nos est? *Audite me, qui sequimini*, & rursum; *Attendite ad Saram, quæ peperit vos.* c. 51. Docuit hoc ipsa inter alios genuinos pullos suos præclarè seraphicum illum & amatorem & imitatorem eximium D. Bonaventuram: qui non contentus in prolixo & affectuum Marianorum pleno psalterio Matris suæ amantissimæ laudes assiduas concinere; nisi & moribus integerrimis (qui vox sunt quædã omni concentu præstantiores) eidem se se conformare studeret. Idem in stimulo amoris Divin. Part 1. quod in se expressit ipse, ad nos transferens, ait: *Hoc semper habeas pro regula generali, ut ejus, scilicet Virginis Mariæ*

Nos etiam in voce morum similes sibi cupit Philomela Virginea.

riæ veſtigia ſimpliciter imiteris, cujus appetieris ſuffragia poſtulare, quia tunc procul dubio te illi, tanquam Matri veraciter exhibebis; & ipſa te tanquam filium ſuum veraciter adjuvabit. Hoc vox eſt optima, deprecatio & Laudatio Matri acceptiſſima, quæ nimirum puriſſimis moribus ejus quàm maximè conſonat: ut enim loquitur S. Ildephonſus. *Magis Mariæ placet imitator devotus, quàm Laudator otioſus.*

Dolor Philomelæ amiſſo fœtu

37. Quin nec filium agnoſcit Mater, ſiquis degener à piis conatibus, non aurem, non vitam ſuam ad harmoniam illam virtutum Marianarum accomodat. Et multos quidem obſtinatione ſua ipſorum indociles exturbat illa de nido favoris ſui; plures alienorum voce ſeductos; per multos in ſpe prima abreptos ſibi, vehementer dolet Mater Divina:

Qualis populea mœrens philomela ſub umbra.
Amiſſos quæritur fœtus, quos durus arator.
Obſervans, nido implumes detraxit: at illa.
Flet noctem, ramóque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mæſtis latè loca queſtibus implet.

Virgil. Georg. 4.

Dolor Deiparæ in morte filii.

Scio, hunc Virgineæ Philomelæ dolorem in illud præſertim tempus convenire, quo ereptum ſibi vidit unicum amantiſſimum pignus ſuum, filium Dei unigenitum; cùm adjudicatum morti, cruci ſuffixum, tumulo recluſum, verbo: à ſinu velut ſuo tam crudeliter avulſum ſpectare, ac deplorare coacta eſt. Verùm ſatis multa hoc de dolore dicta invenies Diſc. 6. à n. 26. plura etiam Diſc. 29. à n. 33. Alios, ſiquo in cœlis mœroris ſenſu tangi poſſet Mater Divina, ploraret nunc ipſa, heu! infeſtis manibus, ac veriùs ſtygiis Harpyarum unquibus è ſinu ſuo abreptos. Juvenculos intelligo, innocentiſſimæ diu indolis, morũ integerrimorum, exemplar probita-

Dolor ejuſdẽ non minor ob ſeductos, & abreptos ſibi, aliàs teneros Clientes ſuos.

tis. Quamdiu nimirum in cultu divino, ac Virginea Matris ſuæ ferventes, in cœtibus Marianis frequentes, ad officia pietatis, ad moderatorum ſuorũ nutus attenti, in nido habitabant Philomelæ ſuæ; tam diu apti ac digni, quorum pios ac ſuaviſſimos mores tanquã vocem Dei jucundiſſimam eadẽ Cœleſtis Mater probaret, & in amoribus ſuis haberet; Ut verò illos, quis neſcio, ater milvius, corruptus ſocius à Divinæ Matris pietate & innocenti morũ imitatione abſtraxit; poſsétne aliquid illi accidere triſtius? Verè *Rachel plorans filios ſuos, neque jam volens conſolari, quia non ſunt.* Luſcinias educari rata, cùm illos poſt corvorum gregẽ abire, cum improbis crocitare, cum vulturibus ad fœtorem cadaverum adhærere mæſtiſſima aſpicit. Væ aliquãdo talibus tam innocentis Mariani fœtûs raptoribus? ſi quos ullos hoſtes ſuos tum iſtos certè ad juſtiſſimã vindictam hæc cœleſtis Luſciniæ, ac columbæ ira depoſcet.

Væ juventutis depravatoribus.

Æmulatio mira Philomelæ, & victoriæ ardor in canendo.

38. Præter hanc Philomelæ pro ſobole ſua æmulationem memoranda etiam venit illa, de qua ſupra cit. n. 13. inſinuat Plinius vitam nimirum citiùs interdum illis deficere, quàm cantum: adeò incenſas eſſe vincendi ſtudio, ut & fuerit aliquandò, quæ à citharædo provocata, ac victoriam ſperare auſa, in niſu medio vocem cum vita reliquerit; pro tumulo nacta ipſam citharam, in quam ex arbore delapſa procubuit. Pulchro carmine huic parentatum eſt à Famiano ſtrada, quod hoc loco ob ſingularem elegantiã prætermittere non poſſum, ſic igitur ille Proluſionũ l. 2. Prol. 6. n. 7.

Philomela cum Cytharœdo certare auſa, ſuccumbit tandem; citharã in quam delapſa eſt, nacta in tumulum.

Jam ſol è medio pronus deflexerat orbe.
Mitius è radiis vibrans crinalibus ignem;
Cùm tibicen propter Tyberina fluẽta, ſonanti.
Lenibat plectro curas, æſtúmque levabat,
Ilice defenſus nigra, ſcenáque virenti.

 Audiit

Audiit hunc hospes silvæ Philomela propinquæ
Musa loci, nemoris siren, innoxia siren.
Et propè succedens stetit abdita frondibus, altè
Accipiens sonitum, secúmque remurmurat, & quos
Ille modos variat digitis, hæc gutture reddit.
Sensit se fidicen Philomela imitante referri.
Et placuit ludum volucri dare; Plenius ergò
Explorat citharam, tentamentũque futuræ
Præbeat ut pugnæ, percurrit protinus omnes.
Impulsu pernice fides. Nec segnius illa
Mille per excurrens variæ discrimina vocis
Venturi speciem præfert argutula cantûs.
Tunc fidicem per fila movens trepidantia dextram,
Nunc contemnenti similis diverberat unque,
Depectítque pari chordas, & simplice ductu
Nunc carptim replicat, digitísque micantibus urget
Fila minutatim, celeríque repercutit ictu.
Mox silet, illa modis totidem respondet & artem
Arte refert, nunc ceu rudis, aut incerta canendi
Proiicit in longum, nullóque plicatile flexu
Carmen init, simili serie, jugíque tenore
Præbet iter liquidum labenti è pectore voci,
Nunc cæsim variat, modulísque canora minutis
Delibrat vocem, tremulóque reciprocat ore.
Miratur fidicen parvis è faucibus ire
Tam varium, tam dulce melos: majoráque tentans
Alternat mira arte fides: dum torquet acutas
Incidítque: graves operoso verbere pulsat,
Permiscetque simul certantia rauca sonoris,
Ceu resides in bella viros clangore lacessat;
Hoc etiam Philomela canit, dumq́ ore liquenti
Vibrat acuta sonum, modulísque interplicat æquis:
Ex incpinato gravis intonat, & leve murmur
Turbinat intorsus, alternantíque sonore
Clarat, & infuscat, ceu classica Martia pulset.
Scilicet erubuit Fidicen, iráque calente
Aut non hoc, inquit, referes citharistria silvæ,
Aut fractâ cedam citharâ; nec plura locutus
Non imitabilibus plectrum concentibus urget.
Namque manu per fila volat; simul hos, simul illos
Explorat numeros, chordáque laborat in omni.
Et strepit, & tinnit, crescítque superbius, & se
Multiplicat relegens, plenoq́ choreumate plaudit.
Tum stetit exspectans, si quid paret æmula contrà.
Illa autem, quanquam vox dudũ exercita fauces
Asperat, impatiens vinci simul advocat omnes
Nequicquam vires; nam dum discrimina tanta
Reddere tot fidium nativa, & simplice tentat
Voce, canaliculisque imitari grandia parvis;
Impar magnanimis ausis, impárque dolori
Deficit, & vitam summo in certamine linquens,
Victoris cadit in plectrum, par nacta sepulchrum. Usque

Usque adeò & tenues animas ferit æmula virtus.

Deipara veteris testamenti sanctos quàm studiosè sit æmulata.

39. At, si in tenui Philomelæ anima tantum æmulæ virtutis inest; quid de magna illa, ac inter purè homines maxima Mariæ anima, de virginea, inquam, Philomela nostra hìc adferam? ut cujus à prima infantia studium illud præcipuum fuit, in exempla Majorum suorum sancta inspicere, ab illorum virtutibus documenta, & stimulos capere, quibus ornaret se se, ac exquisitam præ omnibus sanctitatis formam exprimeret. Et verò non tãtùm infinitis ferè modis exsuperavit illos; sed & ad ipsum sanctitatis increatæ exemplar sic ipsa proximè æmulatrix accessit; ut nemo præ ipsa unquã propiùs ac altiùs. Hinc jure meritò apud Richard. à S. Laur. l. 4. de laud. B. V. audit: *Imitatrix vera & unica Filii*, apud Albert. M. super Miss. c. 67. *Imitatrix domini in omnibus* & c. 191. *Imitatrix summi principii in summo.* Quo quid majus ad expressionem æmulationis excellentissimæ in Philomela Virginea dici posset? Etsi autem virtutum omnium nulla non fuit, qua (præsertim à suscepto divinissimo unigenito suo) ad normam ejus perfectissimam exprimere conata non esset, per omnia assimilari illi contẽdens, qui ab ipsa suscipere carnem dignatus est: tamen in virtutum omniũ summa, in amore, inquam, Divino, mirum quantum excelluit. *superat*, inquit S. Anselmus l. de excell. Virg. c. 4. *superat omnium rerum creatarum amores & dulcedines magnitudo amoris istius virginis in filium suum.* Adeò nimirum vocem ardoris sui incremẽtis in momenta singula perpetuis intẽdebat Virgo sãctissimè æmula; ut victa demum ab amante Filio, immori amori suo necesse tandem habuerit. Nam, præterquam quòd ex cõmuni SS. PP. sensu Mors Deiparæ, amoris potius extremus languor, quo, ut inquit Chartagena, Phœnicis in morem absumpta sit, dici debeat; manifestè satis id ipsa asseruit ad S. Birgittam, revel. l. 6. c. 62. mortis suæ modum sic exponens: *cũ quadam die animus meus esset suspẽsus in admiratione Divinæ charitatis tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione; quòd vix se capere poterat; & in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta.* En: *in admiratione Divinæ charitatis*, inquit, in ea nimirum, ad quam dum suam vicissim intendit Philomela nostra Virginea, animam simul exhalavit; citharam nacta pro tumulo, puta: sinum cælestem ac totius consonantissimæ, ut sic dicã, Trinitatis.

Æmulata maximè fuit virtutes & sanctitatem filii.

Præsertim intensionem amoris.

Cui etiam immoriens succumbit.

Epilogus Operis.

40. Atq; hìc victus tandem & ipse amplitudine laudum Marianarũ, desino; de luscinia quidem Virginea, sed & universè de mundo, ac speculo Mũdi hujus sublunaris commẽtationẽ hanc meam abrumpens. Non, quasi his triginta rerum sublunariũ proprietatibus per discursus totidẽ exhauriri potuisse Marianas laudes omnes existimarem; sed, ne, si & in reliquis singulis insistere pari via voluissem, scriptioni infinitæ finis non esset. Nam, quidquid usquã in rebus creatis perfectionis ullius est, id totum innumeris modis copiosiùs & perfectiùs cõtineri sumus in ea quæ per S. Bernardin. sen. Tom. 1. serm. 61. Ipsa *Perfectio totius creatæ naturæ omnes naturas, & mundi perfectiones ultima sua perfectione complevit.* Igitur nihil in microcosmo, seu ullo hominum, tam singulare ac admirandũ, nihil in universis animantium cæterorum naturis tam vivificũ, nihil in plantis & floribus tam salutiferum, nihil in metallis, ac gemmis quibúsve tam pretiosum ac elegans, nihil in ullis artefactis tam mirificum & excellens; nihil denique in omni creatura sublunari ab authore naturæ tam ornatum, ac numeris omnibus absolutum extitit unquam; quod non perfectius, elegantius, admirabilius in una Dei Matre ac Virgine infinitis modis resplendeat. Ipsa est enim, ut Richard. à S. Laur. l. 2. de laud. B. V. loquitur: *Complemẽtum*

Deipara omnium perfectionum creatarum compendium.

tum post filium, omniū, quæ facta sunt, & quæ futura sunt. Adeóq; argumētum pariter laudum suarum de se perpetuò suffectura, quamvìs innumeros adhuc mundos ex omnipotentia sua creator Deus educeret; futura nempe mundus ipsa omni semper mundo excelsior, ornatior & mirabilior. Et verò si meritò Sanctissimæ Matri ac Virgini tribuitur, id, quod dictum est sapient. 7: *candor est lucis æternæ, & speculū sine macula Dei Majestatis, & imago, bonitatis illius.* Imago, inquam, si est illius Deitatis, quæ fons est omnis gratiæ, pulchritudinis, & perfectionis; quātò non magis rerum harum inferiorū ac omniū ab ipso conditarū? ut frustra sit proinde, ad singulas rerū sublunarium proprietates, tū perfectiones, Marianos laudum titulos velle perducere.

Si Dei imago est, quantò magis rerum creatarum.

Si velimus amplius, superat nostram laudandi facultatem MARIÆ excelsitas.

41. Aliàs ausim dicere, quod confidenter de suo in Divinissimam Matrem amore & studio scripsit Petrus Cellensis l. 6. Ep. 23. *Cataractas cœli, & fontes abyssi libentiùs in obsequiū Virginis solverem, quàm clauderem. Et si filius Ejus JEsus aliquid omisisset in prærogativa exaltationis suæ Matris; ego servus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem.* Ast quoniam; ut ait S. Joan. Damasc. *Ipsa encomiorū omnium legem excedit:* quoniam & ex mente Fulberti serm. de assumpt. *Altior cœlo est, de qua loquimur, abysso profundior, cui laudes dicere conamur;* quid, quod aggredi ausit nemo, ut unus forsan infirmo, languido, & senescente scriptionis conatu assequi posse confidam? quod piissimum votum fuit Psalmistæ seraphici, hoc saltē cum eo precari liceat, ps. 148. & seq. *Laudate Dominā nostram omnes homines, & jumenta, volucres cœli & pisces maris. Aqua & ignis laudent eā frigus & æstus, splendor & lumē laudate Eam sol & luna, stellæ & circuli planetarum: laudate Eam Cherubim & Seraphim, Throni & Dominationes, & potestates. Laudate eā omnes legiones Angelorum, laudate Eam omnes ordines spirituum supernorum.* Verbo: universa Dei magnalia, cum mirabilia sive in cœlo, sive in terra, per quæ filiam suam ante omnes creaturas electam Cœlestis Pater, *Matrem* Filius, Sponsam Spiritus S. exornare dignatus est, universa, inquam, illa laudem, gloriam, & magnificentiam dicant *Dominæ* nostræ, & *Matri* universorum.

Invocantur res creatæ ad laudes Deiparæ assiduè dicendas.


42. Dicent enim verò, quam diu erunt, non dubito honorificentiam nominis tui, ô MARIA, non Cœli solùm & sidera; sed & terra, ac omnia, quæ in ea sunt, te sublunare speculum suum prædicabunt; si ora hominum, aut Angelorum tacuerint, montes & colles, cum plantis jumenta & volucres pronuntiabunt eloquia tua. Sed & tu vicissim pro nobis, pro mundo universo, pro hoc ectypo tuo loqui non cessa apud Divinum & tui, & totius hujus Archetypum, Deum & Dominum Cœli & terræ. Age Virgo, & Mater pientissima Orbem hunc, præcipuè Christianum, ac cultui tuo sacratum, tot indies colluctantem periculis, oppressum calamitatibus, fatiscentem ab hostibus, infirmum, trepidantem, ac fragilem constanti favore, intercessione, & patrocinio tuo, mundus ipsa solidior, sanctiórque, confirma, & serva. Nos in eo desertos suscipe, afflictos solare, delictorum pondere prostratos erige, pœnarum plurimarum reos unigenito Filio tuo concilia; demum sanctissimis virtutum tuarum exemplis & meritis gratos nos Deo, ac placabiles redde; ut in mundo hoc misero extra mundum, aut non nisi intra mundum favoris tui, ô MARIA vivamus: ut per te facilem semper & benignum accessum habeamus ad Patrem, per quam ad nos é cœlo descendere, nobiscum habitare sua morte nos salvare dignatus est amantissimus Filius tuus. Tum autem quàm maximè, cùm penitùs à mundo deserendi, ex mortali ac misera vita ista vocabimur; fac, ô Mater benignissima, super illos cœlestes orbes in brachio tuo forti ad te sublatos nos recipe, ubi te non jam ampliùs mundum, sed & cœlis ipsis, ac omni creatura sublimiorem perpetua veneratione colamus, in admirabili aspectu tuo lætemur; pro gratiis tibi, & per te nobis à Divina Bonitate misericordissimè impensis dignas & æternas gratiarum actiones reddamus. Amen.

Deprecatio ad mundum nostrum sublunarem Virgineum.

DEO ter Optimo Maximo, Ejusdémque Sanctissimæ Matri sit Sempiterna Laus, Honor, & Gloria.

INDEX





INDEX PRIMUS
RERUM, QUÆ IN HOC SPECULO MUNDI SUBLUNARIS CONTINENTUR.

Lit. Pr. Proœmium. Lit. D. Discursum. Lit. n. Paragraphum denotat.

a Affi-

Athe-

Idem

Cinnamomum.

Cingulum.

Cistercienses.

Dæmo-

E.

Ebrietas.

Item

I.

Jacobus.

Icon.

S. Ignatius.

S.Jo-

sub

in

sub

N.

Oblatio.

Oculus.

S.

Sampson,


T.

Tabernaculum.



Index





INDEX ALTER,
MARIANUS, SEPARATIM COMPLECTENS ORNAMENTA, ET VIRTUTES DEIPARÆ VIRGINIS, SEQUENTI TITULORUM ORDINE.

P   1. *MA-*

I. MARIA.

2. *MARIA Arca.*

3. *MARIÆ Aspectus.*

4. *MARIÆ Assumptio.*

5. *MARIÆ Benignitas, & favores.*

7. *MARIÆ Charitas erga DEum, & Proximum.*

6. *MARIÆ Canticum.*

8. *MARIÆ Clementia.*

9. *MARIA Cælum.*

10. *MARIÆ Conceptio Immaculata.*

11. *MARIA Consolatrix.*

12. *MARIÆ Constantia.*

13. *MARIA Contemptrix mundi.*

14. *MARIÆ Cultus.*

Aloy-

15. *MARIA. Dæmoni opposita.*

16. *MARIÆ Dignitas, & Excellentia.*

17. *MARIÆ Dolor.*

18. *MARIA Domina.*

Ma-

19. *MARIÆ Fides.*

20. *MARIÆ Fœcunditas.*

21. *MARIÆ Fortitudo.*

22. *MARIÆ Gaudium*

23. *MARIÆ Gratia.*

24. *MARIÆ gratus favor erga sibi devotos.*

25. *MARIÆ Humilitas.*

Clien-

26. *MARIÆ Imago.*

27. *MARIÆ Imitatio.*

28. *MARIÆ Inimicitiæ cum Dæmone.*
Vide, *M. Dæmoni opposita.*

29. *MARIÆ Intentio pura.*

Sim

30. *MARIÆ Intercessio.*

31. *MARIÆ Invocatio.*

32. *MARIÆ Laudes.*

33. *MARIÆ Liberalitas.*

34. *MARIA Lilium.*

35. *MARIÆ Mansuetudo.*

Mater

40. *MARIÆ Nativitas.*

41. *MARIÆ Nobilitas.*

42. *MARIÆ Nomen.*

43. *MARIA Obedientia.*

44. *MARIÆ Oratio.*

45. *MARIA Paradiſus.*

46. *MARIÆ Patientia.*

47. *MARIÆ Patrocinium.*

48. *MARIÆ Paupertas.*

49. *MARIA Peccatores punit.*

50. *MARIA Peccatorum Refugium.*

51. *MARIÆ Perfectio, & Profectus.*

52. *MARIÆ Potentia.*

53. *MARIÆ Pulchritudo.*

54. MARIÆ Puritas.

55. MARIA Regina.

56. MARIA Religiosos respiciens.

57. MARIA Rosa.

58. MARIA Sanitas animorum nostrorum.

Balsa-

59. MARIA Sancta. Vide tit. M. virtutes.

60. MARIÆ Sodalitates.

61. MARIA Spes.

62. MARIÆ Suavitas.

63. MARIA succurrit in morte.

64. MARIA succurrit in tentationibus præsertim obscœnis.

65. MARIÆ Verba.

66. MARIA Victorias impetrat.

67 MARIA Virga.

68. MARIÆ Virginitas.

69. MARIÆ Virtutes.

70. MARIÆ Vita activa, & contemplativa.

71. MARIÆ Uterus.




Österreichische Nationalbibliothek
+Z177382805



